Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Boston Public Library

http://www.archive.org/details/doctorisseraphic07bona

# DOCTORIS SERAPHICI

# S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISC. CARD.

# OPERA OMNIA

Bonaventure, Saint

DOCTORIS SERAPHICI

# S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISCOPI CARDINALIS

# OPERA OMNIA

IUSSU ET AUCTORITATE

R.MI P. ALOYSII A PARMA

TOTIUS ORDINIS MINORUM S. P. FRANCISCI

MINISTRI GENERALIS

EDITA

STUDIO ET CURA PP. COLLEGII A S. BONAVENTURA

AD PLURIMOS CODICES MSS. EMENDATA

ANECDOTIS AUCTA PROLEGOMENIS SCHOLIIS NOTISQUE ILLUSTRATA

TOMUS VII.

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

PROPE FLORENTIAM

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

MDCCCXCV

BX
890
.B413
Q3
t.7

Proprietas Litteraria.

JAN 24 1990

DOCTORIS SERAPHICI

# S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISC. CARD.

## COMMENTARIUS IN EVANGELIUM S. LUCAE

TOMUS VII.

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
PROPE FLORENTIAM
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

—

MDCCCXCV

BX 890
.B673

# OPERA HUIUS TOMI.

Commentarius in Evangelium S. Lucae . . . *pag.* 1
In appendice:
Expositio in Lamentationes Ieremiae Prophetae . . » 605
Expositio Orationis Dominicae . . . . . . . . » 652

BOSTON COLLEGE LIBRARY
CHESTNUT HILL, MASS.

301490

# PROLEGOMENA

## IN SEPTIMUM TOMUM.

In hoc septimo nostrae editionis volumine exhibemus opus exegeticum seraphici Doctoris certo genuinum, adiecta appendice, quae continet dubia vel potius illegitima opuscula.

CAP. I.

### De genuino S. Bonaventurae Commentario in Evangelium Lucae.

Commentarii huius prologus incipit: *Spiritus Domini super me*, expositio vero praefationis S. Lucae: *Quoniam quidem multi* etc., sic: *Hic est prologus auctoris*.

Praeclarum hunc Commentarium esse certo genuinum opus, a viris eruditis, solis exceptis editoribus Venetis, semper assertum est. Isti vero censores, neglectis plurimis argumentis in favorem Doctoris seraphici militantibus, hoc opus ad *incerta* scripta reiicere conati sunt, ducti ratiunculis vere futilibus.

§ 1. **Nullius momenti sunt rationes ab editoribus Venetis pro ista opinione allatae.**

Censura istorum tum contra hunc Commentarium tum contra Expositionem orationis dominicae haec est (ed. Veneta, tom. I. Diatriba pag. 90.): « Sunt plura, quae maxime nos movent, ut utrumque hoc opusculum ad supposititia ablegemus; sunt e diverso quae magnopere alliciant nos, ut inter legitima Bonaventurae opera recenseamus. Ac nos cum primis grave premit testimonium Ptolomaei Lucensis, cuiusmodi verba sunt (Hist. Eccles. cap. XXIII.): « Huic Bonaventurae Urbanus IV. duo Evangelia glossanda commiserat; sed excusans se propter officium, quod habebat, quia Magister Generalis erat, idem Doctor Aquinas supplevit ».

« Sed ut opus vel ipsum introspiciamus, incomptum et inornatum dicendi genus, quod hoc in opusculo deprehenditur, satis suspicionis nobis dat, ut spurium Bonaventurae foetum iudicemus. Frequens deinde expositor fuit in citandis Sallustii, Senecae, Iulii Caesaris, Catonis libris, a quibus, ut coniectura consequimur, se quidem Bonaventura continuit ».

« Ceterum, ut dicamus quod res est, habemus alia, quae nos in oppositam sententiam pertrahunt. Ac primum occurrit Ioannes Trithemius in indiculo Bonaventurae: *Super Oratione Dominica lib. I. In Evangelium Lucae lib. I.* Occurrunt praeterea, quae Romani editores in argumento expositionis eiusdem tom. II. scripserunt: « Dicemus igitur iam de expositione in Lucam, quam eius esse non solum Trithemius ostendit, sed plane demonstrat exemplar vetus Vaticanum, itemque exemplaria quatuor in Belgio diligenter asservata, quorum unum est Gandavense, alterum Bruxellense, tertium Traiectinum, quartum Lovaniense: cum quibus omnibus olim a F. Matthia Dordracensi, Fratrum Minorum Germaniae inferioris Ministro Provinciali, olim collata quam diligentissime haec expositio, anno MDXXXIX typis Antverpiensibus concinne impressa, Paulo III. Pont. Max. prodiit in lucem. Ex Antverpiensis editionis apte recteque emendatae exemplari sumsimus exemplum ad editionem Vaticanam hanc, quae melior multis partibus reddita est exemplaribus quoque aliis ». Haec nos, utpote qui nihil contemnere solemus, valde prohibent, ne aut dextrorsum, aut sinistrorsum inclinemus, sed suspenso maneamus iudicio, donec veritas nobis affulgeat ».

Hae animadversiones, quatenus respiciunt Commentarium in Lucam, satis eversae sunt iam saeculo praeterlapso a Magistro Hyacintho Sbaralea (Supplem. ad Scriptores Ord. Min. pag. 145 et etiam 171), cuius verba a P. Bonelli in Prodromo (col. 637) ex variis locis collecta sic exhibentur:

« Ego puto, Ptolomaeo fuisse suppositum, aut quorundam rumorem et coniecturam secutum. Quo enim pacto potuit Bonaventura se excusare coram Pontifice, qui noverat eum plura scripsisse et tunc etiam scribere, nec ita patribus Comitiorum Narbonensium respondisse? Sanctum Doctorem Expositionem in Lucam confecisse testantur ante Trithemium Octavianus Suessanus, Franciscus Pavinus, Robertus Liciensis, Iacobus Oddus, et Bartholomaeus Pisanus circa annum 1387 scribens. Ptolomaeus vero, etsi auctor suppar, scripsit Historiam Ecclesiasticam multo post sancti Doctoris obitum, post annum 1312. Desinit in an. 1294. Quare potuit errasse, quemadmodum lib. XXII. cap. XXI., ubi tradit, sanctum Thomam Coloniae exsistentem recusasse abbatiam Montiscassini per Alexandrum Pontificem oblatam, cum id factum fuerit per Innocentium quartum, ut fatetur Echardus tomo I. Bibl. Ord. Praed. pag. 278. Si etiam

tempore sui ministeriatus supremi scribere potuit Bonaventura *Itineraria duo: in Deum et in seipsum* anno 1259, *Legendam maiorem et minorem* ab anno 1261 ad 1262, *Apologiam Pauperum* an. 1269 etc.; quo pacto potuit se excusare coram Papa, se ratione officii ministeriatus non posse Evangelia duo exponere? Quod insuper obiiciunt editores novissimi et nullum est et falsum. Tantum enim abest, ut ibi *frequens sit in citandis Sallustii, Senecae, Iulii Caesaris et Catonis libris*, ut aut nunquam, aut vix occurrant; bis vel ter reperi eum citare Tullium, semel Senecam et semel aut bis Iosephum Hebraeum. Ceterum creberrime et fere semper sacra Scriptura, sanctis Patribus et Glossa utitur. Eius porro dicendi genus immerito dicitur *incomptum et inornatum*, cum non alibi forsan magis elucescat prudens, eruditum pro temporum conditione, pium sanctique Doctoris proprium quam in hac Expositione. Ter dictum factumque beati Francisci et paulo post septem gradus contemplationis Fr. Aegidii anno 1262 vita functi adducit» etc. Hactenus Pater Sbaralea.

§ 2. **E contrario, positivis et lucolentis rationibus probatur, hunc Commentarium esse legitimum S. Bonaventurae opus.**

Hoc satis iam demonstravit P. Benedictus Bonelli in suo *Prodromo* col. 638 seqq., cuius argumenta a nobis aucta succincte sic proponimus.

Hoc primo evincunt *antiquorum de hac re testimonia*, quae fere omnia continentur in indiculis descriptis in Prolegomenis nostris ad tom. V. c. 12, pag. LV seq.

Primus et synchronus testis est Fr. *Salimbene Parmensis*, qui in suis Chronicis (ed. Parmensis pag. 129) haec habet: « Item, Fr. Ioannes de Parma dedit licentiam Fr. Bonaventurae de Balneo Regis, ut Parisius legeret, quod nunquam alicubi fecerat, quia bacellarius erat nec adhuc cathedratus; et tunc fecit lecturam super totum Evangelium Lucae, quae pulcra et optima est; et super Sententias quatuor libros fecit, qui usque in hodiernum diem utiles et solemnes habentur. Currebat tunc annus 1248, nunc autem agitur annus Domini 1284 ». — Licet in hoc testimonio non exhibeantur signa hunc Commentarium ab aliis satis distinguentia, tamen nullum dubium remanet, quin designaverit eundem, quem omnia saecula tanquam foetum Bonaventurianum celebraverunt, et quem alii testes et tot codices S. Doctori attribuunt.

Secundus testis est *Fr. Bartholomaeus Pisanus* (indiculus VII.), qui suas *Conformitates* an. 1385 incepit et an. 1399 Capitulo Generali Minorum obtulit. De Bonaventura inter alia habet (I. Conform. fruct. 8. part. 2. fol. 80 col. 4, edit. Mediolanen.): « Postillavit excellenter Evangelium beati Lucae ». Allegat etiam et approbat nonnullas sententias eiusdem Commentarii, quae conveniunt cum editis, praesertim ea quae auctor in Luc. c. 10. n. 8. tradit de usu prohibito calceamentorum et de usu permisso sandaliorum.

Idem fere repetitur ab *anonymo Stronconiensi* (indic. VIII.), a *Iacobo Oddone* (indic. XIII.) et ab omnibus auctoribus (inter quos est etiam Trithemius) ibi subsequentium indiculorum, qui etiam plerumque praestantiam operis laudant.

Porro, duo *antiqui catalogi* duarum Ordinis bibliothecarum gravissimum pro Bonaventurae Commentario reddunt testimonium, scilicet catalogi bibliothecae S. Fortunati *Tuderti* et sacri Conventus *Assisii*. Quoad *primum* remittimus lectorem ad nostrum tom. V. Prolegom. c. 1, pag. III col. 2 seq. Ibi in inventario antiquiore, circa finem saec. XIII. confecto, ter notatur « Postilla fratris Bonaventure super Lucam » (cfr. Prodrom. col. 479) et similiter in secundo inventario, quod scriptum est « ex praecepto Domini Benedicti Papae XII. » (ab an. 1334-1342). In eadem bibliotheca duo exemplaria antiqua (n. 47. et 60.) adhuc exstant, quae a nobis collata sunt et infra § 4. descripta, scil. codd. C D. — Catalogus bibliothecae *Assisiensis* confectus est an. 1381 (cfr. Prodrom. col. 378 et noster tom. V. Prolegom. pag. LX col. 2), in quo legitur pag. 29: « Postille super Evangelium Luce fratris Bonaventure cum postibus et cathena, cuius principium: *Spiritus Domini super me*, finis vero: *Qui cum Patre et Spiritu sancto* » etc. — In eadem bibliotheca, teste Magistro Ubaldo Thebaldio Min. Conv. (cfr. Prodr. col. 387) exstitit saeculo XVII. codex huius Commentarii, inscriptus: « Postilla super Lucam secundum magistrum fratrem Bonaventuram de Balneo regio Ordinis Minorum ». Idem hic cod. nunc pertinet ad nostrum Collegium, qui infra sub signo H describitur.

His testimoniis accedit auctoritas tot aliorum antiquorum codicum, qui librum Bonaventurae inscribunt (cfr. infra § 4.).

Secundo, *praedicta testimonia confirmantur criteriis internis.*

Quod auctor huius operis fuerit doctor Ordinis Minorum, manifeste probat P. Bonelli (Prodr. col. 639). Saepe enim in ipso commendatur altissima paupertas, praesertim c. 7. n. 42. seq., ubi ipsa commendatur « propter decem excellentissimas dignitates »; iterato laudatur B. Franciscus, item Fr. Aegidius (c. 9. n. 48.). Porro, ad ea verba: *Nolite portare calceamenta*, subditur haec interpretatio (c. 10. n. 8.): « Scilicet ad cooperiendos pedes... *Sandalia* enim a laesione pedem protegunt, sed non tegunt, sicut sunt soleae fratrum » (Vat. addit *nostrorum*, quod certe est supplendum).

Nulli autem alii Franciscano nisi seraphico Doctori hunc librum tribui posse, suadet conformitas doctrinae, methodi et stili, quae tanta est, ut qui versatus est in aliis scriptis eiusdem certo genuinis facile in hac postilla S. Doctoris indolem agnoscat. Quoad doctrinae conformitatem sexcenties allegavimus locos parallelos, quos qui voluerit inspicere et conferre ipse de hac conformitate sibi persuadebit. Nonnulla huiusmodi exempla videri possunt in Prodromo (loc. cit.), quae hic referre superfluum videtur.

§ 3. **De tempore, quo hic Commentarius scriptus est, et de ipsius indole et praestantia nonnulla notamus.**

Primo quoad *tempus* P. Bonelli asserit (Prodr. loc. cit.), « Lecturam super totum Evangelium Lucae a Bonaventura factam esse Parisiis an. 1248, cum primum fuisset inibi a Fr. Ioanne Parmensi institutus Lector ». Hoc (ibid. col. 10) probare nititur verbis Fr. Salimbene supra § 2. relatis, quae sane hoc expresse testari primo aspectu videntur, cum ille dicat: « Currebat tunc annus 1248 » etc. Attamen putamus, utriusque auctoris sensum ita duntaxat intelligendum esse, quod tunc Bonaventura *inceperit* circa memoratum librum tam operosum laborare; hoc enim brevi tempore eo minus potuit perficere, quia praeter interpretationem Lombardi in schola eadem periodo etiam immensum opus quatuor librorum in Lombardum inter manus habebat. Attendendum est etiam, auctorem tunc aetate iuvenem fuisse (factus est an. 1245 baccalaureus, quando non numerabat nisi 24 annos, et post tres annos incepit publicam lecturam).

Immo putamus, quod verba Fr. Salimbene « Currebat tunc annus 1248 », sine violentia restringi possint ad *initium publicae lectionis.*

Nam, ut sincere nostram opinionem manifestemus, tota huius operis, quale nunc legitur, indoles insinuat, saltem ultimam eius completionem ad maturiorem auctoris aetatem esse prorogandam, quidquid sit de tempore et modo, quo hoc Evangelium tractare inceperit.

Praeterea, non videtur nobis esse probabile, hoc scriptum in eadem qua nunc exstat forma traditum fuisse in *schola,* sicut aliud in *Evangelium Ioannis,* quod in scholis lectum esse, fide perantiqui codicis msc. in Prolegomenis ad tom. VI. pag. XXI col. 2 asseruimus. Non exigua enim apparet differentia indolis inter utrumque Commentarium. In Ioannem scribit auctor forma pro scholis adaptata, multus est in quaestionibus theologicis et exegeticis scholastice solvendis, parcius allegat locos Scripturae et Glossarum; ast Commentarius in Lucam se prodit scriptum potius ad scopum practicum, praesertim ad usum praedicatorum. Hinc accumulantur multa millia locorum utriusque testamenti, ita ut ad quamlibet sententiam plures suggerantur loci, quibus praedicator pro libitu uti possit, ut, quidquid dicat auctoritate Scripturae confirmet, prout consuetudo istius aetatis postulabat. Hinc etiam exhibetur continua catena auctoritatum ex Glossis et libris Patrum collecta. Unde vere dici potest, librum hunc tot millibus auctoritatum locis artificiose contextum similem esse operi musivo innumeris variisque lapidibus composito. In tanta varietate minime tamen ordine caret, sed mira synthesi est ordinatus gravibusque seraphicae mentis sententiis perfusus. Non obstante hoc scopo practico, satis tractantur etiam quaestiones proprie exegeticae, sed moderate, breviter et in forma non scholastica. — Haec omnia, sicut minus praelectionibus scholasticis conveniunt, sic optime ei scopo, quem supposuimus, scilicet quod liber sit in usum praecipue praedicatorum destinatus.

Praedictum scopum principalem in ipso prooemio aliquatenus insinuatum esse, nobis videtur. Nam textum Scripturae: *Spiritus Domini super me* etc., primo competere dicit « *cuilibet doctori* S. Scripturae eiusque *auditori* » (n. 2.). Quod autem hoc non tantum de doctore in scholis disputante intelligendum sit, sed etiam de praedicatoribus ad populum, exprimitur inferius (n. 5.) his verbis: « Evangelium autem Dei exponere et docere est *verbum divinum praedicare* ».

Quod attinet *fontes*, quibus auctor usus est, patet, eum *Glossas* tam *interlineares* quam *ordinarias* ea aetate notas fere integras in proprium usum vertisse. Notum est, ipsas Glossas excerptas esse ex libris Ss. Patrum; unde Glossae in Evangelium Lucae plerumque sumtae et contractae sunt ex duobus in idem Commentariis, scil. Ambrosii et Bedae. Praeterea, his ipsis Commentariis Bonaventura ita usus est, ut nihil notatu dignum praetermiserit. Passim allegat etiam locos congruentes ex egregiis Homiliis in Matthaeum ea aetate S. Ioanni Chrysostomo tributis, quae communiter nominantur *Opus imperfectum.* Etiam S. Thomas putavit, has Homilias esse opus Chrysostomi easque plurimi fecit (cfr. De Rubeis in S. Thomam dissert. 5. c. 4.). Ex aliis etiam operibus, praesertim Ss. Augustini, Hieronymi, Gregorii, Bernardi aliorumque passim afferuntur loci, ita ut in hoc uno Commentario fere invenias, quidquid Ss. Patres, saltem Latini, in elucidationem huius Evangelii scripserunt.

*Praestantia* huius Commentarii iam a coaevis scriptoribus et subsequentibus, qui eundem commemorant, laudibus celebratur (cfr. supra § 2.).

In hoc immensi laboris opere doctrina auctoris, diligentia, pietas et ingenium fecundum ac sublime manifeste apparet. Ut iuste de eius valore iudicetur, habenda est ratio tum aetatis, qua scriptum est, tum methodi tunc communis, tum etiam specialis finis ab ipso intenti, scilicet ut uberem praedicatoribus materiam et aptam rerum dispositionem praeberet. Censemus autem, etiam nostra aetate posse praedicatores pro elaborandis sermonibus, praesertim homiliis, pretiosa subsidia ibi invenire. Quod enim in Prolegomenis ad tom. VI. (pag. XXVI, § 7.) monuimus etiam quoad hunc Commentarium repetere possumus, falsum scilicet esse, quod Bonaventura, neglecto sensu litterali, fere totus sit in sectando sensu mystico. Sufficit notas nostras marginales inspicere, ut quam exigua pars libri de hoc sensu tractet, evidenter appareat.

§ 4. **De subsidiis in hac nostra editione adhibitis et nostro labore haec notamus.**

Quid editio Vaticana (tom. II. an. 1589) in praefixo argumento de propria sua editione et de Antverpiensi an. 1539 tradiderit, iam supra § 1. editores Veneti retulerunt. Iam nonnulla his adiungimus.

De editione illa Antverpiensi an. 1539, quam non vidimus, loquuntur etiam P. Bonelli (Prodr. col. 329) et P. Servatius Dirks, Ord. Min. Recoll. in suo libro: *Histoire littéraire et bibliographique des Mineurs de l'Observance en Belgique et dans les Pays-Bas,* Anvers, Van Os-de Wolf 1885, pag. 69. Sed uterque hanc editionem tribuit celebri fratri eiusdem Ordinis *Ioanni Mahusio,* qui opera praedicti Mathiae Dordracensis usus esse videtur. Mahusius, eximius Lector sacrarum litterarum in Conventu Lovanii, postea designatus est primus episcopus Daventriensis, cui sedi resignavit. A Geusis an. 1572 crudeliter vulneratus et instar cadaveris in platea relictus est. Obiit 1577. Ista editio Antverpiensis secundum P. Servatium omnium prima fuit huius Commentarii. Sed Bonelli (Prodr. coll. 310, 329, 357) refert Venetianam quandam an. 1524 apud Salvionum a pluribus auctoribus memoratam, quam neque ipse neque nos vidimus. — Alia Venetiana an. 1574 ex eiusdem Francisci Salvioni officina in Collegio nostro habetur, cuius titulus: « D. Bonaventurae in sacrosanct. Evangelium Iesu Christi sec. Lucam elaborata Enarratio, omnibus Christi fidelibus, tum maxime divini verbi declamatoribus apprime utilis ac salutaris ». Hanc editionem cum Vaticana incepimus conferre, sed postquam invenimus, textum utriusque vix in minutis rebus discrepare, ab inutili labore cessavimus. Si igitur Vaticana ed. exemplar sumsit ab Antverpiensi, concludendum est, etiam Venetianam an. 1574 illam esse secutam. Ceterum etiam tertiam editionem Venetianam invenimus in Prodromo memoratam, quae perhibetur eodem anno 1574 esse impressa apud *Petrum de Franciscis.* Sed haec non nisi novo titulo a praedicta anni 1574 videtur differre, de quo vide infra c. 2. § 1.

**Codices huius Commentarii cum textu editionis Vaticanae a nobis collati.**

1. *Claris Aquis* in archivo nostri Collegii (donatus ab illustri D. I. Spitthöver), olim bibliothecae sacri Conventus

S. Francisci Assisiensis, cod. membran. in folio, saeculi XIV. circa med. In fascia membranacea asseri posteriori exterius affixa legitur: *Postilla super Lucam secundum magistrum fratrem Bonaventuram de Balneo regio ordinis Minorum; reponatur versus orientem in banco VII.* — Folio 1. r. columna 1. incipit sine ullo titulo: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me ad annunciandum mansuetis terre, ut mederer contritos corde et predicarem captivis indulgenciam et clausis apercionem. Considerantibus nobis* etc. Desinit fol. ultimo r. col. 2. *Ad quem finem nos perducat Ihes Xs dei filius per intercessionem dulcissime matris sue et beatissimi Luce evangeliste, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit ac regnat Deus in secula seculorum. Amen.*

Genuino Commentario hic cod. passim plura et prolixa addit, quae ultra tertiam partem editi operis excrescunt, ita ut verba *secundum Bonaventuram* proprie ipsi conveniant. Interdum quasdam particulas omittit vel immutat, praesertim difficiliores. Cum autem haec manifeste ab alio posteriore auctore facta sint, hic cod. vix ad aliud servire potuit nisi ad confirmandas genuinas aliorum codicum lectiones et paucos locos corruptos illustrandos. — Signatur littera H.

2. *Darmstadii* in Germania, biblioth. Ducalis, cod. 369. chart. saec. XV. circa med. Manus posterior eiusdem saeculi apposuit fol. 1. r. hanc memoriam: *Ex parte venerabilis magistri Martini de Monialve, quondam Provincialis huius provincie et filii huius conventus* (recens manus addidit: *Carmeli aquensis), et obiit anno Domini MCCCCLXXXIX. ipso die sancti Theodori martiris.* Incip. fol. 3. r.: *Spiritus domini super me* etc.; in fine adduntur haec alia: *Expliciunt postille fratris Bonaventure super Lucam.*

Etiam hic interdum habet additamenta, sed brevia, quae quidem non raro etiam in ed. Vat. habentur, sed desunt in antiquioribus codd. Solet etiam cum Vat. supplere locos Scripturae, quando in illis antiquis codd. consulto aliqua omissa vel tantum per *etc.* indicata sunt. — Sign. litt. G.

3. *Florentiae*, biblioth. Mediceo-Laurentiana, cod. Conv. suppr. 847. modo 360, de quo locuti sumus tom. VI. Prolegom. pag. XXII n. 5. Commentarius in Evangelium Lucae incipit fol. 2. r., cui manus saec. XV. praemisit: *Postilla super Lucam Conventus sancte Marie novelle de Florentia Ordinis Predicatorum.* Deinde columna 1. *Spiritus Domini super me* etc. Desinit fol. 128 v. col. 1 in fine.

Non parum mendose est scriptus, praesertim quia per saltum plura verba et integras lineas saepe omittit. Textus tamen communiter convenit cum C D, cum quibus constituit meliorem familiam. — Sign. litt. A.

4. *Ibidem,* Plut. XI. dext. cod. 3. membr. in fol. saec. XIV. incunt. Incipit. fol. 3. r. sine ulla nota: *Spiritus Domini super me* etc. Desinit fol. 114. r. ut in edito Commentario.

Non exhibet integrum Commentarium, sed passim verbis contractis sensum exprimit, vel etiam aliquatenus immutat. Ad marginem et calcem saepe habet additiones alienas. — Sign. litt. B.

5. *Ibidem,* Conv. suppr. 645, modo 99. 465. Vide quae de hoc codice diximus tom. VI. Prolegom. pag. XXII n. 4. Commentarius incipit fol. 84. r. sub rubrica alterius manus: *Postilla super Lucam.* Hinc: *Spiritus eius* (sic) *super me* etc. Desinit fol. 142 v. col. 2. ut in editione.

Etiam hic textum contractum habet; unde postquam vidimus, eum in illis partibus, quas habet, quoad sensum et plurima verba cum aliis codd. convenire, cessandum esse a parum utili labore decrevimus. — Sign. litt. I.

6. *Matriti,* biblioth. Escorialis, cod. III. R. 2. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Manus saec. XIV. praemisit in superiore parte recta primi folii haec verba: *Istam postillam fecit frater Bonaventura Ordinis Minorum Generalis Minister et Magister in theologia ac postmodum Cardinalis Episcopus Albanensis.* Post haec prima manus: *Incipiunt postille fratris Bonaventure super Lucam. Spiritus domini super me* etc. Desinit fol. 212. v. Eadem prima manus subiicit: *Expliciunt postille super Lucam fratris Bone aventure.*

Hic tantum secundum initium et quasdam partes collatus est; quo nobis constare potuit, eum in textu communiter convenire cum meliore familia A C D. — Sign. litt. K.

7. *Montis Alvernae,* biblioth. Conventus, cod. membr. in fol., de quo mentionem fecimus tom. VI. Prolegom. pag. XXIII n. 9.

De hoc idem valet, quod de cod. G diximus. Praeterea passim multa omittit et a c. 19, 48. penitus deficit. Observavimus autem, quod illae praecipue partes omittuntur, quae in missali non sunt receptae ut pericopae diebus dominicis et festis legendae, quae etiam ad marginem codicis indicantur. — Sign. litt. F.

8. *Neapolis,* biblioth. Nationalis, cod. VII. A. 42. membr. in fol. saec. XIV. ante med. Postillam in Evangelium Matthaei anonymam sequitur haec in Evangelium Lucae pariter anonyma. Incipit et desinit ut in editis.

Hic habet lectiones non raro speciales, praesertim in correctionibus, quae ab alia manu ad marginem positae sunt. — Sign. litt. E.

9. *Tuderti* in Umbria, biblioth. sancti Fortunati, cod. 47. membr. in fol. saec. XIII. versus finem exaratus. Incipit fol. 3. r. col. 1: *Spiritus Domini super me* etc., et desinit fol. 150 v. prope finem: *Vivit ac regnat Deus in secula seculorum. Amen.*

Est satis correcte a prima manu scriptus, et vitia librarii saepe, sed non semper, ad marginem a manu paulo iuniore correcta sunt. Hunc et sequentem plurimum secuti sumus. — Sign. litt. C.

10. *Ibidem,* cod. 60. membr. in fol. saec. XIV. incunt. Fol. 1. v. manus paulo posterior notavit: *Iste liber est deputatus ad usum fratris Munaldi de Tuderto lectoris; quicumque cum alienaverit absque eius licentia, anathema sit.* Parum infra: *Postilla Bonaventure super Lucam.* Sequuntur quaestiones de scientia Christi et de Mysterio Trinitatis, sed ab alia et antiquiori manu scriptae, ut praemonuimus tom. V. Prolegom. c. 1. § 2. et 4. n. 2. Commentarius in Evangelium Lucae incipit fol. 31. r.: *Spiritus Domini super me* etc. Desinit fol. 177. r. per verba: *Deo gracias.* Sequitur index rerum ordine alphabetico exaratus.

Hic in textu a prima manu scripto valde convenit cum praecedenti, licet non possit esse eiusdem apographum, cum aliquoties habeat quaedam verba, quae in illo desiderantur. Saepius prima manus in hoc quam in illo erravit, sed etiam in margine pluries ab alia manu est correctus, et passim etiam alias lectiones ibi praebet ac cod. C. — Sign. litt. D.

11. *Turonis* in Gallia, biblioth. Civitatis, cod. 27, olim S. Gratiani 43, membr. in fol. saec. XIII. post med. Hunc cod.

iam notavimus tom. VI. Prolegom. pag. XXV n. 45. Commentario in hoc Evangelium praemittitur tantum: *Lucas,* deinde columna prima sequitur: *Spiritus Domini super me* etc. In fine, post: *Amen.* additur: *Die sabati in festo B. Michaelis anno Domini millesimo CC.° septuagesimo quarto computatum fuit apud Caleriam in domo domini Regis inter Damirum doctorem et Adam.*

Omnes alios codd. nostros hic aetate praecedit, sed non correctione. Prologum tantum et partem cap. 1. cum ed. Vaticana conferri curavimus, et praescindentes a gravibus vitiis, conformem eum esse familiae A C D deprehendere potuimus. — Sign. litt. L.

**Codices a nobis non collati.**

12. *Caesenae* in Italia, biblioth. Malatestiana, Plut. VII. cod. IV. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Plures habet postillas marginales a pluribus librariis saec. XIV. et XV. exaratas, quorum unus addidit in fine: *Explicit postilla super Lucam, Conventus Cessene* (sic) *fratrum Minorum,* omisso auctoris nomine.

13. *Florentiae,* biblioth. Mediceo-Laurentiana, Plut. XXVII. dext. cod. 3. membr. in folio saec. XIV. ineunt. Folio 2. r. notatur: *Tabula super Postillam super Lucam fratris de Turonia ordinis Minorum.* Alia manus eiusdem saec. XIV. inseruit: *Iste liber spectat ad Conventum florentinum ordinis fratrum Minorum, deputatus ad usum fratris Illuminati de Camposaccis eiusdem ordinis.* Hinc columna prima: *Spiritus Domini super me* etc. Multas habet additiones, omissiones et variationes sicut alii sub n. 1. et 2. descripti. Desinit fol. 156. r.: *Nos ergo de libro finito omnipotenti Deo gracias agimus, qui est Deus super omnia benedictus.* — Inscriptio illa *fratris de Turonia* non auctorem operis, sed tantum *tabulae* vi verborum indicare potest.

14. *Pragae* in Bohemia, biblioth. Universitatis, cod. III. A. 22. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Manus saec. XIV. notavit in principio: *Postilla super Lucam Bone venture;* alia posterior addidit: *Iste liber est emtus a Paulo sacerdote de Lythonnerziez cum aliis pluribus, scilicet...* Prima manus praemisit Commentario: *Postille super Lucam evangelistam,* et addidit in fine: *Expliciunt Postille super Lucam fratris Boneaventure.*

15. *Romae,* biblioth. Vaticana, cod. 5726. membr. in fol. saec. XIV. circa med. Alia manus posterioris aevi inseruit: *Fratris Bonaventure commentaria in Lucam.* Incipit et desinit ut in editis.

16. *Ibidem,* in eadem bibliotheca, cod. 1298. membr. in fol. minore saec. XIV. ineunt. De quo satis diximus tom. VI. pag. XXVI n. 3.

Iam diximus, maioris auctoritatis esse codd. A C D, quibus in partibus collatis suffragantur K et L; ceteri collati plus minusve mutati, adaucti, contracti vel lacunis magnis foedati sunt, unde ipsis usi sumus praecipue vel in confirmationem vel in subsidium, quando melior illa familia defectum, vel corruptionem manifestabat. Multa millia locorum ope codicum corrigere et textum sincerum fere semper restituere potuimus.

Alium improbum laborem, cui quantum temporis et operis impensum sit, nemo nisi expertus facile credit, suscepimus, ut tot millia locorum tum ex Scriptura tum ex aliis scriptis allegatorum sedes inveniremus ipsosque cum originalibus collatos accurate indicaremus. Textum Glossarum frequenter invenimus depravatum, et non raro etiam auctor, a quo sumtae sunt, perperam indicatus. Verum fontem Glossarum et passim etiam integrum eius textum in notis exhibuimus. — Quoad locos Scripturae notandum est, quod illi loci, qui ad textum Evangelii Lucae illustrandum afferuntur, plerumque non perfecte conveniunt cum recenti textu Vulgatae, et hoc ob plures causas. Vel enim hoc accidit, quia exemplar, quo S. Doctor usus est, non conveniebat cum nostra Vulgata, vel, id quod frequentius accidit, ipse consulto quasdam particulas et integras partes omisit, vel etiam constructionem aliquatenus mutavit, ut sermo suo proposito et contextui magis congrueret; exempli gratia, pro forma interrogativa in sensu negativo pluries substituitur propositio absoluta negativa; vel pro *vos* ponitur *nos.* Saepissime etiam pars tantum locorum explicite exhibetur, reliqua vero per *etc.* indicantur. In edd. 1. et Vat., praesertim in prima parte Commentarii dicti loci allegantur plerumque secundum antiquam Vulgatam, et passim partes a codicibus omissae supplentur. Sed putavimus, standum nobis esse codicibus antiquioribus, quando inter se conveniebant. In locis tamen minus communiter notis in commodum lectoris pluries retinuimus verba Vaticanae, ubi codd. ponebant *etc.*

In textu vero *Evangelii Lucae* lectiones a Vulgata discrepantes fideliter annotavimus, vel in textum receptas auctoritate antiquorum vel coaetaneorum scriptorum confirmavimus, praesertim Hieronymi, Augustini, Bedae, Glossarum, B. Alberti, S. Thomae, Card. Hugonis et etiam Gorrani (de quo cfr. tom. VI. Prolegom. pag. XXI col. 1). In horum collatione saepius vidimus, varias editiones horum auctorum in ipso *textu* Scripturae substituisse praesentem lectionem Vulgatae, sed in *expositione* eiusdem retinuisse aliam lectionem, quam habebant etiam nostri codices aliique antiqui. Nobis non probatur ratio eorum editorum, qui in scriptis magnorum doctorum semper recentem Vulgatae textum substituunt antiquae lectioni auctoris. — Hoc quoad textum Evangelii Lucae. Sed in referendis millibus illis locis ex toto V. et N. T. allatis et a Bonaventura consulto, ut diximus, parumper contractis vel mutatis, intolerabile nobis et legentibus et inutile onus fuisset, quascumque minutas res a Vulgata discrepantes ad calcem annotare. Hoc non fecimus, nisi concurrente speciali ratione.

## CAP. II.

## De pluribus opusculis illegitimis vel saltem dubiis.

### *Primo agitur de Postilla in Lamentationes Ieremiae.*

Hoc opusculum reiecimus in appendicem, quia graves rationes suadent, ut hoc opusculum tribuamus potius discipulo S. Bonaventurae, Ioanni Pechamo Ord. Min., quam ipsi nostro Doctori. Ille cathedram magistri obtinuit Parisiis, deinde Oxonii; postea in Curia Romana fuit primus ex Ordine Minorum Lector s. Palatii. Anno 1279 promotus est ad sedem primatialem Cantuariensem. Mortuus est 8. Dec. 1292. De eiusdem multis scriptis

cfr. Sbaralea (Supplementum ad Script. Ord. Min.) et de multis codicibus, qui exstant, in quibus habentur illa opera, vide nostrum oposculum De humanae cognitionis ratione, Prolegom. pag. XVI. et ibid. pag. 179 quandam eiusdem quaestionem disputatam.

§ 1. **Recensentur editiones huius Commentarii.**

Prima eiusdem editio typis expressa prodiit Venetiis 1574 apud Petrum Franciscum Salvionum. In titulo legitur: « Nunc primum in lucem emissa et ab innumeris quibus scatebat erroribus summo studio summaque cura expurgata ». Hanc editionem prae manibus habemus; cui in eodem tomo Commentarii S. Bonaventurae in Lucam et in Sapientiam, ast cum distinctis titulis et foliorum numerationibus praefixi sunt, sed eisdem typis impressi. In titulo operis in *Sapientiam*, ubi additur: *et Lamentationes Ieremiae*, paulo aliter legitur: « Nunc primum post diutinam exspectationem in lucem edita et ad veterum exemplarium fidem per F. Ioannem Balainium Andrium Conventualem Franciscanum accuratissime recognita ». Quoad locum et tempus editionis solum legitur: « Venetiis MDLXXIIII ». Sed in Prodromo (col. 344 seqq.) P. Bonelli describit Venetianam editionem eiusdem prorsus tituli, exceptis ultimis verbis, quae sunt: « Venetiis MDLXXIIII *apud Petrum de Franciscis et Nepotes in 8* ». — In utroque igitur titulo sunt verba *nunc primum edita*, in utroque eaedem sunt dedicationes, iidem typi et idem annus. Hinc certum esse videtur, non duas editiones in his haberi, sed titulum alium eidem prorsus editioni praefixum esse. Et cum etiam in titulo Commentarii in Lucam, quem habet nostra ed. Veneta an. 1574, legatur: *apud Franciscum Salvionum,* ast in alia eiusdem loci et anni: *apud Petrum de Franciscis;* minime de toto illo tomo dubitamus, quin habeamus non duas editiones, sed unam, mutato tantum titulo.

Prima haec editio Lamentationum, quae a Balaino ut « ab innumeris quibus scatebat erroribus summo studio summaque cura expurgata » laudatur, re vera quoad textum intolerabilibus scatet vitiis, quae passim sensum obscurant et perturbant. Nihilominus haec fere integra etiam in Vaticana et subsequentibus edd. reimpressa est. In ultima editione Parisiensi D. Peltier quosdam errores nimis obvios, coniectura usus, emendare conatus est, sed plerumque veram lectionem codicum non est assecutus; de quo non est mirandum. Insuper maximam partem falsarum lectionum, inter quas sunt gravissimae, ipse haud eliminavit.

§ 2. **Examinantur testimonia externa.**

S. Bonaventuram huius libelli auctorem esse, hucusque communiter iudicatum est; sed quod in iudicio de auctoribus antiquorum scriptorum opinio communis saepe erraverit, plurimis exemplis constat. Audiamus primo loco rationes, quas P. Bonelli (Prodr. col. 635) pro recepta sententia affert.

Postquam idem exagitavit editores Venetos (Diatrib. pag. 87), qui hunc Commentarium « non audent ex catalogo Bonaventurae operum expungere, quamquam nemo sit e vetustis, qui opusculum istud inter eius opera collocet », et tamen illud se legitimum habere asserunt « ob orationis maiestatem, gravitatem et rationem »; P. Bonelli ita prosequitur: « Verum enimvero, quia praefatorum editorum criticen nihil moror, ego quoque consentio, expositionem, de qua nunc loquimur, esse in catalogo Bonaventurae operum retinendam, utpote a duobus pervetustis inventariis Tudertinis testatam, *ad veterum exemplarium fidem recognitam* [ita legitur in titulo memoratae 1. editionis] ac per multiplices editiones publica luce sub nomine Bonaventurae donatam; tum quoque Bonaventuriano more frequentissimis divinae Scripturae textibus illustratam, nihilque stilo aut doctrina eiusdem seraphici Doctoris indignum continentem ».

Ad haec plura observanda sunt. Argumentum primum sumtum ex « pervetustis inventariis Tudertinis » certe magni momenti esset, si ista *luculentum* testimonium pro Bonaventura ferrent; sed hoc negandum est, quia verba eorum aliam interpretationem minime excludunt. De his inventariis iam supra c. 1. § 2. locuti sumus et expressius in Prolegomenis ad tom. V. c. 1. § 2; cfr. etiam Prodr. col. 479, et Tudertinae biblioth. Catalogus Leonii pag. 185. En verba primi inventarii fol. 1: « Postilla fratris Bonaventure super Ecclesiastes (sic!) et Gallensis super Apocalypsim ». Deinde fol. 5: « Postilla fratris Bonaventure super Lucam, et Postilla super Threnos, libros Sapientie et Apocalypsim ». P. Bonelli supponit verba *fratris Bonaventure,* referri etiam ad *Postillam super Threnos* etc., sed cum haec determinatio inter *Postilla* et *super Lucam* posita sit, et deinde vox *Postilla* repetatur; salvis regulis grammaticae, tres aliae postillae sine illis verbis, id est ut anonymae, intelligi possunt.

Verum est, quod in altero inventario, quod scriptum est inter annos 1334-1342, positio verborum magis favet interpretationi Patris Bonelli, cum legatur: « Postilla Bonaventure super Lucam et super Threnos, in libros Sapientie et Apocalypsim »; tamen etiam haec non excludunt rationabile dubium, tum quia verba ex primo inventario transcripta quandam in positione verborum non perfectam convenientiam facile habere possunt, tum quia etiam sic posita sine violentia intelligi possunt sicut locus primi inventarii. — Praeterea, etiam si supponamus, codicem illum Tudertinum re vera habuisse talem commentarium, restat semper quaestio indecisa, utrum hic fuerit idem cum pluries edito, an potius diversus, cum nec inventarium addat notam distinctivam, nec hodie in illa bibliotheca inveniatur aliquod manuscriptum editi commentarii. — Eodem defectu laborat etiam parvus ille indiculus quem ex Echardo descripsimus tom. VI. Prolegom. pag. XV col. 1. n. 20.

Sed maior adhuc solvenda est difficultas. Nam, teste ipso Bonelli, « in Waddingiano syllabo Scriptorum Ordinis Minorum (pag. 148, ed. Rom. an. 1806), inter opera *Ioannis Pecchami*, S. Bonaventurae aliquando discipuli, ex Pitseo refertur: *In Threnos Ieremiae lib. unus; Tempus plangendi* etc., quod ipsissimum est initium ac praesentis in Lamentationes Ieremiae Prophetae Commentarii ».

Hanc difficultatem Bonelli solvere conatur adductis verbis Echardi (Scriptores Ord. Praed. I. p. 444 col. 1): « Quisquis veteres postillas discutiet, plures, licet inter se diversissimas, eodem Scripturae versiculo incipere reperiet »; qua sententia secundum se verissima innixus, Bonelli putat, Pecchamum *alium* a Bonaventuriano commentarium in Threnos scripsisse, licet utrumque incipiat eodem versiculo: *Tempus plangendi* etc.

Sed haec solutio labefit, quia in cod. nostro B (de quo infra) non tantum iste versiculus, sed totus commentarius, salvis lectionibus variantibus, penitus convenit cum illo edito et Bonaventurae inscripto, et tamen prima manus istius codicis auctorem nominat Ioannem Pecchamum, ut infra § 5. notatur; unde praesumendum est, etiam Pitseum locutum esse de eodem libello.

Alter quo usi sumus cod. A est prorsus anonymus, nec P. Fidelis a Fanna unquam invenire potuit manuscriptum libelli aliud, quod nomen Bonaventurae habeat, licet huius commentarii apographa in tot bibliothecis attente quaesierit.

Hinc patet, pro Pecchamo auctore illius commentarii, qui incipit: *Tempus plangendi*, duplex exsistere testimonium externum et antiquum, pro Bonaventura vero nullum satis expressum.

§ 3. **Discutiuntur criteria interna.**

Si praescindimus a gravissimis vitiis, quae textum libelli hucusque misere foedabant, laudem illam, quam, approbante P. Bonelli, editores Veneti huic opusculo tribuunt (vide § 2.), penitus negare nolumus. Verum est etiam, quod in nonnullis locis inveniuntur sententiae, divisiones et loquendi modi Bonaventurae familiares. Sed hoc explicari facile potest, etiam si supponamus, Pecchamum, utpote fidelem discipulum Bonaventurae, esse auctorem operis.

Aliud argumentum intrinsecum P. Bonelli sumit ex auctoribus in eodem allegatis. Dicit enim: « Praeter Hieronymum, Augustinum et Gregorium saepe in ea laudatur Rabanus, nec praetermittuntur Bernardus et Hugo a S. Victore. Inter historicos citantur Iosephus et Hegesippus, inter rhetores autem Tullius ac inter grammaticos Papias, quae quidem citationes omnes conveniunt divo Bonaventurae, qui tanquam scriba doctus consuevit de thesauro suo nova et vetera proferre ».

Sed ex infra dicendis patebit, easdem citationes qualicumque auctori saeculi XIII. non indocto aeque bene convenire quam S. Bonaventurae. Nam Hieronymus, vel Pseudohieronymus (in quodam opusculo illa aetate perperam illi attributo), Rabanus, Hugo a S. Victore, Gilbertus, Paschasius iam scripserunt expositiones Threnorum satis notas; unde talium allegationes novo commentatori facile se praestabant. Quod autem ex Hugone a S. Victore tam multa describuntur, quin fons, unde hausta sunt, nominetur, S. Bonaventurae minus convenire censemus.

Nullius etiam momenti sunt observationes a P. Bonelli (ibid. n. 3.) allatae, scil. quod auctor opusculi « regulas metri bene noverit et etiam Hebraicae linguae non prorsus fuerit ignarus ». Nam loci, ad quos respicit Bonelli, descripti sunt ex antiquioribus commentariis, nempe ex Gilberto, Rabano, Paschasio et fortasse etiam ex illo Pseudohieronymo; quod in seq. § et in notis nostris probabimus.

Examinato hoc libello, nihil invenire potuimus, quod luculenta indicia indolis et stili Bonaventuriani praeberet eodem modo, ut plerumque in aliis scriptis nobis evenit; immo plura et gravia in contrarium facere omnino videntur. Methodus scribendi in hoc libello communis est commentatoribus, qui Scripturam saec. XIII. interpretabantur. Eadem quidem est omnibus consuetudo textum et explicationem continuo dividendi et subdividendi; sed in hac postilla auctor hunc usum usurpat cum quodam non communi excessu.

Singuli fere versiculi iterum dividuntur et passim pluries, fere usque ad singula verba, quod non ita fit in legitimis Bonaventurae Commentariis. Dum in Bonaventura ubique deprehenditur mirabilis synthesis qua partes divisae ad quandam unitatem rediguntur, in proposito opere partes potius coordinantur. Ipsa explicatio litteralis, quae post divisiones sequitur, magis nuda est et grammaticalis, ita ut desideretur seraphica illa doctrinae amplitudo, devotio et sensus litteralis ad morum disciplinam applicatio, qua legitimi Bonaventurae Commentarii excellent. Hic vero auctor moralia solet reservare sequenti expositioni mysticae, quam passim transcripsit ex aliis auctoribus.

Cum igitur criteria extrinseca valde faveant Ioanni Pecchamo, nec intrinseca dubium tollant, sed potius augeant, libellum illum saltem ad incerta reiiciendum esse et in appendice ponendum putavimus. Sane quando testes idonei de aliquo illius aetatis commentario desunt, plerumque valde difficile erit, certum de auctore iudicium ferre, quia omnes in methodo multisque aliis rebus conveniunt, et quia (quod peius est et a nobis in Prolegomenis ad tom. VI. c. 1. praecipue pag. XIV col. 1. monstratum), idem saepe commentarius parum mutatus, interpositis partibus adauctus vel brevius contractus, diversis auctoribus inscribitur.

§ 4. **Recensentur opera, quibus auctor huius postillae passim utitur.**

1. Sicut omnes medii aevi auctores, ita etiam hic plurimum usus est utraque Glossa, tam *interlineari* quam *ordinaria*. Sed observandum est, Walafridum Strabonem, auctorem Glossae *ordinariae* in Bibliam, non scripsisse Glossam in *Lamentationes*. Glossa in Threnos apud Lyranum fere tota sumta est ex Paschasio Radberto, qui scripsit *Expositionem* in Lamentationes Ieremiae (Migne, Patrol. Lat. tom. 120. col. 1061 seqq.) et fere totus circa sensum mysticum occupatur. Glossae *interlineares* vulgo tribuuntur Anselmo Laudanensi.

In hac nostra postilla Glossae transcriptae plerumque non expresse citantur, quod parum convenit consuetudini Bonaventurae.

2. Pluries allegatur opusculum S. Hieronymo perperam attributum, quod habetur in ed. Vallarsii, Veronae 1742. tom. XI. col. 727-732, in quo tantum primum capitulum Threnorum breviter exponitur. Eodem tanquam legitimo Hieronymi labore iam usi sunt Paschasius et Rabanus, qui inter alia interpretationem mysticam alphabeti Hebraici inde sumsisse videntur.

3. Frequenter citatur Rabani Mauri *Expositio super Ieremiam*, in qua libro XIII. incipit expositio Threnorum, cui praefigitur quaedam introductio, quae tractat de interpretatione litterali et mystica alphabeti Hebraici, quam noster auctor passim transcribit. Habetur apud Migne in Patrol. Lat. tom. 111.

4. Item, multa descripta sunt ex opusculo Hugonis a S. Victore *Annotatiunculae elucidatoriae in Threnos* (Migne, Patrol. Lat. tom. 175. col. 256 seqq.). Etiam hic libellus est incompletus, quia non exponit nisi initium cap. 1. et totum c. 2. Harum partium sententias principales, praesertim expositiones mysticas, auctor etiam in locis a nobis non indicatis excerpsit et passim transcripsit, additis saepe aliis interpretationibus. Tamen hoc opusculum non citat expresso nomine nisi quater aut quinquies.

5. Gilbertus Porretanus, episc. Pictaviensis, notus saeculi XII. theologus, praeter alia multa scripsit tum prologos in singulos Scripturae libros (cfr. Sixtus Senens., Bibliotheca sancta, lib. III. pag. 471. ed. Neapol. 1742) tum ineditas *Glossas* super Prophetam Ieremiam, ut dicitur in *Histoire littéraire de la France* par des Religieux Bénédictins tom. XII. pag. 471, et apud Migne, Patrol. Lat. tom. 188. col. 1251. Illorum prologorum unus, scil. in Apocalypsim, legitur in P. Bonelli Supplemento tom. II. col. 2-6. Ex hac Glossa in Threnos sumta sunt ea quae in fine Prologi proferuntur de *indignationibus* et

*conquestionibus* (quae Gilbertus descripsit ex libris Rhetoricis Ciceronis). Verba Gilberti refert Lyranus in *Prothemata in Threnos*, quae praefixa sunt libro Lamentationum. Auctor autem huius postillae circa finem prologi et alibi eadem allegat ut verba *Glossae*.

6. Observavimus etiam, quod plura in hac postilla verbotenus conveniunt cum his quae leguntur in Commentario in Threnos celebris Card. Hugonis a S. Charo Ord. Praed. Vel igitur uterque eodem antiquiore fonte usus est, vel auctor noster, utpote recentior, ex illo descripsit id quod in utroque invenitur.

Probabile est, auctorem huius postillae etiam alia opera nobis ignota pro suo labore perficiendo adhibuisse; sed ea quae certe ab aliis deprompta sunt, magnam opusculi partem explent. Cum igitur doctrinae Pecchami detrahamus, putamus, scriptorem mediocriter eruditum bene potuisse illum libellum conscribere.

§ 5. **De nostra editione haec notamus.**

Duobus tantum codicibus uti licuit, Parisiensi et Pragensi.

1. *Parisiis*, biblioth. Nationalis, cod. 14260. membr. in fol. olim domui S. Victoris donatus, ut legitur in initio, a Praeposito sancti Audomari anno 1289. Post alia opera fol. 205. r. col. 1. praemittitur a prima manu rubrica: *Postille super Lamentationes Hieremie*, tacito autoris nomine, deinde prosequitur: *Tempus plangendi et tempus saltandi. In verbo isto ostenditur*. Desinit fol. 233. v. col. 1. in fine per verba: *abscondita revelabit*.

Hic cod. multis quidem scatet vitiis librarii, qui Latinae linguae fuit prorsus ignarus; sed eo maiorem meretur fidem, quando bonam praebet lectionem, praesertim cum sit valde antiquus. Ad marginem et ad calcem multa scripta sunt ab alia manu per modum tabulae seu schematis, quorum quaedam et fortasse pleraque sumta sunt ex Commentariis Card. Hugonis. — Sign. litt. A.

2. *Pragae* in Bohemia, biblioth. Metropolitana, cod. A. CVIII. chart. in fol. saec. XIV. exeunt. A manu posteriore a principio indicantur opera, quae codex complectitur, scilicet: *Lectura super Iohannem domini Iohannis de Peczanno, Lectura super Trenorum, Lectura super epistolam ad Hebreos*. Ad calcem Lecturae super Evangelium Ioannis prima manus notavit: *Et sic finitur lectura Iohannis de Peczanno super evangelium Iohannis*. Deinde absque alia rubrica prosequitur: *Tempus plangendi et tempus saltandi. Eccl. 3. In verbo isto ostenditur* etc.; desinit fol. r. non numerato: *abscondita revelavit. Hec sunt dicta eiusdem Doctoris super Trenos*.

Est satis correcte scriptus; in locis difficilioribus et minus bona latinitate expressis passim deprehenditur studium textum emendandi, vel claritatis causa pauca verba addendi. — Sign. litt. B.

Nihilominus hi duo codices contra tot falsas et saepe ineptas lectiones editionum mire plerumque consentiunt. Ope utriusque codicis textum tam depravatum satis corrigere potuimus, excepto uno alterove loco. In notis nostris ad cap. I. retulimus non omnes, sed graviores lectiones depravatas, quae in Vaticana editione aliisque textum foede maculant. Editiones praecedentes huius postillae exemplum praebent mirae depravationis, quae in non paucis scriptorum medii aevi editionibus lectorem offendunt, ita « ut quandoque indigna auctoribus visa sunt, quae antequam corrumperentur, dignissima erant », de quo queritur P. Fidelis a Fanna (Ratio novae collectionis etc. pag. 46, 47). Sed quia parum interest, absurdas lectiones iterum oculis legentium subiicere, a cap. II. omisimus in notis annotare depravatas praecedentium editionum lectiones, ut ibi ad calcem notavimus.

## *Secundo, de Expositione orationis dominicae in appendice posita et nonnullis aliis spuriis opusculis.*

§ 6. **De Expositione orationis dominicae in appendice posita.**

De hoc libello toties impresso, quod ab omnibus, exceptis editoribus Venetis, laudatur tanquam certum Bonaventurae opusculum, nos ipsi in principio vix aliquam dubitationem habuimus. Est enim cum brevitate quam maxime succosum et perfecte convenit in doctrina cum his quae S. Doctor de eadem oratione habet in suo Breviloquio, p. V. c. 10. et etiam in Commentario in Evangelium S. Lucae, c. 11, 2-4, ubi, ut notum est, brevior orationis huius formula cum quinque tantum petitionibus exhibetur. Accedunt pro eodem testimonia multiplicia, scil. Trithemii, Francisci Samsonis, Ludovici Pruteni, Bernardini de Bustis aliorumque auctorum; itemque auctoritas antiquissimarum editionum et plurium codicum mss., qui tamen, excepto uno saeculi XIV, sunt sequioris aetatis.

Ab hac tamen opinione nobis recedendum erat, postquam deprehendimus, hunc libellum, quoad substantiam acceptum, restituendum esse celeberrimo Papae Innocentio III, qui in libro V. de Sacro altaris Mysterio, c. 16-20. expositionem eiusdem orationis habet ita similem, ut haec nostra iure possit vocari eadem, sed interpositis locis Scripturae aucta et hinc inde parum mutata. Quod autem S. Bonaventura ipse auctor sit horum insertorum et mutationum, minime est probabile; omnino autem est incredibile, quod vir humillimus libellum alienum tanquam suum evulgaverit. Ut ipse benevolus lector advertere possit, quam arcta sit relatio inter duplicem eiusdem opusculi formam; in notis ad calcem positis pleraque ex Innocentii opere transcripsimus. — Insuper notamus, illam adaptationem septem petitionum ad septem dona Spiritus S., ad septem beatitudines et septem virtutes ab Innocentio sumtam esse ex Glossa *ordinaria* in Matth. 6, 8. seqq. Similem adaptationem petitionum, sed ordine inverso, exhibet August., II. de Sermone Domini in monte, c. 11. n. 38. Guntherus Ord. Cisterc., IX-XI. de Oratione, ieiunio et eleemosyna habet talem adaptationem duplicem (Migne, Patrol. Lat. tom. 212.). Apud Hugonem a S. Vict., II. Allegor. in N. T. c. 2-14, septem istae petitiones opponuntur septem vitiis capitalibus, ordine tamen inverso.

§ 7. **De editionibus huius libelli et codicibus mss. haec notamus.**

Primo typis expressa est haec expositio in vetustissima collectione plurium opusculorum S. Bonaventurae, quae est sine indicatione loci et anni, deinde in auctioribus collectionibus editis Coloniae an. 1484 et 1486 atque Argentinae an. 1489 et 1495 et in omnibus deinde subsequentibus collectionibus opusculorum vel operum omnium (cfr. tom. V. Prolegom. c. 11.).

Tres tantum codd. pro emendatione textus adhibuimus, qui sequuntur.

1. *Moguntiae*, biblioth. Civitatis, msc. 558. oct. chart. saec. XV. Incipit fol. 67. r. In margine superiore: *Bonaventura*

*super Pater noster. Hic ponitur oracio dominica, de qua tria promitto notanda, quia est primo commendanda, ut ostendatur eius efficacia; 2. dividenda, ut manifestetur eiusdem precium, numerus, ordo et sufficiencia; 3. exponenda, ut omnis sciat, que et qualiter debeat petere que sint sibi petenti necessaria* etc. — Sign. litt. C.

Hoc opusculum est multo diffusius quam impressum; non pauca transcribit verbotenus ex illo, alia omittit; additamenta confuse scripta sunt et evagantur ad digressiones parum aptas. Ad petitionem secundam, quartam et quintam iterum in margine superiore vocabulum *Bonaventura* scriptum est. Additamenta illa minime sapiunt indolem S. Doctoris. Hinc cod. hic nobis non servivit nisi ad confirmationem plurium locorum.

2. *Monachii*, biblioth. Universitatis, 15. a. chart. saec. XV. Incipit fol. 286. v.: *Exposicio oracionis Pater noster. Oracio hec privilegiata est in tribus* etc. Desinit fol. 291. ut in editis. — Paucas tantum lectiones exhibet variantes, nisi quod fere constanter omittit *scilicet, nempe* aliaque similia. — Sign. litt. B.

3. *Wratislaviae* in Silesia, biblioth. Universitatis, cl. I. oct. 35, chart. saec. XV. exeuntis. Incipit fol. 5: *Exposicio oracionis dominice per bonamventuram. Hec oracio est privilegiata in tribus* etc. Desinit fol. 53. r. *Sela, id est semper.*

Hic cod. ob scripturam pessimam est lectu valde difficilis. Cl. Dr. Clemens Bäumker, Prof. philos. in dicta Universitate, pro sua humanitate et in nos amicitia apographum accuratissimum eiusdem nobis communicavit, quod grato animo hic commemoramus. Convenit iste codex satis cum editis, nonnulla tamen scripta sunt per modum tabellae; propter quod omittuntur quaedam verba in tabellis superflua. — Sign. litt. A.

**Codices non collati.**

4. *Bruxellis*, biblioth. Regia, 5062. cod. chart. anni 1502. Fol. 1.: *Exposicio oracionis dominice s. Bonav. Pater noster. Privilegiata est.* Desinit fol. 2. r.: *sempiterne calamitatis. Amen. fiat. fiat.*

5. *Cantabrigae*, biblioth. Univers., cod. D. d. IV. 50. chart. saec. XV. Fol. 108. r.: *Pater noster, qui es in celis. Oracio hec privilegiata est in tribus.* Desinit fol. 109.: *confirmata in veritate.*

6. *Darmstadt* in Hassia, biblioth. Ducalis, 95. chart. saec. XV. exeunt. fol. 196. r.: *Pater noster. Privilegiata est ista oracio in tribus.* Desinit fol. 198. v.: *Fiant nobis ex tua gratia. Explicit.*

7. *Ibid* 961. chart. saec. XIV. membr. fol. 14. v.: *Pater noster. Privilegiata est ista oracio in tribus.* Desinit fol. 16. v.: *Fiant nobis ex tua gracia.*

8. *Lambaci*, monaster. in Austria, cod. 462. chart. saec. XV. fol. 162. v.: *Exposicio S. Bonaventure de dominica oracione. Pater noster etc. Oracio hec privilegiata est in tribus.* Desinit fol. 166. r.: *Fiant nobis ex tua gracia. Finit Pater noster.* Scripta est ad modum schematis.

9. *Parisiis*, biblioth. Mazarinea, cod. 902. chart. saec. XVI. ineunt. Fol. 81. r.: *Exposicio s. Bonav. super Pater noster. Pater noster. Oracio hec privilegiata est.* Desinit fol. 87. r.: *ex tua gracia. Explicit exposicio oracionis dominice secundum Doctorem seraphicum s. Bonaventuram.*

10. *Traiecti ad Rhenum*, biblioth. Academ., cod. 108. inter. S. E. saec. XV. exeunt. Fol. 23. v.: *Incipit exposicio super Pater noster. Pater noster etc. Oracio hec privilegiata est in tribus.* Desinit fol. 28. v.: *Fiant nobis ex gracia. Explicit exposicio super Pater noster.*

11. *Ulmae*, biblioth. Civitatis, cod. 15190. XIV. E. 1. saec. XVI. ineunt. Fol. 254. r.: *Pater noster. Privilegiata est ista oracio in tribus.* Desinit fol. 255. v.: *per vitium inanis glorie amiserunt.*

12. *Vindobonae*, biblioth. Palatina, 3655. chart. saec. XV. exeunt. in fol. parv. Fol. 80. r.: *Incipit exposicio Bonaventure super dominicam oracionem. Pater noster. Hec oracio privilegiata est in tribus.* Desinit fol. 84. v. *Amen. Omnia predicta fiant nobis ex tua gracia.* Scripta est ad modum schematis.

**§ 8. De aliis expositionibus orationis dominicae falso S. Bonaventurae attributis.**

*a)* P. Bened. Bonelli in suo Supplemento ad opera S. Bonav., Tridenti 1774 (tom. III. col. 268 seqq.) edidit quandam expositionem vel potius *orationem*, quae incipit: « *Pater noster.* O immensa clementia! O ineffabilis benignitas! O mira dignatio! O longitudo, latitudo » etc., et plena est similibus exclamationibus. Ipse putat, eam esse legitimum seraphici Doctoris opusculum, quia eidem inscriptum invenit in quodam codice iuniore Conventus Fontis Columbae (vide Prodr. col. 420) et in altero Monasterii Lunilaci in Austria (ibid. col. 427).

Sed certum est, doctum virum in hoc errasse. Primo enim haec oratio, licet sit devota, tota est in affectibus ita verbose repetitis, ut minime indolem et stilum seraphici Doctoris sapiat. — Secundo, eadem *pluries* iam edita aliisque tributa est, quod Bonelli non satis cognovit. In opusculo *Stimulus amoris*, (p. III. c. 17.) toties iam impresso et ipsi Bonaventurae perperam attributo eadem prorsus oratio habetur, exceptis pluribus lectionibus variantibus (ibidem, c. 18. etiam duae aliae et breviores expositiones eiusdem orationis dominicae exhibentur). Illud non latuit P. Bonelli, sed asserit, auctorem *Stimuli amoris* libellum Bonaventurae sibi accommodasse, « cum alia quoque ab ipsomet Bonaventura fuerit mutuatus ». Hoc quidem verum est, cum iste soleat sententias Bonaventurianas multis verbis et affectibus augere; sed quod *integrum tractatum* fere verbotenus descripserit, nullo exemplo probari potest. E contrario, quia antiquitus, istum *Stimulum* esse librum Bonaventurae, communiter putabatur, facilius intelligitur, quomodo in istis duobus codicibus haec oratio ex *Stimulo amoris* transcripta Bonaventurae tributa sit.

Sed graviora dicenda sunt, quae nescivit P. Bonelli. Iam a P. Waddingo haec meditatio cum tribus aliis super *Ave Maria* et *Salve Regina* edita est ut opus *S. Anselmi*, episc. Lucen., sed tamen *dubium.* Nam in praemonitione dicitur: « Liceat itaque praecedentibus opusculis ista subtexere, saltem ne pereant ». Unde apparet, Waddingum latuisse, ista iam toties vulgata esse in illo *Stimulo amoris.*

Eadem recepta inveniuntur in *Bibliotheca veterum Patrum*, Supplementum, tom. XXVII. col. 436 et denuo in Patrologia Lat. Migne, tom. 149. col. 568.

Consentiendum est Oudino (Comment. Script. Ecclesiast. II. pag. 710) haec scripta indigna esse S. Anselmo Lucensi.

*b)* In eodem tomo praefati Supplementi (col. 284) a P. Bonelli tribuitur S. Bonaventurae alia brevissima expositio ex quodam codice Balneoregiensi (ibid. col. 389) deprompta et

per modum cuiusdam tabellae sive schematis scripta, quae incipit:

| | |
|---|---|
| Pater noster | privilegio conditionis,<br>sacrificio recreationis,<br>mysterio pietatis,<br>reparatione supernae beatitudinis. |
| Qui es in caelis | per illuminantem gratiam,<br>per gubernantem potentiam,<br>per dignantem naturam,<br>per sublimantem gloriam etc. |

*c, d)* Aliae expositiones orationis dominicae tribuuntur nostro Doctori in cod. quodam bibliothecae publicae *Dresdae* in Saxonia, sign. A. 191. Haec incipit: « *Pater noster, qui es in celis.* Formam orandi brevem et utilem tradidit Christus discipulis suis; et hoc propter quinque: primo, ut Deus honoretur » etc. Plura in eadem inveniuntur, quae *verbotenus* sumta sunt ex illis duabus expositionibus utriusque formulae, scil. apud Lucam et Matthaeum, sed pleraque sumta sunt ex Card. Hugone in Matth. 6, 9. seqq. — Ibidem alia huiusmodie expositio Bonaventurae inscripta habetur prorsus diversa, in qua nihil invenire potuimus, quod nostrum Doctorem indicet.

*e)* Denique longiorem expositionem apud nos habemus transcriptam ex cod. C supra § 7. n. 3. notato, quae quidem multa habet sumta ex illa expositione, quae Bonaventurae tribuebatur, sed multo plura ab alia manu addita et in formam plurium sermonum redacta.

**§. 9. De inedita quadam postilla in Cantica Canticorum falso S. Bonaventurae tributa.**

In bibliotheca *Wolfenbüttel* cod. 401. Helmst. chart. habetur postilla in Canticum Canticorum, quae fol. 180 r. incipit: *Osculetur me osculo oris*... In persona virginis gloriose hoc verbum... Desinit fol. 216 r.: « Solite pietatis ponderetur. Et in hoc terminatur postilla super Cantica inter prolem Virginis et suam benedictam Matrem et e converso. Ex tripartita Glossa fratris Bonaventure excerpta, scripta anno Domini 1402, completa in die St. Elisabeth per manum fratris Marquardi de Tessyn in antiqua Hilgendis (?) quasi in insula (sic) Patmos relegati ».

Auctor verba huius Cantici continuo applicat ad mysterium incarnationis per modum colloquii Christi cum benedicta sua Matre. Praeter S. Bernardum frequentissime allegat expositionem *Alexandri*, citans libros et capitula. Cum autem Alexander Halensis, teste Sbaralea (Supplem. ad Script. Ord. Min.), commentarium in Canticum Canticorum scripserit distributum in libros et capitula, censendum est, Halensem esse illum *Alexandrum* ibi citatum. Praeter hos passim citat quendam expositorem *Willhelmum*, porro *Remigium*, *Vercellensem* et *Gilbertum*. Sed a more seraphici Doctoris alienum est, pro antiquis Patribus potissime recentiores magistros in medium proferre.

Peremptorium autem est quod in initio cap. 2. legitur: « Vide Glossam *Thomae* », et in aliis quatuor locis allegat *expositorem Cantuariensem*, scil. Fr. Ioannem Pecchamum, discipulum S. Bonaventurae, an. 1279 ad sedem Cantuariensem promotum, qui re vera ineditam postillam in Canticum Canticorum scripsit. Nullum autem dubium restat, quominus auctor postillam illam Pecchami prae manibus habuerit. Nam in expositione verborum *Fulcite me floribus* (c. 2, 5.) allegat ex Cantuariensi eundem locum, quem etiam auctor libri *De septem Itineribus aeternitatis*, (iter IV. dist. 4. a. 1, pag. 176, ed. Vatic.) ita refert: « Primo quidem notandum, quod quidam doctor, scil. Cantuariensis super Cantica, incipit rationabiliter ab infimo gradu caritatis sive amoris gratuiti ascendendo per sex gradus usque ad gradus amoris violenti sive vehementis dicens: Non omnis amor inducit languorem » etc. Et in cit. expositione legitur: « Ad commendationem B. Virginis dicit quidem expositor, videlicet *Cantuariensis*: Non omnis amor est, sed vehemens, qui potissimum fuit in beata Virgine et habet sex gradus » etc. Sicut Sbaralea recte inde arguit, illud opus *de Septem Itineribus aeternitatis* non esse S. Bonaventurae, ita etiam nos concludimus respectu dictae postillae. — Pro confirmatione adiungimus, quod in fine illius codicis dicitur: « Ex tripartita Glossa fratris Bonaventure *excerpta* », quo insinuatur, *tripartitam hanc Glossam* diversam esse a postilla illius codicis.

Utrum autem S. Bonaventura scripserit talem *tripartitam Glossam*; item, utrum per eam fortasse intelligatur spuria illa postilla, cuius verus auctor est Petrus Ioannis Olivi (cfr. tom. VI. Prolegom. c. 1. § 7.), vel alia et diversa inter tot anonymas; denique, utrum Bonaventura saltem oretenus discipulis tradiderit glossas in Canticum Canticorum et alios plures libros Scripturae, quae ab ipsis exceptae et postea immutatae sint; haec determinare minime possumus. Indiculi quidem complures in Prolegomenis tom. VI. publicati ipsi attribuunt postillam non tantum in Canticum Canticorum, sed etiam in alios sacros libros, quorum nullum manuscriptum cum nomine Bonaventurae hucusque inventum est, nec inter tot postillas anonymas bibliothecarum hucusque aliqua reperta est, quae saltem probabiliter possit libris eiusdem certe genuinis adnumerari.

Hoc igitur septimo tomo absoluta est secunda operum Bonaventurianorum classis, scilicet opera exegetica. Volumen octavum exhibebit pretiosa opuscula mystica et ascetica atque ea quae ad statum religiosum et Ordinem Minorum spectant. Duo altera et ultima volumina exhibebunt multos sancti Doctoris sermones.

# TABULA

## CODICUM COLLATORUM PRO EMENDANDIS OPERIBUS

### HUIUS SEPTIMI TOMI.

I. *Codices adhibiti pro Commentario in Evangelium S. Lucae:*

A. Cod. Florentinus I. (biblioth. Mediceo-Laurentiana) Conv. soppr. 360. (n. 3.[1]).
B. » Florentinus II. (biblioth. Mediceo-Laurentiana) Plut. XI. Dext. 3. (n. 4.).
C. » Tudertinus I. (biblioth. Conventus S. Fortunati) 47. (n. 9.).
D. » Tudertinus II. (biblioth. Conventus S. Fortunati) 60. (n. 10.).
E. » Neapolitanus (biblioth. Nationalis) VII. A. 42. (n. 8.).
F. » Montis Alvernae (biblioth. Conventus), sine signo (n. 7.).
G. » Darmstadiensis (biblioth. Ducalis) 369. (n. 2.).
H. » Archivi huius nostri Collegii (n. 1.).
I. » Florentinus III. (biblioth. Mediceo-Laurentiana) Conv. soppr. 465. (n. 5.).
K. » Matritensis (biblioth. Excorialis) III. R. 2. (n. 6.).
L. » Turonensis (biblioth. Civitatis) 27. (n. 11.).

II. *Adhibiti pro Commentario in Lamentationes Ieremiae Prophetae:*

A. Cod. Parisiensis (biblioth. Nationalis) 14260. (n. 1.).
B. » Pragensis (biblioth. Metropolitana) A. CVII. (n. 2.).

III. *Adhibiti pro Expositione Orationis dominicae:*

A. Cod. Wratislaviensis (biblioth. Universitatis) cl. I. oct. 35. (n. 3.).
B. » Monacensis (biblioth. Universitatis) 15. a. (n. 2.).
C. » Moguntinus (biblioth. Civitatis) msc. 558. oct. (n. 1.).

### EDITIONES.

1. Sine indicatione loci et anni.
2. Brixiensis an. 1497.

---

[1] Numeri intra parenthesim inclusi indicant locos, ubi codd. supra in respectivis §§ describuntur.

In seq. pagina est tabula divisionum Evangelii Lucae, sed tantum prima et principalia membra notata sunt, reliqua videri possunt ad marginem paginarum Commentarii.

# TABULA DIVISIONUM PRINCIPALIUM.

Evangelium S. Lucae, licet principaliter prosequatur Christi sacerdotium et passionis remedium, dividitur in quatuor partes principales:

- Pars I. De incarnationis mysterio (c. 1-3.)
  - nativitas in utero
    - de duplici fecundatione
      - Praecursoris (c. 1, 5.)
        - parentum conditio — angelica annuntiatio — denuntiationis ministralis confirmatio — mirabilis promissionis impletio
      - Salvatoris (c. 1, 26.)
        - destinatio nuntii descripta — exsecutio ministerii — assecutio propositi in consensu Virginis
    - de gratiarum actione (c. 1, 30.)
      - pro conceptu Salvatoris
      - pro conceptu Praecursoris (c. 1, 56.)
  - nativitas ex utero (c. 2.)
    - nativitatis Christi veritas
      - qualiter consummata — ab Angelo annuntiata — per pastores manifestata
    - nascentis humilitas, quia
      - factus sub Lege sacramentali — caeremoniali — morali
  - nativitas extra uterum (c. 3.)
    - de baptismo et praedicatione Ioannis in generali
      - praedicatio Ioannis commendatur
        - a temporis opportunitate — ab officii auctoritate — a zeli severitate
    - de eisdem in speciali (c. 3, 10.)
      - respectu ad exigentias diversas populi — ad excellentiam Christi — ad perfidiam tyranni
    - item, in singulari (c. 3, 21.)
      - Christi regeneratio sacramentalis
      - » genealogia temporalis (c. 3, 23.)
- Pars II. De praedicationis magisterio (c. 4-21.)
  - Primo explicatur veritas doctrinae quadrupliciter (c. 4-11.)
    - doctrinae Christi authenticatio
      - per meritum vitae in victoria tentationum
        - tentationis occasio — tentandi modus — tentationis consummatio
      - per testimonium Scripturae (c. 4, 14.)
        - authenticum ad eruditionem — ad confutationem
      - per miraculum potentiae (c. 4, 31.)
        - communicatio doctrinae — confirmatio miraculorum — acceptatio populi
    - discipulorum vocatio (c. 5, 1.)
      - de statu iustitiae
        - vocatio discipulorum
        - vocatorum confirmatio
      - de statu culpae (c. 5, 27.)
        - de vocationis perfectione
        - de vocatorum defensione
    - vocatorum institutio (c. 6, 12.)
      - per institutionem communem
        - veritas doctrinae
        - sublimitas Doctoris
      - » institutionem specialem (c. 8, 1.)
        - instructio parabolica — informatio apostolica — confirmatio authentica
    - institutorum delegatio (c. 9, 1.)
      - missio Apostolorum
        - forma praedicandi — via proficiendi — norma praesidendi
      - » discipulorum (c. 10, 1.)
        - forma praedicandi — vivendi — orandi
  - Secundo confutatur falsitas Iudaeorum adversantium quadrupliciter (c. 11, 14. — c. 21.)
    - dolositas calumniantium miracula
      - ex parte causae efficientis
        - confutatio Iudaeorum
          - blasphemantium — tentantium — simulantium
        - informatio discipulorum (c. 12, 1.)
          - ad cavendam duplicitatem — cupiditatem
      - ex parte temporis (c. 13, 21.)
        - confutatio in concilio
        - » » convivio
    - impietas (c. 15, 1.)
      - expressio impietatis Iudaicae
      - manifestatio pietatis divinae (c. 15, 3.)
        - per parabolam de perdita ove — de drachma — de patre ac duobus filiis.
      - commendatio pietatis humanae (c. 16, 1.)
        - quoad opera corporalia
        - » » spiritualia
    - curiositas duplex (c. 17, 20.)
      - in perscrutando
        - reprehensio curiositatis Iudaeorum — assignatio rationis — persuasio studiositatis
      - in possidendo (c. 18, 18.)
        - commendatur paupertas quadrupliciter
        - approbatur liberalitas dupliciter (c. 19, 11.)
    - incredulitas (c. 19, 29.)
      - confutatur per facta
        - ostendendo potestatem regalem — pietatem pontificalem — aequitatem iudicialem — auctoritatem magistralem
      - confutatur per verba et documenta (c. 20, 1.)
        - confutantur Pharisaei
        - » Saducaei
        - informantur discipuli ad tria
- Pars III. de passionis medicamento (c. 22-23.)
  - Passio Christi quoad quatuor antecedentia
    - de machinatione proditoris
    - de institutione Sacramenti altaris (c. 22, 7.)
    - de eruditione discipulorum (c. 22, 24.)
    - de devota supplicatione ad Deum (c. 22, 39.)
  - » quoad sex concomitantia (c. 22, 47.)
    - de comprehensione Christi
    - de comprehensi illusione
    - de illusi accusatione
    - de accusati condemnatione
    - de condemnati crucifixione
    - de crucifixi morte et sepultura
- Pars IV. de resurrectionis tropaeo (c. 24.)
  - de revelatione resurrectionis
    - revelationis occasio
    - » certitudo
    - » manifestatio
  - de apparitione resurgentis respectu duorum discipulorum (c. 24, 13.)
  - de certitudine apparitionis (c. 24, 33.)
  - de divulgatione iam cognitae veritatis (c. 24, 48.)



Cavazzola pinx[t] Eitel sculp[t]

S. Bonaventura
Ordinis Minorum
Doctor Seraphicus.

SERAPHICI DOCTORIS

SANCTI BONAVENTURAE

# COMMENTARIUS IN EVANGELIUM S. LUCAE

# PROOEMIUM

# COMMENTARII IN LUCAM

1. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me. Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritos*[1] *corde et praedicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem.* Considerantibus nobis aliquod verbum, quod nos introducat in Evangelium beati Lucae, nullum magis occurrit idoneum, quam quod ipse beatus Lucas refert Christum Dominum in suo praedicationis exordio assumsisse, verbum scilicet propositum, quod scribitur Lucae quarto[2] et sumtum est de Isaiae sexagesimo primo.

Argumentum.

2. Hoc autem secundum *generalem* intellectum competere potest cuilibet doctori sacrae Scripturae; secundum *specialem* vero, beato Lucae evangelistae; secundum *singularem,* ipsi Christo, qui est fons veritatis et gratiae.

Applicatur secundum triplicem intellectum.

Secundum autem quod *generaliter* intelligitur, est insinuativum *duplicis personae* ad opus necessariae[3], scilicet doctoris et auditoris; secundum quod *specialiter, duplicis causae extrinsecae,* scilicet efficientis et finalis; secundum vero quod *singulariter, duplicis causae intrinsecae,* scilicet materialis et formalis. His autem sex praecognitis, ingressus in sequentia erit satis facilis.

3. Primo igitur propositum verbum secundum intellectum *generalem* indicat nobis, quis et qualis debeat esse *doctor* huius Scripturae evangelicae, adiungens nihilominus, qualem debeat habere *auditorem.* Doctor autem Scripturae evangelicae debet esse *inunctus* divina gratia, *institutus* mera obedientia, *inflammatus* benevolentia fraterna. — *Inunctus* debet esse divina gratia; et hoc notatur, cum dicit: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me.* In cuius rei figuram in veteri testamento inungebantur Prophetae; unde dixit Dominus Eliae tertii Regum decimo nono[4]: *Eliseum, filium Saphat, unges Prophetam pro te;* et de David dicitur primi Regum decimo sexto, quod postquam inunctus est, *directus est Spiritus Domini in eum ab illa die et in reliquum.* Ideo enim inungebantur, ut Spiritum Domini acciperent, per quem nobis divina secreta reserantur. Si ergo eodem spiritu exponendae sunt Scripturae, quo conditae sunt; et *Spiritu sancto inspirante, locuti sunt sancti Dei homines*[5]*;* ad hoc, quod aliquis sit doctor idoneus eorum quae per Christum sunt suggesta et per Spiritum sanctum scripta, necesse est, quod sit inunctus superna gratia.

Primo, de intellectu generali dupliciter.

De doctore tria.

Doctor primo sit inunctus gratia.

Figurae.

4. Debet etiam *institutus* esse mera obedientia; et hoc notatur ibi: *Ad annuntiandum mansuetis misit me,* exemplo Moysis, ad quem Dominus Exodi tertio[6] dixit: *Veni, mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israel, de Aegypto;* et Moyses: *Quis ego sum, ut educam filios Israel de Aegypto?* Moyses, qui fuit legislator et eductor filiorum Israel de Aegypto, significat doctorem legis divinae, qui educit populum Domini de tenebris ignorantiae. Ad quod quidem officium nemo debet accedere, nisi mittatur, nec debet procurare, sed recusare magis, quia nullus ad hoc officium se debet idoneum reputare. Si enim cum Domino non est locutus, indignus est; sin ei Dominus loquitur ad cor, sentit se *impeditioris et tardioris linguae* effectum cum Moyse[7]. Et ideo nescius eloqui divina mysteria, quae aperuit ei Dominus, non debet illa praesumere, nisi institutus mera obedientia.

Secundo, institutus obedientia.

Exemplum.

5. Debet etiam *inflammatus* esse fraterna benevolentia, quod notat, cum dicit: *Ut mederer contritos corde et praedicarem captivis indulgentiam et*

Tertio, inflammatus benevolentia.

---

[1] Vulgata *contritis corde* pro *contritos corde*, quod tamen cum codd. nostris exhibent Haymo et Card. Hugo in Comment. in Isaiam. Teste Forcellini, Lexicon etc., *mederi* interdum habet accusativum, licet minus bene.

[2] Vers. 18, deinde Isai. 61, 1.

[3] Vat. cum ed. 1: *insinuat duplicem personam ad opus evangelicae doctrinae necessariam,* et subinde *duplicem causam extrinsecam, scilicet efficientem et finalem... duplicem causam intrinsecam, scilicet materialem et formalem. His autem sex praecognitis, aditus ad sequentia non erit difficilis.*

[4] Vers. 16. — Sequitur I. Reg. 16, 13. — Paulo superius pro *fraterna* A H *superna*, quod etiam A inferius in expositione istius membri habet.

[5] Epist. II. Petr. 1, 21. Vulgata, quam sequitur ed. 1 et Vat., *inspirati* pro *inspirante.* — Inferius pro *suggesta*, quod habent A C E K, Vat. cum ed. 1 *gesta.*

[6] Vers. 10. Subinde allegatur v. 11. — Aliquanto inferius post *ignorantiae* ed. 1 et Vat. addunt *et culpae.*

[7] Qui Exod. 4, 10. ad Dominum dixit: Ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguae sum. — Superius pro *sin ei* C *si vero ei*, D *si autem.* Inferius post *praesumere* Vat. cum ed. 1 addit *ut illa doceat alios.*

**Exemplum.** *clausis apertionem;* et hoc exemplo Pauli, qui dicit de se ipso primae ad Thessalonicenses secundo [1]: *Facti sumus parvuli in medio vestri, tanquam si nutrix foveat filios suos; ita desiderantes vos cupide, volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras.* Sicut enim proles carnalis non potest generari sine amore carnali, sic nec spiritualis sine benevolentia spirituali. Unde Gregorius [2]: « Qui caritatem erga alterum non habet praedicationis officium assumere nequaquam debet »; Evangelium autem Dei exponere et docere est verbum divinum praedicare: et ideo doctor inflammatus debet esse fraterna benevolentia.

**De auditore tria.** **Sit mitis.** 6. Hic autem doctor, ut doctrina evangelica in ipso habeat efficaciam [3], debet habere *auditorem humilem, mitem* et *fidelem.* — Auditor namque doctrinae evangelicae debet esse *mitis in affatu* per accommodationem auditus; propter quod dicit: *Ad annuntiandum,* scilicet *mansuetis,* non discolis. Soli enim mansueti verba divina et evangelica recte intelligunt; Ecclesiastici quinto [4]: *Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei, ut intelligas;* et in Psalmo: *Docebit mites vias suas.* Et propterea dicitur Iacobi primo: *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* Doctrina etenim evangelica docet hominem esse discipulum Christi, qui dicit Matthaei undecimo [5]: *Discite a me, quia mitis sum.* Litigatio enim et altercatio non competit discipulis evangelicis, sed Aristotelicis; unde secundae ad Timotheum secundo: *Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem* etc. Unde Augustinus secundo de Doctrina christiana [6]: « Opus est mitescere pietate neque contradicere divinae Scripturae sive intellectae, si aliqua vitia nostra percutit, sive non intellectae, quasi nos aliquid melius sapere meliusque percipere possimus; sed cogitare potius et credere, id esse melius et verius, quod scriptum est ».

**Sit humilis.** 7. Debet esse *humilis in affectu* per contritionem spiritus; propter quod dicit: *Ut mederer contritos corde. Moeror* enim *in corde viri humiliabit eum,* Proverbiorum duodecimo [7]; et talis est idoneus ad discendum; Psalmus: *Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas;* Matthaei undecimo: *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.*

**Sit fidelis.** 8. Debet postremo esse *fidelis in assensu* per captivationem intellectus; quod notat, cum dicit: *Et praedicarem captivis indulgentiam;* secundae ad Corinthios decimo [8]: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Et hoc quidem fit per veram fidem, sine qua impossibile est, documenta Scripturae evangelicae intelligere; Isaiae septimo, secundum aliam translationem: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Si enim in discibilibus oportet discentem credere, quanto magis in divinis? Et haec captivatio facit liberos a peccato; Actuum decimo quinto [9]: *Fide purificans corda eorum;* et Ioannis primo: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* — **Epilogus.** Sic igitur patet, quod verbum hoc, *generaliter* expositum, indicat *duplicem personam* et describit, scilicet boni *doctoris* et *auditoris.*

**Secundo, de intellectu speciali dupliciter.** 9. *Specialiter* autem intellectum, secundum quod competit beato Lucae, indicativum est *duplicis causae extrinsecae,* scilicet *efficientis* et *finalis* [10]: *efficientis* in hoc quod dicit: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me Dominus; finalis* vero in hoc quod sequitur: *Ad annuntiandum mansuetis* etc.

**Primo, de causa efficiente triplici.** **Suprema.** 10. Causa autem *efficiens* exprimitur satis perfecte: quoniam insinuatur causa efficiens *suprema* in hoc quod dicitur: *Spiritus Domini.* Ipse enim est, de quo Ioannis decimo sexto [11]: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Unde ipse est, qui loquebatur per Evangelistas et locutus est per beatum Lucam, secundum illud Matthaei decimo: *Vos non estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis;* et Lucae vigesimo primo: *Ego dabo vobis os et sapientiam* etc.

**Infima.** 11. Causa *efficiens infima* in hoc quod dicit: *Super me,* id est super beatum Lucam, de quo dicit beatus Hieronymus [12], quod « obiit plenus Spiritu sancto »; et ideo idoneus fuit ad Evangelium conscribendum, secundum quod de ipso dicit Apostolus secundae ad Corinthios octavo: *Misimus carissimum fratrem nostrum, cuius laus est in Evangelio per omnes Ecclesias.* Unde sibi competit istud Ecclesiastici: *In medio ecclesiae aperuit os eius* etc.

**Intermedia.** 12. Causa *efficiens intermedia,* cum dicitur: *Eo quod unxerit me Dominus.* Unctio enim gratiae

---

[1] Vers. 7. et 8.

[2] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 17. n. 1.

[3] Ed. 1 et Vat.: *Ceterum, ut doctrina evangelici doctoris suum sortiatur effectum.*

[4] Vers. 13. — Sequuntur Ps. 24, 9. et Iac. 1, 21.

[5] Vers. 29. — Subinde allegatur II. Tim. 2, 24.

[6] Cap. 7. n. 9. In fine addit ed. 1, quam sequitur Vat., cum textu originali: *etiam si lateat, quam id quod nos per nosmetipsos sapere possemus* (textus originalis: *possumus*).

[7] Vers. 25. — Duo seqq. loci sunt Ps. 118, 71. et Matth. 11, 25.

[8] Vers. 5. — Sequitur Isai. 7, 9. secundum translationem septuaginta interpretum, ubi Vulgata: Si non credideritis, non permanebitis. — Inferius pro *Si enim* ed. 1 et Vat. *Sane si,* quae etiam post *credere* addunt *ut docet Aristoteles,* qui scil. I. Elench. c. 2. ait: Nam oportet credere eum qui discit (Δεῖ γὰρ πιστεύειν τὸν μανθάνοντα).

[9] Vers. 9. — Sequitur Ioan. 1, 12.

[10] Codd. C D F G hic et paulo inferius *finis.*

[11] Vers. 13. — Subinde allegantur Matth. 10, 20. et Luc. 21, 15. — Vat. cum ed. 1 ultimum locum omittit.

[12] In Prologo in Evang. Lucae inferius allegato et exposito. — Sequuntur II. Cor. 8, 18. et Eccli. 15, 5.

disponit animam ad suscipiendum documenta veritatis a Doctore summo; unde primae Ioannis secundo[1]: *Unctio eius docebit vos de omnibus.* Spiritus enim sanctus per gratiam docuit Evangelistam, et ille instructus docuit Ecclesiam scribendo doctrinam evangelicam. — Et ita in hoc opere triplex fuit causa[2], scilicet *suprema,* quae quidem Spiritus sancti persona; *infima,* ipse Evangelista; et *intermedia,* scilicet Spiritus sancti gratia; quae omnia intelliguntur in auctoritate praemissa, secundum quod intelligitur proferri a beato Luca.

Epilogus.

13. Insinuatur etiam causa *finalis* satis perfecte in hoc quod sequitur[3], scilicet *prima, media* et *postrema.* Prima est *manifestatio veritatis,* media est *curatio infirmitatis,* tertia est *reseratio aeternitatis;* primum est *gratiae praeparantis;* secundum, *gratiae gratum facientis;* tertium, *gloriae consummantis.*

Secundo, de causa finali triplici.

14. Insinuatur igitur primo causa *finalis prima* huius doctrinae, quae est *manifestatio veritatis,* in hoc quod dicit: *Ad annuntiandum mansuetis misit me,* secundum illud Psalmi[4]: *Annuntiaverunt opera Dei, et facta eius intellexerunt;* unde et ab hoc nomen accepit, ut *Evangelium* dicatur, id est bona nuntiatio; primae Ioannis primo: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae, et vita manifestata est; et vidimus et testamur et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem et apparuit nobis;* et Isaiae quinquagesimo secundo: *Quam pulcri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem, annuntiantis bonum, praedicantis salutem!* Hoc primo fuit in sanctis Evangelistis.

Prima.

15. *Secunda* vero fuit *medicatio nostrae infirmitatis,* quam tangit, cum ait: *Ut mederer contritos corde.* Sermo enim evangelicae praedicationis effectum et fructum affert curationis, secundum illud Sapientiae decimo sexto[5]: *Etenim neque herba neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.* Hunc autem fructum bene affert Evangelium Lucae; de quo Hieronymus: « Si novimus Lucam medicum, *cuius laus est in Evangelio,* animadvertimus pariter, omnia verba illius animae languentis esse medicinam ». Et hoc est secundum intentum a beato Luca, ut scilicet per veritatis cognitionem veniremus ad infirmitatis medicationem.

Secunda.

16. *Tertia* vero et postrema fuit *reseratio aeternitatis,* quae notatur, cum dicitur: *Ut praedicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem.* Hoc autem fit in aeternae vitae possessione, ad quod hortatur evangelica doctrina tanquam ad ultimum finem; Ioannis vigesimo[6]: *Haec scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei; et ut credentes vitam habeatis in nomine eius;* et Marci ultimo: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae; qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit.* Hoc mandatum impleverunt praecipue Evangelistae, qui non solum Evangelium praedicaverunt verbo ad praesentes tunc, sed etiam scripto ad praesentes et futuros in omnes generationes, ut omnes facerent salvos. — Sic igitur praemissum verbum *specialiter* intellectum in persona beati Lucae est insinuativum duplicis *causae extrinsecae,* scilicet efficientis et finalis.

Tertia.

Epilogus.

17. *Singulariter* vero intellectum de Domino Iesu, de quo proprie dictum est, insinuativum est duplicis causae *intrinsecae,* scilicet *materialis* et *formalis;* et hoc patet sic. Certum enim est, quod evangelica historia tota circa Christum versatur, vel in quantum *mediator* est, vel in quantum *praedicator,* vel in quantum *reparator,* vel in quantum *triumphator. Mediator* respicit incarnationis mysterium; *praedicator,* eruditionis magisterium; *reparator,* passionis remedium; *triumphator,* resurrectionis tropaeum. Primum refertur ad Christi *naturam;* secundum, ad *doctrinam;* tertium, ad *victimam;* quartum, ad *victoriam.* Haec autem quatuor distincte et ordinate tanguntur in sermone praemisso, secundum quod competit Christo.

Tertio, de intellectu singulari duplici.

Causa materialis quadruplex.

18. Insinuat igitur Christus Iesus, se esse *mediatorem,* cum dicit: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me.* Ipse enim est mediator, de quo Actuum decimo[7]: *Unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute; unxit,* inquam, non sicut alios Sanctos, sed supra alios, secundum illud Psalmi: *Unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis;* in qua unctione facta est consummatio prophetiae Danielis nono: *Impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum.*

Primo, de Christo mediatore.

19. Insinuat se *praedicatorem* in hoc quod subiungit: *Ad annuntiandum mansuetis misit me,* secundum quod promiserat Dominus filiis Israel per Moysen Deuteronomii decimo octavo[8]: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui; et ponam verba mea in ore eius, loqueturque*

Secundo, de ipso praedicatore.

[1] Vers. 27, post quem Vat. cum ed. 1 addit *Et verum est.*

[2] Ed. 1 et Vat. supplent *efficiens.*

[3] Ed. 1 et Vat.: *Triplex etiam insinuatur in eo, quod in themate sequitur, causa finalis ac satis perfecte.*

[4] Psalm. 63, 10. — Subinde allegantur I. Ioan. 1, 1. et Isai. 52, 1. — August., Serm. 133. (alias 8. inter editos ex mss. Carthusiae maioris) n. 6: Cogites Evangelium, quid dicat Graecum nomen: Evangelium est bonus nuntius vel bona annuntiatio.

[5] Vers. 12. — Lucae Hieron. habetur in Epist. 53. (alias 103.) n. 8, in qua allegatur II. Cor. 8, 18. — Pro *bene* (ita A C) Vat. *pulcre et merito,* quod D F omittunt, H *bonum.*

[6] Vers. 37. — Sequitur Marc. 16, 15. — Superius pro *quae notatur* B C D H *quod notatur,* et subinde pro *ad quod* Vat. cum ed. 1 *ad quam.*

[7] Vers. 38. — Subinde allegantur Ps. 44, 8. et Dan. 9, 24. — Inferius pro *alios Sanctos* substituunt A C D F H *aliquos Sanctos.*

[8] Vers. 18. — Sequuntur Ioan. 15, 15. et Luc. 4, 43.

*ad eos omnia, quae praecepero ei.* Hic fuit Christus, Dominus omnium Prophetarum, qui dicit Ioannis decimo quinto: *Omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Et ad hoc missus est; unde dicitur Lucae quarto: *Aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum.*

Tertio, de ipso reparatore.

20. Insinuat etiam sè *reparatorem* in hoc quod subdit: *Ut mederer contritos corde.* Ipse enim est, de quo dicitur Actuum decimo[1]: *Pertransivit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo;* unde de ipso dicitur in Psalmo: *Qui sanat contritos corde* etc. Hoc autem fecit per passionis remedium; Isaiae quinquagesimo tertio: *Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostrae super eum* etc.

Quarto, de ipso triumphatore.

21. Insinuat etiam quarto se *triumphatorem* in hoc quod dicit: *Ut praedicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem;* et hoc quidem fecit in suae resurrectionis triumpho, secundum quod dicitur ad Colossenses secundo[2] de Christo: *Exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso;* et deinde, sicut in Psalmo dicitur, *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.*

Epilogus.

— Quoniam igitur sub hac quadruplici conditione est Christus Dominus obiectum fidei et subiectum Evangelii, recte in verbo proposito causa *materialis* sive subiectum designatur.

Causa formalis.

22. Sed quoniam « scientiae secantur in res[3] », et inductio *formae* est secundum dispositionem materiae; cum subiectum Evangelii sit hoc unum sub quadruplici conditione et intentione: est necesse, unum librum ad unam tantum *principaliter* aspicere, ad alias ex consequenti, totam vero evangelicam Scripturam de his quatuor principaliter agere. Ideo necesse est, quatuor esse Evangelia, et quodlibet illorum quadripartitum.

Corollarium primum.

23. Ex quo colligitur, quod liber iste debet habere et habet quatuor partes. In prima agit de *incarnationis mysterio* usque ad quartum capitulum; in secunda, de *praedicationis magisterio* usque ad vigesimum secundum; in tertia, de *passionis medicamento,* usque ad vigesimum quartum; in quarta, de *resurrectionis tropaeo,* usque in finem totius libri.

Secundum.

— Licet autem omnes has conditiones intendat ad perfectionem historiae, principaliter tamen aspicit[4] ad *Christi sacerdotium* et *passionis medicamentum;* et hoc medico debebatur.

Epilogus.

— Colligitur ergo ex verbo proposito, secundum quod convenit Christo, causa *materialis* sive subiectum, et *formalis,* quae est ordinatio partium et capitulorum et agendi modus in prosecutione Scripturarum.

Utriusque figura.

24. Haec autem duo optime praefigurata sunt in illo animali, quod vidit Ezechiel[5], et quod dicit esse quadripartitum, et rursus quodlibet illorum quatuor facierum, unius tamen principaliter. Quarum prima similis erat *homini,* per quam intelligimus Christi naturam; alia *leoni,* per quam intelligimus victoriam; alia *bovi,* per quam intelligimus victimam; alia *aquilae,* per quam intelligimus doctrinam.

Notandum.

Haec autem animalia secundum omnes Sanctos[6] designant quatuor Evangelia, ita quod figuraliter exprimunt eorum materiam et formam: quia *unum* animal est quadriforme, pro eo quod de uno Christo sub quadruplici conditione sunt quatuor Evangelia, et rursus *quodlibet* illorum quatuor facierum, quia quodlibet est quadripartitum. Et iterum, unum, scilicet primum, *simile homini,* licet habeat quatuor facies, quia primus, scilicet Matthaeus, principaliter prosequitur *incarnationis mysterium.* Secundum, *simile leoni,* quia secundo scribens, scilicet Marcus, prosequitur *resurrectionis tropaeum,* et ex eadem parte, quia plurimum concordant[7]. Tertium, *simile bovi,* quia tertio scribens, scilicet Lucas, prosequitur *sacerdotium* et *passionis remedium.* Quartum vero, *simile aquilae,* quae habet oculos limpidos, quia quarto scribens, scilicet Ioannes, prosequitur evangelicum

---

[1] Vers. 38. — Duo seqq. loci sunt Ps. 146, 3. et Isai. 53, 4. seq., in quo pro *et dolores nostros* ACDFG *et infirmitates nostras.*

[2] Vers. 15. — Subinde allegatur Ps. 67, 19. (cfr. Eph. 4, 8.).

[3] Aristot., III. de Anima, text. 38. (c. 8.). Cfr. tom. I. pag. 6, nota 5. — Cod. D hic addit: *scientia enim est de scibili.* Inferius post *Evangelii sit* Vat. cum ed. 1 prosequitur: *ille unus, videlicet Christus, sub quadruplici tamen conditione et intentione, ut diximus, consideratus, est necesse, unum librum ad unam tantum illarum conditionum seu intentionum principaliter aspicere... de his quatuor summatim agere.*

[4] Ed. 1 et Vat.: *Licet autem has omnes conditiones exigat ad sui perfectionem historia evangelica, Lucas tamen principaliter respicit.* Eaedem edd. inferius substituunt *scriptorum* pro *Scripturarum.*

[5] Cap. 1, 5. seqq. Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 4. n. 1: Ipse enim unigenitus Dei Filius veraciter factus est *homo;* ipse in sacrificio nostrae redemptionis dignatus est mori ut *vitulus;* ipse per virtutem suae fortitudinis surrexit ut *leo*... Ipse etiam post resurrectionem suam ascendens ad caelos in superioribus est elevatus ut *aquila* etc.

[6] Cfr. Ambros., de Virginitate, c. 18. n. 112. seq. et Prolog. exposit. Evang. secundum Luc. n. 7. seq.; Hieron., I. Comment. in Ezech. 1, 7; August., in Ioan. Evang. tr. 36. n. 5; Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 2. n. 15. et 18; homil. 4. n. 1. — Superius voci *victoriam* H praefigit *Christi.* Inferius pro *ita quod* Vat. cum ed. 1 *quia,* et pro *quia unum animal est quadriforme, pro eo quod* substituit *Nam sicut unum animal est quadriforme, ita.*

[7] Haec explicantur a Gregorio, Homil. in Ezech. libr. I. homil. 4. n. 3: *Homo* igitur et *leo* a dextris, *vitulus* vero a sinistris esse perhibetur. A dextris enim laeta, a sinistris vero tristia habemus... Quia ergo et nativitas et resurrectio laetitiam discipulis praebuit, quos eius passio contristavit; *homo* et *leo* a dextris, *vitulus* vero a sinistris eius fuisse describitur... Iure autem locus *aquilae* non iuxta, sed *desuper* esse describitur etc.

Christi *magisterium*, ad quod alii non potuerunt attingere, et ideo describitur *super eos;* Ezechielis

Epilogus.

primo[1]: *Facies aquilae desuper.* — Et sic patet, quomodo veritas respondet figurae, patent etiam illa sex praeambula ad doctrinam, scilicet qualis *doctor*, qualis *auditor*, quis *efficiens*, quis *finis*, quae *materia*, et quae *forma*, et ex hoc quaedam totius Libri generalis intelligentia.

## PROLOGUS SANCTI HIERONYMI[2].

Lucas, natione Syrus, Antiochensis, arte medicus, discipulus Apostolorum, postea vero[3] Paulum secutus usque ad passionem eius, serviens Domino sine crimine (nam neque uxorem unquam habuit neque filios), septuaginta et quatuor annorum obiit in Bithynia plenus Spiritu sancto. Qui, cum iam scripta essent Evangelia per Matthaeum quidem in Iudaea, per Marcum autem in Italia, sancto instigante Spiritu, in Achaiae partibus hoc scripsit Evangelium, significans etiam ipse in principio, ante suum[4] alia esse descripta. Cui extra ea quae ordo evangelicae dispositionis exposcit, ea maxime necessitas laboris fuit, ut primum Graecis fidelibus, omni prophetatione venturi in carnem Dei Christi manifestata humanitate[5], ne Iudaicis fabulis attenti in solo Legis desiderio tenerentur, ne vel haereticis fabulis et stultis sollicitationibus seducti, exciderent a veritate, elaboraret; dehinc ut in principio Evangelii, Ioannis nativitate praesumta, cui Evangelium scriberet, et in quo electus scriberet, indicaret, contestans, in se completa esse quae essent ab aliis inchoata. Cui ideo post baptismum Filii Dei, a perfectione generationis in Christo impletae[6], repetendae a principio nativitatis humanae potestas permissa est, ut requirentibus demonstraret, in quo apprehendens erat, per Nathan filium introitu recurrentis in Deum generationis admisso, indisparabilis Dei; ut praedicans hominibus Christum suum, perfecti opus hominis redire in se per Filium faceret, qui per David patrem venientibus iter praebebat in Christo. Cui Lucae non immerito etiam scribendorum apostolicorum Actuum potestas in ministerio[7] datur; ut Deo in Deum pleno, et filio perditionis exstincto, oratione ab Apostolis facta, sorte Domini electionis numerus compleretur; sicque Paulus consummationem apostolicis Actibus daret, quem diu contra stimulum recalcitrantem Dominus elegisset. Quod legentibus ac requirentibus Deum etsi per singula expediri a nobis utile fuerat, sciens tamen, quod operantem agricolam oporteat de fructibus suis edere[8], vitavimus publicam curiositatem, ne non tam volentibus Deum videremur, quam fastidientibus prodidisse[9].

### Expositio huius Prologi.

1. Huic autem libro duplex praemittitur prologus, unus est translatoris, scilicet beati Hieronymi, alius vero auctoris, scilicet beati Lucae. Primus sic incipit: *Lucas Syrus* etc.; secundus sic: *Quoniam quidem multi conati sunt*[10] etc. — Circa prologum expositoris tria nobis consideranda occurrunt, quae in ipso prologo exprimuntur, scilicet causa *efficiens*, *finalis* et *formalis* operis subsequentis. Primum facit ibi: *Lucas, Syrus* etc.; secundum, ibi: *Cui extra ea quae ordo* etc.; tertium, ibi: *Cui ideo post baptismum* etc.

Tria consideranda.

---

[1] Vers. 10, quem ex D supplevimus. — Pro *super eos*, ed. 1 et Vat. *super omnes*, quae etiam inferius post *doctrinam* prosequuntur *evangelicam, scilicet qualis debeat esse doctor* etc.

[2] Sequens prologus ignoti auctoris et expositio eiusdem desunt in ed. 1 et Vaticana et aliis eam sequentibus. Codd. nostri habent expositionem, sed non ipsum prologum.

Prologum hunc, paucis mutatis, exhibemus, prout exstat in ed. operum Sedulii Scoti, qui ipsum exposuit (Migne, Patrol. Lat. tom. 103. col. 285; ibid. col. 9. dicitur: Sedulius iunior, natione Scotus; dubium, an is qui an. 721 concilio Romano subscripsit, an alius, quem Hepidannus... an. 818 clarum fuisse narrat). Ipse in ed. operum S. Hieronymi in tomo XI. col. 833. (studio Dominici Vallarsii, Veronae 1742) simpliciter, nulla addita ratione, recensetur inter opera spuria Hieronymi. Cfr. ibid. Expositio quatuor Evangelistarum, in Evang. secundum Lucam, ubi (in principio) ea tanguntur, quae in praenotato prologo historiam de Lucae Evangelio concernunt; de quibus vide etiam Hieron., de Viris illustrib. c. 7. et Prolog. Commentar. in Evang. Matth. — Ad emendandum prologum usi sumus praeter ed. Sedulii (quam in seqq. signamus littera A) et ed. Vallarsii (quae notatur littera B), editione Postillae B. Alberti super Evangeliare [sic] Lucae (Hagenau, 1504, quam notamus littera C), et Lyrani Biblia sacra cum Glossa etc. (Venetiis 1588, quae signatur littera D). Duae ultimae edd. praebent in fine prologi additamentum, quod inferius afferemus.

[3] Edd. B C D omittunt *vero*. Subinde pro *passionem* B C D *consummationem* (B in margine *confessionem*, quod etiam habet Card. Hugo), et pro *habuit* eaedem edd. substituunt *habens*.

[4] Ex edd. B C D addidimus *suum*.

[5] Ed. C *manifesta esset humanitas* (ita et Card. Hugo); etiam D exhibet *manifesta*. — Subinde respicitur Tit. 1, 14: Non intendentes Iudaicis fabulis. Cfr. II. Tim. 2, 16-18. et 4, 4.

[6] Edd. C et D addunt *et*. Inferius post *Nathan filium* B C adiiciunt *David*. Subinde pro *indisparabilis Dei* B *inseparabilis Dei*, et pro *in hominibus* B *in omnibus*, D *et praedicans hominibus* pro *ut praedicans hominibus*.

[7] Cum edd. B C D pro *mysterio* substituimus *ministerio*. — Subinde respicitur Ioan. 17, 12: Quos dedisti mihi custodivi; et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis; pro quo, ut dicitur Act. 1, 24-26, oratione facta, sorte electus est Mathias. De Paulo eiusque conversione vide ibid. c. 9, ubi v. 5: Durum est tibi contra stimulum calcitrare. — Pro *quem diu* B *quamdiu*.

[8] Epist. II. Tim. 2, 6: Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Edd. B C D, his verbis consentientes, post *oporteat* addunt *primum*. — Superius voci *legentibus* B C D praefigunt *et*. Inferius post *Deum* B addit *demonstrasse*, C D *demonstrare*, dein solus A *prodesse* pro *prodidisse*.

[9] Edd. C D adiungunt: Lectorem obsecro studiosum [D studiose] paginas recensentem huius libri ea quae incaute contra eas stili praecurrentis designata vestigio sunt, non modo coniungat errori, sed peto meae ignoscere ignorantiae: et quae obstinatio legentis ampliata virtus exercitat ad purum dociles, mentis meae favoribus meique memor benigne. — Ceterum plures propositiones prologi ita incongrue expressae sunt, ut, quae sit vera lectio, vix dici possit. Videtur textus esse vel mala ex Graeco idiomate versio, vel hinc inde corruptus.

[10] Luc. 1, 1. — Expositionem primi prologi, quae ab edd. omittitur, supplevimus e codd.

Causa efficiens prologi describitur tripliciter. Primo.

2. Quantum ad causam *effectivam* nota, quod describit ipsum Evangelistam quantum ad tria, scilicet quantum ad *convictum*, quantum ad *meritum* et quantum ad *officium*. — Quantum ad *convictum*, cum dicitur: *Lucas, Syrus* etc. usque ibi: *Paulum secutus usque ad confessionem eius.* Ex quo ostenditur beatus Lucas idoneus ad scribendum Evangelium, quia cum his qui erant peritissimi, fuit conversatus; unde secundae ad Timotheum ultimo [1]: *Lucas est mecum solus*, dicit Apostolus, quia ei adhaesit tanquam fidelis discipulus.

Secundo.

3. Secundo describit eum quantum ad *meritum*, quod consistit in vita et gratia; et hoc notat, cum dicit: *Serviens Domino sine crimine*, in quo notatur *vita;* et post: *Obiit plenus Spiritu sancto*, in quo notatur *gratia*, et ideo idoneus ad Evangelium conscribendum. Cuius figura praecessit in Ioseph, Genesis quadragesimo primo [2]: *Num invenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei plenus sit?* Sicut enim Ioseph frumenta dispensavit, sic Lucas evangelicam doctrinam.

Tertio.

4. Tertio describit eum quantum ad *officium*, quia divinitus instigatus est, ut scriberet apud Graecos Evangelium; et hoc notatur, cum dicit: *Qui, cum iam scripta essent Evangelia per Matthaeum in Iudaea, per Marcum in Italia;* ubi ostendit, quod idoneum fuit, quod Lucas haberet officium tertio loco scribendi Evangelium, scilicet inter Graecos, ut sic *in omnem terram exiret sonus eorum* [3], et in mysterium Trinitatis tribus generibus linguarum praedicaretur et scriberetur Evangelium. Et huic competebat scriptura tituli crucis, Ioannis decimo nono [4], ubi dicitur, quod titulus ille: Iesus Nazarenus rex Iudaeorum, scriptus erat Hebraice, Graece et Latine.

Dubium solvitur.

5. Dubium autem est, utrum Marcus scripserit in lingua Latina, an Graeca, cum dicant Augustinus [5] et Isidorus, quod omnia Evangelia praeter Evangelium Matthaei scripta fuerint in Graeco. Sed certum est, quod in Italia scripsit [6]; et quia utraque lingua ibi tunc temporis erat consueta, probabile videtur, quod scripsit in utraque lingua, maxime cum tradat antiquitas, quod Evangelium, quod sua manu scripsit, sit Aquileiae [7].

Causa finalis triplex.

6. *Cui extra ea* etc. Hic describitur causa *finalis* sive motiva triplex, scilicet *manifestatio veritatis, confutatio falsitatis* et *honorificatio dominicae maiestatis.* — Primo igitur quantum ad *manifestationem veritatis* dicit: *Cui extra ea quae ordo evangelicae dispositionis*, id est historiae, *exposcit, ea maxime necessitas*, id est necessitas movens, *laboris fuit, ut primum Graecis fidelibus*, quia eis primo et principaliter scriptum fuit, *omni prophetatione venturi in carnem Dei Christi, manifesta* [8] *esset humanitas; omni prophetatione*, id est, ab omnibus Prophetis praedictum est, Christum Deum in carnem venturum. *Manifesta esset humanitas*, quia versatus fuit circa Christi humanitatem, secundum quod per eam redempti sumus. Unde secundae ad Timotheum secundo [9]: *Memor esto, Dominum nostrum Iesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum Evangelium meum.* Hoc autem Evangelium specialiter fuit Evangelium Lucae, sicut Evangelium Marci praecipue fuit Petri.

Prima.

---

[1] Vers. 11. [2] Vers. 38.

[3] Psalm. 18, 5.

[4] Vers. 19. seq.

[5] Libr. I. de Consensu Evangelist. c. 2. n. 4: Horum sane quatuor solus Matthaeus Hebraeo scripsisse perhibetur eloquio, ceteri Graeco. — De sententia Isidori vide VI. Etymolog. c. 2. n. 35, ubi dicit, Matthaeum scripsisse « Evangelium litteris Hebraicis », Marcum « eloquio Graeco », Lucam fuisse « inter omnes Evangelistas Graeci sermonis eruditissimum ». Cfr. Hieron., Praefatio ad quatuor Evangelia ad Damasum (in antiquis edd. est Epist. 123.): De novo nunc loquor testamento, quod Graecum esse non dubium est, excepto apostolo Matthaeo, qui primus in Iudaea Evangelium Christi Hebraicis litteris edidit.

[6] Hieron., de Viris illustribus, c. 8: Marcus, discipulus et interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romae a fratribus, breve scripsit Evangelium. Cfr. Euseb., II. Hist. eccl. c. 15; et Isidor., Prooemia in libros vet. et novi testam. n. 91: Matthaeus Evangelium in Iudaea primus scripsit, deinde Marcus in Italia, tertius Lucas in Achaia, ultimus Ioannes in Asia. Ex quibus solus tantum Matthaeus praedicationis suae historiam Hebraico perstrinxit stilo; reliqui vero Graeci sermonis eloquio ediderunt. — Superius pro *praeter* D G *post.*

[7] Baron., Annal. ad an. 45. n. 40. contendit, Marcum Latino sermone Evangelium suum Romae scripsisse; ibid. n. 41. ait: « Fertur traditione magis quam antiquorum certo testimonio, ipsum Marcum Evangelium suum, quod Romae Latine scripserat, cum Aquileiae moraretur, missus illuc a Petro ad eam erigendam Ecclesiam, in Graecum transtulisse; ipsumque originale Aquileiae diutius asservatum, Venetias demum esse translatum ». Econtra August. Maria Molini (Basilicae patriarchalis Venetae canonicus theologus) in suo libro de Vita et lipsanis S. Marci evangelistae (quem edidit Sanctes Pieralisi, Romae 1864) Hieronymi et Augustini sententiam supra allatam tenens eamque contra Baronium defendens, in fine c. 9. n. 13. libri I. ait: « Sed media quadam via incedendum esse mihi videtur, ac si quid coniecturae tribuendum est, dicendum: Marcum Graece quidem primo Evangelium suum conscripsisse; tum illud in eorum commodum, qui Graece nescirent, in Latinam linguam transtulisse. Placuit id ante nos Cornelio a Lapide » etc. In praenotato libro multa, quae concernunt rem, de qua hic agitur, congesta inveniuntur, et de codice Marciano dicitur, ipsum fuisse Latine scriptum (loc. cit. c. 12. n. 12.). — Recentiores tamen auctores exploratum esse asserunt, istum codicem esse apographum saeculi VII. Ab eisdem etiam non probatur, quod Marcus in utraque lingua scripserit.

[8] Plures codd. *manifestata;* cfr. supra pag. 7, nota 5. Sedulius Scotus (cfr. supra pag. 7, nota 2.): Sed unde illa [Christi humanitas] manifestaretur? *Omni*, inquit, *prophetatione*, id est, per omnem prophetationem illa fuerat manifestata. Nam, ut beatus Lucas in exordio sui Evangelii pleniter narrat, conceptio et nativitas dominica et ab Archangelo praenuntiata et ab omni sexu, tam viris quam feminis, et ab Angelis hominibusque demonstrata est.

[9] Vers. 8. Hieron., de Viris illustribus, c. 7: Quidam suspicantur, quotiescumque in Epistolis suis Paulus dicit *iuxta Evangelium meum*, de Lucae significare volumine. De Evangelio Marci cfr. supra nota 6.

7. Secundo, quantum ad *confutationem haereticae pravitatis*[1] dicit: (Secunda.) *Ne Iudaicis fabulis attenti, quibus seducti erant, posse legalia sufficere sine Evangelio, in solo Legis desiderio tenerentur*, quod illa possint sufficere etc. *Vel ne haereticis* etc., usque ibi: *elaboraret*[2]. Et debet ita construi littera: *ut elaboraret, ne Iudaicis fabulis* etc. Et circa hoc erat opus valde insistere circa Ecclesiam primitivam; unde primae ad Timotheum primo[3]: «Rogavi te, ut denuntiares quibusdam, ne aliter docerent et ne intenderent fabulis et genealogiis interminatis, quae quaestiones praestant magis quam aedificationem Dei, quae est in fide».

8. Tertio, quantum ad *honorificationem dominicae maiestatis* subdit: (Tertia.) *Dehinc, ut in principio Evangelii, nativitate Ioannis praesumta, cui Evangelium scriberet*, «id est ad cuius honorem», ut dicit Glossa[4]; *indicaret* etc. usque ibi: *ab aliis inchoata.* Ad honorem namque Christi scripsit; unde Tobiae duodecimo: «Sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est». — (Aliud motivum.) Vel potest dici, quod tertio motivum est aedificatio fraternae caritatis; et hoc notat, cum dicit: *cui scriberet*, quia Theophilo, qui «interpretatur: *amans Deum*, vel *amatus a Deo*[5]»; in quo ostenditur, quod ad caritatem fraternam aedificandam scripsit, secundum illud primae ad Timotheum primo: «Finis praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta».

9. *Cui ideo post baptismum* etc. Hic describitur *causa formalis* sive modus agendi, primo quantum ad librum *istum;* secundo, quoad librum annexum, scilicet *Actus Apostolorum;* tertio, quoad *prologum praeambulum.* (Causa formalis descripta quoad tria.) — (Primo, quoad Evangelium.) Primo igitur quoad librum *istum* dicit, quare Lucas genealogiam Christi describit post baptismum, a statu perfectae aetatis, et ordine retrogrado ascendendo per Nathan. Et rationem huius reddit, quia intendebat agere de generatione Christi, secundum quod per illam reducimur in Deum; quod quidem fit per regenerationem baptismalem et adoptivam, Christo Filio Dei naturali reducente nos ad Patrem suum, Patrem etiam nostrum per adoptionem. Et hoc est, quod vult insinuare *per Nathan;* quia, cum Salomon esset filius David, naturalis generatio Ioseph et Mariae non ascendit ad David per Nathan secundum carnem, sed per Salomonem secundum *carnem*, per Nathan vero secundum *adoptionem*, ut in tertio capitulo[6] ostendetur. Et hoc est quod vult dicere, et dicit valde (Nota.) obscure; et debet littera construi sic: *Cui ideo permissa est potestas repetendae humanae nativitatis a principio*, id est usque ad principium, scilicet usque ad Deum, et hoc *post baptismum a perfectione generationis*, id est post aetatem triginta annorum, sicut in tertio capitulo[7] dicetur: «Ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli» etc.; ut *introitu generationis indisparabilis Dei*, id est Christi aequalis Patri;

[1] Nonnulli codd., ut A C D, *falsitatis.*

[2] Sedulius Scotus: Sed in his omnibus ob hoc Evangelista pro studio elaboravit, ne iidem Graeci fideles nuper in Christo renati Iudaicis fabulis deciperentur. Constat enim, quod usque adhuc reprobi Iudaei Christum in carne venisse denegant, et alium Christum venturum esse confingunt, ideoque, spreta Christi gratia, nequaquam Evangelium, sed sola Legis constituta persuadent esse sectanda. Contra hos Evangelista Christum iam natum fuisse ostendit, et hoc non sine idoneis testibus astruit, sed *omni prophetatione* indubitabiliter approbat, *ut omne os* reprobum *obstruatur* [Rom. 3, 19.]. Et cum nonnulli haeretici Christum in mundum venisse, non tamen veram carnem habuisse, sed aethereum corpus suum de caelestibus traxisse dogmatizabant; non minus hos quam illos idem vitulus spiritualibus cornibus convincit, dum Christum secundum carnem et conceptum et ex Maria virgine natum fuisse asserit. Ob hoc itaque cornutus Evangelista laboravit, ne alii laborent etc. — Superius post *attenti* C G K omittunt *quibus seducti* (D H *inducti)... sufficere;* A omittit *sufficere*, et D pro *sine Evangelio* substituit *ad salutem.*

[3] Vers. 3. seq. — Superius pro *erat opus valde insistere* H *erat valde insistendum.*

[4] Quae est apud Lyranum *interlinearis*. Card. Hugo: *Indicaret, cui*, id est ad honorem cuius, scilicet Christi, *scriberet Evangelium.* Per hoc enim, quod in principio Evangelii sui agit de nativitate praecursoris Christi, scilicet Ioannis, qui erat eius vox vel praeco, ostendit, se ad honorem Christi scribere. — Subinde allegatur Tob. 12, 7.

[5] Ut dicit Beda, in Luc. 1, 3. — Sequitur I. Tim. 1, 5. — Sedulius Scotus: Non solum, inquit, propter Graecos fideles Lucas in opere evangelico laboravit, sed et alia causa eiusdem operis exstitit, hoc est, quod ipse Lucas a beato Theophilo postulatus erat, quatenus Christi Evangelium conscriberet, quod et Lucas in prooemio sui Evangelii indicat, id est, Evangelium se, Theophilo poscente, edidisse, et quod in Spiritu sancto ad hoc ministerium electus fuerat, *contestans, in se completa esse Evangelia, quae ab aliis* pseudoevangelistis erant non perfecta, sed prave *inchoata.* Cfr. B. Albert. (in hunc prologum), qui etiam duas praenotatas explicationes affert.

[6] Vers. 23. seqq. — Sedulius Scotus: Sed in principio sui Evangelii non Christi genealogiam proposuit, quomodo Matthaeus in suo fecit Evangelio, sed potius *Ioannis* tanquam praecursoris Domini *nativitate*, quam in aliis descriptam esse non viderat, *praesumta*, sic tandem, apto temporis ordine conservato, Christi nativitatem aut genealogiam pleniter enarravit. Unde sequitur: *Cui ideo post baptismum Filii Dei*, et reliqua usque: *permissa est.* Non caret ratione, quod post Christi baptismum Lucas eiusdem Salvatoris genealogiam edisserit. Haec namque *facultas repetendae nativitatis humanae* Evangelistae a Domino concessa est, et quamvis a fine septuagesimae et septimae *generationis in Christo impletae* ipsa series genealogiae per filios in patres ascendendo recurrit, non proprio tamen principio caret. Etenim *a principio*, id est Christo, qui est totius creationis principium, retrograda genealogia incipit, ut, quomodo ad Patrem principium recurrit, sic a Christo principio exordium ipsa generationum series sumat.

[7] Vers. 23. seqq. — In A secunda manus post *annorum* addidit: *impletae in Christo, id est consummatae.* — Sedulius Scotus: Sequitur: *ut requirentibus demonstraret*, et reliqua usque: *indisparabilis Dei.* Studiosis et prudentibus Evangelista intimare curavit, in quo arcano mysterio non per Salomonem, quomodo Matthaeus, sed per Nathan, filium David, introitum *recurrentis in Deum generationis apprehenderat.* Sed quomodo ipsa genealogia in Deum recurrit, protinus declaratur, cum subditur:

generationis, scilicet *recurrentis in Deum; introitu*, dico, *admisso*, id est deducto *per Nathan, filium* David, *demonstraret requirentibus* Deum, *in quo apprehendens erat*, scilicet Deum[1]. Hic ostendit, per Christum oportere ad Patrem redire; et hoc est quod subdit: *Ut praedicans hominibus Christum suum*, noster enim est Christus; infra secundo[2]: « Natus est nobis hodie Salvator mundi » etc.; *opus perfecti hominis*, id est hominis, in quo perfecta sunt omnia, *redire in se*, hoc est in statum suum, de quo cecidit; *per Filium faceret*, per Filium scilicet Dei et hominis, Iesum Christum, *qui praebebat iter in Christo*, id est ostendebat praeberi[3] *venientibus*, scilicet ad Deum, *per David patrem*, Nathan scilicet vel Christi; hoc est dicere, quod volebat in illa genealogia post baptismum ostendere, quomodo per Christum oportet nos regeneratos redire ad Deum; ad Ephesios primo[4]: « Complacuit in Christo restaurare quae in caelis et quae in terris sunt ».

**Secundo, quoad Actus Apostolorum.**

10. Secundo[5], quoad librum annexum, scilicet *Actus Apostolorum*, subdit: *Cui Lucae non immerito scribendorum etiam Actuum Apostolorum potestas in ministerio datur* etc. usque ibi: *Dominus elegisset*. Et vult dicere, quod magis competebat Lucae describere Actus quam alii Evangelistae, quia agebat de Christo, in quantum per gratiam reducebat ad Patrem; et hoc est quod potissime determinatur in Actibus Apostolorum; quod notat, cum dicit: *Ut Deo in Deum pleno;* hoc est plene per ascensionem ostenso, per quam datus est plene Spiritus sanctus, fieret *consummatio* in Paulo, qui fuit *vas electionis*[6], secundum gratiam praecipuam. Unde ad Ephesios quarto: « Qui descendit ipse est, qui ascendit, ut adimpleret omnia »; ad Ephesios primo: « Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus eius, et plenitudo illius qui omnia in omnibus adimplevit ».

**Tertio, quoad hunc prologum.**

11. Tertio, quantum ad praesentem *prologum*: *Quod et legentibus et requirentibus etsi per singula*, id est singillatim et distincte omnia praedicta, *tractari*

---

*admisso*, hoc est cum admissione seu receptione in ipsam genealogiam *indispertibilis Dei*, id est summi Patris, qui est a Filio inseparabilis; tanquam apertius diceret: Apte Deus Pater in Christi genealogia admittitur, cum Adam filius in eadem genealogia pronuntiatur, quoniam ipse Pater a Filio inseparabilis est. Alii namque et loco et tempore a filiis suis sunt dispertibiles. Quia vero summus Pater semper in Filio et Filius in Patre inseparabiliter manet, in eadem Filii etiam secundum carnem genealogia Pater admitti debuit. — Inferius vocibus *ut introitu* G interserit *in;* subinde pro *admisso, id est deducto* D *admisso, id est facto vel recepto* (G *id est inde ducto)*. In A secunda manus hanc lectionem posuit: *recurrentis, id est retrograde praecedentis; in Deum, id est usque ad Deum; ut introitu, id est initio, admisso* etc. — Lyrani Glossa *interlinearis* dicit: *admisso*, id est deducto. Card. Hugo: *admisso:* id est deducto, et hoc *per Nathan, filium David*. Infra dicit *David patrem;* vide, quia Matthaeus et Lucas conveniunt in patribus ab Abraham usque ad David. Deinde dissentiunt, quia Matthaeus texuit genealogiam a David per Salomonem, Lucas a David per Nathan filium eius adoptivum.

[1] In A secunda manus in margine posuit: *Hoc est per consimilem filiationem, quae fuit in Nathan, oportere nos redire ad Deum, hoc est per adoptionem.* — Immediate post pro *Hic ostendit*, quod habent E H K, D *id est ostenderet*, A *hic ostenderet*.

[2] Vers. 11. — Sedulius Scotus: Sequitur: *ut praedicans in hominibus Christum suum*, et reliqua usque: *in Christo*. Pater inter homines Christum suum praedicat, non solum cum ad horam baptismatis vox paterna de nube intonuit dicens: *Tu es Filius meus dilectus, in te mihi complacuit* [Luc. 3, 22, ubi Vulgata *complacui*], sed et quotidie usque ad consummationem saeculi unigenitum Filium toto orbe terrarum per ora doctorum evangelizat, quatenus *opus perfecti hominis*, id est opus Dei, quod est perfectus homo ad imaginem sui conditoris recreatus, *redire in se per Filium faciat*, dum nemo venit ad Patrem nisi per Filium, quomodo *nemo venit* ad Filium, *nisi Pater traxerit eum* [Ioan. 6, 44.]. Ad hoc enim attinet illud quod protinus adiungitur: *Qui per David patrem venientibus iter praebebat in Christo*. Nam in eo, quod Matthaeus per patres in filios seriem genealogiae Salvatoris enarrat, hoc specialiter insinuat, cum per Patris notitiam pervenitur ad Filium; in eo vero, quod Lucas per filios in patres recurrit, illud procul dubio indicat, quia nemo ad Patrem nisi per Filium venit. — Glossa *interlinearis* apud Lyranum: *Opus perfecti hominis*, id est hominem, in quo perfecta sunt opera sex dierum, vel propter quem omnia sunt perfecta, *redire in se*, ad statum unde ceciderat. Cfr. Card. Hugo, qui eandem praebet explicationem.

[3] Ex E G K addidimus *praeberi*, A *per Christum et quibus*, qui etiam subinde post *per David* adiungit *id est per humilitatem David*. — Glossa *interlinearis* apud Lyranum: *qui per David patrem*, Christi vel Nathan, *venientibus iter*, ad Deum, *praebebat*, id est, praeberi ostendebat. Card. Hugo: *Qui*, scilicet Lucas, *praebebat iter*, id est, praeberi ostendebat, *in Christo*, id est per Christum iter ascendendi in Deum. Et quibus? *Venientibus per David*, id est per humilitatem David, dico, *patrem*, Christi vel Nathan.

[4] Vers. 10.

[5] Cod. D addit *ostenditur causa formalis.*

[6] Act. 9, 15. — Sequuntur Eph. 4, 10. et 1, 22. seq. — Glossa *interlinearis* apud Lyranum: *Potestas in ministerio datur*, bene in ministerio, quia bene scripsit, ut *Deo in Deum pleno*, dicta ascensione, in qua plenus Deus esse comparuit. Sedulius Scotus: Sequitur: *cui Lucae... potestas in mysterio datur*. Non sine arcani gratia mysterii idem Lucas Actus conscripsit apostolicos, cui Deus illi tanquam Apostolorum dilecto discipulo, qui nonnunquam gestis eorum intererat, hanc potestatem concesserat. Quod protinus mysterium panditur, cum subinfertur: *ut Deo in Deum pleno*, et reliqua usque: *Dominus elegisset*. Nota historia est, sicut in Actibus Apostolorum [1, 24. seqq.] refertur, quod oratione ab Apostolis facta, *cecidit sors super Mathiam*, qui locum Iudae proditoris suppleverat. Unde duodenarius numerus, qui mysticus est, divina disponente sapientia, fuit completus... Duodenarius quippe numerus magnum in se continet mysterium, quem tres quater, aut quatuor ter consummant; illudque nimirum insinuat, quod sanctae Trinitatis fides per quatuor mundi plagas ore apostolico praedicari deberet, qui duodenarius numerus tunc in Apostolis pleniter fuerat completus, *Deo in Deum pleno, et filio perditionis exstincto*, cum post triumphalem resurrectionis et ascensionis dominicae gloriam Christus Deo plenus discipulis claruit etc. — Superius post *hoc est* D prosequitur: *Christus per ascensionem ostensus est plenus, id est perfectus Deus, per quam scilicet ascensionem ascendit in Deum, id est ad aequalitatem Dei Patris, plene ascensione ostensa, per quam* etc.

*utile fuerat; sciens tamen, quod operantem agricolam oportet primum de fructibus edere*[1], *vitavimus publicam curiositatem*, id est superfluam loquacitatem sive praeter necessitatem scientiae ostensionem; *ne non tam volentibus Deum demonstrare videremur quam fastidientibus prodidisse.* Hoc est dicere, quod quia doctor et expositor sicut agricola debet de fructibus suis edere, non debet quaerere curiosa, sed fructuosa, non aliorum laudem, sed testimonium conscientiae, non ostensionem vanitatis, sed aedificationem caritatis[2]. Et haec est ratio, quare opus est frequenter a pluribus supersedere et dicere necessaria, vitando non opportuna. — Vel aliter potest exponi: quia noluit omnia exponere, ut daret aliis causam laborandi et de suis fructibus manducandi; et hoc figuratum fuit in Lege, ubi dicitur Levitici decimo nono[3] messoribus, quod non colligerent remanentes spicas, quia primi doctores debent posteris relinquere occasionem exercitii. Et utroque modo satis sane potest exponi. Alia expositio.

# COMMENTARIUS

# IN EVANGELIUM S. LUCAE

## Capitulum I.

### Prologus Evangelistae.

1. *Quoniam quidem multi* etc. Hic est secundus prologus, auctoris scilicet beati Lucae, quem suo praemittit Evangelio, in quo suam manifestat intentionem quantum ad quatuor, scilicet quantum ad *motivum, promotivum, directivum* et *consummativum,* in quibus sufficienter manifestatur principale intentum.

Intentio quoad quatuor.

2. (Vers. 1.). Primo ergo manifestat intentionem suam quantum ad *motivum*, quod quidem fuit *aliorum exemplum;* et hoc notat, cum dicit: *Quoniam multi conati sunt ordinare narrationem.* Inter quos quidam fuerunt boni, sicut Matthaeus et Marcus, qui ante scripserunt, sicut habitum est in prologo Hieronymi[4]; quidam vero mali, sicut dicit Glossa Bedae, « ut Basilides et Appelles, et qui sub nomine Thomae et Mathiae et aliorum Apostolorum falsa scripserunt »; quia, sicut dicitur secundae ad Corinthios undecimo, « huiusmodi pseudoapostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi ». Primi conati sunt et perfecerunt, secundi conati sunt et defecerunt. Primi moverunt exemplo boni et veri, secundi moverunt odio mali. Ad *ordinandum narrationem,* earum scilicet rerum, *quae completae sunt in nobis*[5], id est inter nos et propter nos, sicut mysterium incarnationis, passionis et resurrectionis. Unde Ioannis primo: « Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis; et vidimus gloriam eius » etc.

Primo, de motivo.

3. (Vers. 2.). Secundo, quantum ad *promotivum*, quod quidem fuit *Apostolorum documentum;* et hoc notat, cum dicit: *Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt,* scilicet Apostoli; unde primae Ioannis primo[6]: « Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt » etc.; et Ioannis decimo nono: « Qui vidit testimonium perhibuit, et verum est testimonium eius. Et ille scit, quia vera dicit, ut et vos credatis ». Et quia viderant, ideo testificabantur; unde et subdit: *Et ministri fuerunt sermonis;* Actuum primo[7]: « Oportet ergo ex his viris,

Secundo, de promotivo.

---

[1] Epist. II. Tim. 2, 6. — In A secunda manus addidit *id est utilitatem auditorum quaerere,* et inferius post *volentibus* subiunxit *id est diligentibus.*

[2] Similem expositionem praebet Sedulius Scotus.

[3] Vers. 9. et 23, 22.

[4] Supra pag. 7. — Sequitur Glossa, quae est apud Lyranum (in hunc locum) *interlinearis,* formata ex iis quae dicit Beda in eundem locum (cfr. Ambros., I. Exposit. in Luc. n. 2.). Subinde allegatur II. Cor. 11, 13. — Ambros., loc. cit. n. 3: *Conati* utique illi sunt, qui implere nequiverunt. Ergo multos coepisse nec implevisse, etiam S. Lucas testimonio locupletiore testatur, dicens, plurimos esse conatos. Qui enim conatus est ordinare, *suo labore* conatus est, nec implevit. *Sine conatu* sunt enim donationes et gratia Dei, quae ubi se infuderit, rigare consuevit, ut non egeat, sed redundet scriptoris ingenium. *Non conatus* est Matthaeus... *non conatus* est Lucas, sed divino Spiritu ubertatem dictorum rerumque omnium ministrante, sine ullo molimine coepta compleverunt.

[5] Ed. 1 et Vat.: *Primi moverunt B. Lucam exemplo boni et veri, secundi moverunt odio mali.* Ordinare narrationem, *id est ad ordinandam narrationem.* Quae in nobis completae sunt rerum. — Sequitur Ioan. 1, 14.

[6] Vers. 1. — Subinde allegatur Ioan. 19, 35. Cfr. Ambros., loc. cit. n. 5.

[7] Vers. 21. seq. — Sequitur I. Cor. 4, 1. seq. — Inferius pro *Apostoli,* quod B C omittunt, D substituit *Petrus et Paulus.*

qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Iesus, incipiens a baptismate Ioannis usque in diem, qua assumtus est a nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis ». Et tales erant Apostoli; unde primae ad Corinthios quarto: « Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei; hic iam quaeritur » etc.

Tertio, de directivo.

4. (Vers. 3.). Tertio, quantum ad *directivum*, quod fuit *ordinatus, sufficiens* et *diligens processus;* et hoc notat, cum subdit: *Visum est et mihi,* Spiritu sancto scilicet instigante; sicut dicit Hieronymus [1], « sacro instigante Spiritu, hoc scripsit Evangelium ». *Assecuto,* id est perfecte secuto, quia a principio usque in finem; unde et subdit: *Omnia diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile;* ubi simul *sufficientia, ordo* et *diligentia;* et haec quidem competunt historico narratori. Unde secundi Machabaeorum secundo [2]: « Intellectum colligere et ordinare sermonem et curiosius partes singulas quasque inquirere, historiae competit auctori ».

Quarto, de consummativo.

5. (Vers. 4.). Quarto, quantum ad *consummativum,* quod fuit *veritatis intellectus,* subdit: *Ut cognoscas eorum verborum de quibus eruditus es veritatem*, cognoscas scilicet magis plene. Et hoc fuit, in quo quievit intentio Evangelistae scribentis; unde secundae ad Timotheum tertio [3]: « Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus »; et hunc finem ponit Lucas respectu omnium, quos intelligit in persona Theophili, cui scribit. « *Theophilus* interpretatur amans Deum, vel amatus a Deo [4] », et talibus manifestatur veritas; unde Ioannis decimo quarto: « Qui autem diligit me diligetur a Patre meo; et ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum »; et decimo quinto: « Vos autem dixi amicos, quia omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis ». — Et sic patet, quam plene et plane aperit Evangelista intentionem suam.

Prologi praemittendi tres causae.

6. Et quod Lucas evangelista praemittit suo Evangelio prologum, quod non fecit aliquis aliorum Evangelistarum, hoc fuit ratione specialis personae, cui scribit, cum omnes alii scribant generaliter sine ratione specialis causae [5]; suntque ad hoc tres causae, quarum prima est, quia liber suus posset videri superfluus, cum iam duo Evangelistae scripsissent, et « in ore duorum testium stet omne verbum [6] ». Unde ut hoc removeat, primo assignat primam causam, quia non est superfluus, cum sit ad vana, falsa et superflua resecanda, quae scripta erant per pseudoevangelistas. — Secunda est, quia liber suus posset videri minus authenticus, utpote eius qui non fuit Apostolus; et ideo ostendit, se scripsisse secundum Apostolorum documentum et testimonium et aliorum, qui viderunt. — Tertia causa est, quia liber eius, cum sit historicus et narrativus diversarum parabolarum, posset videri inordinatus et quasi casualiter conscriptus; et ideo ad hoc removendum ostendit, processum in prologo esse sufficientem, diligentem et ordinatum. — Et sic patet, quod non est curiosum inquirere et perscrutari ordinem, distinctionem et sufficientiam in prosecutione eorum quae in hoc Evangelio conscribuntur; pari ratione nec in aliis. Si ordo attestatur sapientiae et bonitati, illi scripturae potissime debet competere [7], quae procedit a fonte sapientiae et ducit ad finem bonitatis completae. Et haec est Scriptura evangelica; et ideo non est curiositas, sed utilitas, si describantur in sequentibus divisio, ordo et sufficientia, quia hoc intenditur ab Evangelista.

(Margin: Prima. — Secunda. — Tertia. — Corollarium.)

### Divisio generalis [8]

Quatuor partes principales.

7. *Fuit in diebus Herodis regis* etc. Hoc Evangelium Lucae, sicut supra [9] dictum est, habet qua-

---

[1] In Prologo supra pag. 7. allegato.

[2] Vers. 31. — Ambros., I. Expos. Evang. secundum Luc. n. 11: Assecutum itaque se non pauca dicit, sed *omnia;* et assecuto omnia visum est scribere non omnia, sed ex omnibus. Non enim scripsit omnia, sed assecutus est omnia; quia *quae fecit*, inquit (Ioan. 21, 25.), *Iesus, si scribantur omnia, nec ipsum capere mundum arbitror.*

[3] Vers. 16.

[4] Beda, in Luc. 1, 3. — Sequuntur Ioan. 14, 21. et 15, 15. — Inferius pro *plane* ed. 1 et Vat. *luculenter.*

[5] Ed. 1 et Vat. *personae.* A C omittunt verba *sine ratione specialis causae.*

[6] Deut. 19, 15; Matth. 18, 16. — Inferius post *primam causam* ed. 1 et Vat. prosequuntur: *declarans illum nequaquam esse superfluum, cum ad vana, falsa et superflua resecanda, quae scripta iam fuerant per pseudoevangelistas, ordinetur.*

[7] Ed. 1 et Vat. *Nam si in aliis ordo fidem commendat et sapientiam et bonitatem eorum, quae scribuntur, quanto amplius illi scripturae debet competere.* Inferius in fine D H omittunt *ab Evangelista.*

[8] Quoad notas deinde ad calcem positas haec praenotamus. Primo, passim non notamus amplius editionem 1, quae vix unquam a Vat. differt, immo exemplar est, quod Vat. denuo typis expressit.

Secundo observandum est, S. Doctorem in citandis s. Scripturae locis, ut brevitati studeat, maiori quam in aliis suis scriptis libertate uti, ita ut passim aliqua verba s. textus, quae ad rem ab ipso tractatam non spectant, omittat, interdum propositionem contrahat et saepius etiam per verba *etc.* id quod sequitur, a bona lectorum memoria supplendum esse indicet. Antiqui nostri codices in locis sic allegandis mire consentiunt, quo satis ostenditur, ipsum auctorem ita scripsisse. In editionibus vero isti textus communiter suppleti sunt et integri transcripti ex antiqua Vulgata. Licet hoc factum sit in commodum lectoris, tamen non dubitavimus, sequendam nobis esse lectionem codicum. Cum autem tantus sit numerus locorum s. Scripturae, nimis fuisset molestum, lacunas istas in notis *semper* supplere. Sufficere plerumque videbatur indicare versiculos Vulgatae, qui, ut notum est, medio aevo nondum erant in usu. Tamen, quando ipsa sententia adhuc deficere videbatur, vel non satis clare expressa, praesertim ubi ipse auctor per illud *etc.* hoc insinuabat; tunc ex Vulgata lacunas supplevimus. Nec omisimus notare lectiones variantes alicuius momenti, quae a textu Vulgatae discrepare videbantur.

[9] Prooemium n. 23.

tuor partes principales, in quarum prima agitur de *incarnationis mysterio* usque ad tertium capitulum; in secunda vero, de *eruditionis magisterio* usque ad vigesimum secundum; in tertia, de *passionis medicamento* sive remedio usque ad vigesimum quartum; in quarta de *resurrectionis tropaeo* usque in finem libri.

## Pars. I. De incarnationis mysterio agitur tripliciter.

Prima pars, quae prosequitur incarnationis mysterium, tres habet partes. Explicat enim Christi nativitatem temporalem, quae fuit triplex, scilicet *in utero* quantum ad conceptum, *ex utero* quantum ad partum, *extra uterum* quantum ad baptismum [1]. Primam explicat in primo capitulo, secundam in secundo et tertiam in tertio.

### *Primo, de nativitate in utero dupliciter.*

Intendit igitur in primo capitulo agere de *conceptione* Salvatoris; sed quia conceptum Virginis praecessit conceptus sterilis, et ante regis conceptum praecessit praecursoris exordium, et utrumque divinum est, et de utroque laudandus est Deus; ideo praesens capitulum duas habet partes, in quarum prima agitur de sterilis et Virginis *fecundatione;* in secunda vero, de *gratiarum actione,* ibi [2]: *Exsurgens Maria abiit in montana.*

### Primo, de duplici fecundatione.

Prima pars habet duas, in quarum prima agitur de conceptu *praecursoris;* in secunda, de conceptu *Salvatoris,* ibi [3]: *In mense autem sexto missus est* etc.

#### Tria dicuntur de conceptu praecursoris.

Describens autem Evangelista *praecursoris* conceptum, ut ostendat, ipsum esse mirificum, primo ostendit *parentum conditionem;* secundo explicat *angelicam annuntiationem,* ibi [4]: *Factum est, cum sacerdotio* etc.; tertio, *denuntiationis ministerialem confirmationem,* ibi: *Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam;* quarto, *mirabilem promissionis impletionem,* ibi: *Et factum est, ut impleti sunt dies officii sui* etc.

#### Primo describitur parentum conditio quadrupliciter.

Describens autem *parentum* ipsius *conditionem,* quatuor explicat: primo, *dignitatis officium;* secundo, *honestatis coniugium;* tertio, *sanctitatis meritum* sive privilegium; quarto, *sterilitatis opprobrium.*

8. (Vers. 5.). Primo igitur *dignitatis officium* Dignitatis
ostendit, cum dicit: *Fuit in diebus Herodis, regis* officium.
*Iudaeae, sacerdos quidam nomine Zacharias.* Sacerdotale officium explicat, adiungendo regale dominium, ut insinuet, quod Ioannes praenuntiare de- Ratio 1.
bebat Christum, qui erat *sacerdos secundum ordinem Melchisedech* [5], id est simul rex et sacerdos, ad Hebraeos septimo: « Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi » etc. — Vel ideo explicat regnum, Ratio 2.
ut ostendat, tempore Legis regiam potestatem praeire sacerdotium, sed nunc est econtra. Unde primae Petri secundo [6]: « Vos autem estis genus electum, regale sacerdotium » etc.; sed Exodi decimo nono dicitur: « Vos eritis mihi in regnum sacerdotale et gens sancta ». — Vel ideo explicat regnum Herodis alienigenae, Ratio
qui primus inter alienos imperavit Iudaeis, ut ostendat, advenisse tempus adventus Christi, et impletam esse illam prophetiam, Genesis penultimo [7]: « Non auferetur sceptrum de Iuda et dux » etc. — Vel ideo Ratio 4.
nominat Herodem, ut ostendat, ipsum in malitia fuisse insignem. Fuit enim triplex Herodes, scilicet Tres Herodes.
pater, filius et nepos; primus Ascalonita, qui interfecit pueros, Matthaei secundo [8]; secundus Antipas, qui Ioannem decapitavit, Matthaei decimo quarto; tertius Agrippa, qui occidit Iacobum, claudens in carcere Petrum, Actuum duodecimo; sed primus infamior et inter omnes crudelior. Ideo, quia « contra malum bonum [9] », econtra nominatur *sacerdos* Zacharias, ut ostendat, ipsum famosum in bono et Dei amicum, secundum illud Exodi trigesimo tertio: « Invenisti gratiam coram me, et novi te ex nomine »; nec tantum ex nomine ipsum ostendit sacerdotem, sed etiam ex genere; unde dicit: *De vice Abia,* id est de genere, secundum quod exponit Beda in Glossa [10] dicens: « Cum David cultum Dei ampliaret, sicut di-

---

[1] Vide August., Epist. 187. (alias 57.) c. 10. n. 33. Cfr. III. Sent. d. 3. p. I. a. 1. q. 3. ad 1. et 2.

[2] Vers. 39.

[3] Vers. 26.

[4] Vers. 8: *Factum est autem, cum* etc. Duo seqq. loci sunt v. 18. et 23. — Inferius pro *denuntiationis ministerialem* Vat. *denuntiat promissionis.*

[5] Respicitur Ps. 109, 4: Tu es sacerdos in aeternum secundum etc. — Subinde allegatur Hebr. 7, 1.

[6] Vers. 9. — Sequitur Exod. 19, 6. — Pro *praeire sacerdotium* Vat. *praeire et praestare sacerdotio.*

[7] Vers. 10. Hanc explicationem affert Beda, in Luc. 1, 5. — Superius pro *inter alienos* Vat. *allophylorum* (ἄλλον i. e. aliud, φῦλον i. e. genus, vel φυλή i. e. tribus); cfr. Ps. 55, 1, et August., Qq. in Num. q. 3.

[8] Vers. 16. — Subinde allegantur Matth. 14, 10. et Act. 12, 4.

[9] Eccli. 33, 15. — Sequitur Exod. 33, 12. — Inferius pro *famosum* Vat. *famigeratum fuisse;* eadem ed. subinde post *ipsum* addit *famatum.*

[10] Quae est *ordinaria;* in ipsa allegatur I. Paralip. 24, 3. seqq. Pro intelligentia ultimae propositionis in Glossa notentur verba ipsius Bedae: Non autem frustra primus novi testamenti praeco in octavae sortis vice nascitur, quia, sicut septenario

citur primi Paralipomenon vigesimo quarto, ministeria sacerdotum in viginti quatuor sortes divisit; in quibus familiam Abia, de qua Zacharias, sors octava contigit, ut praeco novi testamenti in octavae sortis vice nascatur; quia per octo novum testamentum intelligitur, sicut per septem vetus ».

Honestatis coniugium.

9. Secundo explicat *honestatis coniugium* in hoc quod dicit: *Et uxor illius de filiabus Aaron;* et ita uterque erat de genere sacerdotali, ac per hoc ad coniugium apti secundum mandatum Domini; Numerorum trigesimo sexto[1]: « Omnes viri de eadem tribu et cognatione uxores accipiant, sed et cunctae feminae maritos ». Quam explicat *nomine,* quia ita de ea frequenter erat facturus sermonem: *Et nomen eius Elisabeth,* et in conceptu et salutatione et partu; unde[2]: « Elisabeth impletum est » etc. Explicat autem honestatis coniugium iuxta dignitatis officium, ut ex utroque commendabilior fiat conceptus; Sapientiae quarto[3]: « O quam pulcra est casta generatio cum claritate » etc.

Sanctitatis privilegium. Coram Deo.

10. (Vers. 6.). Tertio describit *sanctitatis privilegium* in hoc quod dicit: *Erant autem ambo iusti ante Deum,* id est *interius* in oculis Dei; Sapientiae quinto[4]: « Iusti in perpetuum vivent »; et sequitur: « Cogitatio eorum apud Altissimum ». Non erant de genere illorum, de quibus dicitur infra decimo sexto: « Vos estis, qui iustificatis vos » etc.; sed similes Noe, de quo Genesis sexto: « Noe, vir iustus atque perfectus in generationibus suis, cum Deo ambulavit », et Ezechiae, de quo quarti Regum vigesimo: « Memento, Domine, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto ». Secundum enim quod dicitur primi Regum decimo sexto: « Deus intuetur cor ». — Erant et iusti *exterius* in conspectu hominum; et propterea dicit: *Incedentes in omnibus mandatis et iustificationibus Domini sine querela;* ad Philippenses secundo[5]: « Omnia facite sine murmurationibus et haesitationibus, ut sitis sine querela et simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravae et perversae ». Et recte dicit: *in omnibus;* quia, secundum quod dicitur Iacobi secundo[6], « quicumque autem totam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus ». Et ideo dicebat Propheta: « Ad omnia mandata tua dirigebar »; et ibidem: « Dirigantur viae meae ad custodiendas iustificationes tuas ».

Coram hominibus.

Sterilitatis opprobrium.

11. (Vers. 7.). Quarto adiungit *sterilitatis opprobrium* in hoc quod dicit: *Et non erat illis filius;* et in hoc erat magnus defectus; unde Genesis decimo quinto[7] dicebat Abraham: « Domine Deus, quid dabis mihi? Ecce, ego vadam sine liberis ». Et ratio huius defectus redditur in matre, cum dicitur: *Eo quod esset Elisabeth sterilis;* quod erat opprobrium in Israel; unde poterat dicere illud Isaiae quadragesimo nono[8]: « Ego sterilis et non pariens ». Et ut maius ostendatur miraculum, subiungitur defectus in utroque parente: *Et ambo processerant*[9] *in diebus suis,* secundum quod Abraham et Sara; Genesis decimo octavo: « Postquam consenui, et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo »? quasi dicat: hoc non est naturale, sed mirabile. Unde Genesis vigesimo primo: « Quis auditurus crederet Abraham, quod Sara lactaret filium, quem peperit ei iam seni »? Hoc autem sterilitatis opprobrium non fuit in peccati poenam, sed ad manifestandam Dei gloriam, secundum quod dicitur Ioannis nono[10] de caeco nato.

**Secundo describitur angelica annuntiatio.**

Divisio in duo membra.

12. *Factum est autem* etc. Postquam descripta est parentum conditio, describitur hic secundo *angelica denuntiatio,* et primo, quantum ad circumstantias adiacentes *denuntiationi angelicae;* secundo, quantum ad circumstantias adiacentes *proli denuntiatae,* ibi[11]: *Erit enim magnus coram Domino* etc.

Subdivisio membri 1.

Tria autem fuerunt adiacentia promissioni, scilicet *exsecutio sacerdotalis officii, apparitio caelestis nuntii, denuntiatio conceptus futuri.* De primo, ibi[12]: *Factum est autem, cum sacerdotio* etc.; de secundo, ibi: *Apparuit autem illi Angelus Domini;* de tertio, ibi: *Ait autem ad illum Angelus.*

Exsecutio officii describitur tripliciter.

Primo ergo describitur *exsecutio sacerdotalis officii* debito modo, quia secundum *congruentiam ordinis, exigentiam consuetudinis* et *assistentiam devotae multitudinis.*

Primo, secundum congruentiam ordinis.

13. (Vers. 8.). Insinuans ergo exsecutionem debitam secundum *congruentiam ordinis,* dicit: *Factum est autem, cum sacerdotio* etc.; unde sibi competit illud quod de Aaron dicitur Ecclesiastici

---

saepe numero propter Sabbatum vetus testamentum, sic novum aliquoties octonario propter sacramentum vel dominicae, vel nostrae resurrectionis exprimitur. Cfr. tom. IV. pag. 40, nota 1.

[1] Vers. 7. seq. — Theophylact., in Luc. 1, 5: Ostendere autem volens, quod ex utroque parente legitime fuerit ex sacerdotali genere Ioannes, dicit: *Et uxor eius de filiabus Aaron.* Non enim licebat ex alia tribu uxorem ducere, sed ex eadem. Elisabeth interpretamur *Dei quietem,* Zacharias autem *memoriam Domini.* — Inferius Vat. *Explicat autem uxoris nomen, quia de ea* pro *Quam explicat nomine, quia ita de ea.*

[2] Vers. 57: Elisabeth autem impletum est tempus pariendi etc. Codd. legunt: *unde: impleta est* etc. — De *conceptu* et *salutatione,* in quibus nominatur Elisabeth, agitur v. 24. et 40. seqq.

[3] Vers. 1.

[4] Vers. 16, ubi etiam est seq. locus. — Subinde allegantur Luc. 16, 15; Gen. 6, 9; IV. Reg. 20, 3. et I. Reg. 16, 7. Cfr. Ambros., I. in Luc. n. 17. seq.

[5] Vers. 14. seq.

[6] Vers. 10. Codd. *si quis totam Legem* etc. — Sequuntur Ps. 118, 128. et 5.

[7] Vers. 2. — Superius pro *in hoc,* quod habet C, A *hoc,* D E F G H *hic.* Edd. ibi legunt *Et id erat magni opprobrii.*

[8] Vers. 21.

[9] Vulgata recte *processissent.* — Subinde allegantur Gen. 18, 12. et 21, 7.

[10] Vers. 3: Neque hic peccavit, neque parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo.

[11] Vers. 15.

[12] Vers. 8. Secundum et tertium est v. 11. et 13.

quadragesimo quinto [1]: « Dedit illi Dominus fungi sacerdotio et habere laudem, et glorificare populum in nomine ipsius » etc. Et dicit: *In ordine,* quia illud maxime debet fieri ordinate; primae ad Corinthios decimo quarto [2]: « Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis ». Tunc autem recte servatur ordo, quando mens sacerdotis digne assistit conspectui divino; et ideo dicit: *In ordine,* secundum quod de Christo dicitur ad Hebraeos nono [3], quod « introivit in caelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis ».

Secundo, secundum exigentiam consuetudinis.

14. (Vers. 9.). Insinuat etiam eam debitam secundum *exigentiam consuetudinis,* cum dicit: *Secundum consuetudinem sacerdotii sorte exiit, ut incensum poneret.* Haec enim consuetudo, ut non usurpatione, sed sorte vel electione pontifex introiret, est recta; quia dicitur ad Hebraeos quinto [4]: « Nec quisquam sibi sumit honorem » etc. Quocontra dicitur de Ozia secundi Paralipomenon vigesimo sexto, quod volens incensum ponere, percussus est lepra; et filii Core consumti sunt igne, Numerorum decimo sexto. Hic autem *sorte exiit;* unde illud Sapientiae tertio: « Dabitur enim illi fidei donum electum et sors in templo Dei acceptissima ». *Exiit,* inquam, *ut poneret incensum, ingressus in templum Domini;* Levitici decimo sexto: « Assumto thuribulo, hauriens manu incensum, ultra velum intrabit in sancta, ut, positis super ignem aromatibus, vapor operiat oraculum, quod est super testimonium, et non moriatur ».

Tertio, secundum assistentiam multitudinis.

15. (Vers. 10.). Tertio insinuat eam debito modo factam propter *assistentiam multitudinis,* cum dicit: *Et omnis multitudo populi erat foris, orans hora incensi.* Omnes debebant assistere et pariter orare, secundum quod dicitur Actuum primo [5]: » Omnes erant perseverantes unanimiter in oratione ». Et *foris* stabant propter reverentiam, secundum quod ille publicanus; Lucae decimo octavo: « Publicanus, a longe stans, non audebat » etc. Et hoc *hora incensi,* quia illa erat hora apta; secundi Machabaeorum primo: « Orationem faciebant omnes sacerdotes, dum consummaretur sacrificium »; in quo significatur, quod omnis nostra oratio debet offerri per Christum, qui « exauditur in omnibus pro sua reverentia », ad Hebraeos quinto.

Apparitio Angeli tripliciter descripta.

16. (Vers. 11.). *Apparuit autem illi Angelus* etc. Tangitur hic secundo *apparitio caelestis nuntii,* et hoc ut *venerabilis,* ut *admirabilis* et ut *terribilis.* — Ostenditur autem *venerabilis in situ;* propter quod dicit: *Apparuit autem illi Angelus Domini, stans a dextris altaris incensi,* qui scilicet erat locus magnae reverentiae; unde, Levitici decimo [6], interfecti sunt Nadab et Abiu propter loci irreverentiam; et statim subditur: « Sanctificabor in his qui appropinquant mihi ». Et *a dextris stabat,* ut significetur, quod de caelestibus civibus erat; Proverbiorum tertio: « Longitudo dierum in dextera eius »; et in Psalmo: « Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis ». Et ideo *stabat,* non sedebat, ut ostendatur, quod nuntius erat; unde infra dicit: « Ego sum Gabriel, qui assisto ante Deum ».

Ut venerabilis.

Ut admirabilis.

17. (Vers. 12.). Ostenditur *admirabilis in aspectu;* et propterea dicit: *Et Zacharias turbatus est videns,* scilicet ex admiratione; Esther decimo quinto [7]: « Vidi te, domine, quasi Angelum Dei, et turbatum est cor meum prae timore gloriae tuae. Valde enim es mirabilis, domine, et facies tua plena gratiarum ». Aspectus namque angelicus carnalibus admirabilis est, quia insolitus; unde Angelus ad Manue, Iudicum decimo tertio: « Cur quaeris nomen meum, quod est mirabile »?

Ut terribilis.

18. Ostenditur *terribilis ex occursu;* et propterea dicit: *Et timor irruit super eum,* in quo significatur vehementia timoris, sicut Danielis decimo [8]: « Vidi autem ego Daniel solus visionem. Porro viri, qui erant mecum, non viderunt, sed terror nimius irruit super eos, et fugerunt in absconditum; ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc, et non remansit in me fortitudo ». Adhuc Angeli terribiles apparebant, quia nondum erant nobis reconciliati; unde superiores nobis erant et ut superiores apparebant, et ideo timorem incutiebant; Ambrosius [9]: « Solemus turbari et a sensu nostro alienari, quando praestringimur superioris potestatis occursu ».

---

[1] Vers. 19. — Theophylact., in Luc. 1, 8: *Coram Deo mundi soli sacerdotio funguntur,* ab impuris autem avertit Deus faciem suam.

[2] Vers. 40. [3] Vers. 24.

[4] Vers. 4. — Quatuor seqq. loci sunt II. Paralip. 26, 19; Num. 16, 35; Sap. 3, 14. et Lev. 16, 12. seq. — Beda, in Luc. 1, 9: « Non nova nunc sorte lectus est, cum incensum esset adolendum, sed prisca tunc sorte praeelectus, cum primo ex ordine sui pontificatus in vicem Abia succederet ». Zachariam fuisse summum pontificem, docent etiam Ambros. et Theophylact., in hunc loc., nec non August., in Ioan. Evang. tr. 49. n. 27; alii econtra volunt, ipsum fuisse sacerdotem communem, ideoque hic dici *sorte exiit;* summus enim pontifex erat extra, immo supra omnem sortem, ac quandocumque volebat ministrabat templo. Cfr. Lyranus, in hunc loc.

[5] Vers. 14. — Sequuntur Luc. 18, 13; II. Machab. 1, 23. et Hebr. 5, 7. — Superius voci *assistere* Vat. praefigit *offerenti.*

[6] Vers. 2. et 3. — Subinde allegantur Prov. 3, 16; Ps. 109, 1. et Luc. 1, 19. — Ambros., l. in Luc. n. 28: *Apparuit autem a dextris altaris incensi,* quia divinae insigne misericordiae deferebat; *Dominus* enim *a dextris est mihi, ne commovear* [Ps. 15, 8.], et alibi [Ps. 120, 5.]: *Dominus protectio tua super manum dextrae tuae.* Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat Angelus, immo praebeat se videndum etc. Cfr. Beda, in hunc loc.

[7] Vers. 16. seq. — Sequitur Iudic. 13, 18.

[8] Vers. 7. seq.

[9] Libr. I. in Luc. n. 28: « Perturbamur enim et a nostro alienamur affectu, quando praestringimur alicuius superioris potestatis occursu ». Pro *sensu* etiam II *affectu,* et pro *praestringimur* II *perstringimur,* alii codd. *constringimur.* — Superius pro *Adhuc,* quod, teste Forcellini, sumitur interdum pro *praeterea,* Vat. *Ad haec.*

**Denuntiatio conceptus tripliciter descripta.**

19. (Vers. 13.). *Ait autem ad illum Angelus.* Tangitur hic tertio *denuntiatio conceptus futuri*, ut *confortativa* irascibilis, ut *instructiva* rationalis et ut *consolativa* concupiscibilis[1]. — Ostenditur *confortativa* in hoc quod dicit: *Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua.* Si Deus exaudit homines, tunc sperandum est in ipso, et ideo confitendum, non formidandum; Genesis decimo quinto[2]: « Noli timere, Abram; ego protector tuus sum ». Et quod omnino sit exaudita, signum est missio nuntii; Tobiae tertio: « In illo tempore exauditae sunt preces amborum. Et missus est Angelus Raphael » etc. Simile dixit Angelus Danieli decimo: « Noli metuere, Daniel, quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua ».

**Ut confortativa.**

20. Describitur *instructiva*, unde praenuntiat *prolem* et praedicit *nomen. Et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen eius Ioannem; pariet*, inquam, *tibi*, quia de te et ad tuam consolationem, iuxta quod promissum est Abrahae Genesis decimo quinto[3]: « Qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis heredem ». Et subiungit *nomen* ipsius, secundum illud Isaiae quadragesimo nono, quod dicitur in persona ipsius Ioannis: « Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meae recordatus est nominis mei ».

**Ut instructiva.**

21. (Vers. 14.). Describitur postremo ut *consolativa* in hoc quod dicitur: *Et erit tibi gaudium et exsultatio;* Proverbiorum vigesimo tertio[4]: « Exsultat gaudio pater iusti », id est Zacharias, pater Ioannis; et « qui sapientem genuit filium laetabitur in eo », quia Proverbiorum decimo: « Filius sapiens laetificat patrem ». — Nec erit illud gaudium singulare, sed *commune.* Et propterea dicit: *Multi in nativitate eius gaudebunt;* Proverbiorum vigesimo nono: « In multitudine iustorum laetabitur vulgus »; Ieremiae trigesimo tertio: « Erit mihi in nomen et in gaudium et in laudem et in exsultationem cunctis gentibus terrae ». Ambrosius[5]: « Habet Sanctorum editio laetitiam plurimorum, quia commune bonum est. Iustitia enim communis est virtus ». « Exsultate ergo iusti in Domino, rectos decet collaudatio ».

**Ut consolativa.**

**Divisio membri 2.**

22. (Vers. 15.). *Erit enim magnus coram Domino.* Supra notificata est denuntiatio angelica quantum ad circumstantias adiacentes ex parte sui; hic notificatur quantum ad circumstantias[6] ex parte *promissi.* Commendatur enim filius nasciturus in tribus, scilicet in *vita, gratia* et *doctrina.* Et primum respicit *actum,* secundum respicit *affectum,* tertium respicit *intellectum;* primum, ibi: *Erit magnus coram Domino;* secundum, ibi[7]: *Et Spiritu sancto replebitur;* tertium, ibi: *Et multos filiorum Israel* etc.

**Triplex praerogativa.**

**In vita commendatur dupliciter.**

23. Nasciturum igitur filium, quem patris dixit esse gaudium, primo commendat in *vita* quantum ad *existentiam virtutis* et quantum ad *evidentiam sanctitatis.* — *Existentiam virtutis* tangit, cum dicit: *Erit magnus coram Domino,* sicut Iob primo[8]: « Erat vir ille magnus inter omnes Orientales », non inter peccatores, qui sunt magni in conspectu hominum, sed inter iustos, ita ut in eius ortu possit dici illud infra septimo: « Propheta magnus surrexit in nobis » etc. Vere *magnus Propheta,* quia secundum laudem Salvatoris, Matthaei undecimo, ipse Propheta, « et plus quam Propheta », et adeo magnus, ut dicat ibidem Salvator: « Inter natos mulierum » etc.

**De primo.**

**De secundo.**

24. *Evidentiam sanctitatis* tangit in hoc quod dicit: *Et vinum et siceram non bibet;* in quo designatur vitae austeritas, quae signum est sanctitatis interioris, secundum illud ad Galatas quinto[9]: « Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt » etc. Per ista autem duo excludit omnem potum, qui potest inebriare. « Decet enim vas caelesti gratiae mancipatum a saeculi illecebris abstinere »; unde dicitur Aaron et filiis eius Levitici decimo: « Vinum et omne, quod inebriare potest, non bibetis, quando intrabitis tabernaculum testimonii, ne moriamini ». Hoc etiam prohibebatur Nazaraeis a tempore consecrationis suae, Numerorum sexto. Magnum erat hoc in beato Ioanne, ut cum multa innocentia esset tanta abstinentia.

**Item, in gratia commendatur dupliciter.**

25. Secundo commendatur in *gratia* quantum ad *consummationem* et *accelerationem.* Propter *consummationem* dicit: *Spiritu sancto replebitur,* ut de ipso possit dici illud Ecclesiastici decimo quinto[10]:

---

[1] De hac virium animae divisione cfr. tom. II. pag. 560, nota 12. et tom. III. pag. 579, notae 6-9.

[2] Vers. 1. — Duo seqq. loci sunt Tob. 3, 24. seq. et Dan. 10, 12. — Beda, in Luc. 1, 12. seq.: Trementem Zachariam confortat Angelus, quia, sicut humanae fragilitatis est spiritualis creaturae visione turbari, ita et angelicae benignitatis est, paventes de aspectu suo mortales mox blandiendo solari. At contra daemonicae est ferocitatis etc.

[3] Vers. 4. — Sequitur Isai. 49, 1.

[4] Vers. 24. — Tres seqq. loci sunt Prov. 10, 1; 29, 2. et Ier. 33, 9.

[5] Libr. II. in Luc. (1, 57.) n. 30. — Sequitur Ps. 32, 1.

[6] Supplevimus ex A C D *adiacentes ex parte sui; hic notificatur quantum ad circumstantias.* — Inferius pro *affectum* Vat. *officium.*

[7] Eodem v. 15; tertium est v. 16.

[8] Vers. 3. — Subinde allegantur Luc. 7, 16; Matth. 11, 9. et 11. — Superius pro *existentiam virtutis,* quod in A secunda manus posuit, alii codd. et edd. *existentiam veritatis.* B. Albert., Postilla super Luc. 1, 15: Hic tangit, qualis futurus erat in vita et ad Deum. Et tangit tria: qualis sit futurus quantitate virtutis, qualis austeritate victus et conversationis, et qualis in mente et in miraculis. De primo autem dicit duo: quantitatem scilicet virtutis et sinceritatem veritatis. De primo dicit: *Erit enim magnus,* non quantitate molis, sed quantitate virtutis... Sic ergo erat magnus sincera et vera magnitudine virtutis, quae est, quando sic est *coram Domino* etc.

[9] Vers. 24. — Sequuntur verba Bedae, l. in Luc. 1, 15: Decet etc.; Lev. 10, 9. et Num. 6, 2. seq.

[10] Vers. 5. — Duo seqq. loci sunt Sap. 1, 7. et Eph. 3, 19. — Auctor libri de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 27: Animam tamen hominis, id est mentem, nulla creatura iuxta substantiam implere potest, nisi sola Trinitas. Cfr. tom. II. pag. 226, nota 5.

De primo. « Et implebit eum Spiritu sapientiae et intellectus » etc. Solus enim Spiritus sanctus replet animae capacitatem, secundum illud Sapientiae primo: « Spiritus Domini replevit orbem terrarum ». Et hoc est, quod orabat Apostolus, ad Ephesios tertio: « Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei ».

26. Propter *accelerationem* dicit: *Adhuc ex utero* De secundo. *matris suae.* In cuius rei testimonium dicitur infra eodem[1]: « Exsultavit in gaudio infans in utero meo ». Unde Ambrosius: « Nondum erat in eo spiritus vitae, et iam erat spiritus gratiae »; non, inquam, erat secundum apparentiam, erat tamen spiritus vitalis secundum existentiam. Simile praecessit in Ieremia, primo: « Priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam exires de vulva, sanctificavi te ».

27. (Vers. 16.). Tertio commendat eum in *doctrina* quantum ad *efficaciam utilitatis* et quantum ad *eminentiam auctoritatis.* Propter *utilitatis efficaciam* dicit: *Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum.* Et hoc est maxima utilitas; Iacobi ultimo[2]: « Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam eius a morte et operiet multitudinem peccatorum ». Hoc est quod maxime Dominus petit, ut ad se convertantur; Zachariae primo: « Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et ego convertar ad vos, dicit Dominus exercituum ». Convertimini ad me, per poenitentiam scilicet, et ego convertar ad vos, per indulgentiam; Ieremiae tertio: « Convertimini, filii revertentes, et sanabo aversiones vestras ».

Item, in doctrina commendatur dupliciter. De primo.

28. (Vers. 17.). Propter *excellentiam auctoritatis* subdit: *Et praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae.* Spiritus et virtus Eliae describitur Ecclesiastici quadragesimo octavo[3]: « Surrexit Elias quasi ignis, et verbum ipsius sicut facula ardebat »; et de Ioanne dicitur Ioannis quinto: « Ille erat lucerna ardens et lucens »: et ideo propter nimiam conformitatem dicitur Elias; Matthaei undecimo: « Et si vultis recipere, ipse est Elias »; et etiam decimo septimo: « Elias iam venit » etc. Et subditur *exsecutio auctoritatis* in hoc quod dicitur: *Ut convertat corda patrum in filios,* id est intelligentiam Patriarcharum in imitatores ipsorum. Beda[4]: « Corda patrum in filios convertit, dum spiritualem Sanctorum intelligentiam populis praedicando infundit ». Hoc praedictum erat de Elia Malachiae ultimo: « Ecce, mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et convertet cor patrum in filios, et cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam et percutiam terram anathemate ». Et ut per omnia ostendatur conformis Eliae, subdit: *Et incredulos ad prudentiam iustorum,* id est ad fidem, quae est ipsorum prudentia, per quam credunt se iustificari; ad Romanos tertio[5]: « Arbitramur, hominem iustificari per fidem sine operibus Legis »; unde Habacuc secundo: « Qui incredulus est non erit recta anima eius in semetipso, iustus autem in fide sua vivet ». — Et quia haec conversio praeparabat ad Christi adventum suscipiendum, ideo addit: *Parare Domino plebem perfectam.* Sic enim de ipso fuerat praedictum Isaiae quadragesimo[6]: « Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri ». Quando semita recta est, tunc facit perfectum; Proverbiorum quarto: « Iustorum autem semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem »; Ioannes autem quasi lucerna lucebat et manuducebat populum ad videndam lucem veram et perfectam. Auctoritas igitur Ioannis et officium erat praecurrere et praenuntiare Christum; unde de ipso intelligitur illud Malachiae tertio[7]: « Ecce, ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam ». Unde praedicatio eius praefignrata fuit in praedicatione Moysi Exodi decimo nono: « Estote parati in diem tertium », ut accipiamus *diem* pro *anno,* quia tertio anno post praedicationem Ioannis Christus aperte praedicavit. Sic exorsus est Samuel primi Regum septimo: « Praeparate corda vestra Domino » etc.; sic et omnis praedicator; unde Beda: « Qui fidem et opera praedicat, quid aliud quam venienti Domino ad corda audientium viam parat »?

De secundo. Figura huius.

**Tertio describitur promissionis confirmatio quadrupliciter.**

29. *Et dixit Zacharias* etc. Descripsit superius Evangelista conceptionem praecursoris quantum ad parentum conditionem et angelicam promissionem; hic describit quantum ad *promissionis confirmationem,* quam describit hoc ordine. Primo enim introducitur *dubietas sacerdotis;* secundo, *auctoritas nuntii,* ibi[8]: *Et respondens Angelus;* tertio, *signum auctoritatis,* ibi: *Et ecce, eris tacens;* quarto, *evidentia signi,* ibi: *Et erat plebs exspectans.*

30. (Vers. 18.). Introducit ergo *dubitationem sacerdotis,* cum dicit: *Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam?* id est, quo signo certificabor? primae ad Corinthios primo[9]: « Iudaei signa quaerunt ». — Unde nota, quod quidam signa quae-

Primo, de dubitatione sacerdotis. Quidam signa bene quaerunt.

[1] Vers. 41. — Ambros., l. in Luc. n. 33: Nondum enim erat illi spiritus vitae, sed spiritus gratiae. Cfr. tom. III. pag. 62, nota 7. et pag. 293, nota 5. Subinde allegatur Ier. 1, 5.

[2] Vers. 20. — Sequuntur Zach. 1, 3. et Ier. 3, 22. — Superius pro *maxima utilitas* Vat. *maximae utilitatis.*

[3] Vers. 1. — Tres seqq. loci sunt Ioan. 5, 35; Matth. 11, 14. et 17, 12, quem edd. omittunt.

[4] In Luc. 1, 17. Ipsius verba allegantur secundum Glossam *ordinariam.* — Sequitur Malach. 4, 5. seq.

[5] Vers. 28, cui subiungitur Habac. 2, 4.

[6] Vers. 3. — Sequitur Prov. 4, 18.

[7] Vers. 1. — Subinde allegantur Exod. 19, 15; I. Reg. 7, 3, et verba Bedae, l. in Luc. 3, 4: Omnis, qui fidem rectam et bona opera praedicat etc.

[8] Vers. 19; tertium et quartum habentur v. 20. et 21.

[9] Vers. 22: Iudaei signa petunt, et Graeci sapientiam quaerunt. — Duo seqq. loci sunt Gen. 15, 8. et Isai. 7, 11.

runt propter *publicationem divini promissi,* sicut Abraham; Genesis decimo quinto: « Domine Deus, unde scire possum, quod possessurus sim terram »?

Quidam ea recusant.

— Quidam recusant propter *obstinationem delicti proprii,* sicut Achaz; Isaiae septimo: « Pete tibi signum a Domino Deo tuo ». 

Quidam ea male quaerunt.

— Quidam vero requirunt propter *haesitationem animi,* sicut Zacharias; unde subiungit rationem dubitandi: *Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis;* et ita impotestas est ex parte utriusque parentis, et ita iam non est tempus generandi, sed potius, secundum illud Ecclesiastae tertio [1], « tempus est longe fieri ab amplexibus »; et ideo dubitabat et haesitabat. At non sic Abraham, de quo ad Romanos quarto: « Non est infirmatus in fide neque consideravit corpus suum emortuum, cum fere centum annorum esset, et emortuam vulvam Sarae. In repromissione etiam Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia, quaecumque promisit, Deus potens est et facere ». Unde Abraham credidit, quia consideravit divinam potentiam; sed Zacharias haesitavit, quia consideravit humanam impotentiam [2]. In quo instruimur, quod in miraculis aspiciendum est ad causas superiores.

Secundo, de auctoritate nuntii quoad duo. Primo.

31. (Vers. 19.). *Et respondens Angelus* etc. Hic notatur *nuntii auctoritas* quantum ad virtutem *contemplativam* et quantum ad *administrativam.* Quantum ad *contemplativam* dicit: *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum;* Danielis septimo [3]: « Decies millies centena millia assistebant ei »; et inter hos erat Gabriel. Et ideo tertii Regum decimo dixit regina Saba in figura Salomoni: « Beati viri tui, et beati servi tui hi, qui stant coram te et audiunt sapientiam tuam ». Hoc vidit Michaeas, tertii Regum ultimo: « Vidi, inquit, Dominum sedentem super solium suum et omnem exercitum caeli assistentem ei a dextris et a sinistris ». Notatur ergo dignitas in assistendo, et notatur etiam in hoc auctoritas in denuntiando.

Secundo.

— Quantum ad *ministerium missionis* dicit: *Et missus sum loqui ad te et haec tibi evangelizare.* Unde de numero illorum erat; de quibus ad Hebraeos primo [4]: « Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi » etc.; *missus,* inquam, et *loqui* et *evangelizare.* In *loquela* enim est intelligenda expressio veritatis; Danielis nono: « Ecce, vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini et docuit me et locutus est mihi ». In *evangelizatione* vero intelligenda est denuntiatio bonitatis. *Evangelium* enim est bona nuntiatio; Zachariae primo [5]: « Et respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria ». Unde debebat ei dicere illud tertii Regum primo: « Ingredere, quia vir fortis es et bona annuntians ». *Gabriel* enim fortitudo Dei interpretatur, et ideo missus fuit confortare pavidum sacerdotem.

Tertio de auctoritatis signo.

32. (Vers. 20.). *Et ecce, eris tacens* etc. Hic tangitur *signum auctoritatis,* et dat signum poenalitatis propter vitium incredulitatis.

De ipso signo.

Praemittit ergo *taciturnitatis signum* usque ad tempus statutum, *usque in diem, quo haec fiant;* ut sic posset dicere illud Psalmi [6]: « Ego autem tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens » etc.

Notandum.

Nec mirum, si mutus factus est propter incredulitatem propriam, cum Ezechielem mutum fecerit incredulitas aliena; Ezechielis tertio: « Eris mutus nec quasi vir obiurgans, quia domus exasperans est ».

De eius ratione.

— Et ideo subdit *rationem* taciturnitatis, vitium scilicet incredulitatis: *Pro eo quod non credidisti verbis meis, quae implebuntur in tempore suo.* Econtra dicitur infra eodem [7] de Maria: « Beata, quae credidisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino ». Ante poenam non credidit, sed post, quia, sicut dicitur Isaiae vigesimo octavo, « tantummodo vexatio intellectum dabit auditui ». Non ergo contemnenda sunt verba nuntiorum Dei, quia Deus incredulos punit; Exodi vigesimo tertio: « Ecce, ego mitto Angelum »; et sequitur: « Observa eum et audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cum peccaveris »; ad Hebraeos secundo: « Si enim qui per Angelos dictus est sermo factus est firmus, et omnis praevaricatio et inobe-

---

[1] Vers. 5. — Sequitur Rom. 4, 19. seqq. — Beda, I. in Luc. 1, 18: Ob altitudinem promissorum haesitans signum, quo credere valeat, inquirit, cui sola Angeli visio vel allocutio pro signo sufficere debuerat.

[2] Fide BCE substituimus *impotentiam* pro *potentiam;* Vat. vocibus *consideravit humanam* interserit *solum.*

[3] Vers. 10. — Subinde allegantur III. Reg. 10, 8. et 22, 19.

[4] Vers. 14. — Sequitur Dan. 9, 21. seq. — Beda, I. in Luc. 1, 19: Ubi notandum, quod Angelus se et ante Deum astare et ad evangelizandum Zachariae missum esse testatur; quia et cum ad nos veniunt Angeli, sic exterius implent ministerium, ut tamen nunquam desint interius per contemplationem. Et mittuntur igitur et assistunt, quia, etsi circumscriptus est angelicus spiritus, summus tamen spiritus ipse, qui Deus est, circumscriptus non est. Angeli itaque et missi ante ipsum sunt, quia, quolibet missi veniunt, intra ipsum currunt. Cfr. tom. VI. pag. 157, nota 4.

[5] Vers. 13. — Subinde allegatur III. Reg. 1, 42. — Hieron., Comment. in Dan. 8, 16. seq.: *Gabriel* enim in linguam nostram vertitur *fortitudo,* vel *robustus Dei.* Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 9. Respiciuntur verba Bernard., Homil. I. super *Missus est,* n. 2, in quibus dicitur, ideo Gabrielem missum fuisse ad B. Mariam Virg., « quia virginem natura pavidam... confortare deberet ». Vide tom. V. pag. 62, notam 1. et pag. 435, notam 1.

[6] Psalm. 37, 14. — Sequitur Ezech. 3, 26. — Theophylact., in Luc. 1, 18: Igitur quia discredis, ego te facio *surdum,* et *loqui non poteris.* Merito autem duo haec passus est... quia enim non obedierat, condemnatur, ut surdus sit, et quia contradixerat, ut sileat. Beda, I. in Luc. 1, 18: Unde meritum diffidentiae tacendo poenam luit, cui taciturnitas eadem et signum fidei, quod quaesivit, et infidelitatis esset poena, quam meruit.

[7] Vers. 45. — Tres. seqq. loci sunt Isai. 28, 19; Exod. 23, 20. seq. et Hebr. 2, 2. seqq. — Beda, I. in Luc. 1, 19. seq.: Datque [Angelus] signum, quod rogatur, ut qui discredendo locutus est iam tacendo credere discat.

dientia accepit iustam mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Quae cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus et Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem ». Et ideo non est locus incredulitatis.

Quarto, de evidentia signi quoad duo. De primo. 33. (Vers. 21.). *Et erat plebs* etc. Hic tangitur quarto *evidentia signi* propter *praesentiam* multitudinis [1] et *absentiam* sermonis. *Praesentiam multitudinis* exspectantis et admirantis tangit dicens: *Et erat plebs exspectans Zachariam, et mirabantur, quod tardaret in templo.* Ad populum enim pertinet *exspectare;* unde Moyses, cum ascenderet in montem, dixit senioribus, Exodi vigesimo quarto [2]: « Exspectate hic, donec revertamur ad vos », quia, secundum quod dicitur Threnorum tertio, « bonum est praestolari cum silentio salutare Dei ». Plebis etiam est *admirari* divina secreta, non perscrutari; Ecclesiastici undecimo dicitur de iusto, et potest exponi de Zacharia: « Oculus Dei respexit illum in bono et erexit illum ab humilitate ipsius, et exaltavit caput, et mirati sunt in illo multi ».

De secundo. 34. (Vers. 22.). Quantum ad *absentiam sermonis* subdit: *Egressus autem non poterat loqui ad illos.* Notandum. Hoc enim solet accidere his qui elevantur in apicem contemplationis; Exodi quarto [3]: « Ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguae sum »; et Danielis decimo: « Domine mi, in visione tua dissolutae sunt compages meae, et nihil in me remansit virium; et quomodo poterit servus Domini mei eloqui cum Domino meo? Nihil enim in me remansit virium, sed et halitus meus intercluditur ». Et ideo ex hoc tanquam ex signo venerunt in notitiam veritatis. — Propter quod sequitur: *Et cognoverunt, quod visionem vidisset in templo,* et ita, quod esset verus Propheta, sicut Samuel, de quo primi Regum tertio [4]: « Cognovit universus Israel a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel Propheta esset Domini ». — Ad perfectam autem signi evidentiam notatur loquendi impossibilitas et diuturnitas, in hoc quod addit: *Et ipse erat innuens illis et permansit mutus.* Ambrosius [5]: « Sine voce corporales actus moliens nec exprimens voluntatem », permansit mutus, in signum, quod in adventu Christi silentium debebat imponi sacerdotio legali; Notandum. Matthaei undecimo: « Lex et Prophetae usque ad Ioannem prophetaverunt ». Ideo dicit Chrysostomus de Ioanne, quod est « Apostolorum vox, silentium Prophetarum ».

**Quarto describitur promissionis impletio quadrupliciter.**

35. *Et factum est, ut impleti sunt* etc. Descripsit supra praecursoris conceptionem quantum ad parentum conditionem, angelicam denuntiationem et denuntiationis confirmationem; hic postremo describit quantum ad *denuntiationis consummationem* sive impletionem. Circa quod quatuor nobis breviter explicantur, scilicet *mutua cohabitatio, fecunda conceptio, verecunda occultatio* et *laetabunda exsultatio.* Primum respicit legem coniugii; secundum, virtutem miraculi; tertium, recordationem praecedentis opprobrii; quartum, recognitionem praesentis beneficii.

36. (Vers. 23.). Insinuatur ergo primo *mutua cohabitatio,* cum dicit: *Et factum est, ut impleti sunt dies officii eius, abiit in domum suam,* scilicet ad cohabitandum et reddendum debitum uxori; Primo, de mutua cohabitatione. unde Chrysostomus [6] dicit, quod eadem nocte filium genuit; hoc autem fecit coniugii lege; primae ad Corinthios septimo: « Nolite fraudare invicem nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in id ipsum ». Et ideo, quamdiu Zacharias dies officii implebat, ad uxorem non accedebat; Exodi decimo nono: « Sacerdotes, qui acce-

---

[1] Vat. *per praesentiam multitudinis exspectantis;* eadem ed. superius pro *quarto* perperam substituit *quarta,* et inferius *Primam* pro *Praesentiam... admirantis.*

[2] Vers. 14. — Subinde allegantur Thren. 3, 26. et Eccli. 11, 13. — Theophylact., in Luc. 1, 21: Vides, quomodo Iudaei exspectabant et permanebant, donec exiret summus sacerdos? At nos Christiani, nisi mox, ut ingressi fuerimus in templum, statim egrediamur, existimamus male nobiscum agi.

[3] Vers. 10. — Sequitur Dan. 10, 16. seq.

[4] Vers. 20.

[5] Libr. I. in Luc. n. 41: « *Remansit* ergo *mutus* Zacharias *et erat innuens illis.* Quid est nutus, nisi quidam sine verbo corporalis actus, indicare moliens, nec exprimens voluntatem » etc. Locum hunc Glossa *ordinaria* exhibet, ut nostri codd., addens tamen *indicare* post *actus.* Quae adduntur: *in signum* etc., insinuantur ab Origene, Homil. 5. in Lucam, et etiam ab Ambrosio, loc. cit. n. 40-42. Euthymius Zigabenus (saeculo XII.), in Luc. 1, 22: Significabat autem silentium sacerdotis senis veteris sacerdotii cultusque taciturnitatem. — Sequitur Matth. 11, 13. Verba Chrysostomi in Homil. 16. ex variis in Matthaeum locis (ed. Veneta 1583), in Decollat. Ioan. Bapt. in illud Matth. 14, 3: Herodes tenuit Ioannem etc. — Inferius pro *debebat* A C D *debet.*

[6] Ed. Operum Chrysost., Venetiis 1583, continet diversas homilias in loca quaedam sancti Lucae etc., inter quas primus sermo est de Nativitate sancti Ioannis Baptistae. In ipso dicitur, quod apparitio Angeli etc., facta sit « ante primum annum imperii Tiberii Caesaris, mense Septembri, octavo Calendas Octobris [24 Sept.], incipiente luna undecima... et inventum est ipsa die octava calendarum Octobrium esse aequinoctium, in quo est inchoatio noctis maior quam lucis; *illum* enim *oportet crescere,* inquit [Ioan. 3, 30.], *me autem minui.* Minorata autem fuerat lux a tenebris, cum Iudaei secundum Legem et prophetiam sacrificia Deo offerebant, in qua et Ioannes conceptus est » etc. (Cfr. Beda, l. in Luc. 1, 24, qui haec sub nomine Chrysostomi affert, et Glossa *ordinaria*). Haec verba Card. Hugo, in Luc. 1, 25. sic explicat: « Ex hoc elicitur, quod decima dies Septembris fuit ultima dies administrationis Zachariae, qua completa, in ipsa vespera decimae diei rediit Zacharias in domum suam, et in ipsa nocte... et ita undecima luna conceptus est Ioannes Baptista in ieiunio scenopegiae ». B. Albert., Postilla in Luc. 1, 23, vero dicit: Nec credo, quod statim abierit; sed de templo abiens et de ministratione ivit celebrare festum tabernaculorum, quod ultimis septem diebus Septembris celebrabatur etc. — Subinde allegantur I. Cor. 7, 5; Exod. 19, 22. et II. Reg. 6, 7. seq. (de quo vide tom. IV. pag. 210, notam 1.)

dunt ad me, sanctificentur, ne percutiam eos »; et ex hac causa dicunt Hebraei Ozam percussum, secundi Regum sexto, quia nocte uxorem cognoverat, quando tetigit arcam. Non enim licebat ab amplexu Liae ad Rachelem immediate transire, sicut Genesis vigesimo nono [1] dicitur ad Iacob: « Imple hebdomadam dierum huius copulae ».

Secundo, de fecunda conceptione.

37. (Vers. 24.). Secundo insinuatur *fecunda conceptio,* cum dicit: *Post hos autem dies concepit Elisabeth;* sicut dicitur primi Regum primo [2]: « Post circulum dierum concepit Anna ». *Post dies,* officii; in quo ostenditur, quod carnalia postponenda sunt spiritualibus; et ideo infra decimo: « Maria optimam partem elegit ».

Tertio, de verecunda occultatione.

38. Tertio describitur *verecunda occultatio,* cum dicitur: *Et occultabat se mensibus quinque.* Hoc enim erat signum humilitatis et pudicitiae; non sicut Agar ancilla, de qua dicitur Genesis decimo sexto [3], quod « concepisse se videns, despexit dominam suam ». Ratio huius bene redditur in Glossa Ambrosii. — Sed *spiritualiter* erudimur, quod sancti propositi conceptio est in principio occultanda, sicut dicitur Matthaei decimo tertio [4]: « Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro »; ubi Gregorius: « Inventus thesaurus absconditur, ut servetur, quia studium caelestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humana laude non abscondit ».

Expositio spiritualis.

Quarto, de laetabunda exsultatione.

39. (Vers. 25.). Quarto tangitur *laetabunda exsultatio* in recognitionem beneficii, ibi: *Dicens, quia sic fecit mihi Dominus.* Simile Genesis vigesimo primo [5]: « Risum fecit mihi Dominus; quicumque audierit, corridebit mihi ». — *In diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines,* opprobrium scilicet sterilitatis; Genesis trigesimo [6]: « Concepit Rachel et peperit, dicens: Abstulit Deus opprobrium meum ». Hoc erat opprobrium inter homines, propter illud Deuteronomii septimo: « Non erit sterilis apud te utriusque sexus ». Unde dicitur primi Regum primo, quod « aemula Annae affligebat eam in tantum, ut exprobraret, quod conclusisset Dominus vulvam eius ». Et propter hoc gaudebat, secundum illud Psalmi: « Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum laetantem ».

**Tria dicuntur etiam de conceptu Salvatoris.**

40. *In mense autem sexto* etc. Egit auctor supra de conceptione praecursoris, quae fuit in fecundatione sterilis; in hac parte agit de conceptione *Salvatoris,* quae fuit in fecundatione Virginis. Haec autem fecundatio est facta, *Deo efficiente, Angelo nuntiante* et *Virgine consentiente,* ut reparatio lapsui responderet, sicut dicit Bernardus [7]: « Placuit Deo eodem modo et ordine sibi reconciliare hominem, quo noverat cecidisse ». Ideo pars ista habet tres partes; in prima insinuatur *destinatio nuntii* a Deo; in secunda, *exsecutio ministerii* ab Angelo, ibi [8]: *Et ingressus Angelus ad eam;* in tertia, *assecutio propositi,* mediante consensu virgineo, ibi: *Dixit autem Maria* ad Angelum: *Ecce ancilla* etc.

**Primo describitur destinatio nuntii quoad quatuor.**

*Destinatio* autem *nuntii* describitur debito modo facta ex parte *temporis, legati, loci* et *personae,* ad quam mittitur nuntius Dei.

Congruentia temporis.

41. (Vers. 26.). Congruentiam *temporis* insinuat, cum dicit: *In mense autem sexto,* scilicet a conceptione Ioannis, qui fuit Martius [9], in quo mense homo et mundus fuerat conditus, in quo etiam per Christi incarnationem erat renovandus, ut sic reparatio responderet primae conditioni, ut impleri videatur illud Isaiae sexagesimo sexto: « Sicut caeli novi et terra nova, quae ego facio stare coram me, dicit Dominus; sic stabit semen vestrum et nomen vestrum. Et erit mensis ex mense, et Sabbatum ex Sabbato ». Nec etiam senarius numerus vacat a mysterio; quia enim perfectus est, ideo homo, inter cetera opera Dei perfectus, sexta die est conditus [10]. Ideo et Christus venit sexta aetate et sexto millenario annorum et sexto mense conceptus et sexta feria

[1] Vers. 27. Codd. legunt: *sicut Gen. 29: Impleat septem dies.* — Per Liam significatur vita activa, per Rachelem autem vita contemplativa; cfr. tom. V. pag. 114, nota 3.

[2] Vers. 20. — Sequitur Luc. 10, 42.

[3] Vers. 4. — In Glossa Ambrosii (ex l. in Luc. n. 43.) verecundia seu pudor affertur tanquam causa occultationis Elisabeth.

[4] Vers. 44. — Verba Gregorii habentur l. Homil. in Evang. homil. 11. n. 1.

[5] Vers. 6.

[6] Vers. 23. — Tres seqq. loci sunt Deut. 7, 14; I. Reg. 1, 6. et Ps. 112, 9.

[7] Homil. super *Missus est,* homil. 2. n. 13: « Placuit ei tamen eo potius et modo et ordine hominem sibi reconciliare, quo noverat cecidisse ». Non pauci codd. omittunt *hominem.* — Superius pro *Deo efficiente* Vat. *Deo destinante.*

[8] Vers. 28; tertia pars est v. 38.

[9] Cfr. supra pag. 19, nota 6. — Inferius allegatur Isai. 66, 22. seq. — In libello *de Argumentis lunae,* quod habetur inter opera Bedae, dicitur: « In illo mense [Martio] factus est mundus, et ille mensis fuit principium anni apud antiquos Romanos in tempore Romuli ». Cfr. Glossa *ordinaria* in Gen. 1, 11. (ex Beda, l. Hexaëm.): « Patet in his verbis, quod *verno* tempore mundus perfectus est » etc. Ibid. Lyranus observat, apud Hebraeos duplicem hac de re esse opinionem, scil. mundum factum esse vel in mense *Martio,* vel in mense *Septembri.* — August., IV. de Trin. c. 5. n. 9: Octavo enim Calendas Aprilis [25 Martii] conceptus creditur [Christus], quo et passus.

[10] Cfr. Gen. 1, 26. seqq. — Subinde allegatur Gal. 4, 4. — De perfectione numeri senarii vide I. Sent. d. 2. q. 4. scholion. Quod Christus *sexta* aetate venit, docet August., 83 Qq. 64. n. 2. Glossa *ordinaria* (ex exposit. in Evang. Luc. inter opera Hieron.) in Luc. 1, 26: Sicut *sexto mense missus est Gabriel Angelus a Deo in civitatem Galilaeae,* ita sexto millenario missus est Christus. De die et hora *crucifixionis* cfr. Comment. in Ioan. 19, 14. n. 15. et 25. — Pro *millenario* Vat. *numero.*

passus et sexta hora in cruce suspensus, ut sic significetur advenire in *plenitudine temporum* et perfectione, qui conceptus est sexto mense; ad Galatas quarto: « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum » etc.

Congruentia legati.

42. Congruentiam *legati* notat, cum dicit: *Missus est Angelus Gabriel a Deo,* ut sic respondeat reparatio lapsui, et, quemadmodum homo lapsus est per suggestionem angeli mali, sic resurgat per ministerium boni; Proverbiorum decimo tertio [1]: « Nuntius impii corruet in malum; legatus fidelis, sanitas »; respondeat etiam impletio promissioni, ut, sicut per Gabrielem mysterium illud praedictum fuit Danieli, sic apertum fuit Virgini; Danielis nono: « Ecce, vir Gabriel, quem videram in visione, a principio, cito volans, tetigit me in tempore sacrificii vespertini et docuit me »; et post: « Septuaginta hebdomadae abbreviatae sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum ». Et nota, quod *missus* dicitur *a Deo*. Bernardus [2]: « Ab ipso Deo mitti perhibetur »; in quo notatur, quod « nulli beatorum spirituum suum ante quam Virgini revelasse putetur consilium, excepto dumtaxat Archangelo Gabriele »; et quia a Deo erat, denuntiationi divini mysterii congruebat.

Congruentia loci.

43. Congruentiam *loci* notat in hoc quod ait: *In civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth,* iuxta quod praedixerat Dominus per Isaiam, nono [3]: « Aggravata est via maris trans Iordanem Galilaeae gentium, populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam ». In hoc ergo, quod in civitatem *Galilaeae* missus est, quae erat confinium Iudaeorum et gentium, significatur, quod illum venit annuntiare, qui promissus fuerat Abrahae Genesis vigesimo secundo [4]: « In semine tuo benedicentur universae cognationes terrae »; et illud Iacob, Genesis penultimo: « Ipse erit exspectatio gentium ». In hoc, quod civitas illa *Nazareth* vocatur, quae *flos* interpretatur, significatur, quod illum veniebat praenuntiare, qui est « flos campi et lilium convallium », Canticorum secundo; et Isaiae undecimo: « Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet »; ubi dicit Hieronymus [5], quod secundum Hebraicam veritatem habetur: « Nazareus de radice Iesse ascendet ». Igitur a Nazareth potest aliquid boni esse, immo flos omnis boni. Congruebat enim, florem in flore concipi, in flore nutriri, in florum tempore, id est in vere et Martio, nuntiari. Unde Bernardus [6]: « Florigeram amat patriam flos de radice Iesse ». Et ideo iam poterat decantare: « Flores apparuerunt in terra nostra », Canticorum secundo.

Congruentia personae.

44. (Vers. 27.). Congruentiam *personae* insinuat in hoc quod dicit: *Ad virginem desponsatam;* cuius congruentia ostenditur *pudica,* cum dicit: *Virginem;* primae ad Corinthios septimo [7]: « Mulier innupta et virgo cogitat quae Dei sunt, quomodo sit sancta corpore et spiritu ». Bernardus: « Missus est ad Virginem, virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem, qualem describit Apostolus, mente et corpore sanctam ». — Ostenditur etiam *probata,* cum dicit: *Desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph* etc., ut scilicet « Ioseph, vir iustus », secundum quod dicitur Matthaei primo [8], esset testis castitatis ipsius, secundum illud Proverbiorum ultimo: « Et vir eius laudabit eam ». Bernardus: « *Virum* nominat, non quia maritus, sed quia homo virtutis et iustus erat »; et ideo fuit testis legitimus. Bernardus: « Uno tali consilio secretis caelestibus et admittitur testis, et excluditur hostis, et integra servatur fama Virginis Matris; alioquin, quomodo pepercisset iustus adulterae »? « Quia zelus et furor viri non parcet », Proverbiorum sexto. — Ostenditur etiam *promissa* in hoc quod dicit: *De domo David;* quod refertur ad Virginem et Ioseph, quia uterque de semine David, cui facta erat repromissio in Psalmo [9]: « Iuravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eam; de fructu ventris tui » etc. Bernardus: « Ambo erant de domo et familia David; sed in altera completa est veritas, quam iuravit Dominus David, altero tantum teste et conscio », scilicet ipso Ioseph. — Ostenditur etiam *praenominata* in hoc quod dicit: *Et nomen Virginis Maria. Maria* enim stella maris interpretatur, et sic ostenditur impleta illa prophetia Balaam; Numerorum vigesimo quarto [10]: « Orietur stella ex Iacob, et con-

Ostenditur pudica. Probata. Promissa. Praenominata.

---

[1] Vers. 17. — Sequuntur Dan. 9, 21. seq. et 24. — Superius pro *et, quemadmodum* Vat. *ut quemadmodum*.

[2] Super *Missus est,* homil. 1. n. 2.

[3] Vers. 1. seq.

[4] Vers. 18. — Tres seqq. loci sunt Gen. 49, 10; Cant. 2, 1. et Isai. 11, 1. — Hieron., de Nominibus Hebraicis, Novi testam. de Matthaeo: *Nazareth* flos, aut virgultum eius, vel munditiae, aut separatus, vel custodita.

[5] Epist. 57. (alias 101.) n. 7: Nam in eo loco, ubi nos legimus atque transtulimus: *Exiet virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet* (Isai. 11, 1.), in Hebraeo iuxta linguae illius ἰδίωμα ita scriptum est: Exiet virga de radice Iesse et Nazareus de radice eius crescet. Cfr. IV. Commentar. in Isai. 11, 1. — Subinde respicitur Ioan. 1, 46: Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? Vide Comment. Bonav. in hunc locum (n. 93.), ubi etiam sententia Hieronymi modo allata profertur.

[6] Serm. 3. in Annuntiat. B. Mariae, n. 7. Cfr. sermo 2. de Adventu Domini, n. 3. — Sequitur Cant. 2, 12.

[7] Vers. 34. — Verba Bernardi habentur in homil. 2. super *Missus est*, n. 4.

[8] Vers. 19. — Sequitur Prov. 31, 28. Duo seqq. loci Bernardi inveniuntur homil. 2. super *Missus est,* n. 15. et 13, post quem allegatur Prov. 6, 34.

[9] Psalm. 131, 11. — Verba Bernardi sumta sunt ex homil. 2. super *Missus est*, n. 16, in quorum fine textus originalis habet: *altero tamen* [ita et A] *conscio et teste adimpletae promissionis.*

[10] Vers. 17. — Subinde allegatur Eccli. 50, 6. et Apoc. 22, 16. — Hieron., de Nominibus Hebraicis, Novi testam. de

surget virga de Israel »; Ecclesiastici quinquagesimo: « Quasi stella matutina in medio nebulae »; Apocalypsis ultimo: « Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina ».

45. Ideo ergo nominat Virginem, ut ostendatur, ipsam fuisse praeparatam, non casu inventam. Bernardus [1]: « Non est noviter, aut fortuito inventa, sed a saeculo electa, ab Altissimo praecognita, sibi praeparata, sibi et servata, a Patribus praesignata, a Prophetis promissa ». Quod enim Moysi monstratum est in rubo et igne, Aaron in virga et flore, Gedeoni in vellere et rore, hoc Salomon praevidit in forti muliere et eius pretio, Ieremias praececinit de femina et viro, apertissime declarat Isaias de virgine et domo, Gabriel tandem exhibuit ipsam *Virginem* salutando. — Vel ideo nominat Virginem, ut nos doceat nomen ipsius in necessitatibus invocare; unde Bernardus in Homilia [2]: « O quisquis te intelligis in huius saeculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare quam super terram ambulare; respice stellam, voca Mariam! Si iactaris superbiae undis, si ambitionis, si detractionis, si aemulationis; respice stellam, voca Mariam. Si ira, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis; respice stellam, voca Mariam. Si criminum immanitate turbatus, si conscientiae foeditate confusus, barathro desperationis incipias absorberi; respice ad Mariam ». Unde et dicit: « Ipsa tenente, non corruis; ipsa protegente, non metuis; ipsa duce, non fatigaris; ipsa propitia, pervenis ». — Vel ideo nominat, ut insinuet nomen eius mysterio plenum secundum triplicem interpretationem [3], per quam triplicem statum intelligimus salvandorum: *activos* per mare amarum, *contemplativos* per stellam, *praelatos* per dominium.

**Ratio 1, cur nominetur Maria.** **Ratio 2.** **Ratio 3.**

**Secundo describitur executio ministerii quoad tria.**

46. *Et ingressus Angelus* etc. Postquam descripta est destinatio nuntii, hic describitur *exsecutio ministerii,* quae quidem fuit in denuntiatione conceptus futuri, in qua procedit Angelus, tanquam bonus rhetor, valde ordinate, et Evangelista explicat perfecte. Praemittitur enim primo *salutationis ingressus;* secundo additur *narrationis processus,* ibi [4]: *Et ait ei Angelus: Ne timeas;* subiungitur tertio *conclusionis terminus,* ibi: *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum.* Istae enim sunt partes principaliores orationis rhetoricae, scilicet exordium, narratio et conclusio, secundum Tullium [5].

**Angelus facit tria.** **Tres partes orationis.**

Primo ergo praemittitur *salutationis ingressus,* secundo additur *narrationis processus,* in quo introducitur primo *Angelus salutans,* et deinde *Virgo auscultans,* ibi [6]: *Quae cum audisset* etc. — Introducit ergo Evangelista, Angelum in suo *ingressu* a salutatione sumsisse exordium; in qua salutatione ipsius *captat benevolentiam, erigit confidentiam* et *exhibet reverentiam.* Ostendit enim eam commendabilem a *bonitatis plenitudine,* et ideo amabilem; a *dignitatis altitudine,* et ideo venerabilem; a *laudis amplitudine,* et ideo praedicabilem. Et propter haec tria designata fuit per arcam foederis, de qua dicitur ad Hebraeos nono [7], quod continebat tria, scilicet « virgam Aaron, tabulas Legis et manna »; ut sic ostendatur, quod ipsa erat dulcis et amabilis per manna, venerabilis per virgam, praedicabilis et commendabilis per legem divinam. Et secundum hoc fuit in ipsa triplex excellentia, scilicet *dignitatis, virtutis* et *caritatis;* Ecclesiastici vigesimo quarto: « Ego mater pulcrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei ».

**Divisio.** **Primo in salutationis ingressu Angelus facit tria.** **Maria figuratur per arcam.** **Triplex Virginis excellentia.**

47. (Vers. 28.). Ut ergo ostendat eam *amabilem gratiositate,* dicit: *Ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave, gratia plena.* Et ideo bene per Esther designata est, de qua Esther secundo [8] dicitur, quod erat formosa valde et incredibili pulcritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur. Unde de ipsa potest dici illud Ecclesiastici vigesimo quarto: « In me omnis gratia vitae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis ». Nec mirum, quia illum erat conceptura, de quo dicitur Ioannis primo: « Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis »; et ideo post subditur: « De plenitudine eius nos omnes accepimus ».

**Fuit amabilis bonitatis plenitudine.**

48. Ut autem ostendat *venerabilem ex dignitate,* addit: *Dominus tecum;* discretive dictum est, quia excellenti et singulari modo, tanquam in proprio tabernaculo; Ecclesiastici vigesimo quarto [9]: « Qui creavit me requievit in tabernaculo meo »; Psalmus: « Dominus in templo sancto suo », hoc est in Vir-

**Venerabilis dignitatis altitudine.**

Matthaeo: Mariam plerique aestimant interpretari: illuminant me isti, vel illuminatrix, vel smyrna [myrrha] maris; sed mihi nequaquam videtur. Melius autem est, ut dicamus, sonare eam *stellam maris,* sive *amarum mare;* sciendumque, quod Maria sermone Syro *domina* nuncupetur. Cfr. Bernard., homil. 2. super *Missus est,* n. 17.

[1] Homil. 2. super *Missus est,* n. 4; ibid. etiam n. 5-11. insinuantur quae sequuntur. — Subinde respiciuntur Exod. 3, 2; Num. 17, 8; Iudic. 6, 37. seq.; Prov. 31, 10. seqq.; Ier. 31, 22. et Isai. 7, 14.

[2] Homil. 2. super *Missus est,* n. 17. S. Doctor plura, quae textus originalis habet, omittit. Pro *Si ira* G cum textu originali *Si iracundia.* Ibid. etiam habentur verba, quae subinde allegantur.

[3] Cfr. supra pag. 21, nota 10. verba Hieron.

[4] Vers. 30; sequitur v. 35: *Et quod nascetur* etc.

[5] Libr. I. Rhetor. (sive de Invent.) c. 14, ubi sex orationis partes nominantur, scil. exordium, narratio, partitio, confirmatio, reprehensio, conclusio. Cfr. in Hexaëm. collat. 4. n. 25.

[6] Vers. 29.

[7] Vers. 4. — Subinde allegatur Eccli. 24, 24.

[8] Vers. 15. — Tres seqq. loci sunt Eccli. 24, 25. (Vulgata: In me gratia omnis viae et veritatis etc.); Ioan. 1, 14. et 16, quem codd. nostri sic exhibent: *De plenitudine eius accipiunt* (D secunda manu: *accipimus) omnes.*

[9] Vers. 12. — Sequuntur Ps. 10, 5. et 45, 5. seq. — Superius pro *Ut autem* codd. *Ut iterum.*

ginis utero; et rursus: « Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus, Deus in medio eius, non commovebitur ». Bernardus [1]: « *Dominus tecum;* illius eris mater, cuius est Deus pater; Filius paternae caritatis erit corona tuae castitatis »; ex quo super omnes sortiris inaestimabilem dignitatem, et propterea *regina* dicitur in Psalmo: « Astitit regina a dextris tuis ».

Praedicabilis a laudis amplitudine. 49. Ut etiam ostendat ipsam *laudabilem ex benedictione,* subiungit: *Benedicta tu in mulieribus,* propter universale remedium; primi Regum vigesimo quinto [2]: « Dixit David ad Abigail: Benedicta tu, quae prohibuisti, ne ulciscerer me manu mea ». *Benedicta,* inquam, *in mulieribus,* id est *inter mulieres;* Iudicum quinto: « Benedicta inter mulieres Iahel, benedicatur in tabernaculo ». Vel: benedicta *in mulieribus,* id est super omnes mulieres; Iudith decimo tertio: « Benedicta es, filia, a Domino Deo excelso prae omnibus mulieribus super terram »; et iterum decimo quinto: « Benedixerunt illam omnes una voce dicentes: Tu gloria Ierusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum alterum nescieris; ideo et manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta ». Vel: benedicta *a mulieribus;* Canticorum sexto [3]: « Viderunt eam filiae Sion et beatissimam praedicaverunt, et reginae et concubinae laudaverunt eam ».

Ipsa Virgo auscultans se ostendit tripliciter commendabilem. 50. (Vers. 29.). *Quae cum audisset* etc. Introduxit prius Angelum salutantem, hic introducit *Virginem auscultantem,* in qua auscultatione ostendit, Virginem commendabilem esse tripliciter, in *auditu* scilicet, *affectu* et *cogitatu.* — In *auditu* commendatur *modestia,* cum dicitur: *Quae cum audisset,* in silentio et taciturnitate auscultasset, secundum illud Ecclesiastici trigesimo secundo [4]: « Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia ». Sic prompta fuit ad audiendum, licet non ad loquendum, secundum illud Iacobi primo: « Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum ». Et propterea dicit: *audisset,* id est perfecte audientiam praebuisset; « auris enim bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam », Ecclesiastici tertio.

In auditu est modesta.

In affectu verecunda. 51. In *affectu* commendatur *verecundia,* cum dicitur: *Turbata est in sermone eius,* scilicet ex verecundia. Beda [5]: « Trepidare virginum est et ad omnis viri ingressus pavere, omnis viri aspectus vereri »; Habacuc tertio: « Audivi, et conturbatus est venter meus, a voce contremuerunt labia mea »; ut posset dicere spiritus eius illud Iob vigesimo tertio: « A facie eius turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor ». Exemplum huius Esther, penultimo: « Vidi te, domine, quasi Angelum Dei, et turbatum est cor meum prae timore gloriae tuae ».

In cogitatu prudens. 52. In *cogitatu* laudatur *prudentia,* cum dicitur: *Et cogitabat, qualis esset ista salutatio;* et hoc erat magna prudentia. Continebat enim profunditatem sapientiae, de qua Sapientiae sexto [6]: « Cogitare de illa sensus est consummatus »; unde Danielis quarto: « Daniel, cuius nomen Balthassar, coepit intra semetipsum tacitus cogitare quasi una hora, et cogitationes eius conturbabant eum ». Cogitationes autem Virginis, etsi turbarent propter pudorem innocentiae, non tamen perturbabant propter splendorem intelligentiae. Bernardus [7]: « Turbata est, sed non perturbata; immo secundum illud Psalmi: Turbatus sum et non sum locutus, sed cogitavi dies antiquos » etc.

Secundo, in narrationis processu exhibentur duo. 53. *Et ait Angelus ei* etc. Postquam praemissus est salutationis ingressus, hic secundo loco sequitur *narrationis tractatus* sive processus, in quo primo introducit Evangelista *Angelum narrantem;* secundo, *Virginem interrogantem,* ibi [8]: *Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud* etc.

Primo, Angelus enarrat tria. *Narrans* autem *Angelus,* denuntiat id, propter quod venerat, et hoc quidem facit hoc ordine. Primo exprimit *divinae acceptionis beneplacitum;* secundo, *salutiferae fecundationis beneficium* [9]: *Ecce, concipies;* tertio, *nasciturae prolis fastigium: Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur* etc.

Dei beneplacitum. 54. (Vers. 30.). Exprimens igitur Angelus *divinae acceptionis beneplacitum,* confortat Virginis animum et nominat: *Ne timeas, Maria. Ne timeas,* inquam, sed gaudeas, quia nomen tuum scriptum est in caelo, secundum quod infra dicitur ad Apostolos, decimo [10]: « Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in caelis ». Et rationem reddit: *Invenisti enim gratiam apud Deum,* gratiam scilicet *electionis,* sicut Moyses; Exodi trigesimo tertio: « Invenisti gratiam apud me, et te ipsum novi ex nomine »; sic dicitur Virgini Mariae. Gratiam etiam *perfectionis,* sicut Noe; Genesis sexto: « Noe invenit gratiam coram Deo »; et paulo post: « Noe vir iustus atque perfectus cum Deo ambulavit ». Gratiam *desponsationis,* ut fieret sponsa Dei et mater Filii Dei; Esther secundo [11]: « Habuit Esther gratiam et misericordiam coram Assuero super omnes mulieres,

Triplex gratia.

---

[1] Homil. 3. super *Missus est,* n. 8. — Subinde allegatur Ps. 44, 10.

[2] Vers. 32. et 33. — Tres seqq. loci sunt Iudic. 5, 24. (Vat. hunc omittit) Iudith 13, 23. et 15, 10. seq.

[3] Vers. 8.

[4] Vers. 9. — Sequuntur Iac. 1, 19. et Eccli. 3, 31.

[5] Libr. I. in Luc. 1, 29. Idem dicit Ambros., II. in Luc. n. 8. — Subinde allegantur Habac. 3, 16; Iob 23, 15. et Esther 15, 16.

[6] Vers. 16, post quem Dan. 4, 16.

[7] Homil. 3. super *Missus est,* n. 9: Turbata est, sed non perturbata. *Turbatus sum,* inquit [Ps. 76, 5. et 6.], *et non sum locutus;* sed *cogitavi dies antiquos* etc.

[8] Vers. 34.

[9] Vers. 31; tertium est v. 32.

[10] Vers. 20. — Tres seqq. loci sunt Exod. 33, 12; Gen. 6, 8. et 9.

[11] Vers. 17. — Sequuntur Iac. 4, 6. et Eccli. 3, 20.

et posuit diadema regni in capite eius ». Invenit autem gratiam propter nimiam humilitatem et mansuetudinem; Iacobi quarto: « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam »; et Ecclesiastici tertio: « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam ».

Fecundationis beneficium.

55. (Vers. 31.). Exprimens etiam *salutiferae conceptionis* seu fecundationis *beneficium*, ostendit, ipsum esse proximum, cum dicit: *Ecce, concipies in utero et paries filium;* ut sic impleatur in te illud Isaiae septimo[1]: « Ecce, virgo concipiet et pariet filium ». Et signanter dicit: *Ecce, concipies in utero,* ut ostendat, hoc ipsum esse magnum et mirum et novum, ut concipiat intra, nihil recipiendo ab extra; Ieremiae trigesimo primo: « Novum fecit Dominus super terram: femina circumdabit virum ». Et quia conceptum sine libidine sequitur partus sine parturitione et dolore, ideo addit: *Et paries filium,* secundum illud Isaiae ultimo[2]: « Antequam parturiret, peperit. Quis audivit unquam tale, aut quis vidit huic simile »? Et quia partum sine dolore sequitur fructus uteri cum salute, ideo subdit: *Vocabis nomen eius Iesum;* quia, secundum quod dicitur Actuum quarto[3], « nec aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri ». Huius nominis praefiguratio praecessit in Iesu, filio Nave; Ecclesiastici quadragesimo sexto: « Fortis in bello Iesus Nave, qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei ». Huius etiam praefiguratio praecessit in Ioseph, de quo dicitur Genesis quadragesimo primo, quod « Pharao vertit nomen eius et vocavit eum lingua Aegyptiaca *Salvatorem mundi* ».

Prolis fastigium.

56. (Vers. 32.). Postremo exprimens *nasciturae prolis fastigium,* ostendit ipsum magnum, cum dicit: *Hic erit magnus.* Ostendit autem, magnitudinem eius excellentissimam esse propter *gratiam singularem,* propter *excellentiam regalem,* propter *potentiam aeternalem.* — *Singularem gratiam* tangit, cum dicit: *Et Filius Altissimi vocabitur,* scilicet per gratiam unionis; *Filius,* inquam, unigenitus, secundum illud Ioannis primo[4]: « Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre ». Et ita aequalis erit Altissimo, secundum illud Psalmi: « Tu Dominus altissimus super omnem terram ». Quis est hic nisi Christus Dominus? de quo ad Philippenses secundo: « Dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur » etc. Hoc autem nulli alii dedit, quia in solo Filio Virginis est gratia unionis.

Propter gratiam singularem.

Propter excellentiam regalem.

57. *Regalem excellentiam* insinuat, cum dicit: *Et dabit illi Dominus Deus sedem David, patris eius,* id est regale solium, secundum quod David erat *promissum*[5]: « De fructu ventris tui ponam super sedem tuam »; et secundum quod per Ieremiam Prophetam, Ieremiae vigesimo tertio, promissum fuit: « Ecce, dies veniunt, dicit Dominus. Et suscitabo David germen iustum, et regnabit rex et sapiens erit ». Hoc etiam primo *ostensum* fuit Danieli septimo, de Filio hominis, de quo dicit, quod « antiquus dierum dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi et tribus et linguae servient ei ».

Propter potentiam aeternalem.

58. *Aeternalem potentiam* notat, cum dicit: *Et regnabit in domo Iacob in aeternum,* secundum quod promissum erat David, secundum illud secundi Regum septimo[6]: « Suscitabo semen, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum eius; et stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum». Hoc ipsum ait Daniel septimo: « Potestas eius, potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur ».

Regni huius aeternitas.

59. (Vers. 33.). Ut autem ostendat, quod aeternitas ista est proprie dicta per carentiam finis, addit: *Et regni eius non erit finis;* ut sic impleatur illud Isaiae nono[7]: « Super solium David et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia, amodo et usque in sempiternum ». Et ideo recte dicit Psalmista: « Regnum tuum regnum omnium saeculorum, et dominatio tua in omni generatione et generationem ».

Secundo, Virgo interrogat, in quo tria ostenduntur.

60. (Vers. 34.). *Dixit autem Maria ad Angelum.* Introduxit prius Evangelista Angelum narrantem; subiungit hic prudentissimam *Virginem percunctantem;* in qua percunctatione tria nobis explicantur, scilicet *dubitatio conveniens, ratio movens* et *solutio satisfaciens.* — *Conveniens dubitatio* notatur, cum dicitur: *Quomodo fiet istud?* Cum enim triplex sit concipiendi modus: unus carnalis, alius spiritualis et tertius admirabilis et singularis; quaero, quo istorum modorum fiat? Nicodemus sic quaerebat a Domino, cum audiret, quod oporteret, eum renasci denuo; Ioannis tertio[8]: « Quomodo, inquit, possunt haec fieri »? Et nota, quod non quaerit modum *sciendi* sive signum, quod fidem faciat, sicut Zacharias, qui punitus fuit, supra eodem: « Unde hoc sciam? Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis »; sed quaerit modum *fiendi,* ut consentiat, secundum illud Proverbiorum quarto: « Palpebrae tuae praecedant gressus tuos ».

Dubitatio conveniens.

Notandum.

Ratio movens.

61. *Rationem moventem* tangit, cum dicit: *Quoniam virum non cognosco,* id est, non cognosciturum propono, et ita sum virgo mente et carne et proposito, ut sibi recte competat illud Rebeccae, Ge-

---

[1] Vers. 14. — Subinde allegatur Ier. 31, 22.
[2] Vers. 7. seq.
[3] Vers. 12. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 46, 1. seq. et Gen. 41, 45.
[4] Vers. 14. — Sequuntur Ps. 96, 9. et Phil. 2, 9. seq. Cfr. III. Sent. d. 13. per totam.
[5] Psalm. 131, 11. — Subinde allegantur Ier. 23, 5. et Dan. 7, 14. — Inferius pro *primo ostensum* Vat. *post ostensum.*
[6] Vers. 12. seq., post quem Dan. 7, 14.
[7] Vers. 7. — Sequitur Ps. 144, 13.
[8] Vers. 9. — Duo seqq. loci sunt Luc. 1, 18. et Prov. 4, 25. — Inferius pro *fiendi* Vat. *faciendi.*

nesis vigesimo quarto [1], quod erat « puella decora nimis virgoque pulcherrima et incognita viro ». Et secundum Apostolum, primae ad Corinthios septimo, iam non cogitabat, quae carnis erant, sed « quae Domini sunt, quomodo esset sancta et corpore et spiritu »; et ideo non irrationabiliter quaerebat, quomodo debeat prolem concipere, quae non proponebat virum cognoscere, ut, si posset esse, quod haberet simul virginitatem et fecunditatem, tunc consensum praeberet.

Solutio satisfaciens.

62. (Vers. 35.). Et quoniam dubitatio sua rationem habebat recte moventem; ideo meruit *responsionem satisfacientem,* quae notatur ibi: *Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi;* quasi dicat Angelus: quaeris, quomodo concipies? Ad hoc respondeo, quod fecundaberis sine corruptione, concipies sine libidine, paries sine dolore, quia non ex virili semine, sed ex Spiritus sancti virtute. Ita dictum est Matthaei primo [2]: « Quod in ea natum est de Spiritu sancto est ». Et recte dicit: *Spiritus sanctus superveniet,* id est, desursum veniet; Iacobi primo: « Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum ». Propter hoc dicitur Actuum primo: « Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos »; et ita non erit *corruptio,* quia de Spiritu sancto. Non etiam erit *libido,* quia *virtus Altissimi obumbrabit tibi,* scilicet ne sentias aestum concupiscentiae, secundum illud Canticorum secundo [3]: « Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi ».

Horum triplex figura.

63. Et nota, trium praecedentium triplicem praecessisse figuram: quia *sine virili semine,* in virga Aaron, quae floruit, Numerorum decimo septimo [4]; Isaiae undecimo: « Flos de radice eius ascendet » etc.; quia *sine libidine,* in rubo et igne, Exodi tertio, quia rubus ardebat et non comburebatur; quia *partus sine dolore* designatur in rore et vellere Gedeonis, Iudicum sexto. « Vellus enim, ut dicit Hieronymus [5], cum sit de corpore, nescit tamen corporis passionem »; et ideo in Psalmo: « Descendet sicut pluvia in vellus ».

Tertio, in conclusionis termino Angelus facit tria.

64. *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum* etc. Postquam descriptus est ingressus salutationis et processus narrationis, ponitur hic ultimo *terminus conclusionis;* et conclusio est, quod virgo Maria concipiat, et ex ea nascatur Filius Dei. In hac autem illatione [6] primo praemittit Angelus suam *conclusionem,* et deinde *approbationem,* et postremo utriusque subiungit *rationem.*

Infert conclusionem.

*Conclusionem* infert, cum dicit: *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* Quia enim fecundaris virtute Spiritus sancti, non prolem viri generabis, sed prolem Dei, non peccatorem, sed sanctum; Danielis nono [7]: « Impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum ». Si enim, quemadmodum dicitur Ioannis tertio, « quod natum est ex carne caro est, et quod natum est de spiritu spiritus est »: ergo quod nascitur de Spiritu sancto necessario sequitur esse sanctum. Bernardus [8]: « Si diceret: sancta caro, vel sanctus homo, parum dixisse videretur; posuit ergo indefinite *sanctum*, quia quidquid fuit, quod Virgo genuit, sanctum procul dubio ac singulariter sanctum fuit ». Et quia filii hominum nascuntur polluti, ad Ephesios secundo [9]: « Omnes nascimur natura filii irae »; ideo iam non filius viri, sed *Filius Dei vocabitur;* Isaiae nono: « Et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis » etc. *Vocabitur* ab ipso *Deo;* Marci nono [10]: « Hic est Filius meus carissimus »; et Matthaei decimo septimo: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite ». Vocabitur ab ipsis *credentibus;* Matthaei decimo sexto: « Tu es Christus, Filius Dei vivi »; et ad Romanos primo: « Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute ». Vocabitur ab *omnibus;* Matthaei penultimo dixit centurio: « Vere Filius Dei erat iste ».

Triplex testimonium.

Adiungit approbationem.

65. (Vers. 36.). *Approbationem* autem sive confirmationem adiungit, cum dicit: *Ecce, Elisabeth, cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua.* Si ergo Deus dedit conceptum seni, dare potest et iuveni, licet istud novum, illud iam factum; Genesis vigesimo primo [11]: « Concepit Sara et peperit filium in senectute sua ». — Ut melius constet Virgini, additur: *Et hic mensis est sextus illi quae vocatur sterilis.* Et ita cum manifesta fuerit eius sterilitas, iam est manifesta eius fecunditas. Iam ergo incipiunt signa et mirabilia fieri in terra, secundum illud Ecclesiastici trigesimo sexto [12]: « Innova signa et immuta mirabilia ». Et ideo firmum et certum est, quod et tu, Virgo, iam concipias supra naturam; et hoc est quod dicit Beda in Glossa: « Ne Virgo desperet de partu, accipit exemplum sterilis et anus pariturae, ut discat, omnia Deo esse

---

[1] Vers. 16. — Subinde allegatur I. Cor. 7, 34. — Superius verbo *propono* Vat. praefigit *me.*

[2] Vers. 20. — Sequuntur Iac. 1, 17. et Act. 1, 8.

[3] Vers. 3.

[4] Vers. 5. — Tres seqq. loci sunt Isai. 11, 1; Exod. 3, 2. et Iudic. 6, 37. seq. Cfr. supra n. 45. — Superius post *semine* secunda manus in D addidit *designatur.*

[5] Epist. 9. ad Paulam et Eustochium, de Assumtione B. M. V. (inter opera Hieron.) n. 5: « Hoc quippe est quod David canit: *Descendet sicut pluvia in vellus.* Vellus itaque, cum sit de corpore, nescit corporis passionem; sic et virginitas, cum sit in carne, nescit vitia carnis ». Simile exhibet Bernard., Homil. 2. super *Missus est*, n. 7: Quid illud Gedeonis vellus significat, quod utique de carne tonsum, sed sine vulnere carnis in area ponitur... nisi carnem assumtam de carne Virginis et absque detrimento virginitatis? — Subinde allegatur Ps. 71, 6.

[6] Vat. *conclusione* et subinde *conditionem* pro *conclusionem.*

[7] Vers. 24. — Sequitur Ioan. 3, 6.

[8] Homil. 4. super *Missus est*, n. 5.

[9] Vers. 3. — Sequitur Isai. 9, 6.

[10] Vers. 6. — Quatuor seqq. loci sunt Matth. 17, 5; 16, 16; Rom. 1, 4. et Matth. 27, 54.

[11] Vers. 2.

[12] Vers. 6. — Glossa Bedae est *ordinaria* in Luc. 1, 36.

possibilia, quae ordini naturae videntur esse contraria ». Et ideo Dominus tot sterilium conceptus praemisit, ut istum conceptum figurarent et figurando praenuntiarent et praenuntiando testimonium darent et credibilem facerent.

Notandum.

66. (Vers. 37.). *Rationem* autem huius subiungit, cum dicit: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum;* Ecclesiastae octavo [1]: « Omne, quod voluerit, faciet, et sermo illius potestate plenus est »; Matthaei decimo nono: « Apud Deum omnia possibilia sunt », sicut dictum est Sarae, Genesis decimo octavo: « Nunquid Deo quidquam est difficile »? Bernardus [2]: « Apud Dominum idem est facere quod loqui, et loqui quod velle. Merito ergo noveris, non esse impossibile omne verbum »; et ideo, cum aliquid promittit Deus, sine dubitatione credendum est, quia, cum omnia possit et mentiri non possit, necesse est, ut fiat ita, sicut promittit; Numerorum vigesimo tertio [3]: « Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? Locutus est, et non implebit »? — Et sic ostendit Angelus suam conclusionem necessariam, ut iam Virgo nec dubitare possit nec valeat dissentire.

Subiungit rationem.

**Tertio describitur assecutio propositi quoad tria.**

67. (Vers. 38.). *Dixit autem Maria* etc. Hic ultimo ponitur *assecutio propositi,* quod fuit in consensu Virginis, per quem mox concepit Filium Dei. Hunc autem consensum describit debite et ordinate factum: quia ex *humilitate praedisponente* et *caritate perficiente* et *credulitate pronuntiante.*

Introducitur ergo primo *pronuntiatio ex credulitate,* cum dicitur: *Dixit autem Maria* ad Angelum. Quia enim Angeli dictum credidit esse verum, ideo dat expresse responsum consentaneum; ad Romanos decimo [4]: « Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem »; et in Psalmo: « Credidi, propter quod locutus sum ». *Dixit;* de hoc verbo fidei dicitur ad Romanos decimo: « Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo, hoc est verbum fidei, quod praedicamus ». Quia ergo corde concepit verbum fidei, ventre concepit Filium Dei; infra eodem: « Beata, quae credidisti » etc.; et undecimo: « Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti ».

De primo.

68. Deinde sequitur *praeparatio ex humilitate,* cum dicitur: *Ecce, ancilla Domini.* Simile responsum dedit Abigail, mulier prudens, cum David vellet eam uxorem accipere; primi Regum vigesimo quinto [5]: « Ecce, famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei »; et illa Ruth, quae designat beatam Virginem, Ruth secundo: « Unde hoc mihi, ut invenirem gratiam ante oculos tuos »? quoniam « locutus es ad cor ancillae tuae, quae non sum similis unius puellarum tuarum ». Et quia se virgo Maria humiliavit, se ad gratiam praeparavit. Bernardus [6]: « Humiliter respondetur, ut sedes praeparetur ». Et quia singularis humilitas, ideo et singularis fuit gratia; unde Bernardus: « Non est magnum, esse humilem in abiectione; magna prorsus et rara virtus humilitas honorata »; hoc « est luminare, quod minuitur in consummatione », Ecclesiastici quadragesimo tertio.

De secundo.

69. Postremo subditur *consensus perfectus ex caritate,* cum dicitur: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* « *Fiat,* ut dicit Bernardus [7], est *desiderii signum,* non dubitationis indicium »; etiam est *signum assertionis,* sicut in Psalmo dicitur: « Dicet omnis populus: Fiat, fiat »; et iterum *affectionis,* ut in Psalmo: « Fiat manus tua, ut salvet me » — idem enim est *verbum* et *manus* Patris — et potest esse *orationis verbum,* ut sic sit *desideratorium,* quia ex caritate; *oratorium,* quia ex humilitate; *assertorium,* quia ex credulitate [8]. — Haec est vox dulcissima hominibus, Angelis et ipsi Sponso. Hanc petebat in Canticorum secundo: « Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, et facies tua decora »; quod facit, cum dixit Angelo: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* « Verbum, quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea, secundum verbum tuum [9] ». Unde Bernardus: « Fiat mihi, obsecro, verbum non prolatum, ut transeat, sed conceptum, ut maneat. Fiat verbum non tantum audibile auribus, sed et visibile oculis, palpabile manibus, gesta-

De tertio.

Triplex sensus vocis fiat.

Vox dulcissima.

---

[1] Vers. 3. seq. — Sequuntur Matth. 19, 26. et Gen. 18, 14.

[2] Homil. 4. super *Missus est,* n. 7: Soli Deo quia idem est facere quod loqui, idem loqui quod velle; merito non erit *impossibile apud Deum omne verbum.*

[3] Vers. 19. — Superius A C D omittunt *et mentiri non possit.*

[4] Vers. 10. — Subinde allegantur Ps. 115, 10. (sive 1.); Rom. 10, 8; Luc. 1, 45. et 11, 27.

[5] Vers. 41; post quem sequitur Ruth 2, 10. et 13.

[6] Homil. 4. super *Missus est,* n. 9: Humiliter ergo respondet, ut etc. Edd. et codd. pro *Humiliter* habent *Humilitas.* Ibid. etiam sententia seq. habetur, cui adiungitur Eccli. 43, 7.

[7] Homil. 4. super *Missus est,* n. 11. — Sequuntur Ps. 105, 48. et 118, 173, ubi August. (serm. 32. n. 5.): *Fiat manus tua,* ut *manus* Dei Christus intelligatur. Cfr. Serm. 291. (alias 4. ex Vignerianis) n. 2: Christus enim manus Domini, Filius Dei manus Dei, Verbum Dei manus Dei. Quae est enim manus Dei, nisi per quam *facta sunt omnia* [Ioan. 1, 3.].

[8] Bernard., loc. cit.: Et in hoc quod dicit: *Fiat mihi secundum verbum tuum,* magis intelligenda est affectum exprimere desiderantis, quam effectum requirere more dubitantis. Quamquam nil obstat intelligi, *fiat* esse verbum orantis. Nemo quippe orat, nisi quod credit et sperat. Vult autem a se requiri Deus etiam quod pollicetur. Et ideo forte multa, quae dare disposuit, prius pollicetur, ut ex promissione devotio excitetur, sicque quod gratis daturus erat devota oratio promereatur etc. — Sequitur Cant. 2, 14.

[9] Bernard., Homil. 4. super *Missus est,* n. 11. Respicitur Ioan. 1, 2: Hoc erat in principio apud Deum. — Verba Bernardi, quae sequuntur, habentur loc. cit.

bile humeris », ut verbo virtutis suae me portet [1]. « Porro *multifariam multisque modis olim locutus est Deus Patribus in Prophetis*, et aliis in corde, aliis in aure, aliis in ore, aliis in visu, aliis in manu; mihi, oro, ut fiat iuxta verbum tuum; nec volo, ut fiat mihi aut declamatorie praedicatum, aut figuraliter signatum, aut imaginaliter somniatum, sed silenter inspiratum, personaliter incarnatum, corporaliter invisceratum » « Verbum caro factum » [2]. Et si ita fiet, tunc potero dicere tibi, quod dixit mulier Sarephtana Eliae tertii Regum decimo septimo: « Nunc cognovi, quoniam vir Dei es tu, et verbum Dei verum in ore tuo est ».

70. Et quoniam in tali consensu conceptus est Dei Filius, et propositum suum assecutus est Angelus; ideo sequitur: *Et discessit ab illa Angelus*. Hoc enim ostendebat facto, quod Raphael Tobiae dicebat verbo, Tobiae duodecimo [3]: « Tempus est, ut revertar ad eum qui me misit »; et de Petro dicitur Actuum duodecimo, quod ipso educto de carcere, « continuo discessit Angelus ab eo ». Recessit ab ea Angelus, sed remansit cum ea Dei Filius; discessit quantum ad apparentiam, sed remanserunt multi quantum ad custodiam; Canticorum tertio: « En, lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel ». Isti sunt Angeli beatissimi, qui custodiebant eam tanquam « locum divinae habitationis [4] » electissimum; unde etsi beneficium custodiae sibi impenderent propter infirmitatem carnis, cultum tamen reverentiae exhibebant propter dignitatem Matris, et ideo quodam modo per ipsam ascendebant et descendebant. Unde designata fuit per illam *scalam*, cui Dominus erat innixus, et Angeli per illam ascendebant, quam vidit Iacob, Genesis vigesimo octavo [5]; et post sequitur: « Non est hic aliud nisi *domus* Dei et *porta* caeli », quia nullus potest iam caelum intrare, nisi per Mariam transeat tanquam per *portam*. Sicut enim Deus ad nos venit per ipsam, ita per ipsam nos oportet redire in Deum. Et ideo dicitur *domus, porta* et *scala*: *domus* propter Christi conceptionem, *porta* propter Christi partum et *scala* propter ascensum ad Deum. — Non ergo discedamus ab ea, sed eius pedibus provoluti, semper eam salutemus: *Ave, gratia plena*, ut per eam quae invenit gratiam et misericordiam super omnes mulieres in conspectu illius magni Assueri, nos « gratiam inveniamus et misericordiam consequamur in auxilio opportuno [6] ».

Discessit Angelus. Notandum. Tres figurae Mariae. Notandum. Exhortatio.

### Secundo, de gratiarum actione pro utraque conceptione.

71. *Exsurgens autem Maria* etc. Terminata parte illa, in qua egit de sterilis et Virginis fecundatione, hic sequitur pars secunda, in qua agit de *gratiarum actione*. Et iuxta hunc duplicem modum pars ista habet duas, in quarum prima fit gratiarum actio et laudis decantatio propter *conceptum Salvatoris;* in secunda, propter *conceptum et partum praecursoris*, ibi [7]: *Elisabeth impletum est tempus* etc.

#### De prima gratiarum actione dicuntur tria.

Ad hoc autem, quod decantatio laudis sit ex integro et perfecto affectu, exigitur *certificatio veritatis* in intellectu et *exhibitio caritatis* in affectu et effectu [8], unum sicut *praecedens*, alterum sicut *consequens*. Ideo prima pars habet tres, in quarum prima praemittitur *testimonium prophetiae;* in secunda subditur *canticum laetitiae*, ibi [9]: *Et ait Maria: Magnificat* etc.; in tertia subiungitur *obsequium beneficentiae*, ibi: *Mansit autem Maria cum illa* etc. Primum astruit fidem, secundum erigit spem, tertium ostendit caritatem.

#### Primo praemittitur testimonium prophetiae.

In descriptione autem *testimonii prophetiae* procedit Evangelista hoc ordine. Nam primo introducit *testificandi opportunitatem;* secundo, *testimonii veritatem*, ibi [10]: *Et unde hoc mihi* etc. — Ad *testificandi* antem *opportunitatem* tria concurrunt, scilicet *Virginis salutantis occursus* et *virgineae salutationis effectus* et *Elisabeth resalutantis affectus;* primum, ibi [11]: *Exsurgens Maria* etc.; secundum, ibi: *Factum est, ut audivit* etc.; tertium, ibi: *Et repleta est Spiritu sancto* etc.

72. (Vers. 39.). Primo igitur introducitur *Virginis salutantis occursus* ut *festinus* et *familiaris*. — Propter *festinationem* ait: *Exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione*

Divisio. Subdivisio. De Virginis occursu duo. Est festinus.

---

[1] Respicitur Hebr. 1, 3: Portansque omnia verbo virtutis suae. — Sententia immediate subnexa est Bernardi, loc. cit., in cuius principio allegatur Hebr. 1, 1. Post *in manu* textus originalis prosequitur: Factum esse verbum Domini memoratur; mihi autem oro ut in utero fiat iuxta verbum tuum. Nolo autem, ut fiat etc. Inferius pro *silenter* (ita C G cum textu originali) H *sensibiliter*, alii codd. *similiter*, D a secunda manu *singulariter*, Vat. *simpliciter*.

[2] Ioan. 1, 14. — Sequitur III. Reg. 17, 24.

[3] Vers. 20. — Duo seqq. loci sunt Act. 12, 10. et Cant. 3, 7.

[4] Psalm. 25, 8: Domine, dilexi... locum habitationis gloriae tuae.

[5] Vers. 12. et 13; dein sequitur v. 17. — Post *ascendebant* Vat. addit *et descendebant*.

[6] Hebr. 4, 16. Esther 2, 17: Et adamavit eam rex plus quam omnes mulieres, habuitque gratiam et misericordiam coram eo super omnes mulieres.

[7] Vers. 57: *Elisabeth autem impletum est* etc.

[8] Post *affectu*, suadente contextu, supplevimus *et effectu*, quod in codd. et edd. facile excidere potuit.

[9] Vers. 46; tertia pars habetur v. 56. — Inferius pro *erigit* Vat. *exigit*, E *erudit*.

[10] Vers. 43.

[11] Vers. 39; secundum v. 41, ubi etiam tertium.

*in civitatem Iuda;* quasi dicat: non tardavit, sed diluculo surrexit, secundum illud Canticorum secundo[1]: « Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni ». Unde sibi competit illud Proverbiorum trigesimo primo, quod dicitur de muliere forti, quae « de nocte surrexit deditque praedam domesticis suis et cibaria ancillis suis »; surrexit enim, ut ministraret Elisabeth seni et debili. Unde « nec eam retardavit *asperitas itineris* », secundum quod dicitur in Glossa[2], et littera designat, quia *abiit in montana,* scilicet *cum festinatione,* ad veritatem explorandam, sicut illi exploratores, Iosue secundo: « Ad montana conscendite »; vel etiam cum ipso sponso, Canticorum secundo: « Ecce, iste venit saliens in montibus et transiliens colles ». Non etiam retardavit *viae prolixitas,* quod notat ibi: *In civitatem Iuda,* id est Ierusalem[3], ut iam possit ipsa clamare cum Isaia, secundo[4]: « Venite, ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob ». Nec in itinere fecit moram, quia *cum festinatione,* sicut Rachel, Genesis vigesimo nono, quae, viso Iacob, « festinavit, ut nuntiaret patri suo ».

Asperitas itineris.

Prolixitas viae.

73. *Spiritualiter* autem datur ex hoc nobis intelligi, quod necessaria est ei festinatio, qui vult ad perfectionem attingere; ad Hebraeos quarto[5]: « Festinemus ingredi in illam requiem »; ideo primae ad Corinthios nono: « Sic currite, ut comprehendatis ». Quocontra dicitur de fatuis virginibus Matthaei vigesimo quinto, quod « novissime venerunt »; et Ecclesiastici quinto: « Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem ».

Expositio spiritualis.

74. (Vers. 40.). Fuit occursus Virginis festinus, fuit etiam *familiaris;* propter quod dicit: *Et intravit in domum Zachariae et salutavit Elisabeth. Intravit,* inquam, ut familiariter cohabitaret; Sapientiae octavo[6]: « Intrans in domum meam, conquiescam cum illa ». *Intravit,* non foris stabat, sicut illa « mulier vaga, quietis impatiens nec valens in domo consistere pedibus suis », Proverbiorum septimo. *Intravit* etiam, non ut litigaret, sed ut *salutaret,* secundum quod moris est Sanctis; ad Romanos decimo sexto: « Salutate invicem in osculo sancto ». *Salutavit,* inquam, non solum optando, sed etiam salutem in Ierusalem apportando, ut adimpleatur illud Isaiae sexagesimo secundo[7]: « Propter Sion non tacebo et propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustus eius, et Salvator eius ut lampas accendatur »; et post: « Dicite filiae Sion: Ecce, Salvator tuus venit; ecce, merces eius cum eo, et opus illius coram illo ». — Et nota, quod Virgo prius domum intravit et postea salutavit, quia iam incipiebat Virgo mandatis evangelicis consentire; nam infra decimo[8] dicitur: « Neminem per viam salutaveritis »; et postea subditur: « In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui ». Quod et fecit Virgo beata.

Est etiam familiaris.

Notandum.

75. (Vers. 41.). Secundo vero introducitur *virgineae salutationis effectus,* qui fuit *excitatio matris* et *laetificatio prolis.* — Propter *matris excitationem* dicitur: *Et factum est, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth.* Salutationem namque Virginis Elisabeth audiverat, quia eam amabat; Canticorum octavo[9]: « Quae habitas in hortis, amici auscultant te, fac me audire vocem tuam »; et Ioannis octavo: « Qui ex Deo est verba Dei audit »; unde primae ad Thessalonicenses secundo: « Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei ». Audivit utique verbum salutis ab ea quae conceperat Verbum incarnatum, in quo solo salus est, secundum illud Iacobi primo: « In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras ».

De salutationis effectu duo.

Mater excitatur.

76. Fuit ergo mater verbo Virginis excitata, fuit etiam *proles laetificata;* unde dicit: *Exsultavit,* in gaudio, *infans in utero eius.* In quo ostenditur, quod Ioannes erat amicus Sponsi praecipuus, secundum quod de ipso scribitur Ioannis tertio[10]: « Amicus sponsi, qui stat et audit vocem eius, gaudio gaudet propter vocem sponsi ». *Exsultavit,* inquam, prae desiderio, sicut Patres; Ioannis octavo: « Abraham exsultavit, ut videret diem meum; vidit et gavisus est ». *Exsultavit,* ad praesentiam Domini Salvatoris, quasi gestiens salutare et assurgere Domino suo, cuius erat praecursor. Unde dicitur in Glossa Bedae[11], « quia lingua non poterat, animo exsultante salutat et suae praecursionis officium inchoat. Ecce, apparet quod Angelus dixerat: Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae ». — Ex quo datur *spiritualiter* intelligi, quod propositum sanctum non potest latere, quin se manifestet, et amor interior prorumpat in opus; unde Gregorius[12]: « Nunquam amor Dei est otiosus ».

Proles laetificatur.

Interpretatio spiritualis.

77. (Vers. 42.). Tertio subiungitur *Elisabeth salutantis affectus magnus* et *benignus.* — *Propter*

De resalutantis affectu duo.

---

[1] Vers. 10. — Sequitur Prov. 31, 15.

[2] Scilicet *interlinearis*: « Non retardat asperitas itineris ». Ambros., II. in Luc. n. 20: Mariam... non ab studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardavit (B: *asperitas montani itineris*). — Duo seqq. loci sunt Iosue 2, 16. et Cant. 2, 8. — Superius pro *et debili* A C D E F G *et sterili.*

[3] Ita etiam B. Albert.; communius putatur, fuisse Hebron.

[4] Vers. 3. — Sequitur Gen. 29, 12.

[5] Vers. 11. — Subinde allegantur I. Cor. 9, 24; Matth. 25, 11. et Eccli. 5, 8. Cfr. Beda, in Luc. 1, 39.

[6] Vers. 16. — Sequuntur Prov. 7, 10. seq. et Rom. 16, 16.

[7] Vers. 1; sequitur v. 11.

[8] Vers. 4. seq. Cfr. Matth. 10, 11.

[9] Vers. 13. — Subinde allegantur Ioan. 8, 47; I. Thess. 2, 13. et Iac. 1, 21.

[10] Vers. 29. — Sequitur Ioan. 8, 56.

[11] Quae est *ordinaria*, sumta ex Homil. in festo Visitationis B. Mariae, super Luc. 1, 39. (ed. Migne, Sect. 1. libr. I. homil. 2.). Cfr. Homil. in Vigilia S. Ioan. Bapt. (Sect. 1. libr. II. homil. 13.). Allegatur in hac sententia Luc. 1, 15.

[12] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 2.

Primum. *magnitudinem* dicitur: *Et repleta est Spiritu sancto Elisabeth et exclamavit voce magna.* Magnitudo namque vocis signum est magnae affectionis, quia [1] « voces sunt notae passionum »; Ecclesiastici decimo quinto: « Adimplebit eum Dominus spiritu sapientiae et intellectus »; et: « Ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiae suae, et in oratione confitebitur Domino ». Ideo autem *voce magna clamavit,* quia illum continebat in utero, qui erat *vox Verbi,* secundum quod de ipso dicitur Isaiae quadragesimo [2]: « Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini ». Cui etiam dicitur ibidem: « Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion; exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Ierusalem, exalta, noli timere. Dic civitatibus Iudae: Ecce, Deus vester, ecce, Dominus Deus in fortitudine veniet ».

78. Nec tam fuit vox eius clamosa quam etiam [3] *devota;* unde ad exprimendum *benignitatem affectus* subdit dicens: *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.* Benedicit Elisabeth Virginem simul et prolem, ut compleat angelicam salutationem. Benedictionem sibi optat et iam benedictam annuntiat ea benedictione, quam Dominus Abrahae promiserat Genesis duodecimo [4]: « Benedicam tibi et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi et maledicam maledicentibus tibi, atque in semine tuo benedicentur universae cognationes terrae ». Hanc benedictionem praedixit Isaac in figura *agri,* Genesis vigesimo septimo: « Ecce, odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus ». Hanc confirmavit Iacob, Genesis penultimo: « Omnipotens benedicet tibi benedictionibus caeli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvae; benedictiones patris tui confortatae sunt benedictionibus patrum eius, donec veniret desiderium collium aeternorum ». Hanc desiderabat et hanc imprecabatur Moyses, Deuteronomii vigesimo octavo [5]: « Benedictus fructus ventris tui et fructus terrae tuae ». Et ideo cantemus cum David: « Benedixisti, Domine, terram tuam ».

Secundum. — Benedictio praedicta. — Confirmata. — Desiderata.

79. Completum est etiam in Maria illud Ecclesiastici vigesimo quarto [6]: « In multitudine electorum habebit laudem et inter benedictos benedicetur ». Benedicta quidem fuit Iahel, Iudicum quinto: « Benedicta in mulieribus Iahel ». Benedicta fuit Ruth, Ruth tertio: « Benedicta es a Domino, filia ». Benedicta Abigail, primi Regum vigesimo quinto: « Benedicta tu, quae prohibuisti me hodie, ne me mea manu ulciscerer ». Benedicta Iudith, decimo tertio: « Benedicta es tu, filia, a Domino Deo excelso prae omnibus mulieribus super terram ». Inter has mulieres et super has mulieres benedicta est virgo Maria, quia illae [7] benedictiones impletae sunt in hac.

Super multas benedicta. — Notandum.

80. *Et unde hoc mihi, ut veniat* etc. Praemissa opportunitate testificandi, subditur hic *veritas testimonii,* ad cuius explicationem tria introducit Evangelista. Primum est *praeconium admirativum;* secundum est *signum approbativum;* tertium vero, *testimonium affirmativum* [8]. Primum tenet rationem propositionis, secundum assumtionis, et tertium conclusionis.

De veritate testimonii tria.

81. (Vers. 43.). Introducit ergo *praeconium admirativum,* cum dicit Elisabeth: *Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Hoc enim est valde laudabile et etiam admirabile, quod mulier sit Mater Dei, et quod Mater Dei visitet ancillam Dei. Unde poterat dicere, sicut dixit Areuna regi David secundi Regum ultimo [9]: « Quid causae est, ut veniat dominus meus rex ad servum suum »? Maius enim est esse Matrem Dei; unde dignatio fuit Matris Domini omnium suis pedibus visitare alienum hospitium. Unde Virgo gloriatur Ecclesiastici vigesimo quarto [10]: « Ego mater pulcrae dilectionis et timoris et sanctae spei »; quia propter dignitatem maternam

Praeconium admirativum.

---

[1] Ut dicit Aristot., I. Periherm. c. 1. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 15, 5. et 39, 9.

[2] Vers. 3; sequitur 40, 9. seq.

[3] Vat. omittit *etiam.* — Inferius pro *Benedicta tu in mulieribus* Vulgata: *Et dixit: Benedicta tu inter mulieres.*

[4] Vers. 2. seq. — Subinde allegantur Gen. 27, 27. et 49, 25. seq., in cuius principio pro *benedicet* codd. *benedicat.*

[5] Vers. 4. — Sequitur Ps. 84, 2.

[6] Vers. 4. — Quatuor seqq. loci sunt Iudic. 5, 24: *Benedicta inter mulieres Iahel;* Ruth 3, 10; I. Reg. 25, 33. et Iudith 13, 23.

[7] Vat. *illarum.* — Glossa *interlinearis* (Bedae, Homil. in festo Visitationis B. Mariae; cfr. supra pag. 28, nota 10.): Non solum inter mulieres benedicta, sed inter benedictas maiori benedictione insignis.

[8] Ita Vat., A C D H *confirmativum,* sed infra n. 83. codd. habent *affirmativum.*

[9] Vers. 21. — Verba, quae immediate sequuntur: *Maius enim est esse Matrem* etc., exhibemus ex E; in aliis codd. et edd. *Matrem* excidit *Dei* vel *Domini.* Beda, Homil. In festo Visitationis B. Mariae: « Quis dubitet Matrem regis aeterni iure matri militis praeferendam? Attamen ipsa [Maria], memor Scripturae praecipientis [Eccli. 3, 20.]: *Quanto magnus es, te in omnibus humilia,* mox... surgit... gestansque in utero Deum, servorum Dei habitacula petit » etc. Theophylact., in hunc loc., ait: « Sicut postea Ioannes Christum, cum venisset, ut baptizaretur, prohibuit propter reverentiam, dicens [Matth. 3, 14. seqq.]: *Ego non sum dignus;* sic et nunc per matrem suam loquitur: *Unde mihi hoc, ut veniat Mater Domini mei ad me?* priusquam pariat Dominum, *matrem* vocans eam, quae in utero gerebat. Alias enim, priusquam pariant, non solemus *matres* vocare propter metum abortiendi; in Virgine autem nihil tale suspicari oportebat. Et idcirco, priusquam parias, *mater* et *beata es tu,* o Maria, *quae credidisti* » etc. — Vat. hic legit: *Ex quo enim facta est mater Dei, summa Domini omnium eluxit dignatio, ut qui suis pedibus alienum hospitium visitare non abhorruit. De quo quidem Virgo gloriatur* etc. (Voci *dignatio* G adiungit *magna,* D H *maxima).* Eadem ed. omittit supra *et quod mater Dei visitet ancillam Dei.*

[10] Vers. 24, ubi post *timoris* Vulgata addit *et agnitionis.* — Cod. B inferius posita *quia propter... mater* omittit et hunc textum ita explicat: « *Ego mater pulcrae dilectionis,* ideo diligenda, *et timoris,* ideo veneranda, *et agnitionis,* ideo audienda, *et sanctae spei,* ideo adeunda ». Inferius pro *adeunda* A C D *exoranda.*

est virgo Maria *diligenda, veneranda* et cum omni *fiducia adeunda* tanquam summae misericordiae mater.

82. (Vers. 44.). Secundo subdit *indicium approbativum*, cum dicit: *Ecce enim, ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo;* et hoc est signum, quod « diffusa est gratia in labiis tuis »; et propterea certum est, quod « benedixit te Deus in aeternum », in Psalmo [1]. Et ex quo infans supra naturam exsultavit, certum est, quod Dominus naturae sibi occurrerit. Et ex quo infantulus respondet ex utero, certum est, te concepisse illum qui vocat ab utero, secundum illud Isaiae quadragesimo nono: « Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meae recordatus est nominis mei » etc. Et rursus, ex quo puer exsultavit, certum est, iam consummatum esse veraciter quod in Isaia [2] dicitur: « Exsulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel »; et illud Zachariae nono: « Exsulta satis, filia Sion, iubila, filia Ierusalem; ecce, rex tuus venit tibi iustus et salvator ».

Indicium approbativum.

83. (Vers. 45.). Ex quo igitur mirabiliter exsultavit praecursor, iam certum habebat indicium, quod venerit Salvator; et quoniam iam certum habebat indicium, ideo tertio veritati subditur *testimonium*, sive oraculum *affirmativum*, cum dicitur: *Beata, quae credidisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino.* Fides enim beatam facit; Matthaei decimo sexto [3]: « Beatus es, Simon Bariona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est »; et Ioannis vigesimo: « Beati, qui non viderunt et crediderunt ». — Facit autem fides beatos, quia inchoando in *merito* disponit ad consummationem in *praemio;* ad Philippenses primo: « Confidens hoc ipsum, quia qui coepit in vobis opus bonum perficiet », et hoc merito fidei; unde Matthaei octavo: « Vade, et sicut credidisti, fiat tibi »; et sic factum est Mariae.

Testimonium affirmativum.

Notandum.

84. Nota, quod beatificantur in Scriptura non solum *credentes*, sed etiam *sperantes;* Psalmus [4]: « Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius ». — Item, *diligentes;* Ecclesiastici quadragesimo octavo: « Beati, qui te viderunt et in amicitia tua decorati sunt ». — Item, *timentes;* Ecclesiastici vigesimo quinto: « Beatus, cui datum est habere timorem Dei »; rursus Psalmus: « Beatus vir, qui timet Dominum ». — Item, *operantes;* Ioannis decimo tertio [5]: « Si haec scitis, beati eritis, si feceritis ea »; et infra undecimo: « Beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud ». — Item, *sustinentes;* primae Petri tertio: « Sed et si quid patimini propter iustitiam, beati »; et Matthaei quinto: « Beati estis, cum maledixerint vobis homines et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me ». — Item, *contemplantes;* tertii Regum decimo: « Beati viri tui, et beati servi tui hi, qui stant coram te semper et audiunt sapientiam tuam ».

Septem beatificantur.

85. Ex omnibus his causis *beata* fuit virgo Maria, ex causa etiam singulari fuit *beatissima*, quia concepit Filium Dei; infra undecimo [6]: « Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti ». Et propterea ipsamet dicit infra eodem: « Ecce enim, ex hoc beatam me dicent omnes generationes ». *Beata ergo, quae credidisti*, quia credendo concepisti et concipiendo beatitudinem omnibus gentibus quantum ad sufficientiam protulisti. In huius *figura*, Genesis trigesimo [7] « dixit Lia: Hoc pro beatitudine mea, beatam quippe me dicent omnes mulieres ».

Maria beata et beatissima.

Figura.

**Secundo subditur canticum laetitiae.**

86. *Et ait Maria* etc. Post testimonium prophetiae sequitur *cantus laetitiae*, in quo beatissima virgo Maria laudat divinam clementiam propter excellentissimam gratiam sibi collatam. In hoc autem cantico tria notantur. Primum est *laudantis affectio*, quam notat ibi [8]: *Magnificat anima mea* etc. Secundum est *laudandi ratio*, quam notat, cum subdit: *Quia respexit* etc. Tertium, *divinae laudis amplificatio*, quam notat ibi: *Et misericordia eius a progenie.* Non enim est perfecta laus, nisi adsit debitus *affectus*, debita *causa* et debitus *modus*.

Notantur tria.

87. (Vers. 46.). Insinuatur ergo primo *laudantis affectio*, ut *grata*, magnificando divinam virtutem, cum dicit: *Ait Maria: Magnificat anima mea Dominum*, id est divinam virtutem. « Magnus enim Dominus noster, et magna virtus eius [9] »; et ideo magno affectu debet collaudari, quia magna operatur; Danielis quarto: « Ego laudo et magnifico et glorifico Regem caeli, quia omnia opera eius vera »; et ad hoc invitat anima devota in Psalmo: « Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen eius in id ipsum ». Tunc anima nostra vere magnificat Dominum, quando sub ipso se ipsam captivat et humiliat; Ecclesiastici tertio [10]: « Quam magna potentia Dei solius, et a solis humilibus honoratur ». Unde virgo Maria, quia prae ceteris se ipsam humiliavit, ceteris altius Dominum magnificavit. Et ideo a magnificatione incepit, quia hoc competebat *humilitati Virginis de-*

Laudantis affectio primo ut grata.

Notandum.

Ratio prima.

---

[1] Psalm. 44, 3. — Sequitur Isai. 49, 1.

[2] Cap. 12, 6, post quem Zachar. 9, 9.

[3] Vers. 17. — Tres seqq. loci sunt Ioan. 20, 29; Phil. 1, 6. et Matth. 8, 13. (Vat. hunc omittit).

[4] Psalm. 39, 5. — Subinde allegantur Eccli. 48, 11; 25, 15. et Ps. 111, 1.

[5] Vers. 17. — Sequuntur Luc. 11, 28; I. Petr. 3, 14; Matth. 5, 11. et III. Reg. 10, 8.

[6] Vers. 27. — Sequitur Luc. 1, 48.

[7] Vers. 13.

[8] Vers. 46. Secundum et tertium habentur v. 48. et 50. — Superius pro *cantus* G *canticum.*

[9] Psalm. 146, 5. — Sequuntur Dan. 4, 34. (Codd.: *Ego* [Nabuchodonosor] *magnificabo Regem caeli* etc.) et Ps. 33, 4. — Inferius pro *anima devota* Vat. *animam devotam.*

[10] Vers. 21.

Secunda.

*cantantis*. — Competebat etiam *dignitati Dei*, cuius summa dignatio non cognoscitur, nisi dignitas praecognoscatur; unde Apostolus [1]: « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens ». — Competebat etiam *intentioni cantici*, quae est Deum perfecte laudare; Ecclesiastici quadragesimo tertio [2]: « Glorificantes Dominum, quantumcumque potueritis; supervalebit adhuc, et admirabilis magnificentia eius ». — Competebat etiam *Mariae cantico*, quia de magnis, immo de maximis beneficiis erat; unde Proverbiorum octavo [3]: « Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum »; et infra: « Quia fecit mihi magna » etc. — Competebat et *ordinato progressui*, qui est a timore inchoando; unde Psalmus: « Initium sapientiae timor Domini ». Timor autem reverentiae Dominum magnificat.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

88. (Vers. 47.). Insinuatur etiam *laudantis affectio* non solum ut grata, sed ut *iucunda*, exsultando in divina salute, cum subditur: *Et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo*, id est in Deo salvatore, ut possit dicere illud Psalmi [4]: « Anima mea exsultabit in Domino et delectabitur super salutari suo »; et rursum: « Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum ». Vere iam dicere poterat illud Canticorum primo: « Introduxit me rex in cellaria sua; exsultabimus et laetabimur in te » etc. Iam verificatum est in Maria, quod optabat Psalmista [5]: « Exsultent et laetentur in te omnes quaerentes te et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum ». Quoniam ergo virgo Maria Dominum *quaesivit* et *salutare dilexit;* ideo anima eius Dominum *magnificavit*, et spiritus eius in salutari Dei *exsultavit*. Ideo sibi competit illud Annae, primi Regum secundo: « Exsultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo; quia laetata sum in salutari tuo ».

Secundo, ut iucunda.

89. Et nota, quod *spiritus* accipitur pro *substantia* animae; Ecclesiastae tertio [6]: « Quis novit, si spiritus » etc.; pro *superiori parte;* Malachiae secundo: « Custodite spiritum vestrum »; et ad Romanos octavo: « Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus »; pro *imaginatione;* primae ad Corinthios decimo quarto: « Nam si orem lingua, spiritus meus orat » etc. Hic autem accipitur pro anima secundum *suum supremum*, et *anima* accipitur in comparatione ad corpus, sicut illud primae ad Thessalonicenses quinto [7]: « Ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu Domini nostri Iesu Christi servetur ». Quia enim *spiritus* interius exsultaverat, ideo *anima* voce magnificabat; et ideo *exsultationem* de praeterito et *magnificationem* de praesenti ponit, quia exsultatio est natura prior.

Spiritus accipitur tripliciter.

Notandum.

90. (Vers. 48.). *Quia respexit humilitatem* etc. Postquam descripta est laudantis affectio sive devotio, subditur hic *laudandi ratio*, quae sumitur ex duplici causa. Prima est *beneficium gratiae*, quod fecit ipsam *amabilem Deo* et *laudabilem hominibus*. Quia *amabilem Deo*, dicit: *Quia respexit humilitatem ancillae suae*. Genesis vigesimo nono [8] praecessit huius figura in Lia, quae, concepta prole, dixit: « Vidit Dominus humilitatem meam; nunc amabit me vir meus ». Et humilitas fuit dispositio ad respectum gratiae; Isaiae ultimo [9]: « Ad quem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu et trementem sermones meos »? quia, sicut dicitur in Psalmo, « excelsus Dominus et humilia respicit et alta a longe cognoscit ». Unde de viro iusto, Ecclesiastici undecimo: « Oculus Dei respexit illum in bono et erexit ab humilitate sua »; et ideo orabat Propheta in Psalmo: « Respice in me et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego ».

Laudandi ratio duplex.

Prima.

Fit amabilis Deo.

91. Fecit etiam *laudabilem hominibus* illud gratiae beneficium, et propterea addit: *Ecce enim, ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, tam viri quam mulieres; Proverbiorum ultimo [10]: « Surrexerunt filii eius et beatissimam praedicaverunt; vir eius et laudavit eam ». Fuit autem virgo Maria *beata* propter *meritum castitatis;* Psalmus: « Beati immaculati in via »; et Apocalypsis decimo sexto: « Beatus, qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem eius »; et Sapientiae tertio: « Felix est sterilis et incoinquinata, quae nescivit torum in delicto ». — Fuit etiam *beatior* propter *consilium virginitatis;* primae ad Corinthios

Fit laudabilis hominibus.

Ratio 1.

Ratio 2.

---

[1] Phil. 2, 6. seq. — Superius pro *dignatio* Vat. *humilitas*, et pro *non cognoscitur* A C D *dignoscitur*.

[2] Vers. 32. — Superius pro *intentioni cantici* Vat. *intentione cantantis*.

[3] Vers. 6. — Sequuntur Luc. 1, 49. et Ps. 110, 10. — Superius pro *Mariae cantico* Vat. *Mariae cantanti*.

[4] Psalm. 34, 9. — Duo seqq. loci sunt Ps. 83, 3. et Cant. 1, 3.

[5] Psalm. 39, 17, in quo pro *quaerentes te* codd. *qui quaerunt te*. — Inferius allegatur I. Reg. 2, 1.

[6] Vers. 21. Vat. hunc locum omittit sicut et verba, quae sequuntur, *pro superiori parte*. — Tres seqq. loci sunt Malach. 2, 15; Rom. 8, 26. et I. Cor. 14, 14. Pro verbis, quae praecedunt, *pro imaginatione* Vat. *Alibique*.

[7] Vers. 23, cuius explicationem vide apud August., IV. de Anima et eius origine, c. 22. n. 36. seq. Idem in lib. de Fide et symbolo, c. 10. n. 23: Et quoniam tria sunt, quibus homo constat, spiritus, anima et corpus, quae rursus duo dicuntur, quia saepe anima simul cum spiritu nominatur; pars enim quaedam eiusdem rationalis, qua carent bestiae, *spiritus* dicitur; principale nostrum spiritus est; deinde vita, qua coniungimur corpori, *anima* dicitur; postremo ipsum corpus, quoniam visibile est, ultimum nostrum est. Cfr. II. Sent. d. 8. p. II. q. 2. in corp., ubi de animae supremo.

[8] Vers. 32. — Superius post *amabilem Deo* Vat. perperam (cfr. infra n. 92.) prosequitur: *Secunda est, quod fecit ipsam laudabilem hominibus*.

[9] Vers. 2. — Sequuntur Ps. 137, 6; Eccli. 11, 13. et Ps. 24, 16.

[10] Vers. 28. — Tres seqq. loci sunt Ps. 118, 1; Apoc. 16, 15. et Sap. 3, 13.

septimo[1]: « Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium ». — Fuit etiam *beatissima* propter *privilegium fecunditatis,* propter quam ceterae mulieres *beatissimam* eam praedicant, Canticorum sexto: « Viderunt eam filiae Sion et beatissimam praedicaverunt ».

Ratio 3.

92. (Vers. 49.). Secunda ratio laudandi est *miraculum potentiae,* quod fuit *magnum* et *pium.* Quia *magnum,* dicit: *Quia fecit mihi magna qui potens est.* Hoc refertur ad incarnationis mysterium, sicut dicit Beda in Glossa[2]; et de hoc Iob quinto: « Qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero ». Incarnationis mysterium est magnum et imperscrutabile, et ideo admirabile; et hoc *fecit qui potens est,* quia « in rebus mirabilibus, ut dicit Augustinus[3], tota ratio facti est potentia facientis »; Ecclesiastae octavo: « Omne, quod voluerit, faciet, quia sermo illius potestate plenus est, nec dicere ei quisquam potest: Quare ita facis »?

Secunda. Miraculum magnum.

93. Fuit etiam *pium,* et propterea dicit: *Sanctum nomen eius.* Unde sancta et pia facit, ut sanctitatem ostendat nominis sui; Danielis tertio[4]: « Benedictum nomen gloriae tuae, quod est sanctum »; et Psalmus: « Sanctum et terribile nomen eius ». Et ratio huius praemittitur: « Redemptionem misit populo suo ». Et quia nomen eius decet sanctitudo, ideo oramus: « Sanctificetur nomen tuum », Matthaei sexto; et rursus Psalmus: « Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudine dierum ». De his duobus, scilicet *magnitudine* et *pietate,* primae ad Timotheum tertio[5]: « Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumtum est in gloria »; *magnum* quippe ratione Divinitatis, *sanctum* ratione assumtae humanitatis; supra eodem: « Quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei ». Et ideo Virgo in conceptione fuit magnificata et sanctificata; Psalmus: « Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus ». Et haec duo respondent duobus praemissis, quia magnificata et sanctificata, ideo magnificavit et exsultavit; ideo optime rationem reddit.

Miraculum pium.

94. *Et misericordia eius* etc. Postquam descripta est laudantis affectio et laudandi ratio, subditur hic tertio divinae *laudis amplificatio.* Et haec consistit in commendatione divinae misericordiae quantum ad opus redemptionis humanae, iam in conceptione Virginis inchoatae. Opus autem nostrae redemptionis est declarativum *misericordiae* et *potentiae,* estque[6] manifestativum *largitatis* et *veritatis: misericordiae,* in relevatione hominis lapsi; *potentiae,* in prostratione diaboli; *largitatis,* in diffusione Spiritus sancti; et *veritatis,* in adimpletione promissi.

Laudis amplificatio.

Redemptio manifestat 4 attributa Dei.

95. (Vers. 50.). Primo igitur laudat Dominum suum in opere redemptionis, secundum quod est manifestativum *misericordiae,* ibi: *Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum;* ad Ephesios secundo[7]: « Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo »; et in Psalmo: « Misericordia autem Domini ab aeterno et usque in aeternum super timentes eum ». Hoc enim fit super *omnes* quantum ad beneficium *conservationis,* secundum illud Ecclesiastici decimo octavo[8]: « Miseratio hominis circa proximum suum, misericordia autem Dei super omnem carnem ». Misericordia tamen *liberans* et *salvans* ad solos *timentes* se extendit, sicut in Psalmo scriptum est: « Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te »! Ideo Ecclesiastici secundo: « Qui timetis Dominum, sperate in eum ».

Manifestat misericordiam.

96. (Vers. 51.). Secundo laudat eum in hoc opere, secundum quod est manifestativum *potentiae* in deiectione *daemonum superborum* et *divitum iniquorum.* Propter primum dicit: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* In hoc est laus Dei specialis; Iob quadragesimo[9]: « Disperge superbos furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia ». Et sic impletum est illud Ecclesiastici decimo: « Sedes ducum superborum de-

Manifestat potentiam.

---

[1] Vers. 40. — Subinde allegatur Cant. 6, 8.

[2] Glossa *ordinaria* (apud Strab., Card. Hug. et Lyran. absque nomine *Bedae*): « *Quia fecit mihi magna,* quia in me carnem sumsit et me a peccatis mundavit et dona Spiritus sancti mihi contulit ». Pro v. 46-48. et pro verbis v. 49: *Et sanctum nomen eius* etc., allegatur a Glossa *ordinaria* Beda, cuius sententiae sumtae sunt vel ex Comment. in Luc. 1, 46. seqq., vel ex Homil. in festo Visitationis B. Mariae, ubi cantici Mariae partes duae distinguuntur: « Primo dona sibi specialiter concessa confitetur [Maria]; deinde [a v. 50: *Et misericordia eius* etc.] generalia Dei beneficia, quibus generi humano in aeternum consulere non desistit, enumerat ». Maria « meriti privilegio singularis spirituali ipsius [Dei] dilectione flagrabat, cuius corporali conceptione gaudebat. Quare iure in Iesu, id est in salutari suo, speciali prae ceteris Sanctis gaudio potuit exsultare, quia quem perpetuum salutis auctorem noverat, hunc ipsum temporali ortu de carne sua nasciturum esse sciebat... Quae sequentibus quoque verbis, quam vilia de se ipsa senserit [v. 48: *Quia respexit humilitatem* etc.], edocet, et quod omne, quidquid boni meriti habuit, hoc superna gratia largiente perceperit [v. 49: *Quia fecit mihi magna* etc.]. Cfr. Hug. a S. Vict., Explanat. in Cantic. B. Mariae. — Subinde allegatur Iob 5, 9.

[3] Epist. 137. (alias 3.) c. 2. n. 8. — Sequitur Eccle. 8, 3. seq.

[4] Vers. 52. — Subinde allegantur Ps. 110, 9, ubi et quod sequitur *Redemptionem* etc.; Matth. 6, 9. et Ps. 92, 5, ubi Vulgata *in longitudinem dierum.*

[5] Vers. 16. — Duo seqq. loci sunt Luc. 1, 35. et Ps. 45, 5.

[6] Vat. perperam (cfr. infra n. 97. et 98.) *quia est* (G *quae est),* quae etiam inferius pro *relevatione* et *diffusione* substituit *reparatione* et *missione.*

[7] Vers. 4. — Sequitur Ps. 102, 17.

[8] Vers. 12. — Subinde allegantur Ps. 30, 20. et Eccli. 2, 9.

[9] Vers. 6. — Sequitur Eccli. 10, 17.

struxit Deus et sedere fecit mites pro eis ». Et dicitur hoc fecisse *in brachio,* id est in Filio; Isaiae quadragesimo [1]: « Ecce, Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium eius dominabitur ». *Superbos* autem *mente cordis* vocat illos qui superbiunt in intellectu per *praesumtionem* et in affectu per *ambitionem,* sicut lucifer et eius sequaces; Iob penultimo: « Omne sublime videt, et ipse est rex super omnes filios superbiae ». Et sic est sensus: *dispersit* eos qui superbiunt *mente cordis.* — Vel aliter: *Superbos dispersit mente cordis sui,* secundum quod dicitur, quia superbi iusto Dei iudicio habent cor dispersum; Sapientiae decimo septimo [2]: « Dum putant, se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt ». — Vel: *Dispersit superbos mente cordis sui,* id est definitione consilii sui; Iob quadragesimo: « Si habes brachium sicut Deus et si voce simili tonas? Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia ».

Alia expositio.

Tertia.

97. (Vers. 52.). Daemones superbientes definitive proiecit, sed non sic homines; unde Threnorum tertio [3]: « Non enim humiliavit ex corde suo et abiecit filios hominum ». Laudatur ergo potentia in deiectione superborum daemonum et etiam *tyrannorum potentium,* cum subdit: *Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles;* Danielis quinto [4] dicitur de Nabuchodonosor: « Quos volebat interficiebat, et quos volebat percutiebat, et quos volebat exaltabat, et quos volebat humiliabat. Sed quando elevatum est cor eius, et spiritus illius obfirmatus est ad superbiam; depositus est de solio regni sui, et gloria eius ablata est »; et Ecclesiastici decimo: « Radices gentium superbarum arefecit Deus et plantavit humiles ex ipsis gentibus ». Et *ratio* huius infra decimo octavo [5] redditur: « Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat exaltabitur ». Et in hoc est laus divinae potentiae; primi Regum secundo: « Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat. Suscitat de pulvere egenum et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus et solium gloriae teneat ». Exemplum in Saul et David, Vasthi et Esther.

Manifestat potentiam contra tyrannos.

Ratio.

98. (Vers. 53.). Tertio laudat Dominum in praedicto opere, secundum quod est manifestativum *largitatis,* cum dicit: *Esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes;* quia vera largitas est dare pauperibus, non divitibus; Proverbiorum decimo tertio [6]: « Iustus comedit et replet animam suam, venter autem impiorum insaturabilis »; et rursus in Psalmo: « Divites eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum non deficient omni bono »; et Isaiae sexagesimo quinto: « Ecce, servi mei comedent, et vos esurietis; ecce, servi mei bibent, et vos sitietis; ecce, servi mei laetabuntur, et vos confundemini »; quia, sicut dicitur primae ad Corinthios primo [7], « non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus; et ea quae non sunt, ut ea quae sunt, destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius »; et Psalmus: « Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suae ».

Manifestat largitatem.

99. (Vers. 54.). Quarto laudat Deum in praedicto opere, secundum quod est manifestativum *veritatis promissi,* cum dicit: *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae;* ubi primo praemittitur *promissionis impletio,* quam promissionem fecit divina benignitas, et implevit divina veritas; unde Psalmus [8]: « Misericordia et veritas obviaverunt sibi, iustitia et pax osculatae sunt ». Et hoc factum est, quando carnem nostram suscepit; ad Hebraeos secundo: « Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahae »; Isaiae quadragesimo secundo: « Ecce, servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea »; et Osee undecimo: « Puer Israel, et dilexi eum et ex Aegypto vocavi filium meum ». — Et hoc: *Recordatus misericordiae suae,* cuius non potest oblivisci; Psalmus [9]: « Aut obliviscetur misereri Deus? Aut continebit in ira sua misericordias suas »? et Isaiae quadragesimo nono: « Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui ».

Manifestat veritatem promissi.

Praemittitur impletio.

100. (Vers. 55.). Deinde subditur *vera promissio,* cum dicitur: *Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham et semini eius in saecula.* Et debet ista littera construi sic: *Sicut locutus est ad Patres,* et sicut locutus est *Abrahae* specialiter, *et semini eius,* ubi tangit statum naturae et legis scriptae. — Vel aliter, ut construatur cum praecedenti: *Suscepit Israel, recordatus misericordiae,* et hoc, dico, *Abrahae et semini eius, sicut locutus est ad Patres.* Simile habetur in Psalmo [10]: « Re-

Subditur vera promissio.

Aliter

---

[1] Vers. 10. Cfr. supra pag. 26, nota 7. Beda, in Luc. 1, 51: *In brachio suo* in ipso Dei Filio significat... quia *omnia per ipsum facta sunt* [Ioan. 1, 3.]. — Subinde allegatur Iob 41, 25.

[2] Vers. 3. — Sequitur Iob 40, 4. et 6.

[3] Vers. 33. — Superius pro *definitive* A C D *destruendo.*

[4] Vers. 19. seq. Immediate post allegatur Eccli. 10, 18.

[5] Vers. 14. — Sequitur I. Reg. 2, 7. et 8. Subinde respiciuntur I. Reg. 16, 1. seqq. (ubi narratur, quod reprobato Saul, David inter fratres minimus in regem ungitur), et Esther 1. et 2. (ubi refertur, quod pro Vasthi, a rege reiecta, Esther facta est regina).

[6] Vers. 25. Codd. perperam allegant Eccli. 16, in quo haec verba non occurrunt. — Subinde allegantur Ps. 33, 11. et Isai. 65, 13. — Superius pro *vera largitas est* E *verae largitatis est.*

[7] Vers. 26-29. — Sequitur Ps. 32, 16.

[8] Psalm. 84, 11. — Tres seqq. loci sunt Hebr. 2, 16; Isai. 42, 1. et Osee 11, 1.

[9] Psalm. 76, 10. — Subinde allegatur Isai. 49, 15.

[10] Psalm. 97, 3. — Duo seqq. loci sunt Gen. 12, 3. et 22, 17. seq. — Superius voci *Abrahae* secunda manus in D praefixit *fecit.*

cordatus est misericordiae suae et veritatis suae domui Israel ». Inter *Patres* specialiter nominat Abraham, quia sibi primo facta est repromissio; Genesis duodecimo et vigesimo secundo: « Benedicam benedicentibus tibi et maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universae cognationes terrae »; « Benedicam tibi et multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli et velut arenam, quae est in littore maris; possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae »; et ad Galatas tertio[1]: « Abrahae dictae sunt promissiones et semini eius ». *Semen* autem Abrahae sunt credentes; ad Romanos nono: « Non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis aestimantur in semine »; unde infra tertio: « Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae ». Usque *in saecula,* id est in aeternum; Psalmus[2]: « A saeculo et usque in saeculum tu es Deus ». — Unde Virgo beata canticum incipit a magnitudine summi principii et canticum finit in aeternitate finis; laudat enim eum qui « alpha est et omega, principium et finis », Apocalypsis primo; et quidem satis recte, quia in hoc cantico ostendit, consummationem esse factam omnium beneficiorum promissorum, et ideo consummativum est omnium laudum et canticorum et etiam Scripturarum.

Epilogus.

**Tertio subditur obsequium benevolentiae.**

101. (Vers. 56.). *Mansit autem Maria* etc. Post testimonium prophetiae et canticum laetitiae subditur *obsequium benevolentiae,* quod exhibuit virgo Maria Elisabeth, cognatae suae; in quo commendatur a tribus, scilicet a *sedulitate obsequii,* a *longanimitate propositi,* ab *honestate contubernii.* — Propter *sedulitatem obsequii* dicit: *Mansit autem Maria cum illa,* scilicet cum cognata praegnante. Non statim abscessit, sed fecit, secundum quod Dominus discipulis suis praecipit Matthaei decimo[3]: « In eadem autem domo manete, donec exeatis ». *Manebat* autem Maria, non egrediebatur sicut Dina, de qua Genesis trigesimo quarto: « Egressa est, ut videret mulieres regionis illius »; et sequitur post, quod oppressa fuit. *Manebat* sicut sedula obsecutrix, non circuibat sicut curiosa investigatrix; primae ad Timotheum quinto, de viduis adolescentibus: « Otiosae discunt circuire domos, non solum autem otiosae, sed et verbosae et curiosae, loquentes quae non oportet ». Quocontra Seneca[4]: « Indicium mentis bene constitutae est, secum posse morari et secum posse consistere ».

Commendatur Maria a tribus.

Primum.

102. Propter *longanimitatem propositi* subdit: *Quasi mensibus tribus,* id est usque ad tempus partus, secundum quod dicit Beda in Glossa[5]: « Tamdiu mansit Maria, donec, Elisabeth partus tempore completo, praecursoris Domini sui, propter quam maxime venerat, nativitatem videret »; et hoc significatum est secundi Regum sexto, ubi dicitur, quod « arca Domini mansit in domo Obededom tribus mensibus ». — *Mystice* vero tribus mensibus designatur profectus trium virtutum, secundum quod in Glossa[6] dicitur. Nam « anima casta, quae spiritualis verbi desiderium concipit, necesse est, ut alta exercitus caelestis iuga subeat et quasi trium mensium dies ibidem demorata, quousque fidei, spei et caritatis luce radietur, perseverare non desistat ».

Secundum.

Mystica expositio.

103. Propter *honestatem contubernii* subditur: *Et reversa est in domum suam,* ut habitaret cum sponso, virginitatis suae custode; unde dicere poterat illud Genesis trigesimo[7]: « Benedixit tibi Dominus ad introitum meum. Iustum est igitur, ut aliquando provideam etiam domui meae ». *Reversa est in domum suam,* quia sponsus et familia sua reditum desiderabat, secundum illud Canticorum sexto: « Revertere, revertere Sulamitis, revertere ». Sic ergo virgo Maria dat exemplum omnibus imitandum, secundum quod dicit Ambrosius[8]: « Discite, inquit, a Maria religiositatem, longanimitatem et honestatem ».

Tertium.

**De gratiarum actione pro ortu praecursoris dicuntur tria.**

104. *Elisabeth impletum est tempus* etc. Post gratiarum actionem de conceptu Salvatoris sequitur hic gratiarum actio pro *ortu praecursoris.* Agitur autem laus Deo de praecursoris *ortu* magis quam de conceptu, quia conceptus fuit in peccato, sed natus fuit plenus Spiritu sancto; Christus autem tam in conceptu quam in ortu fuit sanctissimus, ideo ante ortum et post ortum ipsius laudes decantantur. — Habet autem haec pars tres partes, in quarum prima describitur *praecursoris origo;* secundo vero pro ipsa subditur *laus et gratiarum actio,* ibi[9]: *Et Zacharias, pater eius, impletus est Spiritu sancto,* ubi ponitur canticum Zachariae; tertio vero ad materiam maioris laudis subditur *praecursoris educatio,* ibi: *Puer autem crescebat* etc.

Divisio.

---

[1] Vers. 16. — Sequuntur Rom. 9, 8. et Luc. 3, 8.

[2] Psalm. 89, 2. — Subinde allegatur Apoc. 1, 8. — Pro *incipit* C D G *incepit.*

[3] Vers. 11. — Duo seqq. loci sunt Gen. 34, 1. seq. et I. Tim. 5, 13.

[4] Epist. 2. n. 1: Primum argumentum bene compositae mentis existimo, posse consistere et secum morari. Codd. A D et C primitus omittunt *Seneca.*

[5] Scilicet *ordinaria,* quae tamen omittit *Elisabeth partus tempore completo* (Beda vero in hunc locum haec verba exhibet). — Sequitur II. Reg. 6, 11, ubi pro *mansit* Vulgata *habitavit.*

[6] Nempe *ordinaria,* sumta ex Beda (in hunc locum), qui pro *exercitus* substituit *exercitii* (ita etiam D a secunda manu).

[7] Vers. 30. — Subinde allegatur Cant. 6, 12.

[8] His verbis S. Bonav. complecti videtur quae Ambrosius, I. in Luc. n. 20-22, exhibet, ubi Mariam mulieribus et virginibus tanquam exemplar sedulitatis, modestiae etc. proponit.

[9] Vers. 67, ubi Vulgata *repletus* pro *impletus.* Tertia pars habetur v. 80.

**De praecursoris origine iterum tria.**

Ad describendum autem *ortum praecursoris* tria concurrunt, quae ab Angelo praenuntiata fuerunt. Primum est *partus sterilis;* secundum est *circumcisio infantis,* quae describitur ibi [1]: *Et factum est in die octavo;* tertium est *apertio oris sacerdotalis,* ibi: *Apertum est autem illico os eius.*

Subdivisio. — *Partus* autem ostenditur fuisse *opportunus in matre, perfectus in prole, iucundus in vicinitate.*

105. (Vers. 57.). *Opportunus,* inquam, fuit partus *in matre* ratione temporis; propter quod dicit: *Elisabeth impletum est tempus pariendi,* et ita opportunum erat, ut pareret, quia, Ecclesiastae tertio [2], « omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub caelo ». *Impletum est,* inquam, secundum impletionem verbi angelici, ut dictum est supra eodem: « Ecce, eris tacens usque in diem, quo haec fient; quia non credidisti verbis meis, quae implebuntur in tempore suo ». Vere *impletum,* quia iam venerat plenitudo temporis, in quo debebat venire Christus; ad Galatas quarto: « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum » etc.

Partus ostenditur opportunus.

106. *Perfectus* etiam fuit *in prole* ratione *sexus virilis;* propter quod dicit: *Et peperit filium,* non filiam. Talem prolem petebat Anna primi Regum primo [3]: « Domine, si recordatus mei fueris, dederisque servae tuae sexum virilem; dabo eum Domino omnibus diebus vitae eius ». — Peperit etiam *virtute perfecta,* nullo sibi praestante impedimento; quocontra dicitur Isaiae trigesimo septimo [4]: « Venerunt filii usque ad partum, et non est virtus pariendi ». — Peperit etiam filium *perfectum superna gratia,* ita ut competeret ei illud Sapientiae quarto: « Consummatus in brevi complevit tempora multa ».

Item, perfectus tripliciter.

107. (Vers. 58.). *Iucundus* etiam fuit *in vicinitate* ratione famae celebris et communis; propter quod dicit: *Et audierunt vicini et cognati eius, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei.* Et sic impletum est illud quod praedixerat Angelus [5]: « Et in nativitate eius multi gaudebunt », scilicet vicini et cognati, quia talium maxime est congratulari; infra decimo quinto: « Mulier, quae invenit drachmam perditam, convocat amicas et vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram ». *Et ei congratulabantur;* nam et ipsa pariter gaudebat, secundum illud Ioannis decimo sexto [6]: « Cum autem mulier pepererit puerum, iam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum »; et ideo congratulabantur. — *Quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa,* id est, misericordiam magnam fecit; unde poterat dicere illud Psalmi [7]: « Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo et glorificabo nomen tuum in aeternum, quia misericordia tua magna est super me ». Magnificat enim Dominus eos quos diligit; Sapientiae ultimo: « In omnibus magnificasti populum tuum, Domine, et non despexisti ».

Item, iucundus.

108. (Vers. 59.). *Et factum est in die octavo.* Post partum senis sequitur *circumcisio infantis,* in qua secundum consuetudinem facta est *impositio nominis,* primo secundum *appellationem humanam a consanguinitate;* secundo vero, secundum *revelationem propheticam a matre;* tertio, secundum *affirmationem authenticam ab ipso patre.* — Introducitur ergo circumcisio cum *appellatione humana,* cum dicitur: *Octavo die venerunt circumcidere puerum,* ut scilicet implerent Legis praeceptum; Genesis decimo septimo [8]: « Infans octo dierum circumcidetur in vobis », quia « masculus, cuius caro praeputii non fuerit circumcisa, peribit de populo eius ». — *Et vocabant eum nomine patris sui Zachariam,* secundum consuetum modum, quia filii consueverunt appellari nomine suorum patrum; Tobiae primo [9]: « Tobias genuit filium, nomen suum imponens ei », ut in hoc significaret, patrem in tam nobili filio vivere, secundum illud Ecclesiastici trigesimo: « Mortuus est pater eius et quasi non est mortuus; similem enim sibi reliquit. In vita sua vidit et laetatus est in illo ».

Circumcisio et nominis impositio triplex.

Circumcisio.

Appellatio humana.

109. (Vers. 60.). Sed quoniam in Ioanne non habebat locum denominatio secundum appellationem humanam, ideo sequitur denominatio secundum *revelationem propheticam in Elisabeth,* cum dicitur: *Et respondens mater eius dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes.* Et hoc quidem dicebat, edocta a Spiritu sancto; unde Ambrosius [10]: « Spiritu prophetiae didicit quod non didicerat a marito ». Quia enim non in virtute naturae conceptus fuerat, sed virtute gratiae; non debebat vocari *Zacharias* a patre, sed *Ioannes* a dono gratiae, ut novo modo natus novo nomine nuncupetur; Isaiae sexagesimo secundo: « Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit ».

Appellatio prophetica.

110. (Vers. 61.). Et quia cognati carnaliter sapiebant, nomen gratiae non acceptabant; ideo subdi-

Opponunt cognati.

---

[1] Vers. 59; tertium v. 64.

[2] Vers. 1, in quo pro *sub caelo* A C D F *sub sole.* — Duo seqq. loci sunt Luc. 1, 20. et Gal. 4, 4. — Superius pro *secundum impletionem* Vat. *secundum comminationem,* quae etiam pro *Vere impletum* non male substituit *Vel impletum.*

[3] Vers. 11.

[4] Vers. 3. Vat. allegat IV. Reg. 19, 3. — Sequitur Sap. 4, 13. — Superius pro *sibi praestante* G *sibi obstante.*

[5] Supra v. 14, post quem allegatur 15, 8. seq.

[6] Vers. 21.

[7] Psalm. 85, 12. — Sequitur Sap. 19, 20.

[8] Vers. 12. et 14.

[9] Vers. 9. — Subinde allegatur Eccli. 30, 4. seq. — Superius pro *suorum patrum* B C D F *bonorum* (G *beatorum*) *patrum.*

[10] Libr. II. in Luc. n. 31: Per prophetiam [Glossa *interlinearis:* Spiritu prophetiae] didicit etc. Ibid. adiungitur: *Ioannes est,* inquit, *nomen eius,* hoc est, non nos ei nomen imponimus, qui iam a Deo nomen accepit. — Inferius allegatur Isai. 62, 2. — Superius pro *in Elisabeth* Vat. *per Elisabeth.*

tur: *Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.* Sed eorum instantia nulla erat, quia, secundum quod dicit Ambrosius [1], « hoc nomen non est generis, sed vatis. Habent enim hoc merita Sanctorum, ut a Deo nomen accipiant, sicut Iacob Israel vocatus est, Genesis trigesimo secundo, quia vidit Deum »; sic de Salomone, secundi Regum duodecimo: « Vocavit nomen eius *amabilis Domino* ». Et quoniam contentio erat hic inter gratiam et naturam, inter appellationem humanam et revelationem propheticam; ideo requirebant opinionem paternam, ut ipse proferret assertionem authenticam.

Appellatio authentica desideratur.

111. (Vers. 62.). Propterea sequitur: *Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum; innuebant,* inquam, surdo et muto, quia, sicut dicit Ambrosius [2], « incredulitas affatum ei surripuerat et auditum »; et tamen ab eo requirebant, quia penes ipsum residebat auctoritas nominandi, tum quia pater, tum quia sacerdos, tum quia ortum filii divina revelatione praesciverat.

Ipsa datur.

112. (Vers. 63.). Et quia non poterat voce respondere, manu et litteris est locutus; et ideo subditur: *Et postulans pugillarem, scripsit dicens: Ioannes est nomen eius;* quasi dicat: nomen non impono, sed impositum declaro; supra eodem [3]: « Vocabis nomen eius Ioannem », secundum illud Isaiae quadragesimo nono: « Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meae recordatus est nominis mei ». Et recte dicitur *scriptum* propter firmitatem indelebilem, ut ostendatur nomen eius scriptum in libro vitae, sicut discipulorum Christi; infra decimo [4]: « Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in caelis ». De hac scriptura dicitur Apocalypsis tertio: « Qui vicerit, scribam super eum nomen Dei mei et nomen civitatis Dei mei novae Ierusalem »; et rursus secundo: « Dabo ei calculum candidum, et in calculo nomen scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit ».

Mirantur.

— Et quia causam huius denominationis nescierunt, ideo sequitur: *Et mirati sunt universi;* Glossa [5]: « Propter consonantiam inter patrem et matrem », ut iam « in ore duorum testium staret illud verbum ». Vel etiam *mirati sunt* in puero tantam praerogativam; Ecclesiastici undecimo dicitur de viro iusto: « Deus exaltavit illum, et mirati sunt in illo multi et honoraverunt Deum ». Unde ipse poterat dicere illud Sapientiae octavo: « Facies principum mirabuntur me ». In quo docemur, quod divinorum privilegiorum praerogativae magis sunt humiliter et sobrie admirandae, quam procaciter perscrutandae.

Expositio spiritualis.

113. *Spiritualiter* nota, quod per *Zachariam* intelligitur vetus sacerdotium, per *Ioannem* novum; et quia vetus et novum differunt sicut memoriale muneris et ipsum munus; ideo recte ille denominatur a *memoriali,* iste vero a *munere gratiae;* et hoc quidem satis recte, quia memoria Dei in nobis generat affectiones virtutis et gratiae. Nam qui vult esse *Ioannes* per gratiam, oportet, quod sit *Zacharias* prius per divinam memoriam. Zacharias enim *memor Dei* interpretatur; Psalmus [6]: « Memoriam fecit mirabilium suorum »; Exodi vigesimo: « Altare de terra facietis mihi, et offeretis super eo holocausta et pacifica vestra, oves vestras et boves in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei; veniam ad te et benedicam tibi ».

Decem veritatum memor sis.

114. Debet autem quilibet esse memor *sacramentorum* Dei ad *credendum* et *confitendum;* Exodi decimo tertio [7] dicitur de agno paschali: « Erit quasi signum in manu tua et quasi memoriale ante oculos tuos »; sequitur: « Custodies huiuscemodi cultum statuto tempore a diebus in dies ». — *Beneficiorum* ad *regratiandum;* Deuteronomii decimo sexto [8]: « Septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Aegypto, ut memineris diei egressionis tuae de Aegypto omnibus diebus vitae tuae »; Psalmus: « Memoriam fecit » etc. — *Iudiciorum* ad *formidandum;* Ecclesiastici decimo octavo [9]: « Memento irae in die consummationis, et tempus retributionis in conversatione faciei »; Psalmus: « Memor fui iudiciorum tuorum a saeculo, Domine ». — *Promissorum* ad *exspectandum;* Ecclesiastici undecimo: « In die malorum ne immemor sis bonorum ». — *Mandatorum* ad *faciendum;* Psal-

---

[1] Libr. II. in Luc. n. 32: « Et bene additur: *Quia nemo in cognatione* eius vocabatur *hoc nomine,* ut intelligas nomen non generis esse, sed vatis ». Ibid. n. 31: Habent hoc merita Sanctorum, ut a Deo nomen accipiant. Sic Iacob Israel dicitur [Gen. 32, 28.], quia Deum vidit. Sic Dominus noster Iesus nominatus est, antequam natus etc. Subinde allegatur II. Reg. 12, 25.

[2] Libr. II. in Luc. n. 32. et apud Lyranum ut Glossa *interlinearis.* — Inferius pro *ortum filii,* quod habent codd., D (a secunda manu) *nomen,* Vat. *ortum suum.*

[3] Vers. 13, post quem sequitur Isai. 49, 1.

[4] Vers. 20. — Duo seqq. loci sunt Apoc. 3, 12. et 2, 17.

[5] Scilicet *interlinearis:* De convenientia inter etc. Cfr. Theophylact., in hunc loc.: Et quia [Zacharias] astipulatus est sententiae uxoris in nomine pueri, obstupescunt omnes; non enim erat in cognatione eorum quispiam eius nominis, ut quis dicere possit, quod ante tempus de hoc ambo tractarint. — Subinde allegantur Deut. 19, 15; Eccli. 11, 13. et Sap. 8, 11. — Aliquanto inferius pro *admirandae,* quod habet D, alii codd. et Vat. *annuntiandae.*

[6] Psalm. 110, 4. — Sequitur Exod. 20, 24. — Hieron., de Nomin. Hebraicis, novi testamenti, de Matthaeo: *Zacharia,* memoria Domini, vel memor Domini. Ibid. de Act. Apost. de Ioanne: *Ioannes,* in quo est gratia, vel Domini gratia. — Expositio haec mystica insinuatur a Glossa *ordinaria* in Luc. 1, 59, quae sumta est ex Beda, Sect. I. Homil. lib. II. homil. 14, in nativitate S. Ioan. Bapt. Cfr. etiam Comment. in Luc. 1, 64. — Superius pro *generat affectiones* Vat. *generat effectus.*

[7] Vers. 9, in quo pro *memoriale* Vulgata *monimentum.* Codd. legunt *memoriale omnibus* [diebus] *vitae tuae,* omisso v. 10, qui sequitur. Non pauci codd. omittunt etiam seq. Deut. 16, 3.

[8] Vers. 3. — Subinde allegatur Ps. 110, 4, quem Vat. omittit.

[9] Vers. 24. — Sequuntur Ps. 118, 52. et Eccli. 11, 27.

mus [1]: « Iustitia illius in filios filiorum, his qui servant testamentum eius et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea ». — *Exemplorum* ad *imitandum;* Ioannis decimo quinto: « Mementote sermonis mei, quem dixi vobis: Non est discipulus supra magistrum ». — *Suppliciorum* ad *compatiendum;* Threnorum tertio [2]: « Recordare paupertatis et transgressionis »; et sequitur: « Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea ». — *Solatiorum* ad *congaudendum;* Canticorum primo: « Exsultabimus et laetabimur in te, memores uberum tuorum super vinum ». — *Operum* ad *laudandum;* Psalmus [3]: « Memor fui operum Dei, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum, et meditabor in omnibus operibus tuis et in adinventionibus tuis exercebor »; item: « Mementote mirabilium eius, quae fecit ». — *Charismatum* ad *postulandum;* Isaiae vigesimo sexto [4]: « Domine, sustinuimus te; nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animae. Anima mea desideravit te in nocte »; et sexagesimo secundo: « Qui reminiscemini Domini, ne taceatis et ne detis silentium ei, donec stabiliat et donec ponat Ierusalem laudem in terra ».

115. *Apertum est autem illico os eius* etc. Post partum sterilis et circumcisionem et denominationem infantis sequitur *apertio oris sacerdotalis*, secundum dictum nuntii caelestis. Hoc autem miraculum erat ostensivum praerogativae et excellentis magnificentiae in Ioanne, ut merito ostendatur, ipsum vocari hoc nomine [5]. In huius autem miraculi descriptione insinuantur tria, scilicet miraculi *evidentia* et ipsius *reverentia* et eiusdem *intelligentia*. Nam apparitio miraculi parit admirationem, admiratio cognitionem sive inquisitionem.

De apertione oris tria.

116. (Vers. 64.). Praemittit igitur primo *miraculi evidentiam*, cum dicit: *Apertum est autem illico os Zachariae et lingua eius, et loquebatur benedicens Deum; apertum*, inquam, non virtute naturae, sed supernae potentiae; Sapientiae decimo [6]: « Sapientia aperuit os mutorum et linguas infantium fecit disertas ». Ille, inquam, fecit, de quo admirabantur turbae, dicentes: « Bene omnia fecit, et surdos fecit audire et mutos loqui », scilicet Christi Dei virtus et Dei sapientia, Marci septimo. Et ut ostendatur miraculum *verum*, dicitur *illico;* ut enim dicit Ambrosius [7]: « Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia ». — Ut ostendatur *plenum* et *perfectum*, subditur: *Et loquebatur benedicens Deum*, recognoscens beneficium, sicut Tobiae decimo tertio [8]: « Aperiens autem Tobias senior os suum, benedixit Deum ». In quo instruimur, quod debemus os apertum habere ad divinam laudem; quod oramus in Psalmo: « Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam »; et maxime post beneficium nostrae redemptionis; Isaiae trigesimo quinto: « Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum ». Sed econtra dicitur de malis Iob decimo sexto [9]: « Aperuerunt super me ora sua exprobrantes »; quia, secundum quod dicitur in Psalmo, « sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant ».

Miraculi evidentia. Fuit verum. Et perfectum.

117. (Vers. 65.). Secundo subdit *miraculi reverentiam*, cum dicit: *Et factus est timor super omnes vicinos eorum, et super omnia montana Iudaeae divulgabantur omnia verba haec;* Psalmus [10]: « Timebunt omnes, qui habitant terminos, a signis tuis »; unde poterant decantare illud Exodi decimo quinto: « Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui, magnificus in sanctitate »? Et quia reverentiam miraculi consequitur magnificentia praeconii, ideo dicit: *Super omnia montana Iudaeae divulgabantur* etc. Et recte, quia, Tobiae duodecimo [11], « sacramentum regis abscondere bonum est, opera Dei revelare et confiteri honorificum est »; et ideo Psalmus: « Confitemini Domino et invocate nomen eius »; et post: « Narrate omnia mirabilia eius ».

Reverentia.

118. (Vers. 66.). Tertio subiungit *miraculi intelligentiam*, cum dicit: *Et posuerunt omnes, qui audierunt, in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit?* Ecclesiastici quinquagesimo [12]: « Beatus, qui in istis versatur bonis; qui ponit illa in corde suo, sapiens erit semper »; et Proverbiorum vigesimo quarto: « Per agrum hominis pigri transivi et per vineam viri stulti; et ecce, totum repleverant urticae, operuerunt superficiem eius spinae, et maceria lapidum destructa erat. Quod cum vidissem, posui in corde meo et didici disciplinam ». *Posuerunt*, scilicet per attentionem, intelligentiam et memoriam; et per magnitudinem miraculi cognoscebant magnitudinem pueri; unde dicebant: *Quis, putas, puer iste erit?* quasi dicant: magnus erit, secundum illud Angeli, supra eodem [13]: « Erit enim magnus coram Domino ». Sic dicebant de Christo; Marci quarto: « Quis, putas, iste est »? Recte de

Intelligentia.

---

[1] Psalm. 102, 17. seq. — Subinde allegatur Ioan. 15, 20. Cfr. Matth. 10, 24: Non est discipulus super magistrum (Ioan. loc. cit.: Non est servus maior domino suo).

[2] Vers. 19, post quem sequitur v. 20. — Subinde allegatur Cant. 1, 3.

[3] Psalm. 76, 12. seq. et deinde Ps. 104, 5.

[4] Vers. 8. seq. — Sequitur Isai. 62, 6. seq.

[5] Theophylact., in hunc locum: Ioannes iuxta interpretationem est *Dei gratia;* proinde et pater illius, statim assecutus gratiam, primum de Christo, deinde de puero prophetizat. — Superius Vat. omittit *et denominationem*.

[6] Vers. 21. — Subinde allegatur Marc. 7, 37.

[7] Libr. II. in Luc. n. 19.

[8] Vers. 1. — Duo seqq. loci sunt Ps. 50, 17. et Isai. 35, 6.

[9] Vers. 11. — Sequitur Ps. 5, 11.

[10] Psalm. 64, 9. — Subinde allegatur Exod. 15, 11.

[11] Vers. 7. — Sequitur Ps. 104, 1. et 2.

[12] Vers. 30, post quem Prov. 24, 30-32.

[13] Vers. 32. — Subinde allegatur Marc. 4, 40. — Superius pro *attentionem, intelligentiam et memoriam* Vat. *attentionem intellectivam et memorativam*.

Christo dicebant *est*, tanquam de Creatore, cuius est *manere;* de Ioanne vero *erit*, tanquam de praecursore, cuius erat *pertransire*. — Et rationem reddunt: *Etenim manus Domini erat cum illo;* Ezechielis tertio[1]: « Manus Domini erat mecum confortans me »; sic et cum Ioanne erat manus Domini dextera conservans et confortans eum; Psalmus: « Fiat manus tua super virum dexterae tuae et super filium hominis, quem confirmasti tibi ». Et sic intelligebant illum, de quo scribitur Isaiae quadragesimo nono: « Posuit os meum quasi gladium acutum, sub tegumento manus suae protexit me ».

**De laude et gratiarum actione ponuntur duo.**

119. (Vers. 67.). *Et Zacharias pater eius* etc. Postquam descripta est Ioannis origo, subiungitur hic *gratiarum actio* pro redemptionis beneficio iam inchoato in ortu praecursoris et consummando in ortu Salvatoris. Hanc igitur gratiarum actionem dupliciter describit: primo, ex parte *motivi;* secundo, ex parte *modi*, ibi[2]: *Benedictus Dominus.*

Circa *motivum* nota, quod illud quod movit Zachariam ad laudandum, fuit Spiritus divinus, non suus; propter quod praemittit, eum Spiritu sancto fuisse afflatum et impletum. Et tangitur hic: *quis* impletur? scilicet *Zacharias*, qui fuit vir iustus, de quo supra eodem[3], quod erat « incedens in omnibus mandatis et iustificationibus Domini sine querela », et in hoc innuitur, quod *memoria Dei* impletur; Tobiae primo: « Quia memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis ». — *Quare* impletur? Quia *pater eius*, scilicet Ioannis; unde sicut mater spiritum prophetiae habuit propter filium, supra eodem[4], sic et pater; Proverbiorum vigesimo tertio: « Exsultat gaudio pater iusti, qui sapientem genuit filium laetabitur in ipso ». In quo intelligitur *allegorice*, quod lex vetus et sacerdotium non habebat Spiritum nisi ratione novi testamenti, quod praefigurabat[5]. — *Quomodo* impletur? Propter quod dicit: *Et impletus est Spiritu sancto;* Genesis quadragesimo primo[6]: « Nunquid invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit »? Et Ecclesiastici decimo quinto: « Implevit eum spiritu sapientiae et intellectus ». In quo instruimur, *quo* debemus impleri; ad Ephesios quinto: « Impleamini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis » etc. — *Ad quid* impletur? *Et prophetavit*, laudando et praedicando; Actuum secundo[7]: « Repleti sunt omnes Spiritu sancto et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis »; et Amos tertio: « Dominus locutus est, quis non prophetabit »? et secundae Petri primo: « Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines ».

(Margin: Primo, de motivo laudandi. — Quis impleatur Spirito. — Quare. — Quomodo. — Ad quid.)

120. *Benedictus Dominus Deus Israel* etc. Hic describitur *gratiarum actio* quantum ad *modum* in hoc cantico, cuius quatuor sunt partes. In quarum prima fit gratiarum actio et laudis decantatio pro beneficio nostrae redemptionis, secundum quod *consummanda erat per Christum* dispensatio remediativa. Secundo, in quantum iam *promissa per Prophetas* Spiritus sancti vaticinio, ibi[8]: *Sicut locutus est per os sanctorum.* Tertio, in quantum *promissa Patriarchis*, veritatis iuramento firmata, ibi: *Ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris* etc. Quarto, secundum quod iam *inchoata in praecursore* prophetali praeconio, ibi: *Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis.*

(Margin: Secundo, de modo gratiarum actionis. — Quatuor partes cantici.)

Agens autem gratias pro beneficio redemptionis *consummando*[9] *in Christo* ponit praeteritum pro futuro, more prophetico; in quo tangitur *mysterium incarnationis, pretium redemptionis, tropaeum resurrectionis;* in quibus est remedium nostrae salutis.

(Margin: In prima ponuntur motiva.)

121. (Vers. 68.). Introducit ergo primo Zachariam in gratiarum actione per Spiritum sanctum prophetantem, quia agit gratias de futuro beneficio, cum dicit: *Benedictus Dominus Deus Israel.* Similiter dicitur Tobiae octavo[10]: « Benedicimus te, Domine Deus Israel, quia fecisti nobiscum misericordiam tuam »; et primi Paralipomenon ultimo: « Benedictus es, Domine Deus Israel, patris nostri ab aeterno in aeternum ».

(Margin: Introductio benedictionis.)

Et nota, quod *Dominus* nominat *maiestatem* benedicendam cum *timore;* Malachiae primo[11]: « Si ego Dominus sum, ubi est timor meus »? Et ideo dicitur Deuteronomii decimo: « Dominum Deum tuum timebis »; et Psalmus: « Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra »! — *Deus Israel* nominat *benignitatem* benedicendam cum *amore;* Isaiae quadragesimo quinto[12]: « Ego

(Margin: Notando.)

---

[1] Vers. 14. — Duo seqq. loci sunt Ps. 79, 18. et Isai. 49, 2. — Superius pro *reddunt* C D F *reddit.*

[2] Vers. 68. — Superius voci *describit* Vat. praefigit *Evangelista.*

[3] Vers. 6. — Sequitur Tob. 1, 13.

[4] Vers. 41. seqq. — Subinde allegatur Prov. 23, 24.

[5] Cfr. Beda, Homil. iam allegata in nativitate S. Ioan. Bapt. et Comment. in Luc. 1, 64. seq.

[6] Vers. 38. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 15, 5: *Adimplebit illum spiritu* etc., et Eph. 5, 18.

[7] Vers. 4. — Sequuntur Amos 3, 8. et II. Petr. 1, 21, in quo pro *inspirati* codd. *illustrati* (cfr. supra pag. 1, nota 5, ubi codd. legunt *inspirante*).

[8] Vers. 70; tertium et quartum habentur v. 72. et 76. — Pro *Spiritus sancti vaticinio* Vat. *sanctos vaticinio.*

[9] Cod. D *consummandae.* — Beda, Homil. in nativitate S. Ioan. Bapt.: *Benedictus... plebis suae.* In quibus profecto verbis notandum, quia beatus Zacharias quod inchoatum et proxime futurum in spiritu praeviderat prophetico more quasi iam factum esse narrabat etc.

[10] Vers. 17. seq. — Sequitur I. Paral. 29, 10.

[11] Vers. 6. — Duo seqq. loci sunt Deut. 10, 12. et Ps. 8, 2.

[12] Vers. 3. seq. — Subinde allegatur Exod. 3, 15. — Superius ante *benignitatem* codd. omittunt *nominat.* Aliquanto inferius post *potius nominatur* Vat. addit *quam Iacob.* — Beda, Comment. in Gen. 32, 28: Cuius nominis impositio [Israel pro

Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel propter Iacob servum meum et Israel electum meum »; et Exodi tertio: « Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob. Hoc nomen meum, et hoc memoriale ». Ideo autem *Israel* hic potius nominatur, quia est nomen electionis et gratiae.

Motivum primum.

122. Huius autem benedictionis primum motivum est *incarnationis mysterium*, quod notat, cum dicit: *Quia visitavit*, scilicet per incarnationem; Exodi tertio[1]: « Visitans visitavit nos Dominus et vidit omnia mala, quae acciderunt nobis in Aegypto, et educet nos de afflictione Aegypti » etc. Hoc petebat Propheta in Psalmo: « Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo ». Hoc autem fuit, quando carnem sumsit ex Virgine; Psalmus: « Visitasti terram et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam ».

Secundum.

123. Secundum motivum est *redemptionis pretium*, quod tangit, cum dicit: *Et fecit redemptionem plebiss uae*; ut impleatur illud Psalmi[2]: « Redemptionem misit Dominus populo suo »; et vere, « quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio »; et primae Petri primo: « Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati et incontaminati » etc. Et hoc est, quod dicitur Isaiae quinquagesimo secundo[3]: « Gratis venundati estis et sine argento redimemini »; Psalmus: « Redemisti in brachio tuo populum tuum ».

Tertium.

124. (Vers. 69.). Tertium motivum est *resurrectionis tropaeum*, quod tangit, cum dicit: *Et erexit cornu salutis nobis in domo David, pueri sui*; in quo intelligitur potestas Christi resurgentis; primi Regum secundo[4]: « Dominus dabit imperium regi suo et sublimabit cornu Christi sui ». Et hoc fuit in resurrectione; Matthaei ultimo: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra ». Et quia illa potestas erat durabilis, ideo per *cornu* significatur; in cuius rei figuram vas, quo inunctus fuit Salomon, *cornu* fuit, tertii Regum primo; vas, quo inunctus fuit Saul, fuit *lenticula*, scilicet vas fragile, primi Regum decimo. Et dicitur: *Cornu salutis*, quia per illud « salvatus est Israel salute aeterna », Isaiae quadragesimo quinto[5]. — Et addit: *In domo David, pueri sui*; secundum illud Psalmi: « Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo »; et secundi Regum vigesimo secundo: « Scutum meum et cornu salutis meae, elevator meus et susceptor meus, ab iniquitate mea liberabis me ». Hoc autem dicitur propter incarnationem; infra secundo dicitur, quod Ioseph et Maria erant « de familia David ».

In secunda parte tanguntur tria.

125. (Vers. 70.). *Sicut locutus est per os sanctorum.* Hic agit laudes et gratias pro nostra reparatione, secundum quod fuit *per Prophetas promissa* Spiritus sancti vaticinio. Et primo praemittit *vaticinium propheticum*; secundo vero subiungit *vaticinatum beneficium*; et tertio, *beneficii complementum*. Haec enim tria excitant ad benedicendum.

Vaticinium propheticum.

Primo igitur praemittit *vaticinium* in hoc quod dicit: *Sicut locutus est per os sanctorum qui a saeculo sunt Prophetarum eius.* Et debet iterari: « Benedictus Dominus Deus, quia erexit » etc. *Sicut locutus est*; primi Paralipomenon decimo septimo[6]: « Nunc, Domine, sermo, quem locutus es, confirmetur in perpetuum, et fac, sicut locutus es ». Hoc optabant Sancti praecedentes Christi adventum; Ecclesiastici trigesimo sexto[7]: « Suscita precationes, quas locuti sunt in nomine tuo Prophetae priores; et da mercedem sustinentibus te, ut Prophetae tui fideles inveniantur ». Quod et factum est; infra decimo octavo: « Ecce, ascendimus Ierosolymam, et consummabuntur omnia, quae dicta sunt per Prophetas de Filio hominis »; Amos tertio: « Quia non faciet Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas ».

Beneficium vaticinatum.

126. (Vers. 71.). Secundo subiungit *beneficium*, quod Prophetae promiserunt, cum dicit: *Salutem ex inimicis nostris*; et debet repeti verbum hoc *fecit*, vel *erexit*. De hac enim locuti sunt Prophetae; primae Petri primo[8]: « De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetae, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt ». Haec autem salus est in *liberatione ab inimicis*, id est a daemonibus; Psalmus: « Eripe me de inimicis meis »; ad Colossenses primo: « Eruit nos de potestate tenebrarum ».

Beneficii complementum.

127. Et subdit tertio *beneficii complementum*, cum dicit: *Et de manu omnium, qui oderunt nos*, id est de manu sive potestate omnium persequentium, sive daemonum, sive hominum; Isaiae decimo nono[9]: « Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos »; Iob quinto: « Dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod coeperant ». Et de tanto beneficio laudandus est Deus;

---

Iacob] utique benedictio fuit. Interpretatur autem Israel *vir videns Deum*, vel *princeps cum Deo*, quod erit in fine praemium iustorum omnium.

[1] Vers. 16. seq.: Visitans visitavi vos et vidi omnia, quae acciderunt vobis in Aegypto, et dixi, ut educam vos de etc. — Sequuntur Ps. 105, 4. et 64, 10.

[2] Psalm. 110, 9. — Duo seqq. loci sunt Ps. 129, 7. et I. Petr. 1, 18.

[3] Vers. 3. — Sequitur Ps. 76, 16.

[4] Vers. 10. — Subinde alleganiur Matth. 28, 18; III. Reg. 1, 39. et I. Reg. 10, 1; Vat. ibi: *lenticula, hoc est vas figuli, proin et fragile.*

[5] Vers. 17. — Sequuntur Ps. 131, 17; II. Reg. 22, 3. et Luc. 2, 4.

[6] Vers. 23. — Superius ex CDF posuimus *quia erexit* pro *qui erexit.*

[7] Vers. 17. seq. — Duo seqq. loci sunt Luc. 18, 31. et Amos 3, 7.

[8] Vers. 10. — Subinde alleganiur Ps. 58, 2. et Col. 1, 13.

[9] Vers. 20. — Sequitur Iob 5, 12.

secundi Machabaeorum primo[1]: « De magnis periculis a Deo liberati, magnifice gratias agimus ipsi »; et in Psalmo: « Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his qui oderunt me ».

**In tertia parte tanguntur tria.**

128. (Vers. 72.). *Ad faciendam misericordiam* etc. Haec est tertia pars principalis cantici, in qua gratias agit pro nostra reparatione, secundum quod *Patribus promissa* sub iureiurando. Et in hac parte primo praemittit *principium ad promittendum movens;* secundo, *iuramentum stabiliens;* et tertio, *remedium subsequens.*

**Principium movens ad promittendum.**

*Principium* autem *movens ad promittendum* fuit divina misericordia, ex qua promissione ortum habuit testimonium Patrum; et hoc tangit, cum dicit: *Ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris.* Et debet iterari verbum prius positum, scilicet benedictionis et erectionis: benedictus scilicet Deus, qui erexit cornu, ut faceret misericordiam; Exodi vigesimo[2]: « Faciet misericordiam in millia his qui diligunt illum »; et Tobiae tertio: « Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, qui, cum iratus fueris, misericordiam facis »; Psalmus: « Magnificans salutes regis eius et faciens misericordiam Christo suo David et semini eius in sempiternum ». Et quia misericordiam promittendo quasi fecit debitum per pactum, ideo subdit: *Et memorari testamenti sui sancti;* Psalmus[3]: « Memor fuit in saeculum testamenti sui, verbi, quod mandavit in mille generationes ».

**De duplici testamento.**

129. Et nota, quod testamentum vetus fuit sanctum per *figurationem*, novum vero per *continentiam* et impletionem; unde *sanctum* testamentum vocat testamentum novum, quod sanctificavit sanguine suo; Zachariae nono[4]: « Tu autem in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu »; et ad Hebraeos nono: « Si sanguis hircorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? Et ideo novi testamenti mediator est, ut, morte intercedente, in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, aeternae hereditatis ». Et hoc est quod ante promiserat, sicut dicitur ad Hebraeos octavo[5]: « Consummabo super domum Israel et domum Iuda testamentum novum ».

**Iuramentum stabiliens.**

130. (Vers. 73.). Secundo subdit *iuramentum stabiliens,* cum ait: *Iusiurandum, quod iuravit ad Abraham, patrem nostrum;* et debet semper iterari verbum praemissum, scilicet *fecit;* Genesis vigesimo secundo[6]: « Per memetipsum iuravi, dicit Dominus, quia fecisti rem hanc et non pepercisti unigenito filio tuo propter me, et benedicens benedicam te ». Quod introducens Apostolus ad Hebraeos sexto inquit: « Abrahae namque promittens Deus, cum neminem haberet, per quem iuraret, maiorem, per semetipsum iuravit »; et sic, ut « ostenderet abundantius heredibus pollicitationis immobilitatem consilii sui, interposuit iusiurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum haberemus solatium ». *Abrahae,* promisit, scilicet *daturum se nobis,* filiis eius, scilicet per promissionem, Unigenitum suum; Ioannis tertio[7]: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret »; et: « Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia nobis cum illo donavit »? ad Romanos octavo. Huius autem figura Genesis decimo quinto: « Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Aegypti usque ad fluvium magnum Euphraten ».

**Remedium subsequens.**

131. (Vers. 74.). Deinde subiungit beneficium sive *remedium subsequens,* cum ait: *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi.* Istud enim est remedium, quod assecuti sumus per Christum nobis donatum; ad Romanos sexto[8]: « Nunc liberati a peccato, servi autem facti Deo, habemus fructum in sanctificatione, finem vero vitam aeternam »; Sapientiae decimo sexto: « Ostendisti inimicis nostris, quia tu es, qui liberas ab omni malo », illos scilicet, qui te audiunt credendo et obediendo; Proverbiorum primo: « Qui autem me audierit absque terrore erit et abundantia perfruetur, malorum timore sublato ». Et isti sunt, qui serviunt Domino; primi Regum septimo: « Praeparate corda vestra Domino et servite illi soli »; et liberabit nos de manibus inimicorum nostrorum.

**Modus Deo serviendi quadruplex.**

132. (Vers. 75.). Et quia non omnis modus serviendi est Deo acceptus: ideo subdit *modum,* scilicet *sancte* quoad se ipsum, *iuste* quoad proximum, *simpliciter* quoad Deum, *perseveranter* respectu omnium praedictorum. — Propter *sanctitatem* dicit:

**Sancte.**

*In sanctitate* autem serviamus illi, quia, secundum quod dicitur in Psalmo[9], « ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat »; ideo Exodi vigesimo

---

[1] Vers. 11, post quem Ps. 17, 18. Vat. adiungit Ps. 114, 8: *Eripuit animam meam de morte* etc.

[2] Vers. 6. — Duo seqq. loci sunt Tob. 3, 13. et Ps. 17, 51, pro quo Vat. *II. Reg. 22. 51,* quae etiam aliquanto superius omittit *promissione.*

[3] Psalm. 104, 8. — Superius pro *Et quia* et pro *quasi* Vat. *Et fecit* et *quod.*

[4] Vers. 11. — Sequitur Hebr. 9, 13. seqq.

[5] Vers. 8.

[6] Vers. 16. seq. — Subinde allegatur Hebr. 6, 13. et 17. seq. — Superius pro *cum ait* codd. *cum subdit.* Subinde ex A D post *praemissum* supplevimus *scilicet fecit;* cfr. tamen paulo superius n. 125. seqq.

[7] Vers. 16, post quem Rom. 8, 32. et Gen. 15, 18.

[8] Vers. 22. — Tres seqq. loci sunt Sap. 16, 8; Prov. 1, 33. et I. Reg. 7, 3, quem Vat. integre exhibet, addens: *et eruet vos de manu Philisthiim,* omissis quae sequuntur: *et liberabit nos de manibus inimicorum nostrorum.*

[9] Psalm. 100, 6. — Sequuntur Exod. 28, 41. et 43; I. Petr. 1, 15. seq., in quo allegatur Lev. 11, 44. (cfr. 19, 2.).

octavo: « Sanctificabis Aaron et filios eius, ut sacerdotio fungantur mihi », et « ministrent in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur »; primae Petri primo: « Secundum eum qui vocavit vos sanctum, ut et ipsi in omni conversatione sancti sitis, quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum ».

Iuste.

133. Propter *iustitiam* quoad proximum dicit: *Et iustitia;* ad Romanos sexto[1]: « Sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem »; ut sic possitis dicere illud Psalmi: « Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo ».

Simpliciter.

134. Propter *simplicitatem* dicit: *Coram ipso,* scilicet Deo; quod fit per simplicem intentionem, sicut Ezechias, quarti Regum vigesimo[2]: « Obsecro, Domine, memento, quomodo ambulaverim coram te in veritate et corde perfecto, et quod placitum est coram te fecerim ». Sic « puer Samuel ministrabat in conspectu Domini ante faciem Heli », primi Regum tertio et primi Paralipomenon ultimo: « Scio, Domine, quod probes corda et simplicitatem diligas ».

Perseveranter.

135. Propter *perseverantiam* subdit: *Omnibus diebus nostris,* sicut Apostolus, Actuum vigesimo[3]: « Vos scitis, qualiter per omne tempus fuerim vobiscum, serviens Domino cum omni humilitate et lacrymis et tentationibus »; et Iosue vigesimo secundo: « Adhaereatis Deo et serviatis ei in omni corde et in omni anima vestra ».

In quarta parte tanguntur tria.

136. (Vers. 76.). *Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis* etc. Haec est quarta pars cantici, in qua recolit beneficium nostrae redemptionis, secundum quod iam *inchoata erat in praecursore;* et hoc *prophetali praeconio,* quod commendat tripliciter, scilicet ab *auctoritate prophetiae,* ab *utilitate doctrinae* et a *proximitate divinae praesentiae.*

Commendatur praeconium ab auctoritate prophetiae.

Commendat igitur Ioannis praeconium nostrae reparationis inchoativum ab *auctoritate prophetiae,* convertens sermonem ad puerum. *Et tu, puer, propheta Altissimi; tu puer* et aetate et puritate; primae ad Corinthios decimo quarto[4]: « Malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti estote ». *Vocaberis propheta;* Matthaei undecimo: « Etiam dico vobis, et plus quam prophetam »; et *propheta Altissimi,* id est Christi, ratione *Divinitatis;* Psalmus: « Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus ». — *Praeibis enim ante faciem Domini,* ratione *humanitatis;* Psalmus[5]: « Ostende faciem tuam, et salvi erimus »; et Malachiae tertio: « Ecce, ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam ». — *Parare vias eius,* pluraliter dicit *vias,* id est viam cognitionis in *fide* et affectionis in *caritate.* De *prima* Iob decimo septimo[6]: « Tenebit iustus viam suam et mundis manibus addet fortitudinem »; ad Romanos primo: « Iustus autem ex fide vivit ». De via *caritatis;* primae ad Corinthios duodecimo: « Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro ». Viam *fidei* praeparavit Ioannes, secundum quod *vox;* infra tertio: « Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini »; viam *caritatis,* secundum quod *lucerna;* Ioannis quinto: « Ille erat lucerna ardens et lucens ».

Item, ab utilitate doctrinae.

137. (Vers. 77.). Commendat etiam secundo ab *utilitate doctrinae,* cum dicit: *Ad dandam scientiam salutis plebi eius; dandam,* scilicet gratis; Matthaei decimo[7]: « Gratis accepistis, gratis date »; et Proverbiorum secundo: « Dominus dat sapientiam, et ex ore eius prudentia et scientia ». *Dandam,* inquam, *scientiam,* non quamcumque, sed *salutis;* quia sine scientia non est salus; Isaiae quinto[8]: « Propterea captivus ductus est populus meus, eo quod non habuit scientiam ». Hanc debet habere omnis rector populi; Osee quarto: « Quia tu scientiam repulisti, repellam ego te, ne sacerdotio fungaris mihi »; Isaiae trigesimo tertio: « Divitiae salutis, sapientia et scientia », *salutis,* inquam, non cuiuscumque, sed *spiritualis;* propter quod subdit: *In remissionem peccatorum eorum.* Beda[9]: « Ne temporalem salutem promitti putares, addit in remissionem peccatorum eorum ». Nam de Salvatore dicitur Matthaei primo: « Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum »; et Marci primo: « Fuit Ioannes praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum ».

Item, a proximitate divinae praesentiae tripliciter.

138. (Vers. 78.). Commendat etiam Ioannis praeconium a *proximitate divinae praesentiae,* cum dicit: *Per viscera misericordiae Dei nostri.* Et hanc describit tripliciter: primo, ut *visitantem* ad consolandum affectum; secundo, ut *illuminantem* ad docendum intellectum, ibi[10]: *Illuminare his* etc.; tertio, ut *dirigentem* ad rectificandum effectum, ibi: *Ad dirigendos pedes* etc.

Describitur ut visitans.

Describit igitur primo divinam praesentiam coniunctam prophetiae praecursoris, cum dicit: *Per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto;* et debet continuari ad praecedens sic: Praeibis ad dandam scientiam salutis plebi

---

[1] Vers. 19. — Subinde allegatur Ps. 16, 15.

[2] Vers. 3. — Duo loci seqq. sunt I. Reg. 3, 1. et I. Paral. 29, 17. Vat. cum uno alteroque cod. addit: *Et Sap.* 1, 1. seq.: *Et in simplicitate cordis quaerite illum* etc.

[3] Vers. 18. seq. — Sequitur Iosue 22, 5.

[4] Vers. 20. — Duo seqq. loci sunt Matth. 11, 9. et Ps. 86, 5. — Superius pro *reparationis* Vat. *redemptionis.*

[5] Psalm. 79, 20. — Subinde allegatur Malach. 3, 1.

[6] Vers. 9. — Sequuntur Rom. 1, 17; I. Cor. 12, 31; Luc. 3, 4. et Ioan. 5, 35.

[7] Vers. 8, post quem Prov. 2, 6.

[8] Vers. 13. — Duo seqq. loci sunt Osee 4, 6. et Isai. 33, 6. — Superius pro *non quamcumque* G *non qualemcumque.*

[9] In Luc. 1, 77, ubi etiam Glossa *ordinaria* apud Lyranum, cuius lectionem sequuntur codd., verba Bedae exhibet, qui post *Ne temporalem* addit *carnalemque.* — Sequuntur Matth. 1, 21. et Marc. 1, 4.

[10] Vers. 79; tertium habetur eodem versu.

eius in remissionem peccatorum, quae quidem fuit *per viscera misericordiae Dei,* quae accelerant divinam praesentiam in carne, in qua *nos visitavit. Viscera misericordiae* sunt nimia dilectio et nimia compassio; ad Ephesios secundo[1]: « Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, cuius gratia salvati estis »; et Isaiae sexagesimo tertio: « Ubi est multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum? Super me continuerunt se ». At postquam Filius Dei incarnatus est, verificatum est illud Genesis quadragesimo tertio[2] de Ioseph: « Commota sunt viscera sua super fratre suo ». Ad cuius exemplum ad Colossenses tertio: « Induite sicut electi Dei viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam ». Per *haec viscera misericordiae visitavit nos oriens ex alto;* Malachiae quarto[3]: « Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiae et sanitas in pennis eius »; et Zachariae sexto: « Ecce vir, *oriens* nomen eius ». *Ex alto,* secundum illud Ioannis tertio: « Qui desursum venit super omnes est ». In quo mira fuit dignatio; Psalmus: « Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum »?

Item, ut illuminans.

139. (Vers. 79.). Haec autem visitatio superni solis fuit non solum causa *consolationis,* verum etiam *illuminationis;* et propterea subdit: *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent;* et debet construi: visitavit illuminare, id est ad illuminandum, his qui in tenebris sedent, id est gentibus errantibus; Isaiae nono[4]: « Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis »; et rursus quadragesimo secundo: « Dedi te in lucem gentium, ut aperires oculos caecorum et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris ». Et ideo Ioannis nono: « In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant ».

Item, ut dirigens.

140. Et quia per illuminationem ducimur ad *directionem,* ideo sequitur: *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis;* Proverbiorum decimo sexto[5]: « Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius ». Et ideo Proverbiorum tertio: « In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos »; et Psalmus: « Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam », ubi est regnum pacis sine labore; Sapientiae decimo: « Iustum deduxit Dominus per vias rectas et ostendit illi regnum Dei »; de quo regno dicitur in Psalmo: « Lauda, Ierusalem, Dominum, qui posuit fines tuos pacem ». *Ierusalem* enim interpretatur visio pacis, ad quam ducimur per ducatum Christi et per viam mandatorum, quae ducit ad pacem; Psalmus[6]: « Pax multa diligentibus legem tuam »; et Isaiae quadragesimo octavo: « Utinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua ».

Decem fines visitationis divinae. Primus.

141. Nota, quod Dominus visitat ad *corrigendum delinquentes,* ut legatus provinciam; Abdiae primo[7]: « Legatum ad gentes misit. Surgite, et consurgamus ad eum in proelium »; Psalmus: « Visitabo in virga iniquitates eorum ». — Ad *iustificandum poenitentes,* ut medicus aegrotum; Marci secundo: « Non egent qui sani sunt medico; sed qui male habent ». — Ad *docendum ignorantes,* ut magister discipulum, sicut hic: *Visitavit nos, illuminare* etc.; Psalmus[8]: « Visitasti terram et inebriasti eam »; sequitur: « Flumen Dei repletum est aquis ». — Ad *excitandum negligentes,* ut princeps populum; primi Regum decimo septimo: « Fratres tuos visitabis, si recte agant, et cum quibus ordinati sunt, disce »; Actuum decimo quinto: « Revertentes visitemus fratres per universas civitates ». — Ad *promovendum operantes,* sicut vinitor vineam; Psalmus[9]: « Respice de caelo et vide et visita vineam istam »; Isaiae quinto: « Vinea enim Domini exercituum domus Israel est ». — Ad *conservandum obedientes,* sicut pastor gregem; Ezechielis trigesimo quarto: « Visitabo oves meas, sicut visitat pastor gregem suum ». — Ad *fecundandum contemplantes,* ut sponsus sponsam; Genesis vigesimo primo[10]: « Visitavit Dominus Saram, et concepit »; Iudith decimo quinto: « Ioachim, summus pontifex, de Ierusalem venit in Bethuliam cum universis presbyteris suis, ut videret Iudith ». — Ad *adiuvandum pugnantes,* ut rex exercitum; Genesis ultimo[11]: « Post mortem meam Deus visitabit vos »; et Lucae ultimo: « State in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto ». — Ad *consolandum patientes,* ut sanus infirmum; Iob decimo[12]: « Visitatio tua custodivit spiritum meum »; et Iob secundo et Iacobi primo: « Religio munda

Secundus. Tertius. Quartus. Quintus. Sextus. Septimus. Octavus. Nonus.

---

[1] Vers. 4. seq. — Sequitur Isai. 63, 15. — Superius fide CDF substituimus *accelerant* pro *acceleravit.*

[2] Vers. 30. — Subinde allegatur Col. 3, 12.

[3] Vers. 2. — Tres seqq. loci sunt Zachar. 6, 12; Ioan. 3, 31. et Ps. 8, 5.

[4] Vers. 2. — Sequuntur Isai. 42, 6. seq. et Ioan. 9, 39.

[5] Vers. 9. — Subinde allegantur Prov. 3, 6; Ps. 142, 10; Sap. 10, 10. et Ps. 147, 12. et 14. — Superius pro *directionem* Vat. *dilectionem.*

[6] Psalm. 118, 165, post quem Isai. 48, 18. — Hieron., Epist. 46. (alias 17.) n. 3: *Iebus* et *Salem* et *Ierusalem* appellatur. Primum nomen, *calcata;* secundum, *pax;* tertium, *visio pacis.*

[7] Vers. 1. — Sequuntur Ps. 88, 33. et Marc. 2, 17; cfr. Luc. 5, 31.

[8] Psalm. 64, 10. — Duo seqq. loci sunt I. Reg. 17, 18. et Act. 15, 36.

[9] Psalm. 79, 15. — Subinde allegantur Isai. 5, 7. et Ezech. 34, 12.

[10] Vers. 1, post quem Iudith 15, 9, pro qua sententia codd. haec verba tantum exhibent: *Venit invisere.*

[11] Vers. 24. — Sequitur Luc. 24, 49.

[12] Vers. 12. Pro seq. loco *Iob 2* codd. nulla afferunt verba; Vat. allegat v. 11: *Condixerant enim, ut pariter venientes visitarent eum et consolarentur.* — Duo seqq. loci sunt Iac. 1, 27. et Eccli. 7, 39.

et immaculata apud Deum et Patrem haec est, visitare pupillos et viduas in tribulationibus eorum »; Ecclesiastici septimo: « Non te pigeat visitare infirmum ». — Ad *remunerandum perseverantes,* sicut paterfamilias; Matthaei vigesimo[1]: « Voca operarios et redde illis mercedem »; et Isaiae sexagesimo: « Ponam visitationem tuam pacem et praepositos tuos iustitiam ». Decimus.

**De educatione pueri et laudis amplificatione tria.**

142. (Vers. 80.). *Puer autem crescebat* etc. Postquam descripta est praecursoris origo et pro origine gratiarum actio, hic tertio subditur ipsius *educatio,* in qua est divinae laudis amplificatio. Describitur autem educatio quantum ad profectum *aetatis in carne* et *virtutis in mente* et *religiositatis in conversatione.*

Quantum ad profectum *aetatis* dicit: *Puer autem crescebat,* scilicet, corpore, secundum quod dicitur de Samuele primi Regum secundo[2]: « Puer autem Samuel crescebat et placebat tam Deo quam hominibus ». Invenerat enim benedictionem, sicut Ioseph; de quo Genesis penultimo: « Filius accrescens Ioseph, filius accrescens et decorus aspectu »; sed econtra dicitur de Ruben in Genesis penultimo: « Effusus es sicut aqua, non crescas ». Unde et sibi competit illud Genesis vigesimo sexto: « Isaac proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est ». Profectus primus.

143. Quantum ad profectum *virtutis in mente* dicit: *Et confortabatur spiritu,* scilicet divinae virtutis, de quo Ezechielis tertio[3]: « Manus Domini erat mecum confortans me »; unde poterat dicere illud Apostoli ad Philippenses ultimo: « Omnia possum in eo qui me confortat ». Hic autem est Spiritus sanctus, qui dat virtutem ceteris Sanctis; Psalmus: « Verbo Domini caeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum ». Secundus.

144. Quantum ad profectum *religiositatis in conversatione* subdit: *Et erat in desertis,* scilicet ut ibi religiosam duceret vitam, secundum quod de ipso cantatur[4]: Tertius.

Antra deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens petisti,
Ne levi saltem maculare vitam
Famine posses;

quia[5], « si quis se existimat religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio ». Et ideo faciebat illud propheticum in Psalmo: « Elongavi fugiens et mansi in solitudine ». Qui enim vult perfecte vivere debet, relictis urbibus, petere deserta; primi Machabaeorum secundo: « Multi descenderunt cum Mathathia, quaerentes iudicium et iustitiam in deserto, et sederunt ibi ». — Et quia religiositas non est laudabilis, nisi sit perseverans, ideo subdit: *Usque in diem ostensionis suae ad Israel,* cum scilicet ostendit se in praedicatione virtuosa; iuxta quod dicit Apostolus primae ad Corinthios secundo[6]: « Sermo meus et praedicatio mea non fuit in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis ». Unde prius vixit sibi occulte per longum tempus, ut postmodum per suam ostensionem viveret ad salutem aliorum, secundum illud Iacobi tertio: « Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiae ». — In hoc erudiuntur omnes praedicatores, ut prius vacent perfectioni propriae et deinde aedificationi alienae, quia[7] « cuius vita despicitur, restat, ut eius praedicatio contemnatur ». Huius figura praecessit in Elia, tertii Regum decimo nono, qui prius abiit in desertum et pervenit ad montem Dei, ubi edoctus est; et post sequitur, quod unxit reges et prophetas ad regimen populi Dei. Perseverantia. Notandum.

## Capitulum II.

*Secundo, de nativitate ex utero dupliciter.*

1. *Factum est autem in diebus illis* etc. Terminata parte illa, in qua agitur de conceptu Salvatoris in utero, sequitur pars secunda, in qua agitur de *ortu Salvatoris ex utero,* et hoc facit in isto totali capitulo[8]. Habet autem haec pars duas, in quarum prima determinatur *nativitatis Christi veritas;* in secunda determinatur *nascentis humilitas.* Quia enim Christus in nativitate sua *factus est ex*

---

[1] Vers. 8. — Sequitur Isai. 60, 17.

[2] Vers. 26. — Tres seqq. loci sunt Gen. 49, 22; 49, 4. et 26, 13.

[3] Vers. 14. — Subinde allegantur Phil. 4, 13. et Ps. 32, 6.

[4] In hymno pro festo nativ. S. Ioan. Bapt. ad Matutinum. Hymnus iste, ut iam tom. III. pag. 72, nota 9. diximus, attribuitur Paulo Diacono († circa 799; Migne, Patrolog. Lat. tom. 95. col. 1597) et exhibetur ut 5. stropha hymni notissimi:

Ut queant laxis resonare fibris etc.,

ex quo Guido Aretinus, musicae peritia excellens inter aevi sui primos, sex notas syllabas introduxit: *ut, re, mi* etc. Pro *Famine posses* recentiora Breviaria habent *Crimine linguae.* Codd. nostri allegant tantum: *Antra deserti teneris sub annis* etc.

[5] Ut dicitur Iac. 1, 26. — Sequuntur Ps. 54, 8. et I. Mach. 2, 29. seq., ubi Vulgata *in desertum* pro *in deserto.*

[6] Vers. 4. — Subinde allegatur Iac. 3, 13.

[7] Ut dicit Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 12. n. 1. — Subinde allegatur III. Reg. 19, 4. seqq. et v. 15. seq., ubi de unctione regum Hazael et Iehu nec non de unctione Elisei in prophetam.

[8] Cfr. supra c. 1. n. 7. — Vat. *in praesenti capitulo.*

*muliere*, et *factus est sub Lege* [1] per humilitatem; ideo utrumque pertinet ad Evangelistam determinare; et incipit secunda pars ibi: *Et postquam consummati sunt dies octo* etc.

## Primo, de nativitatis Christi veritate ostenduntur tria.

Prima pars habet tres partes, in quarum prima ostenditur, qualiter Christi nativitas fuit *consummata;* in secunda, qualiter *ab Angelis denuntiata,* ibi [2]: *Et pastores erant in regione;* in tertia, qualiter *per pastores manifestata et divulgata,* ibi: *Et factum est, ut discesserunt* etc.

### Qualiter Christi nativitas sit consummata.

Prima pars habet tres, quoniam ad nativitatem Salvatoris exprimendam oportet assignare *tempus* et *locum* et *pariendi modum.* Describit ergo in prima parte Evangelista *tempus debitum;* in secunda, *locum idoneum,* ibi [3]: *Ascendit autem et Ioseph a Galilaea;* in tertia vero, *Virginis partum,* ibi: *Factum est autem, cum essent ibi.*

Describitur tempus debitum per tria. 2. *Tempus* autem *debitum* nativitati Christi fuit tempus universalis imperii describendi, « quia, ut dicit Gregorius [4], ille veniebat in carne, qui electos suos ascriberet in aeternitate ». In hac descriptione universalis imperii triplex notatur excellentia, scilicet *potentiae in praecipiendo, sapientiae in discernendo* et *iustitiae in prosequendo,* quoniam haec tria futura erant in Christo, secundum illud Ieremiae vigesimo tertio [5]: « Ecce, dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum, et regnabit rex », ecce, *potentia;* « et sapiens erit », ecce, *sapientia;* « et faciet iudicium et iustitiam », ecce, *iustitia,* ut sit in eo omnimoda perfectio.

De primo. 3. (Vers. 1.). Quantum ad excellentiam *potentiae in praecipiendo* dicit: *Exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Caesar iste Augustus proprio nomine fuit Octavianus, sed a Iulio Caesare, qui antea imperavit, *Caesar* est cognominatus, a quo omnes imperatores Romani postea *caesares* dicti sunt. Iste etiam dictus est Augustus, eo quod rem publicam auxit; et ab isto omnes alii, semper dicuntur *Augusti* [6]. Et iste protulit universale edictum, quia universale habebat dominium, non in omnes et singulos, sed in principales universi partes; unde imperium suum fuit magnum, secundum illud Danielis secundo [7]: « Et regnum quartum erit ferreum. Quomodo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia haec ». Hoc fuit Romanorum imperium, quod designatum fuit per imperium Nabuchodonosor, de quo Ieremiae vigesimo septimo: « Ego dedi omnes terras has in manu Nabuchodonosor, et servient ei omnes gentes. Gens et regnum, quod non servierit Nabuchodonosor, visitabo super gentem illam, dicit Dominus ». In his diebus, huius scilicet regni, erat tempus adventus Christi, quia dicitur Danielis secundo [8]: « In diebus regnorum illorum suscitabit Dominus regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et regnum eius populo alteri non tradetur ». Et istius solius est plena orbis descriptio, secundum illud Psalmi: « Domini est terra et plenitudo eius, orbis terrarum et universi, qui habitant in eo ». Et ideo dicitur Apocalypsis decimo nono, quod « habebat in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium »; quia, sicut dicitur Ecclesiastae quinto, « excelso alius excelsior est, et super hos quoque eminentiores sunt alii ». Notandum.

De secundo. 4. (Vers. 2.). Quantum ad excellentiam *sapientiae in discernendo* subdit: *Haec descriptio prima facta est a praeside Syriae Cyrino;* quia haec fuit, ut dicit Ambrosius [9], *prima* descriptio generalis, quae inchoata est a Cyrino; vel: *prima facta,* id est primo inchoata, secundum Bedam, ab illo qui praesidebat in Syria, quae est umbilicus terrae habita-

---

[1] Respicitur Gal. 4, 4: Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege. — Initium secundae partis inferius allegatum est v. 21: *Et postquam* etc. — Post *factus est ex muliere* H supplet *secundum veritatem.*

[2] Vers. 8; tertia pars incipit v. 15.

[3] Vers. 4. Codd.: *Ascendit autem Ioseph de Galilaea.* Tertia pars habetur v. 6. seq.

[4] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 8. n. 1. Pro *in carne* A *in carnem.*

[5] Vers. 5.

[6] Cfr. Ioan. Freinshemii Supplementorum *Livianorum,* lib. 99. in locum libri 134. Liviani, c. 102. seq.: « Tum vero redactis in promissam formam provinciis... ab senatu populoque Romano *Augustus* appellatus [Octavianus]. Romulum vocari oportere quidam censuerant quasi et ipsum conditorem Urbis... Sed Munatii Planci sententia praevaluit, ut *Augustus* potius diceretur... nam ab *augendo* deductum hoc nomen, sequentibus saeculis nequidquam existimatum ». Ibid. c. 107: *Caesaresque* et *Augusti* vocari voluerunt; alterum significandi gratia, quibus successissent, alterum exprimendae amplitudini suae dignitatique aptum rati.

[7] Vers. 40, quem Hieron. ita exponit: Regnum autem quartum, quod perspicue pertinet ad Romanos, ferrum est, quod comminuit et domat omnia... In fine autem horum omnium regnorum auri, argenti, aeris et ferri *abscissus est lapis* [ibid. v. 45.], Dominus atque Salvator... factus est mons magnus et implevit universam terram etc. Cfr. tom. VI. pag. 91, nota 3. — Sequitur Ier. 27, 6-8.

[8] Vers. 44. -- Tres seqq. loci sunt Ps. 23, 1; Apoc. 19, 16. et Eccle. 5, 7.

[9] Libr. II. in Luc. n. 38: « Atqui plerasque iam partes terrarum saepe fuisse descriptas loquuntur historiae. Haec est ergo professio prima, sed mentium, cui omnes profitentur » etc. Beda, l. in Luc. 2, 2: Itaque quod ait: *Haec descriptio... Cyrino,* significat, hanc descriptionem vel primam esse earum quae totum orbem concluserint, quia pleraeque iam partes terrarum saepe leguntur fuisse descriptae, vel certe primo tunc coepisse, quando Cyrinus in Syriam missus est. — Glossa *ordinaria* apud Lyranum, in hunc locum: Syria, in qua Iudaea est media, quasi umbilicus est totius terrae. Cfr. Hieron., II. Comment. in Ezech. 5, 5. seqq.: Ierusalem in medio mundi sitam hic idem Propheta testatur, umbilicum terrae eam esse demonstrans etc. — Subinde allegatur III. Reg. 10, 4. seq.

bilis; et sic fiebat dicta descriptio *distincte* et *ordinate*, et sunt duo indicia sapientiae in principe, secundum quod dicitur de Salomone tertii Regum decimo: « Videns regina Saba omnem sapientiam Salomonis et habitacula servorum et ordines ministrantium, non habebat ultra spiritum ». Haec autem descriptio facta est non propter vanitatem, sicut illa David, secundi Regum ultimo[1], propter quam percussus est populus, sed propter imperii utilitatem, ut sciretur quantitas tributi, et hoc est discretionis, non elationis; Ecclesiastici quadragesimo secundo: « Ubi multae sunt manus, claude; et quodcumque trades, numera et appende; datum vero et acceptum omne describe ». Sed non est cuiuscumque singulorum regum tributa describere, sed Christi nascentis; unde Psalmus: « Et in libro tuo omnes scribentur; dies formabuntur, et nemo in eis ».

5. (Vers. 3.). Quantum ad excellentiam *iustitiae* De tertio. *in prosequendo* subditur: *Et ibant omnes, ut profiterentur, singuli in suam civitatem.* Faciebant ergo regis imperium, et nullus occupabat alienum; et ita *subiectionem* habebant ad regem in professione, et *pacem* ad invicem in quieta et *iusta* cohabitatione, secundum illud ad Romanos decimo tertio[2]: « Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum; cui honorem, honorem; nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis ». *Ut profiterentur* quidem, se subiectos esse Romano imperio, et hoc reddendo censum. Et illud erat iustum, secundum illud Matthaei vigesimo secundo[3]: « Reddite quae sunt caesaris caesari, et quae sunt Dei Deo ». Et quia Iudaea iam facta erat tributaria, significatur, quod tempus advenerat nativitatis Christi, secundum illud Genesis penultimo: « Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium ». *Ibant*, etiam nullo praestante impedimento, quo ostenditur, quod istud imperium erat pacatissimum; et ideo tempus erat, ut veniret Christus, pacis annuntiator, de quo ad Ephesios secundo[4]: « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum ». Et ita iam completum erat illud Michaeae quarto: « Non sumet gens contra gentem gladium, et non discent ultra belligerare; et omnes populi ambulabunt, unusquisque in nomine Dei sui ». Et hoc est quod dicit Beda in Glossa[5]: « Pacatissimo tempore voluit nasci Christus, quia pacem magnopere quaesivit et amavit et amatores pacis semper invisit ».

6. (Vers. 4.). *Ascendit autem et Ioseph* etc. Item, locus idoneus per ria. Postquam descripsit tempus debitum, describit hic *locum idoneum*, et hoc, quia locus ille conveniens erat *prophetali vaticinio*, conveniens erat *divino promisso*, conveniens etiam *imperiali edicto*.

Ostenditur ergo *conveniens prophetali vaticinio* in hoc quod dicit: *Ascendit autem et Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth;* quia secundum De primo. unam prophetiam Nazareth, « ubi fuerat Christus conceptus », competebat *conceptioni;* Isaiae undecimo[6], secundum aliam litteram: « Nazaraeus de radice eius ascendet »; secundum aliam vero Bethlehem, *nativitati.* Ideo subdit: *In Iudaeam, in civitatem David, quae vocatur Bethlehem;* Michaeae quinto[7]: « Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda; ex te enim egredietur, qui sit dominator in Israel; et egressus eius ab initio a diebus aeternitatis ». Unde dicitur Matthaei secundo, quod Herodi quaerenti, ubi Christus nasceretur, responderunt scribae: « In Bethlehem Iudae, sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum ». Haec fuit civitas David, quia inde sumsit originem; primi Regum decimo sexto: « Dixit Dominus ad Samuelem: Veni, mittam te ad Isai Bethlehemitem; providi enim in filiis eius mihi in regem ». — Et nota, quod alibi natus est Christus, alibi conceptus, alibi educatus, ut Herodem et alios impios lateret incarnationis mysterium; unde Ioannis septimo[8]: « Nunquid a Galilaea venit Christus? Nonne de Bethlehem castello »? Notandum.

7. Ostenditur etiam locus ille *conveniens divino promisso*, cum subditur: *Eo quod esset de domo et familia David*, ipse scilicet et sponsa sua virgo De secondo. Maria. Unde dicit Bernardus[9], quod « in altera completa est promissio facta David, altero vero tantum teste et conscio ». Haec promissio facta est David, secundi Regum septimo, per Nathan: « Praedicit tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus; cumque completi fuerint dies tui, suscitabo semen tuum post te et stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum »; et rursus in Psalmo: « Iuravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam ».

---

[1] Vers. 1. seqq. — Sequuntur Eccli. 42, 7. et Ps. 138, 16.

[2] Vers. 7. seq. — Supra Vat. *in quiete, et iustitiam* etc.

[3] Vers. 21. — Subinde allegatur Gen. 49, 10.

[4] Vers. 14. — Sequitur Mich. 4, 3. et 5.

[5] Scilicet *ordinaria* in Luc. 2, 1 (ubi etiam a Beda in suo Comment. in Luc. haec insinuantur). Pro *et amatores pacis* textus originalis *quia pacis amatores;* et pro *magnopere* A C D *magno tempore.*

[6] Vers. 1. Vide supra pag. 21, notam 5, in qua etiam alia littera, scil. Hebraica lectio, allegata est. — Verba *ubi fuerat Christus conceptus*, quae Vat. omittit, sunt sumta ex Glossa *interlineari;* cfr. Beda, in hunc loc.

[7] Vers. 2. — Duo seqq. loci sunt Matth. 2, 5. seq. et I. Reg. 16, 1.

[8] Vers. 41. seq. — Beda, I. in Luc. 2, 4: Non tantum propter mysterium, quod diximus, verum etiam, ut Dominus alibi conceptus, alibi natus insidiantis sibi Herodis furorem facilius evaderet. Qui si Bethlehemitis parentibus nasceretur, fugam eorum subitam callidus scrutator potuisset habere suspectam etc.

[9] Homil. 2. super *Missus est*, n. 16. Cfr. supra pag. 21, nota 9. Pro *in altera* non pauci codd. perperam *in altero.* — Subinde allegantur II. Reg. 7, 11-13. et Ps. 131, 11.

De tertio. 8. (Vers. 5.). Ostenditur postremo ut *conveniens imperiali edicto*, cum subditur: *Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante.* Hoc enim processerat ex imperiali edicto. Et licet ante iam concepisset Virgo Regem caeli et terrae, tamen imperiali edicto etiam praegnans voluit obedire, ut posset cum Filio dicere illud Matthaei tertio [1]: « Sic decet nos implere omnem iustitiam »; et per hoc exemplum daret nobis obtemperandi omni potestati superiori, secundum illud primae Petri secundo: « Subiecti estote omni humanae creaturae propter Dominum, sive regi tanquam praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum ». — In hoc autem apparet, quomodo humanum imperium famulatur divino. Praecipiente enim caesare, ut omnes in civitatem suam irent, et obedientibus [2] eius imperio Maria et Ioseph, factum est, quod neuter intendebat, scilicet quod Christus nasceretur in Bethlehem, secundum quod erat aeternaliter dispositum et temporaliter promissum et vaticinatum et prophetatum. Et ideo non est contemnendum aliquo modo mandatum praepositorum.

Item, Virginis partus per tria. 9. (Vers. 6.). *Factum est autem, cum essent ibi* etc. Descripsit supra Christi nativitatem quantum ad tempus debitum et locum idoneum, hic tertio describit quantum ad *partum*, quem describit quantum ad tria, scilicet quantum ad *opportunitatem pariendi, novitatem partus* et *paupertatem parientis;* ex quibus ostenditur ortus Christi admirabilis et inimitabilis [3] et commendabilis.

De primo. Primo igitur insinuat *opportunitatem pariendi*, cum dicit: *Factum est, cum essent ibi, impleti sunt dies* Mariae, *ut pareret*, iuxta quod dictum est supra de eius cognata, proximo capitulo [4]: « Elisabeth impletum est tempus pariendi ». Vere *impletum*, quia in plenitudine temporis fuit Christus conceptus et natus; ad Galatas quarto: « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere »; Psalmus: « Dies pleni invenientur in eis ».

De secundo. 10. (Vers. 7.). Insinuat etiam *novitatem partus* in hoc quod dicit: *Et peperit filium suum primogenitum.* Hoc autem dicit per privationem prioris; quia enim Virgo ipsum conceperat, ideo hic primogenitus eius erat; Isaiae septimo [5]: « Ecce, Virgo concipiet et pariet filium »; et ideo partus novus fuit, sicut et conceptus, quia, sicut conceptus sine pudore, sic partus sine dolore; Isaiae ultimo: « Antequam parturiret, peperit; antequam veniret partus eius, peperit masculum. Quis audivit unquam tale? Aut quis vidit huic simile »? et postea: « Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus »? Talis partus decebat Christum, de quo ad Colossenses primo [6]: « In ipso habemus redemptionem et remissionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae »; unde, sicut est primogenitus Patris, ita etiam primogenitus Matris; sicut etiam unigenitus Patris, ita unigenitus Matris; Ioannis primo: « Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre » etc. Unde non dicit hic *primogenitus* ordinem respectu posterioris, sicut dicebat Helvidius haereticus, sed privationem respectu prioris, quia nullum habuit ante illum, ut ostendatur, quod ipse Domino totaliter erat dedicandus. Primogenita enim omnia erant Deo offerenda; Exodi decimo tertio [7]: « Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus quam de iumentis; mea enim sunt omnia ».

De tertio tria. Defectus operimenti. 11. Insinuat autem tertio *paupertatem parientis*, quia egens *operimenti, lecti* et *hospitii.* — Propter defectum *operimenti* dicit: *Et pannis eum involvit*, non una veste, sed multis, ut pannosus pauper posset dici et exemplo monstraret illud Apostoli primae ad Timotheum ultimo [8]: « Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus ». Et hoc correspondet illi prophetiae, Zachariae tertio, ubi dicitur, quod « Iesus, sacerdos magnus, erat indutus sordidis vestibus ». Bernardus [9]: « Agnoscas Iesum sacerdotem magnum, sordidis indutum vestibus, dum altercaretur cum diabolo. At ubi exaltatum est caput nostrum super inimicos nostros, mutavit vestem, de-

---

[1] Vers. 15. — Sequitur I. Petr. 2, 13. seq. — Inferius pro *daret* Vat. *dare*.

[2] Codd. C D F G *obediente*.

[3] Vat. *Christi partus admirabilis, inauditus.* Codd. exhibent vel *imitabilis* vel *immutabilis*, quod non congruit iis quae infra ponuntur; substituimus *inimitabilis*.

[4] Vers. 57. — Duo seqq. loci sunt Gal. 4, 4. et Ps. 72, 10.

[5] Vers. 14. — Sequuntur Isai. 66, 7. seq. et 9. — Bernard., in Vigilia nativ. Domini, serm. 4. n. 3: O nova vere miracula! Conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore. Mutata est in Virgine nostra maledictio Evae (cfr. Gen. 3, 16.); peperit enim filium sine dolore etc.

[6] Vers. 14. seq. — Subinde allegatur Ioan. 1, 14.

[7] Vers. 2. — Hieron., de Perpetua Virgin. B. Mariae adversus Helvidium, n. 10: Nos autem ita definimus: omnis unigenitus est primogenitus, non omnis primogenitus est unigenitus. Primogenitus est non tantum post quem et alii, sed ante quem nullus. *Omne*, inquit Dominus ad Aaron [Num. 18, 15.], *quod aperit vulvam...* Definivit sermo Dei, quid sit primogenitum: *omne*, inquit, *quod aperit vulvam.* Alioqui, si non est primogenitus nisi is tantum, quem sequuntur fratres, tamdiu sacerdotibus primogenita non debentur, quamdiu et alia fuerint procreata, ne forte, partu postea non sequente, unigenitus sit, et non primogenitus etc. Cfr. IV. Sent. d. 30. dub. 4.

[8] Vers. 8. — Sequitur Zachar. 3, 3. — Card. Hugo, in Luc. 2, 7: *Et pannis eum involvit.* Pondus est in verbo; pannus enim vilitatem et vetustatem notat; unde pauperes dicimus pannosos, qui multiplicitatem pannorum inutilium consuunt.

[9] Serm. 4. in nativ. Domini, n. 1: Agnosco certe, agnosco Iesum... diabolo. Scientibus Scripturas loquor et quibus non ignota est prophetica visio Zachariae [3, 1. seqq.]. Ubi vero exaltatum est caput nostrum super inimicos nostros, ex hoc plane mutavit vestem, *decorem induit, amictus lumine sicut vestimento* [Ps. 103, 1. seq.], exemplum dedit nobis, ut et nos eadem faciamus [cfr. Ioan. 13, 15.]. Utilior etc. — Pro *lorica ferrea* C D F G H contra textum originalem *vestis ferrea*.

corem induit, *amictus lumine sicut vestimento.* Utilior siquidem est in conflictu lorica ferrea quam stola linea, licet illa sit oneri, haec honori ». — Et in hoc reprehenditur *cultus vestium* pretiosarum; propter quod dicitur Matthaei undecimo [1]: « Qui mollibus induuntur in domibus regum sunt »; et Ecclesiastici undecimo: « In vestitu ne glorieris unquam ».

Notandum.

12. Propter *defectum lectuli* subdit: *Et reclinavit eum in praesepio,* non in cubiculo, ita ut verificaretur illud Matthaei octavo [2]: « Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet ». In *praesepio* ponitur Christus, ut ostendatur illud Ioannis sexto: « Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi »; et ut verificaretur illud Isaiae primo: « Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui »; et illud Habacuc tertio secundum Septuaginta: « In medio duorum animalium innotesceris, cum appropinquaverint anni, cognosceris » etc.

Defectus lectoli.

13. In hoc autem secundum *mysticum* intellectum, quod natus est *in Bethlehem*, intelligitur, quod est panis vivus; *Bethlehem* domus panis interpretatur [3]. In hoc, quod *in praesepio* positus, notatur, quod est cibus simplicium et humilium ratione carnis assumtae; Isaiae quadragesimo: « Omnis caro foenum, et omnis gloria eius quasi flos foeni ». In hoc, quod *in medio duorum animalium,* significatur, quod in hoc pastu et pastore uniri debebant pecora duplicis ovilis; Ioannis decimo [4]: « Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor ».

Expositio mystica.

*Moraliter* et *ad litteram* in hoc damnavit Christus *lectos delicatos,* contra quos, Amos sexto [5]: « Vae vobis, qui dormitis in lectis eburneis et lascivitis in stratis »!

Moralis.

14. Propter *defectum habitaculi* subdit: *Quia non erat eis locus in diversorio. Diversorium* namque secundum Isidorum [6] dicitur, eo quod diversi ibi conveniant, et hic est locus patens; secundum Bedam vero, eo quod diversa habeat orificia; nam est platea vacua inter duos vicos, habens introitum et exitum ad utrumque, et propter intemperiem aëris superius cooperta, ut ibi cives convenire ad colloquendum possint. Hic peperit virgo Maria, quia non habebant domum, in qua possent hospitari, sive quia pauperes erant, sive quia tarde venerant. Hoc autem erat arctum, vel etiam aliis repletum, ita ut non haberet locum nisi locum arctissimum inter bruta animalia; unde poterat Christus dicere illud Psalmi [7]: « Ut iumentum factus sum apud te, et ego semper tecum »; et verificatum est illud Ieremiae decimo quarto: « Quare sicut viator futurus es in terra et quasi colonus declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus, ut fortis, qui non potest salvare? Tu autem in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos » etc. — Et in hoc damnatur *aedificiorum amplitudo,* secundum illud Isaiae quinto [8]: « Vae, qui coniungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis »! Augustinus: « Non erat illi nisi angustia in terris, ut tu ei locum cordis tui sibi proprium dilatares. Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet, et tu ampla palatia et ingentes porticus metiris ».

Defectus habitaculi.

Notandum.

15. Sic ergo Christum paupercula mater pauperem peperit, ut nos ad paupertatem invitaret et sua inopia ditaret, secundum illud secundae ad Corinthios octavo [9]: « Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, qui, cum esset dives, propter vos egenus fa-

Invitatio ad paupertatem.

[1] Vers. 8, post quem Eccli. 11, 4.

[2] Vers. 20. — Tres seqq. loci sunt Ioan. 6, 41; Isai. 1, 3. et Habac. 3, 2, ubi Vulgata: Domine, opus tuum in medio annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies etc. — Beda, l. in Luc. 2, 7: « Qui panis est Angelorum, in praesepio reclinatur, ut nos quasi sancta animalia carnis suae frumento reficiat ». Idem dicit Gregor., l. Homil. in Evang. homil. 8. n. 1.

[3] Hieron., Epist. 108. (alias 27.) n. 10: Salve Bethlehem, *domus panis*, in qua natus est ille panis, qui de caelo descendit. — Sequitur Isai. 40, 6, ubi Vulgata *flos agri* pro *flos foeni*, quod exhibent septuaginta interpretes; cfr. Iac. 1, 10. et I. Petr. 1, 24.

[4] Vers. 16. — Hieron., II. Comment. in Habac. 3, 2: *In medio duorum animalium cognosceris.* Quod multi putant de Filio intelligi et Spiritu sancto, eo quod Pater per Filium intelligatur et Spiritum... Porro simplex interpretatio et opinio vulgi de Salvatore intelligit, quod inter duos latrones crucifixus agnitus sit [Marc. 15, 27. et Ioan. 19, 18.]. Qui autem melius, hoc dicunt, quod in prima Ecclesia, quae de circumcisione fuit et de praeputio congregata, duobus populis se hinc inde cingentibus, intellectus sit Salvator et creditus. Sunt qui duo animalia, duo intelligant testamenta etc. Cfr. tom. VI. pag. 541, nota 3.

[5] Vers. 4.

[6] Libr. XV. Etymolog. c. 3. n. 10: « *Diversorium* dictum, eo quod ex diversis viis ibi conveniatur ». Etymologia diversorii, quae attribuitur Bedae, insinuatur a Glossa *ordinaria*, quam absque nomine auctoris affert Lyranus (in hunc loc.): « Diversorium est domus inter duos muros, duas ianuas habens. Figurat Ecclesiam inter paradisum et mundum ». Card. Hugo: Secundum Bedam [diversorium dicitur], quia diversa habet orificia, id est ora. Est enim platea vacua inter duos vicos etc. — Pro *orificia* C D H *officia*. Superius pro *et hic est* Vat. *et sic est.*

[7] Psalm. 72, 23. — Sequitur Ier. 14, 8. seq., ubi Vulgata: *Quare quasi colonus futurus es in terra et quasi viator declinans* etc.

[8] Vers. 8. — De sententia August., in qua allegatur Luc. 9, 58, cfr. de Catechizandis Rudibus, c. 22. n. 40. Planius S. Maximus, episc. Taurinens., Homil. hiemal. homil. 11. (de Domini nativ. 6.): Nunquid tantae illius erant angustiae mansionis, ut nati sub hora parvuli membra non caperet? Sed idcirco mystico refertur sermone, non invenire locum in diversorio; quia ingressus mundum Christus fidem, in qua possit requiescere, non invenit, ut ait ipse in Evangelio dicens: *Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Unde advertimus, quia unicus Dei Filius non in spatiosis domibus auratisque laquearibus, sed in fide credentium requiescit. — Pro *illi*, quod D omittit, C *sibi*, F G *ibi*.

[9] Vers. 9.

ctus est ». Et secundum hanc omnimodam indigentiam damnavit avaram opulentiam; unde Bernardus[1]: « Elegit Filius Dei pauperem matrem, quae vix pannos haberet ad involvendum, et praesepe ad reclinandum, locum ad reponendum. Non est tale iudicium mundi. Aut iste fallitur, aut mundus errat; sed divinam falli impossibile est sapientiam: elegit igitur qui non fallitur quod carni molestius est; id ergo melius, id utilius, id magis eligendum ». Simus ergo cum Christo, sicut dicitur secundae ad Corinthios sexto, « sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes ».

Christus sic se manifestat Salvatorem monstrando tria.

16. Ex hoc insinuatur nobis, quod iste erat vere *Salvator mundi*, qui in sui ortus primordio exemplum virtutis praebuit et *viam salutis* ostendit. Habendo enim lectulum vilem, humilem et pauperem, iam incipiebat dicere, quod mundus iste contemnendus est, secundum tria in eo contenta[2]. Iam incipiebat *statum perfectionis* exemplo monstrare, qui consistit in humilitate, austeritate et paupertate. Ostendit etiam in hoc Dominus summae *dignationis affectum*, quia non tantum parvulus, sed etiam pauperculus et despectus pro nobis est factus, ita ut vere posset dicere illud Psalmi[3]: « Pauper sum ego et in laboribus a iuventute mea ».

**Qualiter Christi nativitas sit ab Angelis denuntiata per tria.**

17. *Et pastores erant* etc. Descripsit supra Evangelista, qualiter Christi nativitas fuerit consummata; hic secundo describit, qualiter fuerit *denuntiata*. Ad denuntiationem autem nativitatis Christi perfecte faciendam tria concurrunt. Primum est *dispositio praeparans ad audiendum;* secundum, *annuntiatio invitans ad exsultandum,* quod describit ibi[4]: *Et dixit illis Angelus;* tertium est *confirmatio certificans ad credendum,* et hoc describit ibi: *Et hoc vobis signum.* — Quantum ad primum notandum, quod *dispositio praeparans ad audiendum* fuit pastorum attentio, quae ortum habuit ex duplici causa, scilicet ex *propriae sollicitudinis vigilantia* et ex *angelici luminis circumfulgentia.*

Primo de dispositione praeparante duo.

Vigilantia propria.

18. (Vers. 8.). Quantum ad *vigilantiam propriae sollicitudinis* dicitur: *Et pastores erant in regione eadem vigilantes.* Hoc enim spectat ad pastorale officium; unde Iacob, pastor ovium Laban, dicebat Genesis trigesimo primo[5]: « Die et nocte aestu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis ». Et ad maioris attentionis insinuationem subdit: *Et custodientes vigilias noctis super gregem suum.* De nocte enim potissimum vigilandum est propter hostilem incursum repellendum, luporum scilicet et latronum.

Insinuatur vigilantia praelatis.

19. Per hoc autem insinuatur *spiritualiter vigilantia,* quae debet esse in *praelatis;* unde secundae ad Timotheum quarto[6]: « Tu vero vigila, in omnibus labora, sobrius esto ». Et ideo ad Hebraeos ultimo: « Obedite praepositis vestris per omnia. Ipsi enim vigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri »; quia, ad Romanos duodecimo, « qui praeest in sollicitudine ». — Vigilare etiam debet *quilibet contra hostem spiritualem,* secundum illud Threnorum secundo[7]: « Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum; effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui ». — Vigilare etiam debet in *contemplatione ;* Psalmus[8]: « Et nox illuminatio mea in deliciis meis »; et Isaiae vigesimo sexto: « Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te »; et hoc, quia talis hora competit divinae inspirationi. Talis etiam hora conveniebat divinae nativitati, secundum illud Sapientiae decimo octavo: « Cum quietum silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, exsiliens de caelo, a regalibus sedibus venit ». — Et signanter dicit: *Super gregem suum,* secundum illud Proverbiorum vigesimo septimo[9]: « Diligenter agnosce vultum pecoris tui tuosque greges considera ». Quocontra Zachariae undecimo: « O pastor et idolum derelinquens gregem »! et Ieremiae decimo tertio: « Ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? Quid dices, cum visitaverit te? Tu enim docuisti eos adversum te, et erudisti in caput tuum ».

Item, omnibus.

Item, in contemplatione.

Circumfulgentia luminis angelici.

20. (Vers. 9.). Quantum ad *circumfulgentiam angelici luminis* subditur: *Et ecce, Angelus Domini stetit iuxta illos, et claritas Dei* etc. In hoc, quod *iuxta stetit,* ostendit familiaritatem et humilitatem ministerii, quo Angelus condescendit homini, et astat illi modo ut *adiutor,* secundum illud Danielis duodecimo[10]: « Consurgit Michael, princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui »; modo ut *eruditor* et illuminator, secundum illud supra primo: « Apparuit ei Angelus Gabriel, stans a dextris altaris incensi ». Simili modo et hic; unde Ambrosius: « Angelus Mariam, Angelus Ioseph, Angelus pastores edocet ».

Notandum.

21. In cuius rei signum subditur: *Et claritas Dei circumfulsit illos,* id est fulsit circa illos. Simile

---

[1] Serm. 4. in Nativ. Domini, n. 1. Textus originalis hinc inde plura interserit. — Subinde allegatur II. Cor. 6, 10.

[2] Respicitur I. Ioan. 2, 16: Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae. — Superius pro *dicere* Vat. *ostendere.*

[3] Psalm. 87, 16.

[4] Vers. 10; tertium habetur v. 12.

[5] Vers. 40.

[6] Vers. 5. — Duo seqq. loci sunt Hebr. 13, 17. et Rom. 12, 8. Cfr. Ambros., II. in Luc. n. 50; Beda, I. in Luc. 2, 8; Sect. I. Homil. lib. I. homil. 6. in aurora Nativ. Domini.

[7] Vers. 19.

[8] Psalm. 138, 11. — Sequuntur Isai. 26, 9. et Sap. 18, 14.

[9] Vers. 23. — Subinde allegantur Zach. 11, 17. et Ier. 13, 20. seq.

[10] Vers. 1. — Sequitur Luc. 1, 11, post quem habetur sententia Ambros., II. in Luc. n. 51. — Superius pro *astat illi* C D F G *astat illis;* supra D a secunda manu *hominibus.*

dicitur de Angelo, qui apparuit Petro, Actuum duodecimo[1]: «Ecce, Angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo» carceris. Ideo autem hic Angelus lumen attulit, quia filius lucis fuit, et quia eum nuntiare venerat, qui «est lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum», sicut dicitur Ioannis primo. Et ideo nocte lumen attulit, ut significetur, impleri illud Isaiae nono: «Habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis». — Ex hac autem claritate pastores sollicitos reddidit; propter quod subditur: *Et timuerunt timore magno*, sicut et Zacharias in aspectu Angeli; supra primo[2]: «Et Zacharias turbatus est, et timor irruit super eum».

Notandum.

Rationes, quare Angelus pastoribus apparuerit.

22. Et nota, quod Angelus magis apparuit pastoribus quam alii generi hominum, tum quia *pauperes*, propter quos veniebat Christus; Psalmus[3]: «Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exsurgam»; et Bernardus: «Quam multa hodie auro et gemmis fulgent altaria! Putas, ad haec divertent Angeli et pannosos homines declinabunt? Si ita est, cur magis pastoribus ovium apparuerunt quam regibus terrae, quam sacerdotibus templi»? — Tum etiam, quia *simplices;* Proverbiorum tertio[4]: «Abominatio Domini est omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio eius»; et Matthaei undecimo: «Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis». — Tum etiam, quia *vigiles;* Proverbiorum octavo[5]: «Qui mane vigilaverint ad me invenient me»; Sapientiae sexto: «Qui de luce vigilaverint propter illam cito erunt securi». — Sive propter *mysterium,* ut insinuetur, quod doctrina veritatis debet a praelatis pervenire ad subditos; unde Glossa[6]: «Illi prae ceteris videre sublimia merentur, qui fidelibus sollicite praesunt».

Secundo, de annuntiatione invitante ad exsultationem dno.

Exhortatio ad fiduciam.

23. (Vers. 10.). *Et dixit illis Angelus* etc. Hic secundo describitur *annuntiatio invitans ad exsultandum;* in qua praemittitur *exhortatio*[7] ad *fiduciam* et ad *laetitiam,* et subditur *annuntiatio,* exprimens laetitiae causam. — *Exhortans* igitur Angelus ad *fiduciam* dixit illis: *Nolite timere.* Non enim venerat Angelus nuntiare rem terribilem, sed magis desiderabilem, sicut et ille qui resurrectionem annuntiavit mulieribus; Marci ultimo[8]: «Nolite expavescere»; in quo tribuit sperandi fiduciam. In hoc agnoscitur differentia inter Angelum lucis et tenebrarum, quia bonus Angelus assecurat, sed malus finaliter terret. — Et quod plus est, *invitat ad laetitiam;* propter quod addit: *Ecce enim, evangelizo vobis gaudium magnum.* Hoc optabat Raphael Tobiae, quinto[9], cum diceret: «Gaudium semper sit tibi». Hoc gavisi sunt Magi; Matthaei secundo: «Et videntes stellam gavisi sunt gaudio magno valde». — Et dicitur *magnum* ad differentiam *gaudii hypocritarum;* Iob vigesimo: «Gaudium hypocritae ad instar puncti», et vigesimo primo: «Gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt». — *Magnum* etiam, quia *amplum,* quod notat, cum subdit: *Quod erit omni populo,* et hoc ad differentiam *gaudii mundanorum;* Ioannis decimo sexto[10]: «Mundus gaudebit, vos autem contristabimini». Quocontra infra decimo tertio: «Et omnis populus gaudebat in universis, quae gloriose fiebant ab eo».

Notandum.

Ad laetitiam.

Annuntiatio causae laetandi.

Ratione utilitatis.

24. (Vers. 11.). Et quia nullus gaudet perfecte nisi ex causa et ratione, ideo subditur *denuntiatio exprimens laetitiae causam,* cum dicitur: *Quia natus est vobis hodie Salvator; vobis,* scilicet ad *utilitatem vestram,* scilicet hominum; Isaiae nono[11]: «Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis». Et vere ad *utilitatem,* quia *Salvator;* Isaiae quadragesimo quinto: «Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel, Salvator»; et Isaiae decimo nono: «Mittet eis Salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos». Et vere *Salvator,* quia, secundum illud Actuum quarto[12], «non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri». In hoc autem insinuatur causa gaudendi pro nativitate; Malachiae quarto: «Orietur vobis, timentibus nomen meum, sol iustitiae». — Nec tantum gaudendum ratione utilitatis, verum etiam *dignitatis,* et ideo subinfertur: *Qui est Christus Dominus, in civitate David,* et sic reparabit regnum Israeliticum, secundum illud Isaiae nono[13]: «Super solium David et

Ratione dignitatis.

---

[1] Vers. 7. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 1, 9. et Isai. 9, 2.

[2] Vers. 12.

[3] Psalm. 11, 6. — Sententia Bernardi habetur Serm. 4. in Nativ. Domini, n. 1. Textus originalis post *altaria* addit *quanti ubique palliis parietes adornantur!* Ultimam propositionem *Si ita est* etc., codd. exhibent sic: *Sed magis pastoribus ovium apparuerunt, quam regibus terrae et sacerdotibus templi.*

[4] Vers. 32. — Sequitur Matth. 11, 25.

[5] Vers. 17, post quem Sap. 6, 15. seq. (sententialiter).

[6] Scilicet *ordinaria* in Luc. 2, 8, quae recte tribuitur Bedae (in hunc loc.). Idem dicit Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 8. n. 1. — Euthym. Zigab., in Luc. 2, 11. has affert rationes: Scribis vero et Pharisaeis non annuntiavit hoc gaudium; cum enim perversi essent et invidi, non erant credituri; sed pastoribus, qui versutia ac invidia carebant, quique veterem Patriarcharum vivendi modum apprehenderant. Quia etiam pastor ac dux factus est populi, pastoribus primum ea quae de se erant mysteria manifestavit. Significatur quoque et aliud, quod videlicet pastoribus rationalium ovium divina mysteria primum, ante alios, revelantur. — Superius verbum *mysterium*. quod habent codd. et Vat. significat mysticum sensum.

[7] Cod. E *excitatio* et subinde *Excitans* pro *Exhortans*.

[8] Vers. 6. — Cfr. supra pag. 16, nota 2. verba Bedae.

[9] Vers. 11. — Tres seqq. loci sunt Matth. 2, 10; Iob 20, 5. et 21, 12. seq., ubi pro *ad sonitum* C D F *ad vocem*. — Pro *cum diceret*, quod habent C D F G, Vat. *cum dicit*.

[10] Vers. 20. — Sequitur Luc. 13, 17.

[11] Vers. 6. — Subinde allegantur Isai. 45, 15. et 19, 20. — Glossa *ordinaria* apud Lyranum (ex Beda) in Luc. 2, 11: *Hodie*. Cum nox esset, non ait: Hac nocte, sed *hodie*. quia scilicet gaudium venerat nuntiare. Ubi tristia geruntur, noctis mentio solet fieri, ut [Matth. 26, 31.]: *Scandalum patiemini in me nocte ista.*

[12] Vers. 12. — Sequitur Malach. 4, 2.

[13] Vers. 7. — Duo seqq. loci sunt I. Tim. 6, 15. et Apoc. 19, 16.

super regnum eius sedebit, ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia, amodo et usque in sempiternum ». Et ideo recte additur *Dominus*, quia, primae ad Timotheum sexto, « ipse est Rex regum et Dominus dominantium »; et Apocalypsis decimo nono: « Habebat in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium ». Et ideo: *in civitate David*, id est in Bethlehem, ubi ortus fuit [1].

Tertio, de confirmatione dupliciter certificante.

25. (Vers. 12.). *Et hoc vobis signum* etc. Post dispositionem praeparantem ad audiendum et denuntiationem invitantem ad exsultandum subditur hic tertio *confirmatio certificans ad credendum*. Et quoniam in ore duorum testium stare debet omne verbum [2], ideo dupliciter confirmantur pastores: per *visum* et *auditum;* isti enim duo sensus potissime nobis deserviunt ad cognoscendum. Primo ergo certificantur per *signum probabile*, deinde per *testimonium credibile*.

Per testimonium visus.

26. Quantum ergo ad *signi probabilis persuasionem* dicitur: *Et hoc vobis signum.* Nam, secundum quod dicitur primae ad Corinthios primo [3], « Iudaei signa quaerunt ». Et hoc maxime petebat propheta David: « Fac mecum, inquit, signum in bonum ». Hoc signum *petendum* erat; Isaiae septimo: « Pete tibi signum a Domino Deo tuo ». Hoc etiam *promittebat* Isaiae undecimo: « Erit radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur ». — *Et hoc vobis signum; vobis*, inquam,

Datur signum pauperibus.

*pauperibus* quod venerit pauperes liberare, secundum illud Psalmi [4]: « Liberabit pauperem a potente, et pauperem, cui non erat adiutor ». *Quia invenietis infantem, pannis involutum*, et ita pauperem et mendicum; Zachariae nono [5]: « Ecce, rex tuus veniet tibi iustus et Salvator. Ipse pauper et ascendens super asinam ». Bernardus: « In signum positi sunt panni tui, Domine Iesu, sed in signum, cui hodie a multis contradicitur. *Multi* enim *sunt vocati*, sed *pauci electi*, et ideo nec signati ». — *Vo-*

Item, humilibus.

*bis* etiam *humilibus* signum, quod venerit liberare humiles, secundum illud Psalmi [6]: « Populum humilem salvum facies ». In hoc, quod subditur: *Et positum in praesepio;* ecce, mira humilitas, ut Dominum caelorum inclinaret usque ad praesepium animalium brutorum; Isaiae quinquagesimo tertio [7]: « Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum ». Unde in Psalmo: « Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis ».

Duplex signum.

27. Et nota, quod pastores erant pauperes, simplices et contemptibiles; ideo, ne timerent accedere, datum est eis in Christo infante signum *paupertatis* et *humilitatis;* et in hoc significatur, *qualiter* et *a quibus* invenitur Christus. Unde primae ad Corinthios primo [8]: « Videte, fratres, vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quae stulta sunt mundi elegit Dominus » etc.; et ideo infra eodem: « Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel et in signum, cui contradicetur »; et hoc, quia per ista signa non fuit cognitus a carnalibus et superbis. Unde in Psalmo [9]: « Signa nostra non vidimus, iam non est propheta »; et iterum: « Posuerunt signa sua signa ».

Per testimonium auditus.

28. (Vers. 13. 14.). Quantum vero ad *testimonii credibilis persuasionem* subditur: *Et subito facta est cum Angelo multitudo; facta* scilicet est cum eo ad confirmandum pariter dictum angelicum et ad venerandum parvulum natum, secundum illud ad Hebraeos primo [10]: « Cum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes Angeli

Quare dicatur multitudo.

eius ». Et signanter dicitur *multitudo*, secundum illud ad Hebraeos duodecimo: « Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Ierusalem caelestem, et multorum millium Angelorum frequentiam ».

Quare militiae.

— Et *multitudo militiae caelestis;* secundum illud Iob vigesimo quinto [11]: « Nunquid est numerus militum eius »? Et ideo quarti Regum sexto: « Nolite timere, dixit Eliseus; plures enim nobiscum sunt quam cum illis ». Et hoc apparet in ortu eius, secundum illud Apocalypsis decimo nono: « Ecce, equus albus, et qui sedebat super eum, fidelis et verax »; « Et exercitus,

Confirmatio per canticum.

qui sunt in caelo, sequebantur eum ». — Et haec tota multitudo ad confirmationem verbi angelici prorumpit in decantationem cantici; propter quod dicitur: *Laudantium Deum et dicentium: Gloria in excelsis* [12] *Deo, et in terra pax hominibus bonae*

---

[1] Glossa *interlinearis:* In civitate David, in Bethlehem, unde David natus.

[2] Respicitur Deut. 19, 15. Cfr. supra pag. 12, nota 6. — De sensibus visus et auditus, qui vocantur disciplinales i. e. deservientes disciplinis sive scientiis, cfr. Aristot., de Sensu et sens. c. 1. et 1. Metaph. c. 1. Vide III. Sent. d. 24. dub. 2. et Comment. in Eccle. 1, 8.

[3] Vers. 22. Cfr. supra pag. 17, nota 9. — Tres seqq. loci sunt Ps. 85, 17; Isai. 7, 11. et 11, 10.

[4] Psalm. 71, 12.

[5] Vers. 9. — Sententia Bernardi habetur in Serm. 4. in Nativ. Domini, n. 1. In ipsa respicitur Luc. 2, 34: « Ecce, positus est hic in ruinam... et in signum, cui contradicetur »; et Matth. 20, 16: Multi enim etc.

[6] Psalm. 17, 28.

[7] Vers. 2. seq. — Sequitur Ps. 21, 7.

[8] Vers. 26. seq. — Subinde allegatur Luc. 2, 34. — Superius pro *in Christo infante*, quod praebet D a secunda manu correctus, alii codd. et Vat. *in Christo infantiae* (! in Christi infantia?). Subinde post *humilitatis* in D a secunda manu additur *et contemptibilitatis*.

[9] Psalm. 73, 9; ibid. v. 4. est seq. locus.

[10] Vers. 6. (cfr. Ps. 96, 7.), post quem sequitur 12, 22.

[11] Vers. 3. — Subinde allegantur IV. Reg. 6, 16; Apoc. 19, 11. et 14.

[12] Vulgata *altissimis.* — Sequitur Iob 38, 7. Verba *Ubi eras* habentur ibid. v. 4. — Beda, l. in Luc. 2, 13: Uno evangelizante nuntio natum in carne Deum, mox multitudo militiae caelestis advolans consono in laudem Creatoris ore prorumpit, ut sui sicut semper obsequii devotionem Christo impendat, et nos suo pariter instituat exemplo etc.

*voluntatis;* Iob trigesimo octavo: « Ubi eras, cum me laudarent simul astra matutina, et iubilarent omnes filii Dei »?

Rationes 4 Deum glorificandi.

29. *Gloria in excelsis Deo* etc. Nota, quod glorificandus est Deus in incarnatione, quia, ut dicit Damascenus [1], in hoc opere « demonstratur sublimis *bonitas, sapientia, potentia* et *iustitia* Dei ».

Pro bonitate.

— *Gloria* ergo *in excelsis Deo* pro *bonitate,* quia non despexit proprii plasmatis infirmitatem; ad Galatas primo [2]: « Dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam; ipsi gloria in saecula saeculorum! Amen ». — Pro *sapientia,* quia invenit difficillimi solutionem valde decentissimam; ad Romanos undecimo [3]: « O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei »! et sequitur: « Ipsi gloria in saecula! Amen ». — Pro *potentia;* quid enim potentius, quam Deum fieri hominem? ad Romanos quarto [4]: « Abraham confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia, quaecumque promisit Deus, potens est et facere »; et ad Ephesios tertio: « Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus, ipsi gloria in Ecclesia et in Christo Iesu in omnes generationes saeculi saeculorum! Amen ». — Pro *iustitia,* quia simile simili re salvavit; Apocalypsis quinto [5]; « Sedenti super throno et Agno benedictio et honor et gloria et potestas in saecula saeculorum »! — Ideo cantatur [6]:

Pro sapientia. Pro potentia. Pro iustitia.

Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de Virgine!

Duo notanda.

30. Et nota, quod gloriam *Deo* attribuunt, quia Dominus illam sibi reservavit; Isaiae quadragesimo secundo [7]: « Ego Dominus, hoc est nomen meum; gloriam meam alteri non dabo »; pacem vero optant *nobis in terris,* quia, Ioannis decimo quarto, « pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis ». — Et recte dicit: *Bonae voluntatis,* quia, secundum illud Isaiae quinquagesimo septimo, « non est pax impiis, dicit Dominus ». Et praemittit gloriam Dei paci terrae, quia nullus pacem habere potest, qui gloriam Dei nititur usurpare. Bernardus [8]: « Displicet hominibus angelica partitio, qua Deo gloria et pax hominibus nuntiatur. O stulti filii Adam, qui, contemnentes pacem et gloriam appetentes, et pacem perdunt et gloriam »! Certe qui gloriam appetit Deo resistit; sed dicitur Iob nono [9]: « Quis restitit ei et pacem habuit »? « Acquiesce igitur ei, et habeto pacem », sicut dicitur in Iob vigesimo secundo, pacem scilicet *pectoris,* de qua dicitur ad Philippenses quarto: « Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Iesu » etc.; et pacem *aeternitatis,* de qua Isaiae ultimo [10]: « Declinabo super eam flumen pacis »; Psalmus: « Qui ponit fines tuos pacem ».

31. Nota etiam, quod pax optatur hominibus et denuntiatur, quia per Christum pacificatur homo cum *Deo;* Isaiae vigesimo septimo [11]: « Faciet mihi pacem, pacem faciet mihi ». Pacificatur cum *Angelis;* ad Colossenses primo: « Pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris, sive quae in caelis sunt ». Pacificatur cum *homine;* ad Ephesios secundo: « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum ». Pacificatur *in se;* Iob quinto [12]: « Scies, quod pacem habeat tabernaculum tuum ». — In horum figura dicitur Iosue vigesimo primo: « Data est ab eo pax omnibus per circuitum ». Hanc Apostolus semper optat, et Christus praecipit infra decimo: « In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui ».

Pacificator homo Deo, Angelis, homini et sibi.

Figura horum.

**Qualiter Christi nativitas sit per pastores divulgata.**

32. *Et factum est, ut discesserunt Angeli* etc. Postquam descripsit Evangelista, qualiter Christi nativitas fuit consummata et qualiter per Angelos denuntiata; hic iam tertio describit, qualiter *per pastores fuit divulgata,* quod quidem factum est diligentia pastorali. Et haec pastorum diligentia ostenditur commendabilis in tribus ab Evangelista, primo scilicet a *sollicitudine inquisitionis;* secundo, a *certitudine inventionis,* ibi [13]: *Et invenerunt Mariam* etc.; tertio vero, a *gratitudine devotionis,* ibi: *Et reversi sunt.*

Diligentia pastorum laudatur in tribus.

*Sollicitudo* autem *inquisitionis* in pastoribus commendatur a tribus, scilicet a *vicissitudine exhortationis,* a *rectitudine intentionis* et a *promptitudine exsecutionis.*

Primo, propter triplicem sollicitudinem inquisitionis.

33. (Vers. 15.). Quantum ad *vicissitudinem mutuae cohortationis* dicitur: *Et factum est, ut*

Mutua cohortatio.

---

[1] Libr. III. de Fide orthod. c. 1. — Pro *Damascenus* Vat. *Daniel.*

[2] Vers. 4. et 5.

[3] Vers. 33, post quem sequitur v. 36.

[4] Vers. 20. seq. — Subinde allegatur Eph. 3, 20. seq.

[5] Vers. 13.

[6] In ultimae strophae principio hymni 57. (de Nativ. Domini) Ambrosio attributi, qui incipit:

Mysterium Ecclesiae,
Hymnum Christo referimus,
Quem genuit puerpera,
Verbum Patris in Filio.

[7] Vers. 8. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 14, 27. et Isai. 57, 21.

[8] Epist. 126, n. 7. Post *nuntiatur* textus originalis plura addit. Pro *qui, contemnentes* CDF *quod contemnentes.* Cfr. Serm. 4. in Nativ. Domini, n. 2. — Superius pro *paci terrae* Vat. *paci nostrae.*

[9] Vers. 4, post quem allegantur Iob 22, 21. et Phil. 4, 7.

[10] Vers. 12. — Sequitur Ps. 147, 14.

[11] Vers. 5. — Duo seqq. loci sunt Col. 1, 20. et Eph. 2, 14.

[12] Vers. 24. — Subinde allegantur Iosue 21, 42. et Luc. 10, 5. De Apostolo Paulo pacem optante cfr. Rom. 1, 7; I. Cor. 1, 3; II. Cor. 1, 2; Gal. 1, 3. etc.

[13] Vers. 16; tertium habetur v. 20.

*discesserunt ab eis Angeli in caelum, pastores loquebantur ad invicem,* scilicet se mutuo cohortando, secundum illud ad Hebraeos tertio [1]: « Videte, fratres, ne quando sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies ». Et hoc recte, quia « ferrum ferro acuitur, et homo exacuit faciem amici sui ».

**Rectitudo intentionis.**

34. Quantum vero ad *rectitudinem intentionis*, subditur secundo: *Transeamus usque in Bethlehem et videamus hoc verbum, quod factum est.* Ideo volebant transire, ut viderent, sicut Moyses; Exodi tertio [2]: « Vadam et videbo visionem hanc magnam ». Et volebant videre *verbum, quod factum est,* id est rem dignam verbo, vel certe Verbum carnem factum, secundum illud Ioannis primo: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis; et vidimus gloriam eius ». *Factum,* inquam, non ab homine, sed a Deo; unde addit: *Quod fecit Dominus* [3], id est tota Trinitas; Isaiae sexagesimo quarto: « Cum feceris mirabilia, non sustinebimus; descendisti enim, et a facie tua montes defluxerunt ». Nec tantum fecit, sed etiam *ostendit nobis.* Hoc orabat David: « Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis »; et Dominus promisit: « Ostendam illi salutare meum ».

**Promptitudo exsecutionis.**

35. (Vers. 16.). Quantum autem ad *promptitudinem exsecutionis* subiungitur tertio: *Et venerunt festinantes.* Et hoc est quod dicitur Proverbiorum nono [4]: « Doce iustum, et festinabit accipere ». Festinantia haec signum erat promptitudinis interioris, qua divino conspectui volebant praesentari; Proverbiorum vigesimo secundo: « Vidisti virum velocem in opere suo? Coram regibus stabit ». Unde dicebant intra se illud ad Hebraeos quarto: « Festinemus ingredi in illam requiem, ut ne in id ipsum quis incidat incredulitatis exemplum ».

**Applicatio spiritualis. Colloqui cum Christo.**

36. Nota, quod volenti *spiritualiter* invenire Christum haec tria sunt necessaria: scilicet *colloqui* per meditationem Scripturarum; Ecclesiastici nono [5]: « Cum sapientibus et prudentibus tracta »; « Et omnis enarratio tua sit in praeceptis Altissimi ». — *Transire* per contemplationem creaturarum; Canticorum tertio: « Surgam et circuibo civitatem, per vicos et plateas quaeram, quem diligit anima mea »; et post: « Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea »; et Ecclesiastici vigesimo quarto: « Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, a generationibus meis adimplemini ». — *Festinare* per degustationem gratiarum; Canticorum secundo [6]: « Surge, propera, amica mea »; et Canticorum quinto: « Pessulum ostii mei aperui dilecto meo » etc. Et ideo supra primo de Maria dicitur, quod « abiit in montana cum festinatione ».

**Transire ad ipsum.**

**Festinare.**

**Secundo, propter triplicem certitudinem inventionis.**

37. *Et invenerunt Mariam* etc. Hic secundo commendatur pastorum diligentia a *certitudine inventionis*, cuius laus ex tribus colligitur: quia fuit *certitudinaliter comprobata, celeriter* [7] *divulgata* et *memoriter conservata.*

**Certitudinaliter comprobata.**

Primo quidem fuit *certitudinaliter comprobata,* quia per probabilia signa et evidentia; propter quod dicitur: *Et invenerunt Mariam et Ioseph et infantem positum in praesepio.* Ideo *invenerunt,* quia sollicite quaesiverunt et absque fictione; unde dicitur Sapientiae primo [8]: « In simplicitate cordis quaerite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum ». — Et nota, quod invenitur cum *Maria* virgine et *Ioseph,* viro iusto, et in *praesepio,* quia eum qui vult Christum invenire, oportet habere *munditiam* respectu sui, *iustitiam* respectu proximi, *humilitatem* et reverentiam respectu Dei. Et ista sunt tria munera, quae offerunt reges Christo infanti, et ideo ab eis voluit inveniri; Matthaei secundo [9]: « Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria, matre eius, et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham ». — In hoc etiam instruimur, ut, si Christum volumus invenire, prius ad Mariam debeamus accedere; de ipsa enim dicitur supra primo [10]: « Invenisti gratiam apud Dominum ». Ipsa ergo invenit gratiam et misericordiam coram Assuero « super omnes mulieres », sicut dicitur Esther secundo. Et ideo « accedamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno ».

**Applicatio spiritualis.**

**Tria munera offerenda.**

**Gratia quaerenda per Mariam.**

**Confirmator signum Angeli.**

38. (Vers. 17.). Et quia hoc signum datum est ab Angelo, ideo subditur: *Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc,* scilicet, quod esset verum. Unde iam poterant

---

[1] Vers. 12. seq. — Sequitur Prov. 27, 17. — Superius pro *cohortationis* Vat. *exhortationis.*

[2] Vers. 3. — Subinde allegatur Ioan. 1, 14.

[3] Vulgata, omisso *fecit,* legit: *Quod Dominus ostendit nobis;* Beda autem: *Quod fecit Dominus et ostendit nobis.* Quibus verbis haec additur explicatio: Vere enim [pastores] quasi *vigilantes* non dixerunt: Videamus puerum, videamus quid dicitur, sed: *Videamus Verbum, quod factum est; in principio erat Verbum, et Verbum caro factum est* [Ioan. 1, 1. et 14.] Verbum, quod semper erat, videamus, quomodo pro nobis *factum est, quod fecit Dominus et ostendit nobis.* Verbum hoc ipsum se fecit; siquidem hoc ipsum Verbum Dominus est. Videamus igitur, quomodo hoc ipsum Verbum, hoc est Dominus, ipse se fecerit et ostenderit nobis carnem suam. Quod enim videre non poteramus, dum erat Verbum, videamus factum, quia caro est etc. — Tres seqq. loci sunt Isai. 64, 3; Ps. 84, 8. et 90, 16.

[4] Vers. 9. — Sequuntur Prov. 22, 29. et Hebr. 4, 11.

[5] Vers. 21. et 23: *Et omnis* etc. — Subinde allegantur Cant. 3, 2. et 4; Eccli. 24, 26.

[6] Vers. 10. — Vat. addit v. 14: *Ostende mihi faciem* etc. — Duo seqq. loci sunt Cant. 5, 6. et Luc. 1, 39. — Superius pro *per degustationem gratiarum* Vat. *per gratiarum actionem.*

[7] Cod. G *celebriter* (infra etiam C D).

[8] Vers. 1. seq.

[9] Vers. 11. — Superius post *munditiam* Vat. addit *cordis.*

[10] Vers. 30. — Sequuntur Esther 2, 17. et Hebr. 4, 16. Cfr. supra pag. 27, nota 6.

dicere illud Samaritanorum ipsi Angelo[1]: « Iam non propter loquelam tuam credimus, ipsi enim audivimus et scimus, quia hic est vere Salvator mundi ». Vere *cognoverunt*, quia de ovibus erant illius pastoris, qui dicit Ioannis decimo: « Cognosco meas, et cognoscunt me meae ». Hoc desiderabat Iob vigesimo tertio: « Quis mihi det, ut cognoscam et inveniam illum et veniam usque ad solium eius »?

Celeriter divulgata.

39. (Vers. 18.). Non solum fuit certitudinaliter approbata, sed etiam *celeriter divulgata;* propter quod subditur: *Et omnes, qui audierant, mirati sunt,* scilicet de parvulo nato, *et de his quae dicta erant a pastoribus ad ipsos,* quae scilicet audierant ab Angelo. Unde de viro iusto dicitur Ecclesiastici undecimo[2]: « Admirati sunt in illo multi et honorificaverunt Deum ». Videbant enim, *verba pastorum* non contemnenda, sed admiranda; Ambrosius: « Nec contemnenda putes quasi vilia verba prophetarum; a pastoribus etiam Maria fidem colligit, a pastoribus populus ad Dei reverentiam congregatur; plebem enim Dominus simplicem requisivit, quae phalerare audita et fucare nesciret ». — *Mirati* sunt etiam, quia parvulus non videbatur eis contemptibilis, sed admirabilis. Unde Isaiae nono[3]: « Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et vocabitur nomen eius *Admirabilis* ». Ubique enim mirabilis Christus apparet, non solum *nascens*, sicut hic, sed etiam *proficiens;* infra eodem[4]: « Et stupebant super prudentia et responsis eius ». — Admirabilis etiam *docens;* infra quarto: « Mirabantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius ». — Admirabilis *tacens;* Marci decimo quinto: « Iesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus ». — Admirabilis *in actione;* infra octavo[5]: « Quis, putas, est hic, quia et ventis et mari imperat, et obediunt ei »? — Admirabilis *in passione;* Marci decimo quinto: « Pilatus autem mirabatur, si iam obiisset » etc. — Admirabilis *in resurrectione;* Lucae ultimo: « Petrus, videns linteamina sola posita, abiit, secum mirans quod factum fuerat ». — Admirabilis *in ascensione;* Psalmus[6]: « Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Quoniam elevata est magnificentia tua super caelos ». — Admirabilis *in extremo examine;* Sapientiae octavo: « Acutus inveniar in iudicio, et in conspectu prudentium admirabilis ero ».

Parvulus mirabilis nascens. — Item, proficiens. — Item, docens. — Item, tacens. — Item, in actione. — In passione. — In resurrectione. — In ascensione. — In iudicio.

Memoriter conservata.

40. (Vers. 19.). Fuit etiam tertio *memoriter conservata;* unde subditur: *Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo;* tanquam prudens et discreta, secundum illud Proverbiorum tertio[7]: « Misericordia et veritas te non deserant. Circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui »; et Ecclesiastici quinquagesimo: « Qui ponit illa in corde sapiens erit semper ». Econtra dicitur Ecclesiastici vigesimo primo de fatuo: « Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit ». — Unde Virgo fuit *arca* continens divinorum eloquiorum arcana; et ideo per arcam Moysi designatur, de qua dicitur Hebraeorum nono[8], quod continebat tabulas legis divinae. Et quia non solum conservabat, sed etiam intelligebat; ideo additur: *Conferens ea in corde suo,* ita ut posset dicere illud Psalmi: « In corde meo abscondi eloquia tua ».

Maria fuit arca.

Tertio, propter gratitudinem devotionis tripliciter monstratam.

41. (Vers. 20.). *Et reversi sunt pastores* etc. Hic commendatur diligentia pastorum a *gratitudine devotionis.* Ad hoc autem, quod devotio sit Deo accepta, necesse est, quod simul[9] resonent et concordent *manus, mens* et *lingua: manus* operando, *lingua* laudando, *mens* recognoscendo. — Laudabilis ergo erat pastorum devotio propter *debitam operationem,* ratione cuius dicitur: *Reversi sunt pastores,* scilicet ad custodiam gregis commissi. In quo erudiuntur devoti, ut post contemplationem Salvatoris revertantur ad exercitium actionis; Ezechielis primo[10]: « Animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis »; et infra octavo: « Redi in domum tuam et narra, quanta fecit tibi Deus ». Huius figura habetur in Iosue secundo: « Reversi sunt et descenderunt exploratores de monte et venerunt ad Iosue ». In quo significatur, quod tempore tentationis recurrendum est ad orationem et postmodum redeundum est ad actionem.

Debita operatio.

Debita gratiarum actio.

42. Laudabilis etiam fuit propter *debitam gratiarum actionem,* ratione cuius subditur: *Glorificantes et laudantes Deum;* Ecclesiastici quadrage-

---

[1] Ioan. 4, 42. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 10, 14. et Iob 23, 3.

[2] Vers. 13. — Sententia Ambros. habetur II. in Luc. n. 53: « Non gymnasia choris referta sapientum, sed plebem Dominus simplicem requisivit, quae phalerare audita et fucare nesciret. Simplicitas enim quaeritur, non ambitio desideratur. Nec contemnenda putes quasi vilia verba prophetarum; a pastoribus etiam Maria fidem colligit .. congregatur ». Codd. nostri cum S. Thoma (Catena aurea in Luc. 2. n. 5.): *Nec contemnenda putes, quia* [Thomas: *quasi*] *vilia verba pastorum; a pastoribus enim fidem Maria colligit.* In ed. operum Ambrosii a Maurinis notatur, quod pro *verba prophetarum* cod. Reg. et Rom. edit. substituunt *verba pastorum;* deinde editores adiungunt: « Sed hic mutato nihil est opus, cum non ambiguo ipsi pastores a S. Doctore prophetae vocitentur ». Subinde pro *plebem enim simplicem* C D *fidem enim simplicem.*

[3] Vers. 6, in cuius fine codd. nostri: *et vocabitur Admirabilis.*

[4] Vers. 47. — Duo seqq. loci sunt Luc. 4, 22. et Marc. 15, 5. (Pro *Iesus autem amplius nihil respondit* codd. *Iesus non dedit responsum,* cfr. Ioan. 19, 9.).

[5] Vers. 25. — Subinde allegantur Marc. 15, 44. et Luc. 24, 12.

[6] Psalm. 8, 2 — Sequitur Sap. 8, 11, ubi pro *prudentium* Vat. cum Vulgata *potentium.*

[7] Vers. 3. Codd., prima versiculi parte omissa, legunt *Circumda eam gutturi* etc. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 50, 30. et 21, 17.

[8] Vers. 4. — Subinde allegatur Ps. 118, 11.

[9] Vat. *similiter.* Dein pro *recognoscendo* (ita B) alii codd. et Vat. *rectificando,* quod non congruit.

[10] Vers. 14. — Duo seqq. loci sunt Luc. 8, 39. et Iosue 2, 23. — Aliquanto inferius pro *recurrendum* Vat. *revertendum.*

simo tertio[1]: « Glorificantes Dominum, quantumcumque potueritis; supervalebit adhuc, et admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum, exaltate eum, quantumcumque potestis; maior est omni laude ». Quocontra dicitur de sapientibus mundanis ad Romanos primo[2]: « Qui cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt ». Et ideo qui non vult excaecari necesse habet Deo de beneficiis suis regratiari; ideo dicitur ad Colossenses tertio: « Omne, quod facitis in verbo aut in opere, omnia facite in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo ».

Debita recognitio. 43. Fuit etiam laudabilis propter *debitam recognitionem*, ratione cuius subiungitur: *In omnibus, quae audierant et viderant, sicut dictum est ad illos;* unde poterant dicere illud Psalmi[3]: « Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Dei nostri ». Tunc verificatum est istud Psalmi: « Ecce, audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvae ». Et nota, quod dicitur: *In omnibus, quae audierant et viderant;* in quo ostenditur *plenitudo gratitudinis;* ad Ephesios quinto: « Impleamini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Deo, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo et Patri ». — Et nota *ordinem*, quo dicit: *In omnibus, quae audierant et viderant;* quia, Isaiae septimo[4], secundum aliam litteram, « nisi credideritis, non intelligetis »; sed ad Romanos decimo: « Ergo fides ex auditu », sed intelligentia ex visu, infra decimo: « Beati oculi, qui vident quae vos videtis »; Iob ultimo: « Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te ».

## Secundo, de Christi nascentis humilitate, quatenus factus est sub triplici lege.

44. *Et postquam consummati* etc. Supra descripsit Evangelista veritatem nativitatis Christi, per quam ostenditur, qualiter Christus *factus est de muliere;* hic secundo describitur *humilitas*[5] Christi nascentis, per quam declaratur, qualiter *factus est sub Lege.* Quoniam autem Legis praecepta sunt in triplici differentia: quaedam sunt *sacramentalia*, quaedam sunt *caeremonialia* et quaedam *moralia;* ideo haec pars habet tres; in quarum prima ostenditur, qualiter Christus factus est sub lege *sacramentali* in circumcisione; in secunda vero, qualiter factus est sub *caeremoniali* in sui oblatione, ibi[6]: *Et postquam impleti sunt* etc.; in tertia, qualiter factus est sub lege *morali* in Dei honoratione, ibi: *Puer autem crescebat* etc. Divisio.

### Qualiter factus sit sub lege sacramentali.

45. (Vers. 21.). Quantum ad primum notandum, quod « omnis, qui se humiliat, exaltabitur[7] »; ideo *praemittitur humiliatio* secundum Legis praeceptum, cum dicitur: *Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer* etc. Ita enim erat praeceptum Genesis decimo septimo[8]: « Infans octo dierum circumcidetur in vobis ». Et recte dicuntur isti dies *consummati* propter perfectionem humilitatis et inchoationem nostrae salutis; Ecclesiastici decimo octavo: « Cum consummaverit homo », scilicet octo dies, « tunc incipiet », nos scilicet liberare. Iam enim octava die incipiebat pro nobis sanguinem suum fundere. Bernardus[9]: « Audivimus congruam lectionem de *Verbo abbreviato:* abbreviatum est in carne, amplius abbreviabitur carnis suscepta circumcisione ». Et post: « Quem nemo potest arguere de peccato, ipse peccati remedium sustinet humile pariter et austerum ». Voluit autem Dominus circumcidi tum propter *Legis approbationem et impletionem*, de qua dicit Matthaei quinto[10]: « Non veni Legem solvere, sed adimplere ». Tum etiam propter *humilitatis ostensionem;* Psalmus: « Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras »; alia littera: « vias latronis ». Bernardus[11]: « Qui sine peccato est non dedignatur peccator reputari », immo « latronis cauterio est signatus ». Tum etiam propter *spiritualis*

Praemittitur humiliatio. Rationes quatuor.

---

[1] Vers. 32. seq.

[2] Vers. 21. seq. — Subinde allegatur Col. 3, 17.

[3] Psalm. 47, 9, post quem Ps. 131, 6. et Eph. 5, 18. seq.

[4] Vers. 9, qui exhibetur secundum translationem septuaginta interpretum; cfr. supra pag. 4, nota 8. — Sequuntur Rom. 10, 17; Luc. 10, 23. et Iob 42, 5.

[5] Codd. *humanitas*, quod non convenit cum iis quae inferius ponuntur; cfr. etiam supra n. 1.

[6] Vers. 22; tertia pars habetur v. 40. — Superius primo *quaedam* D addit *enim.*

[7] Luc. 14, 11.

[8] Vers. 12. — Sequitur Eccli. 18, 6, quem etiam Card. Hugo *mystice* exponit de Christo. Bernard., in Circumcisione Domini, Serm. 2. n. 3: Merito sane, dum circumciditur Puer, qui natus est nobis, *Salvator* vocatur, quod videlicet ex hoc iam coeperit operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens.

[9] In Circumcisione Domini, Serm. 1. n. 1: « Audivimus congruam lectionem de Verbo abbreviato, quod fecit Dominus super terram [cfr. Rom. 9, 28.]. Abbreviatum enim in carne, amplius abbreviatur suscepta etiam carnis circumcisione ». Ibid. habetur etiam seq. sententia: Quem [puerum, Agnum sine macula] nemo potest arguere de peccato [cfr. Ioan. 8, 46.], ipse peccati remedium et verecundum pariter et austerum sine ulla necessitate suscepit.

[10] Vers. 17. — Subinde allegatur Ps. 16, 4. Hieron., Divina Biblioth. lib. Psalmor. Ps. 17: In opere Adam, in verbo labiorum tuorum ego observavi vias latronis. — De his rationibus cfr. IV. Sent. d. 3. p. II. a. 3. q. 1. ad 3; d. 6. p. II. a. 1. q. 2. in corp. et d. 8. p. II. dub. 2. — Inferius voci *humilitatis* Vat. praefigit *humanitatis ac.*

[11] In Circumcisione Domini, Serm. 1. n. 1: « *Qui peccatum non fecit* [1. Petr. 2, 22; cfr. Isai. 53, 9.], non dedignatus est, se peccatorem reputari ». Ibid. Serm. 3. n. 3: Iam minoratus est multo minus Angelis [cfr. Ps. 8, 6.], qui non solum formam hominis, sed formam habet peccatoris et infligitur velut quodam cauterio peccatoris.

*circumcisionis introductionem;* Ieremiae quarto[1]: « Circumcidimini Domino et auferte praeputia cordium vestrorum, viri Iuda ». Tum etiam propter *conformitatis et concordiae commendationem;* ad Hebraeos secundo[2]: « Debuit per omnia fratribus similari ». Bernardus: « Amator communitatis et commendator Iesus, quomodo illam desereret »?

Additur clarificatio.

46. Deinde additur *clarificatio propter nomen impositum*, cum subditur: *Vocatum est nomen eius Iesus*, id est Salvator, ut scilicet ipso nomine scias, quod non accepit circumcisionem propter necessitatem suae curationis, sed propter dispensationem nostrae salutis; Iob decimo tertio[3]: « Ipse erit salvator meus ». Hoc autem est nomen dignum omni veneratione; ad Philippenses secundo: « Humiliavit semetipsum etc. Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur ». Hoc autem nomen competit ipsi Christo *vere* et *proprie: vere*, secundum illud Matthaei primo[4]: « Vocabis nomen eius Iesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum »; convenit etiam *proprie*, secundum illud Actuum quarto: « Non est in aliquo alio salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri ».

Subditur nominis approbatio.

47. Postremo subditur *impositi nominis approbatio* per praeconium angelicum, cum subditur: *Quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur;* Isaiae sexagesimo secundo[5]: « Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit »; et Ecclesiastae sexto: « Qui futurus est, iam vocatum est nomen eius, et scitur, quod homo sit ». Et hoc quidem factum est nunc; supra primo: « Vocabis nomen eius Iesum ». — Hoc vero nomen divinum est et angelicum, quod desiderat sponsa Canticorum primo[6]: « Oleum effusum nomen tuum ». Bernardus: « Aridus est omnis cibus animae, si non isto oleo infundatur; insipidus est, si non hoc sale condiatur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Iesum. Si disputes aut conferas, non sapit, nisi sonuerit ibi Iesus. Iesus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus ». Et ideo Isaiae vigesimo sexto[7] dicitur: « Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animae ».

Expositio spiritualis.

48. *Spiritualiter* nota, quod per *octo dies* intelliguntur *octo aetates*, quarum sex sunt in decursu mundi secundum sex distinctiones notabiles[8], septima in quiete animarum, quae currit simul cum sexta et non habet vesperam, octava in resurrectione, in qua fit circumcisio ab omni culpa et miseria. Et ideo circumcisio fiebat in octavo die ad illius circumcisionis designationem[9].

Secundum tropologiam et allegoriam.

49. Secundum *tropologiam* autem et *allegoriam* simul intelligitur *virtus Spiritus septiformis*[10], et octavus est *perseverantia finalis*, quae nunquam deficit. — Prima ergo pertinet ad *lucem fidei*, quia prima die facta est lux; Proverbiorum quarto[11]: « Iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem ». — Secunda vero ad *firmitatem spei*, in qua factum fuit firmamentum; ad Hebraeos sexto[12]: « Fortissimum habemus solatium, qui confugimus ad tenendam propositam spem ». — Tertia ad *viriditatem caritatis*, quando terra germinavit; Proverbiorum undecimo: « Iusti quasi virens folium germinabunt ». Gregorius: « Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, nisi manserit in radice caritatis ». — Quarta, in qua facta sunt luminaria, ad luminosam *discretionem prudentiae*, quae viget in virili aetate; Ecclesiastae duodecimo[13]: « Memento Creatoris tui, antequam veniat tempus afflictionis »; et ad Philippenses secundo: « Lucetis sicut luminaria in mundo ». — Quinta, ad *fortitudinem potentiae*, quae probatur in aquis tribulationis, quoniam quinta die factus est aquae ornatus; Psalmus[14]: « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae »; Psalmus: « Misit de summo et assumsit me de aquis multis ». — Sexta ad *rectitudinem iustitiae*, propter *severitatem* respectu bestialium motuum, et *pietatem* respectu hominum, quoniam sexta die sunt bruta producta cum homine; Iob quinto[15]: « Scias, quod pacem habeat tabernaculum tuum, et visitans speciem tuam, non peccabis ».

Virtus prima. — Secunda. — Tertia. — Quarta. — Quinta. — Sexta.

---

[1] Vers. 4.

[2] Vers. 17. — Sententia Bernardi habetur in Sermone pro Octava Epiphaniae, n. 3: « Denique communitatis amator et commendator, *qui habitare facit unius moris in domo* [Ps. 67, 7.], quomodo communitatem desereret et alios scandalizaret »? In hoc Sermone aliae etiam rationes pro circumcisione Christi afferuntur.

[3] Vers. 16. — Sequitur Phil. 2, 8. seqq.

[4] Vers. 21. — Subinde allegatur Act. 4, 12.

[5] Vers. 2. — Duo seqq. loci sunt Eccle. 6, 10. et Luc. 1, 31.

[6] Vers. 2. — Sententia Bernardi, in qua pro *legero* et *disputes* nonnulli codd. substituunt *legas* et *discas*, habetur Serm. 15. in Cant. n. 6.

[7] Vers. 8. — Codd. omittunt *et memoriale tuum.*

[8] Cfr. Breviloq. Prolog. § 2, ubi (pag. 203, in nota 8.) alios allegavimus locos, quibus hac de re agitur. Vide etiam Breviloq. p. II. c. 2. in fine et in Hexaëm. collat. 15. n. 12. seqq.: « Notandum autem, quod sicut Deus sex diebus mundum fecit et in septimo requievit; ita corpus Christi mysticum sex habet aetates et septimam, quae currit cum sexta, et octavam... Septima aetas currit cum sexta, scilicet requies animarum post Christi passionem. Ad has sequitur octava aetas, scilicet resurrectio ». — Pro *in quiete animarum* (C omittit *animarum*) Vat. *in quiete aliarum.*

[9] Cfr. IV. Sent. d. 1. p. II. a. 2. q. 2.

[10] Vide III. Sent. d. 34. p. I. a. 2. q. 1. in fine corp. — Post *intelligitur* Vat. addit *per septem dies.*

[11] Vers. 18. — De septem diebus creationis cfr. Gen. 1. et 2. — De hac tropologica expositione septem dierum cfr. Tractat. de caritate (inter opera Bernardi) c. 14. n. 49. seq.

[12] Vers. 18. — Sequitur Prov. 11, 28, post quem additur sententia Gregorii, II. Homil. in Evang. homil. 27. n. 1.

[13] Vers. 1. — Subinde allegatur Phil. 2, 15. — Superius ex C D supplevimus *in qua facta sunt luminaria.*

[14] Psalm. 68, 2, post quem Ps. 17, 17. — Fide C D addidimus *quoniam quinta* [D *hac*] *die factus est aquae ornatus.*

[15] Vers. 24: *Scies, quod* etc. — Verba *quoniam sexta die sunt bruta producta cum homine* praebet D.

Septima. — Septima ad *sanctificationem temperantiae,* quoniam diem septimam sanctificavit, in qua quievit; Exodi decimo nono[1]: « Vade ad populum, et sanctifica illos hodie et cras, et lavent vestimenta sua »; et vigesimo: « Memento, ut diem Sabbati sanctifices ». — Octava. Octava ad *consummationem finalis perseverantiae;* Levitici vigesimo tertio[2]: « Octavus dies erit celeberrimus atque sanctissimus »; unde et Psalmus, qui est de transitu ad gloriam, scilicet: « Domine, ne in furore tuo arguas me », intitulatur *Psalmus pro octava.*

**Qualiter Christus factus sit sub lege caeremoniali.**

50. *Et postquam impleti sunt* etc. Supra ostendit Evangelista, qualiter Christus factus fuit sub lege sacramentali, hic secundo ostendit, qualiter factus fuit sub lege *caeremoniali,* et habet haec pars iuxta praedictam tres partes. Divisio. In prima praemittitur *Christi humiliatio* secundum Legis praeceptum; in secunda vero subditur *Christi clarificatio* per veritatis testimonium, ibi[3]: *Et ecce homo erat;* in tertia, *consummatio praedictorum,* ibi: *Et cum perfecissent omnia* etc.

Circa primum igitur, scilicet *Christi humiliationem,* quatuor sunt attendenda, quae tangit Evangelista. Primo, de Christi humiliatione quatuor. Describit enim Christi oblationem quantum ad *tempus statutum,* quantum ad *locum designatum,* quantum ad *mandatum scriptum,* quantum ad *pretium oblatum.*

51. (Vers. 22.). Tempus statutum. Primo igitur quantum ad *tempus statutum* dicitur: *Et postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi;* Levitici duodecimo[4]: « Mulier, si, suscepto semine, pepererit masculum, immunda erit septem diebus. Ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suae ». In hoc autem, quod dicit: « Si, suscepto semine, pepererit », ostenditur, quod beata Virgo non fuit illi legi necessitate subiecta, sed humilitate obediens. Bernardus[5]: « Putas, dicturus Moyses, mulierem, quae peperisset masculum, immundam esse, non timuerit super Matrem Dei blasphemiae crimen inducere, et idcirco praemisit: suscepto semine »? Et post: « Vere, o beata Virgo, non habes causam, nec tibi opus est purificatione. Sed nunquid filio tuo opus erat circumcisione »? Unde potest dici quod dixit Assuerus Esther, decimo quinto[6]: « Non propter te, sed pro omnibus lex ista posita est ».

52. Secundo, quantum ad *locum designatum,* Locus designatus. subditur: *Tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino.* Is enim erat locus electus ad divinum cultum; secundi Paralipomenon sexto[7]: « Elegi Ierusalem, ut sit nomen meum in ea ». Et in hoc loco partus debebat Deo praesentari; Deuteronomii decimo sexto: « Tribus vicibus in anno apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit Dominus ».

53. (Vers. 23.). Tertio, quantum ad *mandatum scriptum,* Mandatum scriptum. subditur: *Sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum, adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur;* Exodi decimo tertio[8]: « Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus quam de iumentis ». Sed illud non videtur convenire virgini Mariae, quae est porta clausa ante partum et post partum et in partu. Et ideo potest dici, sicut supra[9] dictum est de lege purificationis. Vel certe adapertio vulvae intelligitur quantum ad fecundationem, non quantum ad claustri apertionem; Genesis vigesimo nono[10]: « Aperuit Dominus vulvam Liae, sorore eius sterili permanente »; et primi Regum primo: « Exprobrabat aemula Annae, quod conclusisset Dominus vulvam eius, quia sterilis erat ».

54. (Vers. 24.). Quarto, quantum ad *pretium oblatum* Pretium oblatum. subinfertur: *Et ut darent* pro eo *hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Haec enim erat oblatio pauperum; Levitici duodecimo[11]: « Quodsi non invenerit manus eius nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos colum-

---

[1] Vers. 10, post quem allegatur 20, 8. — Ex C D supplevimus *quoniam diem septimam sanctificavit, in qua quievit.*

[2] Vers. 35. — Sequitur Ps. 6, cuius titulus secundum Vulgatam: *In finem in carminibus, Psalmus David, pro octava.* Quae verba Gregor., Exposit. in septem Ps. poenitentiales, in prooem. ita explicat: *Pro octava* vero psalmus iste factus asseritur, quia pro consideratione futurae resurrectionis Domino decantatur. Omne praesentis vitae tempus septem diebus evolvitur, et ideo aeterna dies, quae expleta horum dierum vicissitudine futura est, *octava* vocatur. Et quia pro consideratione extremi iudicii psalmus iste concinitur, recte *pro octava* intitulatur. Vel quia sequitur finem carnalis et spiritualis generationis, ideo octava dicitur resurrectionis. Caro enim ex quatuor constat elementis, anima tribus vegetatur naturis. Est enim rationalis ad discernendum, concupiscibilis ad virtutes appetendum, irascibilis ad vitia aversandum... Vel secundum quosdam *octava* dicitur, quia sequitur sex aetates in hoc saeculo viventium, et septimam dormientium iustorum... Loquitur ergo in hoc psalmo fidelis anima, octavam illam, id est diem iudicii tremendam considerans etc. Cfr. August., Enarrat. in Ps. 6. n. 1. seq., ubi haec simili modo exponuntur. — Inferius pro *unde et Psalmus, qui est de transitu ad gloriam* Vat. *quia erit de transitu huius vitae ad gloriam supernam.* Subinde pro *intitulatur Psalmus* C *intitulatus specialis* (F G *populus !).*

[3] Vers. 25; tertia habetur v. 39: *Et ut perfecerunt omnia* etc.

[4] Vers. 2. et 4. — Post *legem Moysi* Vat. addit *id est quadraginta dierum.*

[5] Serm. 3. de Purificat. B. Mariae, n. 1: Putas enim, quia dicturus Moyses mulierem, quae peperisset filium, immundam esse, non timuerit super Matrem Domini blasphemiae crimen incurrere et idcirco praemiserit *suscepto semine?* (Codd. nostri *praemisit*). Ibid. n. 2. habetur seq. sententia.

[6] Vers. 13, in cuius fine Vulgata *haec lex constituta est.*

[7] Vers. 6. — Subinde allegatur Deut. 16, 16, ubi Vulgata *per annum* pro *in anno.*

[8] Vers. 2. — Inferius respicitur Ezech. 44, 2: Porta haec clausa erit etc. [9] Num. 51.

[10] Vers. 31, post quem sequitur I. Reg. 1, 6.

[11] Vers. 8.

barum, unum in holocaustum et alterum pro peccato; orabitque pro eo sacerdos, et sic mundabitur ». Ecce, mira paupertas in parentibus Christi, ut agnum non haberent! — Et nota, quod sub disiunctione ponit utramque oblationem, ut ostendat, utramque Domino convenire. Per *columbam* igitur intelligitur vita activa, sed per *turturem* solivagum contemplativa, quarum utraque hominem reddit Deo acceptabilem, sicut dicit Beda [1]. — Et nota tres oblationes circa hostiam nostram, quae est Dominus Iesus. Prima est ipsius oblatio a parentibus, quae invitat ad *humilitatem.* Secunda est oblatio pro ipso de avibus, quae nos invitat ad *paupertatem.* Tertia est oblatio in cruce pro omnibus, quae nos invitat ad *pietatem.* De primis duabus habetur hic, de tertia Isaiae quinquagesimo tertio [2]: « Oblatus est, quia ipse voluit »..

[margin: ...oid significent columba et turtur. — ...riplex oblatio.]

55. *Spiritualiter* autem notanda sunt tria, scilicet *mysterium purgationis Mariae, sacramentum delationis dominicae, significantia oblationis factae.* — Quantum ad primum notandum, quod *Maria,* quae interpretatur stella maris, sive amarum mare [3], animam designat, sive sit in lumine vitae *contemplativae,* sive in amaritudine vitae *activae;* et utrique necessaria est purgatio. Animae namque *contemplativae* necessaria est purgatio a *superbia,* quod quidem fit per timorem; Iob quadragesimo primo [4]: « Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli, et territi purgabuntur ». Animae *activae* necessaria est purgatio a *negligentia,* quod fit per rigorem et laborem; Ecclesiastici septimo: « De negligentia purga te cum paucis ».

[margin: ...rium expositio spiritualis. — De primo. — Notandum.]

56. Quantum ad *sacramentum delationis dominicae* notandum, quod legimus [5] puerum Iesum delatum in *Ierusalem;* legimus etiam delatum in *Aegyptum,* Matthaei secundo. In quo aperitur nobis, quod proles mentis nostrae, quae est intelligentia, modo *elevanda* est ad *contemplationem aeternorum,* quae per Ierusalem designatur; *Ierusalem* enim interpretatur visio pacis [6]; modo *deprimenda* est ad *considerationem defectuum* nostrorum, quae per *Aegyptum* designatur; *Aegyptus* enim interpretatur tenebrae. Et hoc est quod dicitur in Psalmo [7]: « Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine; Deus meus, illumina tenebras meas »; et Iob ultimo: « Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te » etc.

[margin: ...e secundo.]

57. Quantum ad *significantiam oblationis* notandum, quod oblatio indeterminate intelligitur de *turture* et *columba.* Utraque enim avis gemitum habet pro cantu [8], sed gemitus turturis competit *contemplativis.* Et hic geminatur; unde dicitur: *par turturum.* Primus gemitus est *amoris;* ad Romanos octavo [9]: « Nos ipsi primitias spiritus habentes, et ipsi intra nos ingemiscimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes ». Secundus est *devotionis;* ad Romanos octavo: « Quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed Spiritus est, qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus »; Canticorum secundo: « Vox turturis audita est in terra nostra ». — Gemitus autem columbae competit *activis;* et hic etiam est duplex: unus pro *peccatis propriis;* Psalmus [10]: « Afflictus et humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei »; Isaiae quinquagesimo nono: « Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbae meditantes gememus ». Secundus gemitus est pro *peccatis alienis;* Threnorum primo [11]: « Omnes portae eius destructae, sacerdotes eius gementes »; Nahum secundo: « Miles captivus abductus est, et ancillae eius gementes minabantur ut columbae ».

[margin: De tertio. — Duplex gemitus turturis. — Item, columbae.]

---

[1] Libr. I. in Luc. 2, 24: Hoc sane inter turturis et columbae significantiam distat, quod columba, quae gregatim conversari, volare et gemere consuevit, activae vitae frequentiam demonstrat... turtur vero, qui singulariter gaudet, adeo ut, si coniugem casu perdiderit, solus exinde permaneat, speculativae vitae culmina denuntiat... Et quia aeque utraque Conditori accepta est hostia, consulte Lucas, utrum turtures, an pulli columbarum pro Domino sint oblati, non dixit, ne unum alteri vivendi ordinem praeferret, sed utrumque sequendum, utrumque divinis cultibus doceret offerendum. Cfr. etiam Sect. I. lib. I. Homil. 15. in Purificat. B. Mariae.

[2] Vers. 7. — Bernard., Serm. 3. de Purificat. B. Mariae, n. 2: Sed oblatio ista, fratres, satis delicata videtur, ubi tantum sistitur Domino, redimitur avibus et illico reportatur. Veniet, quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, sed extra civitatem inter brachia crucis. Veniet, quando non redimetur alieno, sed alios redimet sanguine proprio... Illud erit sacrificium vespertinum [cfr. Ps. 140, 2.], istud est matutinum. Istud quidem iucundius, sed illud plenius. Istud enim tempore nativitatis, illud iam in plenitudine aetatis. De utroque tamen potes accipere quod Propheta praedixit: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Nam et modo oblatus est, non quia opus habuit, non quia sub Legis edicto fuit, sed quia ipse voluit; et in cruce nihilominus oblatus est, non quia meruit, non quia Iudaeus potuit, sed quia ipse voluit.

[3] Cfr. supra pag. 21, nota 10. — Superius pro *delationis* E *oblationis.*

[4] Vers. 16. — Subinde allegatur Eccli. 7, 34.

[5] Luc. 2, 22. — Sequitur Matth. 2, 13.

[6] Cfr. supra pag. 42, nota 6. August., Enarrat. in Ps. 77. n. 28: « *Aegyptus* in Hebraea lingua tenebras vel tribulationes significat ». Hieron., Lib. de Nominib. Hebraicis, vet. testam. de Gen.: « *Mesraim,* hostes eorum, sive mensura. Sed sciendum, quod *Mesraim* Aegyptus appellatur ». Idem insinuatur in Fragmento 4. libri nominum Hebraic. (inter opera Hieron.) et adiungitur: *Aegyptus,* defectus, vel caligo; (vel secundum Hieron.): *Aegyptus,* tribulatio coangustans. — Inferius pro *quae per Aegyptum designatur* Vat. *qui per Aegyptum designantur.*

[7] Psalm. 17, 29, post quem allegatur Iob 42, 5.

[8] Beda, I. in Luc. 2, 24: « Volucres hae pro cantu gemitus habent ». De seq. propositione cfr. supra nota 1. Superius pro *indeterminate intelligitur* C D F G *indeterminate determinatur.*

[9] Vers. 23. — Duo seqq. loci sunt Rom. 8, 26. et Cant. 2, 12. — Vide Bedam, I. in Luc. 2, 24.

[10] Psalm. 37, 9. — Sequitur Isai. 59, 11.

[11] Vers. 4. — Subinde allegatur Nahum 2, 7. Cfr. Card. Hugo, in Luc. 2, 24, ubi idem de gemitu contemplativorum et activorum habetur.

In hac *purgatione* ergo et *delatione* et *oblatione* significatur, quod qui purgatus est a superbia et a negligentia dispositus est, ut *ascendat* ad contemplationem Dei et *descendat* ad considerationem sui, et *sursum ascendens* gemat ex amore et devotione, *deorsum rediens* gemat ex contritione et compassione; et in his consistit perfectio animae sanctae et Deo devotae.

Corollarium.

58. *Et ecce, homo erat in Ierusalem* etc. Postquam descripta est Christi humiliatio secundum Legis praeceptum, hic secundo describitur eius *clarificatio per veritatis testimonium*. Et quoniam testimonium ad hoc, quod sit firmum, debet procedere ex ore plurium [1]; ideo introducitur testimonium duorum sexuum, scilicet virilis et muliebris, utrumque tamen authenticum, quia utrumque *propheticum* et utrumque fide dignum propter *meritum sanctitatis*. Et praemittitur testimonium viri tanquam dignioris, et subditur testimonium mulieris tanquam inferioris, et hoc ibi [2]: *Et erat Anna prophetissa* etc.

Secundo, de Christi clarificatione per duplex testimonium.

Circa *Simeonis* testimonium tria introducuntur: primum *testificantis meritum* solidans ad credendum; secundum est *testificationis praeconium* elevans ad admirandum, et hoc ibi [3]: *Et benedixit Dominum et ait* etc. Tertium est *praeconii temperamentum* inclinans ad compatiendum, ibi: *Et benedixit illis Simeon*.

De testimonio Simeonis dicuntur tria.

Quantum ad primum nota, quod *perfectio meriti* Simeonis in duobus explicatur, scilicet in *habitu virtutis* et *spiritu veritatis*, ibi [4]: *Et responsum acceperat*. Et haec duo reddunt hominem in sanctitate perfectum. — *Habitus* autem sive usus *virtutis* in tribus consistit perfecte, scilicet in *fama*, *vita* et *gratia*. Primum est ab *extra*, secundum ab *intra*, tertium a *supra*.

Primo, de perfectione meriti eius duo.

De habitu virtutis tria.

59. (Vers. 25.). Quantum ad *famam* dicitur: *Et ecce, homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon;* quae scilicet civitas erat regalis et sacerdotalis, ubi potissime vigebat cultus Dei secundum observantiam Legis, unde *sancta* dicitur [5]. Ex quo datur intelligi, quod magnae honestatis erat homo, qui in tali civitate habebat famam. Et hoc designat Evangelista, ipsum demonstrando et nomen eius explicando; unde sibi potest competere illud Ecclesiastici decimo quinto [6]: « In medio Ecclesiae aperiet os eius, et implebit eum Dominus spiritu sapientiae »; et post subditur: « Et nomine aeterno hereditabit illum ». Unde recte iste designatur per Simeonem, filium Oniae, de quo Ecclesiastici quinquagesimo: « Simeon, Oniae filius, sacerdos magnus »; et post subditur, quibusdam interpositis: « Circa illum corona fratrum quasi plantatio cedri in monte Libano ».

Quoad famam.

60. Quantum ad *vitam* subditur: *Et homo iste iustus;* ubi ostenditur perfecte ordinatus in vita quantum ad *eligenda;* propter quod dicitur: *Et homo iste iustus*. « *Iustitia* namque est rectitudo voluntatis [7] », quae facit hominem incedere per rectam viam; Sapientiae decimo: « Iustum deduxit Dominus per vias rectas et ostendit » etc. Et ad hoc maxime iuvat recta intentio; Proverbiorum undecimo: « Iustitia simplicis diriget viam eius »; et iterum: « Simplicitas iustorum diriget eos ». — Et quantum ad *fugienda;* propter quod dicitur: *Et timoratus*. « Timor enim expellit peccatum », Ecclesiastici primo [8]; Proverbiorum decimo quinto: « In timore Domini declinat omnis a malo »; Iob primo: « Vir erat in terra Hus nomine Iob, rectus et simplex ac timens Deum et recedens a malo ». — Et quantum ad *exspectanda;* propter quod addit: *Exspectans consolationem Israel,* secundum illud Genesis quadragesimo nono [9]: « Salutare tuum exspectabo, Domine »; et Iudith octavo: « Exspectemus humiles consolationem eius ». Unde sibi maxime dicebat Spiritus sanctus illud Habacuc secundo: « Si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet et non tardabit ».

Quoad vitam.

Respectu eligendorum.

Fugiendorum.

Exspectandorum.

61. Quantum ad *gratiam* subditur: *Et Spiritus sanctus erat in eo,* scilicet per gratiam et caritatem, secundum illud ad Romanos quinto [10]: « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum »; et primae Ioannis quarto: « Qui manet in caritate in Deo manet ». Unde de ipso poterat dici illud quod dicitur de Stephano Actuum sexto, quod erat « plenus fide et Spiritu sancto »; de quo scilicet primae ad Corinthios ultimo: « Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum ».

Quoad gratiam.

62. (Vers. 26.). *Et responsum acceperat*. Hic secundo commendatur *a Spiritu veritatis* ut *inducente ad exspectandum* ex divino responso; quantum ad quod dicit: *Et responsum acceperat a Spiritu sancto,* scilicet per revelationem; Isaiae trigesimo [11]: « Ad vocem clamoris tui statim, ut audierit, respondebit tibi ». Responsum acceperat consolatorium, secundum illud Zachariae primo: « Respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria ». Et propterea subditur: *Non*

De spiritu veritatis tria.

Primum.

---

[1] Cfr. supra pag. 12, nota 6.

[2] Vers. 36.

[3] Vers. 28: *Et benedixit Deum et dixit* etc.; tertium habetur v. 34.

[4] Vers. 26.

[5] Libr. II. Esdrae 11, 1: Reliqua vero plebs misit sortem... qui habitaturi essent in Ierusalem, civitate sancta.

[6] Vers. 5, post quem v. 6. — Subinde allegatur Eccli. 50, 1. (pro *Simeon,* quod exhibent nostri codd. cum textu Syriaco et Arabico, Vulgata *Simon)* et 13.

[7] Anselm., Dialog. de Veritate, c. 12: Iustitia igitur est rectitudo voluntatis propter se servata. — Tres seqq. loci sunt Sap. 10, 10; Prov. 11, 5. et 3.

[8] Vers. 27. — Sequuntur Prov. 15, 27. et Iob 1, 1.

[9] Vers. 18. — Subinde allegantur Iudith 8, 20. et Habac. 2, 3.

[10] Vers. 5. — Tres seqq. loci sunt I. Ioan. 4, 16; Act. 6, 5. et I. Cor. 16, 23.

[11] Vers. 19. — Sequitur Zachar. 1, 13.

*visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.* Unde poterat dicere cum Iob decimo nono [1]: « In carne mea videbo Deum Salvatorem meum », ita quod determinatio *in carne* respiciat videntem et visum. Et etiam poterat cum Propheta cantare: « Non moriar, sed vivam » etc. Poterat etiam dicere cum Apostolo, primae ad Corinthios secundo: « Nos spiritum huius mundi non accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis ».

Secundum.

63. (Vers. 27.). Secundo etiam commendatur *a Spiritu veritatis* ut *deducente ad occurrendum* in templo; quantum ad quem dicitur: *Et venit in Spiritu in templum;* venit utique tanquam Spiritu sancto ductore; ad Romanos octavo [2]: « Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei ». Venit utique ad obsequendum et venerandum Dominum, ut posset dicere illud Psalmi: « Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo »; et iterum: « Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius ».

Tertium.

64. Postremo commendatur a *Spiritu veritatis* ut *perducente ad comprehendendum* cum gaudio; et hoc, cum dicitur: *Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius,* scilicet in templum, secundum illud Malachiae tertio [3]: « Statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quaeritis » etc. *Inducerent*, inquam, *ut facerent secundum consuetudinem Legis pro eo;* quia, sicut dicitur ad Philippenses secundo, « in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo ».

Accepit Christum in ulnas.

65. (Vers. 28.). *Et ipse accepit eum in ulnas suas.* Ecce, devotio senis ad comprehendendum parvulum, qua Christo exposuit se totum, ut posset dicere illud sponsae Canticorum primo [4]: « Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur ». Volebat enim implere illud Canticorum ultimo: « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum »; immo super duo brachia: *duo,* ut ostendat, quod fortiter comprehendendus est; Canticorum tertio: « Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam » etc. Ostendit etiam, quod utraque manu et tota virtute nostra debemus Domino famulari, sicut illi qui una manu pugnabant et alia faciebant opus, Nehemiae quarto [5]; non sicut illi « qui imponunt onera gravia et importabilia, digito autem suo nolunt ea movere », Matthaei vigesimo tertio.

Notandum.

Secundo, de testificationis praeconio tria.

66. *Et benedixit Deum et dixit.* Post sanctitatis meritum subditur hic *veritatis praeconium* elevans ad admirandum; unde in admiratione concluditur, cum dicitur [6]: *Et erant mirantes,* prae magnitudine praeconii. Huius autem praeconii excellentia colligitur ex tribus, scilicet ex *praeambula benedictione;* ex *devota Christi laude et magnificatione,* ibi [7]: *Nunc dimittis,* in cantico Simeonis; et ex *parentum admiratione,* ibi: *Et erant pater eius et mater mirantes.*

Primo, Dei benedictio praeambola.

67. Praemittitur ergo *Dei benedictio,* cum dicitur: *Et benedixit Deum,* id est, benedicendo gratias egit, ita ut diceret [8]: « Benedic, anima mea, Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto eius »; secundi Machabaeorum decimo: « In hymnis et confessionibus benedicebant Deum, qui magna fecit in Israel »; et Ecclesiastici trigesimo secundo: « Benedic Deum, qui creavit te, inebriantem te ab omnibus bonis suis ».

Secundo, Christi magnificatio, de qua duo.

68. (Vers. 29.). *Nunc dimittis* etc. Hic subditur *devota Christi magnificatio* facta a Simeone impleto Spiritu sancto. Et primo in hoc cantico praemittitur *spiritualis consolatio senis.* Secundo subditur *sublimis commendatio infantis,* ibi [9]: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.*

Primo, senis consolatio ex triplici ratione. Prima.

Ostendit igitur Simeon senex *se consolatum* in praesentia Christi ex ratione triplici: propter *dignationem maiestatis;* propter quam dicit: *Nunc dimittis servum tuum, Domine,* quia Dominus venerat ad servum; secundi Regum vigesimo quarto [10]: « Quid causae est, ut veniat dominus meus rex ad servum suum »? et Psalmus: « Quid est homo, quia memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum »? — Propter *impletionem veritatis;* propter quam dicit: *Secundum verbum tuum,* verbum scilicet promissum; Isaiae quinquagesimo quinto [11]: « Verbum, quod egredietur de ore meo, non revertetur vacuum ». Et ideo illud Psalmi dicere poterat: « Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum ». — Propter *adeptionem tranquillitatis;* propter quam dicit: *In pace.* Iam enim adveniente illo qui dicit: « In me pacem habebitis », Ioannis decimo sexto [12], iustus dicebat, se in pace mori. Iam pro vera consolatione poterat dicere illud quod dixit Iacob ad Ioseph, Genesis quadragesimo sexto: « Iam laetus moriar, quia vidi faciem tuam et superstitem te relinquo ». Et hoc petebat Tobias, tertio [13]: « Et nunc,

Secunda.

Tertia.

[1] Vers. 26. — Subinde allegantur Ps. 117, 17. et I. Cor. 2, 12.

[2] Vers. 14. — Duo seqq. loci sunt Ps. 5, 8. et 131, 7. — Pro *utique,* quod bis hic occurrit, Vat. *itaque.*

[3] Vers. 1. — Sequitur Phil. 2, 7.

[4] Vers. 12; ibid. 8, 6. et 3, 4. sunt duo seqq. loci. — Superius pro *qua Christo* F G H *quia Christus.*

[5] Id est II. Esdrae 4, 17. — Subinde allegatur Matth. 23, 4.

[6] Vers. 33: Et *erat* pater et mater eius etc.

[7] Vers. 29; tertium habetur v. 33. — Pro *magnificatione,* quod praebet H et cum inferius (n. 68.) positis convenit, alii codd. et Vat. *magnitudine.*

[8] Cum Psalmista in Ps. 102, 1, quem codd. antiquiores ita proferunt: *Benedic, anima mea, Domino, et omnia interiora mea nomen sanctum eius* (tam Card. Hugo, quam Lyranus exhibent hanc lectionem in marg.). — Duo seqq. loci sunt II. Machab. 10, 38. et Eccli. 32, 17.

[9] Vers. 30.

[10] Vers. 21. Cfr. supra pag. 29, nota 9. — Sequitur Ps. 8, 5. — Superius pro *in praesentia* D *de praesentia.*

[11] Vers. 11. — Subinde allegatur Ps. 118, 65.

[12] Vers. 33: *Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.* — Sequitur Gen. 46, 30.

[13] Vers. 6. — Subinde allegatur Ps. 4, 9.

Domine, fac mecum misericordiam et praecipe, in pace recipi spiritum meum ». Hoc iam praestiterat ipsi Simeoni, sicut promiserat; unde poterat dicere illud: « In pace in id ipsum dormiam et requiescam », quia nihil aliud exspectabat.

69. (Vers. 30.). *Quia viderunt oculi mei* etc. Hic secundo additur *Christi magnificatio* secundum triplicem excellentiam *pietatis, sapientiae* et *maiestatis*. Ex *pietate* et clementia venit *salus*, ex *sapientia* fulget *lux*, ex *maiestate*, *gloria et laus*; *salus* scilicet omnibus populis, *lux* gentibus et *gloria* Israelitis.

**Secundo, infantis commendatio triplex.**

**Quoad salutem clementiae.**

Quantum ad *salutem clementiae* dicitur: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum;* unde poterat dici Simeoni illud Iob trigesimo tertio[1]: « Videbis faciem eius in iubilo »; Baruch tertio: « Post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus est ».

**Salus universalis.**

70. (Vers. 31.). Haec autem salus non erat particularis, sed *universalis;* et ideo subdit: *Quod parasti ante faciem omnium populorum*, secundum illud Isaiae quinquagesimo secundo[2]: « Videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri ». Iam verificatum videbat illud Psalmi: « Notum fecit Dominus salutare suum in conspectu gentium »; sequitur: « Viderunt omnes fines terrae salutare Dei nostri »; Isaiae quadragesimo nono: « Parum est, ut sis mihi servus ad faeces Israel convertendas. Dedi te in lucem gentibus, ut sis salus mea usque ad extremum terrae ».

**Quoad lucem sapientiae.**

71. (Vers. 32.). Et quantum ad *lucem sapientiae;* propter quod addit: *Lumen ad revelationem gentium;* Isaiae nono[3]: « Habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis ». Et hoc lumen gentibus revelabit gloriam Dei; Isaiae quadragesimo: « Revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro salutare Dei »; Danielis secundo: « Ipse revelat profunda et abscondita et novit in tenebris constituta, et lux cum eo est ».

**Quoad sublimitatem gloriae.**

72. Quantum ad *sublimitatem gloriae* subditur: *Et gloriam plebis tuae Israel,* quia de Israel natus est secundum carnem; Isaiae quarto[4]: « Erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terrae sublimis, et exsultatio his qui salvati fuerint ex Israel ». Et nunc impletum est illud quod dicitur Esther octavo: « Iudaeis nova lux oriri visa est, gaudium et honor et tripudium apud omnes populos ».

**Quoad rationem pacis.**

73. Magnificatur ergo Christus sub ratione *salutis omnium, lucis gentium* et *gloriae Iudaeorum*. — primum *clementiam*, secundum *sapientiam*, tertium vero *potentiam* manifestat — sub ratione *pacis* ex consolatione senis; unde laudatur in hoc cantico ut *pax*, ut *salus*, ut *lux*, ut *gloria*. *Pax* est, quia *mediator; salus*, quia *redemptor; lux*, quia *doctor; gloria*, quia *praemiator*. Et in his quatuor consistit perfecta Christi commendatio et magnificatio[5], immo totius evangelicae historiae quaedam brevissima comprehensio quantum ad *incarnationem* in pace, *praedicationem* in luce, *redemptionem* in salute, *resurrectionem* in gloria. — Et quia canticum illud sic continet laudis Christi plenitudinem et senis morientis consolationem, ideo in sero cantatur in Completorio. Unde ista tria cantica sunt ordinata, Mariae, Zachariae, Simeonis: primum in vespere, secundum in mane, tertium in sero, quia sequens incipit, ubi terminatur praecedens[6]. — Significatur etiam in hoc, quod de incarnatione omnis status debet laudare Deum, scilicet virginum, coniugatorum et viduarum; contemplativorum, praelatorum et activorum; laici et clerici et religiosi, qui et Domino debent esse consecrati.

**Notandum.**

**Corollarium 1. notandum.**

**Corollarium 2.**

**Tertio, parentum admiratio.**

74. (Vers. 33.). *Et erant pater eius et mater* etc. Hic tertio subditur ex hoc consurgens *parentum admiratio*, cum subditur: *Et erant pater eius et mater mirantes super his quae dicebantur de illo,* scilicet super quatuor praedictis. Nam Christus admirabilis est secundum quod *mediator* in pacis concordia; Esther decimo quinto[7]: « Valde admirabilis es, Domine, et facies tua plena gratiarum ». — Admirabilis etiam secundum quod *salvator* in clementia; propter quod in Psalmo[8] dicitur ita: « Mirabilis Deus in Sanctis suis », quia « gratia et misericordia est in Sanctos eius et respectus in electos illius », Sapientiae quarto. — Admirabilis secundum quod *doctor* in sapientia; Psalmus[9]: « Mirabilis

**Christus admirabilis ut mediator.**

**Ut salvator.**

**Ut doctor.**

---

[1] Vers. 26, post quem Baruch 3, 38.

[2] Vers. 10. — Sequuntur Ps. 97, 2. et 3; Isai. 49, 6. — Inferius pro *verificatum videbat* Vat. *verificatum videbant.*

[3] Vers. 2. — Duo seqq. loci sunt Isai. 40, 5. et Dan. 2, 22. — Inferius auctoritate D substituimus *revelabit gloriam* pro *revelavit gloriam.*

[4] Vers. 2. — Subinde allegatur Esther 8, 16. seq. — Inferius pro *Et tunc impletum* substituimus ex C D F G *Et nunc impletum* (F *impletur).*

[5] Vat. *magnificentia.*

[6] B. Albert., in Luc. 2, 32: Attende autem, quoniam iam habita sunt quatuor cantica in isto Evangelio: canticum quidem Zachariae, in quo in multis gratiis nobis salutem erexit et cornu salutis; et quia hoc secundum effectum factum est in resurrectione: ideo in matutinis laudibus, quae in honorem resurrectionis decantantur, hoc stando decantatur. Est etiam habitum canticum beatae Virginis, in quo dicitur, quod Dominus ad humilitatem ancillae respexit; quod quia in sexta aetate factum est, ideo in sexta hora decantatur, hoc est in Vespera, quae sexta est a laudibus matutinis. In cantico autem Simeonis de pace dimissorum fit mentio, qui sunt quiescentes; septima autem aetas est quiescentium, et ideo in septima, hoc est in Completorio, decantatur. Quartum autem canticum est Angelorum, qui non pertinent ad aetatem aliquam, et ideo extra horas in Missa decantatur. Cfr. Card. Hugo, in eundem Lucae locum. — Aliquanto superius pro *senis morientis consolationem* Vat. *senis mortis consolationem*, quae etiam subinde post *Simeonis* addit *in Ecclesia decantanda.*

[7] Vers. 17. — Post *mediator* supplevimus ex C (a secunda manu adiunctum) *in pacis concordia*, pro quo B *in gratia*, D (a secunda manu) *in iustitia.*

[8] Psalm. 67, 36. — Sequitur Sap. 4, 15.

[9] Psalm. 138, 6. Vat. hunc omittit, sicut etiam verba *Admirabilis secundum quod triumphator in potentia, secundum illud Psalmi.* — Duo seqq. loci sunt Ps. 92, 4. et Exod. 15, 11.

Ut triumphator.

facta est scientia tua ex me ». — Admirabilis secundum quod *triumphator* in potentia, secundum illud Psalmi: « Mirabilis in altis Dominus »; et Exodi decimo quinto: « Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia »? — Et ideo non est mirum, si pater putativus et mater vera mirabantur super his quae dicebantur.

Tertio, de praeconii temperamento tria.

75. *Et benedixit illis Simeon* etc. Post testificantis meritum et testificationis praeconium subiungitur hic tertio *praeconii temperamentum* humilians ad compatiendum, unde in compassione terminatur; Psalmus [1]: « Quia calix in manu Domini vini meri plenus misto »; ideo post Christi dignitatem subiungit infirmitatem. In hoc autem temperamento primo praemittitur *propheticae benedictionis solatium;* deinde additur *dominicae passionis mysterium;* tertio subiungitur *maternae compassionis martyrium.*

Primum.

76. (Vers. 34.). Quantum ad *solatium benedictionis propheticae* praemittitur: *Et benedixit illis Simeon,* id est, benedictos praedicavit Mariam, quia concepit, et Ioseph, quia educavit; unde poterat eis dicere illud Davidicum [2]: « Benedicti vos a Domino ». Benedicuntur enim parentes in filio et pro filio, secundum quod, primi Regum secundo, « benedixit Eli Elcanae et uxori eius », scilicet pro Samuele, optimo puero.

Quare praemittatur benedictio.

Nota, quod praemittitur hic benedictio tum ad *consolationem,* tum ad *confortationem,* tum etiam ad *commendationem,* ne passio praedicenda turbet, ne terreat, ne credatur culpa proximorum parentum esse in causa. — Vel ideo benedixit, ut significaret, quod in illo impletae sunt benedictiones Patrum; Genesis vigesimo secundo [3]: « Benedicens benedicam tibi » etc. — Vel ideo, ut insinuet, per passionem Christi nos ab omni maledictione liberatos; ad Galatas tertio: « Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum ».

Alia ratio.

Tertia.

Secundum.

77. Quantum ad *mysterium dominicae passionis* additur: *Et dixit ad Mariam, matrem eius: Ecce, positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel;* et hoc divino iudicio; Ioannis nono [4]: « In iudicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant »: et Isaiae octavo: « Erit vobis Dominus in sanctificationem; in lapidem autem offensionis et in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum et in ruinam habitantibus Ierusalem ». Et ideo dicitur *positus,* scilicet divino iudicio; primae Petri secundo [5]: « Vobis honor credentibus, non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est lapis offensionis et petra scandali his qui offendunt verbo »; et hoc pro culpa ipsorum. Secundae ad Corinthios secundo simile dicitur de Apostolis: « Christi bonus odor sumus Deo, aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitae in vitam ». — Et ratio huius est contradictio erroris; propter quod additur: *Et in signum, cui contradicetur;* Threnorum tertio [6]: « Tetendit arcum suum et posuit me quasi signum ad sagittam »; hoc dicitur propter contradicentes; ad Hebraeos duodecimo: « Recogitate eum qui talem adversus semetipsum a peccatoribus contradictionem sustinuit ». Et ista contradictio fuit occasio ruinae et causa in multis; Isaiae quadragesimo primo [7]: « Peribunt viri, qui contradicunt tibi »; et ideo dicitur Ecclesiastici quarto: « Non contradicas verbo veritatis ullo modo ».

Ratio.

Tertium.

78. (Vers. 35.). Quantum ad *martyrium compassionis maternae* dicitur: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius,* id est tui ipsius, *gladius* compassionis; unde sibi competit illud Psalmi [8]: « Ferrum pertransivit animam eius ». Damascenus: « Dolores, quos pariens effugit, tempore passionis sustinuit ». Et Bernardus [9]: « Dum perforatur lancea ille tuus Iesus, omnium quidem, sed specialiter *tuus;* ipsius animam non gladius pertransivit, quia iam ille exspiraverat, sed tuam, unde te plus quam Martyrem praedicamus ». Et Hieronymus [10]: « Quia mente passa est, plus quam Martyr fuit ». Unde, quia ipsa veraciter diligebat, ex affectu intimo vehementer compatiebatur. — Alii vero, qui in corde non

Virginis compassio.

Matris compassio.

Aliorum exsolatio.

---

[1] Psalm. 74, 9. Supra verbum *humilians* hic est in codd. et Vat., pro quo supra n. 58. *inclinans.*

[2] Psalm. 113, 15. — Sequitur I. Reg. 2, 20.

[3] Vers. 17. seq. Cfr. supra pag. 33, nota 10. et pag. 40, nota 6. Vat. allegat Gen. 12, 3: *Benedicam benedicentibus tibi.* — Subinde allegatur Gal. 3, 13.

[4] Vers. 39, post quem Isai. 8, 14.

[5] Vers. 7. seq. — Subinde allegatur II. Cor. 2, 15. seq.

[6] Vers. 12. — Sequitur Hebr. 12, 3.

[7] Vers. 11, cui subiungitur Eccli. 4, 30.

[8] Psalm 104, 18. — Sententia Damasceni (Vat. omittit *Damascenus)* habetur IV. de Fide orthod. c. 14. in fine.

[9] Serm. in Dominica infra octavam Assumtionis B. V. Mariae, n. 14: Vere tuam, o beata Mater, animam gladius pertransivit... Et quidem posteaquam emisit spiritum tuus ille Iesus, omnium quidem, sed specialiter tuus, ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, quae ipsius, nec mortuo parcens, cui nocere non posset, aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirum anima iam ibi non erat, sed tua plane inde nequibat avelli. Tuam ergo pertransivit animam vis doloris, ut plus quam Martyrem non immerito praedicemus, in qua nimirum corporeae sensum passionis excesserit compassionis affectus. — Pro *ipsius animam non* Vat. *tuam ipsius animam mundam.*

[10] Epist. 9. ad Paulam et Eustochium, de Assumtione B. V. Mariae (inter opera Hieron.), n. 15: Alii namque Sancti, etsi passi sunt pro Christo in carne, tamen in anima, quia immortalis est, pati non potuerunt. Beata vero Dei Genitrix, quia in ea parte passa est, quae impassibilis habetur, ideo, ut ita fatear, quia spiritualiter et caro eius passa est gladio passionis Christi, plus quam Martyr fuit. Unde constat, quia plus omnibus dilexit, propterea et plus doluit, in tantum, ut animam eius totam pertransiret et possideret vis doloris ad testimonium eximiae dilectionis. Quae quia mente passa est, plus quam Martyr fuit. Nimirum quod eius dilectio amplius fortis quam mors fuit, quia mortem Christi suam fecit.

diligebant, exsultabant; ideo additur: *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Sic est hic consecutum, quia hoc consecutum est ad passionem Christi, quia videlicet Iudaeorum carnalium et hypocritarum fuit cordis iniquitas revelata; Osee septimo [1]: « Cum sanare vellem Israel, revelata est iniquitas Ephraim et Samariae coram me »; quia, sicut dicitur Matthaei decimo, « nihil est opertum, quod non reveletur, et absconditum, quod non sciatur ». Hoc autem maxime erit in iudicio; primae ad Corinthios quarto: « Nolite ante tempus iudicare, quousque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium » etc.

**Expositio spiritualis de triplici gladio appetendo.**

79. Nota *spiritualiter*, quod ex consideratione passionis Christi debet triplex gladius spiritualis animam pertransire. Primus est gladius *discretionis rectae fidei;* ad Ephesios sexto [2]: « Et gladium spiritus, quod est verbum Dei ». — Secundus est gladius *districtionis severi iudicii;* Apocalypsis primo: « De ore eius gladius utraque parte acutus exibat ». — Tertius est gladius *divisionis humani desiderii;* Matthaei decimo: « Non veni mittere pacem, sed gladium ». — Pertransit autem animas primus gladius per *veram fidem;* ad Hebraeos quarto [3]: « Vivus est sermo Dei et penetrabilior omni gladio ». — Secundus, per *rigorem poenitentiae;* Psalmus: « Gladii ancipites in manibus eorum ». — Tertius, per *ardorem benevolentiae;* Canticorum tertio: « En lectulum Salomonis », et post: « Omnes tenentes gladios ».

**Item, de triplici gladio fugiendo.**

80. Contra hunc triplicem gladium est alius triplex: scilicet gladius *rancoris;* primi Regum trigesimo primo [4]: « Arripuit Saul gladium suum et irruit super eum ». — Gladius *detractionis;* Psalmus: « Filii hominum, dentes eorum arma et sagittae, et lingua eorum gladius acutus ». — Gladius *haeresis,* qui est divisio ab unitate fidei; Proverbiorum quinto [5], sub metaphora meretricis: « Novissima illius amara quasi absinthium, et lingua eius acuta quasi gladius biceps »; et Psalmus: « Gladium evaginaverunt », sequitur: « ut trucident rectos corde ».

**Notandum.**

Primus gladius spiritualis est emendus; Lucae vigesimo secundo [6]: « Qui non habet vendat tunicam suam et emat gladium ». Alius vero est in vaginam remittendus; Ioannis decimo octavo: « Mitte gladium tuum in vaginam ». Et ratio huius est, quia primus occidit vitam carnalem, secundus vero vitam spiritualem.

**De testimonio Annae.**

81. *Et erat Anna prophetissa* etc. Post testimonium sexus virilis sequitur hic testimonium sexus *muliebris.* Decebat enim, Christi adventum testimonium habere ab omni genere personarum, ut inexcusabiles sint qui non credunt Evangelio. Unde Christus habuit testimonium angelicum et humanum, et iterum quantum ad simplices et perfectos, et iterum perfectorum in utroque sexu, ut ostendatur, quod uterque sexus ad redemptionem spectabat, sicut uterque ceciderat. Unde ut nihil desit ad firmitatem testimonii, Christus natus habuit testimonium *septiforme,* scilicet a natura *caelesti,* scilicet stella; Matthaei secundo [7]: « Vidimus stellam eius in oriente ». A *supercaelesti,* scilicet angelica; supra eodem: « Facta est cum Angelo multitudo caelestis exercitus » etc. A natura *subcaelesti,* scilicet *virili simplici,* sicut pastores; supra: « Et reversi sunt pastores » etc. *Virili sapiente,* sicut Magi; Matthaei secundo: « Ecce, Magi ab Oriente venerunt » etc. *Senili in sexu masculino,* sicut Simeon; supra [8]: « Hic venit in Spiritu in templum ». *Senili in sexu femineo,* ut hic: *Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel* etc. *Infantili,* qui « non loquendo, sed moriendo confessi sunt »; Matthaei secundo: « Mittens occidit omnes pueros » etc.; et tunc impletum est illud Psalmi: « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem ». Et omnis natura, omnis sexus, omnis aetas Christo nascenti testimonium perhibuit, quia ipse debebat reparare omnia. Unde et pueris in templo clamantibus et Pharisaeis reclamantibus dictum est infra decimo nono [9]: « Si tacuerint hi, lapides clamabunt ».

**Septiforme de Christo testimonium.**

**Tria de Annae testimonio.**

Ad huius autem testimonii fidem astruendam tria introducuntur. Primum est *prophetantis auctoritas.* Secundum est *testificantis sanctitas,* ibi [10]: *Et vixerat cum viro suo annis septem* etc. Tertium est *testimonii celebritas,* ibi: *Et haec, ipsa hora superveniens* etc. — *Auctoritas* autem *prophetantis* colligitur ex duobus, scilicet ex *munere prophetali* et *origine naturali.*

**De auctoritate ipsius duo.**

**Munus prophetale.**

82. (Vers. 36.). Ratione muneris prophetalis dicitur: *Et erat Anna prophetissa.* « *Anna* interpretatur gratia [11] », in quo ostenditur, quod recte decebat talem mulierem prophetare, quae erat habitaculum gratiae; Proverbiorum undecimo: « Mulier gratiosa inveniet gloriam »; unde ipsa poterat dicere illud primae ad Corinthios decimo quinto: « Gratia Dei sum id quod sum ». Ideo non est mirum, si

---

[1] Vers 1. — Duo seqq. loci sunt Matth. 10, 26. et I. Cor. 4, 5. (paucis mutatis). — Superius pro *quia videlicet* C F G *quia videt, quod,* D *quia videtur, quod,* H *videlicet quod.*

[2] Vers. 17. — Sequuntur Apoc. 1, 16. et Matth. 10, 34. — Inferius pro *districtionis severi* (C D *saevi) iudicii* Vat. *discretionis severi iudicii.*

[3] Vers. 12. — Subinde allegantur Ps. 149, 6; Cant. 3, 7. et 8.

[4] Vers. 4. — Sequitur Ps. 56, 5. — Superius pro *Contra hunc... scilicet gladius,* quod praebet D in marg., Vat. *Alius est gladius spiritualis etiam triplex, sed pessimus. Primus est gladius.*

[5] Vers. 4. — Duo seqq. loci habentur Ps. 36, 14.

[6] Vers. 36; codd.: *Qui habet tunicam vendat et emat gladium.* — Sequitur Ioan. 18, 11, pro quo codd. Matth. 26, 52.

[7] Vers. 2. — Tres seqq. loci sunt Luc. 2, 13. et 20; Matth. 2, 1.

[8] Vers. 27. — Sequuntur Luc. 2, 36; Matth. 2, 16. et Ps. 8, 3. — Verba: *non loquendo* etc. habentur in oratione festi Innocentium, in Missali et Breviario.

[9] Vers. 40.

[10] Vers. 36; tertium habetur v. 38.

[11] Ut dicit Hieron., Epist. 54. (alias 10.) n. 16. — Tres seqq. loci sunt Prov. 11, 16; I. Cor. 15, 10. et Sap. 7, 27.

Anna erat prophetissa, quia Sapientiae septimo dicitur de sapientia, quod « in animas sanctas se transfert et amicos Dei facit et Prophetas constituit ».

83. Ratione vero *originis naturalis* additur: *Filia Phanuel de tribu Aser;* et sic erat de genere *Israel,* de cuius genere erant reges, sacerdotes et Prophetae et Christus Dominus; ad Romanos nono [1] dicitur de Israelitis: « Quorum adoptio est filiorum et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissio, quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem ». Et specialiter erat *de tribu Aser,* cui data est benedictio in filiis; Deuteronomii trigesimo tertio: « Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis »; « Sicut dies iuventutis tuae, ita et senectutis tuae ». Et specialissime dicitur *filia Phanuel,* qui interpretatur facies Dei [2]; in quo ostenditur, quod erat de genere illorum, ad quos dicitur: « Quaerite faciem eius semper ». Nihil ergo deerat ratione originis ex parte *dignitatis parentum;* nec etiam ratione *antiquitatis dierum,* quae facit ad dignitatem et auctoritatem perplurimum; Proverbiorum decimo sexto [3]: « Corona dignitatis senectus, quae in viis iustitiae reperitur ». Et ideo subditur: *Et haec processerat in diebus multis;* Iob vigesimo nono: « In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies ».

Origo naturalis.

84. *Et vixerat cum viro suo* etc. Hic secundo describitur *testificantis sanctitas* quantum ad perfectionem vitae *activae* et *contemplativae.* — Quantum ad vitam *activam,* quae consistit in regimine domus propriae, dicitur: *Et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua;* et sic fuit *virgo,* antequam cognosceretur a marito.

De testificantis sanctitate duo. · Quoad vitam activam.

85. (Vers. 37.). *Et haec* erat *vidua usque ad annos octoginta quatuor;* et ita habuit continentiam *virginalem, vidualem* et *coniugalem* pro loco et tempore. Unde laudabilis fuit in custodia corporis; propter quod ei competebat illud Iudith decimo quinto [4]: « Fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris et post virum tuum alterum nescieris ». Et ideo haec vidua honoranda, secundum illud primae ad Timotheum quinto: « Viduas honora, quae vere viduae sunt »; et iterum: « Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quae fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens ». Talis fuit Anna; in quo apparet, quod habebat perfectionem vitae *activae.*

Triplex eius continentia.

86. Quantum ad perfectionem *contemplativae* dicitur: *Quae non discedebat de templo.* Tota vacabat contemplationi *devote.* Glossa [5]: « Exemplum datur viduis, quae sunt in Ecclesia », scilicet ut dicant cum Psalmo: « Haec requies mea in saeculum saeculi »; contra illas viduas, de quibus dicit Apostolus primae ad Timotheum quinto, quod « otiosae discunt circuire domos, et non solum otiosae, sed et verbosae et curiosae, loquentes quae non oportet ». — Vacabat etiam *officiose;* unde et additur: *Ieiuniis et obsecrationibus serviens* Deo; sicut illa bona vidua Iudith, octavo [6], dicitur quod « in superioribus domus suae fecerat cubiculum secretum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, habens cilicium circa lumbos suos et ieiunabat omnibus diebus vitae suae »; et hoc optime, quia, sicut dicitur primae ad Timotheum quinto, « vidua, quae in deliciis est, vivens mortua est ». Et bene iungit *ieiunium* et *orationem,* quia « *ieiunio* sanantur pestes corporis, *oratione* pestes animae »; Tobiae duodecimo: « Bona est oratio cum ieiunio et eleemosyna » etc. — Vacabat etiam *continue;* unde dicitur: *Die ac nocte;* secundum formam Apostoli; primae ad Timotheum quinto [7]: « Quae vidua est et desolata speret in Domino et instet orationibus die ac nocte ».

Quoad vitam contemplativam. Contemplationi vacabat devote. Officiose. Continue.

87. (Vers. 38.). *Et haec, ipsa hora* etc. Hic tertio describitur *testimonii celebritas* tum ratione *temporis congruentis,* tum ratione *multitudinis consentientis.* — Ratione *temporis congruentis* dicitur: *Et haec, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino;* in quo apparet, quod divino instinctu factus est iste concursus, et ideo festum Purificationis dicitur festum Ypapanti, id est obviantium [8], quia Simeon et Anna obviaverunt Ioseph et Mariae sine aliqua convocatione; et ideo in die illo universaliter

De testimonii celebritate duo. Ratione temporis congruentis.

---

[1] Vers. 4. seq. — Subinde allegatur Deut. 33, 24. et 25.

[2] Hieron., Lib. de Nominib. Hebraicis, novi testament. Lucae: *Fanuel,* facies Dei. Cfr. Epist. 54. (alias 10.) n. 16: Phanuel in lingua nostra resonat *vultum Dei.* Aser, vel in *beatitudinem,* vel in *divitias* vertitur. — Sequitur Ps. 104, 4.

[3] Vers. 31. — Subinde allegatur Iob 29, 18. — Superius pro *perplurimum* Vat. *quantum ad populum.*

[4] Vers. 11, post quem I. Tim. 5, 3. et 9. seq. Cfr. Ambros., de Viduis, c. 4. n. 22. seq. — Aliquanto inferius pro *in quo* Vat. *in qua.*

[5] Scilicet *interlinearis.* Ambros., de Viduis, c. 4. n. 21: Docet enim Anna, quales deceat esse viduas etc. — Duo seqq. loci sunt Ps. 131, 14. et I. Tim. 5, 13. — Superius pro *Tota vacabat contemplationi,* quod habet D, alii codd. et Vat. *Tota vivebat in contemplatione.*

[6] Vers. 5. seq. — Sequuntur I. Tim. 5, 6; sententia ex Comment. super Marc. 9, 28. (inter opera Hieron.): *Ieiunio* sanantur etc. (cfr. tom. IV. pag. 367, nota 2.); et Tob. 12, 8. — Superius pro *Vacabat etiam officiose* B *Vacabat etiam contemplativae non solum devote, sed et officiose.*

[7] Vers. 5. — Superius post *Vacabat etiam* B prosequitur *non solum devote et officiose, sed etiam continue.*

[8] Ad designandum festum Purificationis B. V. Mariae duplex Graecum invenitur vocabulum, scilicet *Ypante* (ὑπαντάω i. e. obviam eo) et *Ypapante* (ὑπαπανδάω i. e. subobvio, obviam procedo). In Serm. 10 (in Purificat. B. M. V.) qui habetur inter opera S. Hildefonsi (Toletani episc. † 669) dicitur: « Vocatur itaque Graeco vocabulo *Ypapante,* quod Latine obviatio dici potest; *Ypante* enim Graece obviare dicitur. Proinde haec festivitas tali vocabulo notatur, quia, cum Dominus hodierna die in templum a parentibus fuisset delatus, et a Sanctis, quos plurimos tunc temporis Ierosolymis fuisse non dubium est, ei obviari credimus ». Ibid. etiam mentio fit processionis hoc die faciendae. Cfr. Notae et observationes in S. Gregorii Magni librum Sacramentorum, auctore D. Hugone Menardo, n. 163. — Vat. omittit *Ypapanti, id est.*

fit processio. Unde sicut eodem spiritu venit, quo Simeon, ita et eodem spiritu prophetavit; et impletum est illud Ioel secundo[1]: « Et prophetabunt filii vestri et filiae, senes vestri visiones videbunt » etc. Attamen Simeonis testificatio explicite describitur et per modum praedicationis, Annae vero implicite et per modum confessionis, quia docere in Ecclesia non est mulierum, sed virorum; primae ad Timotheum secundo[2]: « Docere mulieres non permitto in ecclesia neque dominari in virum ». — Et nota, quod de Christo prophetaverant Simeon et Zacharias, virgo Maria et Elisabeth copulata coniugio; et ideo congruum est, quod prophetet et vidua, ne aliqua professio desit aut sexus.

Notandum.

88. Ratione vero *multitudinis consentientis* subditur: *Et loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel.* Illi enim libenter audiebant, unde dicebant illud Isaiae vigesimo quinto[3]: « Ecce, Dominus Deus noster, exspectavimus eum, et salvabit nos ». Iam poterat decantare: « Redemptionem misit Dominus populo suo ». *Omnibus loquebatur,* quia in hoc pendebat salus omnium; Isaiae quadragesimo nono: « Et sciet omnis caro, quia ego Dominus salvans te et redemptor tuus, fortis Iacob ».

Ratione multitudinis consentientis.

89. Et nota hic *spiritualiter,* quod in oblatione Domini quatuor personae adfuerunt, scilicet *Ioseph* et *Maria, Simeon* et *Anna,* quia anima, quae verum sacrificium vult offerre Deo, debet habere comitatum quatuor virtutum cardinalium. Per *Simeonem* namque, qui interpretatur *audiens,* intelligitur *prudentia;* Proverbiorum primo[4]: « Audiens sapiens, sapientior erit ». Per *Annam* vero, quae interpretatur *gratia,* intelligitur *temperantia;* ad Hebraeos ultimo[5]: « Optimum est gratia stabilire cor, non escis ». Per *Ioseph,* virum iustum, qui interpretatur *augmentum,* intelligitur *iustitia;* secundae ad Corinthios nono[6]: « Multiplicabit semen vestrum et augebit incrementa frugum iustitiae vestrae ». Per *Mariam,* quae interpretatur *dominatrix,* intelligitur *fortitudo,* Proverbiorum decimo sexto[7]: « Melior est patiens viro forti ». De his quatuor virtutibus Sapientiae octavo in laudem scribitur: « Sobrietatem enim et prudentiam docet et iustitiam et virtutem ». — Et haec designantur per quatuor prophetissas mulieres, de quibus fit mentio in Scriptura; scilicet Maria, soror Moysi, Exodi decimo quinto[8]; Debbora, Iudicum quinto; Holda, quarti Regum vigesimo secundo, et Anna, sicut hic. Per Annam, sicut dictum est, intelligitur *temperantia;* per Holdam, quae interpretatur *discretio mea,* intelligitur *prudentia;* per Debboram, quae interpretatur *apis* habens aculeum, intelligitur *iustitia* quantum ad severitatem et clementiam; per Mariam, quae *dominatrix* et *mare amarum* interpretatur[9], intelligitur *fortitudo* quantum ad magnanimitatem et patientiam. — Et hae quatuor virtutes intelliguntur per quatuor filias Philippi prophetissas; Actuum vigesimo primo[10]: « Huic erant quatuor filiae, virgines prophetantes ». Per *Philippum,* qui interpretatur *os lampadis,* intelligitur *sapientia,* quae docet et generat quadruplicem virtutem praedictam.

Expositio spiritualis. Quatuor personae, quatuor virtutes cardinales.

Figurae harum in V. T.

Item, in N. T.

90. (Vers. 39.). *Et ut perfecerunt* etc. Postquam descripta est Christi humiliatio secundum Legis praeceptum et clarificatio per veritatis testimonium, subiungitur hic ultima particula huius partis, in qua describitur *consummatio praedictorum,* et hoc dicitur primo respectu *legalis praecepti,* deinde respectu *prophetalis vaticinii.* — Quantum ad *legalis praecepti consummationem* dicitur: *Et ut perfecerunt omnia secundum Legem Domini;* quia, secundum quod dicitur Matthaei quinto[11], « non veni Legem solvere, sed adimplere »; et rursus: « Iota unum, aut unus apex non praeteribit a Lege, donec

Tertio, de praedictorum consummatione quoad duo.

Quoad legale praeceptum.

[1] Vers. 28. — Inferius pro *praedicationis* F (D a secunda manu) *praedictionis.*

[2] Vers. 12. — Subinde respiciuntur verba Ambros., II. in Luc. n. 62: Prophetavit itaque Simeon, prophetaverat Virgo, prophetaverat copulata coniugio, debuit etiam vidua, ne qua aut professio deesset, aut sexus.

[3] Vers. 9. — Duo seqq. loci sunt Ps. 110, 9. et Isai. 49, 26.

[4] Vers. 5. — Hieron., Lib. de Nominib. Hebraicis, novi testament. Lucae: *Simeon,* audiens, vel audivit tristitiam. — Superius pro *adfuerunt* Vat. *offerunt.*

[5] Vers. 9. — De interpretatione nominis Annae cfr. supra pag. 62, nota 11.

[6] Vers. 10. — Hieron., Lib. de Nominib. Hebraicis, vet. testament. de Genesi: *Ioseph,* augmentum. Cfr. ibid. novi testament. de Matthaeo: *Ioseph,* apposuit, sive apponens.

[7] Vers. 32. — De interpretatione nominis Mariae cfr. supra pag. 21, nota 10. — Subinde allegatur Sap. 8, 7.

[8] Vers. 20. — Sequuntur Iudic. 5, 1. et IV. Reg. 22, 14. — Hieron., Lib. de Nominib. Hebraicis, vet. testament. de lib. Iudic.: *Debbora,* apis, vel loquax. Ibid. de III. Reg.: *Olda,* destructio, sive diverticulum. Isidor., VII. Etymolog. c. 6. n. 53: *Debbora,* apis, vel loquax. Apis, quia fuit ad bellum promptissima, dimicans adversus Sisaram; quo perempto, cecinit canticum, inde loquax. Ibid. c. 8. n. 29: *Olda,* distritio (antiquior ed. districtio), sive diverticulum. Cfr. Biblia impressa Venetiis per Franciscum de Hailbrun, 1480, in cuius fine habentur « interpretationes Hebraicorum nominum »: *Olda,* destruens, vel discernens, sive destructio, aut diverticulum. — Inferius post *discretio* ex C D F G addidimus *mea,* quae lectio convenit cum B. Albert., in Luc. 2, 36: « Tertia [prophetissa] *Olda* discretio mea interpretatur, quia per pacem Christi mali a bonis discernuntur » etc. Idem dicit Card. Hugo, in eundem locum, ubi etiam docet, his quatuor prophetissis quatuor significari virtutes cardinales. In applicanda significatione non convenit cum S. Bonaventura.

[9] Cfr. supra pag. 21, nota 10.

[10] Vers. 9. — Hieron., Lib. de Nominib. Hebraicis, novi testament. Lucae: *Filippus,* os lampadis, vel os manuum. Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. 1, 44. n. 91: *Moraliter* vero *Philippus* os lampadis interpretatur... Per *os* sapientia notatur eloquentiae, de qua Lucae 21, 15: « Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri ». Per *lampadem,* honestas conversationis, Matthaei 5, 16: « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant » etc.

[11] Vers. 17; deinde v. 18.

Quoad prophetale vaticinium. omnia fiant ». — Quantum autem ad *prophetalis vaticinii completionem* subditur: *Reversi sunt in Galilaeam, in civitatem suam Nazareth;* Matthaei secundo [1]: « Admonitus in somnis, secessit in partes Galilaeae. Et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaraeus vocabitur »; Isaiae nono: « Aggravata est via maris trans Iordanem Galilaeae gentium ». Sed hoc non cognoverunt scribae, qui dixerunt, Ioannis septimo: « Scrutare Scripturas, et vide, quia a Galilaea Propheta non surgit ». — Et nota, quod secundum Augustinum in libro secundo de Consensu Evangelistarum [2], puer Iesus ante perlatus est a Iudaea in Aegyptum, quam descenderet in Galilaeam, quia propter persecutionem Herodis descendit in Aegyptum, et propter timorem Archelai secessit in partes Galilaeae, rediens de Aegypto.

Notandum.

**Qualiter Christus factus sit sub lege morali.**

91. *Puer autem crescebat* etc. Supra [3] descripsit Evangelista, qualiter Salvator factus est sub lege caeremoniali, hic describit, qualiter factus est sub *lege morali.* Sed quoniam tota morum ordinatio principaliter attenditur circa tria, scilicet circa *cultum maiestatis* et *studium veritatis* et *officium pietatis;* per primum subiicitur homo suo *Creatori*, per secundum *doctori*, per tertium *genitori:* ideo pars ista habet tres, in quarum prima ostenditur, qualiter Christus factus est sub lege morali quantum ad *Maiestatis cultum;* in secunda, qualiter factus est sub lege morali quantum ad *veritatis studium*, ibi [4]: *Et factum est, post triduum;* in tertia, qualiter factus est sub lege morali quantum ad *pietatis obsequium*, ibi: *Et dixit Mater eius ad illum* etc.

Divisio in tria membra.

Ad perfectam descriptionem *cultus divini* duo introducuntur: primum est *excellentia virtutis propriae*, secundum est *reverentia maiestatis divinae*, ibi [5]: *Et ibant parentes eius per omnes annos* etc. — *Excellentia* autem *virtutis* in Christo ostenditur ex parte *mentis*, quamvis esset defectus aetatis ex parte *carnis;* propter quod praemittit *profectum aetatis* in carne et subiungit *perfectionem virtutis* in mente.

Primo, quoad cultum divinum duo.

De primo agitur dupliciter.

92. (Vers. 40.). Quantum autem ad profectum *aetatis in carne* dicitur: *Puer autem crescebat*, scilicet in corpore, sicut exponit Beda [6]: « In quantum *puer* erat, id est homo fragilis, crescere poterat, sicut ceteri homines, non in quantum *Verbum* ». — Quantum autem ad perfectionem *virtutis in mente* subditur: *Confortabatur.* Perfectio autem virtutis mentalis consistit in tribus, scilicet in *vigore potentiae* respectu irascibilis, in *splendore sapientiae* respectu rationalis et *fervore gratiae* respectu concupiscibilis. — Quantum igitur ad *vigorem potentiae* irascibilis dicitur: *Et confortabatur;* Ezechielis tertio [7]: « Manus Domini erat mecum confortans me »; ad Philippenses ultimo: « Omnia possum in eo qui me confortat ». — Quantum ad *splendorem sapientiae* in rationali subditur: *Plenus sapientia;* ad Colossenses secundo [8]: « Nam in ipso sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi »; et Isaiae undecimo: « Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus ». — Quantum vero ad *fervorem gratiae* in concupiscibili subditur: *Et gratia Dei erat in illo;* Ecclesiastici vigesimo quarto [9]: « In me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae » etc.; et Ioannis primo: « Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis ».

De profectu aetatis.

De perfectione virtutis tria.

Vigor potentiae.

Splendor sapientiae.

Fervor gratiae.

93. (Vers. 41.). *Et ibant parentes eius* etc. Hic describitur *reverentia maiestatis divinae*, quae consistit in cultu religionis, et ostenditur in Christo secundum *parentum ducatum* et secundum *proprium instinctum.* — Quantum ad *parentum ducatum* dicitur: *Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem.* Nam ita mandatum erat in Lege: Exodi vigesimo tertio [10]: « Ter in anno mihi festa celebrabitis ». Et credendum est, quod etiam ducerent Iesum, quia ibidem subditur: « Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo »; et hoc in Ierusalem, secundum praeceptum Deuteronomii, duodecimo [11]: « Ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, accedetis ». Et iste locus erat Ierusalem, secundum quod dicitur secundi Paralipomenon septimo: « Elegi et sanctificavi locum istum, ut sit ibi nomen meum in sempiternum ». Et istum cultum maxime in pascha faciebant, et ideo subditur: *In die solemni paschae;* Exodi duodecimo [12]: « Habebitis hanc diem in monumentum et celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno ».

De secundo agitur dupliciter.

De parentum ducatu.

94. (Vers. 42.). Quantum autem ad *proprium instinctum* etiam divino cultui vacabat puer Iesus; quantum ad quem subditur: *Et cum factus esset annorum duodecim;* in quo ostenditur, quod puer

De proprio instinctu tria.

---

[1] Vers. 22. seq. — Duo seqq. loci sunt Isai. 9, 1. et Ioan. 7, 52.

[2] Cap. 5. n. 16. et c. 7-11. n. 20-24.

[3] Num. 50.

[4] Vers. 46; tertia pars incipit v. 48.

[5] Vers. 41.

[6] Sententia Bedae, in hunc locum, allegatur secundum Glossam *ordinariam:* « Beda: In eo, quod puer erat, id est homo fragilis, poterat crescere et confortari; non in eo, quod Verbum, secundum quod *plenus sapientia et gratia* perhibetur ». Glossa *interlinearis: Puer autem crescebat*, corpore, *et confortabatur*, spiritu, *plenus* etc. — Inferius post *Confortabatur* Vat. addit *spiritu.*

[7] Vers. 14; post quem Phil. 4, 13.

[8] Vers. 3. — Sequitur Isai. 11, 2.

[9] Vers. 25. — Subinde allegatur Ioan. 1, 14.

[10] Vers. 14, cui subiungitur v. 17.

[11] Vers. 5. — Sequitur II. Paralip. 7, 16.

[12] Ver. 14.

Vacabat cultui sine consortio.

Iesus divino cultui vacabat sine parentum *consortio*, sine *consilio*, sine *complacito*. — Sine *consortio* quidem; licet enim cum consortio parentum ascenderit, tamen sine eis remansit; propter quod dicitur: *Ascendentibus illis Ierusalem secundum consuetudinem diei festi*, scilicet ad orandum, sicut infra decimo octavo [1]: « Duo homines ascendebant in templum, ut orarent »; et Actuum tertio: « Petrus et Ioannes ascendebant in templum » etc.

(Vers. 43.). *Consummatisque diebus, cum redirent*, scilicet ad propria, secundum illud Iudith decimo sexto [2]: Celebrata festivitate, « unusquisque rediit in sua ». Et cum omnes redirent, non tamen Iesus; unde et subditur: *Remansit puer Iesus in Ierusalem*, et ita solus, sine parentum consortio. — Huius figura praecessit in puero Samuele, de quo dicitur primi Regum secundo [3], quod « Elcana abiit », pater eius, et mater abiit « in domum suam; puer autem ministrabat coram Domino ». Unde solus remanserat, ut melius orationi vacaret; Threnorum tertio: « Sedebit solitarius et tacebit ». Et ita remansit proprio instinctu sine parentum consortio.

Figura huius.

95. Remansit etiam sine *consilio;* unde et subditur: *Et non cognoverunt parentes eius*. Cuius figura praecessit in Samsone, « qui noluit patri et matri indicare, quod mel de ore leonis assumserat », Iudicum decimo quarto [4]. In quo etiam praebuit exemplum, quod in divino obsequio faciendo non est a parentibus carnalibus consilium requirendum; Deuteronomii trigesimo tertio: « Qui dixerit patri suo et matri: Nescio vos; et fratribus: Ignoro illos; hi custodierunt eloquium tuum et pactum tuum servaverunt ».

Sine consilio. Figura huius.

96. (Vers. 44.). Et ne putes, quod ista ignorantia fuerit ex negligentia, propter quam esset reprehensibilis Maria, subdit causam: *Existimantes autem, illum esse in comitatu, venerunt iter diei;* quia, cum viri irent cum viris, et mulieres cum mulieribus seorsum; probabile erat patri, quod puer esset cum matre, et probabile matri, quod esset cum patre [5]. Et ideo fuerunt decepti. Non erat de genere illorum, de quibus dicitur Iob vigesimo primo: « Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum », sed erat, sicut ille, de quo in Psalmo: « Considerabam ad dexteram et videbam, et non erat qui cognosceret me ». Et sic remansit sine parentum consilio.

Subditur causa.

97. Remansit etiam sine *complacito*, quia cum dolore quaerebant, quem amiserant; unde subditur: *Et requirebant eum inter cognatos et notos;* et tamen non invenerunt, quia tales elongantur ab ipso; Iob decimo nono [6]: « Noti mei quasi alieni recesserunt a me ».

Sine complacito.

98. (Vers. 45.). Et ideo sequitur: *Et non invenientes eum, reversi* [7] *sunt in Ierusalem*, ut quem non poterant invenire in consortio cognationis invenirent in loco orationis, secundum illud Psalmi: « Ecce, audivimus eum in Ephrata »; et post: « Introibimus in tabernaculum eius ». *Reversi sunt*, inquam, *requirentes eum;* secundum illud Canticorum tertio [8]: « Surgam et circuibo civitatem, quaeram quem diligit anima mea »; ita dicebat virgo Maria; et iterum Canticorum quinto: « Quaesivi, et non inveni illum; vocavi, et non respondit mihi ». « Adiuro vos, filiae Ierusalem, ut, si inveneritis dilectum meum, nuntietis ei, quia amore langueo ».

Parentes reversi sunt.

99. In hoc autem admonemur, ut ab ipsa infantia divino cultui mancipemur; primi Regum secundo [9]: « Samuel ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus ephod lineo »; et maxime ab anno duodecimo, quia tunc incipit tempus discretionis convertendae ad bonum. Unde de sancto Martino dicitur [10], quod « cum esset annorum duodecim, eremum concupivit »; similiter dicitur de beato Benedicto. Ideo Evangelista hanc aetatem exprimit. — Admonemur etiam, ut nullatenus propter amorem parentum divinum cultum intermittamus; unde Hieronymus [11]: « Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem et ad vexillum crucis advola. Summum enim pietatis genus est, in his crudelem esse »; dicitur enim Matthaei decimo: « Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus ».

Applicatio moralis prima.

Notandum.

Secunda.

100. *Et factum est post triduum* etc. Supra ostendit Evangelista, qualiter Christus Dominus factus est sub lege morali quantum ad cultum divinae maiestatis; hic secundo ostendit, qualiter factus est sub eadem quantum ad *studium veritatis;* in quo primo describit Evangelista eius *humiliationem* in

Secundo, quoad studium veritatis duo.

---

[1] Vers. 10, post quem Act. 3, 1.

[2] Vers. 25.

[3] Vers. 11. — Subinde allegatur Thren. 3, 28.

[4] Vers. 9. — Sequitur Deut. 33, 9.

[5] Secundum Bedam, in hunc locum. — Subinde allegantur Iob 21, 8. et Ps. 141, 5.

[6] Vers. 13.

[7] Vulgata *regressi*. — Duo seqq. loci sunt Ps. 131, 6. (Vulgata: *Ecce, audivimus eam in Ephrata)* et 7.

[8] Vers. 2. — Sequuntur Cant. 5, 6. et 8.

[9] Vers. 18.

[10] Sulpit. Sever., de Vita B. Martini, n. 2. — De S. Benedicto cfr. Gregor., II. Dialog. Prolog., ubi dicitur: « Fuit vir vitae venerabilis, gratia Benedictus et nomine, ab ipso suae pueritiae tempore cor gerens senile... Despectis itaque litterarum studiis... sanctae conversationis habitum quaesivit. Recessit igitur scienter nescius et sapiens indoctus ». Ibid. c. 1: Hic itaque cum iam, relictis litterarum studiis, petere deserta decrevisset, nutrix, quae hunc arctius amabat, sola secuta est... Benedictus autem religiosus et pius *puer*, cum nutricem suam flere conspiceret etc.

[11] Epist. 14. (alias 1.) n. 2. Vat. cum textu originali: Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine et scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem. — Sequitur Matth. 10, 37.

assumendo *discipuli formam;* secundo vero, eius *clarificationem* in aperiendo *sapientiae praerogativam*, ibi [1]: *Stupebant autem* etc.

101. (Vers. 46.). Formam autem *discipuli* ostendit Salvatorem assumsisse, cum dicitur: *Et factum est, post triduum invenerunt eum [2] in templo sedentem. Sessio* designat quietem et humilitatem; sciebat enim, quod « melius est sedere in angulo domatis quam cum muliere litigiosa et in domo communi », Proverbiorum vigesimo primo [3]. *Sedentem*, inquam, *in medio doctorum;* Ecclesiastici decimo quinto: « In medio ecclesiae aperuit os eius, et implevit eum spiritu sapientiae et intellectus ». Sciebat enim scriptum esse: « Qui ad sapientes graditur sapientior erit, amicus stultorum efficietur similis », Proverbiorum decimo tertio. — Et in hoc docet consortium studentium diligendum, non ad litigandum, sed ad conferendum; propter quod subditur: *Audientem illos et interrogantem.* Hoc enim est exercitium addiscentis, ut audiat et interroget de dubiis; Ecclesiastici trigesimo secundo [4]: « Audi tacens, et pro reverentia accedit tibi gratia bona », quia « auris bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam », Ecclesiastici tertio; et ideo dicitur Ioannis octavo: « Qui ex Deo est verba Dei audit ». Quia non sufficit audire, ideo subditur: *Et interrogantem;* Iob octavo [5]: « Interroga generationem pristinam, et diligenter investiga patrum memoriam »; et Deuteronomii trigesimo secundo: « Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi » etc. Interrogabat autem, non ut doceretur, sed magis ut doceret. Hieronymus [6]: « Duodecim annos Salvator impleverat, et in templo sacerdotes interrogans, magis docet, dum prudenter interrogat ».

(Margin: e homiliatione. — pplicatio oralis prima.)

102. In hoc autem *spiritualiter* est notandum, quod Christus docet nos, quod ante debemus discere quam docere, secundum illud Ecclesiastici decimo octavo [7]: « Antequam loquaris, disce ». Et ideo voluit *in medio doctorum* inveniri et *in templo*, quia in Scripturarum lectione et in oratione veritas invenitur.

(Margin: Secunda.)

Unde nota, quod Christus inventus est in *praesepio;* supra eodem [8]: « Hoc vobis signum »; id est in *studio sacrae Scripturae*, quia, secundum quod dicitur Proverbiorum decimo quarto, « ubi non sunt boves, praesepe vacuum est ». *Boves* sunt praedicatores; primae ad Corinthios nono: « Non alligabis os bovi trituranti » etc. — Inventus est in *domo;* Matthaei secundo [9]: « Intrantes domum »; id est in *scrutinio conscientiae quietae;* Sapientiae octavo: « Intrans domum meam, conquiescam cum illa ». — Inventus est etiam in *templo*, sicut hic, id est in *consortio sanctae Ecclesiae*, quia « Dominus in templo sancto suo », ut dicitur in Psalmo [10]. — Non autem invenitur in *monumento doctrinae erroneae;* Lucae ultimo: Mulieres « venerunt ad monumentum et non invenerunt corpus Iesu »; nec etiam in *lectulo conscientiae inquietae;* Canticorum tertio: « In lectulo meo quaesivi quem diligit anima mea, quaesivi illum et non inveni »; nec invenitur in *consortio vitae mundanae;* Iob vigesimo octavo: « Sapientia vero, ubi invenitur »? et post: « Non invenitur in terra suaviter viventium ».

(Margin: Christus inventus est in tribus locis. — Sed non in aliis tribus.)

103. (Vers. 47.). *Stupebant autem* etc. Hic post humiliationem subiungit *clarificationem;* cum dicitur: *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis eius;* pro eo quod prudentissime respondebat, supra aestimationem. *Stupor* est enim ex insolita et magna imaginatione; infra quinto [11]: « Stupor apprehendit omnes »; Iob duodecimo: « Adducit consiliarios in stultum finem et iudices in stuporem ». Et sic impletum est illud Sapientiae octavo: « Habebo propter hanc claritatem ad turbas et honorem apud seniores iuvenis; acutus inveniar in iudicio et in conspectu potentium admirabilis ero, facies principum mirabuntur me ». Hoc in Christo impletum est nunc. — Huius *figura* praecessit tertii Regum decimo [12], ubi dicitur, quod « videns regina Saba sapientiam Salomonis, non habebat ultra spiritum », propter nimiam admirationem.

(Margin: De clarificatione. — Quid stupor. — Figura huius.)

---

[1] Vers. 47.

[2] Vulgata *illum*.

[3] Vers. 9. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 15, 5. et Prov. 13, 20: *Qui cum sapientibus graditur sapiens erit* etc.

[4] Vers. 9. — Sequuntur Eccli. 3, 31. et Ioan. 8, 47. — Superius post *diligendum* Vat. addit *et auscultandum*.

[5] Vers. 8, post quem Deut. 32, 7.

[6] Epist. 53. (alias 103.) n. 3. in fine.

[7] Vers. 19. — Glossa *ordinaria* (secundum Bedam) in Luc. 2, 46: Quasi fons [sapientiae] medius doctorum sedet, sed quasi exemplar humilitatis prius interrogat et audit, quam instruat, ne parvuli a senioribus doceri erubescant, ne infirmus docere audeat. Cfr. Origen., Homil. 19. In Luc.

[8] Vers. 12. — Sequuntur Prov. 14, 4. et I. Cor. 9, 9, quem etiam Gregor., XXXV. Moral. c. 16. n. 39. et I. Homil. in Ezech. homil. 4. n. 4, de praedicatoribus exponit. Idem XXXI. Moral. c. 3. n. 3. ait: *Praesepe* hoc loco ipsa Scriptura sacra non inconvenienter accipitur, in qua verbi pabulo animalia sancta satiantur... Hinc etiam natus Dominus a pastoribus in praesepi reperitur [Luc. 2, 16.], quia eius incarnatio in ea quae nos reficit Prophetarum scriptura cognoscitur.

[9] Vers. 11. — Subinde allegatur Sap. 8, 16. — Gregor., IV. Moral. c. 31. n. 61: Quid autem per *domos* nisi conscientiae designantur? Unde sanato cuidam dicitur [Matth. 9, 6]: *Vade in domum tuam;* ac si aperte audiat: Post exterius miraculum ad conscientiam revertere, et qualem te intrinsecus Deo debeas exhibere, perpende.

[10] Psalm. 10, 5. — Sequuntur Luc. 24, 1. et 3; Cant. 3, 1; Iob 28, 12. et 13. — Origen., Homil. 19. in Luc.: *Dolentes* ergo quaerebant Filium Dei. Et cum quaererent, non invenerunt inter cognatos; neque enim poterat humana cognatio Dei Filium continere... Ubi igitur inveniunt eum? *In templo.* Ibi enim invenitur Filius Dei. Si quando et tu quaesieris Filium Dei, quaere primum in templo, illuc propera, ibi Christum, sermonem atque sapientiam, id est Filium Dei, reperies. Cfr. etiam Homil. 18. et 20.

[11] Vers. 26. Vat. allegat Ier. 5, 30: *Stupor et mirabilia facta sunt in terra.* — Duo seqq. loci sunt Iob 12, 17. et Sap. 8, 10. seq. — Cfr. III. Sent. d. 34. p. II. dub. 3, ubi secundum Damasc. (II. de Fide orthod. c. 15.) dicitur: *Stupor* est timor ex inassueta imaginatione.

[12] Vers. 4. et 5.

104. (Vers. 48.). Et non solum illi *extranei* stupebant, sed etiam *parentes;* unde et subditur: *Et videntes admirati sunt;* Matthaei septimo [1]: « Miratae sunt turbae super doctrina eius ». Et vere mirabile, quod respondebat quod non didicerat; Ioannis septimo: « Mirabantur Iudaei dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit »?

Tertio, quoad obsequium pietatis duo.

105. *Et dixit Mater eius* etc. Hic tertio ostendit, qualiter factus est sub lege morali quantum ad *officium pietatis;* in quo praemittitur primo *humiliatio*, et subditur *clarificatio*, ibi [2]: *Et Mater eius conservabat omnia verba haec.*

De humiliatione agitur dupliciter. Subiecit se corripienti.

*Humiliatio* autem ostenditur in duobus, scilicet in *subiacendo corripienti* et in *obsequendo praecipienti. Subiecit* enim se Christus *matri corripienti;* propter quod dicitur: *Et dixit Mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic?* Ipsa fiducialius loquitur et interrogat causam dimissionis, cum sciat, se honorari debere ab eo, secundum illud Exodi vigesimo [3]: « Honora patrem tuum et matrem tuam »; et Proverbiorum sexto: « Conserva, fili, praecepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuae ». Sed tu, inquit, conturbasti nos; unde et subdit: *Pater tuus,* scilicet putativus vel adoptivus sive educativus; *et ego dolentes quaerebamus te,* quasi insimul dicebamus illud Tobiae decimo [4]: « Heu me, fili, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostrae, solatium vitae nostrae! Omnia enim in te uno habentes, te non debuimus dimittere ».

Respondet humiliter et sapienter.

106. (Vers. 49.). Et nota, quod ad quaestionem respondet humiliter et sapienter; unde et subditur: *Et ait ad illos: Quid est, quod me quaerebatis?* quasi absentem, cum ego essem vobis praesens; Ieremiae vigesimo tertio [5]: « Caelum et terram ego impleo »; et hoc ostendit, quia Filius erat aeterni Patris. Unde et subdit: *Nesciebatis, quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse?* Ioannis sexto: « Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me ». Unde non debetis mirari, si vos dimisi propter Patrem aeternum, quia sic dicitur Actuum quinto: « Obedire Deo oportet magis quam hominibus ».

107. (Vers. 50.). Et quia verbum erat occultum, subditur: *Et ipsi non intellexerunt* [6]*;* primae ad Corinthios secundo: « Sapientiam loquimur in mysterio absconditam »; et Tobiae duodecimo: « Sacramentum regis abscondere bonum est ». — In hoc autem, quod Christus, cum correptus est, se humiliter excusavit; et cum invitatus est a Matre, ut miraculum faceret, respondit dure; dedit nobis exemplum et formam humilitatis, ut malimus corripi quam laudari; Ecclesiastae septimo [7]: « Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi ». Simul etiam cum hoc insinuavit; quod pietas ad Deum praeferenda est pietati respectu parentum.

Dat nobis exemplum.

Subiecit se praecipienti.

108. (Vers. 51.). *Subiacuit* etiam Dominus *praecipienti;* propter quod subditur: *Et descendit cum eis et venit Nazareth.* Modo impletum est illud Baruch tertio [8]: « Post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus est ». *Descendit,* inquam, quod est signum humiliationis; Canticorum sexto: « Descendi in hortum meum, ut viderem poma convallium », id est humiles. « Quia excelsus Dominus et humilia respicit », scilicet de propinquo, « et alta a longe cognoscit ». Propter quod et subditur: *Et erat subditus illis.* Bernardus [9]: « Quis? quibus? Deus hominibus. Deus, inquam, se hominibus subdit; et tu dominari gestiens, tuo te praeponis auctori? Quoties enim hominibus praeesse desidero, toties Deum meum praeire contendo, ut tale mihi aliquid Dominus respondeat: *Vade post me, satana, quia non sapis quae Dei sunt* ». Unde vere poterat ipse dicere illud primae ad Corinthios nono [10]: « Cum essem liber ex omnibus, omnium me servum feci ». Et nos omnibus amore ipsius debemus esse subiecti; primae Petri secundo: « Subiecti estote omni humanae creaturae propter Deum ».

De clarificatione agitur dupliciter.

Matris testimonium.

109. *Et Mater eius* etc. Hic describitur eius *clarificatio*, et hoc per duo, scilicet per *Matris testimonium* et per *propriae virtutis indicium.* Quantum ad *Matris testimonium* dicitur: *Et Mater eius conservabat omnia verba haec*, ut pro loco et tempore testimonium perhiberet, sicut dicit Beda in Glossa [11]. Sic dictum est Danielis duodecimo: « Tu autem, Daniel, claude librum et signa sermones usque

---

[1] Vers. 28. — Subinde allegatur Ioan. 7, 15. — Glossa *interlinearis: Et videntes*, hoc, *admirati sunt*, Maria et Ioseph, vel quicumque alii hoc videntes.

[2] Vers. 51.

[3] Vers. 12. — Sequitur Prov. 6, 20.

[4] Vers. 4. et 5.

[5] Vers. 24. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 6, 38. et Act. 5, 29. — Inferius pro *et hoc ostendit* D a secunda manu *et in hoc* (Vat. *hic*) *ostendit.*

[6] Vulgata addit: *verbum, quod locutus est ad eos.* — Sequitur I. Cor. 2, 7; post quem Tob. 12, 7. — Subinde respicitur Ioan. 2, 4, ubi Iesus ad nuptias in Cana vocatus Matri respondet: Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea. Cfr. Bonav., Comment. in Ioan. c. 2. n. 4. et 17.

[7] Vers. 6. Cfr. Ambros., II. in Luc. 2. n. 64. seq.

[8] Vers. 38. — Duo seqq. loci sunt Cant. 6, 10. et Ps. 137, 6. — Superius pro *Subiacuit* Vat. *Subiecit se.*

[9] Homil. 1. super *Missus est,* n. 7. et 8. Textus originalis post *Deus hominibus* multa addit et finem verborum sic exhibet: Deus se hominibus... auctori? Utinam mihi aliquando, tale aliquid cogitanti, Deus respondere dignetur, quod et suo increpando respondit Apostolo: *Vade,* inquit [Matth. 16, 23], *post me, satana, quia non sapis ea quae Dei sunt.* Quoties enim hominibus praeesse desidero, toties Deum meum praeire contendo.

[10] Vers. 19. — Sequitur I. Petr. 2, 13.

[11] Scilicet *ordinaria* (secundum Bedam, Homil. Sect. I. lib. I. homil. 12. in Dominica prima post Epiphan.): Omnia in memoria recondebat, ut, quando tempus praedicandae seu scribendae incarnationis eius adveniret, sufficienter universa, prout essent gesta, posset explicare quaerentibus. — Subinde allegatur Dan. 12, 4: *Tu autem, Daniel, claude sermones et signa librum usque* etc.

ad tempus statutum ». Et quia haec intelligebat, ideo dicitur: *Conferens*[1] *in corde suo,* secundum illud Ecclesiastae octavo: « Tempus et responsionem cor sapientis intelligit »; et Marci nono dicitur de transfiguratione Domini, quod « discipuli continuerunt verbum apud se ». Nondum enim venerant Apostoli, quibus « datum erat nosse mysterium regni Dei », sicut dicitur Matthaei decimo tertio[2], qui etiam invicem conferrent, secundum illud ad Galatas secundo: « Contuli cum illis Evangelium, quod praedico in gentibus ».

Propriae virtutis indicium.

110. (Vers. 52.). Quantum autem ad *propriae virtutis indicium* subditur: *Et Iesus proficiebat aetate,* scilicet ex parte corporis, sicut Samuel; primi Regum secundo[3]: « Puer Samuel proficiebat atque crescebat et placebat tam Deo quam hominibus ». Et iste profectus erat secundum *essentiam,* sed interior profectus erat secundum *evidentiam,* de quo dicitur: *Et sapientia,* scilicet in intellectu, *et gratia,* in affectu, *apud Deum,* scilicet honorandum, *et homines,* aedificandos. Nec est contrarium ei quod dicitur supra proximo[4], quod erat « plenus sapientia »; unde Gregorius: « Proficiebat sapientia, non per accessum temporis accipiendo quod non habebat, sed dona gratiae et sapientiae, quae habebat, ceteris pandendo »; et hoc ad aedificationem aliorum; secundae ad Corinthios octavo: « Providemus bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus ». Unde ad nostram aedificationem sapientiam ad tempus *abscondit,* ut ostendat, quod nos debemus tacere usque ad tempus, secundum illud Ecclesiastici vigesimo[5]: « Est tacens, non habens sensum loquelae, et est tacens, sciens tempus apti temporis. Homo sapiens tacebit usque ad tempus ». Pro tempore etiam ad nostram salutem *ostendit,* secundum illud Ecclesiastici quarto[6]: « Ne retineas verbum in tempore salutis ». Unde, quia non quaerebat gloriam suam, sed Dei, non suum commodum, sed nostram salutem; ideo coram *Deo et hominibus gratiam* inveniebat. Primum erat *iustitiae,* secundum *misericordiae;* propter quod Proverbiorum tertio[7]: « Misericordia et veritas non te deserant, et invenies gratiam et disciplinam bonam coram Deo et hominibus ».

Notandum.

Hoc ad aedificationem nostram.

Epilogus.

111. Ex praedictis igitur colligere possumus, qualiter intendere debemus *cultui divinae Maiestatis, studio veritatis* et *obsequio pietatis.* Nam *cultus divinae Maiestatis* praeoccupari debet ab infantia, praeferri debet ceteris pro reverentia divina. *Studium veritatis* debet esse cum debita *societate,* scilicet peritorum, et debito *ordine,* ut prius sit discipulus quam magister. *Obsequium pietatis* attenditur in hoc, quod *subiiciamur* patri spirituali, sive *corripienti,* sive *praecipienti.* Et si haec servamus, tunc sequitur illud quod ultimo ponitur, quod *proficimus apud Deum et homines.*

## Capitulum III.

*Tertio, de nativitate extra uterum tripliciter.*

1. *Anno*[8] *quinto decimo* etc. Supra egit Evangelista de mysterio incarnationis Christi quantum ad nativitatem in utero et ex utero; hic agit de ipso quantum ad *nativitatem extra uterum,* secundum illud Ambrosii[9], quod dicit, illum renatum esse Sacramentis, scilicet quando baptizatus est. Et habet haec pars tres, in quarum prima agit de baptismo et praedicatione Ioannis *in generali respectu totius populi;* in secunda vero, *in speciali respectu specialium personarum,* ibi[10]: *Et interrogabant eum* etc.; in tertia, *in singulari respectu Christi,* ibi: *Et factum est, dum baptizaretur.* Et ordo patet, quia generale dirigit ad speciale, speciale ad singulare.

### Primo, de baptismo et praedicatione Ioannis in generali quoad tria.

Quantum ad primum notandum, quod doctrina et praedicatio Ioannis commendatur a tribus: primo, a *temporis opportunitate;* secundo vero, ab *officii auctoritate,* ibi[11]: *Factum est verbum Domini* etc.; tertio vero, a *zeli severitate,* ibi: *Dicebat ergo ad*

---

[1] Vulgata omittit *Conferens,* quod tamen exhibet Beda, Homil. in nota praecedente cit.; cfr. supra v. 19, ubi eadem recurrit propositio. — Duo seqq. loci sunt Eccle. 8, 5. et Marc. 9, 9.

[2] Vers. 11; cfr. Luc. 8, 10. — Sequitur Gal. 2, 2.

[3] Vers. 26. — Inferius pro *secundum essentiam,* quod praebent C (a secunda manu) H, alii codd. et Vat. *secundum exemplar.* Cfr. III. Sent. d. 14. a. 3. q. 2. in corp., ubi S. Doctor hac utitur distinctione profectus, scil. *secundum existentiam* et *secundum apparentiam.* Vide ibid. d. 13. dub. 4.

[4] Intellige: hoc secundo cap. v. 40. (Vat. omittit *proximo*). — Seq. sententia etiam a Petro Lombardo, III. Sent. d. XIII, tribuitur *Gregorio;* sed ipsa est, ut loc. cit. notavimus, *Bedae,* Homil. paulo superius allegata in Dominica prima post Epiphan.; cfr. ibid. pag. 321, nota 6. Subinde allegatur II. Cor. 8, 21.

[5] Vers. 6. seq., ubi pro *tempus apti temporis* Vulgata secundum *recentiorem* editionem *tempus aptum.*

[6] Vers. 28.

[7] Vers. 3. seq. — Cfr. Alfredi, abbatis Rievallis, Tract. de Iesu puero duodenni (inter opera Bernardi).

[8] Vulgata *Anno autem.* — De triplici nativitate cfr. supra c. 1. n. 7.

[9] Serm. 12. (alias 17.) de s. Epiphania 5. (inter opera Ambros.) n. 2: Tunc enim natus hominibus, hodie renatus est Sacramentis; tunc per Virginem editus, hodie per mysterium generatus. Cfr. ibid. Serm. 11. (alias 16.) n. 4. et Serm. 135. in appendice Serm. Augustini (alias 36. de Tempore), n. 1. Quomodo intelligenda sit haec propositio, in qua secundum editores operum tam Ambrosii quam Augustini error Felicis et Elipandi exprimitur, explicatur a S. Doctore infra n. 49.

[10] Vers. 10; tertia pars incipit v. 21: *Factum est autem, cum baptizaretur.*

[11] Vers. 2; tertium habetur v. 7. — Inferius pro *zeli severitate* Vat. *zeli sollicitudine.*

*turbas* etc. Primum respicit quod est *extra*, secundum, quod *supra*, tertium, quod est *intra*. Et sic per omnem modum est eius praedicatio et doctrina perfecta.

**Praedicatio Ioannis primo commendatur quoad opportunitatem temporis tripliciter.**

Quantum ad primum notandum, quod *opportunitas temporis* colligitur ex tribus, scilicet ex *unione imperii Romani*, ex *partitione regni Iudaici* et ex *divisione sacerdotii levitici*; ex quibus colligitur opportunitas temporis, quia illum annuntiabat Ioannes, qui synagogam Iudaeorum dispergebat et gentium varietates in unitatem Ecclesiae congregabat [1].

Divisio.

2. (Vers. 1.). Quantum ad *unionem imperii* dicitur: *Anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris*, in quo scilicet iam erat tempus adventus Christi, quia scilicet ante Tiberium fuit Iulius et Pompeius; et Iulius contrivit Pompeium, et post hos successit Tiberius. Et ita iam verificatum erat illud Danielis secundo [2] de quarto regno, scilicet Romanorum, quod « fuit ex parte solidum et ex parte contritum »; et ideo erat tempus verificationis illius quod sequitur ibidem: « In diebus illis suscitabit Deus caeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et potestas eius alteri populo non tradetur ».

De unione imperii.

3. Quantum autem ad *partitionem regni Iudaici* subditur: *Procurante Pontio Pilato Iudaeam*, sub quo scilicet Dominus est crucifixus, secundum quod narrat historia omnium Evangelistarum; *tetrarcha autem Galilaeae Herode*; iste fuit sub quo etiam Dominus crucifixus est, infra vigesimo tertio [3], et qui interfecit Ioannem Baptistam, secundum quod dicitur Matthaei decimo quarto, quia dicebat ei: « Non licet tibi habere uxorem Philippi, fratris tui »; de quo Philippo additur: *Philippo autem, fratre eius, tetrarcha Ituraeae et Trachonitidis regionis*. Et ita iam verificatum erat illud Isaiae primo [4]: « Regionem vestram coram vobis alieni devorant »; et Proverbiorum vigesimo octavo: « Propter peccata terrae multi principes eius ». Et ideo subditur: *Et Lysania Abilinae tetrarcha*, id est alterius regionis, quae erat quarta pars regni. Tetrarchia enim dicitur quarta pars regni; dicitur enim a *tetra*, quod est quatuor, et *archos*, quod est principatus [5]. Archelao enim, filio Herodis magni, propter superbiam suam in exilium apud Lugdunum deportato, regnum in quatuor tetrarchias est divisum, ut sic minueretur superbia Iudaeorum. Unde Beda [6]: « Tres tetrarchias regebant tres filii magni Herodis, sub quo Dominus natus est. Pilatus vero procurator erat alterius tetrarchiae ». Et nota, quod fuerunt duo Lysaniae, unus filius Hircani, de quo Iosephus [7]; et alter Herodis, de quo Beda loquitur.

De partitione regni Iudaici.

Nota.

4. (Vers. 2.). Quantum autem ad *divisionem sacerdotii* subditur: *Sub principibus sacerdotum Anna et Caipha*, qui, ambitione moti, ut dicit Beda [8], summum sacerdotium emebant a Romanis. Unde quia iam secundum Bedam et Iosephum sacerdotes non instituebantur per unctionem, sed per terrenam potestatem; ideo cessaverat unctio sacerdotalis et unctio regalis. Iam ergo tempus advenerat, ut adveniret Christus, secundum illud Genesis penultimo [9]: « Non auferetur sceptrum de Iuda » etc. — Item iam cessaverat unctio sacerdotii levitici, et ideo tempus erat, ut veniret « sacerdos secundum ordinem Melchisedech [10] », ut impleretur illud Isaiae vigesimo

De divisione sacerdotii.

---

[1] Cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 20. n. 1.

[2] Vers. 42, post quem allegatur v. 44. — De Iulio Caesare, Pompeio et Tiberio cfr. Sueton. Tranquilli, De Caesaribus, lib. I. (De Iulio et Pompeio) II. (de Octaviano, sub quo natus est Christus; vide supra c. 2. n. 3.) et III. (de Tiberio).

[3] Vers. 7. — Sequitur Matth. 14, 4; cfr. Marc. 6, 18.

[4] Vers. 7, post quem Prov. 28, 2.

[5] Card. Hugo, in Luc. 3, 1: Tetrarchia est quarta pars regni, a *tetras*, quod est quatuor, et *archos*, quod est principatus (proprie: *princeps;* melius poneretur ἀρχή). — Inferius pro *deportato* C D F *damnato*.

[6] Libr. I. in Luc. 3, 1: « Herodes, Philippus et Lysanias, qui cum Pilato, praeside Romano, Iudaeam regebant, filii sunt Herodis illius, sub quo Dominus natus est; inter quos et ipsum Herodem Archelaus frater eorum decem annis regnavit. Qui a Iudaeis ob intolerabilem animi ferocitatem apud Augustum criminatus, aeterno apud Viennam disperiit exsilio. Regnum vero Iudaeae, quo minus validum fieret, idem Augustus per tetrarchias discindere curavit. Porro Pilatus duodecimo anno Tiberii Caesaris in Iudaeam missus procurationem gentis suscepit atque inibi per decem continuos annos usque ad ipsum pene finem Tiberii perduravit ». Beda sequitur Euseb., II. Chronic. (anno Domini 5.): In Herodis loco Archelaus, filius eius, ab Augusto rex constituitur, et tetrarchae fiunt quatuor fratres eius: Herodes, Antipater, Lysias et Philippus.

[7] In operibus Flavii Iosephi Lysanias pluries nominatur (cfr. XV. Antiquit. c. 10. [alias 13.], ubi Zenodorus, conductor domus Lysaniae, ab Augusto deponitur et provincia Herodi deputatur; XIX. c. 4. et II. de Bello iudaic. c. 8, ubi de regno Lysaniae), sed (quantum scimus) in uno tantum loco nomen patris adiungitur; nam ipse, XV. Antiquit. c. 4, narrat, Antonium, suadente Cleopatra, occidisse « Lysaniam, Ptolomaei filium ». Ex quo patet, falsam esse opinionem quorundam, qui referente Petro Comest. (Histor. Scholast. libri II. Machab. c. 12.), censent, hunc Lysaniam fuisse « postea Abinnae [sic!] tetrarcham ». B. Albert., in Luc. 3, 1: « Istum Lysaniam dicit etiam Beda antiqui Herodis fuisse filium, quod quidem probabilius est, quia aliter cum filiis Herodis tetrarchiam in hereditatem non accepisset; tamen et Iosephus narrat, hunc fuisse filium cuiusdam Ptolomaei de Libanon... Sed potest esse, quod fuerant duo Lysaniae unius nominis: unus, de quo dicit Beda, filius Herodis; alter, de quo narrat Iosephus ». Idem tenet Gorranus, in Luc. 3, 1, qui adiungit, Lysaniam, filium Ptolomaei, secundum Iosephum fuisse nepotem Hircani. Cfr. etiam Lyranus, in Luc. 3, 1. Alii, ut Cornel. a Lapide, Calmet etc., in Luc. 3, 1, putant, Lysaniam, de quo Lucas (3, 1.) loquitur, fuisse vel filium, vel nepotem Lysaniae ab Antonio occisi. Cfr. Baronius, Annales ad annum Christi 31. n. 6. seq.

[8] Libr. I. in Luc. 3, 2, ubi etiam seq. ipsius sententia et verba Iosephi allegantur. Cfr. tom. VI. pag. 484, nota 2. — Pro *emebant* secunda manus in C substituit *emerant*.

[9] Vers. 10.

[10] Psalm. 109, 4. — Sequuntur Isai. 22, 19; v. 20. seq. et v. 22.

secundo, quod dictum est de sacerdotio levitico et sacerdotio Christi: « Expellam te de statione tua et de ministerio tuo deponam te »; et post de Christo sub figura: « Et erit in die illa, vocabo servum meum Eliacim et induam illum tunica tua »; et infra: « Et ponam clavem David super humerum eius ». In quo ostenditur, quod iste Eliacim debet esse *rex* et *sacerdos*, quod solum in Christo est impletum, qui fuit « sacerdos secundum ordinem Melchisedech [1] », qui simul rex et sacerdos fuit, secundum illud ad Hebraeos septimo. Et quia « translato sacerdotio, necesse est, ut et Legis translatio fiat »; iam erat tempus Evangelii praedicandi; et in tali tempore a praedicatione Ioannis debuit Evangelium inchoari ac praedicari.

Obcaecatio Iudaeorum. 5. Patet igitur, quam sufficienter secundum Scripturas ostendit Evangelista opportunitatem in adventu Christi et praedicatione praecursoris, quod Iudaei caeci non viderunt. Ideo Ieremiae octavo [2]: « Milvus in caelo cognovit tempus suum, turtur et hirundo et ciconia custodierunt tempus adventus sui; populus autem meus non cognovit iudicium Domini »; et infra duodecimo: « Hypocritae, faciem caeli et terrae probare nostis, hoc autem tempus quomodo non probatis »? — Duplex ratio. Poterant autem hoc tempus cognoscere non solum per Scripturas, sed etiam per ipsas res in temporibus gestas, secundum quod dicit Gregorius [3]: « Liquet, quod ad finem Iudaea venerat, quae tot regibus divisa subiacebat ». Et cum iam subiecti essent alieno imperio, iam tempus erat, ut Dominus regnum Israeliticum relevaret, quod promiserat omni modo stabilire in sempiternum. — Epilogus. Patet etiam, quam rationabiliter Evangelista, licet de sacerdotio Christi intendat, tamen regum et sacerdotum tempus enuntiat, ut ostendat, *Christi* sacerdotium simul et regnum esse *coniunctum;* et per utrumque probatur tempus adventus eius; et simul regnum *Iudaeorum et gentium,* quia utrumque simul venerat copulare in unum; item hoc divisum, et illud unum, quia gentium plenitudo debebat intrare et Iudaeorum multitudo dispergi propter peccatum incredulitatis [4].

**Praedicatio Ioannis secundo commendatur ab officii auctoritate dupliciter.**

6. *Factum est verbum* etc. Hic commendatur Ioannis praedicatio ab *officii auctoritate*, quam Divisio. primo commendat Evangelista ex *se ipsa;* secundo vero, ex *attestatione prophetica*, ibi [5]: *Sicut scriptum est* etc. — Quantum ad primum notandum, quod De primo membro tria. auctoritas Ioanni commissa commendatur a tribus, scilicet a *dono caelestis gratiae*, a *ministerio humilis obedientiae* et a *signo sacramentalis medicinae.*

De dono caelestis gratiae. 7. Quantum ad *donum caelestis gratiae* dicitur: *Factum est verbum Domini super Ioannem, Zachariae filium, in deserto. Factum est,* scilicet per inspirationem supernam, et ideo dicitur: *Super Ioannem;* quia, secundae Petri primo [6], « Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines ». Unde *super* significat auctoritatem, secundum illud Isaiae sexagesimo primo: « Spiritus Domini super me, ad annuntiandum mansuetis misit me ». Et ad hoc erat Dignus tripliciter. *dignus* ratione *doni divini muneris;* ideo dicitur: *Super Ioannem,* « in quo scilicet est *gratia* », quia Sapientiae septimo [7] dicitur, quod « sapientia in animas sanctas se transfert ». — *Dignus* etiam ex *merito patris,* et ideo dicitur: *Zachariae filium;* unde poterat sibi dici illud Tobiae septimo [8]: « Benedictio sit tibi, fili mi, quia boni et optimi viri es filius ». — *Dignus* etiam ex *merito propriae virtutis;* unde dicitur: *In deserto*, in loco aspero et duro; Deuteronomii trigesimo secundo [9]: « Invenit eum in terra deserta, in loco horroris » etc.; et Osee decimo tertio: « Ego te cognovi in deserto, in terra solitudinis »; in qua terra consuevit fieri verbum Dei ad hominem, sicut ad Moysen; Exodi tertio: « Vocavit eum de medio rubi » etc., quando « minavit gregem ad interiora deserti »; Osee secundo: « Adducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor eius ».

De ministerio humilis obedientiae. 8. (Vers. 3.). Quantum ad *ministerium humilis obedientiae* subditur: *Et venit in omnem regionem Iordanis.* Unde Chrysostomus [10]: « Venit Ioannes quasi magni regis praeparator et nuntius

---

[1] Psalm. 109, 4. — Hebr. 7, 1: Hic enim Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi (cfr. Gen. 14, 18.); subinde allegatur v. 12. — Cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 20. n. 1, quem Beda, I. in Luc. 3, 2. sequitur. — Aliquanto inferius C D F G H omittunt *inchoari ac.*

[2] Vers. 7. — Sequitur Luc. 12, 56.

[3] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 20. n. 1. — Inferius respicitur II. Reg. 7, 13: Stabiliam thronum regni eius [filii David] usque in sempiternum. Cfr. I. Paralip. 17, 12; Isai. 9, 7. Pro *relevaret* Vat. *revelaret.*

[4] Rom. 11, 25: Caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret.

[5] Vers. 4. — Superius B legit: *Commendata praedicatione Ioannis a temporis opportunitate, hic commendatur* etc.

[6] Vers. 21. Codd. hoc loco conveniunt cum Vulgata; cfr. supra pag. 38, nota 7. — Subinde allegatur Isai. 61, 1.

[7] Vers. 27. — Verbis *in quo scilicet est gratia* continetur interpretatio nominis *Ioannis* supra pag. 36, nota 6. allata. — Superius post *ratione* in D secunda manus delevit *doni.*

[8] Vers. 7.

[9] Vers. 10. — Tres seqq. loci sunt Osee 13, 5; Exod. 3, 4. et 1; Osee 2, 14.

[10] Homil. 3. (alias 4.) in Matth. (op. imperfect.): Nam quantumvis fuerit persona laudabilis, in sua causa non potest esse testis idoneus. Venit Ioannes quasi magni regis praeparator fidelis. Qualis rex, talis et nuntius regis; natus ex gratia, non ex natura. — Sequitur Malach. 3, 1, in quo pro *viam tuam* Vulgata *viam ante faciem meam.* Cfr. tamen infra 7, 27.

fidelis ». Et tunc impletum est illud Malachiae tertio: « Ecce, ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam tuam ». Et signanter dicit: *In omnem regionem*, ut significetur vera obedientia, quae nihil excipit, sed ad omnia est prompta; Ieremiae primo [1]: « Ad omnia, quae mittam te, ibis » etc.

De signo sacramentalis medicinae.

9. Quantum autem ad *signum sacramentalis medicinae* subditur: *Praedicans baptismum poenitentiae*, sicut dicitur Actuum decimo nono [2]: « Ioannes baptizavit baptismo poenitentiae populum ». *Baptismum poenitentiae* vocat, quia ad poenitentiam informabat; Matthaei tertio: « Exibat ad eum Ierosolyma et omnis Iudaea, et baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua ». Sed licet ad poenitentiam informaret, tamen remissionem peccatorum non faciebat, sed ad baptismum illum praeparabat. Et ideo subditur: *In remissionem peccatorum*, id est in baptismum Christi, in quo est remissio; unde Actuum secundo [3]: « Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Iesu Christi in remissionem peccatorum ». Et de hoc dicebat Zacharias decimo tertio: « Erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatae »; et Ezechiel trigesimo sexto: « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris » etc.

De secundo membro tria.

10. (Vers. 4.). *Sicut scriptum est* etc. Hic commendatur auctoritas Ioannis ex *attestatione prophetica*, in qua Ioannes praedicans ostenditur habere officium *excitandi*, *commonendi* et *consolandi*. —

De officio excitandi.

Ostenditur, inquam, primo habere officium *excitandi per exclamationem*; et ideo dicitur: *Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiae prophetae: Vox clamantis in deserto;* hoc enim scribitur Isaiae quadragesimo [4]. Dicitur autem Ioannes *vox*, quia, sicut vox verbum praeit, sic Ioannes Christum; et *vox clamantis*, quia excitat dormientes, ut ad lucem evigilent, secundum illud Isaiae quinquagesimo octavo [5]: « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam »; et Iob trigesimo septimo: « Tonabit Dominus voce sua mirabiliter », « et non investigabitur, cum audita fuerit vox eius ». Haec est vox, de qua in Psalmo: « Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit ». Unde Ioannes, Ioannis primo, respondit quaerentibus: « Ego vox clamantis in deserto ». *Vox* igitur est signum expressivum verbi; unde prophetiae aliorum fuerunt quasi *nutus* respectu Christi, sed Ioannis fuit quasi *vox* respectu Verbi, quia ipsum visibiliter ostendit [6].

De officio commonendi.

11. Ostenditur etiam secundo habere officium *commonendi per excitationem*, cum subditur: *Parate viam Domini*, per observantiam scilicet *mandatorum;*

Quoad observantiam mandatorum.

Psalmus [7]: « Viam mandatorum tuorum cucurri »; et Baruch tertio: « Si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace super terram ». *Rectas facite semitas eius*, per observantiam *consiliorum;*

Item, consiliorum.

Proverbiorum quarto [8]: « Viam sapientiae monstravi tibi et duxi te per semitas aequitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum »; Isaiae vigesimo sexto: « Semita iusti recta, rectus callis iusti ad ambulandum » etc.; Psalmus: « Dirige me in semitam mandatorum tuorum » etc. — *Rectas facite*,

Quoad rectas intentiones.

scilicet *intentiones;* Iob primo [9]: « Et erat vir ille simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo ». — *Cogitationes;*

Cogitationes.

Psalmus: « Innocentes et recti adhaeserunt mihi »; et Ecclesiastae septimo: « Hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum ». — *Affectiones;*

Affectiones.

Canticorum primo: « Recti diligunt te »; et Psalmus: « Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde »! — *Locutiones;*

Locutiones.

Proverbiorum octavo [10]: « Iusti sunt omnes sermones mei, recti sunt intelligentibus ». — *Actiones;*

Actiones.

Proverbiorum vigesimo: « Ex studiis suis intelligitur puer, si munda et recta sint opera eius »; Iob octavo: « Si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te ». — *Passiones;*

Passiones.

Iob quarto [11]: « Recordare, obsecro te, quis unquam innocens periit? Aut quando recti deleti sunt »? — *Retributiones;*

Retributiones.

Proverbiorum undecimo: « Iustitia rectorum liberabit eos ». Est enim iustitia secundum Tullium [12] « constans et perpetua voluntas, ius suum unicuique tribuens ». — Qui per has recti-

---

[1] Vers. 7.

[2] Vers. 4. — Sequitur Matth. 3, 5. seq. — Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 20. n. 2: Cunctis legentibus liquet, quia Ioannes non solum baptismum poenitentiae praedicavit, verum etiam quibusdam dedit, sed tamen baptismum suum in remissionem peccatorum dare non potuit. Remissio etenim peccatorum in solo nobis baptismo Christi tribuitur etc. Cfr. IV. Sent. d. 2. a. 2. q. 1. seqq.

[3] Vers. 38. — Duo seqq. loci sunt Zachar. 13, 1. et Ezech. 36, 25.

[4] Vers. 3. — Ambros., II. in Luc. n. 73: Bene *vox* dicitur Ioannes Verbi praenuntius... quia vox praecedit inferior, verbum sequitur, quod praecellit. Cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 2. et homil. 20. n. 3. Vide S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 1. n. 52.

[5] Vers. 1. — Subinde allegantur Iob 37, 5. et 4; Ps. 28, 3. et Ioan. 1, 23.

[6] Glossa *ordinaria* in Matth. 4, 17: Eadem, quae praeco praedicat [Christus praedicat: *Poenitentiam agite*], ut ostendatur non alius, quam qui in voce clamaverat. Christus enim Verbum, quod clamat in Ioanne organo et in omnibus, qui ab initio aliquid divinitus dixerunt; et tamen iste solus vox, quia per eum praesens Verbum ostenditur, quod alii longe nuntiaverunt. Inter enim vocem et verbum nihil est medium, sed ut vox sonuit, mox verbum percipitur etc. Cfr. Paschas. Radbert., in eundem loc.

[7] Psalm. 118, 32, post quem Baruch 3, 13, in cuius fine *nunc* Vulgata: *habitasses utique in pace sempiterna.*

[8] Vers. 11. seq. — Subinde allegantur Isai. 26, 7. et Ps. 118, 35: *Deduc me in semitam* etc. Vat. addit Prov. 3, 6. et 17. demum Ps. 24, 4.

[9] Vers. 1. — Quatuor seqq. loci sunt Ps. 24, 21; Eccle. 7, 30; Cant. 1, 3. et Ps. 72, 1.

[10] Vers. 8. seq. — Subinde allegantur Prov. 20, 11. et Iob 8, 6.

[11] Vers. 7. — Sequitur Prov. 11, 6.

[12] Libr. IV. de Finib. bonor. et malor. c. 23: Animi affectio suum cuique tribuens... iustitia dicitur. Cfr. Iustinian., I. Digest.

tudines incedunt intelliguntur per illa animalia, de quibus Ezechielis primo: « Pedes eorum recti » etc.

12. (Vers. 5.). Ostenditur etiam nihilominus tertio habere officium *consolandi per promissionem*, cum subditur: *Omnis vallis* etc.; in quo praedicit effectum adventus Christi respectu *humilium iustorum*, respectu *peccatorum* et respectu *universorum*. — Quia *exaltabit humiles;* propter quod dicitur: *Omnis vallis implebitur,* id est humilis; Psalmus[1]: « Valles abundabunt frumento »; supra primo: « Exaltavit humiles »; infra decimo octavo: « Omnis, qui se humiliat, exaltabitur ». Huius figura, quarti Regum quarto, ubi Eliseus implevit vasa vacua. — *Humiliabit superbientes;* propter quod subditur: *Et omnis mons et collis humiliabitur;* Isaiae quadragesimo quinto[2]: « Ego ante te ibo et gloriosos terrae humiliabo »; Iob quadragesimo: « Respiciens omnem arrogantem humilia ». — *Rectificabit deviantes;* propter quod addit: *Et erunt prava in directa;* Beda[3]: Id est malorum corda per iniustitiam distorta erunt in directa, id est, ad regulam iustitiae dirigentur; Proverbiorum decimo sexto: « Revela Domino opera tua, et dirigentur cogitationes tuae ». Hoc autem est contra hypocritas, qui a Domino abscondunt consilia sua; secundae ad Thessalonicenses tertio: « Dominus autem dirigat corda vestra » etc. — *Mitigabit tumultuantes;* propter quod dicit: *Et aspera in vias planas,* id est, mentes iracundae in mansuetudinem convertentur; Isaiae undecimo[4]: « Habitabit lupus cum agno, et pardus cum haedo accubabit; vitulus et leo et ovis simul morabuntur ».

De officio consolandi. — Exaltabit humiles. — Humiliabit superbos. — Rectificabit deviantes. — Mitigabit tumultuantes.

13. (Vers. 6.). *Illuminabit omnes accedentes;* propter quod adiungit: *Et videbit omnis caro salutare Dei,* id est de omni carne, ut fiat distributio pro generibus singulorum, secundum illud Psalmi[5]: « Viderunt omnes fines terrae salutare Dei nostri »; Isaiae quadragesimo post verba praemissa subditur: « Et videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est ». Sed quinquagesimo secundo dicitur: « Videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri ». Et nota, quod idem ipse, qui est *os* vel *verbum* Patris secundum Deitatem, est *salutare* secundum humanitatem[6].

Illuminabit omnes.

**Praedicatio Ioannis commendatur a zeli severitate.**

14. *Dicebat ergo ad turbas* etc. Hic commendatur praedicatio Ioannis a *zeli severitate*. Et quia severitati debet adiungi pietas, ideo praemittitur *increpatio;* secundo vero adiungitur *exhortatio*, ibi[7]: *Facite ergo dignos fructus poenitentiae;* tertio vero subinfertur *comminatio*, ibi: *Iam enim securis ad radicem* etc. *Increpatio* est culpae, *admonitio* poenitentiae, sed *comminatio* poenalis vindictae. — *Increpatio* autem est de duobus, scilicet de *certa malitia culpae* et de *ignorantia* sive inconsideratione *poenae*.

Divisio. — De membro 1. duo.

15. (Vers. 7.). *Increpat* igitur de *certa malitia culpae* sub metaphora viperae, cum dicitur: *Dicebat ergo ad turbas, quae exibant, ut baptizarentur ab eo: Genimina viperarum* etc. Et nota, quod viperis eos comparat propter triplicem proprietatem: « Vipera enim, cum momorderit hominem, statim currit ad aquam; sic isti, peccata mortifera confitentes, currebant ad baptismum[8] ». Quocontra Ecclesiastici trigesimo quarto: « Qui baptizatur a mortuo et iterum tangit mortuum, quid proficit lavatio illius » ? Item, genimina viperarum rumpendo viscera materna nascuntur; sic isti persequendo Prophetas materna viscera violabant; Matthaei vigesimo tertio[9]: « Testes estis vobis ipsis, quia filii estis eorum qui Prophetas occiderunt ». « Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a iudicio gehen-

Increpatio de certa malitia.

---

tit. 1. de Iure et iustitia, leg. 10: Iustitia est constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi. — Subinde allegatur Ezech. 1, 7.

[1] Psalm. 64, 14. — Sequuntur Luc. 1, 52. et 18, 14; IV. Reg. 4, 3. seqq. ubi Eliseus viduae debitis oppressae oleum impetrat, ita ut omnia vasa vacua implerentur.

[2] Vers. 2, post quem Iob 40, 6. — Cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 20. n. 3.

[3] Libr. I. in Luc. 3, 5. (Cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 20. n. 6.): *Prava directa* fiunt, cum malorum corda per iniustitiam detorta ad iustitiae regulam diriguntur. — Subinde allegantur Prov. 16, 3. et II. Thess. 3, 5.

[4] Vers. 6. — Gregor., loc. cit. n. 6: *Et aspera in vias planas* immutantur, cum immites atque iracundae mentes per infusionem supernae gratiae ad lenitatem mansuetudinis redeunt.

[5] Psalm. 97, 3. — Duo seqq. loci sunt Isai. 40, 5. et 52, 10. — De distributione *pro generibus singulorum* cfr. I. Sent. d. 46. q. 1. in corp. et Comment. in Ioan. c. 6. n. 80. Glossa *interlinearis: Et videbit omnis caro*, homo iudaeus et gentilis, vir et mulier, iuvenis et senex, *salutare Dei*, Christum.

[6] Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 8. n. 27: Erat [Christus] ergo prius ignis intrinsecus, cum Iacob [Gen. 49, 18.] diceret: *Salutare tuum exspectabo, Domine.* Quod enim salutare dicimus Latine, hoc verbo Hebraico Iesus dicitur... Ardebat ignis in mente cum David [Ps. 41, 3.] diceret: *Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam et parebo ante faciem Dei mei?* Qui incarnationem Verbi desiderans, ait [Ps. 84, 8.]: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis.*

[7] Vers. 8; tertium habetur v. 9.

[8] Ita Chrysost., Homil. 3. (alias 4.) in Matth. (op. imperfect. inter opera Chrysost.). — Sequitur Eccli. 34, 30.

[9] Vers. 31. et 33. — Chrysost., loc. cit.: Item, viperarum natura est rumpere viscera matrum suarum, et sic nasci. Quoniam ergo Iudaei assidue persequentes Prophetas corruperunt matrem suam synagogam... ideo viperarum genimina nuncupantur. De hac secunda viperae proprietate cfr. tom. VI. pag. 181, nota 11, ubi allegavimus Gregor., XV. Moral. c. 15. n. 19. et Isidor., XII. Etymolog. c. 4. n. 10, qui ex hac proprietate nomen viperae interpretantur, scil. eo quod *vi pariat*. Vide etiam Plinium, X. Histor. natural. c. 82. (alias 62.). Secundum alios dicta est *vipera* quasi *vivipara*, quod non ova, sed animal vivum pariat. Aristot., I. de Histor. animal. c. 6: Verum, cum ceterae serpentes ova pariant, vipera una animal gignit. Cfr. ibid. V. c. 34, ex quo loco, falso intellecto, prior opinio dicitur provenisse. Cfr. Cornel. a Lapide, in Matth. 3, 7.

nae » ? « Item, a foris sunt speciosae et quasi pictae, sed intus veneno repletae [1] »; sic et isti; Matthaei vigesimo tertio: « Similes estis sepulcris dealbatis, quae a foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum ».

Item, de ignorantia poenae.

16. Increpat etiam de *inconsideratione poenae,* cum addit: *Quis ostendit vobis fugere a ventura ira?* Gregorius [2]: « Ventura ira est animadversio ultionis extremae, quam tunc peccator fugere non valet, qui nunc ad lamenta poenitentiae non recurrit »; primae ad Thessalonicenses quinto: « Tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habentis, et non effugient ». Item, Apocalypsis sexto: « Dicent montibus: Cadite super nos, et collibus: Operite nos a facie sedentis super thronum et ab ira Agni »; Ieremiae vigesimo quinto: « Facta est terra eorum in desolationem a facie irae columbae et a facie irae furoris Domini »; propterea Iob decimo nono [3]: « Fugite a facie gladii »; Psalmus: « Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam » ? Non « in Tharsis » cum Iona, Ionae primo — Tharsis enim interpretatur exploratio gaudii — sed cum Propheta in deserto poenitentiae; Psalmus: « Elongavi fugiens et mansi in solitudine »; Matthaei vigesimo quarto: « Tunc qui in Iudaea sunt fugiant ad montes »; « Orate autem, ut non fiat fuga vestra in hieme, vel Sabbato ».

De membro 2. duo.

17. (Vers. 8.). *Facite ergo fructus dignos poenitentiae* etc. Hic ponitur *exhortatio* de duobus, scilicet de *humilitate satisfactionis* et de *cautela praesumtionis.* — Quantum ad *humilitatem satisfactionis* dicitur: *Facite ergo fructus dignos poenitentiae,* ut sit satisfactio condigna; ad Romanos sexto [4]: « Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem »; quia dicitur Deuteronomii vigesimo quinto: « Pro mensura peccati erit et plagarum modus ». Unde Gregorius [5]: « Non est par fructus boni operis eius qui parum aut nihil peccavit, et eius qui graviter cecidit. Necesse est enim, ut tanto maiora sibi quis inferat l·menta per poenitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam ».

Exhortatio de humilitate satisfactionis.

Item, de cautela praesumtionis.

18. Quantum autem ad *cautelam praesumtionis* subditur: *Et ne coeperitis dicere: Patrem habemus Abraham,* secundum illud Ioannis octavo [6]: « Semen Abrahae sumus, et nemini servivimus unquam »; ad Romanos nono: « Non omnes, qui sunt semen Abrahae, hi sunt filii Abrahae », nisi etiam patrem imitentur; Ioannis octavo: « Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite »; Isaiae quinquagesimo primo: « Attendite ad Abraham, patrem vestrum, et ad Saram, quae peperit vos ».

Ratio redditur.

19. Et rationem reddit, cum addit: *Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae.* Ad litteram *potens,* quia, Sapientiae duodecimo [7], « subest tibi, cum volueris, posse ». Vel *de lapidibus,* id est de gentibus. Gregorius [8]: « Lapides recte gentes dicuntur, quae lapides colunt », iuxta illud Psalmi: « Similes illis fiant, qui faciunt ea ». Ambrosius: « Comparat gentes lapidibus, quia deformes ad usum, nudi ad ornatum, steriles ad fructum, irrationales ad profectum ». Et ex his *suscitati sunt filii Abrahae;* ad Galatas tertio [9]: « Si autem vos Christi, ergo semen Abrahae estis »; ad Romanos nono: « Non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis aestimantur in semine ». Tales sunt imitantes Abraham per fidem; Ioannis primo [10]: « Dedit eis potestatem filios Dei fieri ». Et ideo propter fidem centurionis gentilis dicitur Matthaei octavo: « Multi ab oriente et occidente venient et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno caelorum ».

De membro 3. duo.

20. (Vers. 9.). *Iam enim securis ad radicem arboris posita est.* Hic tertio subditur *comminatio,* quae duplex est, scilicet *de praesenti* et *de futuro.* — Quantum ad comminationem *de praesenti* dicitur: *Iam enim securis ad radicem arboris posita est.* Unde Glossa [11]: « Securis est severitas iudiciaria ad penitus exstirpandas infructuosas arbores, in quantum infructuosae sunt »; de quibus dicitur in Canonica Iudae: « Arbores autumnales, infructuosae, bis mortuae ». Et tales designati sunt per illam ficum, quam arefecit Dominus, Matthaei vigesimo primo [12], ubi dicit, quod « maledixit ficui, et continuo aruit »; et ratio huius fuit, quia non invenit in ea fructum. Et

Comminatio de praesenti.

---

[1] Chrysost., loc. cit. — Sequitur Matth. 23, 27. Codd.: *Estis sepulcra, quae* etc.

[2] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 20. n. 7. Pro *qui nunc* C D G H *qui hic.* — Tres seqq. loci sunt I. Thess. 5, 3; Apoc. 6, 16. (cfr. Luc. 23, 30.) et Ier. 25, 38, ubi pro *in desolationem* C D G *in solitudinem.*

[3] Vers. 29. — Sequuntur Ps. 138, 7; Ionae 1, 3; Ps. 54, 8, Matth. 24, 16. et 20. — Hieron., de Nominib. Hebraicis, III. Reg.: *Tharsis,* exploratio gaudii.

[4] Vers. 19, post quem Deut. 25, 2.

[5] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 20. n. 8. In textu originali plura adiiciuntur.

[6] Vers. 33. — Tres seqq. loci sunt Rom. 9, 7; Ioan. 8, 39. et Isai. 51, 2.

[7] Vers. 18. Ambros., II. in Luc. n. 75: Nam licet Deus possit diversas convertere et commutare naturas, tamen, quia mihi plus mysterium quam miraculum prodest, in praenuntio Christi nihil magis quam aedificationem Ecclesiae debeo surgentis agnoscere, quae non rupeis saxis, sed vivis lapidibus exstructa, in habitaculum Dei et fastigium templi conversione nostrorum surrexit animorum etc.

[8] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 20. n. 9. Allegatur Ps. 113, 8. — Sententia Ambrosii habetur II. in Luc. n. 76. Pro *irrationales* textus originalis et Vat. *irrationabiles.*

[9] Vers. 29. — Sequitur Rom. 9, 8.

[10] Vers. 12. — Subinde allegatur Matth. 8, 11.

[11] Scilicet *interlinearis:* Severitas iudiciaria ad funditus exstirpandos infructuosos praeparata est. Cfr. Beda, I. in Matth. 3, 10. — Sequitur Iudae v. 12.

[12] Vers. 19. — Duo seqq. loci sunt Marc. 11, 13. et Gal. 6, 9.

tamen dicit alius Evangelista, scilicet Marcus undecimo, quod « non erat tempus ficorum »; in quo insinuat, quod omni tempore requirit Deus fructum a nobis; ad Galatas ultimo: « Bonum autem facientes, non deficiamus; tempore enim suo » etc.

21. Quantum autem ad comminationem *de futuro* additur: *Omnis arbor non faciens fructum bonum*, id est omnis homo inutilis sine acceptione personae; Proverbiorum sexto[1]: « Zelus et furor viri non parcet in die vindictae nec acquiescet » etc. *Excidetur*, per mortem; infra decimo tertio: « Succide eam, ut quid etiam terram occupat »? Et Danielis quarto: « Succidite arborem et praescindite ramos eius, excutite folia eius et dispergite fructus eius ». Arbor ergo succiditur non solum propter defectum *fructus*, sed etiam *boni fructus*. — *Et in ignem mittetur*, scilicet per aeternam damnationem; Ioannis decimo quinto[2] dicitur de palmite infructuoso: « Colligent eum et in ignem mittent » etc.; Matthaei vigesimo quinto: « Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum »; et Isaiae ultimo: « Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur ».

Item, de futuro.

### Secundo, de baptismo et praedicatione Ioannis in speciali quoad tria.

22. *Et interrogabant eum turbae* etc. Postquam commendavit Evangelista praedicationem praecursoris in generali, hic commendat in *speciali* secundum eruditionem respectu specialium personarum populi[3]. Commendatur autem doctrina ipsius in parte ista: primo, in comparatione ad *exigentiam populi* in administrando doctrinam sanam; secundo, in comparatione ad *excellentiam Christi* in vitando gloriam falsam, ibi[4]: *Existimante autem populo* etc.; tertio, in comparatione ad *perfidiam tyranni* in sustinendo poenam inflictam, ibi: *Multa quidem et alia*. In primo commendatur Ioannis *prudentia;* in secundo, Ioannis *innocentia;* in tertio, *patientia*.

Divisio.

#### Praedicatio Ioannis commendatur primo quoad exigentiam populi tripliciter.

Quantum ad primum notandum, quod secundum triplicem differentiam personarum audientium diversas instructiones administrat: primo, ad *turbas*, quae gerunt personam *subditorum;* secundo, ad *publicanos*, qui gerunt personam *ministrorum;* tertio, ad *milites*, qui gerunt personam *rectorum* sive praepositorum. Et in qualibet istarum partium primo praemittitur *quaestio*, deinde additur *responsio*.

Subdivisio.

23. (Vers. 10.). Primo igitur *turbis interrogantibus* dat documentum de *eleemosynis faciendis;* propter quod dicitur: *Et interrogabant eum turbae dicentes: Quid ergo faciemus?* Ex quo necesse est dignos fructus poenitentiae facere, igitur doce nos. Solliciti erant simplices addiscere magis quam mundi sapientes; unde Ioannis septimo[5]: « Nunquid aliquis ex principibus credidit in eum, sed turba haec, quae ignorat Legem, maledicti sunt ». Licet autem ab hominibus reputentur maledicti et reprobi, contrario modo est apud iudicium Dei; Matthaei undecimo[6]: « Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis »; et Proverbiorum tertio: « Et cum simplicibus sermocinatio eius ». Tales interrogabant Ioannem tanquam prophetam magnum; Deuteronomii trigesimo secundo: « Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi » etc.

Primo, turbarum interrogatio.

24. (Vers. 11.). Et quia humilem proponunt interrogationem, ideo audiunt utilem *responsionem*, cum subditur: *Qui[7] habet duas tunicas det unam non habenti*. Optimum consilium, quia, sicut dicit Salvator infra undecimo, « date eleemosynam, et ecce, omnia munda sunt vobis ». Sic faciebat Iob, trigesimo primo: « Si despexi praetereuntem, eo quod non haberet indumentum, et absque operimento pauperem; si non benedixerunt mihi latera eius, et de velleribus ovium mearum calefactus est » etc. — Et nota, quam discrete docet, ut: *Qui habet duas tunicas*, id est alteram necessariam, alteram superfluam, quod sibi est superfluum donet alteri, cui est necessarium. Unde Beda[8]: « De duabus tunicis dividendis datur praeceptum, quia, si una dividatur, nemo vestitur; nam nudus remanet et qui accipit et qui dedit ».

Ioannis responsio.

Quoad vestimentum.

Notandum.

25. Et quod dixit de vestimento respectu defectus extrinseci dixit de *alimento* respectu intrinseci; unde et subdit: *Et qui habet escam similiter faciat*, scilicet si habet ultra necessitatem. Sic Iob, trigesimo primo[9]: « Si comedi buccellam meam solus »; et Tobias, quarto: « Panem tuum cum esurientibus et egenis comede ». — Et de duobus praedictis simul habetur Isaiae quinquagesimo octavo: « Frange esurienti panem tuum » etc.; et post: « Cum videris nudum, operi eum ». — Et nota hic, quod per *tunicam* et *escam* intelliguntur omnia, de quibus debet et potest fieri eleemosyna. Unde Hieronymus

Quoad alimentum.

Notandum.

---

[1] Vers. 34. seq. — Subinde allegantur Luc. 13, 7. et Dan. 4, 11.

[2] Vers. 6. — Sequuntur Matth. 25, 41. et Isai. 66, 24.

[3] Codd. C D G omittunt *populi*. Inferius pro *administrando* Vat. *admirando*.

[4] Vers. 15; tertium habetur v. 18

[5] Vers. 48. seq.

[6] Vers. 25. — Duo seqq. loci sunt Prov. 3, 32. et Deut. 32, 7.

[7] Vulgata: *Respondens autem dicebat illis: Qui*. Eadem Vulgata subinde omittit *unam*. — Sequuntur Luc. 11, 41. et Iob 31, 19. seq.: *Si despexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum* etc. In Comment. in librum Iob, quod habetur in appendice ad 7. tom. S. Hieronymi legitur: *Si despexi praetereuntem* etc.

[8] Libr. I. in Luc. 3, 11. Verba Bedae allegantur secundum Glossam *ordinariam* in hunc loc. Cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 20. n. 11.

[9] Vers. 17. — Duo seqq. loci sunt Tob. 4, 17. et Isai. 58, 7.

ad Hedibiam [1]: « Quidquid corpori nostro sufficere poterit et humanae imbecillitati succurrere, *una tunica* appellanda est. Nos enim nudos natura profudit; et quidquid in praesentibus alimentis necessarium est, hoc *unius diei victus* appellatur ».

Eleemosynae conditiones quatuor. Prima.

26. Nota etiam, quod in modo docendi exprimit, *qualiter* danda sit eleemosyna et *quales conditiones* debeat habere. — Prima est, ut sit de *propria* substantia; propter quod dicit: *Qui habet;* Proverbiorum tertio [2]: « Honora Dominum de tua substantia » etc. — Secunda est, quod sit de re aliquantulum *necessaria,* non omnino superflua; et ideo dicit: *Duas tunicas.* Unde Beda [3]: « Per hoc, quod tunica plus est necessaria usui nostro quam pallium, ad dignum poenitentiae fructum pertinet, ut non solum exteriora quaeque et minus necessaria, sed etiam ipsa naturae necessaria cum proximis dividamus, ut escam, qua vivimus, et tunicam, qua vestimur ». Unde laudatur illa vidua paupercula Marci duodecimo, quae « de penuria sua omne, quod habuit, misit in gazophylacium », sed alii « ex eo quod eis abundabat ». — Tertio nota, quod debet esse *gratuita,* in hoc quod dicitur: *Det unam;* Tobiae quarto [4]: « Si multum tibi fuerit, abundanter tribue »; et Matthaei decimo: « Gratis accepistis, gratis date ». — Quarto nota, quod sit *indigenti tribuenda,* cum additur: *Det non habenti;* infra decimo quarto [5]: « Cum facis convivium, voca pauperes » etc.

(Secunda. — Tertia. — Quarta.)

Quando sit praeceptum, quando consilium.

27. Et nota, quod verbum praemissum a quibusdam expositoribus dicitur esse *praeceptum* [6], a quibusdam esse *consilium;* et hoc, quia superfluum, quod notatur in altera tunicarum, duplex est, scilicet respectu *naturae,* sed non personae; et hoc dare est perfectionis et *consilii;* superfluum autem *naturae et personae,* cum locus et tempus adest, et videt hominem indigentem, nisi reservet magis egenti, hoc dare est *praeceptum,* secundum illud primae Ioannis tertio [7]: « Qui viderit, fratrem suum necessitatem habere » etc.

Secundo, publicanorum interrogatio.

28. (Vers. 12.). Secundo vero *publicanis requirentibus doctrinam* dat documentum de *legibus servandis,* cum additur: *Venerunt autem et publicani ad ipsum, ut baptizarentur.* « *Publicani* autem dicebantur illi qui publica vectigalia exigebant, sive qui conductores erant vectigalium fisci, vel rerum publicarum [8] », vel qui vectigalia regia accipiebant ad summam. Et isti iam veniebant ad Ioannem, quasi desiderantes salutem magis quam scribae; Matthaei vigesimo primo: « Publicani et meretrices praecedent vos in regnum caelorum ». Et exprimitur eorum diligentia, cum subditur *quaestio: Et dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus?* Bene quidem in hoc faciebant, secundum consilium Isaiae primo [9]: « Quiescite agere perverse, discite bene facere »; et secundum illud Ieremiae sexto: « State super vias et interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, et ambulate in ea ».

Horum diligentia.

Ioannis responsio.

29. (Vers. 13.). Et quia discrete quaerunt, ideo fructuose *erudiuntur,* cum subditur: *At ille dixit ad illos* [10]*: Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis; constitutum,* inquam, secundum legem divinam; Deuteronomii quarto: « Non addetis ad verbum, quod ego vobis loquor, neque minuetis ex eo; custodite mandata Dei vestri ». Sic respondit Dominus adolescenti diviti; Matthaei decimo nono [11]: « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata », quia, secundum illud Psalmi, « in custodiendis illis retributio multa »; Ecclesiastae octavo: « Qui custodit praeceptum non experietur quidquam mali ». — Et nota prudentiam ipsius, qua unicuique praecipit secundum *posse* suum. Videns enim illos infirmos, non apponit gravia, sed quantum potest, mitigat sarcinam, secundum illud ad Romanos decimo quarto [12]: « Infirmum autem in fide assumite ». Unde Ioannes, qui sibi erat rigidissimus, publicanis infirmis factus est benignus, ut posset dicere illud Apostoli, primae ad Corinthios nono: « Factus sum infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum » etc.

Notandum.

Quaestio.

30. Et nota, quod hic Ioannes videbatur publicanorum officium sustinere, cum tamen infra quinto [13] de Matthaeo publicano insinuetur illud officium *infame.* — Et propterea intelligendum est, quod ad hoc, quod tributa debite exigantur, requiritur debita *auctoritas,* debita *causa* et debita *mensura;* et hoc

Solutio. Tria requiruntur.

---

[1] Epist. 120. (alias 150.) c. 1. circa finem. — Superius pro *per tunicam et escam* C D G *in tunica et esca.*

[2] Vers. 9. — Plura de hac re vide IV. Sent. d. 15. p. II. a. 2. q. 1.

[3] Libr. I. in Luc. 3, 11, qui sequitur Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 20. n. 11. Verba Bedae allegantur secundum Glossam *ordinariam* (Luc. 3, 11.), quae tamen pro *ipsa naturae necessaria* cum textu originali substituit *ipsa valde* [Beda addit *nobis*] *necessaria* (ita etiam H). — Subinde allegatur Marc. 12, 43. et 44.

[4] Vers. 9, post quem Matth. 10, 8.

[5] Vers. 13. — Cfr. Alex. Hal. S. p. IV. q. 33. per totam.

[6] Card. Hugo, in Luc. 3, 11: Glossa [*ordinaria*] Bedae: « Ecce, quantum valent opera misericordiae, quae ad dignum poenitentiae fructum prae ceteris praecipiuntur. Argumentum, quod praeceptum est de tunicis ».

[7] Vers. 17. — B. Albert., in Luc. 11, 41: Superfluum est dupliciter dictum; est enim superfluum naturae et superfluum personae. Superfluum naturae est, quod est ultra sufficiens naturae, et bonae habitudini et operi, si est operarius; et quod est ultra continentiam naturae in tali *esse* et bona habitudine et opere... Superfluum autem personae est, per quod persona secundum suum gradum et familiam conservari potest; et ideo plura necessaria sunt episcopo quam clerico... Superfluum igitur utroque istorum modorum dandum est in pios usus, et tunc exteriora munda fiunt etc.

[8] Ita Beda (et Glossa *ordinaria*) in Luc. 3, 12, ubi adiungitur: « Nec non et hi qui saeculi huius lucra per negotia sectantur, eodem vocabulo censentur ». Cfr. infra 15, 1. Pro *conductores* C D G *ductores;* C D omittunt inferius *ad summam.* — Subinde allegatur Matth. 21, 31.

[9] Vers. 16 seq., post quem Ier. 6, 16.

[10] Vulgata *eos.* — Inferius allegatur Deut. 4, 2.

[11] Vers. 17. — Duo seqq. loci sunt Ps. 18, 12. et Eccle. 8, 5.

[12] Vers. 1. — Subinde habetur I. Cor. 9, 22.

[13] Vers. 27. seqq.

notat, cum dicit: *Nihil amplius*, ecce, *mensura; quam quod constitutum est*, ecce, *auctoritas; vobis*, id st ad utilitatem communitatis, ecce, *causa* [1]. Et quia haec raro servantur, ideo tales consueverunt esse peccatores et infames, non quia nullo modo bene possit fieri officium illud, sed quia difficile et rarum est, ut non excedant *constitutum* [2].

Tertio, militum interrogatio.

31. (Vers. 14.). Tertio vero *militibus percunctantibus* dat documentum de *rapinis vitandis*, cum subditur: *Interrogabant autem eum et milites, dicentes: Quid faciemus et nos?* Et recte, secundum consilium Tobiae quarto [3]: « Consilium semper a sapiente perquire ». Et in hoc magna apparet virtus in Ioanne praedicante, ut ad se trahat homines, qui maxime videntur mundani. Unde Glossa: « Magna vis in sermone Ioannis, qui et publicanos et milites ad consilium suae salutis cogit ». Et nota, quod quaerunt: *Quid faciemus?* secundum illud adolescentis, infra decimo octavo [4]: « Magister, quid faciens vitam aeternam possidebo »? Non sic Pharisaei, sed curiose requirunt; Ioannis primo: « Miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et Levitas ad Ioannem, ut interrogarent eum: Tu quis es »? et post: « Qui missi fuerant, erant ex Pharisaeis et interrogaverunt eum: Quid ergo baptizas »?

Ioannis responsio.

32. Et quoniam salutare consilium quaerebant, et verbum in tempore salutis non est retinendum [5], ideo responsum audierunt salutiferum, cum subditur: *Et ait illis*. In quo documento illicita prohibet, cum ait: *Neminem concutiatis*, id est opprimatis per vim potentiae; *neque calumniam faciatis*, sub specie iustitiae; Levitici decimo nono [6]: « Non facies calumniam proximo tuo nec vi opprimes eum ». Econtra malis malum comminatur Dominus Isaiae tertio: « Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis »? « Rapina pauperis in domo vestra ». In hoc consueverunt milites peccare; et ideo illam docet tanquam illicitam cavere.

Illicita prohibet.

Licita concedit.

33. Sed ne hoc videatur eis grave, ideo licita concedit, cum subdit: *Et contenti estote stipendiis vestris; stipendiis*, id est eventibus pro defensione reipublicae statutis a superioribus vestris, quia talis Deo acceptus est; Ezechielis decimo octavo [7]: « Si vir fuerit iustus et hominem non contristaverit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit etc., vita vivet ». Talis enim contentus est stipendiis suis. Sed non sunt tales exactores, de quibus Isaiae tertio [8]: « Populum meum exactores sui spoliaverunt ». Et ideo Augustinus de Verbis Domini: « Quisquis militiae suae cingulo utitur et stipendia sibi publice decreta consequitur; si amplius quaerit, tanquam calumniator est et concussor. Ideo enim stipendia militibus constituta sunt, ne, dum quaestus quaeritur, praedo grassetur ».

Quaestio.

34. Et nota, quod videtur beatus Ioannes hic militare officium approbare, cum tamen videatur repugnare mandatis, quibus praecipitur, ut nullo modo se vindicet quis nec propellat iniuriam; immo dicitur Matthaei quinto [9]: « Qui te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe ei et alteram ». — Et ideo nota, quod usus militiae potest esse *licitus* et *illicitus*; ad *licitum* autem oportet quod concurrat *conveniens persona* et *causa:* persona scilicet *indicentis* bellum, in qua requiritur, quod habeat potestatem; item persona *agentis* bellum, quae debet esse laicus et saecularis, non clericus vel religiosus; item persona *patientis*, quae talis sit insolentiae, ut per bellum sit compescenda. — *Causa* autem *conveniens* est, cum est pro tutela patriae, vel pacis, vel fidei. Quando ergo haec concurrunt, tunc *licitum* est militare; sed quando deficit aliquid horum, utpote quia defectus est ex parte *personae*, vel *causae:* utpote cum clericus, vel vir religiosus, qui debet esse perfectus, vult bellum gerere, vel quando propter gloriam hominum, vel vindictam; tunc est *illicitum* [10]. — Quod autem obiicitur de mandato

Solutio.

Conditiones quoad personam.

Quoad causam.

Obiectio solvitur.

---

[1] Ambros., II. in Luc. n. 77: Publicanis [responsum tribuit], ne ultra praeceptum exigant. Cfr. Serm. 82. (inter opera August.; alias 19. de Verbis Domini, et post 3. in append.) n. 2: Hic autem moderate praecipit, ut et iniquitas locum non habeat, et constitutum habeat vectigal effectum. Non enim dixit: Nihil exigatis; sed: *Nihil amplius* exigatis. Unde intelligimus, quod apud Deum non tam exactio quam exactio iniqua damnetur etc.

[2] Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 24. n. 1, ubi pro eo, quod Matthaeus post conversionem suam ad telonium non redierit, hanc affert rationem: Sunt enim pleraque negotia, quae sine peccatis exhiberi aut vix, aut nullatenus possunt. Quae ergo ad peccatum implicant, ad haec necesse est ut post conversionem animus non recurrat. — Pro *excedant* Vat. *excedat.*

[3] Vers. 19. — Glossa, quae sequitur, est apud Lyranum *ordinaria* (ex Beda, I. in Luc. 3, 13.).

[4] Vers. 18. Codd. allegant Matth. 19, 16, ubi eadem sententia, sed non iisdem verbis affertur. — Sequitur Ioan. 1, 19. et 24. seq.

[5] Respicitur Eccli. 4, 28: Nec retineas verbum in tempore salutis.

[6] Vers. 13. — Sequitur Isai. 3, 15. et 14.

[7] Vers. 5. 7. et 9. — Isidor., XVI. Etymolog. c. 18. n. 8: *Stipendium* a *stipe pendenda* nominatum. Antiqui enim appendere pecuniam soliti erant magis quam annumerare. — Superius post *quia talis* Vat. supplet *miles.*

[8] Vers. 12. — Sententia Augustini habetur in sermone, qui olim fuit serm. 19. de Verbis Domini, nunc autem est in appendice serm. 82. (cfr. supra nota 1.) n. 3. et 4. Cfr. Ambros., II. in Luc. n. 77.

[9] Vers. 39. Pro *in dexteram* codd. *in unam*, omisso subinde *tuam*. August., I. de Serm. Domini in monte, c. 19. n. 58: Sic enim [*in dexteram*] in exemplaribus Graecis, quibus maior fides habenda est, invenitur; nam multa Latina *maxillam* tantum habent, non etiam *dexteram.*

[10] August., loc. cit., n. 4: Non enim militare delictum est, sed propter praedam militare peccatum est. Nec rempublicam gerere, criminosum est, sed ideo agere rempublicam, ut rem familiarem potius augeas, videtur esse damnabile. Propterea enim providentia quadam militibus sunt stipendia constituta, ne, dum etc. (vide notam 8.). Cfr. Alex. Hal., S. p. III. q. 47. m. 3. a. 4, ubi conditiones belli fusius exponuntur. — Superius ante *clericus* C D G omittunt *cum.*

evangelico, dicendum, quod intelligitur de patientia habenda in animo, non de corporali exhibitione, sicut Augustinus ostendit in Sermone Domini in
Aliter. monte [1]. — Vel dic, quod illud dictum est perfectis, quorum non est « vinci a malo, sed vincere in bono malum [2] »; dictum etiam subditis, non praelatis vel principibus et eorum officialibus, quia, cum ipsi sint ministri legis, non ipsi puniunt vel occidunt, sed lex.

**Praedicatio Ioannis commendatur secundo quoad excellentiam Christi tripliciter.**

35. (Vers. 15.). *Existimante autem populo* etc. Commendata est praedicatio Ioannis in comparatione ad exigentiam populi; hic secundo commendatur in comparatione ad *excellentiam Christi* in hoc, quod
Divisio. gloriam Christo debitam non usurpat. Unde sicut supra [3] administrabat doctrinam sanam, ita hic vitat gloriam non suam. Ad quod explicandum tria introducuntur: primum est *falsitatis existimatio in plebe;* secundum est *veritatis confessio in Ioanne;* tertium est *sublimitatis commendatio in Salvatore.*

Quantum ad *existimationem falsitatis in plebe*
De membro primo. dicitur: *Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis,* existimatione falsa et cogitatione erronea de Ioanne, ne forte esset Christus, in Lege scilicet promissus; nec tantum existimantibus, sed etiam quaerentibus exterius, Ioannis primo [4]: « Miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et levitas ad Ioannem, ut interrogarent eum: Tu quis es »? Et hoc, quia suspicabantur, eum esse Christum; unde supra primo: « Quis, putas, puer iste erit »? Non autem debebant eum existimare Christum, sed eius ministrum, secundum illud primae ad Corinthios quarto: « Sic nos existimet homo ut ministros Christi » etc. Et ideo in tali cogitatione errabant; unde Beda [5]: « Mira caecitas Iudaeorum, quod in Ioanne sponte credebant, hoc in Salvatore tantis signis et virtutibus approbato, et etiam ipso Ioanne attestante, non credunt ». Unde non immerito « caeci et duces caecorum » vocantur, Matthaei decimo quinto, qui « ponebant tenebras lucem et lucem tenebras »; unde Ioannis primo: « Non erat ille lux ».

36. (Vers. 16.). Quantum ad *veritatis confes-* De secundo.
*sionem in Ioanne* subditur: *Respondit Ioannes, dicens omnibus,* id est publice, quia omnes errabant: *Ego quidem aqua baptizo vos,* et « tantum, sicut dicit Ambrosius [6], corpora tingo »; ac per hoc non sum salvator animarum, quem vos me arbitramini esse. Unde ipse dixit Ioannis primo: « Super quem videris Spiritum sanctum descendentem et manentem, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto ». Unde cum quaereretur a Iudaeis, quis esset, secundum quod dicitur Ioannis primo [7], « confessus est et non negavit, et confessus est: Quia non sum ego Christus ». Et ideo poterat dicere illud secundae ad Corinthios duodecimo: « Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me ».

37. Et nota, quod est baptismus *fluminis, fla-* Triplex baptismus.
*minis* et *sanguinis.* Baptismus *fluminis* est duplex: quidam in *aqua tantum,* ut beati Ioannis; Actuum Fluminis, qui duplex.
decimo nono [8]: « In quo baptizati estis? Qui dixerunt: In Ioannis baptismate »; quidam in *aqua et Spiritu,* ut baptismus Christi; Ioannis tertio: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto » etc. — Baptismus *flaminis:* quidam in *dono gratiae;* Item, flaminis.
Actuum primo [9]. « Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto »; quidam in *verbo doctrinae;* Canticorum quarto: « Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro », per quas *praedicatores* intelligimus; et Ioannis decimo quinto: « Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis ». — Baptismus *sanguinis:* Item, sanguinis.
quidam in *tribulatione;* Isaiae quarto [10]: « Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion et sanguinem Ierusalem laverit de medio eius in spiritu iudicii et spiritu ardoris »; quidam in *morte;* Lucae duodecimo: « Baptismo habeo baptizari et quomodo coarctor, usque dum perficiatur ».

38. Quantum autem ad *commendationem subli-* De tertio tria.
*mitatis in Salvatore* subditur: *Venit* [11] *autem fortior*

---

[1] Libr. I. c. 19. n. 57. seq. Cfr. de Mendacio, c. 15. n. 27. et XXII. contra Faustum, c. 74. seqq., ubi ostendens, quod bellum quandoque sit licitum, c. 76. et 79. haec verba Domini [*praebe illi et sinistram*] intelligenda esse ait non de praeparatione « in corpore, sed in corde ».

[2] Rom. 12, 21. — De seq. explicatione cfr. August., I. de Lib. Arb. c. 5. n. 12.

[3] Num. 1. et 22. — Inferius pro *confessio* Vat. *confusio.*

[4] Vers. 19. — Duo seqq. loci sunt Luc. 1, 66. et I. Cor. 4, 1.

[5] Libr. I. in Luc. 3, 15. Pro *Mira* C D H *Nimia;* pro *credunt* (ita etiam Glossa *ordinaria*) textus originalis et Vat. *credere.* — Sequuntur Matth. 15, 14. et Ioan. 1, 8. Respicitur insuper illud Isai. 5, 20: Vae! qui dicitis malum bonum et bonum malum, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras. Codd. C D G: *Qui ponebant tenebras in lucem et lucem in tenebras.*

[6] Glossa *ordinaria* apud Lyranum sententiam Ambrosii (II. in Luc. n. 79.) exhibet sic: « Cito probavit, se non esse Christum; qui visibili tantum operatur officio. Aqua, non Spiritu baptizat, quod solius est Christi ». Glossa *interlinearis:* Tingo corpora aqua et instituo usum baptizandi, donec veniat qui abluat animas per Spiritum. Cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 3. et Beda, I. in Luc. 3, 16. Vide tom. IV. pag. 56, notam 8. et pag. 57, notam 7. — Subinde allegatur Ioan. 1, 33.

[7] Vers. 20. — Sequitur II. Cor. 12, 6.

[8] Vers. 3. — Subinde allegatur Ioan. 3, 5. — De triplici baptismo cfr. IV. Sent. d. 4. p. II. a. 1. per totum.

[9] Vers. 5. — Duo seqq. loci sunt Cant. 4, 2. et Ioan. 15, 3. Gregor., XXXIII. Moral. c. 27. n. 47: Sanctae Ecclesiae dentes accipimus eos qui praedicationibus suis peccantium duritiam conterunt; unde ei per Salomonem dicitur: *Dentes tui sicut greges detonsarum ascendentium de lavacro* etc. — Superius post *Baptismus flaminis* Vat. addit *similiter duplex est* et inferius post *Baptismus sanguinis* subiungit *etiam duplex est.*

[10] Vers. 4. — Sequitur Luc. 12, 50, in cuius fine codd. *donec perficiam.* — Cfr. Chrysost., Homil. 5. (alias 6.) in Matth. (Op. imperfect. inter opera Chrysost.).

[11] Ita etiam Ambros., II. in Luc. 3, 16; Vulgata *Veniet.*

*me* etc. Commendat autem Ioannes Christum quantum ad *mysterium incarnationis*, quantum ad *Sacramentum reparationis* et quantum ad *iudicium retributionis.* In primo est nostrae salutis initium; in secundo, incrementum; in tertio, complementum.

Quoad mysterium incarnationis.

Quantum autem ad *mysterium incarnationis* dicit: *Venit autem fortior me* [1], fortior, dignior et excellentior; Isaiae nono: « Vocabitur nomen eius Admirabilis », quia, primae ad Corinthios primo, « quod infirmum est Dei fortius est hominibus »; et hoc quidem non modicum, sed incomparabiliter; propter quod subditur: *Cuius non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum eius.*

Expositio prima.

*Ad litteram* potest hoc esse, ut tantum se humiliet, quod non sit dignus servire ei in humillimo ministerio; unde etiam Matthaei tertio [2]: « Cuius non sum dignus calceamenta portare ».

Secunda.

— Vel *spiritualiter* per *calceamentum* intelligitur humana natura assumta, secundum illud Psalmi [3]: « In Idumaeam extendam calceamentum meum ». Per *corrigiam* intelligo ipsam unionem. Est ergo sensus secundum Bedam: *Cuius non sum dignus* etc., « id est incarnationis mysterium explicare », quia dicitur Apocalypsis quinto, quod « nemo inventus est dignus aperire librum et solvere signacula eius nisi solus Agnus ».

Tertia.

— Aliter intelligitur tertio modo sic: *Non sum dignus* etc., id est evangelicam praedicationem per mundum portare; unde Beda [4]: « Calceamentum nuptiale est evangelica praedicatio, qua calceati fuerunt Apostoli »; ad Ephesios sexto: « Calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis ».

Quarta.

— Aliter etiam exponitur quarto modo, ut sit sensus: *Non sum dignus solvere*, id est, ipsum secundum morem Legis discalceare et uxorem eius mihi copulare; unde Ioannis tertio [5]: « Qui habet sponsam sponsus est; amicus autem sponsi stat » etc.

Notandum.

— Sed secundum primum sensum maius videtur habere testimonium, in quo mira exprimitur beati Ioannis humilitas, ut, cum reputetur a Deo maximus, ipse reputet se minimum, secundum illud Ecclesiastici tertio [6]: « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam ».

Quoad Sacramentum reparationis.

39. Quantum ad *Sacramentum reparationis* subditur: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto;* Actuum primo [7]: « Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto »; alioqui, « nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei »; et hoc quidem erit *interius. Et igni*, hoc dicitur quantum ad *signum exterius;*

De igne quadruplex expositio.

de quo dicitur Actuum secundo [8], quod « apparuerunt illis dispertitae linguae tanquam ignis »; et hoc, quia Spiritus sancti *amor* recte per ignem designatur, secundum quod dicitur infra duodecimo: « Ignem veni mittere in terram » etc. — Vel *igni*, scilicet *tribulationis* purificantis a sequela peccati, secundum illud Sophoniae tertio [9]: « In igne zeli mei devorabitur omnis terra ». — Vel *igni*, scilicet *purgatorio*, in quo purgabitur scoria peccati; primae ad Corinthios tertio: « Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem ». — Vel in *igne tentationis;* Psalmus: « Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas ».

Quoad iustitiam retributionis tanguntur tria.

40. (Vers. 17.). Quantum ad *iustitiam retributionis* subdit: *Cuius ventilabrum in manu eius.* Hic autem *iustitia retributionis* commendatur quantum ad tria, scilicet quantum ad *iudicium discretivum meritorum*, quantum ad *praemiationem bonorum* et quantum ad *punitionem reproborum.*

De primo.

Quantum igitur ad *iudicium discretivum* dicitur: *Cuius ventilabrum in manu eius.* Hoc dicit quantum ad potestatem iudiciariam, qua discernuntur boni a malis, sicut per ventilabrum purgantur frumenta a scoriis; Ieremiae decimo quinto [10]: « Dispergam

---

[1] Cod. C addit *post me*, cui lectioni consentit Card. Hugo et Lyranus; B. Albert.: *Veniet autem fortior post me.* Cfr. Matth. 3, 11. — Duo seqq. loci sunt Isai. 9, 6. et I. Cor. 1, 25.

[2] Vers. 11. — Post *ministerio* in D secunda manus addidit: *ut in calceamentis, si haberet*, omissa subinde *unde etiam et.*

[3] Psalm. 59, 10, quem Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 3, explicat de humanitate Christi (cfr. tom. III. pag. 466, nota 1.). Bedae sententiam (ex Gregorio, loc. cit.), quae inferius proponitur, Glossa *ordinaria* sic exhibet: Non sum dignus mysterium incarnationis investigare. Cfr. Beda, I. in Matth. 3, 11. et I. in Marc. 1, 8. — Sequitur Apoc. 5, 2. seqq.

[4] Libr. IV. in Luc. 15, 22: « *Et date anulum in manum eius et calceamenta in pedes... Calceamenta* autem *in pedes* officium evangelizandi denuntiat ». Ambros., in eundem loc. (VII. n. 231.): « Calceamentum autem Evangelii praedicatio est ». Idem Ambros., II. in Luc. n. 80: « Denique eousque non fecit [Ioannes cum Christo] comparationem, ut addiderit: *Cuius non sum dignus calceamenta portare*, evangelicae praedicationis, ostendens, in Apostolos gratiam esse collatam, qui sunt calceati in Evangelium ». Haec verba videtur respexisse Glossa *ordinaria* in Luc. 3, 16, quae sub nomine *Bedae* tres exhibens explicationes (secundam, tertiam et quartam a Bonav. allatam) tertiam ita proponit: Vel *non sum dignus portare* per totum mundum praedicando *calceamenta*, id est mysterium incarnationis. Hoc enim non est Ioannis praecurrentis officium, sed Apostolorum sequentium. Calceamentum nuptiale, evangelica praedicatio, qua calceati sunt Apostoli. — Sequitur Eph. 6, 15.

[5] Vers. 29. — Quae Beda, I. in Luc. 3, ex Gregorio (I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 3.) hac de re fusius proponit, breviter recenset I. in Matth. 3, 11: Mos erat apud Hebraeos, ut qui uxorem defuncti propinquus accipere voluisset; alteri iure propinquitatis cedenti, de uno pede calceamentum extrahere debuisset eiusque domus *discalceati domus* vocari consuevit [cfr. Deut. 25, 9. seq., ubi simile occurrit]. Sed Ioannes, quem Iudaei Christum aestimabant, nec false sibi nomen sponsi, quod non erat, nec sponsam, quae alteri debebatur, vindicabat, ne perderet quod erat. Cfr. Petr. Comestor, Histor. scholastica, lib. Deuteronomii, c. 15.

[6] Vers. 20.

[7] Vers. 5, post quem Ioan. 3, 5. — Inferius pro *erit interius* Vat. *erat interius.*

[8] Vers. 3. — Sequitur Luc. 12, 49.

[9] Vers. 8. — Duo seqq. loci sunt I. Cor. 3, 15. et Ps. 16, 3. — Tres priores expositiones exhibet Beda, I. in Luc. 3, 16.

[10] Vers. 7. — Ambros., II. in Luc. n. 82: Ventilabri iudicio discriminandorum Dominus declaratur ius habere meritorum etc.

eos ventilabro in portis terrae ». Et dicitur *in manu*, id est plenaria potestate, secundum illud Ioannis quinto[1]: « Pater omne iudicium dedit Filio »; et ideo dicitur primae Petri quinto: « Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis »; Malachiae tertio: « Ecce venit, dicit Dominus exercituum, et quis poterit cogitare diem adventus eius »? Et quoniam potestatis iudiciariae est sequestrare bonos a malis, ut bonos glorificet et malos affligat; ideo quantum ad *discretionem* et *sequestrationem* dicitur: *Et purgabit*[2] *aream suam;* Ioel ultimo: « Mundabo sanguinem eorum, quem non mundaveram, et Dominus commorabitur in Sion ». Quia boni permixti sunt modo malis occultis; ideo dicitur in Psalmo: « Ab occultis meis munda me », in persona Ecclesiae. Hoc fiet, quando implebitur illud Isaiae vigesimo sexto: « Tollatur impius, ne videat gloriam Dei »; et alibi: « Foris canes, venefici, inpudici et idolis servientes ». — Et nota, quod Ecclesia militans intelligitur per *areolam* propter arctitudinem *humilitatis;* Canticorum sexto[3]: « Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum »; sed per *aream* propter latitudinem *caritatis;* Iudicum sexto: « Ponam hoc vellus in area » etc. Haec mundatur in fine, secundum illud Matthaei decimo tertio: « Sic erit in consummatione saeculi; exibunt Angeli et separabunt malos de medio iustorum ».

Discretio et sequestratio.

Notandum.

41. Quantum autem ad *praemiationem bonorum* dicitur: *Et congregabit triticum in horreum suum;* et hoc est, quando Sancti in gloria ad unum reducentur: Isaiae quinquagesimo sexto[4]: « Haec dicit Dominus, qui congregat dispersos Israel: Adhuc congregabo congregationes ». Et recte electi ratione fructuositatis comparantur tritico, secundum illud Ioannis duodecimo: « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit » etc.; Iob quinto: « Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo ».

De secundo.

42. Quantum vero ad *punitionem reproborum* subditur: *Paleas autem comburet igni inexstinguibili. Paleas* reprobos vocat, quia sunt materia combustionis; Ieremiae vigesimo tertio[5]: « Quid paleis ad triticum? dicit Dominus ». Unde Iob vigesimo primo: « Erunt sicut paleae ante faciem venti et sicut favilla, quam turbo dispergit »; Psalmus: « Deus meus, pone illos ut rotam et sicut stipulam ante faciem venti ». Et ita paleae sunt in pabulum ignis sempiterni, qui nec exstinguitur nec exstinguit, secundum illud Isaiae ultimo[6]: « Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur »; et Deuteronomii trigesimo secundo: « Ignis succensus est in furore meo et ardebit usque ad inferni novissima ». Haec autem palearum exustio longe erit a tritico congregato, quia isti erunt in inferno, boni autem in paradiso, in quo congregabuntur in gloria, quia hic congregati fuerunt in gratia.

De tertio.

43. Propter quod intelligendum, quod triplex est congregatio: ad *studium veritatis;* Ecclesiastici quinquagesimo primo[7]: « Appropiate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinae »; ad *exercitium virtutis;* Ioel secundo: « Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate coetum, congregate populum, sanctificate ecclesiam » etc.; ad *praemium felicitatis;* Psalmus: « Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham ». — Ad *exercitium virtutis*, videlicet in *oratione;* Actuum quarto[8]: « Cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati »; in *praedicatione;* Actuum primo: « Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati », et postea: « testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis »; in *conversatione;* Matthaei decimo octavo: « Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum ». — Ad *studium veritatis* ad cognoscendum divina *praecepta;* Deuteronomii quarto[9]: « Congrega ad me universum populum, ut audiant sermones meos »; divina *Sacramenta;* Psalmus: « Congregate illi sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia »; divina *promissa;* Genesis penultimo: « Congregamini ad me, filii Iacob, ut annuntiem quae ventura sunt vobis ». — Ad *praemium felicitatis* per *cohaerentiam pacis;* Matthaei vigesimo quarto[10]:

Triplex congregatio.

Specialiter de exercitio virtutis triplici.

Item, de studio veritatis.

Item, de praemio felicitatis.

---

[1] Vers. 22. — Subinde allegantur I. Petr. 5, 6. et Malach. 3, 1. seq. — Beda, l. in Luc. 3, 17: Ventilabrum itaque Dominus in manu, id est iudicii discrimen habet in potestate, quia *Pater non iudicat quemquam, sed iudicium omne dedit Filio.* — Superius vocibus *Et dicitur* C D G interserunt *hoc* (hic ?).

[2] Codd. C D *permundabit;* ita etiam Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (in Catena aurea), Lyranus (in margine). Matth. 3. 12: *Et permundabit aream* etc. Quatuor seqq. loci sunt Ioel 3, 21; Ps. 18, 13; Isai. 26, 10. et Apoc. 22, 15.

[3] Vers. 1. — Sequuntur Iudic. 6, 37. et Matth. 13, 49. Beda, l. in Luc. 3, 17: Per *aream* vero praesens Ecclesia figuratur... Cuius areae purgatio et nunc viritim geritur... et universaliter in fine perficietur etc. — Inferius post *sed per aream* Vat., contextu repugnante, addit *Ecclesia triumphans;* cfr. etiam Glossa *ordinaria* (ex Origene), et Rabanus in Iudic. 6, 37, qui hunc locum explicant de Ecclesia militante. Subinde pro *mundatur* G *mundabitur.*

[4] Vers. 8, in cuius fine legit Vulgata: *congregabo ad eum congregatos eius* (Septuaginta: *ad eum congregationem).* — Subinde allegantur Ioan. 12, 24; Iob 5, 26.

[5] Vers. 28. — Duo seqq. loci sunt Iob 21, 18. et Ps. 82, 14.

[6] Vers. 24. — Sequitur Deut. 32, 22.

[7] Vers. 31. — Subinde allegantur Ioel 2, 15. seq. et Ps. 46, 10. — Superius pro *triplex* D *multiplex*. Inferius pro *virtutis* C *pietatis.*

[8] Vers. 31. — Sequuntur Act. 1, 21. et 22; Matth. 18, 20. — Superius plures codd. omittunt *Ad exercitium virtutis, videlicet.*

[9] Vers. 10. — Duo seqq. loci sunt Ps. 49, 5. et Gen. 49, 1. — Superius in pluribus codd. desideratur *Ad studium veritatis ad cognoscendum*, C exhibet in marg.: *Ad studium veritatis.*

[10] Vers. 31. — Subinde allegantur Isai. 60, 4. et Ps. 105, 47. — Superius in pluribus codd. deest *Ad praemium felicitatis.*

« Mittet Filius hominis Angelos suos »; et postea: « Et congregabunt electos eius a quatuor ventis » etc.; per *refulgentiam lucis;* Isaiae sexagesimo: « Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi »; per *consonantiam laudis;* Psalmus: « Salvos nos fac, Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus, ut confiteamur nomini sancto tuo ».

**Praedicatio Ioannis commendatur tertio quoad perfidiam tyranni tripliciter.**

44. (Vers. 18.). *Multa quidem et alia exhortans evangelizabat* etc. Supra commendavit praedicationem Ioannis in comparatione ad exigentiam populi et excellentiam Christi; in hac parte commendat in comparatione ad *perfidiam tyranni,* in qua laudatur patientia, quia, Proverbiorum decimo nono [1], « doctrina viri per patientiam noscitur ». In Divisio. hac igitur parte primo introducitur Ioannes *exhortans populum obedientem;* secundo, *corripiens principem praevaricantem;* tertio, *sustinens adversarium persequentem.*

Quantum ergo ad *exhortationem populi obe-* Membrum primum. *dientis* dicitur: *Multa quidem et alia exhortans evangelizabat populo;* sed tamen omnia erant ad bonum ordinata; secundae ad Corinthios sexto [2]: « Adiuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis » etc.; et primae ad Thessalonicenses secundo: « Exhortatio mea non de errore, aut immunditia nec in dolo, sed sicut probati sumus, ut crederetur nobis Evangelium ». Et ideo subditur: *Evangelizabat,* id est, bona annuntiabat; Isaiae quinquagesimo secundo [3]: « Quam pulcri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem, annuntiantis bona, praedicantis salutem » etc.

45. (Vers. 19.). Quantum ad *correptionem prin-* Secundum. *cipis praevaricantis* subditur: *Herodes autem tetrarcha,* de quo habitum est supra eodem [4], *cum corriperetur ab illo de Herodiade, uxore fratris sui;* Matthaei decimo quarto: « Dicebat Ioannes Herodi: Non licet tibi habere eam ». *Et de omnibus malis, quae fecit Herodes.* Et ita non parcebat ei; Ecclesiastici decimo [5]: « Gloria divitum, honoratorum et pauperum timor Dei est, non despicere hominem iustum pauperem, et non magnificare virum peccatorem divitem ». Unde sibi competit illud quod dicitur de Eliseo Ecclesiastici quadragesimo octavo: « In diebus suis non pertimuit principem, et potentia nemo vicit illum, nec superavit eum verbum aliquod ». Et quia publice peccabat, publice arguebat, secundum illud primae ad Timotheum quinto [6]: « Peccantem coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant », et hoc quidem audacter; ad Titum secundo: « Haec loquere et exhortare et argue cum omni imperio ».

46. (Vers. 20.). Quantum ad *supportationem ad-* Tertium. *versarii persequentis* subditur de Herode: *Adiecit et hoc super omnia et inclusit Ioannem in carcere* [7]. Et sic verificatum est illud Ecclesiastici tertii: « Cor nequam gravabitur in doloribus, et peccator adiiciet ad peccandum »; et hoc iusto Dei iudicio; Apocalypsis ultimo: « Qui in sordibus est sordescat adhuc ». Et sic verificatum est illud Amos quinto [8]: « Odio habuerunt corripientem in porta »; sicut Achab Michaeam, tertii Regum ultimo; sicut Sedecias Ieremiam, trigesimo secundo; sicut alius Herodes Petrum, Actuum duodecimo. Propter quod ad Hebraeos undecimo: « Alii ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, secti sunt » etc.

## Tertio, de baptismo et praedicatione Ioannis in singulari quoad duo.

47. *Factum est autem, cum baptizaretur* etc. Postquam commendavit Evangelista praecursoris praedicationem et officii exsecutionem in generali et speciali, hic commendat *in singulari respectu Christi,* ad quem principaliter tota praedicatio ordinata fuit. Sicut enim dicit ipse Baptista Ioannis primo [9]: « Ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans ». Describitur ergo hic spiritualis regeneratio Christi, quae principaliter intenta est in toto capitulo. Habet autem haec pars duas. In prima de- Divisio. terminatur Christi *regeneratio sacramentalis;* in secunda vero, Christi *genealogia temporalis,* ibi [10]: *Et ipse Iesus erat incipiens* etc.

**Primo, de regeneratione Christi sacramentali duo.**

Quantum ad primum duo introducuntur: primum est *humiliatio* per susceptionem Sacramenti in assumta humanitate; secundum est *clarificatio* per exhibitionem testimonii a tota Trinitate, ibi [11]: *Apertum est caelum* etc.

Circa susceptionem Sacramenti in forma servi Triplex Christi humiliatio. notandum, quod triplex distinguitur *humiliatio* in

[1] Vers. 11. — Vocibus *laudatur patientia* Vat. interserit *eiusdem.*

[2] Vers. 1, post quem I. Thess. 2, 3. seq. — Superius ex B C addidimus *ordinata.*

[3] Vers. 7. — Superius pro *Et ideo* Vat. *Et ratio.*

[4] Vers. 19. — Sequitur Matth. 14, 4. Beda, I. in Luc. 3, 19: Quod non his diebus... sciendum est esse gestum [scil. Ioannem missum esse in carcerem], verum ab hoc Evangelista propter exaggerandam Herodis malitiam *praeoccupando* commemoratum.

[5] Vers. 25. seq. Pro *non despicere* Vulgata *recentior Noli despicere.* — Subinde allegatur Eccli. 48, 13. seq.

[6] Vers. 20, post quem Tit. 2, 15.

[7] Nonnulli codd. *carcerem,* quod etiam exhibent Card. Hugo, B. Albert. et Lyranus. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 3, 29. et Apoc. 22, 11.

[8] Vers. 10. — Subinde allegantur III. Reg. 22, 26. seq.; Ier. 32, 3; Act. 12, 3. et Hebr. 11, 36. seq.

[9] Vers. 31.

[10] Vers. 23.

[11] Vers. 21.

Christo: prima, respectu *populi associantis;* secunda, respectu *ministri baptizantis;* tertia, respectu *Dei exaudientis.*

Humiliatio prima.

48. (Vers. 21.). *Humiliatio* autem respectu *populi associantis* notatur, cum dicit: *Factum est, cum baptizaretur omnis populus.* Per *populum* plebs humilis intelligitur, inter quos Christus humilis esse non dedignatur, quoniam, secundum Psalmum [1], « excelsus Dominus et humilia respicit ». Ratione cuius humilitatis dicitur infra vigesimo secundo: « Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat », et illud etiam Ioannis primo dicitur: « Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis ». Et nota, quod *omnis populus* idem est, quod *multi* de populo — quia, infra septimo [2], « Pharisaei autem spreverunt consilium Dei in semetipsis, non baptizati baptismo Ioannis » — et sic accipitur Matthaei tertio: « Exibat ad eum omnis Iudaea et omnis regio circa Iordanem, ut baptizarentur ab eo ».

Secunda.

49. *Humiliatio* respectu *ministri baptizantis* notatur, cum dicitur: *Et Iesu baptizato,* scilicet a Ioanne, quae fuit mira humilitas, ut Dominus vellet baptizari baptismo servi. Unde dicitur Matthaei tertio [3], quod Ioannes dixit: « Ego a te debeo baptizari »; et sequitur: « Sine modo; sic enim decet nos implere omnem iustitiam », id est perfectam humilitatem, qua non tantum superiori et pari, sed etiam inferiori subiecit semetipsum.

Rationes 4.

Baptizatus autem est Christus, non ut sanctificaretur baptismo, sed ut *vim regenerativam aquis conferret.* Unde Chrysostomus [4]: « Peccatorum remissionem non accepit, sed aquas baptizandis omnibus sanctificavit ». Baptizari etiam voluit, ut *aliis exemplum et formam daret,* quia, secundum quod dicitur Actuum primo [5], « coepit Iesus facere et docere »; ut etiam suo baptismo *innotesceret,* sicut dicitur Ioannis primo: « Ut manifestetur in Israel » etc. Baptizatus est etiam, ut baptismum *praecursoris approbaret* et ostenderet Pharisaeis, quod Ioannis testimonio credendum erat, sicut caelesti; ad quos ait Matthaei vigesimo primo [6]: « Baptismus Ioannis unde erat? E caelo, an ex hominibus »?

Tertia.

50. *Humiliatio* autem respectu *Dei exaudientis* notatur, cum dicitur: *Et orante,* scilicet ad Dominum, secundum illud Psalmi [7]: « Subditus esto Domino et ora eum »; ad Hebraeos quinto: « Preces supplicationesque ad Deum offerens, exauditus est pro sua reverentia ». Unde Ioannis undecimo: « Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me; ego autem sciebam, quoniam semper me audis, sed propter populum, qui astat, dixi, ut credant, quia tu me misisti ».

Orat Christus semper.

In omnibus invenitur Dominus *orans,* sive in baptismi susceptione, sive in solitudine, sive in praedicatione, sive in miraculorum operatione et passione et Sacramenti dispensatione et animae commendatione, ut ostendat quod infra decimo octavo [8] dicitur: « Oportet semper orare et non deficere ».

Hoc probatur quoad 7 actiones.

51. Oravit enim in *baptismi susceptione,* sicut hic: *Et factum est, Iesu baptizato et orante,* ut daret formam orandi accedentibus ad baptisma. — In *deserti solitudine;* infra quinto [9]: « Ipse secedebat in desertum et orabat », ut formam daret contemplantibus. — In *praedicatione;* infra sexto: « Factum est autem in diebus illis, exiit in montem, ut oraret », ut formam daret praedicatoribus. — In *miraculorum operatione;* Ioannis undecimo [10]: « Pater, gratias ago tibi » etc., ut daret formam operantibus. — In *passione;* Matthaei vigesimo sexto: « Progressus cecidit in faciem suam », ut formam daret sustinentibus. — In *corporis administratione;* infra vigesimo secundo [11]: « Accepto calice, gratias egit Deo », ut formam daret sacerdotibus. — In *spiritus commendatione;* infra vigesimo tertio: « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum; et haec dicens exspiravit », ut formam daret morientibus. Et sic omnibus est orandum.

Clarificatio Christi per triplex testimonium.

52. *Apertum est caelum* etc. Post humiliationem in susceptione Sacramenti subditur *clarificatio in exhibitione testimonii;* et ut testimonium sit firmum, ideo ostenditur esse trium personarum omni exceptione maiorum [12], id est personae Filii et Spiritus

---

[1] Psalm. 137, 6. — Sequuntur Luc. 22, 27. et Ioan. 1, 26.

[2] Vers. 30, post quem Matth. 3, 5.

[3] Vers. 14. et 15. — In S. Bernardi *Sententiis*, n. 37. haec habentur: Humilitas, alia sufficiens, alia abundans, alia superabundans. Sufficiens, subdi maiori nec praeferre se pari. Abundans, subdi pari nec praeferre se minori. Superabundans, subdi minori. Inde Dominus ad Ioannem [Matth. 3, 15.]: *Sine modo; sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Cfr. Serm. in Octava Epiphaniae, n. 4. et Serm. 42. in Cant. n. 9, ubi simile proponit de *iustitia.* Vide etiam Glossam *ordinariam* apud Lyranum in Matth. 3, 15, de qua insuper cfr. tom. V. pag. 186, nota 1.

[4] Homil. 4. (alias 5.) in Matth. (Op. imperfect. inter opera Chrysost.). Plura hac de re vide IV. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 2.

[5] Vers. 1. Cfr. Ambros., Serm. 12. de s. Epiphan. 5. (alias 17.) n. 1. — Sequitur Ioan. 1, 31. Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 1. n. 64, ubi in nota adiecta allegavimus etiam IV. Sent. d. 2. a. 2. q. 2. in fine corp. et ad 3. 4.

[6] Vers. 25. — Hieron., I. Comment. in Matth. 3, 13. seq.: Triplicem ob causam Salvator a Ioanne accepit baptismum. Primum, ut, quia homo natus erat, omnem iustitiam et humilitatem Legis impleret. Secundo, ut baptismate suo Ioannis baptisma comprobaret. Tertio, ut Iordanis aquas sanctificans, per descensionem columbae, Spiritus sancti in lavacro credentium monstraret adventum.

[7] Psalm. 36, 7. — Duo seqq. loci sunt Hebr. 5, 7. et Ioan. 11, 41. seq.

[8] Vers. 1.

[9] Vers. 16. — Subinde allegatur Luc. 6, 12. — Superius pro *orandi accedentibus ad baptisma* D *orantibus,* C F G omittunt *ad baptisma.*

[10] Vers. 41. — Sequitur Matth. 26, 39.

[11] Vers. 17, post quem allegatur Luc. 23, 46. — Superius post *In corporis* Vat. addit *Christi,* quae etiam aliquanto inferius pro *Et sic omnibus* substituit *Et in omnibus.*

[12] Cfr. supra pag. 12, nota 6. — Pro *exceptione* Vat. *acceptione.*

sancti et Patris. Adest enim *lux, columba* et *vox: lux* ad signandum personam *Filii; columba, Spiritus sancti; vox* vero est in persona *Patris aeterni.*

Ad signandum igitur *Filii personam* dicitur:

Lux significat Filium.

*Apertum est caelum,* in qua scilicet apertione fulgor magnus apparuit. Ipse enim Filius dicit de se Ioannis octavo[1]: « Ego sum lux mundi »; et Ioannis primo: « Erat lux vera »; et ad Hebraeos primo: « Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius ». Dum ergo caeli aperti dant splendorem, verificatur illud Psalmi: « Caeli enarrant gloriam Dei », id est Filii, qui est splendor. — In hoc etiam designatum est, quod virtute baptismi Christi aperitur ianua caeli ad intrandum baptizatis, secundum illud Psalmi[2]: « Notas mihi fecisti vias vitae » etc. Apparuit etiam ipse Filius in natura assumta; ad Titum tertio[3]: « Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris Dei nostri, non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos » etc. usque: « Heredes simus secundum spem vitae aeternae ». Quia enim « nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo », id est, si non sit membrum Christi, qui descendit; hoc enim non potest esse nisi per Sacramentum regenerationis: ideo in baptismo « aperti sunt caeli ». Et sicut per Adae carnalem generationem clauditur caelum, ita per regenerationem spiritualem aperitur; et sicut propter concupiscentiae ardorem « positus est flammeus gladius ad custodiam ligni vitae », sicut dicitur Genesis tertio[4]; sic per humorem gratiae mitigantis concupiscentiam in baptismo amovetur romphaea, et aperitur porta; Danielis tertio: « Angelus Domini descendit in fornacem et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem ». Et hic est Angelus, de quo Ioannis quinto: « Angelus Domini descendebat secundum tempus in piscinam, et movebatur aqua, et sanabatur unus ».

Significat etiam caeli apertionem.

Columba significat Spiritum S.

53. (Vers. 22.). Rursus ad designandam *Spiritus sancti personam* additur: *Descendit*[5] *Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum;* Ioannis primo: « Super quem videris Spiritum descendentem et manentem, hic est qui baptizat ». — Descendit autem in specie *columbae* ratione significationis, quia, sicut dicit Chrysostomus[6], « avis ista prae omnibus cultrix est maximae caritatis ». Unde apparuit Christo in *perfecto animali,* sed discipulis in *linguis*, ut significetur, quod in Christo fuit secundum omnimodam plenitudinem, in aliis per partes; unde dicitur Ioannis tertio[7]: « Non ad mensuram dat Deus spiritum ». Apparuit etiam super discipulos in *igne,* sed super Christum in *columba,* quia, sicut dicit Gregorius[8], « Christus nos per mansuetudinem venit colligere »; et ideo super ipsum apparuit in columba, sed « super discipulos in igne; quos ad consumendam rubiginem peccati contra semetipsos veniebat accendere ». — Et optime competit baptismo apparitio Spiritus sancti in *columba* propter innocentiam, quam baptismus restituit. In cuius rei signum dicitur Genesis octavo[9], quod columba post diluvium attulit ramum virentis olivae. Per illud diluvium — sicut dicit Damascenus et primae Petri tertio dicitur: « In quo paucae, id est octo animae, salvae factae sunt per aquam » etc. — intelligitur baptismus; unde per *columbam* reducentem ad arcam ramum virentis olivae intelligitur innocentia mansuetudinis cum gratia unctionis.

Quare apparuerit ut columba.

Alia ratio.

In tribus speciebus apparuit.

54. Et nota, quod Spiritus sanctus apparuit in triplici specie, scilicet in *columba* in baptismo; in *nube* in transfiguratione, infra nono[10]; in *igne* super

---

[1] Vers. 12. — Tres seqq. loci sunt Ioan. 1, 9; Hebr. 1, 3. et Ps. 18, 2.

[2] Psalm. 15, 10. — Beda, l. in Luc. 3, 21: Quid enim, nunquid ei [Iesu] tunc caelum apertum est, cuius oculi caelorum interiora cernebant? Sed virtus ibi baptismatis ostenditur, de quo quisque cum egreditur, regni caelestis ei ianua declaratur.

[3] Vers. 4-7. — Sequitur Ioan. 3, 13, post quem Vat. prosequitur: *id est, nisi sit membrum Christi, qui descendit de caelo; nec hoc fieri potest, ut sit membrum Christi, nisi per Sacramentum regenerationis* etc. Haec verba iuxta Bonelli allegavimus tom. VI. pag. 283, nota 2. — Subinde allegatur Matth. 3, 16.

[4] Vers. 24, ubi pro *ad custodiam* Vulgata *ad custodiendam viam.* — Duo seqq. loci sunt Dan. 3, 49. seq. et Ioan. 5, 4. — Beda, l. in Luc. 3, 21: Quia, dum corporis humilitate Dominus undas Iordanis subiit, Divinitatis suae potentia caeli nobis ianuas pandit; dumque caro innoxia frigentibus tingitur aquis, opposita quondam noxiis romphaea restinguitur ignea.

[5] Vulgata *Et descendit.* Sequitur Ioan. 1, 33.

[6] Homil. 4. (alias 5.) in Matth. (Op. imperfect. inter opera Chrysost.): Ideo Spiritus sanctus speciem columbae suscepit, quoniam prae omnibus animalibus haec cultrix est caritatis.

[7] Vers. 34. — Act. 2, 3: Et apparuerunt illis dispertitae *linguae* tanquam *ignis*, seditque supra singulos eorum.

[8] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 6: Noluit peccatores ferire, sed colligere. Prius voluit mansuete corripere, ut haberet quos postmodum in iudicio salvaret. In columba ergo super eum apparere debuit Spiritus, qui non veniebat, ut peccata iam per zelum percuteret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret. At contra super discipulos in igne debuit Spiritus sanctus demonstrari, ut hi qui erant simpliciter homines atque ideo peccatores, eos contra semetipsos spiritualis fervor accenderet, et peccata, quibus Deus per mansuetudinem parceret, ipsi in se per poenitentiam punirent etc. S. Bonav. allegat secundum Glossam *ordinariam* in Matth. 3, 16. — Inferius pro *quos* ponitur a Vat. *ad quos*, et post *rubiginem* eadem prosequitur: *quam in semetipsis habebant, et ut eos accenderet veniebat.*

[9] Vers. 11. — Sententia Damasceni inferius allegata habetur IV. de Fide orthod. c. 9, de qua vide S. Bonav., IV. Sent. d. 4. p. II. a. 1. q. 3. in fine. Subinde sequitur I. Petr. 3, 20. Beda, l. in Luc. 3, 22: Unde cum mundi crimina quondam in figuram baptismi diluvio purgarentur, non corvi, sed columbae ore delatus olivae ramus pacem saeculo redditam nuntiavit; mystice docens, solis eis, qui in cordis simplicitate baptizati sunt, unctionem sancti Spiritus adfuturam. — Vat. omittit *Damascenus et;* C D omittunt *ad arcam.*

[10] Vers. 35. — Subinde allegatur Act. 2, 3. De utroque signo Beda, III. in Luc. 9, 35: Et nota, sicut Domino in Iordane baptizato, sic et in monte clarificato totius Trinitatis mysterium declarari, qui gloriam illius, quam in baptismate confitemur, in resurrectione videbimus. Nec frustra Spiritus sanctus hic in *lucida nube*, illic apparet in *columba*, quia qui nunc simplici corde fidem, quam percipit, servat, tunc luce apertae visionis quod

Haec respondent tribus statibus.

discipulos, Actuum secundo. Et respondent haec tribus statibus, ut dicit expositor. *Incipientibus* enim illabitur ut *columba*, quia reddit eos gementes et meditantes; Isaiae quinquagesimo nono [1]: « Quasi columbae meditantes, gememus »; et trigesimo octavo: « Sicut pullus hirundinis, sic clamabo, meditabor ut columba ». — *Proficientibus*, ut *nubes*, quia conamine mentis facit eos sursum ascendere de virtute in virtutem, usquequo elevet ad caelum, ut videatur Deus deorum in Sion; Psalmus [2]: « Ibunt de virtute in virtutem, videbitur » etc. — *Perfectis* in *igne*, quia illos inflammat, ut sursum tendant per desiderium; et etiam ad proximos per beneficium; infra duodecimo: [3] « Ignem veni mittere in terram ». In cuius rei signum dicitur quarti Regum secundo, quod « Elias ascendit in caelum in curru igneo »; de quo igne Threnorum primo: « De excelso misit ignem in ossibus meis et erudivit me ».

Vox significat Patrem.

55. Postremo ad signandam *personam Patris* subditur: *Vox* [4] *de caelo facta est.* Et tunc verificatum est illud Psalmi: « Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit »; et illud Deuteronomii quarto: « De caelo te fecit audire vocem suam ». Et quod haec vox esset in persona Patris, ostenditur, cum adiungitur: *Tu es Filius meus*, scilicet unigenitus, ab aeterno genitus; Psalmus [5]: « Dominus dixit ad me: Filius meus es tu ». Et in hoc perhibuit ei Pater testimonium; Ioannis octavo: « Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me qui misit me Pater »; unde primae Ioannis quinto: « Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est, quod testificatus est de Filio suo ». *Tu* ergo hic *discretive* accipitur, quia nullus alius; unde *Unigenitus* dicitur Ioannis primo [6]: « Deum nemo vidit unquam nisi Unigenitus, qui est in sinu Patris », quia, secundum illud Psalmi, « ante luciferum genui te ». Et quia istum summe diligit, ideo additur: *dilectus*, per quem etiam alii odiosi diliguntur; ad Ephesios primo [7]: « Gratificavit nos in dilecto Filio suo »; et iterum ad Colossenses primo: « Transtulit in regnum Filii dilectionis suae ». Et ad maiorem expressionem additur: *In te complacuit* [8] *mihi*, omne scilicet, quod placet; et hoc propter perfectissimum nexum amoris, qui est inter Patrem et Filium; Proverbiorum tertio: « Quasi pater in filio complacet sibi »; et ad Colossenses primo: « In ipso complacuit inhabitare omnem plenitudinem, pacificans per sanguinem suum quae in caelis et quae in terris sunt »; et ideo dicitur Ioannis octavo: « Qui misit me mecum est, et non reliquit me solum, quia quae placita sunt ei facio semper ».

Notandum.

Triplex ergo fuit testimonium.

56. Sic ergo perhibitum est testimonium Christo in *voce* a Patre, a Spiritu sancto in *columba*, a Filio in *luce;* et sic firmum est testimonium, quia [9] « in ore trium testium stare debet omne verbum ». Et sic verificatum est illud primae Ioannis quinto: « Tres sunt, qui testimonium dant in caelo: Pater, Verbum et Spiritus sanctus ». — Et nota, quod Matthaei tertio [10] dicitur de hac voce: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui »; sed Marci primo: « Tu es Filius meus dilectus, in te complacui »; Lucae, hic: *Tu es Filius meus dilectus, in te complacuit mihi.* In his autem non est contrarietas, quia non sonum verborum, sed sententiam exprimunt, sicut dicit Augustinus in libro de Concordia Evangelistarum [11]. Ideo autem fit differenter, quia vox ista Patris est significativa, quod Christus sit Verbum Patris simillimum et expressivum, et ideo placitissimum [12]. Et quoniam Pater dicit se Verbo in se, dicit et nobis, per quod se aliis declarat, dicit etiam omnia Verbo, quaecumque dicit [13]; et hoc perfectissimum est; et hoc non poterat simplici verbo Evangelista exprimere, licet illa vox caelestis totum hoc insinuaret: ideo Evangelistae expresserunt diversimode, ita quod Matthaeus insinuat complacentiam Patris respectu Verbi, in quantum dicit *se in se;* et ideo dicit: « In quo *mihi* complacui »; Marcus respectu Verbi, in quantum Pater *Verbo* se dicit et complacet *aliis*, et ideo dicit: « In te complacui »; Lucas respectu Verbi, in quantum Pater Verbo *omnia* dicit; et ideo addit: *In te complacuit mihi*, generaliter scilicet, quidquid placet [14].

Quare Evangelistae utantur diversis verbis.

---

crediderat contemplabitur ipsaque, qua illustrabitur, in perpetuum gratia protegetur. — Inferius Vat. omittit *ut dicit expositor*. Quis sit hic *expositor*, nescimus.

[1] Vers. 11, post quem 38, 14.

[2] Psalm. 83, 8.

[3] Vers. 49. — Sequuntur IV. Reg. 2, 11. (cfr. Eccli. 48, 9; I. Machab. 2, 58.) et Thren. 1, 13.

[4] Vulgata *Et vox.* — Duo seqq. loci sunt Ps. 28, 3. et Deut. 4, 36.

[5] Psalm. 2, 7. — Subinde allegantur Ioan. 8, 18. et I. Ioan. 5, 9.

[6] Vers. 18. — Sequitur Ps. 109, 3. — De voce *discretive* cfr. tom. VI. pag. 344, nota 15.

[7] Vers. 6, post quem Col. 1, 13.

[8] Ita etiam August. (loc. inferius allegato), Card. Hugo, B. Albert., Lyranus (in marg.); Vulgata *complacui.* — Tres seqq. loci sunt Prov. 3, 12; Col. 1, 19. seq., et Ioan. 8, 29.

[9] Ut dicitur Deut. 19, 15. et Matth. 18, 16. — Subinde allegatur I. Ioan. 5, 7.

[10] Vers. 17. — Sequitur Marc. 1, 11.

[11] Libr. II. c. 14. n. 31: De verbis vocis, quae de caelo facta est, variant locutionem, salva tamen sententia... Iam vero quod alius dicit: *In quo mihi complacui;* alius: *In te complacui;* alius: *In te complacuit mihi;* si quaeris, quid horum in illa voce sonuerit, quodlibet accipe, dummodo intelligas, eos qui non eandem locutionem retulerunt, eandem retulisse sententiam. Quae diversitas locutionum ad hoc etiam utilis est, ne uno modo dictum minus intelligatur et aliter quam res se habet interpretetur.

[12] Vat. *placidissimum.*

[13] August., XI. Confess. c. 7. n. 9: Verbo tibi coaeterno simul et sempiterne dicis omnia, quae dicis etc. Cfr. I. Sent. d. 27. p. II. q. 1. seqq., ubi de diversa acceptione Verbi. — Superius pro *dicit et nobis* Vat. *et in nobis.*

[14] August., II. de Consensu Evangelist. c. 14. n. 31: Quod enim dictum est: *In quo mihi complacui*, si velit quis ita intelligere, ut Deus in Filio sibi placuisse videatur, admonetur ex eo quod dictum est: *In te complacui.* Si rursus ex hoc

**Secundo, de genealogia temporali tria.**

57. (Vers. 23.). *Et ipse Iesus erat* etc. Post regenerationem sacramentalem, in qua etiam declaravit generationem aeternalem, subiungit hic *genealogiam temporalem,* circa quam tria introducuntur consideranda. Primum est *tempus procedentis* ad excludendum intellectum phantasticum. Secundum est *modus procedendi* ad excludendum intellectum carnalem. Tertium est *processionis gradus* sive progressus ad fortificandum intellectum fidelem.

Divisio.

Primo igitur insinuat *tempus aetatis,* ut illi convincantur, qui credunt, Christum verum hominem non fuisse; propter quod dicit: *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta,* incipiens scilicet aliis se manifestare et praedicare. *Quasi* dictum est, quia secundum quosdam erat viginti novem annorum et tredecim dies; secundum alios habebat triginta annos et tredecim dies ultra [1]. In quo etiam praebuit exemplum, ut nullus debeat docere ante aetatem adultam, quantamcumque habeat sapientiam; unde Ecclesiastici vigesimo [2]: « Homo sapiens tacebit usque ad tempus ». Et ideo dicitur Ecclesiastici trigesimo secundo: « Adolescens loquere in tua causa vix ». Unde filii Gerson non nisi a triginta annis usque ad quinquaginta numerabantur ad portanda onera tabernaculi, Numerorum quarto. Licet autem ita sit de lege communi, tamen aliquando aliter fit de privilegio speciali, sicut dicitur Ieremiae primo [3]: « Noli dicere, quia puer ego sum »; et Danielis penultimo, de quo dicitur, quod « suscitavit Deus spiritum pueri iunioris ». Ideo dicitur Sapientiae decimo, quod « sapientia aperuit os mutorum et linguas infantium fecit disertas »; et in Psalmo: « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem ». Attamen privilegia paucorum non sunt trahenda ad consequentiam [4], sed nec divinae operationi et gratiae est lex imponenda, quia, sicut dicitur Sapientiae quarto, « cani sunt sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculata »; et iterum: « Consummatus in brevi explevit tempora multa ».

Membrum primum.

58. Deinde describit *modum processionis,* cum dicit: *Ut putabatur filius Ioseph;* in quo ostendit, quod secundum generationem temporalem non habebat patrem verum, sed putativum, quia de Virgine natus. Ioseph namque putabant homines eius patrem, secundum quod dicitur infra quarto [5]: « Nonne hic est filius Ioseph »?

Secundum.

Sed ex hoc videtur, quod genealogia sequens nihil faciat ad Christum secundum veritatem. — Ad quod respondet Beda [6] secundum Hieronymum, quod non est consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur; deinde et Ioseph et Mariam ex eadem tribu dicit esse generatos, unde ex Lege tenebatur eam accipere ut propinquus. Cuius etiam signum est, quod simul in Bethlehem censentur, sicut habetur supra secundo [7]. Et ideo generationis series in uno pertinet ad alium. — Ex hoc apparet, quod ita parum in Scriptura de Maria fit sermo. Si enim de ipsa non fiat sermo in Christi genealogia propter servandum morem Scripturarum, cum tamen videatur quasi necessarium; multo minus fieri debet circa proprios actus. — Non fit autem sermo de mulieribus in ordine genealogiarum tum propter defectum a parte *naturae,* quia « femina est vir occasionatus [8] ». tum propter defectum ex parte *significantiae,* quia non Christum, sed Ecclesiam significat, non superiorem portionem rationis, sed inferiorem, primae ad Corinthios undecimo [9]; tum propter defectum ex parte *officii,* quia nec docere nec praesidere eis

Quaestio solvitur.

Notandum de Maria.

Rationes sex, quare mulieres non referantur.

---

uno intelligat quisque, in Filio Patrem placuisse hominibus, admonetur ex eo quod dictum est: *In te complacuit mihi.* Ex quo satis apparet, quilibet Evangelistarum caelestis vocis etiam verba tenuerit, alios ad eandem sententiam familiarius explicandam verba variasse, ut intelligatur, hoc dictum esse ab omnibus, tanquam diceretur: In te placitum meum constitui, hoc est, per te gerere quod mihi placet.

[1] Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evang. c. 33: *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta,* id est tricesimum annum inceperat, tredecim tantum diebus eiusdem anni peractis. Et secundum hoc vixit Iesus tantum triginta duobus annis et dimidio; quia eadem die, revoluto anno, convertit aquam in vinum, et sequenti Pascha, id est in Pascha tricesimi primi anni, incarceratus est Ioannes et in Pascha sequenti, id est tricesimi secundi anni, decollatus est, et in tertio Paschate, id est tricesimi tertii anni, passus est Dominus, et ita vixit Dominus triginta duobus annis integris et de trigesimo tertio quantum fluxit temporis a Natali usque ad Pascha, quod pro dimidio anno computatur. Chrysostomus tamen dixit, eum iam complevisse tricesimum annum, in homilia decima in Matthaeum, sic dicens: Post triginta annos venit Iesus ad baptisma... Et secundum hanc opinionem vixit triginta tribus annis integris et tantum de trigesimo quarto, quantum est a Natali usque ad Pascha ».

[2] Vers. 7, post quem 32, 10. et Num. 4, 22. seqq. (cfr. v. 47.).

[3] Vers. 7. — Tres seqq. loci sunt Dan. 13, 45; Sap. 10, 21. et Ps. 8, 3.

[4] Regulae iuris, regula 28. in VI. Quae a iure communi exorbitant nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. Ibid. reg. 74: Quod alicui gratiose conceditur trahi non debet ab aliis in exemplum. — Sequitur Sap. 4, 8. et 13.

[5] Vers. 22. — Superius post *natus* in D manus secunda addidit *virtute sancti Spiritus.*

[6] Libr. I. in Luc. 3, 23. Hieron., I. Comment. in Matth. 1, 18. In prima ratione pro *taxetur* cum Hieron. et Beda substituimus *texatur;* in secunda ratione tam Hieron. quam Beda (quos sequitur Vat.) pro *ut propinquus* substituunt *ut propinquam.*

[7] Vers. 4. seq.

[8] Ut insinuat Aristot., II. (alias XVI.) de Generat. animal. c. 3. et IV. c. 6. Cfr. tom. II. pag. 485, nota 5. — Inferius pro *significantiae* C *figurae.*

[9] Vers. 3. seqq., ubi docetur, virum, cuius caput est Christus, esse caput mulieris; mulierem velato capite debere orare, ipsam esse ex viro et propter virum etc. Cfr. II. Sent. dist. Magistri, d. XXIV. c. 7. seqq., ubi verba Apostoli applicantur ad distinctionem rationis superioris et inferioris. — Eph. 5, 23. seqq., ubi insinuatur, mulierem non Christum, sed Ecclesiam significare: « Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae » etc.

competit [1]; tum propter defectum ex parte *remedii,* quia ei competit non remediare, sed remediari; tum propter defectum *principii,* quia « non vir de muliere est, sed mulier de viro [2] »; tum propter *memoriam primi peccati;* primae ad Timotheum secundo: « Adam non est seductus, sed mulier ». Et hac ratione non fit decursus per mulieres — unde nec est mos in Scripturis, ut sit mentio magna de Maria — et quia Evangelia inceperunt a praecursore, Lucae primo [3] et Marci primo: « Initium Evangelii Iesu Christi » etc., et etiam propter praedictas rationes. Notandum. Scriptum tamen in veteri testamento fuit, quod esse poterat figura Virginis in aliquibus mulieribus, quae Mariae et Ecclesiae figuram gesserunt [4].

59. Tertio adiungit *gradus processionum,* cum Tertium. addit: *Qui fuit Heli* etc. — Sed huic videtur contra-Quaestio. riari illud Matthaei primo [5], ubi dicitur, quod « Iacob genuit Ioseph », qui descendit per Salomonem. Si ergo impossibile est, quod aliquis simul a duobus generetur, aut ista genealogia, aut illa Matthaei est omnino erronea.

Ad cuius rei evidentiam est notandum, quod Resp. Mathat, qui descendit a David per Nathan, et Mathan, qui descendit a David per Salomonem, habuerunt successive unam uxorem, ex qua Mathan genuit Iacob, et Mathat genuit Heli. Et ita Heli et Iacob fuerunt duo fratres uterini. Heli autem, accepta uxore, mortuus est sine liberis, et ideo secundum Legem Iacob frater eius illam accepit, ut suscitaret semen fratris sui, et ex illa « genuit Ioseph, virum Mariae [6] ». Ioseph ergo secundum carnem fuit filius Iacob, qui descendit per Salomonem; sed secundum Legem fuit Heli, qui descendit per Nathan. Et quoniam ad perfecte scribendam genealogiam Salvatoris oportuit, eam scribi et secundum Legem et secundum naturam; ideo Spiritus sanctus hoc fecit per duos Evangelistas, ita quod per Matthaeum carnalem et per Lucam legalem.

60. Hoc autem non est factum sine causa ratio- Ratio notanda. nabili. Matthaeus namque prosequitur Christi *regnum et humanitatem,* secundum quod successit David, et ideo agit de descensu eius ad nostrae carnis susceptionem. Et quia haec fuit primo promissa ipsi Abrahae [7] et repromissa ipsi David, ideo incipit genealogiam Salvatoris ab Abraham descendendo per David et Salomonem, qui successit ei in regno. — Hinc Corollarium est etiam, quod descendendo solum *quadraginta* in- Generatione secundum termedias generationes ponit; quia per illum nume- Matthaeum. rum universitas temporis designatur, secundum quod dicit Augustinus in libro de Concordia Evangelistarum [8]; generatur enim, si denarius ducatur per quaternarium. Vel secundum alium modum computandi *quadraginta duas,* secundum quadraginta duas mansiones filiorum Israel, Numerorum trigesimo tertio [9];

---

[1] Cfr. I. Cor. 14, 34. seq.: Mulieres in ecclesiis taceant etc.

[2] Epist. I. Cor. 11, 8. — Sequitur I. Tim. 2, 14.

[3] Vers. 5. seqq. et Marc. 1, 1. seqq. — Superius Vat. omittit *unde* et subinde pro *ut sit* substituit *nec fit.*

[4] De mulieribus, quae figuram gesserunt Mariae, cfr. supra c. I. n. 70. In fine (ubi de Esther) et n. 79. (ubi de Iahel, Ruth, Abigail, Iudith). Beda, I. in Matth. 1, 3, docet, Thamar, Rahab et Ruth significare Ecclesiam.

[5] Vers. 16.

[6] Matth. 1, 16. Cfr. Beda, I. in Luc. 3, 23. seqq., qui pro hoc affert verba Africani. Vide etiam Hieron., I. Comment. in Matth. 1, 16, ubi dicit: Super hoc et Africanus temporum scriptor et Eusebius Caesariensis in libris διαφωνίας εὐαγγελίων plenius disputarunt. — Inferius vocibus *per Nathan* D praefigit *a David.*

[7] Cfr. Gen. 12, 3; 18, 18. et 22, 18. De repromissione facta David cfr. II. Reg. 7, 12. seqq.

[8] Libr. II. c. 4. n. 8: Acute quippe animadversum est, Matthaeum, qui *regiam* in Christo instituerat insinuare personam, excepto ipso Christo, quadraginta homines in generationum serie nominasse. Numerus autem iste illud tempus significat, quo in hoc saeculo et in hac terra *regi* nos oportet a Christo secundum disciplinam laboriosam, qua *flagellat* Deus; ut scriptum est [Hebr. 12, 6.], *omnem filium, quem recipit,* de qua dicit Apostolus [Act. 14, 21.], per tribulationem oportere nos intrare in regnum Dei etc. Ibid. n. 9. ostendit, hunc numerum significare: 1.° *laboriosum tempus* vitae praesentis ex eo, quod Moyses, Elias et Christus quadragenis diebus ieiunaverunt; 2.° *ipsam temporalem vitam* terrenamque, quia « et tempora annorum quadripartitis vicibus currunt, et mundus ipse quatuor partibus [Oriente, Occidente etc.] terminatur... Quadraginta autem quater habent *decem.* Porro ipsa *decem* ab uno usque ad quatuor progrediente numero consummantur ».

[9] Vers. 1. seqq. Cfr. Origen., Homil. 27. in Num. n. 3. et Hieron., Epist. 78. (alias 127.) n. 2, ubi notatur has 42 generationes correspondere 42 mansionibus Hebraeorum in deserto. — Hic modus computandi fundatur in Matth. 1, 17, ubi tres distinguuntur generationum articuli, quorum quilibet continet quatuordecim generationes (tessaradecadem), scil. ab Abraham usque ad David, a David usque ad transmigrationem Babylonis (ad Iechoniam) et a transmigratione Babylonis (a Iechonia) usque ad Christum. Quibus relatis, August., II. de Consensu Evangelist. c. 4. n. 10, addit: « Non tamen eas duxit [Matthaeus] in summam, ut diceret: Fiunt omnes quadraginta duae. Unus quippe in illis progeneratoribus bis numeratur, id est Iechonias, a quo facta est quaedam in extraneas gentes deflexio, quando in Babyloniam transmigratum est. Ubi autem ordo a rectitudine flectitur atque, ut eat in diversum, tanquam angulum facit; illud quod in angulo est, bis numeratur, in fine scilicet prioris ordinis et in capite ipsius deflexionis. Et hoc ipsum iam praefigurabat, Christum a circumcisione ad praeputium [Eph. 2, 11.] tanquam a Ierusalem ad Babyloniam quodam modo migraturum et hinc atque hinc utrisque in se credentibus tanquam lapidem angularem futurum [Ps. 117, 22; Isai. 28, 16; Matth. 21, 42; Act. 4, 11. et I. Petr. 2, 6. seqq.] ». Subinde adiungit: « Sic ergo iam non quadraginta duae, quod faciunt ter quatuordecim, sed propter unum bis numeratum *quadraginta una* generationes fiunt, si et ipsum Christum annumeremus, qui huic regendae vitae nostrae temporali atque terrenae, tanquam numero quadragenario regaliter praesidet ». — Pro complendo numero generationum *quadraginta duarum* Hilarius, Comment. in Matth. c. 1. n. 2, recurrit ad *duplicem* generationem Christi, aeternam scil. et temporalem. — Ambros., III. in Luc. n. 46; Hieron., Comment. in Dan. 1, 1. et I. Comment. in Matth. 1, 12. seqq., censent, duos fuisse Iechonias, scilicet patrem, qui Ioakim apud Hebraeos nominatur, et in quo secunda tessaradecas desinit, et filium, qui Hebraice dicitur Ioachin, a quo tertia tessaradecas initium sumit. Denum notandum, quod in prima tessaradecade generatio Abrahae ut nota praesupponitur.

ita quod Iechonias bis computetur, ad designandum lapidem angularem Christum. Et generatur hic numerus ex senario ducto per septenarium, in quo designatur praesentis temporis status. Et quia Christi generatio secundum *carnem* est initium Evangelii, ideo ponitur in principio libri [1]. — Lucas autem prosequitur *sacerdotium* Christi, per quod in adoptionem filiorum reconciliamur a statu peccati, quod quidem fit per sacramentalem regenerationem; ideo prosequitur filiationem Christi adoptivam vel legalem, ascendendo usque ad Deum; et hoc per septuaginta septem gradus, quia per illum numerum, ut dicit Augustinus [2], peccatorum universitas designatur; generatur enim per undenarium ductum per septenarium. Ideo etiam genealogiam istam non in principio libri, sed post baptismum Christi ponit. Quoniam igitur « finis imponit necessitatem his quae sunt ad finem [3] »; et Lucas principalis intentionis oculum dirigebat ad Christi sacerdotium, Matthaeus vero ad Christi regnum: hinc est, quod Christi genealogiam aliter atque aliter sunt prosecuti; non modo contrario nec casu fortuito, sed varietate quadam consona et articulari.[4] descripserunt, dirigente eos Spiritu sancto.

Item, sec. Lucam.

Notandum.

61. Ex his apparet causa [5] septiformis differentiae inter Lucam et Matthaeum, scilicet in *personis*, quia ponunt duplicem modum paternitatis, secundum *naturam* et *Legem;* primum Matthaeus, secundum Lucas; primo modo per Salomonem, secundo per Nathan. — In *progressu*, quia Matthaeus descendendo, Lucas ascendendo, et hoc, quia *natura* est principium propagandi, sed *gratia* reducendi. — In *modo*, quia Matthaeus dicit *genuit*, Lucas *qui fuit;* quia ille generationem naturalem, hic denominationem [6] legalem. — In *tempore*, quia Matthaeus ab exordio, Lucas ab anno trigesimo, quia ille exordium nascendi, hic reconciliandi. — In *situ*, quia Matthaeus a principio, Lucas a baptismo, quia ille generationem, iste regenerationem principaliter attendit. — In *statu*, quia Matthaeus usque ad Abraham, Lucas usque ad Deum, quia ille naturam, et iste gratiam, quae filios sanctificat. — In *numero*, quia Matthaeus in quadraginta [7] duabus generationibus et quadraginta personis, una bis computata, ad designandum universitatem peregrinationis, ad quam descendit: Lucas septuaginta septem, per numerum transgressionis, quam Christus per baptismum expiavit.

Differentiae septem inter utrumque.

62. *Spiritualiter* notandum, quod omnia nomina, quae exprimuntur in genealogia Salvatoris, aliquod mysticum important, quod valeat ad salutem. Propter vitandum tamen fastidium et curiositatem attendenda sunt loca dumtaxat [8] insignia et principalia in his gradibus designata, scilicet primus, septimus, decimus, decimus septimus, septuagesimus, septuagesimus sextus — et ultimus. Et ita septem loca insignia, ita quod in primo est nostrae salutis initium, in ultimo complementum, in intermediis profectus incrementum.

Mystica nominum explicatio.

63. Primo loco ponitur *Iesus*, qui interpretatur salvator, quia salvat et liberat a servitute peccati; Matthaei primo [9]: « Et vocabis nomen eius Iesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum ». Et hoc est initium nostrae salutis, a malo recedere; Psalmus: « Quis est homo, qui vult vitam et diligit dies videre bonos »? « Diverte a malo » etc. — Septimo loco *Ianne*, qui interpretatur dextera, quia, peccato remisso, transferimur de

De primo gradu.

De septimo.

---

[1] Scilicet Evangelii Matth. (1, 1.). — Inferius pro *a statu peccati* C *a reatu peccati.*

[2] Libr. II. de Consensu Evangelist. c. 4. n. 12. seq., ubi hanc affert rationem: Nec frustra iste numerus ad peccatorum omnium pertinet mundationem, si diligentius inquiratur. Denarius quippe tanquam iustitiae numerus in decem praeceptis Legis ostenditur. Porro peccatum est Legis transgressio; et utique transgressio denarii numeri congruenter undenario figuratur, unde et vela cilicina iubentur in tabernaculo undecim fieri [Exod. 26, 7.]; quis autem dubitet ad peccati significationem cilicium pertinere? Ac per hoc, quia universum tempus septenario dierum numero volvitur, convenienter undenario septies multiplicato ad numerum septuagesimum et septimum cuncta peccata perveniunt. In quo numero etiam fit plena remissio peccatorum, expiante nos carne Sacerdotis nostri, a quo nunc iste numerus incipit, et reconciliante nos Deo, ad quem nunc iste numerus pervenit per Spiritum sanctum, qui in columbae specie in hoc baptismo, ubi numerus iste commemoretur, apparuit [Luc. 3, 22.]. Cfr. II. Qq. Evangeliorum, q. 6.

[3] Secundum Aristot., II. Phys. text. 88. (c. 9.).

[4] Id est *distincta;* D a secunda manu *artificiali*, Vat. *articulata.*

[5] Cod. C *quae sit causa*, D *causa differentiae, quae est septiformis inter* etc. Inferius pro *in personis, quia ponunt* Vat. *in personis per quas, propter.* — De his differentiis cfr. Glossa *ordinaria* in Matth. 1, 2. et Luc. 3, 26. seqq.

[6] Vat. *derivationem.* Paulo inferius post *ab exordio* in D secunda manus addidit *aetatis,* et subinde pro *a baptismo* C D F *in baptismo.*

[7] Vat. perperam *septuaginta.* Inferius post *quam* [nonnulli codd. *quem*] *Christus per baptismum expiavit* D addit: *vel quia quos ponit Matthaeus longiori vixerunt tempore, quos ponit Lucas breviori vixerunt.* Cfr. Beda, I. in Luc. 3, 31. seq.: « Nec mireris, si Lucas a David usque ad Christum plures successiones, Matthaeus pauciores, hoc est iste quadraginta tres, ille viginti octo posuit, cum per alias personas generationem fatearis esse decursam. Potest enim fieri, ut alii longaevam transegerint vitam, alterius vero generationis viri immatura aetate decesserint, cum videamus, complures senes cum suis nepotibus vivere, alios vero viros statim filiis obire susceptis ». Idem insinuat Ambros., III. in Luc. n. 14. et 45.

[8] Codd. C D F G omittunt *dumtaxat*, post quod Vat. prosequitur *insigniora et principaliora in his* etc. Subinde pro *septuagesimus sextus*, quod hic a pluribus codd. omittitur, D *septuagesimus septimus*, cui lectioni inferius alii codd. consentiunt. Sed quia infra ultimo loco ponitur *Deus*, et non numerentur nisi 77; haec lectio probari nequit.

[9] Vers. 21. — Sequitur Ps. 33, 13. et 15. Cfr. I. Petr. 3, 10. seq.: Qui enim vult vitam diligere et dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo... Declinet a malo etc. Hieron., I. Comment. in Matth. 1, 21: *Iesus* Hebraico sermone salvator dicitur. Etymologiam ergo nominis eius Evangelista signavit dicens: *Vocabis nomen eius Iesum*, quia *ipse salvum faciet populum suum.*

sinistra ad dexteram; ad Colossenses primo [1]: « Eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit nos in regnum filii dilectionis », id est de sinistra ad dexteram; Matthaei vigesimo quinto: « Statuet agnos a dextris suis, haedos vero a sinistris ». — Decimo loco *Amos*, qui interpretatur onerans, quia, translati ad gratiam, invitamur ad onera legis portanda; Matthaei undecimo [2]: « Venite ad me omnes » etc. « Tollite iugum meum super vos » etc.; de quo iugo et onere dicitur Threnorum tertio: « Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua ». — Decimo septimo loco *Ioseph*, qui interpretatur augmentum, quia servando et portando onus legis augmentamur in gratia; ad Ephesios quarto [3]: « Veritatem facientes in caritate, crescamus in illo » etc.; ad Colossenses primo: « Ambuletis digne Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes ». — Septuagesimo loco *Henoch*, qui interpretatur dedicatio, quia proficiendo in merito et caritate pervenimus ad mentis quietem, in qua habitat Deus sicut in templo dedicato; Ioannis decimo quarto [4]: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus ». Et hic sursum fertur in caelum per contemplationem sicut Henoch, de quo Genesis quinto [5]: « Ambulavit cum Deo et non apparuit, quia tulit eum Deus »; et Sapientiae quarto: « Placens Deo » etc. — Septuagesimo sexto [6] loco *Adam*, qui interpretatur homo, quia perfectio quietis et contemplationis reformat in nobis imaginem Dei, ad quam factus est homo; Genesis primo [7]: « Faciamus hominem ad imaginem » etc. Hanc reformat contemplatio; secundae ad Corinthios tertio: « Nos autem revelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem »; et postmodum: « Licet is qui de foris est, noster homo corrumpatur » etc. — Postremo loco subiungitur *Deus*, ad quem tendimus, in quo est quies et finis omnium laborum; Ioannis decimo septimo [8]: « Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te Deum verum, et quem misisti Iesum Christum » etc.; et primae ad Corinthios decimo quinto: « Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem »; et post: « Ut sit Deus omnia in omnibus ». Nunc enim est verum illud quod dicitur primae ad Corinthios undecimo [9]: « Omnis viri caput est Christus, caput vero mulieris, vir, caput vero Christi, Deus »; nunc verum est illud aliud, quod dicitur primae ad Corinthios tertio: « Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei ». « Quoniam ergo ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia; ipsi Deo aeterno et vivo omnis honor et gloria in saecula saeculorum. Amen ».

De decimo. De decimo septimo. De septuagesimo. De septuagesimo sexto. De ultimo.

## Capitulum IV.

### Pars II. De praedicationis magisterio agitur dupliciter.

1. *Iesus autem plenus Spiritu sancto* etc. Supra [10] determinavit Evangelista de incarnationis mysterio sive de Christi nativitate; in hac parte agit de *praedicationis magisterio* sive doctrina. Et quoniam duplex est opus sapientis, scilicet docendo, « non mentiri de quibus novit et mentientem manifestare [11] », ideo pars ista habet duas. In prima *explicat veritatem*, in secunda *confutat falsitatem*, infra undecimo: *Erat Iesus eiiciens daemonium* etc.

### *Primo explicatur veritas doctrinae quadrupliciter.*

Prima pars, in qua explicat veritatem doctrinae, habet quatuor: in quarum prima fit *doctrinae Christi authenticatio;* in secunda determinatur *discipulorum vocatio*, infra quinto [12]: *Factum est, cum*

---

[1] Vers. 13. — Subinde allegatur Matth. 25, 33. — Pro *Ianne* Card. Hugo et B. Albert. habent *Iamne*. Hieron., de Nominibus Hebraic. vet. testam. de Numerorum libro: *Iamna*, mare, vel dextera eius. Ibid. de Exodo: *Iamin*, dextera. Ibid. nov. testam. Lucae: *Iannai* (Ianne), praeparatus. Glossa *interlinearis* apud Lyranum: *Qui fuit Ianne*, dexter.

[2] Vers. 28. seq., post quem Thren. 3, 27. — Hieron., de Nominibus Hebraic. nov. testam. Lucae: *Amos*, onerans, aut oneravit.

[3] Vers. 15 (pro *in illo* C D F *in gratia)*, cui subiungitur Col. 1, 10. — Hieron., de Nominibus Hebraic. vet. testam. de Gen.: *Ioseph*, augmentum.

[4] Vers. 23. — Hieron., de Nominibus Hebraic. nov. testam. Lucae: *Enoch*, dedicatio.

[5] Vers. 24, post quem Sap. 4, 10. seq.

[6] Cfr. supra pag. 87, nota 8. — Hieron., de Nominibus Hebraic. vet. testam. de Gen.: *Adam*, homo, sive terrenus, aut indigena, vel terra rubra.

[7] Vers. 26. — Sequuntur II. Cor. 3, 18. et 4, 16.

[8] Vers. 3. — Subinde allegantur I. Cor. 15, 24. et 28.

[9] Vers. 3, post quem 3, 22. seq. et Rom. 11, 36. (cfr. Rom. 16, 27. et I. Tim. 1, 17.), ubi pro *aeterno et vivo*, quod praebent C H, D *aeterno* (recens manus addidit *trino) et uni*, Vat. *trino et uni.*

[10] Cfr. supra c. 1. n. 7.

[11] Ut dicit Aristot., I. Elench. c. 2. (c. 1.): « Est autem, ut unum ad unum dicamus, in unoquoque opus sapientis non mentiri quidem ipsum de quibus novit, mentientem autem manifestare posse ». Vat. legit: *opus sapientis in docendo, scilicet non mentiri de iis quae novit et mentientem manifestare posse.* — Secunda pars incipit infra c. 11, 14: *Et erat eiiciens daemonium* etc.

[12] Vers. 1; tertia pars incipit 6, 12. et quarta 9, 1: *Convocatis autem duodecim* etc. — Superius pro *fit doctrinae Christi authenticatio* [nonulli codd. *auctorizatio*] Vat. *doctrina Christi demonstratur authentica* (simile recurrit inferius). Secundum Du Cange, Glossarium etc., *authenticare* (autenticare, auctenticare) idem est ac confirmare, corroborare, firmare;

*turbae* etc.; in tertia, *vocatorum institutio*, infra sexto: *Factum est in illis diebus* etc.; in quarta, *institutorum delegatio*, infra nono: *Et convocatis duodecim Apostolis, dedit illis* etc. Ordo et sufficientia partium per se apparet.

**Primo authenticatur doctrina Christi per tria.**

Prima igitur pars, in qua fit *doctrinae Christi authenticatio*, continet praesens capitulum et habet tres partes. Quoniam doctrina tripliciter authenticatur: aut ex *merito vitae*, aut ex *testimonio Scripturae*, aut ex *miraculo potentiae*; ideo in prima parte ostenditur auctorizatio doctrinae Christi ex *vitae merito*; in secunda, ex *Scripturae testimonio*, ibi [1]: *Regressus est Iesus in virtute Spiritus*; in tertia, ex *potentiae miraculo*, ibi: *Et descendit in Capharnaum* etc., ubi determinantur miracula.

**Authenticatur doctrina Christi ex merito vitae.**

*Meritum* autem consistit in *victoria tentationum*, quia [2] « militia est vita hominis super terram »; ideo describit Evangelista, qualiter tentationem diabolicam superavit. Ad cuius integram descriptionem tria sunt opportuna, scilicet *tentationis occasio; tentandi modus*, quem tangit ibi [3]: *Dixit autem illi diabolus;* et tertium, *consummatio tentationis*, quam ibi exprimit: *Et consummata omni tentatione* etc.

*Tria describuntur.*

Tentandi autem *motivum* sumsit diabolus ex quatuor consideratis in Christo: primum est *gratiae plenitudo*, secundum est *loci solitudo*, tertium est *suspicio Divinitatis* propter mirabilem abstinentiam, quartum *inspectio infirmitatis* propter apparentem indigentiam. Consideratio *plenitudinis gratiae* per invidiam movit diaboli voluntatem ad tentandum; consideratio *solitudinis* praestitit tentandi malignitatem; suspicio *Divinitatis* incitavit tentandi curiositatem; inspectio *necessitatis* praebuit tentandi opportunitatem.

*De tentationis occasione quatuor.*

2. (Vers. 1.). Introducit ergo *plenitudinem gratiae* in Christo, dicens: *Iesus autem, plenus Spiritu sancto, regressus est a Iordane*, non quia ibi primo impletus fuerit, sed quia tunc primo plenitudo eius apparere coepit, in alios redundando, secundum illud Ioannis primo [4]: « Et vidimus gloriam eius »; et post: « De plenitudine eius accepimus omnes ». *Plenus*, inquam, non solum sufficienter, sed etiam superabundanter; unde ad Colossenses primo: « In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare »; et secundo: « In quo omnis plenitudo Divinitatis inhabitat corporaliter ».

*Primo, plenitudo gratiae.*

3. Deinde adiungit *loci solitudinem*, quia in deserto; propter quod addit: *Et agebatur a Spiritu in desertum* — ut scilicet experiretur [5], utrum esset Deus vel Dei Filius, quia forsitan audierat illud: « Hic est Filius meus dilectus » — *a Spiritu sancto agi* est benignitatis; unde ad Romanos octavo [6]: « Quicumque Spiritu Dei aguntur, filii sunt Dei ». Hinc dicit Gregorius: « Convenienter accipitur, ut a Spiritu sancto ductus credatur, ut illuc eum suus Spiritus duceret, ubi ad tentandum malignus spiritus inveniret ». Unde *in desertum* adduxit, ubi consuevit Deus animae familiariter colloqui, secundum illud Osee secundo [7]: « Ducam eam in solitudinem et ibi loquar ad cor eius ». Et ideo in Psalmo anima sancta: « Elongavi fugiens et mansi in solitudine »; sic et David, primi Regum vigesimo tertio, « morabatur in deserto mansitque in monte solitudinis ».

*Secundo, loci solitudo.*

4. (Vers. 2.). Et determinatur tempus, scilicet *quadraginta diebus*, ut sic veritas respondeat figurae; sic Moyses, Exodi vigesimo quarto [8]; sic Elias, tertii Regum decimo nono, ut sic Christi ieiunium tam a Lege quam a Prophetis habeat testimonium. — Et ne credas, ibi Christum ad requiem declinasse, additur: *Et tentabatur a diabolo*, non interius, sed solum exterius. Sicut enim dicit Gregorius [9]:

*Quae fuit per 40 dies.*

*Qualis fuerit tentatio.*

---

*authenticus* idem valet ac auctoritate plenus vel fide dignus, cui primo credebatur ex sui dignitate; *auctorizare* idem est ac confirmare; *auctorizamentum* idem valet ac auctoritas, et *auctorizabiliter* idem est ac cum auctoritate.

[1] Vers. 14: *Et regressus* etc.; tertia pars incipit v. 31. — Superius pro *auctorizatio* Vat. *auctoritas.*

[2] Ut dicit Iob 7, 1.

[3] Vers. 3; tertium habetur v. 13.

[4] Vers. 14. et 16. — Subinde allegantur Col. 1, 19. et 2, 9.

[5] Supple: diabolus. Simili modo dicitur Matth. 4, 1: Tunc Iesus ductus est in desertum a Spiritu, *ut tentaretur a diabolo*. Cfr. Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evangelia, c. 35: « Cum vero sensit Dominum [ieiunio quadraginta dierum peracto] esurire, quod non legitur de Moyse, vel Elia; accessit, *ut tentaret*, si posset eum deiicere in peccatum, et ut exploraret, an esset Dei Filius, quia audierat vocem hanc [Matth. 3, 17.]: *Hic est Filius meus dilectus*, quem sciebat quandoque venturum, et se per eum potestatem amissurum; sed usque ad iudicium futurum non exspectabat ». Hieron., l. Comment. in Matth. 4, 6: « *Si Filius Dei es.* In omnibus tentationibus hoc agit diabolus, ut intelligat, si Filius Dei sit; sed Dominus sic responsionem temperat, ut eum relinquat ambiguum ». Idem dicit Beda, l. in Luc. 4, 9. Ibid. v. 41. ait: Quia quem dierum quadraginta ieiunio fatigatum diabolus hominem cognoverat, nec tentando valebat, an et Dei Filius esset *experiri*, iam nunc per signorum potentiam vel intellexerit, vel potius suspicatus est, esse Filium Dei. — Ex A C D addidimus *ut scilicet... dilectus.*

[6] Vers. 14. — Sententia Gregorii habetur l. Homil. in Evang. homil. 16. n. 1. — Superius pro *a Spiritu sancto* [propter abbreviationem legi potest *sancto*, vel *scilicet*] *agi est benignitatis*, quod praebet D, alii codd. *a Spiritu sancto* [Vat. *scilicet sancto*]; *agere enim benignitatis* [Vat. addit *est*]; H legit: *Et agebatur a Spiritu in desertum; agebatur, inquam, a Spiritu sancto, quo plenus erat; agere enim benignitatis est.*

[7] Vers. 14. — Sequuntur Ps. 54, 8. et I. Reg. 23, 14.

[8] Vers. 18. — Subinde allegatur III. Reg. 19, 8.

[9] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 16. n. 1. Pro *delectatio* Vat. *dulcedo*. — Sequitur Hebr. 4, 15.

« Mentem eius peccati delectatio non momordit »; ad Hebraeos quarto: « Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine, absque peccato ».

Spiritualiter exponitur de deserto poenitentiae.

5. Et nota *spiritualiter*, quod hic dicitur Christus *agi* a *Spiritu*, in Matthaei quarto[1] dicitur *duci*, in Marci primo dicitur *expelli*. In quo significatur, quod ad desertum poenitentiae venitur tripliciter, scilicet *timore severitatis*, cuius est *expellere* a malo ad bonum; Ecclesiastici primo[2]: « Timor Domini expellit peccatum » etc. *Splendore veritatis*, cuius est *ducere;* Proverbiorum quarto: « Ducam te per semitas aequitatis » etc., dicit Sapientia. *Amore bonitatis*, cuius est *agere;* ad Romanos octavo: « Quicumque Spiritu Dei aguntur » etc. Sive per *comminationes*, *admonitiones* et *promissiones*, quae tria respondent in nobis tribus viribus animae, scilicet irascibili, rationali, concupiscibili.

Tertio, abstinentia mirabilis.

6. Tertio introducit *mirabilem abstinentiam*, cum adiungit: *Et nihil manducavit in illis diebus*, scilicet quadraginta. Ex quo diabolus est suspicatus eum Deum, quia ieiunabat supra potestatem humanam, quae ultra triduum communiter non procedit; unde Matthaei decimo quinto[3] dicitur de turbis per triduum ieiunantibus: « Dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via ». — Et nota hic, quod Salvator *ieiunavit* ante tentationem et *comedit* post resurrectionem ad nostram instructionem. Unde Augustinus[4]: « Ieiunavit Christus ante mortem carnis, quasi clamans: *Abstinete vos a carnalibus desideriis*, dum estis in agone. *Comedit* post resurrectionem, quasi dicat: dum habetis corpus mortale, spe immortalitatis iam pascamini, quia, dum viam Domini carpimus, et a vanitate saeculi ieiunare et refici debemus futuri promissione », ut semper dicamus[5]: « Satiabor, cum apparuerit gloria tua ».

Notandum.

Quarto, apparens indigentia.

7. Postremo addit *apparentem indigentiam*, cum subiungit: *Et consummatis illis, esuriit.* Noluit enim amplius abstinere, ne diabolus posset percipere. Unde Ambrosius[6]: « Esurit, ne innotescat sublimis Deus; fames enim Domini pia fraus est, ne caveat tentare diabolus ». — Et nota, quod *esurivit* in tentatione, sicut hic dicitur, et *sitivit* in passione, sicut dicitur Ioannis decimo nono[7], ut ostenderet, se habere veram humanitatem, et ut invitaret ad paupertatem et poenitentiae poenalitatem; unde Apostolus secundae ad Corinthios undecimo: « In fame et siti, in frigore et nuditate, in ieiuniis multis ». Esurivit autem et sitivit non sibi, sed nobis, quibus promeruit refectionem spiritualem corporis et sanguinis sui, quibus reficimur et potamur; Ioannis sexto[8]: « Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus ».

Notandum.

De modo tentandi tria.

8. *Dixit autem illi diabolus* etc. Postquam descripsit occasionem tentationis, hic describit *modum tentandi*, et hoc secundum triplex motivum. Motivum autem ad peccatum est commutabile bonum[9], quod est in triplici differentia: aut est *inferius*, et hoc est carnis; aut *exterius*, et hoc mundi; aut *interius*, et hoc excellentia animi. Ex primo efficitur homo *voluptuosus*, ex secundo *curiosus*, ex tertio *praesumtuosus*. Primo modo infert tentator suggestionem per bonum inferius, quod est carnis, ut alliciat ad *gulam;* secundo, per bonum exterius, quod est mundi, ut alliciat ad *avaritiam*, et hoc ibi[10]: *Et duxit eum diabolus in montem;* tertio vero, per bonum interius, quod est excellentia animi, ut alliciat ad pompam sive *superbiam*, ibi: *Et duxit illum in Ierusalem* etc. Et haec tria respondent tribus, in quibus tentavit et vicit hominem primum[11]; et habent istae tentationes ordinatum processum ab inferiori ad superius: quia ex prima impetitur quantum ad actum *vegetabilis;* ex secunda quantum ad actum *sensibilis;* ex tertia vero, quantum ad actum *rationalis*. — Quantum ergo ad primam tentationem nota *diabolum suggerentem*, et deinde *Dominum respondentem.*

Triplex motivum sec. triplex bonum.

Tentatio prima describitur.

---

[1] Vers. 1: Tunc Iesus ductus est etc.; Marc. 1, 12: Et statim Spiritus expulit eum in desertum.

[2] Vers. 27. — Duo seqq. loci sunt Prov. 4, 11. et Rom. 8, 14.

[3] Vers. 32.

[4] Serm. 263. (alias de Tempore 174. et de Diversis 90.) n. 4. Verba Augustini afferuntur secundum Glossam *ordinariam* apud Lyranum in Luc. 4, 2. (cfr. Strab. in Matth. 4, 2.), dum textus originalis hinc inde plura interserit. Pro *Ieiunavit* (ita A C) textus originalis *Ieiunans*, Vat. *Ieiunat enim;* pro *quasi clamans* (ita A C D H) Vat. *quo clamabat*, textus originalis *velut clamabat*, E cum Glossa *quasi clamet* (G *clamat).* Subinde pro *dum habetis corpus mortale* H cum Glossa *etsi nondum habetis corpus immortale*. In ipsis verbis allegatur I. Petr. 2, 11: *Obsecro vos... abstinere vos a carnalibus desideriis;* respicitur I. Cor. 9, 25: Omnis autem, qui *in agone* contendit, ab omnibus se abstinet etc., et Luc. 24, 41. seqq., ubi narratur, quod Christus manducavit post resurrectionem.

[5] Psalm. 16, 15.

[6] Libr. IV. in Luc. n. 16: Sed qui quadraginta diebus esurire non potuit ostendit, non cibum esuriisse se corporis, sed salutem; simul ut adversarium lacesseret iam timentem, qui quadraginta dierum fuerat ieiunio vulneratus. Et ideo fames Domini pia fraus est, ut in quo diabolus maiora metuens iam cavebat, famis specie lactatus tentaret ut hominem, ne impediretur triumphus. Cfr. Glossa *ordinaria* in Luc. 4, 2: Esurit ergo humilis Deus homo, ne inimico innotescat sublimis homo Deus [ita etiam A a secunda manu in marg. ex Beda, l. in Luc. 4, 2.]. Fames Domini pia fraus est, ne caveat diabolus tentare. Esurit autem non tam cibum corporis quam salutem animae. — In fine post *diabolus* Vat. addit *et impediatur triumphus.*

[7] Vers. 28. Cfr. Comment. in hunc loc. n. 46. et 57. — Sequitur II. Cor. 11, 27.

[8] Vers. 56.

[9] Peccatum enim sive malum secundum August., II. de Lib. Arb. c. 19. n. 53, est « aversio ab incommutabili bono et conversio ad mutabilia bona ». Cfr. II. Sent. d. 35. dub. 6. — De triplici differentia boni commutabilis cfr. I. Ioan. 2, 16: Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est etc. Cfr. August., Enarrat. in Ps. 8. n. 13. — Vat. legit: *Motivum enim peccatum est ad commutabile bonum* etc.

[10] Vers. 5: *Et duxit illum diabolus* etc.; tertium est v. 9.

[11] Cfr. Ambros., IV. in Luc. n. 17. et 33; Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 16. n. 2. seq. Vide etiam II. Sent. d. 22. a. 1. q. 1.

9. (Vers. 3.). *Suggerentem diabolum* introducit, cum ait: *Dixit autem ei diabolus: Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant*[1]; quod dicit, ut ipse de eo sumat experientiam et ut incitet ad gulam. Quia enim homo es esuriens, dic, ut reficiaris; non quia de refectione Christi aliquid pertineat ad eum; Proverbiorum vigesimo tertio: « Comede et bibe, dicet tibi, et mens eius non est tecum »; sed *si Filius Dei es*, hoc ipsum dicas, ut, si fiat, omnipotens cognoscaris; Ecclesiastae octavo: « Sermo illius potestate plenus est, et omne, quod voluerit, faciet ». — Unde nota dolum diaboli in tentando, quia, cum videret Christi infirmitatem et dubitaret de Divinitate, voluit Divinitatem cognoscendo cavere et humanitatem seducendo deiicere. In quo simul erat fraudulentia et superbia, secundum illud Iob quadragesimo primo[2]: « Omne sublime videt; et ipse est rex super omnes filios superbiae ».

*De diabolo suggerente.* *Notandum.*

10. (Vers. 4.). Huic autem tentationi malitiosae et superbae obviat *responsio Dei* humilis et discreta, quia celat Divinitatem et vitat carnalitatem; unde subditur: *Et respondit ad illum Iesus: Scriptum est, quia non in solo pane vivit homo;* Sapientiae decimo sexto[3]: « Non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderint, conservat ». *Sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei*[4]. Hoc scriptum est Deuteronomii octavo: « Afflixit te penuria et dedit tibi cibum manna, quod ignorabas, ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egredietur ex ore Dei »; unde Ioannis sexto: « Verba, quae ego loquor vobis, spiritus et vita sunt ». — Et nota, quod Christus se defendit per Scripturam, in quo revelat[5] suam sapientiam et occultat potentiam et conservat iustitiam; et sic diaboli suggestio omnino annullata est, quia nec de Deo sumsit experientiam nec hominem pertraxit ad gulam. Unde verificatum est illud Iob vigesimo sexto[6]: « Prudentia eius percussit superbum », videlicet diabolum. Et ex hoc apparet nobilitas Scripturae, qua Christus in tentatione velut clypeo se defendit, secundum illud Proverbiorum trigesimo: « Omnis sermo Domini ignitus clypeus est omnibus sperantibus in se »; unde et ad Ephesios sexto: « In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere, et galeam salutis assumite et gladium spiritus, quod est verbum Dei ».

*De Christo respondente.* *Notandum.*

11. (Vers. 5.). *Et duxit illum diabolus.* Hic describitur secunda tentatio, circa quam duo sunt attendenda. Primum est *diabolica suggestio*, et secundum est *dominica responsio*, quae notatur ibi[7]: *Et respondens Iesus dixit illi* etc. — Circa suggestionem diaboli nota *ductionem*, *ostensionem*, *promissionem*, *suasionem*.

*Secunda tentatio describitur.* *De diaboli suggestione quatuor.*

*Ductio* autem fit quasi impotenti, cum tamen dicatur Sapientiae duodecimo[8]: « Subest tibi, cum volueris, posse ». Unde dicit: *Et duxit illum diabolus in montem excelsum; duxit*, inquam, tanquam infirmum, non tamen involuntarium, sicut Petrum, de quo Ioannis ultimo: « Cum senueris, alius te cinget et ducet, quo tu non vis »; sed tanquam humiliter permittentem ad modum eius, de quo dicit Isaias quinquagesimo tertio: « Tanquam ovis ad occisionem ducetur, et tanquam agnus coram tondente se obmutescet » etc. Si ergo hoc sustinuit a membris diaboli, quid mirum, si patienter sustinuit a capite malorum[9]? *Et duxit in montem*, quia, cum sit superbus, semper alta petit; Isaiae decimo quarto[10]: « Super astra ascendam, sedebo in monte testamenti »; et quia in loco eminentiae de facili ruit homo; unde tertii Regum vigesimo secundo: « Vidi cunctum Israel dispersum in montibus ».

*Eius ductio.*

12. *Ostensio* fit quasi ignoranti, cum tamen « in ipso sint omnes thesauri sapientiae et scientiae », ad Colossenses secundo[11]. Unde addit: *Et ostendit ei omnia regna orbis terrae in momento temporis.* — Et nota, quod *ostendisse* dicitur *omnia regna mundi*, non singulariter, sed generaliter, ut dicit quidam[12], id est omnes partes. Vel, secundum Bedam, « ostendit omnia concupiscibilia mundi, in

*Ostensio.* *Notandum.*

---

[1] Vulgata: *Dixit autem illi diabolus: Si Filius Dei es, dic lapidi huic, ut panis fiat*. S. Bonav. allegat verba ex Matth. 4, 3. — Duo seqq. loci sunt Prov. 23, 7. et Eccle. 8, 3. seq.: Omne, quod voluerit, facit. Et sermo illius potestate plenus est. — Inferius post *dicas* Vat. addit *nempe lapidi, ut panis fiat.*

[2] Vers 25. — Beda, I. in Luc. 4, 3: Qui [diabolus] tamen prius, cum hunc [Christum] passibilem cerneret, cum posse mortalia perpeti humanitatis videret, omne, quod de eius Divinitate suspicatus est, ei fastu suae superbiae in dubium venit. Nihil quippe nisi superbum sapiens, dum esse hunc humilem conspicit, Deum esse dubitavit. Unde ad tentationum se argumenta convertit.

[3] Vers. 26.

[4] Vulgata: *sed in omni verbo Dei*. Cfr. Matth. 4, 4; *sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* — Sequuntur Deut. 8, 3. et Ioan. 6, 64.

[5] Vat. *celat.* Chrysost., Homil. 13. in Matth. n. 2: Quid igitur Christus? Fastum eius deprimens ostendensque, nec probrosum id esse, quod acciderat, nec sapientia sua indignum, quod ille adulando tacuerat, hoc in medium profert ac dicit: *Non in solo pane vivet homo.* Cfr. Ambros., IV. in Luc. n. 20.

[6] Vers. 12. — Duo seqq. loci sunt Prov. 30, 5. et Eph. 6, 16. seq.

[7] Vers. 8.

[8] Vers. 18. — Sequuntur Ioan. 21, 18. et Isai. 53, 7.

[9] Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 16. n. 1: Sed ecce, cum dicitur Deus homo vel in excelsum montem, vel in sanctam civitatem a diabolo assumtus, mens refugit, humanae hoc audire aures expavescunt. Qui tamen non esse incredibilia ista cognoscimus, si in illo et alia facta pensamus. Certe iniquorum omnium caput diabolus est, et huius capitis membra sunt omnes iniqui. An non diaboli membrum fuit Pilatus?... Quid ergo mirum, si se ab illo permisit in montem duci, qui se pertulit etiam a membris illius crucifigi? — Pro *Si ergo hoc* A *Si ergo mortem.*

[10] Vers. 13. — Subinde allegatur III. Reg. 22, 17.

[11] Vers. 3. — Deinde pro *ostendit ei* Vulgata *ostendit illi.*

[12] Glossa *ordinaria* (secundum Chrysost., Homil. 5. alias 6. in Matth. op. imperfect.) in Matth. 4, 8: « *Omnia regna,*

quibus homines regnant », unde signanter dicitur Matthaei quarto: « Ostendit illi omnia regna mundi et gloriam eorum ». « *Ostendit* autem, non quod visum ei ampliaret, sed, sicut dicit Beda [1], vanitatem humanae pompae, quam amabat, quasi speciosam ostendens, facere volebat amari ». Et quia haec non durat, sed cito transit, ideo in brevi tempore ostendit; propter quod adiungit: *In momento temporis.* Unde Beda [2]: « Non tam celeritas aspectus notatur quam fragilitas caducae potestatis. In momento enim cuncta praetereunt », secundum illud Isaiae quadragesimo: « Ecce, gentes quasi stilla situlae et quasi momentum staterae reputatae sunt »; quia, Sapientiae undecimo, « quasi momentum staterae, sic est ante te orbis terrarum »; « quoniam in momento, quae erat praeclarior natio, exterminata est », sicut dicitur Sapientiae decimo octavo, et in Psalmo: « Vidi impium superexaltatum etc. Et transivi, et ecce non erat ».

Promissio.

13. (Vers. 6.). *Promissio* vero fit ei quasi indigenti, cum tamen [3] eius sit « orbis terrarum et plenitudo eius ». Propter quod additur: *Et ait illi: Tibi dabo potestatem hanc universam et gloriam illorum* etc., ut scilicet habeas *dominium potestatis* et *praeconium laudis*, quasi aliquid magni promitteret, cum tamen potestas et gloria mundi quasi nulla sit, secundum illud Isaiae quadragesimo [4]: « Omnis caro foenum, et omnis gloria eius quasi flos agri »; et primi Machabaeorum secundo: « Gloria viri peccatoris stercus et vermis est »; et illud Osee quarto: « Gloriam eorum in ignominiam commutabo ».

Notandum circa permissionem Dei.

14. Et ut promissioni ostendat adhibendam esse fidem, adiungit: *Quia mihi tradita sunt, et cui volo, do ea* [5]; Iob nono: « Terra tradita est in manibus impii », id est terrena potestas. Hoc autem intelligitur *permissive*, non simpliciter, sed ad tempus, sicut dicitur Danielis undecimo [6]: « Faciet secundum voluntatem suam rex et magnificabitur adversus omnem deum »; « et multiplicabit gloriam et potestatem dabit in multis et dividet terram gratuito »; et Apocalypsis decimo tertio dicitur, quod « draco dedit potestatem bestiae ». Hoc autem permittit Deus iusto suo iudicio. « Ipse igitur transfert regna atque constituit », sicut dicitur Danielis secundo.

Alia expositio.

— Vel, sicut dicit Beda [7], hoc dicit *ex arrogantia,* non quod totus mundus fuisset eius, cum solus Filius dicat vere: « Omnia mihi tradita sunt a Patre », Matthaei undecimo; et rursus Matthaei ultimo: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra » etc.; sed quia ipsi omnis *inordinatio* potestatis adscribitur, ipse, ut superbus, adscribit sibi totum. Unde omnis potestatis *ordinatio* a Deo est, sicut dicitur ad Romanos decimo tertio [8]; sed *inordinatio* a diabolo, quia primae Ioannis tertio dicitur: « Qui peccat ex diabolo est ».

Notandum.

Suasio.

15. (Vers. 7.). Quarto vero fit *suasio* quasi appetenti, cum tamen ipse « det omnibus affluenter », Iacobi primo [9]. Unde dicit: *Tu ergo si procidens adoraveris coram me* etc. In qua suasione nititur inclinare ad *veram adorationem* ob *falsam promissionem;* unde illud Isaiae quinquagesimo primo: « Incurvare, ut transeamus ». Non enim potest super hominem ascendere, nisi homo ei procidat voluntarie. Honorem autem adorationis requirebat contra illud Exodi trigesimo quarto [10]: « Noli adorare deum alienum ». — Et ut pertrahat ad illicitum obsequium, promittit falsum praemium, cum addit: *Erunt tua omnia* [11]. Falsam spondet potentiam, ut ad veram pertrahat servitutem, quia, Ioannis octavo, « qui facit peccatum servus est peccati »; et qui servus est dominium sui non habet, ac per hoc non ipsi omnia, sed ipse omnibus est subiectus tanquam servus; et secundae Petri secundo: « A quo quis superatus est, huius servus est ».

Falsa spondentur.

De Christi responsione.

16. (Vers. 8.). *Et respondens Iesus dixit illi.* Hic post suggestionem diabolicam subiungit *respon-*

---

scilicet partes terrae, in quibus unumquodque regnum positum erat; sicut, si aliqui dicant super montes: Ecce, ibi Roma, non ipsam ostendendo, sed partem terrae, in qua posita est. *Omnia regna*, omnia concupiscibilia in mundo, in quibus homines regnant. Hanc secundam expositionem insinuat Beda, I. in Matth. 4, 8. (cfr. Origen., Homil. 30. in Luc.): Aliter: *ostendit ei omnia regna mundi,* id est homines huius saeculi, quorum alii propter fornicationem, alii propter avaritiam decepti, a diabolo reguntur in mundo. — Sequitur Matth. 4, 8.

[1] Libr. I. in Matth. 4, 8. Verba Bedae exhibentur secundum Glossam *ordinariam* in eundem locum: *Ostendit*, non quod visum eius qui omnia videt, ampliaverit, sed vanitatem etc.

[2] Lib. I. in Luc. 4, 5. Cfr. Ambros., IV. in Luc. n. 28. — Subinde allegantur Isai. 40, 15; Sap. 11, 23. et 18, 12; Ps. 36, 35. seq.

[3] Ut dicitur Ps. 23, 1.

[4] Vers. 6, post quem I. Machab. 2, 62. et Osee 4, 7. — Superius pro *aliquid magni* [C *magnum*] *promitteret* D *aliquid magnum praetenderet.*

[5] Vulgata *illa.* — Sequitur Iob 9, 24.

[6] Vers. 36. et 39. — Subinde allegantur Apoc. 13, 2. et Dan. 2, 21.

[7] Libr. I. in Luc. 4, 6, cuius sententia a Glossa *ordinaria* sic exhibetur: Haec de arrogantia dicit, non quod totus mundus sit suus, sunt enim aliqui boni (Beda: cum sciamus, plerosque sanctos viros a Deo reges factos). — Duo seqq. loci sunt Matth. 11, 27. et 28, 18.

[8] Vers. 1. seq.: Non enim est potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati Dei ordinationi resistit. — Sequitur I. Ioan. 3, 8.

[9] Vers. 5. — Subinde in verbis Lucae a Vulgata omittitur *procidens*, quod tamen exhibent Beda, Card. Hugo, B. Albert. et Lyranus; cfr. Matth. 4, 9: *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Sequitur Isai. 51, 23. — Superius pro *suasio* A D *persuasio.* Inferius pro *ad veram adorationem* [nonnulli codd. *deiectionem*] *ob falsam promissionem* Vat. *ad divinam adorationem ob falsam promotionem.*

[10] Vers. 14, ubi vocibus *deum alienum* codd. nostri praefigunt *omnem.*

[11] Codd.: *Erunt tibi omnia subiecta.* B. Albert. et S. Thom. (hic, Catena aurea): *Erunt tibi omnia subdita;* Card. Hugo: *Erunt tua omnia*, id est tibi subdita. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 8, 34. et II. Petr. 2, 19. — Pro *spondet potentiam* secunda manus in A substituit *spondet praesidentiam.*

Tentatio eliditur per Scripturam. *sionem dominicam*, quae per testimonium sacrae Scripturae elidit diabolicam suasionem, cum ait: *Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis.* Deum adorabis. Hoc, inquam, scriptum est Deuteronomii sexto [1]. Et merito Scripturae huius recordatur Salvator, quia, secundum illud secundae ad Timotheum tertio, «omnis Scriptura, divinitus inspirata, utilis est ad docendum, arguendum et corripiendum», et illa potissime, in qua attenditur divinus cultus. Unde et Dominus dicitur scripsisse Legem digito proprio, Exodi trigesimo secundo [2], in qua praeceptum adorationis est primum et praecipuum et maxime in mente habendum. Unde Baruch sexto: «Visa turba adorantium ante et retro, dicite in cordibus vestris: Te oportet adorari, Domine», te scilicet et non alium.

17. Et ideo additur: *Et illi soli servies,* scilicet servitute *latriae;* primi Regum septimo [3]: «Praeparate corda vestra Domino et servite illi soli». Deo soli servies. *Solus* non excludit ibi omnem personam respectu cuiuscumque servitii, cum dicatur ad Galatas quinto: «Per caritatem spiritus servite invicem»; sed excludit quantum ad servitutem *latriae*, quae est «cultus soli Deo debitus». Non aliis. — Vel excludit servitia aliis impensa non *propter* Deum, sed *contra* Deum, quasi dicat: illi soli et non *idolis;* de quo primae ad Corinthios quinto [4]: «Si quis nominatur inter vos fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, cum huiusmodi nec cibum sumere». Non idolis. Sic servitur diabolo. — Non etiam *peccato*, sed iustitiae; ad Romanos sexto [5]: «Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra» etc. Non peccato. — Non *ventri* proprio; ad Romanos decimo sexto: «Huiusmodi enim Christo Domino non serviunt, sed ventri suo». Non ventri. — Non *mundo*, quia, infra decimo sexto [6], «non potestis Deo servire et mammonae». Non mundo. — Sed *soli Deo*, ut possitis dicere cum David: «Quia ego servus tuus sum». Sed Deo.

18. (Vers. 9.). *Et duxit illum in Ierusalem* etc. Hic describitur tertia tentatio, circa quam duo sunt attendenda ut prius. Tertia tentatio describitur. Primum est *suggestio diaboli;* secundum est *responsio Christi*, ibi [7]: *Et respondens Iesus, dixit.* — Circa *persuasionem diaboli* tria attende. De diaboli suggestione tria. Nam primo *eligit congruum locum persuasionis;* secundo *exprimit suasionem praecipitationis;* tertio per auctoritatem Psalmi excutit *timorem laesionis.*

Quantum ergo ad *loci congrui electionem* dicitur: *Duxit illum in Ierusalem,* tanquam ad locum celebrem et communem. Locus congruus. *Ductus* autem fuit ex permissione, non ex imbecillitate; unde Chrysostomus [8] dicit, quod «in Christo non fuit infirmitas, sed patientia; in diabolo vero non virtus, sed superbia». Et dicit Glossa super Matthaei quarto, quod «haec visio corporeis sensibus est completa»; Chrysostomus [9] autem dicit, quod «diabolus sic eum assumebat, ut ab omnibus videretur; Christus autem, diabolo nesciente, sic agebat invisibiliter, ut a nemine videretur». Unde, ut melius videri possit, subditur: *Et statuit eum super pinnaculum* [10] *templi.* Ille erat locus altus et celebris, ubi doctores et sacerdotes consueverunt loqui ad plebem. Et secundum aliquos expositores erat summitas tecti templi, quod dicitur *tabulatum*, tertii Regum sexto [11]. De pinnaculo templi opiniones. Vel secundum alios erat quoddam deambulatorium supra portam templi, ubi ascendebatur per gradus. Secundum alios vero dicitur ibi fuisse tectum cum quadam appodiatione muri, quia in Palaestina domus habent tecta plana,

---

[1] Vers. 13: Dominum Deum tuum timebis et illi soli servies. — Sequitur II. Tim. 3, 16. — Inferius pro *attenditur* Vat. *docetur.*

[2] Vers. 15. seq., ubi dicitur, Moysen portasse duas tabulas testimonii «scriptas ex utraque parte et factas opere Dei; scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis». Cfr. ibid. 31, 18: Deditque Dominus Moysi... duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei. — Subinde allegatur Baruch 6, 5.

[3] Vers. 3. — Sequitur Gal. 5, 13. Cfr. Beda, I. in Luc. 4, 8.

[4] Vers. 11.

[5] Vers. 19; ibid. 16, 18. habetur seq. locus.

[6] Vers. 13; post quem Ps. 142, 12.

[7] Vers. 12, ubi pro *dixit* Vulgata *ait.* — Inferius pro *persuasionem* et *persuasionis* Vat. *suasionem* et *suasionis*, quae etiam subinde pro *Psalmi excutit* substituit *psalmographi excludit.* Pro *attende* D *attendenda sunt*, E *sunt notanda.*

[8] Homil. 5. (alias 6.) in Matth. (Op. imperfect. inter opera Chrysost.). Pro *sed patientia* C D G contra textum originalem *sed potentia.* — Glossa *ordinaria* in Matth. 4, 5: «Nota, haec omnia corporeis sensibus esse completa. Nec mirum, si se permisit circumferri, si sic accipitur assumtio, qui permisit se crucifigi» (cfr. supra pag. 91, nota 9.). Smaragdus abbas (claruit circa an. 824), Collection. in Epistolas et Evang., exponens eundem locum (Evang. in initio Quadragesimae) refert: «Alii enim dicunt, quod ceterae [tentationes] in eremo, ista in Ierusalem sit facta; alii dicunt, quod et ista in eremo fuerit animo tantum ostensa». Hanc secundam opinionem impugnat Paschasius Radbertus, III. Exposit. in Matth. 4, 5: Quod non satis approbari potest, ubi quae gesta sunt omnia *corporeis explicita sensibus* contexuntur. Et nec mirum, si se permisit huc illucque corpore circumferri, si forte ita intelligendum est verbum assumtionis, qui se permisit a membris eiusdem diaboli crucifigi.

[9] Loc. cit., ubi pro sua sententia affert illud Luc. 4, 30: Ipse autem transiit per medium eorum et abiit sic (Vulgata: Ipse autem transiens per medium illorum ibat).

[10] Vulgata *pinnam;* cfr. Matth. 4, 5, ubi habetur *pinnaculum.* — Smaragdus, loc. cit.: «Pinnaculum ergo templi sedes erat doctorum in medio templi tabulata». Glossa *ordinaria* in Matth. 4, 5: In Palaestina desuper plana erant tecta, et ibi erat sedes doctorum, unde populo loquerentur, ubi multos cepit vana gloria honore magisterii inflatos. In eo igitur loco Christum tentat, in quo multos deceperat.

[11] Vers. 6. Beda, de Templo Salomonis, c. 7: Haec tabulata in Evangelio, ubi Dominus tentabatur a diabolo, pinnacula templi vocabantur». Rabanus, I. in Matth. 4, 5: «Pinnaculum autem summitas est tecti. Non enim habebat templum culmen in superioribus, sicut nec tabernaculum, sed erat aequale. Quo modo omnibus in Palaestina et Aegypto domus aedificantibus facere moris est». Paschasius Radbertus, loc. cit., primam sententiam cum hac coniungit addens: Atque in gyro, iuxta quod Lex praecipit [Deut. 22, 8: Cum aedificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum etc.], cancelli deambulatorii, ne forte aliquis inde labatur incautus.

et templum habuit planum tectum, ut tabernaculum, et in talibus consueverunt stare doctores et praedicatores, secundum illud Matthaei decimo [1]: « Quod in aure auditis, praedicate super tecta ».

19. Quantum ad *suasionem praecipitationis* subditur: *Et dixit illi: Si Filius Dei es, mitte te* [2] *deorsum.* Quia diabolus deorsum ceciderat, libenter omnes deorsum traheret; infra decimo: « Videbam satanam sicut fulgur de caelo cadentem ». Sed Christus poterat dicere diabolo et angelis eius illud quod dixit Iudaeis Ioannis octavo: « Vos de deorsum estis, ego autem de supernis sum »; unde non erat eius *descendere*, sed *ascendere*. Sed diabolus hoc suggerebat, ut, descendendo corporaliter, faceret eum superbire spiritualiter, ut simul esset *ascensus vanus* et *descensus verus*. In quo erudimur, quod semper coniuncta sunt humiliatio et exaltatio, secundum illud infra decimo octavo [3]: « Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur »; et Proverbiorum decimo octavo: « Antequam conteratur, exaltatur cor hominis, et antequam glorificetur, humiliatur ». — Et nota *suggerendi modum*, cum dicit: *Mitte te.* Chrysostomus [4]: « Non impulit, non tetigit, non appropinquavit, sed tantum dixit: *Mitte te deorsum*, ut sciamus, quia omnis, qui obaudit diabolo, ipse se deponit ». Et Hieronymus: « Satis est debilis, quia nulli nocere potest, nisi ipse se deorsum posuerit ». Et ideo sanum est consilium, Ecclesiastae decimo: « Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris », nec praesumendo nec desperando.

Suasio praecipitationis.

Notandum.

Modus suggerendi.

20. (Vers. 10.). Quantum ad *excussionem timoris* adiungit: *Scriptum est enim, quia* [5] *Angelis suis mandavit de te;* hoc scriptum est in Psalmo. Ideo Scripturam allegat, quia videbat, quod Christus semper per Scripturam se defendebat. Unde dicit Leo Papa: « Ibi occasiones tentandi invenit, ubi viderit homines vehementius occupari ». Unde *scriptum esse* asserit, ut inducat credulitatem, et etiam Scripturam inducit, quae excludat pusillanimitatem propter promissionem adiutorii angelici, tam in *prosperis* quam in *adversis*. — Propter *adiutorium in prosperis* dicit: *Ut custodiant te in omnibus viis tuis* [6], id est operibus; Exodi vigesimo tertio: « Ecce, ego mitto Angelum meum, qui praecedat te et custodiat te in via ». Sic custodivit Angelus Tobiam, sicut dicitur Tobiae duodecimo; sic etiam Iudith, sicut dicitur decimo tertio; sic etiam custodiunt omnes viros iustos, secundum illud ad Hebraeos primo: « Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi » etc.; et totam Ecclesiam, secundum illud Isaiae sexagesimo secundo: « Super muros tuos, Ierusalem, constitui custodes ». Christus vero non indigebat custodia [7]; et ideo diabolus auctoritatem istam depravabat et sinistro modo adducebat.

Excussio timoris.

Promissio adiutorii in prosperis.

21. (Vers. 11.). Propter *adiutorium* vero *in adversis* adiungit: *Et quia in manibus tollent te*, quasi portitores, secundum quod legitur Angelus portasse Habacuc, Danielis ultimo [8]. *Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*, id est, ut nulla possis laesione offendi, sicut dicitur Iob quinto: « Cum lapidibus regionum erit pactum tuum, et bestiae terrae pacificae erunt tibi ». — Et nota, quod diabolus tanquam versutus non addidit quod sequitur [9]: « Super aspidem et basiliscum ambulabis et conculcabis leonem et draconem », quia hoc erat contra eum. In quo ostenditur, quod vitium diabolicum est auctoritates truncare et ad partem suam trahere; unde Apocalypsis ultimo: « Si quis diminuerit de verbis prophetiae libri huius, auferet Deus partem eius de libro vitae ».

Item, in adversis.

Notandum.

22. (Vers. 12.). *Et respondens Iesus* etc. Hic post pestiferam suasionem addit *dominicam responsionem* brevem et efficacem, cum dicit: *Respondens*

De Christi responsione.

---

[1] Vers. 27. — De hoc cfr. etiam Card. Hugo, in Matth. 4, 5.

[2] Vulgata addit *hinc*, quod Matth. 4, 6. omittitur. — Duo seqq. loci sunt Luc. 10, 18. et Ioan. 8, 23. Isidor., VIII. Etymolog. c. 11. n. 18: *Diabolus* Hebraice dicitur *deorsum fluens*, quia quietus in caeli culmine stare contempsit, sed superbiae pondere deorsum corruens cecidit. Cfr. Hieron., III. Comment. in Epist. ad Eph. 6, 11.

[3] Vers. 14, post quem Prov. 18, 12.

[4] Homil. 5. (alias 6.) in Matth. (Op. imperfect. inter opera Chrysost.). — Hieron., I. Comment. in Matth. 4, 6: « *Mitte te deorsum...* Vox diaboli, qui semper omnes cadere deorsum desiderat: *Mitte te*, inquit, *deorsum;* persuadere potest, praecipitare non potest ». Ambros., IV. in Luc. n. 23: « Vere diabolica vox, quae mentem hominis de gradu altiore meritorum praecipitare contendit. Quid enim tam proprium diabolo quam suadere, ut unusquisque se mittat deorsum »? Ibid. n. 25: « Simul infirmitatem suam diabolus malitiamque designat, quia nemini potest nocere diabolus, nisi ipse se miserit ». Glossa *ordinaria* in Luc. 4, 8: *Mitte.* Haec vox ei convenit, qui omnes praecipitare satagit. In quo infirmus ostenditur, qui nulli possit nocere, nisi prius ille se deorsum miserit. — Pro *Et Hieronymus* D *Et subdit*, scil. Chrysostomus, qui loc. cit. addit: Nam diabolus ad malum hortari potest, cogere autem non potest. — Subinde citatur Eccle. 10, 4.

[5] Vulgata *quod;* cfr. tamen Matth. 4, 6; Ps. 90, 11. — Sententia Leonis habetur Serm. 27. (alias 26.) in Nativ. Domini, 7. c. 3: Et ibi causas quaerit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari. — Superius pro *excussionem* Vat. *exclusionem.*

[6] Ut habetur Ps. 90, 11; Vulgata hic legit: *Ut conservent te*, quod ponit Vat., quae etiam omittit *id est operibus.* — Subinde allegantur Exod. 23, 20; Tob. 12, 3; Iudith 13, 20; Hebr. 1, 14. et Isai. 62, 6.

[7] Cfr. II. Sent. d. 11. a. 1. q. 3. — Hieron., I. Comment. in Matth. 4, 6: Verum ibi [Ps. 90, 11.] non de Christo, sed de viro sancto prophetia est. Male ergo interpretatur Scripturas diabolus. Certe si vere de Salvatore scriptum noverat, debuerat et illud dicere, quod in eodem Psalmo [v. 13.] contra se sequitur: *Super aspidem et basiliscum ambulabis et conculcabis leonem et draconem.* De Angelorum auxilio quasi ad infirmum loquitur, de sua conculcatione quasi tergiversator tacet. — Inferius post *adducebat* B addit: *Psalmus enim dicit, ut custodiant te in viis tuis*, *sed diabolus suadebat invium et non viam, immo suadebat viam dimitti.*

[8] Vers. 38. — Sequitur Iob 5, 23. — Superius pro *portitores* Vat. *portatores.* Cfr. Forcellini, Lexicon etc., et Du Cange, Glossarium etc.: *Portitor* pro portator, gerulus, baiulus.

[9] Psalm. 90, 13. — Subinde allegatur Apoc. 22, 19. — Inferius pro *auctoritates* A C D H *auctoritatem.*

*Iesus ait illi: Dictum est,* scilicet Deuteronomii sexto [1]: *Non tentabis Dominum Deum tuum;* et Ecclesiastici decimo octavo: « Noli esse quasi homo, qui tentat Deum ». Unde vituperantur filii Israel, Numerorum decimo quarto, quibus dicit Dominus: « Tentaverunt me iam per decem vices ». *Tentare* autem *Deum,* sicut dicit Beda [2], est, cum homo habet, quid faciat, divinae potentiae quaerere experimentum. Et quia non indigebat Christus hoc experimento potentiae, Deum nolebat tentare nec diabolo consentire, et per auctoritatem respondit auctoritati oppositae, ut clavus retunderetur virtute clavi [3].

De tentationis consummatione tria. Primum.

23. (Vers. 13.). *Et consummata omni tentatione.* Postquam descripsit tentationis occasionem et tentandi modum, hic describit tertio *tentationis consummationem,* circa quam tria insinuantur. Primum est *manifestatio perfectionis* ex parte Christi resistentis; quantum ad quod dicit: *Et consummata omni tentatione,* quia, sicut prius [4] dictum fuit, omnis tentatio reducitur ad tres praedictas; unde primae Ioannis secundo: « Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est » etc. Hanc *consummavit,* quia patienter tolerando superavit, secundum illud ad Hebraeos secundo [5]: « Decebat eum qui multos filios in gloriam adduxerat, per passionem consummare », quia dicitur Deuteronomii trigesimo secundo: « Dei perfecta sunt opera ».

Secundum.

24. Secundum est *confutatio praesumtionis* ex parte diaboli recedentis; quantum ad quod dicit: *Diabolus recessit ab illo;* secundum illud Iacobi quarto [6]: « Resistite diabolo, et fugiet a vobis ». *Recessit,* scilicet confusus; quod designatum est in rege Assyriorum, quarti Regum decimo nono: « Recedens abiit rex Assyriorum Sennacherib »; quod interpretatur *tollens deserta,* quia diabolus maxime prosequitur eos qui vivunt in austeritate vitae.

Tertium.

25. Tertium vero est *praefinitio temporis* a parte Dei disponentis; propter quod addit: *Usque ad tempus,* « passionis [7] », scilicet recessit, quia ille malignus non permittitur malefacere nisi pro tempore, quo Deus permittit, licet semper malam habeat voluntatem; Ecclesiastici decimo nono [8]: « Si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet ». Et ideo consilium est Ecclesiastici quarto: « Fili mi, conserva tempus et declina a malo »; et ad Ephesios quinto: « Videte, quomodo caute ambuletis, redimentes tempus quoniam dies mali sunt ». Unde cum diabolus dupliciter tentet: ut *draco* et *leo* [9], primo tentavit ut *draco* ad seducendum, postmodum ut *leo* ad frangendum in passione. In primo enim tentat emollire per blanditias, sed post videns, se modicum tempus habere, tentat frangere per poenas; unde Apocalypsis duodecimo [10]: « Descendit diabolus, habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habeat ». Et ideo ad consummationem temporis non pervenerunt illi, de quibus infra octavo dicitur, quod « ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt ».

Diabolus dupliciter tentat.

**Authenticatur doctrina Christi ex testimonio Scripturae.**

26. *Et Iesus regressus* etc. Ostendit supra [11] Evangelista auctoritatem doctrinae Christi ex merito vitae; hic secundo ostendit ex *testimonio Scripturae.* Introducit ergo primo testimonium ut authenticum ad *eruditionem credentium;* secundo vero, testimonium authenticum ad *confutationem detrahentium,* ibi [12]: *Et dicebant: Nonne hic est filius Ioseph?*

Divisio.

**Primo testimonium Scripturae affertur ad eruditionem credentium.**

Explicatur per quatuor.

In explicatione autem *testimonii prophetici* quatuor introducuntur a beato Luca: primum est

---

[1] Vers. 16. — Duo seqq. loci sunt Eccl. 18, 23. et Num. 14, 22.

[2] Libr. I. in Luc. 4, 12: Suggerebatur enim [Christo] tanquam homini, ut signo aliquo exploraret ipse, quantus esset, id est, quam multum apud Deum posset. Quod vitiose fit, cum fit. Pertinet namque ad sanam doctrinam, quando habet quod faciat homo, non tentare Dominum Deum suum.

[3] Simili modo ait Aristot., V. Politic. c. 11. (c. 9.): « Clavus enim clavo [truditur], ut dictat proverbium ». Cicero, IV. Tuscul. Disp. c. 35: Etiam novo quidam amore veterem amorem tanquam clavo clavum eiiciundum putant. Cfr. Hieron., Epist. 125. (alias 4.) n. 14. — Pro *retunderetur* C *tunderetur.*

[4] Num. 8. — Sequitur I. Ioan. 2, 16.

[5] Vers. 10. — Subinde allegatur Deut. 32, 4.

[6] Vers. 7. — Sequitur IV. Reg. 19, 35. — Hieron., de Nominib. Hebraicis, vet. testam. de Regnor. libro IV: « *Sennacherib,* tollens, vel levans deserta ». Card. Hug., in Isai. 36, 1, mystice hunc versum exponit de diabolo et satellitibus suis, qui prae ceteris hominibus infestant religiosos: « Unde congrue dicitur [diabolus] Sennacherib, qui interpretatur tollens deserta, id est claustra » etc. Codd. *tollens desideria,* qui etiam subinde omittunt *qui vivunt in austeritate vitae.* Pro *scilicet confusus* Vat. *scilicet consensus.*

[7] Ita Glossa *interlinearis,* quae adiungit: « quando non tantum dolis, sed aperte impugnavit » etc. Ambros., IV. in Luc. n. 36: Audito itaque Dei nomine *recessit,* inquit, *usque ad tempus;* postea enim non tentaturus, sed aperte pugnaturus advenit. — Vat. cum nonnullis codd. omittit *passionis,* quae etiam superius pro *a parte Dei disponentis* substituit *distincti a Deo,* et inferius pro *permittitur malefacere* ponit *potest tentare.* Superius pro *praefinitio* A C *praefiguratio,* D G *praesignatio.*

[8] Vers. 25, post quem Eccli. 4, 23. et Eph. 5, 15. seq.

[9] August., Enarrat. in Ps. 90, 13. serm. 2. n. 9: Leo aperte saevit, draco occulte insidiatur; utramque vim et potestatem habet diabolus etc. Cfr. II. Sent. d. 21. dub. 3. circa finem.

[10] Vers. 12. — Subinde allegatur Luc. 8, 13. — Inferius pro *temporis* Vat. *tentationis.*

[11] Num. 1. — Pro *auctoritatem doctrinae* B *authenticationem doctrinae.*

[12] Vers. 22. — Codd. A H (a secunda manu correcti) legunt: *Introducit ergo primo testimonium propheticum... secundo vero exemplum authenticum* etc. Haec lectio concordat cum seqq.

*celebritas in praedicando;* secundum est *opportunitas in testificando*[1]*: Et venit Nazareth;* tertium est *congruitas in testimonio,* ibi: *Spiritus Domini super me* etc.; quartum est *credulitas in populo,* et hoc notatur ibi: *Et cum plicuisset librum* etc.

De celebritate praedicationis quatuor notantur. Quantum ad primum nota, quod *celebritas praedicationis* Christi ex quatuor colligitur, scilicet ex *plenitudine gratiae, latitudine famae, certitudine doctrinae* et *magnitudine efficaciae.*

Primum. 27. (Vers. 14.). Quantum ad *plenitudinem gratiae* dicitur: *Et regressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilaeam. Regressus,* scilicet ad praedicandum, quia, secundum quod in Psalmo[2] dicitur, « Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa ». Et licet infirmitatem assumsisset ex nobis, virtutem tamen ostendebat ex se, secundum illud Sapientiae duodecimo: « Virtutem enim ostendis, qui non crederis esse in virtute consummatus ». Et signanter dicitur: *In virtute Spiritus.* Talis enim debet esse praedicatio perfecta, ut sit virtuti spirituali coniuncta, secundum illud primae ad Corinthios secundo[3]: « Sermo noster et praedicatio non fuit in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominis, sed in virtute Dei ».

Praedicatio perfecta.

Secundum. 28. Quantum ad *latitudinem famae* dicitur: *Et fama exiit per universam regionem de illo,* secundum illud Iob vigesimo octavo[4]: « Auribus nostris audivimus famam eius »; loquitur de sapientia Christi, qui est « Dei virtus et sapientia ». Huic concordat alius Evangelista; Matthaei quarto: « Exiit opinio de illo in universam Syriam ». Huius autem *figura* praecessit in Salomone, de quo dicitur secundi Paralipomenon nono[5], quod « omnes desiderabant videre faciem eius »; de quo Ecclesiastici quadragesimo septimo: « Ad insulas longe divulgatum est nomen tuum ».

Figura.

Tertium. 29. (Vers. 15.). Quantum ad *certitudinem doctrinae* subditur: *Et ipse docebat in synagogis eorum,* non in occulto, sicut homines, qui habent suspectam doctrinam; Ioannis decimo octavo[6]: « Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagogis et in templo, ubi omnes Iudaei conveniunt, et in occulto locutus sum nihil ». Econtra dicitur sapientia haereticorum « terrena, animalis, diabolica », quae designatur per *mulierem malam;* Proverbiorum nono: « Aquae furtivae dulciores sunt, et panis absconditus suavior ». Unde Christus implebat illud Proverbiorum quinto[7]: « Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide ». Et ideo dicitur Proverbiorum primo: « Sapientia foris clamitat, in plateis dat vocem suam » etc.

Quartum. 30. Quantum ad *magnitudinem efficaciae* subinfertur: *Et magnificabatur ab omnibus,* quia omnes magnitudinem efficaciae sentiebant adeo, ut possent dicere illud Psalmi[8]: « Magnificata est usque ad caelos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua », scilicet in praedicatione. Nec mirum, quia ipse erat ille qui designatur per illum Salomonem, de quo tertii Regum decimo: « Magnificatus est rex Salomon super omnes reges universae terrae prae divitiis et sapientia » etc.; infra septimo: « Propheta magnus surrexit in nobis ».

Figura.

De opportunitate testificationis quatuor notantur. 31. *Et venit Nazareth* etc. Hic vero notatur *opportunitas in testificando,* quae attenditur in circumstantiis concurrentibus ad hoc, quod Christus legeret in conspectu synagogae. Unde quatuor hic connotantur. Dicitur enim *intrasse, surrexisse, librum accepisse* et *acceptum revolvisse.* Haec quatuor introducuntur ad instructionem quadriformem hominum perscrutantium veritatem, scilicet *vacationis* ad meditandum, *promptitudinis* ad legendum, *mansuetudinis* ad discendum, *certitudinis* ad iudicandum.

Primum. 32. (Vers. 16.). Ad instructionem igitur *vacationis ad meditandum* dicitur *synagogam intrasse,* cum ait: *Et venit Nazareth, ubi erat nutritus; et intravit secundum consuetudinem suam die Sabbati in synagogam.* Haec enim erat consuetudo approbata ex Lege Moysi et conversatione Christi. Hinc dicitur Actuum decimo septimo[9], quod « Paulus secundum consuetudinem apud Thessalonicam intrabat in synagogam et per tria Sabbata disserebat cum eis de Scripturis ». Illud enim erat tempus, quo debebant vacare legi Dei. In quo docemur, quod quando volumus Deo sabbatizare, debemus congregari *interius* et ibi quiescere; Sapientiae octavo[10]: « Intrans in domum meam, conquiescam cum illa ». Si igitur Sabbatum *exterius* agatur, est irrisio daemonum, secundum illud Threnorum primo: « Viderunt eam hostes et deriserunt Sabbata eius »; et huiusmodi Deo non placet, secundum illud Isaiae primo: « Neomeniam et Sabbatum et solemnitates vestras non feram ». Et ratio huius est, quia

Notandum.

Ratio.

[1] Vers. 16; tertium habetur v. 18. et quartum v. 20.

[2] Psalm. 67, 12. — Sequitur Sap. 12, 17. — Superius post *ad praedicandum* Vat. addit *in virtute.*

[3] Vers. 4. seq.

[4] Vers. 22. — Subinde allegantur I. Cor. 1, 24: Christum Dei virtutem et Dei sapientiam; Matth. 4, 24.

[5] Vers. 23; cfr. III. Reg. 10, 24, qui a codd. allegatur. — Sequitur Eccli. 47, 17.

[6] Vers. 20. — Duo seqq. loci sunt Iac. 3, 15: Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica; Prov. 9, 17.

[7] Vers. 16, post quem 1, 20.

[8] Psalm. 56, 11. — Subinde allegantur III. Reg. 10, 23. (cfr. II. Paralip. 9, 22.) et Luc. 7, 16.

[9] Vers. 2. — Beda, II. in Luc. 4, 16: *Synagoga* Graece, Latine dicitur *congregatio,* quo nomine non solum affluentium turbarum conventum, sed et domum, qua ad audiendum dicendumve Dei verbum conveniebant Iudaei, appellari solebant.

[10] Vers. 16. — Sequuntur Thren. 1, 7. et Isai. 1, 13. Beda, loc. cit.: Confluebant autem *die Sabbati* in synagogis, ut, iuxta quod Dominus praecepit [Ps. 45, 11.]: *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus,* feriatis mundi negotiis, ad meditanda Legis monita quieto corde residerent.

non intrabant interius, sed exterius, et carnaliter sapiebant.

33. Ad instructionem vero *promptitudinis ad* Secundum. *legendum* subditur: *Et surrexit legere. Surrectio* ista promptitudinem et vigilantiam importat, quae necessaria est perscrutanti verba divina; unde dicitur Ezechielis secundo [1]: « Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum ». Hinc est, quod dicitur animae sanctae Isaiae sexagesimo: « Surge, illuminare, Ierusalem » etc.; et Apostolus ad Ephesios quinto: « Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, Notandum. et illuminabit te Christus ». Simul etiam cum promptitudine designat *humilitatem,* quia *surrexit legere,* tanquam minister, ut etiam exerceret lectoris officium; unde Beda [2]: « Qui venerat *ministrare et non ministrari* lectoris officium non dedignabatur suscipere ».

34. (Vers. 17.). Ad instructionem autem *man-* Tertium. *suetudinis ad addiscendum* additur: *Et traditus est ei* [3] *liber Isaiae prophetae,* quem scilicet cum mansuetudine suscepit, non dedignans uti Scripturae testimonio et auctoritate. Sic et Ioannes, Apocalypsis decimo: « Accepi librum de manu Angeli et devoravi illum, et erat in ore meo tanquam mel dulce ». Liber autem *sacrae Scripturae* debuit ei *tradi,* quia, secundum illud Apocalypsis quinto [4], « dignus est Agnus, qui occisus est, accipere librum et solvere septem signacula eius », quia nullus alius poterat; et *liber Isaiae,* quia, sicut dicitur Isaiae vigesimo nono, « erit vobis visio sicut verba libri signati ». Et ideo signanter dicitur *traditus illi liber Isaiae prophetae.*

35. Postremo ad instructionem *certitudinis ad* Quartum. *iudicandum* subiungit: *Et ut revolvit librum;* in quo significatur diligens discendi inquisitio, quae praevenire debet iudicium certum; propter quod dicitur Iob octavo [5]: « Interroga generationem pristinam et diligenter investiga patrum memoriam ». Non enim ex abrupto procedendum est ad iudicium, sed cum maturitate; propter quod dicitur Iob vigesimo nono: « Causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam »; et secundi Paralipomenon decimo nono: « Praecipiens Iosaphat iudicibus ait: Cum diligentia cuncta facite ». — Et quoniam qui diligenter quaerit invenit, ideo additur: *Invenit locum, ubi scriptum erat: Spiritus Domini* etc.; hoc invenitur Isaiae sexagesimo primo [6]. Nec mirum, quia, secundum quod dicitur Baruch tertio, « hic est Deus noster, et non aestimabitur alius ad eum; hic adinvenit omnem viam disciplinae ». Ante ipsum quaerebatur, sed non inveniebatur; unde Iob vigesimo octavo: « Sapientia ubi invenitur? Et quis est locus intelligentiae » etc.

36. (Vers. 18.). *Spiritus Domini super me* etc. Hic notatur *congruitas in testimonio.* Exprimit enim quatuor conditiones excellentiae, quae fuerunt in Salvatore nostro. Est enim *mediator, eruditor, reparator* et *retributor;* et haec quatuor insinuantur in sermone proposito [7]. De congruitate in testimonio quatuor conditiones notantur.

Primo igitur insinuatur esse *mediator per incarnationis mysterium,* cum dicit: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me; me* demonstrat ibi personam Christi in natura assumta, supra quam Spiritus sanctus requievit, secundum illud Isaiae undecimo [8]: « Et requiescet super eum Spiritus Domini »; et Ioannis primo: « Super quem videris Spiritum descendentem et manentem, hic est qui baptizat ». Et ideo dicitur Actuum decimo: « Dixit Petrus: Vos scitis, quod factum est verbum per universam Iudaeam; primo incipiens a Galilaea post baptismum, quod praedicavit Ioannes, Iesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto » etc. Unde hic est *Sanctus Sanctorum,* in cuius unctione impleri debet prophetia Danielis nono [9]: « Impleatur visio et prophetia, et impleatur iustitia sempiterna, et ungatur Sanctus Sanctorum ». — Et nota, quod humana natura in Christo per virtutem Spiritus sancti fuit concepta et per eius gratiam divinae naturae unita. Et propter haec duo dicit, Spiritum Domini *super eum esse* et *unxisse.* — Vel certe dicitur *esse super eum* quantum ad superexcellentiam gratiae singularis, propter quam dicitur Ioannis tertio [10]: « Non ad mensuram dat Deus spiritum ». Dicitur vero *unxisse eum* quantum ad praerogativam sacerdotalis et regalis dignitatis. Haec respiciunt assumtam naturam in Christo; et hoc praefigurabatur in unctione regum et sacerdotum in veteri testamento. Salvator est mediator. Notandum. Aliter. Figura.

37. Secundo insinuatur esse *eruditor per praedicationis magisterium* in hoc quod sequitur: *Evangelizare pauperibus misit me. Evangelium* namque Item, eruditor.

---

[1] Vers. 1. — Duo seqq. loci sunt Isai. 60, 1. et Eph. 5, 14.

[2] Libr. II. in Luc. 4, 16, ubi respicitur Matth. 20, 28. Pro *lectoris* (quod etiam textus originalis exhibet) hic et paulo superius Vat. cum pluribus codd. *lectionis.*

[3] Vulgata *illi.* — Sequitur Apoc. 10, 10. (ubi C D *dulcis*).

[4] Vers. 9. Verba *Dignus est Agnus, qui occisus est,* pro quo Vulgata *Dignus es, Domine,* habentur v. 12, et pro *aperiri* substituitur ex v. 5. *solvere septem.* — Subinde allegatur Isai. 29, 11.

[5] Vers. 8. — Duo seqq. loci sunt Iob 29, 16. et II. Paralip. 19, 6. seq.

[6] Vers. 1. — Sequuntur Baruch 3, 36. seq., ubi pro *ad eum* (ita etiam Septuaginta) Vat. cum Vulgata *adversus eum;* et Iob 28, 12.

[7] Cfr. supra Prooem. n. 17-21, ubi haec Isaiae verba simili modo exponuntur.

[8] Vers. 2, post quem Ioan. 1, 33. et Act. 10, 37. seq.

[9] Vers. 24, ubi pro *impleatur iustitia* Vulgata *adducatur iustitia.*

[10] Vers. 34. Cfr. III. Sent. d. 13. a. 1. per totum; vide etiam ibid. d. 2. a. 3. q. 3. et d. 4. a. 1. q. 1, ubi de Spiritu sancto ut principio efficiente incarnationis. — Beda, II. in Luc. 4, 18: Et quia [in Christo] erat unctio spiritualis et nequaquam humani corporis, ut fuit in sacerdotibus Iudaeorum, idcirco *prae consortibus,* id est ceteris Sanctis, unctus esse memoratur [Ps. 44, 8; cfr. Hebr. 1, 9.]... Unctus est igitur oleo spirituali et virtute caelesti, ut paupertatem conditionis humanae thesauro resurrectionis rigaret aeterno.

est bona annuntiatio [1], unde in nostra translatione dicitur: *Ad annuntiandum mansuetis misit me.* Et huic concordat illud Nahum primo: « Ecce, super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem »; et Isaiae quinquagesimo secundo: « Quam pulcri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem, annuntiantis bonum, praedicantis salutem ». Hanc autem dicitur maxime *pauperibus* nuntiare, quia ad pauperes inchoavit sermonem; Matthaei quinto [2]: « Beati pauperes spiritu », et per pauperes paupertatem aliis praedicavit; Matthaei undecimo: « Pauperes evangelizantur ». Nec mirum, quia dicitur in Psalmo: « Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exsurgam » etc. His utique annuntiat salutem, quia alibi [3]: « Parcet pauperi et inopi et animas pauperum salvas faciet » etc. Et propter hoc dicitur a Spiritu et a Domino missus; Isaiae quadragesimo octavo: « Sicut misit me Dominus et Spiritus eius ». « In hoc ergo cognovimus caritatem Dei », quia « misit Filium suum », primae Ioannis quarto.

Item, reparator quadruplici modo.

38. Tertio insinuatur *reparator per passionis remedium*, cum additur: *Sanare contritos;* quod [4] quidem liberat a *malo culpae actualis* et *originalis*, a *caecitate rationis* et *infirmitate voluntatis.*

Liberat a culpa actuali.

— Liberat utique a *malo actualis culpae;* propter quod dicitur: *Sanare contritos corde*, misit scilicet. Ad curationem actualis culpae necessaria est cum passione Christi contritio poenitentiae; Psalmus [5]: « Qui sanat contritos corde ».

Aliter.

— Vel hoc dicitur, quia ipsa culpa actualis totum robur animae frangit; Threnorum secundo: « Magna velut mare contritio tua » etc.; et Proverbiorum decimo quinto: « Lingua, quae immoderata est, conteret spiritum ».

Item, ab originali.

39. (Vers. 19.). Liberat autem a *malo culpae originalis;* propter quod additur: *Et [6] praedicare captivis remissionem.* Merito causa originalis culpae captivum detinebatur genus humanum a diabolo; Isaiae quinquagesimo secundo: « Excutere de pulvere, consurge, sede, Ierusalem; solve vincula colli tui, captiva filia Sion. Quia haec dicit Dominus: Gratis venundati estis et sine argento redimemini » etc.; unde Zachariae nono: « Tu autem in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu » etc. Et hoc est quod dicitur Isaiae quadragesimo nono [7]: « Dedi te in foedus populi, ut diceres his qui vincti sunt: Exite; et his qui in tenebris sunt: Revelamini »; et post: « Equidem captivitas a forti tolletur »; quia « ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem », ad Ephesios quarto.

Figura.

Et haec remissio in Cyro praefigurata fuit, qui dimisit captivitatem filiorum Israel; Isaiae quadragesimo quinto [8]: « Captivitatem meam dimittet, non in pretio, aut in muneribus ».

Item, a caecitate rationis.

40. Liberat etiam a *caecitate rationis;* ideo subditur: *Caecis [9] visum*, misit scilicet me *praedicare;* quod et fecit, sicut dicitur Matthaei undecimo: « Euntes, renuntiate Ioanni quae vidistis et audistis: caeci vident » etc.; in quo significatur *interior* illuminatio. Unde Ioannis nono [10]: « In iudicium ego veni in mundum, ut qui non vident videant », id est gentiles, secundum illud Isaiae quadragesimo nono: « Dedi te in lucem gentium ». Et hoc est quod dicitur Isaiae vigesimo nono: « Audient in die illa surdi verba libri, et de tenebris et caligine oculi caecorum videbunt ». Et hoc petebat David: « Illumina oculos meos ».

Item, ab infirmitate voluntatis.

41. Liberat etiam ab *infirmitate voluntatis;* propter quod subiungitur: *Et [11] dimittere confractos in remissionem*, misit scilicet. *Confracti* sunt, quorum voluntas per peccatum est infirmata ad bonum, sicut sunt fatui peccatores; Ecclesiastici vigesimo primo [12]: « Cor fatui quasi vas confractum »; et Isaiae quinquagesimo octavo: « Dimitte eos qui confracti sunt, liberos ». Haec autem confractio est reparabilis, dum hic vivimus, sed irreparabilis efficitur in morte, secundum illud Isaiae trigesimo [13]: « Comminuetur quasi lagena figuli contritione pervalida, et non invenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio »; quia non erit susceptibilis gratiae. Et hoc erit in iudicio, secundum illud Psalmi: « Reges eos in virga ferrea et tanquam vas figuli confringes eos ».

Figura.

Sed modo remissionem facit, quod figuratum est primi Machabaeorum decimo, ubi dicitur, quod sub Ionatha, fratre Simonis, factae sunt multae remissiones Iudaeis.

Item, remunerator quoad bonos.

42. Postremo insinuatur *remunerator per retributionis iudicium*, in quo *bonis* fit universalis

---

[1] Cfr. supra pag. 5, nota 4. Translatio alia, quae subiungitur, est Vulgatae Isai. 61, 1. Duo seqq. loci sunt Nahum 1, 15. et Isai. 52, 7.

[2] Vers. 3. — Sequuntur Matth. 11, 5. et Ps. 11, 6.

[3] Psalm. 71, 13. — Subinde allegantur Isai. 48, 16. et I. Ioan. 4, 9: In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus; cfr. 3, 16, ubi occurrunt verba: *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam* etc.

[4] In D secunda manus substituit *quos;* H legit: *unde in quantum reparator liberat* etc. Inferius pro *infirmitate* Vat. *enormitate.*

[5] Psalm. 146, 3. — Duo seqq. loci sunt Thren. 2, 13. et Prov. 15, 4.

[6] Vulgata omittit *Et.* Subinde post *Merito* A (a secunda manu) H addunt *enim*, D (a secunda manu) *vel*, G omittit *causa.* — Sequuntur Isai. 52, 2. seq. et Zachar. 9, 11.

[7] Vers. 8. seq. et dein v. 25, post quem Eph. 4, 8. (codd. substituunt *in Psalmo* 67, 19: Ascendisti in altum, cepisti captivitatem).

[8] Vers. 13, ubi pro *aut* Vulgata *neque.*

[9] Vulgata *Et caecis;* (C D omittunt *misit... praedicare*). — Subinde allegatur Matth. 11, 4. seq.; cfr. Luc. 7, 22.

[10] Vers. 39. — Tres seqq. loci sunt Isai. 49, 6; 29, 18. et Ps. 12, 4.

[11] Vulgata omittit *Et.* Subinde pro *misit scilicet* [Vat. addit *me*] non pauci codd. *dimisit scilicet*, quod C D cum seqq. coniungentes prosequuntur *confractos, quorum* etc.; H legit: *scilicet misit, vel unxit. Dimisit igitur confractos, quorum* etc.

[12] Vers. 17, post quem Isai. 58, 6.

[13] Vers. 14. — Subinde allegantur Ps. 2, 9. et I. Machab. 10, 28. seqq.

boni collatio. Propter quod dicit: *Praedicare annum Domini acceptum,* scilicet bonis, de quo in Psalmo[1]: « Benedices coronae anni benignitatis tuae » etc. Hic est *annus* significatus in iubilaeo; Levitici vigesimo quinto: « Anno iubilaei omnes redibunt ad possessiones suas »; vel etiam in septimo; Deuteronomii decimo quinto: « Septimo anno facies remissionem ». Hic annus superat annum meriti, quia supra condignum remunerabuntur boni; Ecclesiastici trigesimo tertio[2]: « Quare annus annum superat, dies diem, lux lucem a sole » ? — In hoc etiam iudicio *malis* fit

Et quoad malos.

sempiternalis damnatio; ideo additur: *Et diem retributionis,* in quo retribuet unicuique secundum opera sua; Isaiae sexagesimo tertio[3]: « Dies ultionis in corde meo, annus retributionis meae venit ». De hac die dicitur primae ad Thessalonicenses quinto: « Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet; cum enim dixerint: Pax et securitas » etc. Hanc, ut dicit Gregorius[4], debemus tanto sollicitius formidare, quanto eam non possumus praevidere.

43. (Vers. 20.). *Et cum plicuisset librum* etc.

De credulitate populi quatuor notantur.

Hic quarto loco, postquam descripta est congruitas in testimonio, notatur *credulitas in populo.* Ad quam exprimendam insinuatur in *docente maturitas,* in *plebe assistente audiendi aviditas,* in *eruditione veritas,* in *eruditis credulitas.*

Ad exprimendam igitur *maturitatem in docente*

Primum.

dicitur: *Et cum plicuisset librum, reddidit ministro et sedit.* Prius stans legerat, accipiendo librum cum humilitate; nunc *reddit* et *sedet* cum auctoritate; *sedere* enim est indicium doctorum et regum; unde Matthaei vigesimo tertio[5]: « Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei »; et Iob vigesimo nono: « Si quando volebam ire ad eos, sedebam primus; cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu,

Notandum.

eram tamen moerentium consolator ». — Et nota: hic per *plicationem libri* debemus intelligere divinorum mysteriorum occultationem, quia non omnia sunt omnibus revelanda, secundum quod dicit Beda[6]: « *Plicatum librum ministro reddit,* quia non omnia omnibus communicanda, sed pro captu audientium committit doctori dispensandum verbum »; Danielis duodecimo: « Vade, Daniel, quia clausi sunt signatique sermones usque ad tempus praefinitum ». — Vel ideo

Aliter.

plicatum ministro reddidit, quia, secundum illud secundae ad Corinthios tertio[7], « usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum ».

Secundum.

44. Ad exprimendam vero *in plebe aviditatem* subditur: *Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum,* quasi desiderantes eum audire sicut sapientem; Sapientiae octavo[8] dicit sapiens: « In conspectu principum admirabilis ero; tacentem me sustinebunt et loquentem me respicient »; et Iob vigesimo nono: « Qui me audiebant exspectabant sententiam meam et intenti tacebant ad consilium meum »; quia, sicut dicitur Ecclesiastici tertio, « auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam ».

Tertium.

45. (Vers. 21.). Ad insinuandam vero *veritatem* sive firmitatem *doctrinae* subditur: *Et coepit*[9] *dicere ad illos: Quia hodie impleta est Scriptura haec in auribus vestris.* Ideo dicitur *impleta Scriptura illa* tunc fuisse, quia, cum verba illa ad Christum pertinerent, nullus in propria persona poterat verbum praemissum vere dicere nisi Christus, qui eam legit *in auribus eorum;* infra ultimo[10]: « Haec sunt verba, quae dicebam vobis, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in Lege et Prophetis et Psalmis de me ».

Christus implevit omnem iustitiam.

Unde Christus adimplevit *omnem iustitiam* quantum ad morum honestatem, secundum illud Matthaei tertio[11]: « Sic decet nos implere omnem iustitiam ».

Item, omnem Scripturam.

Implevit etiam *omnem Scripturam* fundendo Dei veritatem, sicut Matthaei quinto: « Putas, quia veni solvere Legem, aut Prophetas ? Non veni solvere, sed adimplere ». Et ideo dicitur ad Ephesios primo: « Quia omnia in omnibus adimplevit ». Unde *verba* et *signa* veteris legis vacua implevit *veritate* et *gratia.* In cuius signum Ioannis secundo[12] in primo signo dicitur:

---

[1] Psalm. 64, 12. — Duo seqq. loci sunt Lev. 25, 13. (cfr. v. 10: Sanctificabisque annum quinquagesimum et vocabis remissionem... ipse est enim iubilaeus. Revertetur homo ad possessionem suam etc.) et Deut. 15, 1.

[2] Vers. 7: *Quare dies diem superat, et iterum lux lucem, et annus annum a sole?* Pro *lux lucem a sole* C D G H *sol solem.* — Superius pro *annum meriti* G *annum iubilaeum.*

[3] Vers. 4, ubi pro *retributionis* Vulgata *redemptionis.* Septuaginta: *Dies enim retributionis venit eis, et annus redemptionis adest.* — Sequitur I. Thess. 5, 2. seq.

[4] Libr. VII. Moral. c. 30. n. 45: Tanto igitur debet quasi semper veniens metui, quanto a nobis non valet ventura praesciri. Libr. I. Homil. in Evang. homil. 12. n. 6: Semper ergo extremum diem debemus metuere, quem nunquam possumus praevidere.

[5] Vers. 2, post quem Iob 29, 25: *Si voluissem ire* etc.

[6] Libr. II. in Luc. 4, 20. Verba Bedae allegantur secundum Glossam *ordinariam:* « Plicatum ministro reddidit, quia non omnia omnibus dicenda, sed pro capacitate audientium committit doctori dispensandum verbum ». Vat. cum Beda finem verborum sic exhibet: pro captu audientium verbum doctori dispensandum suo praemonebat exemplo, cum ait [Ioan. 16, 12.]: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo.* — Sequitur Dan. 12, 9.

[7] Vers. 15.

[8] Vers. 11. et 12. — Subinde allegantur Iob 29, 21. et Eccli. 3, 31. — Superius post *aviditatem* Vat. addit *audiendi verbum.*

[9] Vulgata *Coepit autem.*

[10] Vers. 44. — Superius pro *qui eam* [Scripturam] Vat. *qui illud,* H *qui omnia.*

[11] Vers. 15. — Sequuntur Matth. 5, 17: *Nolite putare, quoniam veni* etc., et Eph. 1, 23. — Inferius pro *fundendo* Vat. *explicando et exponendo.*

[12] Vers. 7. — August., in Ioan. Evang. tr. 9. n. 6: Sex ergo illae hydriae sex aetates significant, quibus non defuit prophetia. Illa ergo tempora sex, quasi articulis distributa atque distincta, quasi vasa essent inania, nisi a Christo implerentur.

« Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum ».

46. (Vers. 22.). Ad denotandam vero *credulitatem in multitudine assistente* subditur: *Et omnes testimonium illi dabant; omnes*, id est, aliqui de omnibus, testificabantur sanctitatem et innocentiam ipsius; Iob vigesimo nono [1]: « Auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi ». — Et quoniam verbis non poterant eius gratiam explicare, ideo subditur: *Et mirabantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore eius* [2], sicut et doctores mirabantur « super prudentia et responsis eius », supra secundo. Et dicuntur *verba gratiae*, secundum illud Ecclesiastae decimo: « Verba oris sapientis gratia »; et maxime huius, ad quem Petrus dicebat Ioannis sexto: « Verba vitae aeternae habes »; et ipse de se: « Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt ». Et ideo in Psalmo: « Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum ».

Quartum.

**Secundo affertur testimonium Scripturae ad confutationem detrahentium.**

47. *Et dicebant: Nonne* etc. Postquam introduxit testimonium propheticum ad eruditionem credentium, hic introducit *exemplum authenticum* ad *confutationem detrahentium.* Et quia detractores, cum confutantur, fiunt deteriores, quia efficiuntur persecutores; ideo in hac parte sunt duae. In quarum prima ponitur *confutatio detrahentium;* in secunda vero, *declinatio persequentium*, ibi [3]: *Et repleti sunt omnes in synagoga* etc.

Divisio.

Prima pars habet duas. In prima proponuntur *detrahentium convicia;* in secunda vero introducuntur *exempla prophetica* detractores confutantia, ibi [4]: *Ait autem: Non est propheta* etc.

De confutatione detrahentium duo.

48. (Vers. 22.). Exprimit autem *convicia detrahentium* tripliciter, scilicet per modum *apertae contumeliae*, per modum *occultae ironiae*, per modum *invectionis expressae.* — Per modum, inquam, *apertae contumeliae* exprimit, cum ait: *Et dicebant: Nonne hic est filius Ioseph?* Filium Dei vocabant filium fabri, conceptum de Spiritu sancto et utero virginali dicebant genitum concubitu coniugali; unde Matthaei decimo tertio [5] dicitur, quod dicebant: « Nonne hic est fabri filius »? Beda: « Magna caecitas, cum, quem verbis et factis Christum esse cognoscunt, ob solam generis notitiam contemnunt ». Simile huic dicebatur de Saul, primi Regum decimo [6]: « Quaenam res accidit filio Cis? Num et Saul inter Prophetas »? et secundi Regum vigesimo: « Non est nobis pars in David, nec hereditas in filio Isai ». Haec autem dicebant, non omnes, sed mali, scilicet scribae et Pharisaei; unde non contradicit ei quod prius [7] dictum est, quod « omnes testimonium illi dabant ». Similis modus loquendi est in Scriptura: « Cum occideret eos, quaerebant eum », non mortui, sed alii. Haec autem est consuetudo malorum, ut, quando aliquem laudari audiunt, statim se opponunt; et si non possunt ex parte morum et scientiae, saltem ex parte naturae, secundum illud Ecclesiastici undecimo [8]: « Bona in mala convertens, insidiatur, et in electis imponet maculam ». — Vel etiam illi iidem, qui prius laudabant, post despiciebant, secundum illud Psalmi: « Laudaverunt laudem eius. Cito fecerunt et obliti sunt operum eius ». — Vel aliter intelligi potest, ut, licet immediate hic narretur, non tamen fiat immediate, sed post factum [9].

Primo, detrahentes conviciantur tripliciter.

Per modum apertae contumeliae.

Notandum.

Aliter.

Aliter.

49. (Vers. 23.). Per modum *occultae ironiae* exprimit eorum convicia, cum adiungit: *Et ait illis: Utique dicetis mihi hanc similitudinem;* hoc enim videbat eos occulte cogitare. Dixit ergo: hoc ironice proponitis contra me, quod occulte in cordibus concepistis, quia, secundum quod dicitur Matthaei duodecimo [10], « ex abundantia cordis os loquitur »; proponitis hanc similitudinem, scilicet per ironiam: *Medice, cura te ipsum;* quod consuevit dici medicis infirmantibus, cum sibi subvenire non possunt, vel nesciunt, aut negligunt; quod est ipsorum derisorium verbum. Sic et tu te ipsum, id est infirmum, cura. Quod dicebant potius ex incredulitate et derisione

Item, occultae ironiae.

---

Quid dixi tempora, quae inaniter currerent, nisi in eis Dominus Iesus praedicaretur? Impletae sunt prophetiae, plenae sunt hydriae, sed ut aqua in vinum convertatur, in illa tota prophetia Christus intelligatur (cfr. Ioan. 1, 17.).

[1] Vers. 11. — Inferius pro *eius gratiam explicare* A C D H *eius opus* [B *prudentiam*] *explicare* [H addit *totaliter*].

[2] Vulgata *ipsius.* — Subinde allegantur Luc. 2, 47; Eccle. 10, 12; Ioan. 6, 69. et 64; Ps. 44, 3.

[3] Vers. 28.

[4] Vers. 24: *Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo propheta* etc.

[5] Vers. 55. — Verba Bedae, II. in Luc. 4, 22, allegantur secundum Glossam *interlinearem.*

[6] Vers. 11, post quem II. Reg. 20, 1.

[7] Eodem v. 22. — Sequitur Ps. 77, 34. Glossa *interlinearis* in Luc. 4, 22: *Et dicebant*, scribae et Pharisaei invidentes: *Nonne hic est filius Ioseph?*

[8] Vers. 33. Chrysost., Homil. 48. (alias 49.) in Matth. n. 1: Doctrinam autem proponit [Iesus] non minoris quam signa admirationis. At stultissimi homines, quando admirari et ob dictorum vim obstupescere par fuisset, illi contra ipsum parvifaciunt, quod tali patre natus putaretur etc. — Subinde allegatur Ps. 105, 12. et 13.

[9] Cfr. infra n. 50. — Vat. addit *est.*

[10] Vers. 34. — Superius post *cogitare* D (a secunda manu) prosequitur: *Dicetis ergo hoc, scilicet ironice, id est proponitis* etc. A C pro *Dixit ergo* substituunt *Dicens ergo*, H *Dicens.* Codd. A D inferius post *per ironiam* parum apte addunt: *cum me non credatis* [D *creditis*] *medicum, sed infirmum, licet sim faber creatione et medicus recreatione, Eccli. 38, 1: Honora medicum.* In his respicitur sententia Bedae, II. in Luc. 4, 23: Quorum insana perfidia sanam, licet nesciens, Iidem confitetur, quae Dominum Christum *fabrum* cognominat et *medicum. Faber* est enim verus, quia *omnia per ipsum facta sunt* [Ioan. 1, 3.]. *Medicus* est, quia omnia per ipsum restaurata sunt in caelis et in terra [cfr. Eph. 1, 10.].

quam ex humilitate et devotione, sicut Matthaei decimo tertio[1] dicitur, quod « non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem eorum ». Unde Beda dicit in Glossa: « Frustra opem misericordiae caelestis exspectas, si alienis virtutibus invides. Aspernator enim est Dominus invidorum, et ab his qui divina beneficia in aliis persequuntur, miracula suae potentiae avertit ». — Et nota, quod ironice vocant *medicum*, quem veraciter deberent confiteri medicum, secundum illud Iob quinto[2]: « Ipse vulnerat et medetur ». Despiciunt quem deberent colere et honorare, secundum illud Ecclesiastici trigesimo octavo: « Honora medicum propter necessitatem »; et post: « Altissimus de terra creavit medicinam, et vir prudens non abhorrebit illam ».

Notandum.

50. Per modum vero *invectionis expressae* exprimit, cum subiungit: *Quanta audivimus facta in Capharnaum,* scilicet opera miraculosa; unde Matthaei undecimo[3]: « Vae tibi Capharnaum! quia, si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes » etc. — Sed quomodo haec audierunt[4], cum Evangelista nondum expresserit, aliqua miracula ipsum fecisse? — Propter quod attendendum, quod Evangelista non prosequitur ordinem rei gestae, sed ordinem intentionis suae, et hoc quidem facit pluries; et ideo, cum unus Evangelista narrat post, quod alius ante, non est repugnantia, quia non intendunt dicere, eo ordine esse facta, quo sunt scripta, sicut dicit Augustinus, de Concordantia Evangelistarum[5]. Praeterea, Lucas cum aliis duobus, Matthaeo et Marco, nihil narrat de primo adventu Christi in Galilaeam, sed de secundo; de primo autem determinat solus Ioannes[6]. Ex fama ergo miraculorum factorum in terra aliena arguebant eum, quia non faciebat in terra propria. — Unde additur: *Fac et hic in patria tua;* et hoc est dicere: cura te ipsum, id est, illos cura de patria tua per miracula, sicut alios, secundum illud Ecclesiastici decimo quarto[7]: « Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit »? et primae ad Timotheum quinto: « Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit »; dicitur Ecclesiastici decimo septimo: « Unicuique mandavit de proximo suo ».

Item, invectionis expressae. Notandum.

51. (Vers. 24.). *Ait autem: Amen dico* etc. Hic post detrahentium convicia subiunguntur *exempla prophetica,* detractores[8] confutantia. Ad plenam autem ipsorum confutationem praemittitur *generale proverbium;* secundo, *speciale exemplum* in *Elia,* eximio Prophetarum; tertio, in *Eliseo,* discipulo ipsius. Primum est ad commonendum, secundum ad confutandum, tertium ad confirmandum.

Secundo, detractores confutantur tripliciter.

*Generale* igitur *proverbium* in omni Propheta et populo praemittit, cum dicit: *Ait autem,* scilicet Christus: *Amen dico vobis,* id est certitudinaliter, quia *amen* signum est affirmationis. Et vere, quia, sicut ipse dicit Matthaei vigesimo quarto[9], « caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt ». — *Quia nemo propheta acceptus est in patria sua,* scilicet nec quantum ad doctrinam nec quantum ad vitam, in quibus Prophetae consueverunt habere excellentiam. Et ideo non est mirum, si in patria sua non facit miracula, quae pro ingratis et indignis non sunt facienda. Huic Salvatoris invectioni attestatur, quod Ioseph a fratribus venditur, Genesis trigesimo septimo[10], ab Aegyptiis honoratur, Genesis quadragesimo primo. Sic Moyses ab Aaron et Maria contumeliam patitur, Numerorum duodecimo, et a contribulibus obiurgatur, Numerorum decimo sexto. Sic Abraham a compatriotis patitur; unde dicitur ei: « Egredere de terra tua et de cognatione », Genesis duodecimo. — Rationem autem huius assignat Beda in Glossa[11]: « Ceteri Prophetae minus in patria quam in ceteris civitatibus sunt honorati, quia propemodum naturale est, cives concivibus invidere. Non enim considerant praesentia viri opera, non virtutem, sed fragilem recordantur infantiam, quasi non et ipsi per eosdem aetatis gradus ad maturam aetatem pervenerint ».

Primo, per generale proverbium. Ratio Bedae.

52. (Vers. 25.). *Speciale* vero *exemplum* in *Elia,* Prophetarum eximio, adiungit, cum dicit: *In veritate dico vobis;* Ioannis decimo septimo[12]: « Sermo

Secundo, per speciale exemplum Eliae.

---

[1] Vers. 58. — Glossa inferius allegata est *ordinaria* in Luc. 4, 24. et tribuitur *Bedae.* Verba, quae in initio Glossae habentur, sunt Bedae, sed quae in fine occurrunt et hic a S. Bonav. proferuntur, sunt Ambros., IV. in Luc. n. 46. — Superius pro *id est infirmum* G *id est infirmos,* Vat. *id est infirmos tuos, id est patriae tuae.*

[2] Vers. 18. — Sequuntur Eccli. 38, 1. et 4. — In A C D omittitur *Et nota, quod... confiteri medicum.*

[3] Vers. 20. seqq.: Tunc coepit exprobrare civitatibus, in quibus factae sunt plurimae virtutes eius, quia non egissent poenitentiam. Vae tibi Corozain! vae tibi Bethsaida! quia, si in Tyro... Et tu Capharnaum, nunquid usque in caelum exaltaberis? usque in infernum descendes; quia, si in Sodomis factae fuissent virtutes etc. — Superius post *exprimit* A addit *eorum convicia.*

[4] Vat. addit *facta in Capharnaum.* Subinde pro *expresserit* A C D F *exprimat.*

[5] Libr. II. c. 42. n. 89. seq.

[6] Cfr. Bonav., Comment. in Ioan. c. 1. n. 99. — Glossa *interlinearis: Quanta audivimus* etc., quasi dicat: Non credimus quod incerta fama vulgavit, cum apud nos nihil tale feceris, quibus convenientius talia impendenda erant beneficia.

[7] Vers. 5. — Duo seqq. loci sunt I. Tim. 5, 8. et Eccli. 17, 12. — Superius post *in patria tua* ex A D supplevimus *et hoc est dicere... sicut alios.* Cfr. Beda, II. in Luc. 4, 23: Qui [Christus] ab irridentibus quidem civibus se ipsum curare, hoc est, in sua patria virtutes facere monetur.

[8] Non pauci codd. *detractiones.*

[9] Vers. 35.

[10] Vers. 28. — Subinde allegantur Gen. 41, 14; Num. 12. 1. seqq. et 16, 41; Gen. 12, 1. Post *Sic Abraham a compatriotis* F et Vat. addunt *in Chaldaea;* cfr. Hieron., Hebraic. Qq. in Gen. 11, 28. et 12, 4, ubi refert traditionem Hebraeorum, secundum quam « Abraham in ignem missus sit, quia ignem adorare noluerit, quem Chaldaei colunt, et Dei auxilio liberatus, de idololatriae igne profugerit » etc.

[11] Scilicet *ordinaria* in Luc. 4, 24. (ex Beda, in eundem loc.).

[12] Vers. 17. Codd. A C D: *Sermo meus veritas est.* — Sequuntur Ioan. 8, 45. et Iob 6, 25, cui F G subiungunt *ad*

tuus veritas est ». *In veritate* dicebat, cui credendum, et tamen non credebant; unde illud Ioannis octavo: « Si veritatem dico, quare non creditis mihi »? et illud Iob sexto: « Quare detraxistis sermonibus veritatis »? Et haec est veritas certa, quia sumitur de Scriptura. — Unde additur: *Multae viduae erant in diebus Eliae in Israel,* quae scilicet erant in necessitate constitutae propter *defectum matrimonialis societatis;* Ieremiae decimo quinto[1]: « Multiplicatae sunt viduae eius super arenam maris ». — Erant in necessitate constitutae propter *defectum pluviae caelestis;* unde addit: *Quando clausum est caelum, et non pluit*[2] *annis tribus et mensibus sex;* sicut Dominus comminatus fuerat Levitici vigesimo sexto: « Sin autem nec sic obedieritis mihi, dabo caelum desuper sicut ferreum »; et Deuteronomii vigesimo octavo: « Sit caelum, quod supra te est, aeneum ». Et sic factum est propter peccata eorum; unde Ieremiae tertio: « Polluisti terram in fornicationibus tuis. Idcirco prohibitae sunt stillae pluviarum, et serotinus imber non fuit ». — Erant in necessitate constitutae propter *defectum terrestris alimoniae;* et ideo additur: *Cum facta est*[3] *fames magna in omni terra;* sicut dicitur tertii Regum decimo octavo: « Erat fames vehemens » etc.; unde verificatum erat de filiis Israel illud Psalmi: « Famem patientur ut canes et circuibunt civitatem », quia circuibat rex et dispensator domus suae ad invenienda pascua, tertii Regum decimo octavo.

Triplex necessitas.

53. (Vers. 26.). Et licet essent in tanta necessitate, subiungitur: *Et ad nullam illarum missus est Elias,* ut eas per miraculum relevaret a penuria famis, ut sic verificaretur in eis illud Psalmi[4]: « Esurientes et sitientes, anima eorum in ipsis defecit ». Sed *extraneam* relevavit, unde addit: *Nisi in Sarepta Sidoniae ad mulierem viduam,* secundum quod scribitur tertii Regum decimo septimo: Dictum est Eliae: « Surge et vade in Sarepta Sidoniorum et manebis ibi; praecepi enim ibi mulieri viduae, ut pascat te », immo ipsa per te.

54. (Vers. 27.). Aliud exemplum ad confirmationem praedicti de *Eliseo* introducitur, cum ait: *Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo propheta;* unde quarti Regum septimo[5] dicitur, quod tempore Elisei « quatuor viri leprosi erant iuxta portam Samariae », et multi alii in necessitate consimili. *Et nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus* — quarti Regum quinto, ubi dicitur, quod Naaman ad verbum Elisei lavit se septies in Iordane et restitutus est plenariae sanitati — et hoc, iusto iudicio Dei, quia non erant digni. Et *a simili* et secundum imitationem praedecessorum ostendebat, eos esse indignos ad miraculorum susceptionem. Unde simile in Matthaei vigesimo tertio[6]: « Testes estis vobismetipsis, quia estis filii eorum qui occiderunt Prophetas; et vos implete mensuram patrum vestrorum »; et Actuum septimo: « Dura cervice et incircumcisi cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, et vos. Quem enim Prophetarum non sunt persecuti patres vestri » etc. Et sic manifeste sunt convicti, quia defectus miraculorum non erat imputandus impotentiae vel negligentiae Christi, sed potius suae invidiae et incredulitati; unde digni erant miraculis privari, sicut privati etiam fuerant patres sui.

Tertio, exemplo Elisei.

55. Et nota hic *spiritualiter,* quod in his duobus exemplis ostendit indignitatem Iudaeorum respectu gentilium quantum ad universalem *defectum* poenitentiae et universale *contagium* malitiae, quod in Iudaeis remansit non curatum, sed in gentibus est remediatum per Christum. *Clausio* enim *caeli* designat defectum gratiae et doctrinae; Deuteronomii undecimo[7]: « Cavete, ne recedatis a Domino »; et deinceps: « Et iratus Dominus claudat caelum, et pluvia non descendat, et terra non det germen suum ». De qua pluvia in Psalmo: « Pluviam voluntariam segregabit Deus »; et ex hoc fit fames et indigentia omnis boni; Iob decimo octavo: « Attenuetur fame robur eius, et inedia invadat costas eius ». — Et nota, quod dicitur subtracta esse pluvia annis tribus et mensibus sex, quia tribus annis et dimidio, quibus Dominus praedicavit, non receperunt pluviam gratiae, exigentibus peccatis suis. Quamvis enim super se veniret imber, Iudaea tamen non recepit ad fructificandum; ad Hebraeos sexto[8]: « Terra super se venientem bibens imbrem et germinans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo; proferens autem spinas et tribulos, reproba est et maledicto proxima ». — In hoc autem tempore mittitur verus Elias praedicator ad viduam in Sarepta Sidoniae, quae recte designat gentilitatem, sicut ostendit Beda in magna Glossa[9], et salvata est, populo derelicto Iudaeorum, secundum illud Actuum decimo

Expositio spiritualis indignitas Iudaeorum

Qoid sit clausio cae[li]

Applicatio.

Verus Elias

---

*incredulitatem* etc. [Vulgata: *cum e vobis nullus sit, qui possit arguere me*].

[1] Vers. 8. — Superius Vat. omittit *propter defectum matrimonialis societatis;* pro *matrimonialis* A C D *mutuae,* A a secunda manu *virilis.*

[2] Vulgata omittit *et non pluit.* Cfr. Iac. 5, 17, ubi etiam insinuatur, hanc siccitatem durasse « annos tres et menses sex », quod III. Reg. 17, 1. explicite non dicitur. — Subinde allegantur Lev. 26, 18. seq.; Deut. 28, 23. et Ier. 3, 2. seq.

[3] Vulgata *esset.* — Sequuntur III. Reg. 18, 2; Ps. 58, 15. et III. Reg. 18, 5: Dixit ergo Achab ad Abdiam: Vade in terram ad universos fontes aquarum et in cunctas valles, si forte possimus invenire herbam et salvare equos etc.

[4] Psalm. 106, 5. — Subinde allegatur III. Reg. 17, 8, ubi pro *in Sarepta* A D *in Sareptam.*

[5] Vers. 3. — Sequitur IV. Reg. 5, 14.

[6] Vers. 31. seq.: *Itaque testimonio estis* etc., post quem Act. 7, 51. seq.

[7] Vers. 16. et 17. — Duo seqq. loci sunt Ps. 67, 10. et Iob 18, 12. Cfr. Ambros., IV. in Luc. n. 50. seqq., et Beda, II. in Luc. 4, 25. seq.

[8] Vers. 7. seq.

[9] Scilicet *ordinaria* in Luc. 4, 26: Vidua, ad quam Elias mittitur, gentium figurat ecclesiam, quae a suo Conditore diutius deserta, populum rectae fidei nescivit, quasi pauperem filium egena stipe nutriebat, id est, verbo saecularis scientiae absque humilitatis fructu docebat etc. — Sequitur Act. 13, 46.

tertio: « Quoniam repellitis verbum Dei et indignos vos iudicatis aeternae vitae; ecce, convertimur ad gentes ».

]uid sit infectio leprae.

56. *Infectio* autem *leprae* designat corruptionem malitiae, quae fuit in omnibus ante adventum Christi, secundum illud Psalmi[1]: « Corrupti sunt et abominabiles facti sunt » etc. Ab hac non est curata Iudaea; Ezechielis vigesimo quarto: « Mundare te volui, et non es mundata a sordibus; sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te ». Sed Naaman mundatur, qui interpretatur *decor*, et designat gentium populum Sacramento baptismi decorum factum et omni foeditate mentis et corporis expurgatum. Et Osee octavo[2]: « Usquequo non poterit emundari »? secundum illud Ezechielis trigesimo sexto: « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris ». — Et sic secundum utrumque intellectum fuit hic confutatio infidelium Iudaeorum.

De declinatione persequentium duo.

57. (Vers. 28.). *Et repleti sunt omnes* etc. Postquam descripta est confutatio detrahentium, subiungitur hic *declinatio persequentium.* Habet autem haec pars duas. In prima describitur *malignantium persecutio;* in secunda vero, *persequentium declinatio,* ibi[3]: *Ipse autem transiens* etc. — Ad descriptionem ergo *persecutionis malignantium* tria introducuntur, scilicet *iracundia mentis, violentia operis* et *perfidia ex parte finis intenti.*

Primo, persecutio malignantium describitur tripliciter.

De primo.

Insinuat ergo *iracundiam mentis* in hoc quod dicit: *Et repleti sunt omnes in synagoga ira, haec audientes.* Unde verificatum est illud Amos quinto[4]: « Odio habuerunt corripientem in porta » etc.; propter quod dicitur Proverbiorum nono: « Noli arguere derisorem, ne oderit te; argue sapientem, et diliget te ». Unde ex auditu veritatis non sunt eruditi, sed potius excaecati et irati; contra quod dicitur Ecclesiastae septimo[5]: « Noli esse ad irascendum facilis, quia ira in sinu stulti requiescit »; et Iob quinto: « Vere stultum interficit iracundia », quia, sicut dicitur Proverbiorum vigesimo septimo, « ira non habet misericordiam nec erumpens furor ».

De secundo.

58. (Vers. 29.). *Violentiam* autem *operis* insinuat, cum addit: *Et surrexerunt et eiecerunt illum extra civitatem,* tanquam blasphemum; sic enim erat praeceptum; Levitici vigesimo quarto[6]: « Educ blasphemum extra castra, et lapidet eum omnis populus ». Et sic verificata est illa parabola, Matthaei vigesimo primo, qua dicitur, quod filium patrisfamilias « eiecerunt coloni extra vineam; vinea enim Domini exercituum domus Israel est », Isaiae quinto. Sic fecerunt Stephano, Actuum septimo: « Impetum fecerunt unanimiter in eum et eiecerunt eum extra civitatem » etc. Unde Salvator poterat eis dicere illud Iudicum undecimo[7]: « Nonne vos estis, qui odistis me et eiecistis extra domum patris mei »?

De tertio.

59. *Perfidiam* autem *ex parte finis intenti* explicat, cum adiungit: *Et duxerunt eum*[8] *usque ad supercilium montis,* quasi dicat: non per portam, *super quem civitas illorum erat aedificata.* Ad locum praeruptum ducebant ad praecipitium; unde poterat dici populo illi insano illud sapientis mulieris, secundi Regum vigesimo: « Quare praecipitas hereditatem Domini »? In hoc autem, quod praecipitare eum volebant, « peiores diabolo erant, sicut dicit Beda[9], quia ille dixit tantum verbo: *Mitte te deorsum;* isti conati sunt facto »; sed non valuerunt, quia ipse potestatem habebat ponendi animam suam, sicut dicitur Ioannis decimo. Unde Beda[10]: « Non a Nazaraeis praecipitari, non a Ierosolymitis lapidari, non inter pueros ab Herode perimi; sed crucis exspectare voluit triumphum. Ipsa enim est typus monarchiae singularis, *ut in nomine Iesu omne genu flectatur* etc., ad Philippenses secundo. Et hinc est, quod cacumina crucis caelos ostendunt, ima petunt inferos, cornua terram tegunt ».

Secundo, declinatio persequentium describitur tripliciter.

60. (Vers. 30.). *Ipse autem transiens* etc. Hic notatur *declinatio persequentium* perfecta, quia fuit sine *detentione,* sine *impulsione,* sine *portatione*[11]; unde non poterant sibi violentiam facere nec trahendo nec impellendo nec portando.

De primo.

Ad ostendendum igitur, quod non fuit *violentia detentionis,* dicitur: *Ipse autem transiens;* unde Ambrosius[12]: « Quod capitur a paucis et tenetur, voluntatis est; quod a populo non tenetur, sed transit, maiestatis ». Unde nihil poterat actum virtutis suae

---

[1] Psalm. 13, 1. — Subinde allegatur Ezech. 24, 13, in cuius fine pro *in te* plures codd. *a te.*

[2] Vers. 5, post quem Ezech. 36, 25. — Beda, II. in Luc. 4, 27: Naaman ergo iste Syrus, qui interpretatur *decor,* populum demonstrat nationum, quondam perfidiae scelerumque lepra maculosum, sed per Sacramentum baptismatis ab omni mentis et corporis foeditate purgatum.

[3] Vers. 30.

[4] Vers. 10. — Sequitur Prov. 9, 8.

[5] Vers. 10. — Duo seqq. loci sunt Iob 5, 2. [codd. *Virum stultum* etc.] et Prov. 27, 4. — Superius ante *irati* [Vat. *irritati*] C F G et Vat. omittunt *excaecati et.*

[6] Vers. 14. — Subinde allegantur Matth. 21, 39; Isai. 5, 7. et Act. 7, 57. seq.

[7] Vers. 7, ubi pro *extra domum* Vulgata *de domo.* Cod. C hic addit *de Iephte.*

[8] Vulgata *illum.* Subinde verba *quasi dicat: non per portam* supplevimus ex A D. — Inferius allegatur II. Reg. 20, 19.

[9] Libr. II. in Luc. 4, 29; sententia Bedae exhibetur verbis Glossae *ordinariae:* Peiores Iudaei discipuli diabolo magistro. Ille verbo ait [Luc. 4, 9.]: *Mitte te deorsum,* isti facto mittere conantur. — Subinde adducitur Ioan. 10, 18.

[10] Loc. cit. Textus originalis plura hinc inde interserit; circa finem allegatur Phil. 2, 10.

[11] Codd. hic *supportatione,* dum inferius n. 62. utuntur nomine *portatio* vel cum Vat. *vectio.*

[12] Haec verba habentur in Glossa *ordinaria* in Luc. 4, 29, sub nomine Bedae, qui II. in Luc. 4, 28. seq. non pauca ex Ambrosio, IV. in Luc. n. 56, exhibet. Ambros., loc. cit. ait: Simul intellige, non ex necessitate fuisse, sed voluntariam corporis passionem, nec captum a Iudaeis, sed a se ipso oblatum. Etenim, quando vult, capitur, quando vult, elabitur, quando vult, suspenditur, quando vult, non tenetur. Et hic in supercilium montis praecipitandus ascenderat, et ecce, per medium illorum, mutata subito vel obstupefacta furentium mente, descendit; nondum enim hora venerat passionis... Vides igitur et hic, Divinitatis

retardare; Canticorum secundo[1]: « Ecce, iste venit saliens in montibus, transiliens colles ». Fuit autem iste transitus a virtute propria, sed Petri in virtute aliena; Actuum duodecimo: « Transeuntes autem primam et secundam custodiam, venerunt » etc.

61. Ad ostendendum, quod non fuit *violentia impulsionis*, subditur: *Per medium eorum*[2], certus, quod non posset ab aliquo superari; unde poterat dicere illud Psalmi: « Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum ». Simile dicitur Ioannis decimo: « Quaerebant eum Iudaei apprehendere », scilicet ad lapidandum, « et exivit de manibus eorum ». *Per medium* vadit, quia « mediator Dei et hominum[3] » semper diligit medium; unde Ioannis primo: « Medius vestrum stetit quem vos nescitis ».

De secondo.

62. Ad ostendendum ulterius, quod non fuit *violentia portationis*, subditur: *ibat*, scilicet propria virtute, sicut animalia, de quibus Ezechielis primo[4] dicitur, quod « ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis ». *Ibat*, scilicet non in praeceps, sed descendebat, sicut dicit Beda[5], sub rupe, illi cedente petra et ipsum suscipiente, ut illi ad eum non possent attingere; unde poterat dicere illud Ioannis octavo: « Quo ego vado, vos non potestis venire ». In quo ostenditur simul Domini *potentia*, quia non potuerunt illum laedere, sed etiam lapides obediebant ei; ostenditur et *patientia*, quia cessit nec eos laesit, sicut Ioannis octavo[6] dicitur, quod « tulerunt lapides Iudaei, ut iacerent in eum; Iesus autem abscondit se et exivit de templo ».

De tertio.

63. Nota hic, quod quatuor modis est Domino Iesu mors intentata. Quidam tentaverunt *gladio* perimere, sicut Herodes, Matthaei secundo[7]; quidam *praecipitio*, sicut hic; quidam *lapidatione*, sicut Iudaei, Ioannis octavo; quidam *crucifixione*, Matthaei vigesimo septimo. — *Spiritualiter* enim Christus *crucifigitur* in nostra *recidivatione;* unde dicitur de his qui prolapsi sunt, ad Hebraeos sexto[8]: « Rursus sibimetipsis crucifigentes Filium Dei » etc. *Lapidatur* in *obduratione;* Matthaei vigesimo tertio: « Ierusalem, Ierusalem, quae occidis Prophetas et lapidas eos » etc., ubi ostenditur obduratio Iudaeorum. *Praecipitatur* autem in *desperatione;* Ieremiae vigesimo secundo[9]: « Succident electam cedrum tuam et praecipitabunt eam in ignem »; et hoc est in desperatione. Sed *gladio perimitur* in *blasphematione,* secundum illud Psalmi: « Filii hominum, dentes eorum arma et sagittae, et lingua eorum gladius acutus ».

Qoadruplici modo Christo mors intentata est.

Applicatio mystica.

**Authenticatur doctrina Christi ex miraculo potentiae.**

64. *Et descendit in Capharnaum* etc. Postquam ostendit doctrinam Christi authenticam ex merito vitae et testimonio Scripturae, hic modo ostendit ex *miraculo potentiae,* ut in ore trium testium stet firmum auctoritatis testimonium[10]. Habet autem haec pars tres. In prima proponitur *communicatio doctrinae Christi;* in secunda, *confirmatio virtutum miraculi,* ibi[11]: *Et in synagoga erat* etc.; in tertia, *acceptatio eiusdem a multitudine populi,* ibi: *Facta autem die, ibat* etc.

Divisio.

Circa *communicationem* autem *doctrinae* Christi quatuor exprimuntur, scilicet *locus, tempus, effectus* et *virtus.* Ex his autem quatuor colligitur doctrina Christi fuisse *humilis* et *celebris, admirabilis* et *sublimis.*

De communicatione doctrinae quatuor notantur.

65. (Vers. 31.). *Humilis,* inquam, ostenditur ex situ loci, quem notat, cum dicit: *Descendit in Capharnaum, civitatem Galilaeae. Descensus* enim in Christo signum humilitatis, sicut *ascensus* in superbis signum elationis; unde Canticorum sexto[12]: « Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium »; ad quod etiam designandum dicitur supra tertio, quod « descendit Spiritus sanctus corporali specie » etc.; et ideo ipse dicebat Ioannis sexto: « Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam ». Et haec magna est humilitas, et hanc docuit *verbo* Matthaei undecimo[13]: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde »; Ioannis decimo tertio *exemplo:* « Si ego lavi pedes vestros etc.; exemplum enim dedi vobis ». Huic etiam competit,

Primom.

esse quod operatus est [alias: quod non captus est], et illic voluntatis esse, quod captus est. Nam quemadmodum a paucis teneri potuit, qui a populo non teneretur etc. (in hunc loc.), qui duo affert hac de re (de saltu Domini) testimonia, scil. Brocardi et Adrichomii in Descript. terrae sanctae, in quorum fine adiungit: Verum haec certam non habent fidem. — Subinde allegatur Ioan. 8, 21.

[1] Vers. 8. — Subinde allegatur Act. 12, 10.

[2] Vulgata *illorum.* — Duo seqq. loci sunt Ps. 26, 3. et Ioan. 10, 39.

[3] Epist. I. Tim. 2, 5. — Sequitur Ioan. 1, 26. Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 1. n. 59, ubi explicatur, quod Christus semper *medium locum* dilexerit.

[4] Vers. 14. — Superius pro *portationis* D a secunda manu *deportationis*, Vat. cum CF *vectionis.*

[5] Scilicet Glossa *ordinaria* in Luc. 4, 29, quae tribuitur Bedae: Dicitur, quod cum Dominus de manibus illorum elapsus per medium illorum de rupis vertice descenderet atque sub ipsa rupe lateret, subito ad tactum vestis illius saxum illud subterfugit et ad instar cerae resolutum quendam sinum, quo dominicum corpus reciperetur, effecit etc. Cfr. Cornel. a Lapide

[6] Vers. 59.

[7] Vers. 13. — Sequuntur Ioan. 8, 59. et Matth. 27, 35.

[8] Vers. 6. — Subinde allegatur Matth. 23, 37. — Superius pro *recidivatione* Vat. *redemptione.*

[9] Vers. 7. — Sequitur Ps. 56, 5.

[10] Respicitur Matth. 18, 16: Ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Cfr. Deut. 19, 15.

[11] Vers. 33; tertia pars incipit v. 42: *Facta autem die egressus ibat* etc. — Superius pro *communicatio doctrinae* E *annuntiatio doctrinae;* idem recurrit aliquanto inferius.

[12] Vers. 10. — Duo seqq. loci sunt Luc. 3, 22. et Ioan. 6, 38.

[13] Vers. 29. — Sequitur Ioan. 13, 14.

quia civitas illa erat in confinio gentium et Iudaeorum, « in finibus Zabulon et Nephtalim [1] », ut sic ostenderet, se non despicere gentiles ratione culpae aut idololatriae; Isaiae nono: « Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephtalim, et in novissimo aggravata est ». Hnic accedit, quia istae duae tribus prius ceteris migraverant, sicut dicitur quarti Regum decimo quinto [2]; et ideo tanquam despectiores primo fuerant visitandae.

Secundum.

66. *Celebris* autem ostenditur communicatio doctrinae ex tempore solemni; propter quod ait: *Docebat*, in synagoga eorum, *Sabbatis* [3]. Tunc enim populus conveniebat ad auditum Legis, quia cessabant ab omni opere servili, sicut praecipitur Levitici vigesimo tertio. Et ideo Baruch primo: « Legite librum istum, quem misimus ad vos recitari in die solemni et tempore opportuno ». Sic etiam Paulus Sabbatis docebat, secundum quod dicitur Actuum decimo quinto: « Moyses a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur ». In quo erudimur, secundum consilium Ecclesiastici trigesimo octavo [4], sapientiam discere et docere, « in tempore vacuitatis, quia qui minoratur actu percipiet sapientiam ». Et etiam erudimur, in diebus solemnibus et in conspectu multitudinis maxime intendere divinis laudibus et praedicationibus; unde in Psalmo: « Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiae »; et rursus: « In ecclesiis benedicite Domino ».

Tertium.

67. (Vers. 32.). *Admirabilis* autem ostenditur ex stupore populi, cum additur: *Et stupebant in doctrina eius;* et hoc, quia aliquid magnum et insolitum in ea imaginantur. Sic et in doctrina Apostolorum post Spiritus sancti adventum, Actuum secundo [5], « stupebant autem omnes, qui eos audiebant »; Iob duodecimo: « Adducit consiliarios in stultum finem et iudices in stuporem ». Nec mirum, quia, sicut dixerunt ministri Ioannis septimo, « nunquam sic locutus est homo ».

Quartum.

68. *Sublimis* vero ostenditur ex virtute singulari, et hoc notat, cum addit: *Quia in potestate erat sermo ipsius;* sive quia loquebatur ut Dominus omnipotens, secundum illud Matthaei septimo [6]: « Admirabantur turbae super doctrina eius; erat enim docens sicut potestatem habens »; sive quia sermoni iuncta erat virtus faciens miracula, secundum illud Ecclesiastae octavo: « Sermo eius potestate plenus est »; et infra vigesimo quarto: « De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta potens in opere et sermone »; sive etiam, quia verba eius spiritualem virtutem sapiebant, secundum illud Psalmi [7]: « Dabit voci suae vocem virtutis ». Sic Apostolus primae ad Corinthios secundo: « Sermo noster et praedicatio non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis ». Nec mirum, si sermoni eius erat virtus coniuncta, quia ipse est « Dei virtus et sapientia », primae ad Corinthios primo [8]. Et ideo ad Hebraeos primo dicitur: « Portans omnia verbo virtutis ».

De confirmatione per virtutem miraculi tria notantur.

69. *Et in synagoga erat* etc. Post communicationem doctrinae Christi sequitur hic authenticatio per *virtutem miraculi.* Ostenditur autem haec virtus admirabilis in Christo docente tripliciter: primo respectu *sexus virilis;* secundo, respectu *sexus muliebris,* ibi [9]: *Surgens autem Iesus;* tertio, respectu *omnis sexus et aetatis,* ibi: *Cum autem sol occidisset.* — Rursus, alia differentia est ex parte *naturae,* quia primum [10] consistit in liberatione hominis a daemone; secundum, in liberatione mulieris a febre; tertium, in liberatione ab utrisque indifferenter. — Rursus, primum est in *loco eruditionis,* quia in synagoga; secundum vero, in *loco refectionis,* scilicet in domo Simonis; tertium, in *loco* [11] *requietionis,* quia post solis occasum. — Postremo, primum horum ostenditur factum fuisse circa *mane;* secundum, circa *meridiem;* tertium, in *fine diei.* Ac per hoc ex his omnibus est, quod Christus habet *posse* super omnem personam et super omnem naturam et in omni loco et in omni tempore; ac per hoc sufficienter ostenditur authenticari [12] doctrina eius per virtutem multiplicis miraculi.

Variae differentiae.

Notandum.

Curatio hominis obsessi per quatuor notatur.

Circa curationem igitur *hominis* a daemone [13] notanda sunt quatuor concurrentia, quae faciunt ad

---

[1] Ut dicitur Matth. 4, 13; ibid. etiam v. 14. seqq. allegatur prophetia Isai. 9, 1, quae mox a S. Bonav. subiungitur. Glossa *interlinearis* in Matth. 4, 13: « *In finibus Zabulon et Nephtalim,* Zabulon, quae est in Galilaea Iudaeorum, sicut Nephtalim gentium ». Glossa *ordinaria* in Matth. 4, 12: « Duae sunt Galilaeae, una dicitur Iudaeorum, altera gentium propter inhabitationem gentium; quam partem dedit Salomon regi Tyri, qui gentes ibi posuit ». Beda, I. in Matth. 4, 13: Capharnaum vero oppidum est iuxta stagnum Genesar in Galilaea gentium, in finibus Zabulon.

[2] Vers. 29. Chrysost., Homil. 6. (alias 7.) in Matth. (op. imperfect.): Sicut docet historia, hae tribus ante omnes transmigratae sunt in Babyloniam. Convenienter ergo, quos ante omnes ira Dei percussit, ipsos primum Dei misericordia visitavit, et qui primi ducti sunt in captivitatem corporalem, ipsi prius de spirituali captivitate reducti sunt. Cfr. Hieron., I. in Matth. c. 4, 15. seq.

[3] Vulgata: *Ibique docebat illos Sabbatis.* — Subinde allegantur Lev. 23, 3; Baruch 1, 14. et Act. 15, 21. — Superius ex A D supplevimus *communicatio doctrinae.*

[4] Vers. 25. — Duo seqq. loci sunt Ps. 21, 23. et 67, 27.

[5] Vers. 7; cfr. v. 12. — Sequuntur Iob 12, 17. et Ioan. 7, 46. — Superius pro *imaginantur* Vat. *imaginabantur.*

[6] Vers. 28. seq. — Subinde allegantur Eccle. 8, 4. et Luc. 24, 19.

[7] Psalm. 67, 34, post quem I. Cor. 2, 4: *Sermo meus et praedicatio mea non* etc.

[8] Vers. 24. — Sequitur Hebr. 1, 3.

[9] Vers. 38; tertium est v. 40. — Superius pro *authenticatio* (cfr. supra pag. 88, nota 12.) Vat. *comprobatio,* quae etiam pro *miraculi* substituit *miraculum.* Subinde pro *tripliciter: prima* A C H *differentia triplici, scilicet.*

[10] Vat. supplet *miraculum.*

[11] Scil. *domi;* A C D H *tempore,* sed de hoc dicitur in seqq.

[12] Vat. *authentica;* cfr. supra pag. 88, nota 12. Subinde pro *multiplicis miraculi* (ita D F H) Vat. *multitudinis miraculorum.*

[13] Vat.: *Praemittitur autem primó miraculum hominis daemoniaci curati. Circa cuius quidem curationem.* Codd. F G

manifestandum Christi potentiam: ex parte *daemoniaci* status manifestae miseriae; ex parte *daemonis* sensus divinae praesentiae; ex parte *Christi* operatio immensae potentiae; ex parte *populi* exhibitio debitae reverentiae; quae omnia convenientissime describuntur ab Evangelista ad praesentis miraculi magnificentiam.

70. (Vers. 33.). Ex parte igitur *daemoniaci* ostenditur *status manifestae miseriae,* cum dicitur: *Et in synagoga erat homo habens daemonium immundum,* quia in communi apparebat omnibus, quod erat a daemone obsessus; unde in loco communi erat, quia in synagoga, ubi multi conveniebant, secundum illud Ioannis decimo octavo [1]: « Ego semper docui in synagogis et in templo, ubi omnes Iudaei conveniunt ». In hac erat homo habens spiritum *immundum,* ab effectu, quia immundum facit; Zachariae decimo tertio: « Spiritum immundum auferam de terra ». *Immundus* iste spiritus dicitur, quia semper immunditiam suggerit; unde in Apocalypsis decimo sexto [2]: « Et vidi de ore draconis et de ore bestiae et de ore pseudoprophetae exire tres spiritus immundos in modum ranarum ».

Ex parte daemoniaci.

71. Ex parte vero *daemonis* ostenditur *sensus divinae praesentiae,* cum dicitur: *Et clamavit* [3] *vôce magna,* ut ex vi clamoris ostenderetur in daemone passio doloris; Isaiae sexagesimo quinto: « Ecce, servi mei laudabunt prae exsultatione cordis, et vos clamabitis prae dolore cordis et prae contritione spiritus ululabitis »; unde colligitur ex clamore, quod in daemone fuit dolor et tremor ex sensu praesentiae Christi. Unde Augustinus [4]: « Utinam sicut Deum daemones iudicem, sic homines agnoscerent Salvatorem! Daemones viderunt et contremuerunt, homines vero viderunt et occiderunt. O quanta infelicitas, homines peiores daemonibus inveniri »!

Ex parte daemonis.

Passio doloris in ipso.

72. (Vers. 34.). Unde ipse timor compulit veritatem confiteri, scilicet, quod Christus esset *destructor daemonum* et *sanctificator hominum.* Propter primum additur: *Dicens: Sine, quid nobis et tibi, Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? Sine,* id est, cessa ab afflictione et nostra persecutione, quia importabilis est; Iob decimo tertio [5]: « Manum tuam longe fac a me, et formido tua non me terreat ». Vel: *Sine,* id est, permitte, me elongari a te, quia *quid tibi et nobis?* quasi dicat: nulla convenientia, et ideo simul esse non possumus; secundae ad Corinthios sexto: « Quae conventio Christi ad Belial, lucis ad tenebras, iustitiae cum iniquitate »? Et quod non sit communicatio vel conventio, ostendit, cum adiungit: *Venisti perdere nos?* Proverbiorum vigesimo quarto [6]: « Repente consurget perditio eorum »; unde primae Ioannis tertio: « In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli ».

Confessio eius duplex. Prima.

73. Et nota, quod dupliciter est *perditio* daemonum, una scilicet propter peccatum superbiae, qua perditi sunt ab initio; Ezechielis vigesimo octavo [7]: « Perdidi te, o Cherub, procedens de medio lapidum ignitorum »; alia propter peccata superaddita, qua perdentur in extremo iudicio, cum auferetur omnis potestas, et infligetur omnis poena debita; de qua Deuteronomii trigesimo secundo: « Iuxta est dies perditionis ». Et haec perditio non fiet omnino ante diem iudicii; unde Marci primo [8]: « Venisti huc ante tempus perdere nos »? sed tamen ex tempore Christi inchoavit; Ioannis duodecimo: « Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras ».

Duplex daemonis perditio.

74. Non solum autem confitetur ipsum destructorem daemonum, sed etiam *sanctificatorem hominum,* cum adiungit: *Scio te, quod* [9] *sis Sanctus Dei,* ille quidem, de quo Danielis nono: « Ungetur Sanctus Sanctorum ». Hoc non sciebat certa scientia, cum dicatur primae ad Corinthios secundo: « Si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent »; sed cognoscebat coniecturando; Proverbiorum vigesimo tertio: « In similitudinem arioli et coniectoris aestimat quod ignorat ». Existimabat enim hoc per poenam, quam sentiebat.

Secunda confessio.

75. (Vers. 35.). Ex parte autem *Christi* ostenditur *operatio immensae potentiae,* cum adiungitur: *Et increpavit illum Iesus dicens: Obmutesce.* Tanquam enim omnipotens daemoni sola increpatione *silentium imponit;* Zachariae tertio [10]: « Ostendit mihi Dominus Iesum, sacerdotem magnum »; et sequitur: « Increpet Dominus in te, satan, et Dominus increpet in te ». Licet autem vera diceret, tamen *silentium imponebat,* quia, sicut dicitur Ecclesiastici decimo quinto [11], « non est speciosa laus in ore peccatoris »; unde et in Psalmo: « Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas »? — Vel ideo prohibuit, quia dolose loquitur et immiscet frequenter

Ex parte Christi.

Imponit silentium.

Aliter.

---

quoad primam partem conveniunt cum Vat., quibusdam tamen adiunctis, scil. *quatuor causis* [miraculi] *praetactis;* in ceteris consentiunt aliis codd. Inferius pro *sensus* Vat. *sentimen;* idem recurrit inferius.

[1] Vers. 20. — Sequitur Zach. 13, 2. [2] Vers. 13.

[3] Vulgata *exclamavit.* — Subinde allegatur Isai. 65, 14. Beda, II. in Luc. 4, 34: Praesentia Salvatoris tormenta sunt daemonum. Cfr. Hieron., I. Comment. in Matth. 8, 30. 31.

[4] Serm. 168. (alias 17. ex homil. 50) c. 2. n. 2: « Daemones dixerunt Christo [Marc. 3, 12.]: *Tu es Filius Dei.* Confitebantur daemones quod non credebant homines. Illi tremuerunt, illi occiderunt ». Codd. omittunt *Deum* et *vero,* pro *et occiderunt* B *et non crediderunt.*

[5] Vers. 21. — Sequitur II. Cor. 6, 14. seq.: Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? Aut quae societas luci ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial? — Superius pro *cessa ab afflictione* A D *cessa a destructione.*

[6] Vers. 22, post quem I. Ioan. 3, 8.

[7] Vers. 16, ubi pro *procedens* Vulgata *protegens.* — Subinde allegatur Deut. 32, 35.

[8] Vers. 24. — Sequitur Ioan. 12, 31. Cfr. II. Sent. d. 6. a. 2. q. 2.

[9] Vulgata *quis,* Beda, Card. Hugo et Lyranus *quia.* — Tres seqq. loci sunt Dan. 9, 24; I. Cor. 2, 8. et Prov. 23, 7. Cfr. supra pag. 89, nota 5. — Inferius pro *cognoscebat* (daemon) plures codd. incongrue *cognoscebant.*

[10] Vers. 1. et 2.

[11] Vers. 9, post quem Ps. 49, 16.

falsa veris; unde et Marci primo[1]: « Non sinebat, daemonia loqui », dicit Glossa, « ne, dum viderent vera dicentem, sequerentur errantem ». Et ideo in Psalmo: « Muta fiant labia dolosa, quae loquuntur adversus iustum iniquitatem ». Ostendit autem hic, vanam gloriam esse vitandam, ut a vanis et falsis non quaeramus laudari. Exemplum de Paulo, Actuum decimo sexto[2].

Expellit praecipiendo.

76. Non solum autem imponit silentium increpando, verum etiam *expellit praecipiendo*, cum addit: *Exi ab illo*[3]. Iam impletur illud Habacuc tertio: « Egredietur diabolus ante pedes eius ». Et ideo sequitur: *Et cum proiecisset illum daemonium in medium, exiit ab illo;* in quo ostenditur iracundia diaboli, quia invitus exiit et cum murmure; unde et in Marci primo[4]: « Et discerpens eum, exivit ab illo ». Hoc autem facit diabolus, cum videt, se perdere quod male possidet; Apocalypsis duodecimo: « Descendit ad vos diabolus, habens iram magnam » etc. Sed ira eius non laesit, Domino prohibente; unde subditur: *Nihilque ei*[5] *nocuit;* Isaiae undecimo: « Non nocebunt et non occident in omni monte sancto meo ». —

Notandum.

Ex hoc autem colligitur, quod diabolus habet semper voluntatem nocendi, quia hanc habet a semetipso, sed potestatem nocendi non semper, nisi quantum et quando permittitur a Deo iusto modo; unde ad Romanos decimo tertio[6]: « Non est potestas nisi a Deo ». Et ideo primae Petri tertio: « Quis est, qui vobis noceat, si boni aemulatores fueritis » ?

Ex parte populi.

Reverentia in corde.

77. (Vers. 36.). Postremo ex parte *populi* ostenditur *exhibitio debitae reverentiae,* cum subditur: *Et factus est pavor in omnibus.* Hoc dicitur quantum ad reverentiam secundum *actum cordis.* Nec mirum, quia, Iob vigesimo sexto[7], « columnae caeli contremiscunt et pavent ad nutum eius »; unde Iob quarto: « Pavor tenuit me et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt ». Et hoc ad aspectum tanti miraculi; Psalmus: « Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es; mirabilia opera tua »; et Ieremiae decimo: « Quis non timebit te, o rex gentium » ? —

Item, in ore.

Quantum vero ad *actum oris* adiungitur: *Et colloquebantur ad invicem,* scilicet alter ad alterum conferendo: *Quod*[8] *est hoc verbum?* id est res digna verbo, sicut quarti Regum vigesimo accipitur: « Non fuit verbum in domo mea, quod non ostenderim eis ». — *Quia in potestate et virtute imperat spiritibus immundis*[9]*; potestate* praecipiente, et *virtute* faciente. Nec mirum, quia, Iob vigesimo quinto, « potestas et terror apud eum, qui facit concordiam in sublimibus ».

Notandum.

Sed hoc imperium non est humanum nec etiam angelicum; unde in Canonica Iudae dicitur, quod « Michael Archangelus, cum altercaretur cum diabolo de Moysi corpore, hoc solum dicebat: Imperet tibi Dominus, satan ».

Divulgatio.

78. (Vers. 37.). Et quia hoc magnum et inusitatum erat, non silendum, sed cum reverentia divulgandum erat; ideo sequitur: *Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.* Sic de Salomone dicitur Ecclesiastici quadragesimo septimo[10]: « Ad insulas longe divulgatum est nomen tuum »; hoc ratione sapientiae est. Hoc praefiguratum fuit in David, primi Paralipomenon decimo quarto: « Divulgatum est nomen David in universis regionibus, et Dominus dedit pavorem super omnes inimicos eius »; similiter secundi Paralipomenon vigesimo sexto: « Divulgatum est nomen eius usque ad introitum Aegypti propter crebras victorias ». —

Notandum.

Nota, quod fuit divulgatum nomen David ratione *iustitiae;* nomen Salomonis, ratione *sapientiae*; nomen vero Romanorum[11], ratione *potentiae;* nomen Christi, ratione omnis *excellentiae* et dignitatis vel supereminentiae.

Curatio mulieris a febre, de qua quatuor notantur.

79. *Surgens Iesus de synagoga.* Post miraculosam curationem sexus virilis a daemone sequitur hic miraculosa curatio *sexus muliebris a febre;* quae ab Evangelista describitur hoc ordine. Primo notatur ipsius *febricitationis incommodum;* secundo vero, *intercessionis adiutorium;* tertio, *curationis remedium;* quarto, *perfectae liberationis indicium.* Haec enim quatuor concurrerunt ad hoc miraculum ostendendum[12].

Primum.

80. (Vers. 38.). Quantum igitur ad *febricitationis incommodum,* quod compellebat socrum Simonis iacere in domo, dicitur: *Surgens autem Iesus de.*

---

[1] Vers. 34. Glossa est *interlinearis* (ex Beda): Ne quis, dum audit praedicantem, sequatur errantem et falsa veris miscentem. — Subinde allegatur Ps. 30, 19.

[2] Vers. 16. seqq., ubi narratur, quod Paulus spiritum pythonem eiecerit e puella laudante Paulum tanquam Dei servum.

[3] Vulgata *Et exi ab eo.* — Sequitur Habac. 3, 5.

[4] Vers. 26. — Subinde allegatur Apoc. 12, 12.

[5] Vulgata *illum.* — Sequitur Isai. 11, 9.

[6] Vers. 1, post quem I. Petr. 3, 13. — Pro *iusto modo* D H *iusto iudicio.*

[7] Vers. 11. — Tres seqq. loci sunt Iob 4, 14; Ps. 138, 14. et Ier. 10, 7.

[8] Vulgata *dicentes: Quod.* — Subinde allegatur IV. Reg. 2, 15, ubi Vulgata: « Omnia, quaecumque sunt in domo mea, viderunt; nihil est, quod non monstraverim eis in thesauris meis ». Rabanus: « Omnia, quae in domo mea sunt, viderunt, non fuit verbum sive res, quam non ostenderim eis in thesauris meis ». Cfr. Sacra Biblia variarum translationum etc. (Venet. 1747), in qua IV. Reg. 20, 13. ex Septuaginta: Non fuit verbum, quod non ostenderit eis Ezechias in domo sua et in omni potestate sua.

[9] Vulgata addit *et exeunt.* — Sequuntur Iob 25, 2. et Iudae v. 9.

[10] Vers. 17. — Subinde allegantur I. Paralip. 14, 17. et II. Paralip. 26, 8, ubi illud dicitur de *Ozia.* — Inferius e codd. supplevimus *hoc ratione sapientiae est. Hoc praefiguratum* [B *Sic divulgatum*] *fuit.* Post *in David* B addit *ratione iustitiae.*

[11] Vat. *Oziae* (cfr. nota praecedens). B legit: *nomen vero Mariae ratione potentiae, supra primo* [*v. 48. seq.*]*: Ecce enim, ex hoc beatam me dicent omnes generationes; quia fecit mihi* etc. Etiam F substituit *Mariae.*

[12] Ita D; A H (bene) *confirmandum,* F *considerandum,* C et Vat. *consummandum.*

*synagoga, introivit in domum Simonis,* ut potestas eius, quae communiter manifestata fuerat coram omnibus, in domo secretius manifestaretur coram simplicibus et coram suis imitatoribus. In domo erat *mulier* curanda, non in synagoga, ad insinuandum quod dicitur primae ad Timotheum secundo[1]: « Docere autem mulieri non permitto ». — Ad hunc ingressum movebat misericordia propter mulieris miseriam relevandam; quam exprimit, cum dicit: *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus;* in quo designatur infirmitatis gravitas, quae disponit ad gratiam, iuxta illud Ecclesiastici trigesimo primo[2]: « Infirmitas gravis sobriam facit animam ». Licet autem esset gravis, poterat tamen de ea dici illud Ioannis undecimo: « Infirmitas haec non est ad mortem, sed ut manifestetur gloria Dei »; quam gloriam non solum debuit in altero sexu ostendere, sed in utroque, quia, sicut uterque lapsus fuerat, ita pertinebat ad redemptionem. Unde in Christi *nativitate* fuit Ioseph cum Maria[3]; in Christi *praedicatione,* discipuli et mulieres, secundum quod dicitur infra octavo: in *passione,* Maria et Ioannes, Ioannis decimo nono; in *resurrectione,* discipuli et Magdalena, Ioannis vigesimo. Sic vir et mulier ad Dei gloriam ostendendam curantur, et a graviori mulier quam vir, quia pluribus poenalitatibus est subiecta; Genesis tertio: « Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos; in dolore paries filios et sub viri potestate eris ».

Notandum.

81. Quantum vero ad *intercessionis suffragium* subditur: *Et rogaverunt illum pro illa*[4], discipuli et illi qui aderant. Quamvis enim Dominus velit dare, nihilominus vult rogari, secundum illud Psalmi: « In die tribulationis tuae invoca me; eruam te, et honorificabis me »; Isaiae quinquagesimo octavo: « Invocabis, et Dominus exaudiet; clamabis, et dicet: Ecce adsum », « quia misericors sum, Dominus Deus tuus ».

Secundum.

82. Et nota, quod Dominus aliquem curavit *sine precibus,* sicut daemoniacum prius[5]; alium *precibus alienis,* ut hic; alium *precibus propriis,* ut infra quinto leprosum. In quo significatur, quod tripliciter animas peccatrices curat gratia Salvatoris, nunc intercedente *sola benignitate suae clementiae;* ad Romanos secundo[6]: « An ignoras, quod Dei benignitas ad poenitentiam te adducit »? Nunc interveniente *oratione Ecclesiae;* Iacobi quinto: « Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, et oratio fidei salvabit infirmum ». Nunc vero interveniente *proprio gemitu;* Exodi sexto[7]: « Ego audivi gemitum filiorum Israel »; quarti Regum vigesimo: « Audivi orationem tuam et vidi lacrymam tuam et sanavi te ». Et ideo dicebat anima sancta in Psalmo: « Ego autem ad Dominum clamavi, et Dominus salvavit me ».

Christus curat triplici modo.

83. (Vers. 39.). Quantum ad *curationis remedium* adiungitur: *Et stans super illam, imperavit febri, et dimisit illam.* Imperat autem tanquam dominus et rex, sicut Ecclesiastae quinto[8]: « Insuper rex universae terrae imperat servienti »; et quia « non est ei impossibile omne verbum »; ideo « dixit, et factum est ». Unde ad praeceptum eius recessit febris, secundum illud Psalmi: « Praeceptum posuit, et non praeteribit ». Nec mirum, quia[9] « omnia, quaecumque voluit, fecit in caelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis »; et Ieremiae quinto: « Me ergo non timebitis, ait Dominus, et a facie mea non pavebitis? Qui posui arenam terminum mari, praeceptum sempiternum, quod non praeteribit ». Unde miro modo in hoc arguitur et reprehensibilis ostenditur pervicacia humanae voluntatis, quod omnis creatura sensibilis, et quod plus est, defectus poenalis obedit divinis imperiis, quibus homo miserabilis contradicit.

Tertium.

84. Postremo quantum ad *perfectae liberationis indicium* subditur: *Et continuo surgens ministrabat*[10]. Hoc enim certum est perfectae curationis indicium, quod nullae remanserunt reliquiae, pro eo quod statim facta est potens ad motum et potens ad obsequium. Unde surrexit et ministrabat tanquam bona matrona et quasi altera Martha, de qua infra decimo[11]: « Martha autem satagebat circa frequens ministerium ». Et tales merentur divinum beneficium; quarti Regum quarto dicit Eliseus Sunamiti: « Ecce, sedule in omnibus ministrasti nobis, quid vis, ut faciam tibi »? Talem viduam dicebat Apostolus esse eligendam primae ad Timotheum quinto: « Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, in operibus

Quartum.

---

[1] Vers. 12. — Superius pro *secretius* D G *securius.*

[2] Vers. 2. — Sequitur Ioan. 11, 4. Ambros., IV. in Luc. n. 57: Et bene sanctus Lucas virum ab spiritu nequitiae liberatum ante praemisit et substituit feminae sanitatem. Utrumque enim sexum Dominus curaturus advenerat; et prior sanari debuit qui prior creatus est, nec praetermitti illa quae mobilitate magis animi quam pravitate peccaverat. — Inferius verbo *pertinebat* A et Vat. addunt *uterque.*

[3] Cfr. supra 2, 16. — Quatuor seqq. loci sunt Luc. 8, 1. seq.; Ioan. 19, 26. et 20, 1. seq.; Gen. 3, 16. — Inferius pro *poenalitatibus* Vat. *poenis.*

[4] Vulgata *ea.* — Subinde allegantur Ps. 49, 15; Isai. 58, 9. et Exod. 22, 27: Si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum; cfr. Deut. 4, 31: Quia Deus misericors Dominus Deus tuus est.

[5] Supra v. 35. — Sequitur Luc. 5, 13.

[6] Vers. 4. — Subinde allegatur Iac. 5, 14. Cfr. Beda, II. in Luc. 4, 38. seq.

[7] Vers. 5. — Duo seqq. loci sunt IV. Reg. 20, 5. et Ps. 54, 17, pro quo Vat. 29, 3.

[8] Vers. 8. — Sequuntur Luc. 1, 37; Ps. 148, 5. et 6.

[9] Ut dicitur in Ps. 134, 6, post quem Ier. 5, 22, ubi pro *pavebitis* (ita translatio ex Hebr.) Vulgata *dolebitis,* et pro *terminum mari* codd. *terminum maris.*

[10] Vulgata addit *illis.*

[11] Vers. 40. Beda, II. in Luc. 4, 39: Naturale est febricitantibus, incipiente sanitate, lassescere et aegrotationis sentire molestiam; verum sanitas, quae Domini confertur imperio, simul tota redit. Non solum ipsa redit, sed et tanto robore comitante, ut eis continuo, qui se adiuverant, ministrare sufficiat etc. — Duo seqq. loci sunt IV. Reg. 4, 13. et I. Tim. 5, 9. 10.

bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est ».

Expositio allegorica.

85. Notandum autem est hic quantum ad sensum *allegoricum*, quod curatio *viri a daemone* significat curationem gentilis populi ab errore; in cuius rei figuram dicitur Isaiae trigesimo quarto[1]: « Occurrent ibi daemonia, onocentaurus et pilosus clamabit alter ad alterum ». Hoc dicitur de Idumaea sub figura gentilitatis. Hoc daemonium eiicitur per fidem Christi, secundum illud Marci ultimo[2]: « In nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent » etc.; illos *serpentes* diffundentes virus erroris, sicut serpens, de quo secundae ad Corinthios undecimo: « Timeo, ne, sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri et excidant a simplicitate, quae est in Christo ». — Per curationem *socrus Simonis a febre* significatur curatio synagogae ab aestu carnalis concupiscentiae, quo inardescit ille populus carnalis; Osee septimo[3]: « Omnes adulterantes sicut clibanus succensus a coquente ». Et ideo praemittitur curatio viri, quia, sicut dicitur ad Romanos undecimo, « cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet ».

Expositio moralis.

86. Secundum sensum *moralem* curatio *hominis a daemone* significat curationem a *peccatis spiritualibus*, secundum quod dicitur primi Regum decimo sexto[4]: « Spiritus nequam a Domino vexabat Saul »; et infra undecimo: « Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat » etc. — Curatio *mulieris a febre* est curatio animae a *peccatis carnalibus;* Ecclesiastici vigesimo tertio[5]: « Anima calida quasi ignis ardens, non exstinguetur, donec aliquid glutiat ». Unde Beda: « *Homo a daemonio* liberatur, cum animus ab immunda cogitatione purgatur; *femina a febribus*, cum caro a fervore concupiscentiae refrenatur ». Et ideo homo in medio synagogae eliditur, quia qui spiritualibus peccatis detinetur indiget humiliari in conspectu hominum; Psalmus[6]: « Custodiens parvulos Dominus »; ista vero, Domino stante super eam in domo, quia necessaria est cum divina gratia custodia disciplinae; Ecclesiastici vigesimo sexto: « In filia non avertente se firma custodiam, ne, inventa occasione, abutatur se »; et ideo primae ad Corinthios nono: « Castigo corpus meum et in servitutem redigo » etc.

Curatio universalis, de qua quatuor notantur.

87. (Vers. 40). *Cum autem sol occidisset* etc. Hic post curationem sexus virilis et muliebris subiungitur *curatio universalis* respectu omnis sexus, aetatis et infirmitatis. In qua manifestatur admirabilis potentia Christi ex quatuor, scilicet ex *varietate languorum*, ex *facilitate curationum*, ex *confessione daemonum*, ex *cohibitione spirituum immundorum*.

Primum.

Primo igitur introducitur *varietas languorum* in hoc quod dicitur: *Cum autem sol occidisset, qui*[7] *habebant infirmos variis languoribus ducebant illos ad eum*, ut scilicet curaret; et merito, quia, Isaiae quinquagesimo tertio, « vere languores nostros ipse tulit » etc.; et Actuum decimo: « Pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo »; et sine distinctione, quia super omnia poterat aequaliter; unde Sapientiae decimo sexto[8]: « Non herba neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia »; unde et Matthaei quarto dicitur, quod « sanabat omnem languorem et omnem infirmitatem ».

Notandum. Ratio prima.

88. Et nota, quod adducebant *post solis occasum*, ut ostenderetur, quod Christus non tantum de die, sed etiam de nocte sollicitus et potens erat circa salutem humani generis. Quod fuit figuratum Genesis trigesimo primo[9] in Iacob: « Die noctuque aestu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis »; et Sapientiae ultimo: « In omnibus magnificasti populum tuum, Domine, et exaltasti, in omni tempore et in omni loco assistens eis ». — Vel ideo *post solis occasum*, ut ostenderet, vitandam esse gloriam hominum; unde reprehendit Pharisaeos Matthaei vigesimo tertio[10], quia « faciunt omnia opera sua, ut videantur ab hominibus ». — Aut ideo *post solis occasum*, ut designetur, per *passionem* acquirendum esse generale remedium. Christus enim sol est, secundum illud Malachiae quarto[11]: « Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae »; iste *occubuit* in passione; unde Amos octavo: « Occidet eis sol in meridie »; et tunc plures sanati sunt, quod figuratum est Iudicum decimo sexto in morte Samsonis, qui interpretatur *sol eorum*. Unde Beda[12]: « Solis occubitus est passio Christi, per quam plures sanantur daemoniaci et aegroti quam ante ».

Secunda. Tertia.

---

[1] Vers. 14, ubi recentior Vulgata: *Et occurrent daemonia onocentauris* etc.

[2] Vers. 17. seq. — Subinde allegatur II. Cor. 11, 3. — Inferius post *erroris* pro *sicut serpens*, quod habet G, A F *spiritus ille*, D *spiritus, et ille*, Vat. *qualis fuit*.

[3] Vers. 4. — Sequitur Rom. 11, 25. seq.

[4] Vers. 14, post quem Luc. 11, 24.

[5] Vers. 22. — Sententia Bedae habetur II. in Luc. 4, 38, ipsaque allegatur secundum Glossam *ordinariam* apud Lyranum in Luc. 4, 35.

[6] Psalm. 114, 6. (sequitur: humiliatus sum etc.). — Duo seqq. loci sunt Eccli. 26, 13, ubi Vulgata *utatur* pro *abutatur;* I. Cor. 9, 27. — Inferius post *ista vero* Vat. supplet *liberatur*.

[7] Vulgata *omnes qui*. — Sequuntur Isai. 53, 4. et Act. 10, 38.

[8] Vers. 12, post quem Matth. 4, 23.

[9] Vers. 40. — Sequitur Sap. 19, 20.

[10] Vers. 5.

[11] Vers. 2. — Duo seqq. loci sunt Amos 8, 9. et Iudic. 16, 30: Moriatur anima mea cum Philisthiim. Concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes... multoque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat. Cfr. Gregor., XXIX. Moral. c. 14. n. 26, ubi hoc de Christo moriente exponitur. Hieron., de Nominib. Hebraic. libr. Iudic.; *Samson*, sol eorum, vel solis fortitudo.

[12] Libr. II. in Luc. 4, 40. Verba allegantur secundum Glossam *ordinariam* in eundem loc.

89. Secundo additur *facilitas curationum,* cum

Secundum. additur: *At ille, singulis manus imponens, curabat omnes*[1]. Faciliter curabat, quia sine interpellatione, sed sola manus impositione sanabat. Nec mirum, quia, secundum quod dicitur Isaiae quinquagesimo nono, « non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat ». Et non solum poterat hoc per se, sed etiam aliis communicare, secundum illud Marci ultimo: « Super aegros manus imponent, et bene ha-

Notandum. bebunt ». — Et nota, quod *singulis* imposuisse dicitur sine exclusione, sicut dicitur Actuum decimo[2]: « Non est personarum acceptor Deus »; et ideo in Psalmo: « Aperis tu manum tuam et imples omne animal benedictione ». Et hoc est quod dicitur Sapientiae sexto: « Pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus ». Et ideo dicitur: *Curabat omnes,* scilicet ad se venientes, quia dicitur Ioannis sexto: « Omnis, qui venerit ad me, non eiiciam foras ». Nec mirum, quia « idem Dominus omnium dives in omnes, qui invocant illum », ad Romanos decimo.

90. (Vers. 41.). Tertio subditur *confessio dae-*

Tertium. *monum,* cum subditur: *Exibant autem daemonia a multis clamantia,* scilicet prae dolore et timore et admiratione, Isaiae sexagesimo quinto[3]: « Clamabitis prae dolore cordis et prae contritione spiritus ululabitis ». Sed cassus erat eorum clamor; Psalmus:

Aliter. « Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret ». — Vel *clamantia,* propter publicam veritatis annuntiationem. Et ideo subditur vera confessio: *Et dicentia: Quia tu es Filius Dei.* Hoc autem dicebant non ex certitudine, sed ex coniecturatione propter potentiae magnitudinem. Et ideo prius[4] dixit daemon: « Scio, quod sis *Sanctus Dei »;* nunc, quod *Filius Dei,* quia per maiora experimenta in cognitione profecerat. Hoc autem, quod coniiciebant, confitebantur *non corde* dicendo; de quo primae ad Corinthios duodecimo[5]: « Nemo potest dicere: Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto »; cui *dicere* respondet verbum, quod est « cum amore notitia »; *non corde et opere* confitebantur; de quo primae Ioannis quarto: « Omnis, qui confitetur, Christum Iesum venisse in carnem, ex Deo est »; sed *solum ore* dicebant et *corde odiebant* et *opere negabant;* ad Titum primo: « Confitentur, se nosse Deum, factis autem negant ». Nec mirum, quia, secundum quod dicitur in Psalmo[6], « in inferno quis confitebitur tibi »? Nullus, scilicet confessione meritoria, sed omnes confessione extorta et necessaria; Sapientiae quinto: « Dicentes intra se, poenitentiam agentes » etc.

91. Postremo additur *cohibitio spirituum im-* Quartum.

*mundorum,* cum subiungitur: *Et increpans non sinebat ea loqui,* ut verificetur illud Psalmi[7]: « Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt ». *Non sinebat* etc., quia frequenter Dominus obicem opponit malignantibus; unde secundi Machabaeorum sexto: « Non sinere peccatoribus agere ex sententia magni beneficii est indicium ». — Vel Aliter.

ideo *non sinebat,* quia per daemones manifestari nolebat; unde et subditur: *Quia sciebant, ipsum esse Christum,* id est, probabiliter coniiciebant. « Non enim innotuit daemonibus, ut dicit Augustinus[8], ut splendor et lux, sed per quandam suae virtutis efficaciam ». Nolebat autem Dominus sui nominis cognitionem per daemones divulgari, tum quia erant *indigni,* tum quia *odiosi,* tum etiam quia *fraudulenti;* et ideo talis confessio nec conveniebat Deo nec congruebat daemoni nec proderat homini. Beda[9]: « Improbus magister veris falsa permiscet, ut specie veritatis fraudis testimonium obtegat ». Ex quo Notandum.

nobis datur intelligi, quod qui in praedicando Christum veris falsa permiscent omnino sunt cohibendi, sicut haeretici; primae ad Corinthios quinto[10]: « Modicum fermenti totam massam corrumpit ». Si qui autem vera praedicant, non tamen intentione recta, sustinendi sunt; et de talibus dicitur ad Philippenses primo: « Sive per occasionem, sive per veritatem annuntietur Christus, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo ». Si autem praedicant vera et bona, et tamen non faciunt, nihilominus sunt audiendi; Matthaei vigesimo tertio[11]: « Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei ». Et tales designati

---

[1] Vulgata *eos.* — Subinde allegantur Isai. 59, 1. et Marc. 16, 18. — Inferius pro *sine interpellatione,* id est sine oratione, B D F *sine interpolatione.* Secundum Du Cange, Glossarium etc., *interpellare* idem est ac deprecari, exorare; *interpolare* praeter alia significat etiam interrumpere.

[2] Vers. 34. — Tres. seqq. loci sunt Ps. 144, 16. et Sap. 6, 8; Ioan. 6, 37: Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet, et eum qui venit ad me etc.; Rom. 10, 12.

[3] Vers. 14. — Sequitur Ps. 17, 42.

[4] Supra v. 34. Cfr. supra pag. 106, nota 9.

[5] Vera. 3. — Subinde allegatur definitio verbi ab August., IX. de Trin. c. 10. n. 15, proposita: « Verbum est igitur... cum amore notitia »; post quam sequuntur I. Ioan. 4, 2. et Tit. 1, 16. — Superius pro *coniiciebant* Vat. *ex coniectura confitebantur daemones,* quae etiam in definitione verbi pro *notitia* perperam substituit *dicere.*

[6] Psalm. 6, 6. — Sequitur Sap. 5, 3. Hieron., I. Comment. in Matth. 8, 30. seq.: *Quid nobis et tibi, Iesu Fili Dei?...* Non voluntatis ista confessio est, quam praemium sequitur confitentis, sed necessitatis extorsio, quae cogit invitos, velut si servi fugitivi post multum temporis dominum suum videant, nihil aliud nisi de verberibus deprecantur.

[7] Psalm. 103, 7. — Subinde allegatur II. Mach. 6, 13.

[8] Libr. IX. de Civ. Dei, c. 21: Innotuit ergo daemonibus non per id quod est vita aeterna et lumen incommutabile, quod illuminat pios... sed per quaedam temporalia suae virtutis effecta et occultissimae signa praesentiae, quae angelicis sensibus etiam malignorum spirituum potius quam infirmitati hominum possent esse conspicua.

[9] Libr. II. in Luc. 4, 41, ubi textus originalis, quem sequitur Vat., *obtexat* pro *obtegat,* quod exhibet etiam Card. Hugo, in hunc loc. Cfr. supra pag. 107, nota 1.

[10] Vers. 6. — Sequitur Phil. 1, 18.

[11] Vers. 2. — Subinde allegatur Luc. 9, 49. seq.: Praeceptor, vidimus quendam in nomine tuo eiicientem daemonia et prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Et ait ad illum [Ioannem] Iesus: Nolite prohibere; qui enim non est adversum vos pro vobis est. — Inferius pro *manifestata* A C G *manifesta.*

sunt per illum, de quo dicitur infra nono, quod praedicabat Christum, non sequens eum; quem Dominus noluit prohiberi. Ex praedictis liquet, quod Salvatoris potestas per omnem modum est manifestata.

De acceptatione doctrinae Christi a popolo quatuor notantur.

92. (Vers. 42.). *Facta autem die* etc. Post communicationem doctrinae Christi et authenticationem [1] ipsius ex operatione miraculi subiungitur hic tertio *acceptatio eiusdem a multitudine populi.* Ad hoc autem, quod doctrina aliqua debito modo auditoribus fiat accepta, oportet, quod sit immunis ab *ostentatione*, ab *ambitione*, ab *adulatione* et a *personarum acceptione.* His enim modis quatuor consuevit doctrinae acceptatio depravari.

Fuit immunis ab ostentatione.

Primo ergo ab acceptatione doctrinae Christi excluditur *ostentatio*, cum dicitur: *Facta autem die, egressus ibat in desertum locum*, volens se magis humiliter occultare quam impudenter ostentare, secundum illud Psalmi [2]: « Elongavi fugiens et mansi in solitudine ». Huius figura praecessit in Elia, de quo tertii Regum decimo nono dicitur, quod relicto puero suo, solus perrexit in desertum, postquam fecerat miraculum de igne consumente holocaustum. Huius etiam figura praecessit in David, qui dixit ad Ionatham primi Regum vigesimo [3]: « Dimitte me, ut abscondar in agro usque ad vesperam diei tertiae », id est usque ad resurrectionem. Ob quam etiam causam dixit discipulis Matthaei decimo septimo: « Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat »; et Ioannis duodecimo: « Haec locutus est Iesus et abiit et abscondit se ».

Figurae.

Expositio mystica.

93. Illud autem *iter in desertum* et *egressus de civitate* significat egressum vitae saecularis et ingressum religionis. *Desertum* enim est locus *paupertatis, asperitatis* et *vilitatis*, contra tria, quae sunt in mundo, secundum illud primae Ioannis secundo [4]: « Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia oculorum, aut concupiscentia carnis, aut superbia vitae ». Contra haec statuit Dominus *desertum religionis*, in quo notatur triplex bonum his oppositum, scilicet continentiae, paupertatis et obedientiae; et ideo merito dicitur *desertum.* In hoc deserto moratus est Ioannes; unde Matthaei undecimo [5]: « Quid existis in desertum videre? Hominem mollibus vestitum »? in quo patet asperitas paupertatis; « arundinem vento agitatam »? in quo designatur humilitas, quae non delectatur in vento laudum nec deiicitur in vituperio detractionum et conviciorum. — In hoc *deserto* fuit Christus, cuius figura praecessit primi Regum vigesimo tertio [6]: « Morabatur David in deserto, in locis munitissimis, in monte solitudinis Ziph », quia altissimam religionem tenuit Christus. Unde Augustinus de Vera Religione: « Omne peccatum provenit, aut quia appetimus quae Christus contempsit, aut quia fugimus quae sustinuit. Satellites enim diaboli divitias appetebant, Christus pauper esse voluit; honoribus inhiabant, rex fieri noluit; delicias cupiebant, crucifigi voluit ».

Religio tripliciter opponitur mundo.

Figura.

Item, ab ambitione.

94. Secundo excluditur *ambitio* in hoc quod sequitur: *Et turbae requirebant eum et venerunt usque* [7] *ad ipsum.* Non ipse se ingerebat ex *ambitione;* unde dicitur Ioannis sexto [8]: « Qui cum cognovisset, quod venturi essent, ut facerent eum regem, fugit ». In quo docuit, quod honoris officium non est assumendum, nisi homo requiratur; unde ad Hebraeos quinto: « Nec quisquam sumit sibi honorem ».

Commendatur devotio populi.

95. In hoc etiam commendatur *devotio populi*, quia latere volentem requirebat eum, dum tempus erat; Isaiae quinquagesimo quinto [9]: « Quaerite Dominum, dum inveniri potest »; et Osee decimo: « Tempus requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos iustitiam »; et anima sancta in Psalmo: « Exquisivit te facies mea ». Et quod *devote* requirerent eum, apparet, quia scilicet *venerunt usque ad ipsum*, secundum illud Isaiae vigesimo primo [10]: « Si quaeritis, quaerite, convertimini et venite »; unde Matthaei undecimo: « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis » etc. Unde quia devote quaesierunt, invenerunt, secundum illud Sapientiae primo: « In simplicitate cordis quaerite illum ». — Et quia perfecta devotio non solum facit quaerere, sed *detinere* inventum; ideo subditur: *Et detinebant illum, ne discederet ab eis*, secundum illud Canticorum

Notandum.

---

[1] Vat. *confirmationem.*

[2] Psalm. 54, 8. — Sequitur III. Reg. 19, 3. seq.: « Dimisit ibi puerum suum et perrexit in desertum » etc. Miraculum de igne consumente holocaustum narratur ibid. 18, 23. seqq. — Superius pro *impudenter* C *imprudenter*.

[3] Vers. 5. — Duo seqq. loci sunt Matth. 17, 9. et Ioan. 12, 36.

[4] Vers. 16. — Inferius pro *in quo notatur* [C F G *notat*] *triplex bonum his oppositum* H *in quo invenitur* [Vat. *vovetur*] *triplex bonum his* [Vat. *triplex votum praedictis*] *oppositum.*

[5] Vers. 7. seq. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 6. n. 2: Arundinem quippe mox, ut aura contigerit, in partem alteram flectit. Et quid per arundinem nisi carnalis animus designatur? Qui mox ut favore, vel detractione tangitur, statim in partem quamlibet inclinatur etc. Cfr. I. Homil. in Ezech. homil. 9. n. 16. — Pro *asperitas paupertatis* in D secunda manus substituit *asperitas et paupertas;* idem habet H.

[6] Vers. 14. — Sententia Augustini habetur de Vera Relig. c. 16. n. 31: « Satellites voluptatum divitias perniciose populi appetebant, pauper esse voluit. Honoribus et imperiis inhiabant, rex fieri noluit... Dolores corporis exsecrabantur, flagellatus atque cruciatus est. Mori metuebant, morte mulctatus est. Ignominiosissimum mortis genus crucem putabant, crucifixus est. Omnia, quae habere cupientes, non recte vivebamus, carendo vilefecit. Omnia. quae vitare cupientes, a studio deviabamus veritatis, perpetiendo deiecit. Non enim ullum peccatum committi potest, nisi aut dum appetuntur ea quae ille contempsit, aut fugiuntur quae ille sustinuit ». Pro *divitias appetebant* C D F G *delicias appetebant.*

[7] Plures codd. omittunt *usque;* idem recurrit aliquanto inferius.

[8] Vers. 15. — Subindo allegatur Hebr. 5, 4. — Superius post *ex ambitione* Vat. addit: *sed illi quaerebant eum ex devotione.*

[9] Vers 6. — Duo seqq. loci sunt Osee 10, 12. et Ps. 26, 8.

[10] Vers. 12, post quem Matth. 11, 28. et Sap. 1, 1.

tertio [1]: « Inveni quem diligit anima mea: tenui eum nec dimittam » etc. Nec mirum, quia, Proverbiorum tertio, « lignum vitae est his qui apprehenderint eam; et qui tenuerit eam, beatus ». Unde poterant dicere illud animae sanctae in Psalmo: « Ne derelinquas me, Domine; Deus meus, ne discesseris a me ». In quo ostenditur, quod Christus nec ambiebat honorem, antequam offerrent, nec etiam iam oblatum, quia quasi violenter detinebatur. — Huius figura praecessit Genesis trigesimo secundo [2]: « Dimitte me, quia aurora est », quod dixit Angelus ad Iacob.

Figura.

96. (Vers. 43.). Tertio excluditur *adulatio* in hoc quod additur: *Quibus ille ait: Quia* [3] *aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei.* Non eis blanditur, sed ostendit, se aequaliter curare de omnibus; unde poterat dicere illud primae ad Thessalonicenses secundo: « Neque fuimus in sermone adulationis, neque quaerentes ab hominibus gloriam, neque a vobis neque ab aliis ». Non enim quaerebat hominibus placere, sed Deo; et ideo dicit: *Oportet me evangelizare,* quia haec est voluntas Patris; unde subdit: *Quia ideo missus sum;* Isaiae sexagesimo primo [4]: « Evangelizare pauperibus misit me ». Et ideo *oportebat,* quia Ioannis decimo quarto dicitur: « Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio ». Missus autem fuerat evangelizare *pauperibus,* secundum quod dicitur in auctoritate praemissa in Isaia. Missus etiam fuit evangelizare *regnum Dei,* sicut dicitur hic. Et ideo colligitur, quod missus fuerat evangelizare pauperibus regnum Dei. Unde Matthaei quinto [5]: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum »; et vere *ipsorum,* quia, decimo nono, « difficile qui pecunias habent introibunt in regnum caelorum ». Quia nemo potest habere illud regnum, nisi contemnat terrenum; et difficile pecuniae ab habentibus contemnuntur: ideo difficile acquirunt quod pauperibus est promissum.

Item, ab adulatione.

97. (Vers. 44.). Quarto vero excluditur *personarum acceptio* in hoc quod sequitur: *Et erat praedicans in synagogis Galilaeae,* scilicet omnibus indifferenter: Matthaei nono [6]: « Circuibat Iesus omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum ». Hoc decet facere bonum praedicatorem, secundum illud Proverbiorum quinto: « Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide »; et Isaiae trigesimo secundo: « Beati, qui seminatis super omnes aquas ». « *Semen* autem est verbum Dei », infra octavo. Unde bonus praedicator, imitator Christi, debet esse communis persona, sicut Paulus ad Romanos primo [7]: « Graecis et barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum, ita quod in me promptum est et vobis, qui Romae estis, evangelizare ». — Quod significatum fuit Zachariae sexto in equis deferentibus quadrigam, id est legem evangelicam, ubi dicitur, quod isti sunt, quos misit Dominus, ut « perambulent terram »; unde in fine Matthaei [8] dicitur praedicatoribus: « Ite, docete omnes gentes »; et in fine Marci: « Ite in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae ».

Item, a personarum acceptatione.

Figura.

98. Ex praedictis colligitur, quod praedicator bonus, si est acceptus hominibus, ad hoc quod sit acceptus Deo et Angelis eius, debet esse immunis ab *ostentatione in signo,* ab *ambitione in animo,* ab *adulatione in verbo,* a *personarum acceptione in facto* sive exercitio. Et haec quatuor tangit Apostolus secundae ad Corinthios secundo [9]: « Non, inquit, sumus, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei »; quod fit quatuor modis praedictis; « sed ex sinceritate », sine personarum acceptione, « sicut ex Deo », sine ambitione, « coram Deo », sine ostentatione, « in Christo loquimur », sine adulatione; nam Christus est veritas.

Eadem requiruntur in praedicatore.

## Capitulum V.

### Secundo determinatur discipulorum vocatio per duo.

1. *Factum est, cum turbae* etc. Supra [10] egit Evangelista de doctrinae Christi authenticatione, in hac parte agit de *discipulorum vocatione.* Et habet pars ista duas, in quarum prima describitur vocatio discipulorum de *statu iustitiae;* in secunda, de *statu culpae* [11]: *Post haec exiit et vidit* etc.

#### Primo, quomodo vocentur discipuli de statu iustitiae.

Prima pars habet duas. In prima proponitur *vocatio discipulorum;* in secunda vero, *vocatorum*

---

[1] Vers. 4. — Sequuntur Prov. 3, 18. et Ps. 37, 22.

[2] Vers. 26.

[3] Vulgata *Quia et;* ita etiam H. — Subinde allegatur I. Thess. 2, 5. seq.

[4] Vers. 1. Cfr. supra pag. 98, nota 1. — Sequitur Ioan. 14, 31.

[5] Vers. 3, post quem Matth. 19, 23: Quia dives difficile intrabit in etc.; cfr. Marc. 10, 23: Quam difficile qui pecunias habent in regnum Dei introibunt! Vide etiam Luc. 18, 24.

[6] Vers. 35. — Tres seqq. loci sunt Prov. 5, 16; Isai. 32, 20. et Luc. 8, 11, pro quo codd. allegant *Matth. 13,* ubi parabola de seminante exhibetur, haec tamen verba explicite non occurrunt.

[7] Vers. 14. seq. — Subinde allegatur Zachar. 6, 1. 2. 3. et 7. Cfr. Hieron., in hunc loc.: Legi in cuiusdam volumine, quatuor *quadrigas,* in quibus sunt equi rufi et nigri... quatuor Evangelia intelligenda, et *equos* Apostolos, per diversitatem colorum diversas gratias possidentes... Hae quadrigae quatuor sive currus missi sunt in quatuor ventos caeli, id est ad cardines mundi et universum orbem terrarum, ut explerent Domini voluntatem, quibus postea [v. 7.] infertur ab Angelo: *Ite, et perambulate terram* et in cunctis terrarum finibus Evangelium seminate.

[8] Cap. 28, 19. — Sequitur Marc. 16, 15.

[9] Vers. 17. — In fine respicitur Ioan. 14, 6: Ego sum via et veritas etc.

[10] Cap. 4, 1. seqq.

[11] Vers. 27: *Et post haec* etc. — Superius pro *authenticatione* Vat. *confirmatione.*

*confirmatio* per operationem miraculorum [1]: *Et factum est, cum esset in una civitatum* etc.

Ad *vocationem* autem *discipulorum* tria introducuntur: primum est *eruditio populi;* secundum, *operatio miraculi,* ibi [2]: *Ut cessavit autem loqui* etc.; tertium est *vocatio Petri,* ibi: *Quod cum videret Simon Petrus.* Primum horum spectat ad *profunditatem sapientiae,* per quam alios docebat; secundum, ad *sublimitatem potentiae,* per quam miracula faciebat; tertium, ad *immensitatem clementiae,* qua piscatores pauperculos ad suum consortium attrahebat. Et habent se ista per ordinem, quia circumstantiae instructionis populi fuerunt introductiva occasio operationis miraculi, et operatio miraculi fuit ratio motiva conversionis Petri et filiorum Zebedaei.

De vocatione discipulorum tria introducuntur.

Describitur ergo *eruditio populi* sub quatuor circumstantiis, quae induxerunt ad captionem piscium. Prima est *importunitas plebis;* secunda, *opportunitas navis;* tertia, *obedientia Simonis Petri;* quarta, *affluentia sermonis dominici.*

Primo, eruditio populi describitur per quatuor.

2. (Vers. 1.). Primo igitur tangitur *importunitas plebis* irruentis in eum propter doctrinam, cum dicitur: *Factum est autem, cum turbae irruerent in eum, ut audirent verbum Dei.* Ideo *irruebant,* quia quilibet appropinquare volebat; nec immerito, quia, Deuteronomii trigesimo tertio [3], « qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina illius ». Nec tantum volebant *ignorantes* appropinquare propter doctrinam sive scientiam, sed etiam *infirmi* propter sanitatem recuperandam; infra sexto: « Omnis turba quaerebat eum tangere, quia virtus de illo exibat et sanabat omnes ». Nec solum propter hoc, sed *peccatores* propter veniam; unde infra decimo quinto: « Erant appropinquantes ad Iesum publicani et peccatores ». Et vehementi desiderio movebantur, ideo irruebant, considerantes magis Domini bonitatem quam maiestatem. Unde dicit quidam expositor [4]: « Magni meriti est apud Deum desiderium verbi Dei, quod ipsam quoque irreverentiam turbae irruentis excusat ». Unde Dominus ad hoc praecipue invitabat; Isaiae quinquagesimo quinto: « Omnes sitientes venite ad aquas », *aquas* scilicet sapientiae salutaris. In cuius rei signum erat iuxta aquas; unde et subditur: *Et ipse stabat secus stagnum Genesareth,* ut ad aquas sapientiae invitaret, sicut in Ioannis septimo [5]: « Stabat Iesus et clamabat: Si quis sitit, veniat ad me et bibat ».

Primum. Irruebant ignorantes. Infirmi. Peccatores.

3. Et nota, quod hoc stagnum aquae diversis nominibus appellari consuevit, scilicet *mare Cenereth;* unde Numerorum trigesimo quarto [6] in divisione sortium dicitur, quod « ab orientali plaga pervenient contra orientem ad *mare Cenereth* »; Glossa ibi: « Stagnum Tiberiadis, secundum consuetudinem Hebraeorum, qui quamlibet congregationem aquarum appellant *mare* », iuxta illud Genesis primo: « Congregationesque aquarum appellavit maria » etc. Et quia civitatem istam post appellavit Herodes Tiberiadem, quia ipsam in honorem Tiberii caesaris reaedificavit; ideo vocatur *mare Tiberiadis;* Ioannis sexto [7]: « Post haec abiit Iesus trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis ». — Et quia originem trahit a Iordane, ideo dicitur *lacus Iordanis.* — Et quia in Galilaeae regione est, ideo *mare Galilaeae.* — Et quia inundationes fiunt, et aura ibi generatur; ideo dicitur *stagnum Genesareth,* id est generans auras [8]. — Idem etiam dicitur *lacus salinarum.* — Iuxta illud stagnum stabat Iesus, ut qui miracula fecerat in terra faceret etiam in aquis; unde, secundum quod ex diversis colligitur locis [9], Dominus in illo stagno multa miracula operatus fuit: in captione piscium, in sedatione tempestatum, calcatione undarum.

Nomina huius maris.

4. (Vers. 2.). Secundo subditur *opportunitas navis* sublevantis in aquam, cum subditur: *Et vidit duas naves,* opportunas scilicet ad ferendum, tum quia *propinquae;* propter quod dicit: *Stantes secus stagnum;* tum etiam, quia *otiosae* sive vacuae; unde et addit: *Piscatores autem descenderant et lavabant retia;* et ita opportunae erant ad ministrandum. Has autem naves pauperum piscatorum sibi propinquas vidit, quia, secundum quod in Psalmo [10] dicitur, « excelsus Dominus et humilia respicit et alta a longe cognoscit ». Et has sibi ut opportunas vidit ad obsequium, secundum illud Ecclesiastici tertio: « Magna potentia Dei solius, et a solis humilibus honoratur ». Unde et ipse se humiliat, ut qui omnia portat a navi portetur; Sapientiae decimo quarto: « Tu autem, Pater, providus cuncta gubernas, quoniam dedisti in mari viam et inter fluctus semitam firmissimam, ostendens, quoniam potens es

Secundum.

[1] Vers. 12. [2] Vers. 4; tertium habetur v. 8.

[3] Vers. 3. — Duo seqq. loci sunt Luc. 6, 19. et 15, 1.

[4] Quis ille sit expositor, nescimus. — Sequitur Isai. 55, 1.

[5] Vers. 37.

[6] Vers. 10. seq. — Glossa *interlinearis* in hunc loc. apud Lyranum: *Ad mare Cenereth,* stagnum Tiberiadis, quaelibet enim congregationes aquarum appellantur maria. Cfr. Beda, II. in Luc. 5, 1: Sed Hebraeae linguae consuetudine omnis aquarum congregatio, sive dulcis, sive salsa, mare nuncupatur. — Subinde allegatur Gen. 1, 10.

[7] Vers. 1. — Cfr. de hac et seqq. appellationibus Beda, loc. cit., cuius verba retulimus tom. VI. pag. 519, nota 5. — Inferius pro *in Galilaeae regione* codd. *in Galilaea regione.*

[8] Beda, loc. cit.: Porro Genesar a lacus ipsius natura, qua crispantibus aquis de se ipso sibi excitare auram perhibetur, Graeco vocabulo [Genesareth], quasi generans sibi auram perhibetur. Neque enim in stagni morem sternitur aqua, sed frequentibus auris spirantibus agitatur, haustu dulcis et ad potandum habilis. — Mare *mortuum,* in quo Iordanis, postquam lacum Genesareth pertransiit, cursum suum finit, secundum Hieron., de Situ et nominib. locorum Hebraic., de libro Iesu, vocatur *mare salinarum,* sive mare Asphalti, id est bituminis.

[9] Hic v. 4. seqq.; infra 8, 22. seqq.; Ioan. 6, 19. (Matth. 14, 25. seqq.).

[10] Psalm. 137, 6. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 3, 21. et Sap. 14, 3. seq.: *Tua autem, Pater, providentia gubernat... potens es ex omnibus salvare, etiamsi sine arte.* — De lectione *sine rate* cfr. tom. VI. pag. 197, nota 1.

omnibus subvenire, etiamsi sine rate aliquis adeat mare ».

5. (Vers. 3.). Tertio additur *obedientia Simonis* Tertium. separantis a turba, cum subditur: *Ascendens autem in unam navim, quae erat Simonis,* ipsum tanquam pauperem et humilem praeeligendo, secundum illud Iacobi secundo [1]: « Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se »? Ascendit autem, non tyrannice opprimendo, sed humiliter supplicando. Unde addit: *Rogavit eum a terra reducere pusillum,* ut scilicet parum sequestraret a turba et sublevaret a terra. Qui enim vult alios docere debet *interiori affectu* terrena contemnere et *exterioribus moribus* turbas praecellere; unde Exodi vigesimo tertio [2] dicitur: « Non sequeris turbam ad faciendum malum nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiae » etc. — Humilitas Christi. Nota hic *humilitatem* Domini, qua rogabat Petrum, servum suum; quam reliquit imitandam omnibus praelatis, ut et ipsi rogent subditos; unde Apostolus primae ad Thessalonicenses quarto [3]: « Rogamus et obsecramus vos in Domino Iesu » etc.; tum quia, ut dicit Ambrosius [4], « coacta servitia Deo non placent »; tum quia, ut dicit Seneca [5], « generosus est animus hominis et facilius ducitur, quam trahatur ».

6. Postremo subditur *affluentia sermonis Christi* Quartum. docentis de navicula, cum additur: *Et sedens docebat de navicula turbas. Sedere* enim spectat ad auctoritatem personae *docentis;* Matthaei quinto [6]: « Cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius »; ad excellentiam etiam *iudicantis*; Psalmus: « Sedes *super thronum,* qui iudicas iustitiam ». Haec namque sessio auctoritatem designat iudicialem, quia *in Thronis* residet ad iudicandum Deus. Dicitur autem rursus in Psalmo [7] *sedere super Cherubim,* cum dicitur: « Qui sedes super Cherubim, appare coram Ephraim » etc.; quia *Cherubim* plenitudo scientiae interpretatur, et qui sedet in loco doctoris plenus debet esse sapientia, ut de plenitudine eius accipiant universi discipuli. — Et de hac plenitudine accipiebat turba; unde et dicitur: *Docebat turbas;* Ioelis secundo [8]: « Filiae Sion, exsultate et laetamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiae et descendere ad vos faciet imbrem matutinum et serotinum, sicut in principio ». Et ideo *super mare* stabat, quia de profundo incomprehensibili quasi rorem parvum sapientiae ad nos transmittit; Iob vigesimo sexto: « Si vix stillam sermonum eius audiverimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri »? — *Docebat autem turbas,* id est simplices et humiles, quia, Proverbiorum tertio [9], « et cum simplicibus sermocinatio eius »; Matthaei undecimo: « Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis ». Et ratio huius est, quia turbae non requirebant subtilia, sed utilia; et talium est Dominus doctor; Isaiae quadragesimo octavo: « Ego Dominus, docens te utilia, gubernans te in via, per quam ambulas ».

7. *Moraliter* autem notandum est, quod in Expositio moralis de praedicatore. *Christo docente* datur forma *praedicanti:* introducitur ut *stans,* ut *videns,* ut *ascendens* et ut *sedens.* — Veri enim et boni praedicatoris est *stare* Quid sit stare. per *rectitudinem intentionis;* Ezechielis secundo [10] dictum est ei in persona praedicatoris: « Sta super pedes tuos, et loquar tecum ». — Est *videre* per Quid videre. *diligentiam discretionis;* sic enim dicitur Proverbiorum vigesimo septimo [11]: « Diligenter agnosce vultum pecoris tui tuosque greges considera ». — Est Quid ascendere. *ascendere* per *exercitium perfectae actionis;* Isaiae quadragesimo: « Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion ». — Est *sedere* per *otium con-* Quid sedere. *templationis;* Threnorum tertio [12]: « Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit super se ». — De his

---

[1] Vers. 5.

[2] Vers. 2. — Superius post *sequestraret* Vat. addit *se,* H post *a turba* addit *quae erat in terra.*

[3] Vers. 1. — Theophylact., in Luc. 5, 1. seqq.: Porro Christi mansuetudinem vide, quomodo obsecret Petrum, ut a terra abducat; *rogavit* enim idem est quod obsecravit; sed et quomodo Petrus morigerus fuerit, ita ut hominem, quem non viderat, in navim suam susceperit et ei in omnibus obedierit.

[4] Serm. 13. in Ps. 118. n. 3: « Dominus operationes servulorum suorum spontaneas probat potius quam coactas ». Ibid. Serm. 14. n. 24: Qui vivificatur Spiritu Dei voluntarius est minister; plurimum enim refert, utrum ex voluntate quid facias, an ex necessitate, quod placeat Deo. Cfr. Epist. 77. n. 7. In Serm. 41. (inter Sermones hactenus Ambrosio ascriptos) de eo quod dicit Dominus in Evangelio: *Vulpes foveas habent* etc. n. 1: Et cum utique acceptius voluntarium obsequium esse soleat quam coactum, et servitium plus placeat non quod imperio exigitur, sed quod sponte defertur, cur ergo iste respuitur, cur velut indignus etiam recusatur? Vide tom. V. pag. 183, notam 4, et Gratian., Caus. 23. q. 6. circa finem.

[5] Libr. I. de Clementia, c. 24: Natura contumax est humanus animus et in contrarium atque arduum nitens sequiturque facilius, quam ducitur. Et ut generosi atque nobiles equi facili freno reguntur, ita clementiam voluntaria innocentia impetu suo sequitur, et dignam putat civitas, quam servet sibi. — Pro *generosus* C D H *gloriosus.*

[6] Vers. 1. — Subinde allegatur Ps. 9, 5. Quod *iudex* in *Thronis* residet, docet Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 3 . n. 10. — Inferius pro *ad excellentiam* Vat. cum nonnullis codd. *ad personam.*

[7] Psalm. 79, 2, ubi pro *appare* (ita etiam Breviar. in Ps., quod habetur inter opera Hieron.) Vulgata *manifestare.* — Gregor., II. Homil. in Ezech. homil. 9. n. 18: Cherubim vero plenitudo scientiae dicuntur. Sacerdotes enim atque doctores... per boves et leones atque Cherubim designati sunt, quia in plenitudine scientiae, quam habent, necesse est, ut et boum mansuetudinem teneant et fervorem leonum etc.

[8] Vers. 23: *Et filii Sion* etc. — Sequitur Iob 26, 14.

[9] Vers. 32. — Sequuntur Matth. 11, 25. et Isai. 48, 17.

[10] Vers. 1. — Superius pro *docente* E *doctore,* et pro *praedicanti* E *praedicandi,* Vat. *praedicatori.*

[11] Vers. 23, ubi pro *agnosce* codd. *cognosce* (versio Septuaginta: *cognosces*). — Subinde allegatur Isai. 40, 9. — Superius pro *diligentiam,* quod habent A C D, E *rectitudinem,* F cum Vat. *certitudinem.*

[12] Vers. 28. — Sequitur Ier. 6, 16.

quatuor simul dicitur Ieremiae sexto: « State super vias vestras », ecce, rectitudo intentionis; « interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona », ecce, sollicitudo discretionis; « et ambulate in ea », per exercitium actionis; « et invenietis refrigerium animabus vestris », per otium contemplationis.

Item, de auditore.

8. In *turba* autem *irruente* datur forma *auditori.* Propter quod nota, quod Evangelista introducit turbas in comparatione ad Iesum primo *requirentes,* secundo *venientes,* tertio *detinentes;* et de his tribus supra proximo [1]; quarto *irruentes,* sicut hic; quinto *comitantes,* infra decimo quarto: « Ibat cum Iesu turba copiosa »; sexto *subsequentes,* infra vigesimo tertio: « Sequebatur Iesum turba multa mulierum » etc. — Boni enim auditores debent *requirere* sapientiam studio meditationis; Sapientiae octavo [2]: « Hanc amavi et exquisivi a iuventute mea ». — Debent *venire* ad ipsum desiderio affectionis, secundum illud Psalmi: « Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum » etc. — Debent *detinere* instantia orationis, secundum illud Canticorum tertio [3]: « Tenui eum nec dimittam ». Sed heu! verificatum est illud Isaiae sexagesimo quarto: « Non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat et teneat te ». — Debent *irruere* impetu devotionis; Ezechielis primo dicitur de sanctis animalibus: « Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur ». — Debent *comitari* conformitate bonae operationis, sicut Henoch; Genesis quinto [4]: « Cum Deo ambulavit et non apparuit, quia tulit eum Deus ». — Debent etiam *sequi* imitatione passionis; primae Petri secundo: « Pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius ». Talibus promittitur gloria; Matthaei decimo nono: « Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia et secuti estis me, centuplum accipietis et vitam aeternam possidebitis ».

Quid requirentes. Venientes. Detinentes. Irruentes. Comitantes. Sequentes.

Secundo, operatio miraculi describitur per quatuor.

9. (Vers. 4.). *Ut cessavit autem loqui* etc. Post eruditionem populi subditur *operatio miraculi.* Circa cuius descriptionem quatuor introducuntur: ex parte Christi *altitudo potentiae;* ex parte Petri *certitudo fiduciae;* ex parte miraculi *multitudo copiae;* ex parte consortii *promptitudo assistentiae* [5].

Primum.

In *Christo* igitur insinuatur *altitudo potentiae* ad miraculum faciendum, cum dicitur: *Ut cessavit autem loqui,* scilicet per veritatis magisterium; quia Domini est confirmare sermonem sequentibus signis, Marci ultimo [6]; *dixit ad Simonem,* per potestatis imperium, cui per omnia obediendum, secundum consilium Virginis, Ioannis secundo, in primo miraculo: « Quodcumque dixerit vobis, facite ». — Et sequitur imperium: *Duc in altum,* id est in profundum mare, ubi scilicet est multitudo piscium, sicut Divinitatis oculis aspiciebat; Ecclesiastici vigesimo tertio [7]: « Oculi Domini multo plus lucidiores sunt sole, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi ». Et ideo subdit: *Et laxate retia vestra in capturam.* Sic, Ioannis ultimo [8], post resurrectionem: « Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis ». Hoc imperando dicit, ut ostendat, quod « omnia subiecit Deus pedibus eius, volucres caeli et pisces maris » etc.

Secundum.

10. (Vers. 5.). In *Petro* autem insinuatur *certitudo confidentiae* ad miraculum impetrandum, cum subditur: *Et respondens Simon dixit illi: Praeceptor,* non solum *doctorem,* sed etiam *praeceptorem* vocat, credens, non solum habere scientiam ad docendum, sed etiam potentiam ad faciendum. Nec irrationabiliter Petrus piscator tali nomine Christum appellat, quia Isaiae quinquagesimo quinto [9]: « Ecce, testem populi dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus »; et trigesimo: « Erunt oculi tui videntes praeceptorem tuum, et aures tuae audient verbum post tergum monentis ». — Et quoniam confidentia vera non innititur propriis viribus, sed divinis; ideo subdit: *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus,* et ita non mittam, de viribus et industria propria confisus; unde dicere poterat illud Isaiae quadragesimo nono [10]: « Sine causa et vane fortitudinem meam consumsi »; et Iob septimo: « Ego habui menses vacuos et noctes laboriosas enumeravi mihi », quasi dicat: non de meis, sed de tuis viribus confido. — Et ideo infert: *In verbo autem tuo laxabo rete.* Nec immerito, quia ipse dicit Isaiae quinquagesimo quinto [11]: « Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in omnibus, ad quae misi illud ». Unde de Petro potest dici illud ad Romanos quartò: « In repromissione Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide, plenissime sciens » etc.

Tertium.

11. (Vers. 6.). In *miraculo* vero insinuatur *multitudo copiae* ad ipsum miraculum magnificandum, cum subditur: *Et cum hoc fecissent, concluserunt multitudinem piscium copiosam.* Et sic verificatum est illud Ioannis decimo quarto [12]: « Quodcumque

---

[1] Scilicet cap. praecedentis v. 42. Vat. legit: *in fine praecedentis capituli.* — Duo seqq. loci sunt Luc. 14, 25. et 23, 27.

[2] Vers. 2. — Subinde allegatur Ps. 41, 3. — Superius post *sapientiam* Vat. cum F G addit *Christum.*

[3] Vers. 4. — Duo seqq. loci sunt Isai. 64, 7. et Ezech. 1, 12.

[4] Vers. 24. — Sequuntur I. Petr. 2, 21. et Matth. 19, 28. seq.

[5] Vat. hic et inferius *auxilii.*

[6] Vers. 20: Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. — Subinde allegatur Ioan. 2, 5.

[7] Vers. 28. — Superius pro *profundum mare* C D *profundum maris.*

[8] Vers. 6, post quem Ps. 8, 8. seq.

[9] Vers. 4. et subinde 30, 20.

[10] Vers. 4. et Iob 7, 3. — Superius Vat. legit: *et ita non innitendo tuis viribus, sed industria propria confisi, laborantes nihil cepimus; unde* etc., quae etiam inferius pro *quasi dicat: non de meis* substituit *Nunc autem non in meis.*

[11] Vers. 11. — Sequitur Rom. 4, 20. seq.

[12] Vers. 13. — Inferius allegantur Luc. 5, 8. et 22, 32. Beda, II. Homil. genuin. homil. 16. in Natali Bb. Apost. Petri et Pauli, explicans illud Matth. 16, 18: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus* etc., dicit: Petrus, qui Simon antea dicebatur, ob fortitudinem fidei et confessionis suae constantiam a

petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam ». Ecce, iam credulitas Petri impetrabat miracula; unde ipse suae fidei fundamento *Petrus* a firmitate petrae meruit appellari; unde paulo post addit Evangelista: « Quod cum videret Simon Petrus » etc. Et ideo infra vigesimo secundo dicitur ei: « Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua ». Et quoniam copia multitudinis non solum fuit sufficiens, sed etiam superexcrescens, ideo subditur: *Rumpebatur autem rete* [1], scilicet prae nimia multitudine.

12. Et attende, quod Dominus eodem miraculo, Notandum. quo potuit pisces in retia congregare, potuit retia conservare, sicut et fecit, Ioannis ultimo [2], ubi dicitur: « Et cum tanti essent, non est scissum rete » ipsius Petri. Sed hoc factum est propter *figuram*, quia miracula Domini, ut dicit Gregorius, semper nobis aliquid insinuant diligentius attendendum. Illa enim piscium captura significat congregationem electorum post resurrectionem in gloria; ista vero, ante resurrectionem vocatorum ad Ecclesiam. Et quia in illa nullus ingreditur, qui egrediatur; de hac multi egrediuntur: ideo hic rumpitur, ibi vero minime. Hinc est, quod illa dicitur fuisse in *dextera navigii*, ista vero non [3]; discernit illa in numero determinato, ista vero non; hic quasi naves merguntur propter multitudinem tentationum, ibi in terra requiescunt; hic Christus in navi, ibi in littore requiescit.

13. (Vers. 7.). In *consortio* autem insinuatur Quartum. *promptitudo assistentiae* ad miraculum manifestandum, cum subditur: *Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi*, id est, per nutum ostenderunt sive signaverunt, quia, Tobiae duodecimo [4], « opera Dei revelare et confiteri honorificum est ». Unde dicit auctor quidam: « Nullius boni sine socio iucunda possessio », secundum illud Ecclesiastae quarto: « Melius est, duos esse simul quam unum; habent enim emolumentum societatis suae ». — In cuius rei signum subditur: *Ut venirent et adiuvarent eos*, quia, secundum illud Proverbiorum decimo octavo [5], « frater, qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma ». Et certe, sicut dicitur ibidem, « vir amicabilis ad societatem magis erit amicus quam frater ». — Et hoc manifeste probatur per ipsorum promptitudinem in adiuvando; et ideo additur: *Et venerunt et impleverunt ambas naviculas*. Et sic verificatum est illud Proverbiorum decimo [6]: « Benedictio Domini divites facit »; unde poterant dicere illud Tobiae duodecimo: « Bonis omnibus per eum repleti sumus ». Haec autem *impletio*, ut tactum est [7], significat impletionem Ecclesiae; Matthaei decimo tertio: « Simile est regnum caelorum sagenae missae in mare et ex omni genere piscium congreganti » etc. — Et ideo additur: *Ita ut pene mergerentur;* quia mali adeo multiplicantur, quod pene omnes submergimur, secundum illud Matthaei vigesimo quarto [8]: « Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum » etc. Sed tamen navis Petri non submergitur, Paulus tamen dicit secundae ad Corinthios undecimo: « Ter naufragium pertuli ».

14. *Moraliter* hic notandum est, qui sint isti Expositio moralis. *piscatores*, quae *naves* eorum, quae *retia*, et quae *capiendi via*. — *Piscatores* sunt praedicatores; unde Quid sint piscatores. infra eodem [9]: « Ex hoc iam homines eris capiens »; et Matthaei quarto: « Faciam, vos fieri piscatores hominum »; et hoc Ieremiae decimo sexto: « Ecce, ego mittam vobis piscatores multos, et piscabuntur eos ». Et diabolus econtra habet piscatores suos malos et haereticos seductores; Habacuc primo [10]: « Facies homines quasi pisces maris. Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua et congregavit in rete suum ». Et certe nunc adeo mali piscatores praevalent, ut boni vix habeant locum; et impletum est illud Isaiae decimo nono: « Moerebunt piscatores, et lugebunt omnes mittentes in flumen hamum et expandentes rete super faciem aquarum ».

15. *Naves* autem, per quas transitur mare, Quid naves. sunt duae, scilicet *obedientia* et *patientia*, quarum altera exercet in labore, altera sustinet in dolore. Et de prima potest intelligi illud Sapientiae decimo quarto [11]: « Exiguo ligno committunt homines animas suas, et transeuntes mare per ratem liberati sunt » etc. Haec est *obedientia*, quae, cum sit exigua, perducit ad terram beatam. De *secunda* potest intelligi illud Actuum vigesimo septimo [12]: « Nisi in

---

Domino Petri nomen accepit, qui videlicet illi firma ac tenaci mente adhaesit, de quo scriptum est [I. Cor. 10, 4.]: *Petra autem erat Christus*. Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 1. n. 80. — Superius pro *ad ipsum miraculum magnificandum* Vat. *ad ipsius miraculi evidentiorem magnitudinem*.

[1] Vulgata addit *eorum*. — Superius pro *superexcrescens* Vat. *excellens*.

[2] Vers. 11. — Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 2. n. 1: « Miracula Domini et Salvatoris nostri sic accipienda sunt, fratres carissimi, ut et in veritate credantur facta, et tamen per significationem nobis aliquid innuant. Opera quippe eius et per potentiam aliud ostendunt et per mysterium aliud loquuntur ». Expositio de duplici captura piscium (Luc., hic, et Ioan. 21, 4. seqq.) est secundum Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 24. n. 3. seq. Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 21. n. 21. et 26.

[3] Interpunctione mutata, H legit *istam vero non discernit; illa in numero* etc.; alii codd. eandem exhibent interpunctionem, servato tamen *ista*. Post pauca pro *merguntur* Vat. cum paucis codd. falso *iunguntur*. Superius pro *qui egrediatur* A *qui egreditur*.

[4] Vers. 7. — Sequitur sententia Senecae, Epist. 6: « Nullius boni » etc., post quam Eccle. 4, 9. — Pro *auctor quidam* H *Seneca*, alii codd. *auctoritas*.

[5] Vers. 19, et deinde v. 24.

[6] Vers. 22, post quem Tob. 12, 3. — Superius pro *per ipsorum promptitudinem* C D *pro ipsorum promptitudine*.

[7] Num. 12. — Subinde allegatur Matth. 13, 47.

[8] Vers. 12. — Sequitur II. Cor. 11, 25. — Superius pro *submergimur* F G *submerguntur*.

[9] Vers. 10. — Duo seqq. loci sunt Matth. 4, 19. et Ier. 16, 16.

[10] Vers. 14. seq. — Subinde allegatur Isai. 19, 8, in cuius fine Vulgata addit *emarcescent*.

[11] Vers. 5. seq. — Superius verbo *exercet* secunda manus in D praefixit *se*.

[12] Vers. 31, post quem Hebr. 10, 36.

navi manseritis, non poteritis salvi fieri »; dicitur de his qui erant in tempestate, quia, ad Hebraeos decimo, « patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem »; ubi tanguntur hae duae naves, de quibus simul in Psalmo dicitur [1]: « Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem », quod est *obedientiae*, « in aquis multis », scilicet tribulationis, quod est *patientiae*; « quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei ».

Quid retia. 16. *Retia* autem sunt *discretio* et *locutio*, quae vicissim debent connecti ad instructionem populi per artificium Spiritus sancti; Threnorum primo [2]: « De excelso misit ignem in ossibus meis et erudivit me; expandit rete pedibus meis »; ad Colossenses quarto: « In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis » etc. Haec autem *retia* contexuntur, quando ex verbis Scripturae in unam seriem congregatis sermones componuntur, in quibus magis est utilitas quam subtilitas attendenda. (Notandum.) Unde curiosis comminatur Dominus Isaiae decimo nono [3]: « Confundentur qui operabantur linum, pectentes et texentes subtilia ». Per haec retia facilius capiuntur simplices laici quam clerici eruditi; unde Proverbiorum primo [4]: « Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum »; sed tales in rete capiuntur sapientiae mundanae; Proverbiorum septimo: « Irretivit eum multis sermonibus et blanditiis labiorum protraxit illum ».

Quid modus capiendi. 17. *Modus capiendi* est *ducere naves in altum*, id est ascendere ad vitae perfectionem, *et laxare retia in capturam*, per praedicationem; quae duo debent esse coniuncta secundum exemplum Salvatoris; Actuum primo [5]: « Coepit Iesus facere et docere », quia dicit Gregorius: « Cuius vita despicitur, restat, ut eius praedicatio contemnatur ». Unde ad illos spectat potissime retia in praedicatione laxare, qui ad perfectionis apicem poterunt ascendere; et ideo ad Romanos decimo quinto [6] dicebat Apostolus: « Non audeo aliquid loqui eorum quae per me non efficit Christus ».

Tertio, vocatio Petri et filiorum Zebedaei describitur per quatuor. 18. (Vers. 8.). *Quod cum videret Simon Petrus*. Post eruditionem populi et operationem miraculi subditur *vocatio Petri et filiorum Zebedaei*. Ad cuius perfectionem quatuor ostenduntur concurrisse, scilicet *humiliatio Petri* habilitans ad gratiam; *admiratio* elevans ad intelligentiam; *alleviatio Christi* stabiliens ad confidentiam; *imitatio magistri* perducens ad perfectam [7] iustitiam.

Primum. Primo ergo praemittitur *humiliatio Petri habilitans ad gratiam*, cum dicitur: *Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu*. Ex viso miraculo humiliatus est, *magnificando divinam maiestatem*; (Duplex Petri humiliatio.) et recte, quia, ad Philippenses secundo [8], « in nomine Iesu omne genu flectatur » etc.; et Isaiae quadragesimo quinto: « Mihi curvabitur omne genu, et iurabit omnis lingua ». Et hoc fecit Petrus quasi invitans alios ad faciendum similiter, ut diceret illud Psalmi: « Venite, adoremus et procidamus » etc. — Humiliatus etiam fuit *resiliendo in propriam parvitatem*; unde et subdit: *Dicens: Exi a me, Domine, quia homo peccator sum*, quasi dicat: non sum talis, ut ego sim dignus esse simul tecum; hoc ex fide et reverentia dicebat, sicut ille centurio, Matthaei octavo [9]: « Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum ». Ideo autem hoc dicebat Petrus, quia videbat potentiam et non percipiebat clementiam, qua dixit Matthaei nono: « Non veni vocare iustos, sed peccatores ». Unde Augustinus [10]: « Ut piscator loquitur Petrus; Deum ac Dominum salutis secum habebat et dicebat: Exi a me, ac si infirmus medico curare volenti diceret: recede a me, quia aegroto ». Et Gregorius [11] dicit: « Petre, immo, si te

---

[1] Psalm. 106, 23. — Subinde allegatur Act. 14, 21: Quoniam per multas etc.

[2] Vers. 13. — Sequitur Col. 4, 5. seq. — Superius voci *populi* codd. praefigunt *divini*.

[3] Vers. 9. — Beda, III. Homil. (in quo habentur *Homiliae subdititiae*) homil. 5. in Dominica 5. post Trinitatem: Quasi enim quaedam retia piscantium sunt complexae praedicantium dictiones, quae eos quos ceperint in fide, non amittant; unde et *retia* quasi retinentia sunt vocata. Cfr. Glossa *ordinaria* apud Lyranum in Luc. 5, 4.

[4] Vers. 17, post quem 7, 21. — Inferius pro *sapientiae mundanae* Vat. *sententiae mundanae*.

[5] Vers. 1. — De sententia Gregorii vide supra pag. 43, notam 7.

[6] Vers. 18.

[7] Vat. cum uno alteroque cod. *abundantem*.

[8] Vers. 10. — Duo seqq. loci sunt Isai. 45, 23. et Ps. 94, 6.

[9] Vers. 8. — Subinde allegatur Matth. 9, 13.

[10] Etiam Card. Hug., in Luc. 5, 8, hanc sententiam attribuit Augustino (absque indicatione loci, in quo habeatur, quem nos invenire nequivimus). En verba: « *Exi a me, Domine;* stulte et simpliciter locutus est, ac si infirmus medico accedenti et eum curare volenti diceret: Exi a me, quia aegroto ». Sed aliter exponit August., II. Quaestion. Evang. quaest. 2. Cfr. Radulph. Ardens (saec. XI.), Homil. in Epist. et Evang. dominic. p. II. homil. 13. Dominica 5. post Trinitatem (Migne, Patrol. Lat. tom. 155. col. 1992): « *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum*. Indiscrete loquitur Petrus, dum se peccatorem recognoscit et veniae fontem a se excludit. Tale est, ac si diceret aeger medico: recede a me, medice, quia infirmus sum » etc.

[11] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 9. n. 3, ubi textus originalis et II *repellas* pro *expellas*. — Sequitur Isai. 66, 2. — Si lectioni H (qui persaepe singulari incedit via) credamus, verba Petri: *Exi a me* etc., a Patribus dupliciter exposita invenimus; nam, ut ipse habet: « Hoc autem dixit Petrus ex fide et reverentia se humiliando; unde Beda [in hunc loc.]: Dominus non exivit, quia humilitatem non deserit, unde sic se humiliando non expellebat, sed potius attrahebat. Isaiae ultimo: *Ad quem respiciam... sermones meos?* Unde Ambrosius, IV. in Luc. n. 79. [cfr. Glossa *ordinaria* in Luc. 5, 9. apud Lyranum, ex qua totum est sumtum]: Stupor excusat Petrum, non studio malitiae, sed ex humilitatis affectu hoc dixisse. Admirabatur enim dona divina, et quo plus meruerat, id est melior erat, eo praesumebat minus; et talis humilitas meretur piam Domini consolationem. Augustinus vero et Gregorius non totaliter excusant eum, sicut Beda et Ambrosius. Unde Augustinus: Ut piscator... quia aegroto. Et Gregorius: Petre... non repellas. Unde ita loquebatur Petrus, quia videbat potentiam et non percipiebat clementiam, quia ipse dixit Matth. 9: *Non veni vocare iustos, sed peccatores* ».

peccatorem consideras, oportet, ut a te Dominum non expellas ». Sed certe sic humiliando non expellebat, sed attrahebat; Isaiae ultimo: « Ad quem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu et trementem sermones meos » ?

19. (Vers. 9.). Secundo vero subditur *admiratio elevans ad intelligentiam,* quae erat ratio humiliationis in Petro. Et hoc notat, cum dicit: *Stupor enim circumdederat eum.* In *circumdatione* autem notatur vehementia stuporis; Isaiae vigesimo nono [1]: « Ecce, ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi et stupendo ». — Et ne credas, ipsum solum admirari, sed et alios etiam esse testes miraculi, subditur: *Et omnes, qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant,* id est, propter capturam magnam et insolitam omnes mirabantur, secundum illud Psalmi [2]: « Qui descenderunt mare in navibus », « ipsi viderunt opera Domini et mirabilia eius in profundo ».

**Secundum.**

20. (Vers. 10.). Et quia alii discipuli cum Petro fuerunt vocati, ideo subditur: *Similiter autem et* [3] *Iacobum et Ioannem, filios Zebedaei,* stupor scilicet circumdederat, qui erant similiter piscatores; unde et subditur: *Qui erant socii Simonis.* Unde sicut socii fuerunt in exercitio piscationis, sic et in dignitate vocationis. pocalypsis primo: « Ego Ioannes, frater vester et particeps in tribulatione et regno »; secundae ad Corinthios primo: « Scientes, quod sicut estis socii passionum, sic eritis et consolationum ». — Et nota, quod sicut hi tres fuerunt socii in piscatione, sic etiam fuerunt in vocatione; et sicut simul vocati, sic simul electi et assumti ad miraculorum operationem; infra octavo [4]: « Non permisit introire secum quemquam nisi Petrum et Iacobum et Ioannem »; simul assumti ad transfigurationem; infra nono: « Assumsit secum Petrum et Iacobum et Ioannem » etc.; simul etiam assumti ad orationem; Marci decimo quarto: « Et assumsit secum Petrum et Iacobum » etc.

**Idem dicitur de filiis Zebedaei.** **Notandum.**

21. Tertio subditur *alleviatio Christi stabiliens ad confidentiam,* cum dicitur: *Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere.* Non excludit timorem reverentiae et humilitatis, quia ille est « principium sapientiae [5] », et de illo dicitur Ecclesiastici primo: « Qui sine timore est non poterit iustificari », sed excludit timorem pusillanimitatis, qui opponitur confidentiae; de quo Genesis decimo quinto: « Noli timere, Abraham; quia ego protector tuus sum »; et Iosue primo: « Noli timere, quia ego tecum sum ». — Et ut non expavescat minora, promittit maiora, cum addit: *Ex hoc iam homines eris capiens;* quod multo maius est quam capere pisces. Glossa [6]: « Nondum in apostolatum eligitur, sed praedicitur, quod aliquando sit eligendus »; Matthaei quarto: « Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum ». Et specialiter alloquitur Petrum, quia ipsi specialiter haec cura committitur; unde Matthaei decimo sexto: « Tibi dabo claves regni caelorum » etc. — Et nota, quod dicit: *capiens homines,* non aurum, secundum illud secundae ad Corinthios duodecimo [7]: « Non quaero vestra, sed vos »; et ad Philippenses ultimo: « Non quaero datum, sed fructum ».

**Tertium.** **Notandum.**

22. (Vers. 11.). Quarto subditur perfecta *imitatio Magistri perducens ad perfectam iustitiam,* cum subditur: *Et subductis ad terram navibus,* ut ibi eas relinquerent; unde et sequitur: *Relictis omnibus;* infra decimo quarto [8]: « Omnis ex vobis, qui non renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus ». Signanter dicit *omnibus,* quia, ut dicit Gregorius, « tanta a sequentibus dimissa sunt, quanta a non sequentibus concupisci poterant »; et quia omnia poterant concupisci, ideo *omnia* dimissa. Unde Gregorius: « Multum reliquit qui sibi nihil retinuit; multum reliquit qui etiam cum re, quam habuit, voluntatem habendi dereliquit ». — « Et quia non sufficit relinquere sua, quia hoc aliqui fecerunt philosophi [9] », subditur: *Secuti sunt eum.* Unde Petrus, Matthaei decimo nono: « Ecce, nos reliquimus omnia et secuti sumus te », scilicet per consilia; Iob vigesimo tertio: « Vestigia eius secutus est pes meus »; quia « magna gloria est sequi Dominum », Ecclesiastici vigesimo tertio; sic Eliseus fuit secutus Eliam, tertii Regum decimo nono.

**Quartum.** **Relinquunt omnia.** **Sequuntur Christum.**

23. Et nota, quod contrarietas videtur inter Lucam, Matthaeum et Ioannem quantum ad *locum,* quantum ad *tempus,* quantum ad *modum:* quia Ioannes [10], *iuxta Iordanem* et *ante adventum* in Galilaeam et *singillatim;* isti vero, Matthaeus et Lucas: *post adventum, in Galilaea* et *simul* vocatos dicunt. — Et propterea intelligendum, quod discipuli isti vocati fuerunt semel in *simplicem notitiam,* et de hac Ioannis primo [11]; secundo in *familiaritatem,*

**Difficultas solvitur.**

---

[1] Vers. 14.

[2] Psalm. 106, 23. et 24.

[3] Vulgata omittit *et.* Non pauci codd. *filium Zebedaei* pro *filios Zebedaei.* — Duo seqq. loci sunt Apoc. 1, 9. et II. Cor. 1, 7. — Inferius post *exercitio piscationis* B prosequitur *sic stupore admirationis et dignitate vocationis.*

[4] Vers. 51. — Subinde allegantur Luc. 9, 28. et Marc. 14, 33.

[5] Prov. 1, 7. — Sequuntur Eccli. 1, 28. Gen. 15, 1. et Iosue 1, 9: *Noli metuere et noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus.* Cfr. v. 5.: *Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum.*

[6] Scilicet *interlinearis.* Cfr. Haymo., Homil. de Tempore, homil. 117. in Dominicam 6. post Pentec. — Sequuntur Matth. 4, 19. et 16, 19.

[7] Vers. 14, post quem Phil. 4, 17.

[8] Vers. 33. — Duae sententiae Gregorii habentur I. Homil. in Evang. homil. 5. n. 2; in secunda post *retinuit* textus originalis plura addit et finem sic exhibet: Multum dimisit qui cum re possessa etiam concupiscentiis renuntiavit.

[9] Ut insinuat Hieron., III. Comment. in Matth. 19, 27. seq. — Subinde allegantur Matth. 19, 27; Iob 23, 11; Eccli. 23, 38. et III. Reg. 19, 21: Secutus est Eliam et ministrabat ei.

[10] Cap. 1, 28. et 37. seqq. — Matth. 4, 18. seqq.

[11] Vers. 37. seq. — Superius post *quod discipuli isti* B prosequitur *ter vocati fuerunt, scilicet semel* etc.; B *primo vocati fuerunt simul in* etc.

et de hac dicitur hic, quia adhuc reversi sunt, ut dicit Glossa [1]; tertio in *discipulatum* sive apostolatum, et de hac dicitur Matthaei quarto et Marci primo: et ideo nulla est contrarietas sive diversitas in locis et temporibus et aliis circumstantiis.

De vocatorum confirmatione duo introducuntur.

24. *Et factum est, cum esset in una civitatum* etc. Post discipulorum vocationem subiungit hic eorundem *confirmationem per miracula.* Et habet haec pars duas. In prima enim introducitur miraculum de *curatione leprosi;* in secunda vero, de *liberatione paralytici,* ibi [2]: *Et factum est in una dierum.*

Primo, de curatione leprosi tria tanguntur.

Circa miraculum autem de *curatione leprosi* tria introducuntur. Primum est *operatio miraculi.* Secundum est *eruditio leprosi,* ibi [3]: *Et ipse praecepit ei* etc. Tertium est *aedificatio populi,* ibi: *Perambulabat autem magis sermo de illo* etc.

Circa operationem miraculi tria notantur.

Circa *operationem miraculi* tria sunt attendenda, scilicet *miserabilis infectio morbi, commendabilis devotio aegri* et *admirabilis operatio medici.*

Morbi infectio.

25. (Vers. 12.). Primo igitur tangitur *miserabilis infectio morbi,* cum dicitur: *Et factum est, cum esset in una civitatum* [4]*;* quia morbus erat *publicus* et *perpetuus: publicus,* quia in civitate, ubi multi conveniunt, et ita multis erat infirmitas nota. Et attendendum, quod dicitur fuisse *in civitate,* quia erat *prope civitatem.* Nam Matthaei octavo [5] dicitur de hoc leproso, quod curavit eum in descensu de monte; unde potest hic accipi, sicut infra decimo tertio: « Non capit, prophetam perire extra Ierusalem »; quia, sicut dicitur ad Hebraeos decimo tertio, Christus « extra portam passus est ». — Erat etiam morbus *perpetuus;* unde et subdit: *Ecce* [6]*, vir plenus lepra,* quae est infirmitas incurabilis, maxime cum est radicata. Unde poterat ei convenire illud Isaiae primo: « A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas ». Similis etiam erat Iob, de quo secundo: « Percussit satan Iob ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem, qui testa saniem radebat ».

Leprosi devotio.

26. Secundo vero insinuatur *commendabilis devotio leprosi,* cum dicitur: *Et videns Iesum,* quia videndo *adoravit* et *collaudavit.* — *Adoravit signo,* cum ait: *Et procidens in faciem suam* [7], quod est adorantium, ut in Psalmo: « Venite, adoremus et procidamus » etc.; et hoc requirebat diabolus, Matthaei quarto: « Haec omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me ». Unde hoc signo professus est, ipsum esse Dei Filium, sicut ille caecus, de quo Ioannis nono: « Si credis in Filium Dei? Quis est, Domine » etc.; et post sequitur: « Credo, Domine. Et procidens adoravit eum ». — Et nota, quod dicitur *procidisse in faciem,* quod est bonum signum; sicut dicitur de Moyse et Aaron Numerorum vigesimo [8], quod prociderunt in *facies suas* coram Domino; non sicut Heli, primi Regum quarto: « Cecidit Heli de sella *retrorsum* » etc.

Adoravit signo.

Notandum.

Collaudavit verbo.

27. *Collaudavit* etiam sive professus est *verbo,* quod notat, cum subditur: *Rogavit eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare.* In hoc, quod *rogat,* insinuat *largitatem;* Iob vigesimo secundo [9]: « Rogabis eum, et exaudiet te ». In hoc, quod dicit: *Domine,* insinuat *dignitatem;* Esther decimo tertio: « Domine, in ditione tua cuncta sunt posita ». In hoc, quod addit: *potes me mundare,* insinuat *potentiae facultatem;* Sapientiae duodecimo: « Subest tibi, cum volueris, posse ». Et hoc est, quod dicebat Iob Domino, decimo quarto [10]: « Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es »? Et ideo poterat dicere: « Asperges me hyssopo, et mundabor » etc.

Tria insinuat.

Medici operatio tripliciter admirabilis.

28. (Vers. 13.). Tertio subditur *operatio medici,* cum dicitur: *Extendens* [11] *manum, tetigit eum dicens* etc., quae quidem fuit *admirabilis* tum ratione *clementiae,* tum ratione *potentiae,* tum ratione *efficaciae.* — Propter *clementiam* dicit: *Tetigit eum;* licet enim posset curare solo verbo, maluit tangere, ut ostenderet suam benignitatem; unde Proverbiorum ultimo [12]: « Manum suam aperuit inopi ». Unde iam non poterat hic murmurare de Christo, sicut Naaman de Eliseo; quarti Regum quinto: « Putabam, quod egrederetur ad me et tangeret locum

Primum.

---

[1] Scilicet *interlinearis* in Luc. 5, 11: *Et subductis navibus ad terram,* quia adhuc habent voluntatem redeundi, *relictis omnibus, secuti sunt eum.* — Duo seqq. loci sunt Matth. 4, 18. seqq. et Marc. 1, 16. seqq. August., II. de Consensu Evangelist. c. 17. n. 37: Nam si iuxta Iordanem, antequam Iesus isset in Galilaeam, ad testimonium Ioannis Baptistae secuti sunt eum duo... quomodo ab aliis Evangelistis dicitur, quod eos in Galilaea piscantes invenerit atque ad discipulatum vocaverit? nisi quia intelligendum est, non sic eos vidisse tunc Dominum iuxta Iordanem, ut ei iam inseparabiliter adhaererent, sed tantum cognovisse, quis esset, eumque miratos ad propria remeasse. Cfr. Beda, II. in Luc. 5, 11, et S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 1. n. 100.

[2] Vers. 17.

[3] Vers. 14, ubi Vulgata *illi* pro *ei;* tertium est v. 15.

[4] Codd. DH addunt *scilicet Capharnaum.* Cfr. Ambros., V. in Luc. n. 1.

[5] Vers. 1. seqq. — Duo seqq. loci sunt Luc. 13, 33. et Hebr. 13, 12.

[6] Vulgata *Et ecce.* — Subinde Isai. 1, 6. et Iob 2, 7.

[7] Vulgata omittit *suam,* quod tamen habent Card. Hugo et Lyranus. — Sequuntur Ps. 94, 6; Matth. 4, 9; Ioan. 9, 35. seq. et 38.

[8] Vers. 6: Ingressusque Moyses et Aaron... corruerunt proni in terram [Septuaginta: cceiderunt in faciem] etc., post quem I. Reg. 4, 18.

[9] Vers. 27. — Duo seqq. loci sunt Esther 13, 9. et Sap. 12, 18. — Inferius pro *facultatem* Vat. cum H *facilitatem.*

[10] Vers. 4. — Sequitur Ps. 50, 9.

[11] Vulgata *Et extendens.* — Superius voci *operatio* Vat. cum uno alteroque cod. praefigit *admirabilis.* Inferius post *quae quidem fuit* B addit *tripliciter.*

[12] Vers. 20. — Subinde allegatur IV. Reg. 5, 11. Cfr. Beda, II. in Luc. 5, 13, ubi insinuantur quae sequuntur et a Glossa *interlineari* sic exhibentur: *Tetigit eum Iesus,* Beda: « Non quod sine tactu sanare non posset, sed ut indicet, se non subiectum esse Legi ». Idem docet Ambros., V. In Luc. n. 7, et Chrysost., Homil. 21. In Matth. (Op. imperfect.).

leprae manu sua et sanaret me ». Sed certe non est repugnantia Prophetae et Domini, quia Propheta subiectus erat Legi, et ideo noluit tangere, ne secundum Legem fieret immundus; Salvator vero supra Legem erat, et ideo secundum Legem immunditiam non contrahebat et Legem evacuare poterat, et ideo tangebat. — Ad insinuandum vero *potentiam* additur: *Dicens: Volo: mundare.* In quo asserit se velle, et praecipit, ut mundetur, quia tantae est potentiae, ut *velle* sit ei *posse facere;* Isaiae quadragesimo sexto [1]: « Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet ». Volebat autem eius munditiam non tam corporalem quam spiritualem; unde primae ad Thessalonicenses quarto: « Haec est voluntas Dei: sanctificatio vestra ». — Ad insinuandam vero *efficaciam* subdit: *Et confestim lepra discessit ab illo,* ut nihil esset medium inter dictum et factum; « dixit enim, et facta sunt [2] ». *Verbo* igitur et *tactu* curavit, ut ostenderet se Verbum carnem factum; *verbo* etiam et *tactu* curavit, ut curaret interius et exterius; unde Ioannis septimo: « Totum hominem sanum feci » etc. Et in huius rei testimonium concurrunt ad Sacramentum verbum pariter et elementum [3].

Secundum. Tertium.

29. (Vers. 14.). *Et ipse praecepit illi, ut nemini diceret.* Post curationem morbi subiungit hic Evangelista *eruditionem curati.* Docet autem Christus leprosum curatum et in eo quemlibet alium tria: primum est, quod non est *quaerendum praeconium laudis;* secundum, quod non est *contemnendum officium sacerdotis;* tertium est, quod non est *praetereundum mandatum Legis.* Primum horum dirigit *intentionem;* secundum, *affectionem;* et tertium regulat *operationem.*

Circa eruditionem tria notantur.

Erudit igitur primo, quod *praeconium laudis non est quaerendum,* cum dicit: *Et ipse praecepit illi, ut nemini diceret.* Hoc non dicit, quia vellet, quod ille non diceret, cum ille ubique praedicaverit hoc, sicut dicitur Marci primo [4]; sed instruit suo exemplo laudem vitare. Unde Beda: « Dat exemplum, ut sui in magnis, quae faciunt, latere velint; sed ut prosint aliis, prodantur inviti ». Hoc etiam dicit Ambrosius in Glossa.

Primum.

30. Unde nota, quod est praeceptum *exsecutionis,* sicut Exodi vigesimo [5]: « Honora patrem tuum »; et *probationis,* ut praeceptum Abrahae de immolando filio, Genesis vigesimo secundo; et praeceptum *instructionis,* sicut hic. Unde non peccavit hic, cum nomen eius divulgavit. — Chrysostomus [6] tamen dicit, quod praeceptum fuit, sed ad *tempus* propter cautelam, ne, si forte sacerdotes audirent ipsum per Christum curatum, non reciperent eum tanquam mundum, quando se eis praesentaret, propter odium, quod habebant ad Christum. — Primus tamen modus rectior videtur, quia hoc praecipiebat aliis infirmis, qui tamen illud non observabant, secundum quod dicitur Marci septimo [7] de surdo et muto curato: « Quanto magis plus praecipiebat, tanto magis plus praedicabant ». Et recte, quia, secundum quod dicitur secundae ad Corinthios duodecimo, « ego a vobis debui commendari »; se autem nemo debet laudare, nisi necessitate aliena compulsus; unde Apostolus: « Factus sum insipiens, vos me coegistis ». Ideo dicebat *se insipientem factum,* quia contra consilium sapientis fecisse videbatur; Proverbiorum vigesimo septimo: « Laudet te alienus, et non os tuum, extraneus, et non labia tua ».

Tres species praecepti. Opinio Chrysostomi. Indicium auctoris.

31. Erudit etiam secundo, quod *officium sacerdotis non est contemnendum,* cum addit: *Sed vade, ostende te sacerdotibus* [8]*;* quia eorum officium erat secundum Legem leprosos eiicere et mundatos recipere, secundum quod dicitur Levitici decimo tertio et decimo quarto quasi per totum. Ideo autem hoc officium leprae discernendae *sacerdotibus* est

Secundum.

---

[1] Vers. 10. — Subinde allegatur I. Thess. 4, 3. — Superius pro *praecipit* A C D *praecepit.*

[2] Psalm. 32, 9. Ambros., loc. cit. n. 3: Nihil enim medium est inter opus Dei atque praeceptum, quia in praecepto est opus. Denique *dixit, et facta sunt.* Videtis igitur, quod dubitari non potest, quia voluntas Dei potestas est. — Sequitur Ioan. 7, 23.

[3] August., in Ioan. Evang. tr. 80. n. 3: Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum. Cfr. IV. Sent. lit. Magistri, d. III. c. 1. — Superius pro *concurrunt* A C D *concurrerunt.*

[4] Vers. 45: At ille egressus coepit praedicare etc. — Verba Bedae habentur II. in Luc. 5, 15. et referuntur a Glossa *ordinaria* in Luc. 5, 14, in qua etiam occurrit sententia Ambrosii (a Lyrano tribuitur *Hilario;* cfr. Strab., in Marc. 1, 44, ubi tribuit *Bedae,* qui sumsit eam ex Ambrosio, V. in Luc. n. 5.): Docet non vulganda nostra beneficia, sed premenda, ut non solum a mercede abstineamus pecuniae, sed etiam gratiae. Iactantia vitata facit, ne lepra possit transire in medicum. Ideo etiam imperatur silentium, quia meliores putaret, qui fide magis spontanea, quam qui speratis beneficiis credidissent. — Superius pro *quia vellet* B C *quia nollet.*

[5] Vers. 12. — Sequitur Gen. 22, 2.

[6] Homil. 21. in Matth. (Op. imperfect.): Non dixit: Vade, ostende te sacerdotibus, et nemini dixeris, sed primo: nemini dixeris, et vade, ostende te. Non enim semper iubet, illum tacere, sed quamdiu ostendat se sacerdotibus, ne forte, si ante alicui nuntiaret, de verbo in verbum audirent sacerdotes et occasionem habentes leprae, propter odium et inimicitias Christi expellerent eum de populo quasi leprosum, non recipientes mundatum. Ideo eum iubet offerre munera, ut, si postmodum vellent eum expellere, diceret eis: Munera quasi a mundato suscepistis, et quomodo me quasi leprosum expellitis? etc. Vide tamen *genuinam* expositionem Chrysost. in Matth. hom. 25. (alias 26.) n. 2: Quidam dicunt, ideo illum praecepisse, ut nemini diceret, ne maligne agerent circa mundationis examen; sed haec insipienter admodum suspicantur. Neque enim ita mundavit, ut aliquis maneret de mundatione dubitandi locus, sed nemini dicere iubet, docens, ut a fastu et ambitione abstineatur etc. — Inferius post *tanquam mundum* Vat. prosequitur: *si eum a Christo curatum ante audivissent, quam se eis praesentasset* etc., D: *si eo [! eum] a Christo curatum quando audirent, quando se eis* etc.

[7] Vers. 36. — Duo seqq. loci sunt II. Cor. 12, 11: Factus sum insipiens, vos me coegistis. Ego enim a vobis etc.; Prov. 27, 2. — Inferius pro *necessitate aliena* Vat. *necessitate alienae salutis.*

[8] Vulgata *sacerdoti.*

commissum, licet magis videatur esse *medicorum*, quia eis vulnera peccatorum mortalium, quae per lepram designantur, tempore veritatis revelatae ostendenda sunt, secundum illud Ecclesiastici decimo octavo[1]: « In tempore infirmitatis ostende conversationem tuam », quia, secundum quod dicitur Proverbiorum vigesimo octavo, « qui abscondit scelera sua non dirigetur »; unde quamvis Dominus mundet per interiorem contritionem, nihilominus ligat ad sacramentalem confessionem. In hoc autem mandato instruit, sacerdotale officium esse omnibus venerandum, et id ad curationem peccatorum esse necessarium. Et haec est ratio praecipua huius mandati. Sunt tamen et aliae, ut scilicet[2] ad bonum possint promoveri, viso miraculo de curatione certa leprosi, et ut testes sint miraculi, et ne videretur eis adversari, et ut innotescat eis sacerdotalis dignitas Christi et gratia novi testamenti et sacerdotii, quae non tantum potest *curatum ostendere*, sed etiam *curare*.

Notandum.

Alia rationes.

32. Erudit nihilominus tertio, quod *praeceptum Legis non est praetermittendum*, cum subdit: *Et offer pro emundatione tua, sicut praecepit Moyses*, sicut Levitici decimo quarto[3] leprosi mundati iubentur offerre duos passeres vivos et tortam panis et sextarium olei. Haec autem caeremonialia erant, et tamen voluit ea Salvator offerri, ut ostenderet, Legem esse bonam et divinitus latam, contra Manichaeorum perfidiam; ad Romanos septimo[4]: « Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, iustum et bonum »; et hoc, quia adhuc manebant, cum non esset veritas revelata; unde *interlinearis* dicit, quod « non debent auferri signa, nisi prius venerint signata ». — Illa autem signa[5] Legis sanitatem non dabant, sed ostendebant et testimonio confirmabant; et ideo addit: *In testimonium illis;* quod potest legi dupliciter: offer illis in testimonium, scilicet tuae curationis; vel: offer, ut hoc sit illis in testimonium, quod tu curatus es, et ut tibi ultra non possint nocere, cum a te receperint munera testimonialia. Et nota, quod hoc, quod dicit *in testimonium illis*, non refertur ad praeceptum Moysi, sed Domini. Unde Chrysostomus[6]: « Non sic intelligas, quod Moyses praecepit in testimonium illis, sed tu vade et offer in testimonium illis », ut scilicet assumeret ab eis testimonium apud plebem. Nam, sicut dicitur primae ad Timotheum tertio, « oportet, Sanctos testimonium habere bonum ab eis qui foris sunt ». Unde et opus Christi mirabile debebat testimonio insidiantium approbari ad perfectam solidationem fidei et eiusdem roborationem.

Tertium.

Notandum.

33. (Vers. 15.). *Perambulabat autem multo magis* etc. Postquam descripsit Evangelista curationem morbi et eruditionem curati, hic tertio subiungit *magnificationem*[7] *nominis Christi*, ut ex his omnibus discipuli confirmentur in fide et amore Christi. Describitur igitur magnificatio nominis Christi ut *famosa*, ut *fructuosa*, ut *virtuosa*.

Circa aedificationem populi tria notantur.

Primo igitur describitur hic magnificatio nominis Christi ut *famosa*, cum dicitur: *Perambulabat autem magis sermo de illo*, scilicet Christo, *sermo* laudis suae quantum ad scientiam et virtutes. Nec mirum, si fama Magistri diffundebatur, cum de discipulis eius dicatur in Psalmo[8]: « In omnem terram exivit sonus eorum ». Huius figura praecessit in Iuda Machabaeo, de quo primi Machabaeorum tertio, quod « similis factus est leoni in operibus suis »; et post subditur, quod « nominatus est usque ad novissimum terrae ».

Magnificatio Christi fuit famosa.

Figura.

34. Deinde ostenditur nominis Christi magnificatio *fructuosa*, cum additur: *Et conveniebant turbae multae, ut audirent;* scilicet propter *instructionem mentis*, quia scriptum est Ecclesiastici sexto[9]: « Si dilexeris audire, sapiens eris »; et Iacobi primo: « Scitis, fratres mei: Sit autem omnis homo velox ad audiendum ». — Conveniebant etiam propter *curationem ex parte corporis ;* et ideo addit: *Et*

Fructuosa.

Quoad instructionem.

Quoad curationem.

---

[1] Vers. 21. — Sequitur Prov. 28, 13. Anselm., Homil. 13. in Luc. 17, 11. seqq.: *Quos* [decem leprosos] *ut* intuitu clementiae *vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus* [Luc. 17, 14.], id est, per humilem oris confessionem sacerdotibus veraciter manifestate omnes interioris leprae vestrae maculas, ut mundari possitis. *Et* quod rogabant, *factum est* eis, *dum irent* ad sacerdotes, quia scilicet *mundati sunt;* quoniam peccatores, licet gravi criminum lepra sint foedati, euntes tamen ad confitendum purgantur in ipsa confessione propter poenitentiam, quam acturi sunt etc. Cfr. infra c. 17, 14.

[2] Cod. H supplet *ipsi*, scilicet sacerdotes legales. Mox pro *curatione certa leprosi* C H *curatione circa leprosum*. Superius pro *et id* A C D H *et eum*, scilicet sacerdotem. — Priores rationes insinuantur ab Hieron., ultima ab Ambros. Hieron., I. Comment. in Matth. 8, 4: « Varias ob causas mittit eum ad sacerdotes. Primum, propter humilitatem, ut sacerdotibus deferre honorem videatur; erat enim Lege praeceptum, quod qui mundati fuerant a lepra offerrent munera sacerdotibus. Deinde, ut, mundatum videntes leprosum, aut crederent Salvatori, aut non crederent: si crederent, salvarentur; si non crederent, inexcusabiles forent. Et simul, ne, quod in eo saepissime criminabantur, Legem videretur infringere ». Ambros., V. in Luc. n. 8: Ostendere autem se sacerdoti iubetur et offerre pro emundatione sua, ut, dum offert se sacerdoti, intelligeret sacerdos, non Legis ordine, sed Dei gratia supra Legem esse curatum etc.

[3] Vers. 4. seqq.

[4] Vers. 12. — Sequitur Glossa *interlinearis* ex Beda, II. in Luc. 5, 14, qui sequitur August., II. Qq. Evangel. q. 3. Cfr. IV. Sent. d. 3. p. II. a. 3. q. 2, ubi de cessatione circumcisionis. — August., de Haeresib. n. 46. refert secundum Manichaeos « Deum, qui Legem per Moysen dedit et in Hebraeis Prophetis locutus est, non esse verum Deum, sed unum ex principibus tenebrarum ».

[5] Cod. D *figuralia*.

[6] Homil. 21. in Matth. (Op. imperfect.). Verbis hic allegatis annectuntur ea, quae supra pag. 120, nota 6. occurrunt. — Subinde allegatur I. Tim. 3, 7: *Oportet autem illum et testimonium* etc. — Inferius pro *mirabile* Vat. *mirabiliter*.

[7] Vat. *manifestationem*. Inferius pro *virtuosa* A *miraculosa*.

[8] Psalm. 18, 5, post quem I. Machab. 3, 4. et 9.

[9] Vers. 34. Vat. allegat Prov. 19, 20: *Audi consilium* etc. — Sequitur Iac. 1, 19.

*curarentur ab infirmitatibus suis.* Propter quod praedicabat Isaias quinquagesimo tertio [1]: « Vere languores nostros ipse tulit, et infirmitates ipse portavit ». Et ideo recte faciebant secundum consilium Sapientis, Ecclesiastici trigesimo octavo: « Fili, in infirmitate non despicias te ipsum, sed ora Dominum, et curabit te ». — Haec ergo erat perfecta utilitas ex parte *animae* et *corporis,* quae veniebat a fama nominis Christi. Ipse enim Christus est « Dei virtus et Dei sapientia [2] »; et ideo qui ad ipsum conveniunt illuminantur per *sapientiam* et curantur per *virtutem.* Et ideo dicitur in Psalmo: « Accedite ad eum et illuminamini, et facies vestrae non confundentur »; et ideo Isaiae quadragesimo nono: « Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae ».

35. (Vers. 16.). Postremo ostenditur *virtuosa,*

Virtuosa.

cum subditur: *Ipse autem secedebat in desertum et orabat;* quia humanam gloriam et famam non quaerebat, sed fugiebat, secundum illud Matthaei decimo quarto [3]: « Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare ». In quo dabat nobis formam recedendi a mundo et appropinquandi ad Deum; propter quod dicebat Apostolus ad Galatas primo: « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem ». Et ideo ad hoc, quod oratio sit Deo placita, non debet esse publica in foro, sed occulta in deserto; unde Matthaei sexto [4]: « Tu autem, cum oraveris, intra cubiculum tuum ». Et hoc est quod dicit Bernardus in Cantica: « O sancta anima! sola esto, ut soli omnium serves te ipsam, quem tibi ex omnibus elegisti. Fuge publicum, fuge et ipsos domesticos, secede ab amicis et intimis et ab illo qui tibi ministrat. An nescis, te verecundum habere sponsum, et qui nequaquam velit tibi suam indulgere praesentiam, praesentibus ceteris? Secede ergo, sed mente, non corpore; sed intentione, sed devotione, sed spiritu; quamquam et corpore interdum non otiose te separas, praesertim in tempore orationis ».

Duo de hoc miraculo explicanda.

36. Ad praedicti autem miraculi evidentiam duo sunt hic intelligenda [5]. Nam primo oportet *aperire latentem spiritualem intelligentiam,* deinde *dissolvere apparentem controversiam.*

Primo, mystica explicatio.

Circa hoc autem miraculum tria consideranda occurrunt. Primum est, quid intelligitur per *morbum leprae;* secundo, quid per *tactum manus dominicae;* tertio, quid per *praeceptum Legis implendae.* — *Morbus leprae* designat recte peccatum mortale, quia, sicut lepra inficit et deformat carnem, sic peccatum maculat et deformat animam; unde Threnorum ultimo [6]: « Denigrata est super carbones facies eorum, adhaesit cutis eorum ossibus ». Lepra etiam eiici facit extra castra, sic peccatum mortale a castris gloriae; Ezechielis vigesimo octavo: « Peccasti, et eieci te de monte Dei ». — Hic autem morbus quadruplicem habet differentiam, secundum quod dicitur Levitici decimo tertio [7]. Est enim lepra in *carne,* lepra in *pilis,* lepra in *vestibus,* lepra in *habitaculis.* Lepra in *carne* significat peccatum carnale; lepra in *pilis* barbae vel capitis, spirituale peccatum, quia per *pilos* cogitationes intelliguntur; lepra in *veste,* peccatum in conversatione; lepra in *domo,* peccatum in congregatione. Ille ergo est plenus lepra, qui omnibus his criminibus est infectus. De his differentiis leprae Levitici decimo tertio dicitur. In huius *figuram* etiam dicitur quarti Regum septimo [8], quod quatuor viri leprosi erant in porta Samariae ad has quatuor differentias designandas. Ideo autem voluit Dominus mortale peccatum per lepram designari, ut, sicut lepra fugitur et in se et in consortio, sic et peccatum.

Quid sit morbus leprae. — Species 4 leprae. — Figura.

Quid tactu manus dominicae.

37. Per *tactum dominicae manus* intelligimus visitationem divinae gratiae, quam petebat Propheta [9]: « Emitte manum tuam de alto et eripe me »; quia, sicut dicitur ad Romanos septimo, « infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum ». Per Christum enim tangit nos manus divina, quomodo dicitur Canticorum quinto [10]: « Dilectus meus misit manum suam per foramen », id est gratiam per foramen lateris Christi, unde profluunt Sacramenta; « et venter intremiscit », quia haec gratia primo parit contritionem; unde in Psalmo: « Qui respicit terram et facit eam tremere; qui tangit montes, et fumigant », quia contritio fletum parit. — Sed ad hoc,

Peccator videat.

ut ad istum statum perveniat peccator, oportet, quod cum leproso *videat* Deum per fidem; primae ad Corinthios decimo tertio [11]: « Videmus nunc per speculum in aenigmate »; oportet, quod *procidat* per timorem; Psalmus: « Coram illo procident

Procidat.

---

[1] Vers. 4, ubi pro *infirmitates* Vulgata *dolores nostros;* cfr. tamen Matth. 8, 17. — Subinde allegatur Eccli. 38, 9. — Superius pro *praedicabat* A *praedicebat.*

[2] Ut insinuatur 1. Cor. 1, 24. — Duo seqq. loci sunt Ps. 33, 6. et Isai. 49, 6.

[3] Vers. 23. — Sequitur Gal. 1, 10. — Inferius pro *appropinquandi* C D H *approximandi.*

[4] Vers. 6. — Sententia Bernardi habetur Serm. 40. in Cantic. n. 4. Textus originalis post *sed spiritu* plura addit. E codd. nostris D (a secunda manu) legit *ut soli Domino* pro *ut soli omnium,* qui etiam subinde pro *et intimis* cum C G substituit *et inimicis,* ac post *sed mente* cum A C G H omittit *non corpore.*

[5] Quae hic (n. 36-40.) de miraculi intelligentia notantur in B desiderantur. — Pro *latentem* Vat. et plures codd. *latentium.*

[6] Vers. 8. — Sequntur Ezech. 28, 16. Lev. 13, 46: Solus habitabit [leprosus] extra castra; cfr. 14, 3. et 8.

[7] Vers. 2. seqq. Cfr. Origen., Homil. 8. in Lev. n. 5. seqq.

[8] Vers. 3. — Inferius pro *fugitur* (ita D) alii codd. *confugitur,* Vat. *inficit,* et subinde pro *consortio* D (a secunda manu) *consocio,* H *conformi.*

[9] Psalm. 143, 7, post quem Rom. 7, 24.

[10] Vers. 4, ubi pro *et venter intromiscit* Vulgata *et venter meus intremuit.* — Sequitur Ps. 103, 32. — Superius pro *manus divina* C D H *manus dominica,* et immediate post pro *quomodo dicitur* plures codd. *quando dicitur* [H *dicit*], in D secunda manus substituisse videtur *quoniam dicitur*

[11] Vers. 12. — Quatuor loci seqq. sunt Ps. 71, 9; Prov. 29 25. ubi pro *salvabitur* [ita cum Septuaginta A C G E H],

Confidat.

Aethiopes », id est peccatores; oportet, quod *confidat* per spem; Proverbiorum vigesimo nono: « Qui sperat in Domino salvabitur »; et ad Romanos octavo: « Spe salvi facti sumus ». Et haec tria pariunt contritionem; Isaiae vigesimo sexto: « A facie tua, Domine, concepimus et quasi parturivimus et peperimus spiritum salutis ».

Quid praeceptum Legis observandae. Quatuor praecipiuntur.

38. Per *praeceptum Legis observandae* intelligimus susceptionem Sacramenti poenitentiae. Unde attende, quod quatuor praecipit, scilicet *ire, tacere, ostendere* et *offerre: ire,* cum dicit: *Vade; tacere: Nemini dixeris; ostendere: Ostende te; offerre: Offer munus.* — *Vade,* scilicet deserendo peccata, sicut adulterae, Ioannis octavo[1]: « Vade et amplius noli peccare ». — *Tacere* praecipit bona, ne sit sicut ille Pharisaeus, infra decimo octavo, qui dicebat: « Non sum sicut ceteri hominum ». — *Ostendere* praecipit mala, sicut Iob trigesimo primo[2]: « Si abscondi quasi homo peccatum meum »? id est *non;* Psalmus: « Delictum meum cognitum tibi feci ». — *Offerre* praecipit opera satisfactoria; Psalmus[3]: « Introibo in domum tuam in holocaustis; reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea »; ad Romanos duodecimo: « Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum ». — Haec autem quatuor concurrunt necessario ad Sacramentum poenitentiae perfecte recipiendum, scilicet peccati desertio, peccatoris humiliatio, peccati ostensio, satisfactionis oblatio.

Primum. Secundum. Tertium. Quartum.

Secundo, solutio difficultatis.

39. Demum *dissolvenda est apparens controversia* inter Matthaeum et Lucam: quia hoc miraculum dicit Matthaeus[4] esse factum post sermonem Domini in monte, hic Lucas narrat longe ante sermonem. — Ad quod est duplex via dissolvendi controversiam: sive quia alius sermo fuit, quem narrat Lucas; alius, quem Matthaeus — cuius signum, quia multa dicuntur in eo sermone, quae non dicuntur in alio[5] — sive quia idem sermo fuit differens secundum maiorem explicationem et minorem. Tunc attendendum est, quod Evangelistae non servant omnino seriem rei gestae, sed eo modo narrant, quo magis facit ad suae intentionis prosecutionem. Unde Augustinus in secundo libro[6] de Concordia Evangelistarum: « Quid interest, quis quo ordine ponat, sive quod ex ordine inserit, sive quod omissum recolit, sive quod postea factum ante praeoccupat, dum tamen non adversetur eadem vel alia narranti vel sibi, vel alteri? Satis enim probabile est, quod unusquisque Evangelistarum eo ordine didicit narrare debuisse, quo voluisset Deus ea ipsa, quae narrabat, eius recordationi suggerere, in eis dumtaxat rebus, quarum ordo, sive iste, sive ille sit, nihil minuit auctoritati veritatique evangelicae ». — Et per hoc patet dissolutio omnis contrarietatis, quae videtur provenire ex ordine differente.

Via solvendi duplex.

Secundo, de sanatione paralytici tria notantur.

40. *Et factum est in una dierum.* Confirmatis discipulis per curationem leprosi, hic ad maiorem firmitatem confirmat eosdem per mirabilem *sanationem paralytici.* Cuius admirabilem sanationem describit Evangelista hoc ordine. Primo namque introducitur *opportunitas miraculi faciendi;* secundo vero, *integritas miraculi perfecti,* ibi[7]: *Quorum fidem* etc.; tertio vero, *celebritas miraculi publicati,* ibi: *Et stupor apprehendit* etc.

Opportunitas miraculi ostenditur quadrupliciter.

*Opportunitas* autem *miraculi faciendi* colligitur ex quatuor, scilicet ex *multitudine populi assistentis,* ex *promptitudine virtutis sanantis,* ex *gravedine morbi opprimentis,* ex *sollicitudine fidei offerentis.*

Primo.

41. (Vers. 17.). Primo ergo ad designandum *multitudinem populi assistentis,* cui communicanda erat veritatis doctrina, dicitur: *Et factum est in una dierum, et Iesus*[8] *sedebat docens; sedebat,* inquam, tanquam magister et doctor praecipuus propter multitudinem sapientiae, sicut Iob, vigesimo nono: « Si volebam ire ad eos, sedebam primus; cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen moerentium consolator ». Hoc utique modo sedebat Christus in medio multorum; unde et subditur: *Et erant Pharisaei sedentes et Legis doctores.* Nam ipsi inter alios sunt excellentiores, *Pharisaei* in observando et *Legis doctores* in erudiendo. Et propterea etiam ipsi dicuntur *sedentes,* quia Matthaei vigesimo tertio[9]: « Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei ». — Et quia « in multitudine plebis gloria principis », ideo subdit, quod erant multi, cum ait: *Qui venerant ex omni castello Galilaeae et Iudaeae et Ierusalem.*

Nominantur tres regiones.

42. Et nota, quod in his tribus exprimit regionem *propinquam,* scilicet in *Galilaea;* unde et discipulos inde elegit, secundum quod dicitur Actuum secundo[10]: « Nonne omnes isti, qui loquuntur, Galilaei sunt »? — Exprimit et *praecipuam* in *Iudaea,*

Vulgata *sublevabitur,* D *sanabitur;* Rom. 8, 24. et Isai. 26, 17. — Inferius post *confidat* secunda manus in D addidit *et roget.*

[1] Vers. 11. — Subinde allegatur Luc. 18, 11.

[2] Vers. 33, post quem Ps. 31, 5.

[3] Psalm. 65, 13. — Sequitur Rom. 12, 1.

[4] Cap. 8, 1. seqq.: Cum autem descendisset de monte etc.; cfr. ibid. 5, 1. seqq., ubi narratur de sermone Domini in monte, quem exhibet Luc. 6, 17. seqq.

[5] Cfr. infra c. 6. n. 62. 63.

[6] Cap. 21. n. 51, ubi pro *vel sibi, vel alteri* textus originalis *nec sibi, nec alteri,* qui etiam post haec verba plura addit. Pro *quae narrabat* C D G H *quae narrabant* [H prosequitur *eorum recordationi* etc.], et subinde pro *nihil minuit* C D H *nihil minuunt.*

[7] Vers. 20; tertium habetur v. 26.

[8] Vulgata *ipse.* — Subinde allegatur Iob 29, 25: *Si voluissem ire* etc.

[9] Vers. 2. — Sequitur Prov. 14, 28: « In multitudine populi dignitas regis, et in paucitate plebis ignominia principis ». De Pharisaeis vide quae ex August. attulimus tom. VI. pag. 278, nota 3; cfr. etiam Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evang. c. 31.

[10] Vers. 7. Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 1. n. 101.

in qua habitabat tribus Iuda, cui promissus erat Christus, secundum illud Psalmi [1]: « Et tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Iuda ». — Tangit et *civitatem regiam* in *Ierusalem,* ubi maxime habitabant doctores, secundum illud Isaiae secundo: « De Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem ». — Et signanter haec tria nominat, quia in Galilaea Christus *concipitur,* sicut supra primo [2]; in Iudaea *nascitur,* sicut supra secundo; sed in Ierusalem *crucifigitur,* sicut infra vigesimo tertio. Et ideo habitatoribus horum trium locorum erat Christus promissus, et ipsi eum exspectabant, et ideo ad ipsum conveniebant.

43. Secundo vero ad denotandam *promptitudinem virtutis liberantis* adiungit: *Et virtus Domini erat,* scilicet prompta, *ad sanandum eos,* scilicet infirmos, quia ipsi erant prompti ad audiendum. De qua virtute ad Hebraeos primo [3]: « Portans omnia verbo virtutis suae »; quae quidem *virtus* est Christus, qui est Verbum Patris; primae ad Corinthios primo: « Christum dicimus Dei virtutem et Dei sapientiam ». Et haec *virtus apta* est ad sanandum, non ad perdendum; et ideo nomen eius est *Iesus,* id est Salvator [4]. Unde anima sancta in Psalmo: « Domine Deus, virtus salutis meae, obumbrasti super caput meum in die belli » etc. Et ideo Actuum decimo: « Unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute », id est virtute Spiritus sancti, « qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos » Hanc virtutem *promptam* reddit fides credentium; unde infra sexto [5]: « Convenerant, ut audirent eum »; « quia virtus de illo exibat et sanabat omnes »; sed econtra dicitur de civitate sua Matthaei decimo tertio: « Non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum ».

Secundo.

Virtus apta.

Virtus prompta.

44. (Vers. 18.). Tertio vero ad ostendendam *gravedinem morbi opprimentis* adiungit: *Et ecce, viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus;* et ita omnino impotens, quia paralysis omnino dissolvit membrorum virtutem, sicut legitur de Alcimo primi Machabaeorum nono [6]: « Occlusum est os eius, et dissolutus est paralysi nec ultra potuit loqui verbum ». Magna vere infirmitas et miseranda, quae motum tollit et verbum. *Et in lecto* portabatur, non, inquam, in lecto quietis, sed potius laboris et doloris; unde poterat de eo orari: « Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius » etc. Propterea misericorditer agebant viri, qui eum portabant, secundum documentum Apostoli ad Galatas sexto [7]: « Alter alterius onera portate »; unde poterat eis competere illud Ecclesiastici quadragesimo quarto: « Hi sunt viri misericordiae, quorum pietates non defuerunt »; et iam verificatur in hoc facto illud Isaiae quadragesimo nono: « Afferent filios tuos in ulnis et filias tuas super humeros portabunt ».

Tertio.

45. Quarto vero ad insinuandam *sollicitudinem fidei offerentis* subiungit: *Et quaerebant eum inferre et ponere ante eum,* ut scilicet ex eius praesentia sanaretur. Unde volebant implere exhortationem Psalmi [8]: « Quaerite Dominum et confirmamini; quaerite faciem eius semper ». Nec immerito, quia Iob decimo septimo: « Libera me, Domine, et pone me iuxta te, et cuiusvis manus pugnet contra me ».

Quarto.

46. (Vers. 19.). Et quia quaerenti per fidem impedimenta frequenter occurrunt, ideo subditur: *Et non invenientes, qua parte inferrent eum* [9] *prae turba;* quae solet impedire adventum ad Christum, sicut dicitur Matthaei vigesimo et infra decimo octavo, quod « turbae increpabant caecum, ut taceret »; sic et Zachaeus, infra decimo nono, « quaerebat videre Iesum, et non poterat prae turba ». — Sed certe veram fidem impedimenta non retrahunt, sed accendunt; in cuius testimonium subditur: *Ascenderunt supra tectum et per tegulas submiserunt illum* [10] *cum lecto.* Sic et Zachaeus fecit, sicut dicitur infra decimo nono, quod « ascendit in arborem sycomorum, ut Iesum transeuntem videret », quem prae turba videre non poterat. — Talibus adiutoribus indigebat ille languidus, qui dicebat Ioannis quinto: « Domine, hominem non habeo, qui, cum turbata fuerit aqua, ponat me in piscinam ». Tales adiutores sunt viri *simplices,* secundum quod Actuum nono [11] dicitur: « Accipientes discipuli Paulum nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta ». Tales sunt viri *spirituales,* qui infirmos per orationem Domini conspectui repraesentant; Threnorum secundo: « Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui. Leva manus tuas pro animabus parvulorum, qui defecerunt fame in capite omnium compitorum ». Et ideo praesentaverunt eum *conspectui* Domini, ut eum videret, et *situi,* ut eum tangeret. — Et propterea subditur: *In medium ante Iesum,* quia Salvator semper medium quaerit; unde Ioannis primo [12]: « Medius vestrum stetit »; et infra

Impedimenta removenda.

Adiutores requiruntur simplices et spirituales.

---

1 Psalm. 77, 67. — Subinde allegatur Isai. 2, 3.

2 Vers. 26, post quem 2, 4. et 23, 33.

3 Vers. 3. — Sequitur I. Cor. 1, 24.

4 Cfr. supra pag. 87, nota 9. — Duo seqq. loci sunt Ps. 139, 8. et Act. 10, 38. — Superius pro *apta est* B F *prompta est.*

5 Vers. 18. et 19. — Subinde allegatur Matth. 13, 58. — Inferius pro *de civitate sua* A C D F G *in civitate sua,* sed incongrue si retinetur vocabulum *ibi.*

6 Vers. 55. — Sequitur Ps. 40, 4.

7 Vers. 2. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 44, 10. et Isai. 49, 22.

8 Psalm. 104, 4, post quem Iob 17, 3. — Superius pro *fidei offerentis* (cfr. supra n. 40.) Vat. *fidei offerentium.*

9 Vulgata *illum inferrent.* — Subinde allegantur Matth. 20, 31; Luc. 18, 39. et 19, 3. — Inferius pro *adventum* E *accessum.*

10 Vulgata *eum.* — Duo seqq. loci sunt Luc. 19, 4. et Ioan. 5, 7.

11 Vers. 25. — Sequitur Thren. 2, 19. Cfr. Ambros., V. in Luc. n. 10. — Inferius pro *Domini conspectui* E H *divino conspectui.*

12 Vers. 26, post quem Luc. 22, 27. et Ps. 47, 10. Cfr. supra pag. 104, nota 3. — Superius post *conspectui* codd. omittunt *Domini.*

vigesimo secundo: « Ego autem in medio vestrum sum »; et ideo in Psalmo: « Suscepimus misericordiam tuam in medio templi tui ».

47. (Vers. 20.). *Quorum fidem ut vidit* etc.

Integritas miraculi ostenditur quadrupliciter.

Praemissa est miraculi faciendi opportunitas; hic vero subiungitur ipsius in *faciendo integritas*, quia simul Christus infirmi corpus et animam curat: *animam* a peccato et *corpus* a morbo. Consistit autem huius miraculi perfecta integritas in quatuor, quae sunt supra virtutem humanam, scilicet in *remissione peccatorum, discretione cogitationum, exstirpatione*[1] *errorum* et *consolidatione membrorum paralyticorum.* Haec enim quatuor miraculum reddunt perfectum.

Primo.

Praemittitur ergo *remissio peccatorum* ex merito fidei offerentium, cum dicit: *Quorum fidem ut vidit,* quia, sicut dicitur primi Regum decimo sexto[2], « homo videt ea quae parent, Dominus autem intuetur cor ». *Vidit,* inquam, oculo misericordiae, sicut Exodi tertio: « Vidi afflictionem populi mei, qui est in Aegypto ». Ad quam visionem fides disponit; Ieremiae quinto: « Domine, oculi tui respiciunt fidem ». — Et quoniam, sicut dicitur Proverbiorum decimo quinto, « per misericordiam et fidem purgantur peccata »; ideo subditur: *Dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua.* In hoc, quod dicit *homo,* invitat ad *considerationem propriae miseriae;* Iob decimo quarto[3]: « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis »; et rursus vigesimo quinto: « Homo putredo, et filius hominis vermis ». In hoc, quod adiungit *remittuntur,* invitat ad *spem divinae gratiae;* ad Ephesios primo[4]: « Gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum »; unde dicitur primae Ioannis secundo: « Remittuntur vobis peccata vestra propter nomen eius ».

Notandum.

Haec autem remissio peccatorum inchoata fuit a fide *aliena,* sed in *propria* consummatur; unde Beda[5]: « Multum valet unicuique fides propria, cum per alienam homo sit interius et exterius salvatus », sed hoc non sine propria subsequente; unde Matthaei nono dicitur paralytico: « Confide, fili, remittuntur tibi peccata ».

Sex modi loquendi explicantur. Primus.

48. Et nota, quod peccata dicuntur *remitti* et dicuntur *dimitti,* dicuntur *mundari,* dicuntur *sanari,* dicuntur *tegi,* dicuntur *redimi.* — Dicuntur *remitti* quantum ad *reatum poenae;* infra septimo[6]: « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum ».

Secundus.

— Dicuntur *dimitti* ratione *offensae;* Matthaei sexto: « Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater caelestis delicta vestra ».

Tertius.

— Dicuntur *mundari* ratione *maculae;* Psalmus[7]: « Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me »; et Isaiae sexto: « Auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur ».

Quartus.

— Dicuntur *sanari* quantum ad *vulnerationem naturae;* unde Ioannis quinto[8]: « Ecce, iam sanus factus es, iam amplius noli peccare », dicitur languido; et in Psalmo: « Sana animam meam, quia peccavi tibi ».

Quintus.

— Dicuntur *tegi* propter *spoliationem virtutis gratuitae;* Psalmus[9]: « Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata »; quod fit per caritatem; primae Petri quarto: « Caritas operit multitudinem peccatorum ».

Sextus.

— Dicuntur *redimi* quantum ad *captivitatem servitutis diabolicae;* Danielis quarto[10]: « Peccata eleemosynis redime »; et Psalmus: « Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum ».

Secundo.

49. (Vers. 21.). Additur autem secundo *discretio cogitationum* in animo blasphemantium, cum dicitur: *Et coeperunt cogitare scribae et Pharisaei,* cogitationes vanas et noxias; ad Romanos primo[11]: « Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum ». Et sequitur cogitationis expressio, cum addit: *dicentes,* scilicet in cordibus suis, secundum illud Psalmi: « Quae dicitis in cordibus vestris in cubilibus vestris compungimini ».

Duplex iniuria.

— *Quis est hic, qui loquitur blasphemiam*[12]*?* In qua cogitatione *despiciunt* Salvatorem quasi *vilem,* in hoc quod dicunt: *Quis est hic?* Ecclesiastici decimo tertio: « Pauper locutus est, et dicunt: Quis est hic »? contra illud quod dicitur Ecclesiastici undecimo: « Ne spernas hominem in visu suo ». — *Redarguunt* ut *peccatorem* in hoc, quod imponunt blasphemiam.

Triplex blasphemia.

Est autem *blasphemare* Deo iniuriam irrogare[13]; quod fit tripliciter: vel cum *attribuitur Deo* quod sibi non convenit; vel cum *removetur ab eo* quod sibi convenit; vel cum *creaturae attribuitur* quod proprie Deo convenit; unde quando Christus attribuebat sibi Divinitatem, credebant eum blasphemare, sicut Marci decimo quarto[14]: « Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam »; Ioannis decimo Salvator dixit Iudaeis: « Quem Pater sanctificavit et

---

[1] Vat. *confutatione.*

[2] Vers. 7. — Tres seqq. loci sunt Exod. 3, 7; Ier. 5, 3. et Prov. 15, 27.

[3] Vers. 1, post quem 25, 6.

[4] Vers. 6. — Sequitur I. Ioan. 2, 12.

[5] Libr. II. in Luc. 5, 20. Verba allegantur secundum Glossam *ordinariam* in eundem loc. — Subinde allegatur Matth. 9, 2.

[6] Vers. 47. — Sequitur Matth. 6, 14.

[7] Psalm. 50, 4, post quem Isai. 6, 7.

[8] Vers. 14, cui subiungitur Ps. 40, 5.

[9] Psalm. 31, 1. — Subinde allegatur I. Petr. 4, 8.

[10] Vers. 24, post quem Ps. 71, 14.

[11] Vers. 21. — Sequitur Ps. 4, 5.

[12] Vulgata et H *blasphemias.* — Duo seqq. loci sunt Eccli. 13, 29. et 11, 2.

[13] August., II. de Morib. Manichaeor. c. 11. n. 20: « Est autem blasphemia, cum aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque iam vulgo blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere; de hominibus namque dubitari potest, Deus vero sine controversia bonus est ». Lib. contra Mendacium, c. 19. n. 39: Blasphemando autem de ipso falsa dicuntur Deo. Cfr. Alex. Hal., S. p. II. q. 132. m. 1. et 2, ubi etiam de tribus blasphemiae differentiis.

[14] Vers. 63. seq. — Sequitur Ioan. 10, 36.

misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum »? Similiter credebant, eum blasphemare, quando attribuebat sibi proprium Dei, scilicet peccata remittere. Unde subditur: *Quis potest peccata remittere*[1] *nisi solus Deus?* Et in hoc verum dicunt; Isaiae quadragesimo tertio: « Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me ». Sed certe, dum ipsi Christo imponebant blasphemiam, in suis cordibus blasphemabant; Isaiae quadragesimo sexto: « Cui assimilastis me et adaequastis et comparastis et fecistis similem »?

50. (Vers. 22.). Et quoniam haec cogitando blasphemabant, ideo *deprehenduntur* et *arguuntur,* cum subditur: *Ut autem cognovit Iesus cogitationes eorum,* tanquam Deus, quia, Ecclesiastici vigesimo tertio[2], « oculi Domini multo plus lucidiores sunt sole, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi et hominum corda intuentes ». Nec mirum, quia est Verbum Dei, de quo ad Hebraeos quarto: « Vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti et discretor cogitationum et intentionum cordis ». — Nec solum deprehendit et discernit, sed etiam *redarguit: Respondens dixit ad illos: Quid cogitatis mala*[3] *in cordibus vestris?* quasi dicat illud Isaiae primo: « Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis ». Ipse enim videbat et arguebat, Ieremiae quarto: « Usquequo demorabuntur in te cogitationes noxiae »? Tales enim sunt cogitationes perversae, de quibus Sapientiae primo: « Perversae enim cogitationes separant a Deo ». Ideo Isaiae vigesimo nono: « Vae! qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium »; et sequitur: « Perversa est haec vestra cogitatio, quasi si lutum contra figulum cogitet, et dicat opus factori suo: Non me fecisti; et figmentum dicat factori suo: Non intelligis ». Sed certe potest dici de eis illud Sapientiae secundo[4]: « Haec cogitaverunt et erraverunt; excaecavit enim illos malitia eorum ».

**Blasphemantes deprehenduntur et arguuntur.**

51. (Vers. 23.). Adiungitur autem tertio *confutatio errorum* male cogitantium[5] in hoc quod sequitur: *Quid est facilius dicere* etc. Facit enim argumentum, in quo ostendit, se verum Deum esse et peccata posse dimittere, ac per hoc illos errare. Et est argumentum tale: omnis, qui potest paralyticum solo verbo liberare, potest solo verbo peccata dimittere[6]. Huius autem rationis praemittit *maioris* propositionis probationem, subiungit *assumtionem* et interponit *conclusionem. Maioris* propositionis probationem praemittit in hoc quod dicit: *Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge et ambula?* quasi dicat: aequalis facilitatis sunt: ergo qui potest unum potest et reliquum; et haec erat propositio *maior.* Unde Glossa super illud Matthaei nono[7]: « Per remissionem poenae remissionem culpae intellige ». Intelligitur autem hoc per illud tanquam per simile et per notius. Et hoc est quod dicitur Ieremiae trigesimo secundo: « Non erit tibi difficile omne verbum, qui facis misericordiam in millibus »; unde Sapientiae undecimo: « Parcis autem omnibus, Domine, quia omnia potes ».

**Tertio.** **Argumentum explicatur.** **Maior.**

52. (Vers. 24.). *Conclusionem* autem interponit in hoc quod adiungit: *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.* Hoc enim est, quod intendit concludere finaliter; et est verum secundum testimonium Ioannis primo[8]: « Ecce, Agnus Dei; ecce, qui tollit peccata mundi »; et Apocalypsis primo: « Dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo ». — *Assumtionem* subiungit, cum addit: *Ait paralytico: Tibi dico: Surge, tolle grabatum*[9] *tuum* etc. — Et nota, quod verba praecedentia sunt Salvatoris et sequentia; sed hoc verbum, quod dicit: *Ait paralytico,* est verbum Evangelistae, quod interponit, quia prima verba erant Domini ad Pharisaeos, scilicet *propositio* et *conclusio;* sed *assumtionem* dixit, convertendo sermonem ad paralyticum, cui imperat actum, qui non potest competere nisi sano, scilicet *surgere,* cum dicit: *Surge;* sicut Petrus claudo ait Actuum tertio[10]: « In nomine Iesu Christi Nazareni surge et ambula ».

**Conclusio.** **Minor.** **Notandum.**

53. Praecipit tollere grabatum, cum ait: *Tolle grabatum tuum. Grabatum* autem est lectus pauperum infirmorum, ubi nihil sternitur nisi ad caput; unde dicitur a *graba,* quod est caput. Sic Ioannis quinto[11] praecipit illi languido triginta octo annorum:

**Quid sit grabatum.**

---

[1] Vulgata et pauci codd. *dimittere.* — Duo seqq. loci sunt Isai. 43, 25. et 46, 5.

[2] Vers. 28, post quem Hebr. 4, 12.

[3] Vulgata omittit *mala,* quod tamen exhibent B. Albert. et Lyranus; cfr. Matth. 9, 4: *Ut quid cogitatis mala* etc. — Sequuntur Isai. 1, 16; Ier. 4, 14; Sap. 1, 3; Isai. 29, 15. et 16.

[4] Vers. 21.

[5] Plures codd., ut C D F, *cogitationum* (in D secunda manus pro *male* substituit *malarum),* B *malae cogitationis.* Pro *errorum* Vat. *eorum.* Aliquanto inferius pro *errare,* quod praebet B, alii codd. et Vat. *curare.*

[6] Cod. F addit: *sed Filius hominis potest solo verbo paralyticum liberare: ergo solo verbo peccata dimittere.* Cum hac lectione convenit lectio Vat., quae tamen pro *Filius hominis* substituit *Filius Dei* et *curare* pro *liberare.*

[7] Vers. 6: *Tunc ait paralytico.* Glossa *ordinaria:* « Ecce, per remissionem poenae, dimissionem » etc. — Pro intelligentia propositionis, quae sequitur: *Intelligitur autem hoc* etc., notentur verba Hieron., I. Comment. in Matth. 9, 5. seq.: Utrum sint paralytico peccata dimissa, solus noverat, qui dimittebat. *Surge* autem *et ambula,* tam ille qui consurgebat, quam hi qui consurgentem videbant, approbare poterant. Fit igitur carnale signum, ut probetur spirituale etc. — Duo seqq. loci sunt Ier. 32, 17. seq. et Sap. 11, 24: *Sed misereris omnium, quia* etc.

[8] Vers. 29, post quem Apoc. 1, 5.

[9] Ita etiam Card. Hugo et B. Albert.; cfr. Marc. 2, 11; Vulgata *lectum.*

[10] Vers. 6.

[11] Vers. 8. — M. Val. Martial., I. Epigram. 94. v. 5, describens Mamuriani egestatem ait:

Sed si nec focus est, nudi nec sponda grabati etc.

« Ubi, ut refertur in Dictionario seu Thesauro linguae Latinae,

« Surge, tolle grabatum et ambula ». — Praecipit ambulare et in domum ire, cum subdit: *Et ambula*[1] *et vade in domum tuam,* ut scilicet cum tuis congratuleris, sicut Marci quinto: « Vade in domum tuam ad tuos et annuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit ». — In his tribus includitur perfecta sanitas contra tria mala, quae facit aegritudo paralysis. Reddit enim inhabilem ad *standum* et inhabiliorem ad *operandum* et inhabilissimum ad *ambulandum;* et econtra imperat[2] *rectitudinem status, fortitudinem actus* et *promptitudinem motus;* quibus obtentis, efficitur perfecte sanus.

Triplex sanatio contra tria mala.

54. (Vers. 25.). Subiungitur ultimo *consolidatio*[3] *membrorum languentium* in hoc quod sequitur: *Et confestim consurgens coram illis* etc. Consolidata enim sunt verbo Christi membra paralytici quantum ad virtutem *sustentativam, operativam* et *motivam.* Surrexit enim, iam non indigens sustentamento lectuli aut baculi, et hoc virtute manus Dei omnipotentis; Danielis decimo[4]: « Ecce, manus tetigit me et erexit me super genua mea et super articulos manuum mearum ». — *Tulit lectum, in quo iacebat;* iam non indigens ab alio portari, et sic videtur adimpletum illud Amos tertio: « Eruentur filii Israel, qui habitant in Samaria, in plaga lectuli et Damasci grabato ». — *Et abiit in domum suam, magnificans Deum;* iam valens faciliter moveri, sicut et ille claudus a Petro curatus, Actuum tertio[5], « intravit cum eis in templum ambulans et exsiliens et laudans Deum ». Unde magnificabat Deum et ipsum laudando et eius miracula enarrando et ad laudandum alios invitando; unde poterat dicere: « Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen eius in id ipsum ». Poterat etiam cantare cum Virgine: « Magnificat anima mea Dominum. Et exsultavit spiritus meus » etc.

Quarto. Triplex consolidatio.

55. (Vers. 26.). *Et stupor apprehendit omnes* etc. Hic tertio post miraculi faciendi opportunitatem et facti integritatem subiungit eiusdem *publicati*[6] *celebritatem,* per quam clarificata est divina virtus in Christo, quoniam ex praesentis miraculi consideratione ostensa est Christi virtus *admirabilis* et *venerabilis, formidabilis* et *praedicabilis.*

Celebritas miraculi ostenditur quadrupliciter.

56. *Admirabilis,* inquam, ostensa est ex impossibilitate *comprehendendi;* propter quod dicit: *Et stupor apprehendit omnes,* id est *innocentes* ad *credendum;* Iob decimo septimo[7]: « Stupebunt iusti super hoc, et innocens contra hypocritam suscitabitur »; nam Pharisaei hypocritae sunt confusi, et Christus admirabilis est effectus. *Apprehendit malignantes* ad *confundendum;* Iob duodecimo: « Adducit consiliarios in stultum finem et iudices in stuporem ».

Christi virtus admirabilis.

57. *Venerabilis* vero ostenditur ex impossibilitate *imitandi;* propter quod dicitur: *Et magnificabant Deum,* scilicet in opere suo, ut possent dicere illud Psalmi[8]: « Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientia fecisti »; et Isaiae trigesimo tertio: « Magnificatus est Dominus, quoniam habitavit in excelso et implevit Sion iustitia et iudicio ». Sic illi tres pueri ex aspectu miraculi; Danielis tertio: « Hi tres uno ore laudabant et magnificabant et benedicebant Deum ».

Venerabilis.

58. *Formidabilis* vero ostenditur virtus in Christo ex impossibilitate *evadendi;* unde additur: *Et repleti sunt timore,* considerantes immensitatem potentiae, quam nemo potest effugere; infra duodecimo[9]: « Ostendam vobis, quem timeatis; timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam ». Hanc potentiam timebat Iob, trigesimo primo: « Semper quasi tumentes fluctus super me timui Deum, et pondus eius ferre non potui ».

Formidabilis.

59. *Praedicabilis* autem ostenditur ex impossibilitate *contradicendi;* propter quod subditur: *Dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie;* et iam non est locus contradicendi; unde Actuum quarto[10]: « Videntes Petri constantiam et Ioannis, admirabantur et cognoscebant eos, quoniam cum Iesu fuerant; hominem quoque videntes, qui fuerat curatus, nihil poterant contradicere »; unde Petrus et Ioannes dicebant Actuum quarto: « Non possumus quae audivimus et vidimus non loqui ». — Qui ergo post visionem horum signorum Domino contradicit excluditur a populo Dei et hereditate regni, secundum illud Numerorum decimo quarto[11]: « Homines, qui viderunt maiestatem meam et signa, quae feci in Aegypto, et tentaverunt me non videbunt terram, pro qua iuravi patribus eorum ».

Praedicabilis.

60. *Spiritualiter* autem tria sunt hic attendenda: quis sit hic *morbus,* qui curatur; quae

Expositio spiritualis.

---

Sipontinus: *Grabatum* proprie vocamus exiguum lectum, in quo meridiari solemus; dictum quasi *carabatum,* quod in eo capite recumbamus; κάραν [κάρα] enim caput, βατόν, pervium Graeci appellant ». Card. Hug., in Ioan. 5, 8: *Grabatum* est lectus tantum habens cervical ad reclinationem capitis; et dicitur a *graba,* quod scilicet est caput.

[1] Vulgata omittit *Et ambula,* quod etiam exhibent Card. Hug. et B. Albert. — Sequitur Marc. 5, 19. — Post *ut scilicet* H prosequitur *tuis congratuleris et tui tibi, unde Marci* etc.

[2] Vat. addit *ei Dominus.* Subinde pro *efficitur* D F G *efficiatur.*

[3] Codd. *solidatio;* cfr. tamen supra n. 47. Pro *ultimo* A C D G *ultra,* H *etiam.* Inferius pro *sustentativam,* quod C D H omittunt, E F G *contentivam* (cfr. II. Sent. d. 19. a. 3. q. 2. ad 1.).

[4] Vers. 10. — Subinde allegatur Amos 3, 12. — Inferius pro *ab alio* F *ab illo.*

[5] Vers. 8. — Duo seqq. loci sunt Ps. 33, 4. et Luc. 1, 46. seq. — Inferius pro *ipsum laudando* Vat. *ipse simul laudando.*

[6] Vat. *publicam;* cfr. tamen supra n. 40.

[7] Vers. 8. — Subinde allegantur Iob 12, 17, cui Vat. subiungit Iudith 10, 14.

[8] Psalm. 103, 24. — Duo seqq. loci sunt Isai. 33, 5. et Dan. 3, 51.

[9] Vers. 5. — Sequitur Iob 31, 23.

[10] Vers. 13. seq.; subinde v. 20.

[11] Vers. 22. et 23.

*domus*, in qua fit curatio; et quis curandi *modus*. — Quid sit hic morbus. *Morbus* iste *paralysis* designat culpam originalem, sicut *lepra* actualem. Unde *paralysis* aufert *sensum* et *motum;* sic originale aufert *sensum* cognitionis per ignorantiam; Tobiae quinto [1]: « Quale mihi gaudium est, qui in tenebris sedeo et lumen caeli non video »? Aufert etiam *motum rectum* per concupiscentiam, quae reddit tremulum sicut paralysis; ad Romanos septimo: « Velle adiacet mihi, perficere autem non invenio »; unde et subditur: « Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae » etc. Unde Hugo [2]: « Vitium humanae corruptionis dupliciter naturam infecit humanam, scilicet *ignorantia* mentem et *concupiscentia* carnem ». De his duobus in Psalmo: « Dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum »; et Exodi decimo: « Factae sunt tenebrae in Aegypto, et tribus diebus non est motus homo de loco suo ».

61. *Domus*, in qua fit curatio, est Ecclesia, de Quid domus. qua Proverbiorum nono [3]: « Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem »; hae *columnae* sunt septem Sacramenta. Huius domus *ianua* est potestas sacerdotalis, cuius potestatis auctoritas residet penes Petrum; unde Matthaei decimo sexto: « Tibi dabo claves regni caelorum ». Sed quando haec ianua impletur turbis terrenarum sollicitudinum, tunc non praebet aditum ad Iesum, quia non curant de animabus, quae sunt Christi, sed de promotione proprii commodi; ad Philippenses secundo [4]: « Omnes quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi ».

62. *Modus* curandi est per alienum suffragium Quis modus curandi. et divinum imperium. Quantum ad curationem ab originali concurrit virtus alienae fidei et virtus divini Sacramenti. Unde *portitores* designant patrinos, qui offerunt; Isaiae quadragesimo nono [5]: « Afferent filios tuos in ulnis et filias tuas super humeros portabunt ». *Christus* vero, imperio sanans, designat Remissio culpae. Sacramenti officium, per quod fit *remissio culpae*, cum dicitur: *Remittuntur tibi peccata;* Actuum secundo [6]: « Baptizetur unusquisque vestrum in re- Curatio quadruplicis sequelae. missionem peccatorum ». Fit etiam *curatio sequelae;* propter quod dicit: *Surge et tolle grabatum* etc.; Actuum duodecimo Angelus dixit ad Petrum iacentem in compedibus: « Surge velociter. Et confestim ceciderunt catenae de manibus eius ». *Surge*, id est, sursum te erige ad videndum lumen, contra *ignorantiam;* ad Ephesios quinto [7]: « Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus »; Isaiae sexagesimo: « Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum ». — *Tolle grabatum tuum*, contra *infirmitatem;* Matthaei undecimo [8]: « Venite ad me, omnes, qui laboratis »; et post: « Tollite iugum meum super vos ». — *Et ambula*, contra *malitiam;* Genesis decimo septimo: « Ambula coram me, et esto perfectus »; ad Ephesios quinto: « Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos » etc. — *Vade in domum*, contra *concupiscentiam;* Ecclesiastici trigesimo secundo [9]: « Praecurre autem prior in domum et illic age conceptiones tuas et non in delictis ». In domum *suam* vadit qui amat bona interiora; Sapientiae octavo: « Intrans in domum meam conquiescam » etc.; in domum *alienam*, qui concupiscit mundana; Ecclesiastici vigesimo nono: « Vita nequam hospitandi de domo in domum ».

**Secundo, quomodo vocantur discipuli de statu culpae.**

63. *Et post haec exiit* etc. Supra [10] egit Evangelista de vocatione discipulorum de statu licito sive iustitiae; hic agit de vocatione ipsorum de *statu periculoso* sive iniustitiae, ubi ostendit, quomodo vocavit Matthaeum sedentem ad telonium. Habet autem Divisio. pars ista duas, in quarum prima agit de *vocationis perfectione;* in secunda vero, de *vocatorum defensione*, ibi: *Factum est autem in Sabbato* etc., proximo capitulo [11].

Circa *vocationis perfectionem* introducuntur tria: Pars I. habet 3 membra. primum est *vocatio peccatorum;* secundum est *confutatio superborum*, ibi [12]: *Et murmurabant Pharisaei* etc.; tertium est *consolatio infirmorum*, ibi: *At illi dixerunt ad eum* etc.

*Vocatio* autem *publicani* ostenditur perfecta ex Vocatio publicani tripliciter perfecta. tribus, scilicet ex parte *divini doni praevenientis* et ex parte *liberi arbitrii consentientis* et ex parte *devoti obsequii consequentis*.

64. (Vers. 27.). Primo igitur ostenditur perfecta Primo. ex parte *divini doni praevenientis*, cum dicitur: *Et post haec exiit et vidit publicanum* etc. Et nota,

---

[1] Vers. 12. — Sequuntur Rom. 7, 18. et 23. — Inferius post *motum rectum* in D manus secunda addidit *voluntatis*, Vat. *affectionis*.

[2] Libr. I. de Sacram. p. VII. c. 26: Hoc autem vitium originis humanae duplici corruptione naturam inficit, ignorantia scilicet mentem etc. Cfr. tom. II. pag. 765, nota 4. — Duo seqq. loci sunt Ps. 37, 11. et Exod. 10, 22. seq.

[3] Vers. 1. — Sequitur Matth. 16, 19.

[4] Vers. 21. — Superius post *non curant* Vat. addit *turbae illae*.

[5] Vers. 22. — Pro *portitores* (cfr. supra pag. 94, nota 8.) Vat. *portatores*, quae prosequitur *designant susceptores, qui afferunt*.

[6] Vers. 38. — Subinde allegatur Act. 12, 7. — Inferius pro *Fit etiam curatio... dicit* Vat. *Unde sequitur perfecta curatio, ibi*.

[7] Vers. 14, post quem Isai. 60, 1.

[8] Vers. 28. et 29. — Duo seqq. loci sunt Gen. 17, 1. et Eph. 5, 2.

[9] Vers. 15. seq., ubi plures codd. *deliciis* pro *delictis*. — Sequuntur Sap. 8, 16. (cfr. supra pag. 67, nota 9.) et Eccli. 29, 31.

[10] Cfr. n. 1.

[11] Cap. 6, 1.

[12] Vers. 30; tertium habetur v. 33.

quod dicitur *exire, videre* et *vocare*. *Exit* quidem, ut requirat; *videt*, ut attrahat; *affatur* et *vocat*, ut ad se convertat. **Quid sit exire.** *Exiit* quidem per sollicitudinem requirendi opus suum, sicut in Psalmo [1] dicitur: « Exibit homo ad opus suum et ad operationem suam usque ad vesperam ». Unde significatur per patremfamilias, de quo Matthaei vigesimo dicitur, quod « exiit primo mane conducere operarios in vineam suam ». Hic est vere Dominus Iesus, qui dicit de se ipso Ioannis decimo sexto: « Exivi a Patre et veni in mundum », quia de secreto sinu venit in manifestum. **Quid videre.** — Nec tantum exiit, sed *et vidit publicanum*, ut per respectum misericordiae ipsum ad se attrahat, sicut petebat ille *videri* in Psalmo [2]: « Vide humilitatem meam et laborem meum » etc. Et hoc modo *vidit* istum, quia, licet esset peccator in facto, erat tamen electus in divino proposito; Sapientiae quarto: « Respectus eius in electos ipsius »; unde dicitur infra vigesimo secundo: « Conversus Dominus, respexit Petrum, et egressus foras Petrus, flevit amare ».

65. Hoc respectu *vidit* Iesus *publicanum nomine Levi*, id est Matthaeum, qui, ut dicit Hieronymus [3], fuit binomius; **De duplici nomine Evangelistae.** sed Lucas et Marcus propter honorem Evangelistae nomen tacent vulgatum, Matthaeus autem in sermonis principio accusator sui factus, Matthaeum se et publicanum nominat. — Et nota, quod *publicani* dicebantur qui publice peccabant, sicut accipitur infra decimo octavo [4]: « Duo homines ascenderunt in templum: unus Pharisaeus, et alter publicanus »; vel, qui merces vendendo omnibus publicabant, sicut mercatores facere solent, sicut accipitur supra tertio; vel, qui publica vectigalia exigebant; et sic videtur proprie accipi hic.

66. Unde subditur: *Sedentem ad telonium*. **De telonio.** Secundum Bedam [5] « telos Graece, vectigal Latine »; secundum Isidorum locus est, « ubi merces navium vel nautarum emolumenta redduntur »; secundum Ambrosium aequivoce potest accipi ad *vectigal* et ad *domum*, in qua redditur; unde dicit [6]: « Ille prius dura de laboribus, avara de mercedibus multorum emolumenta extorquens, vocatus verbo, propria reliquit qui rapiebat aliena ». « Nemo ergo, ut dicit Glossa Bedae [7], de immanitate peccatorum desperet, cum Matthaeus de publicano in Apostolum, de telonario in Evangelistam sit mutatus ».

67. Nec tantum vidit, ut attraheret, sed etiam *allocutus est* eum, ut converteret, cum subditur: **Quid vocare.** *Et ait illi: Sequere me*, scilicet per omnium temporalium *abrenuntiationem*, quia, secundum quod dicit Ioannis octavo [8], **De abrenuntiatione.** « qui sequitur me non ambulat in tenebris »; et Ecclesiastici vigesimo tertio: « Magna gloria est sequi Dominum ». *Sequere me* — *discretive* dicitur — non *lucra temporalia*; quia, Ecclesiastici trigesimo quarto [9], « sicut qui apprehendit umbram et sequitur ventos, sic qui attendit ad visa mendacia ». — *Sequere me*, non *desideria carnalia*; Ecclesiastici quinto: « Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui »; et Proverbiorum septimo: « Sequitur eam sicut bos ductus ad victimam » etc. — *Sequere me*, non *flagitia mundana*, sicut illi, de quibus secundi Regum decimo quinto [10]: « Toto corde universus Israel sequitur Absalom »; Osee duodecimo: « Ephraim pascit ventum et sequitur aestum, tota die mendacia et vastitatem multiplicat ». Et tales sunt vane gloriosi [11], qui pascunt ventum mundanae vanitatis.

68. (Vers. 28.). Secundo autem ostenditur perfecta ex parte *liberi arbitrii consentientis* obtemperando, **Secundo.** cum subditur: *Et relictis omnibus, surgens, secutus est eum;* in quo designatur perfectus consensus liberi arbitrii et quantum ad *recessum a malo* et *profectum in bono* et *consummationem in statu perfecto*. **Consensus quoad tria.** Ideo dicitur, quod *omnia reliquit*, quod *surrexit*, et quod *Christum secutus fuit*, ut posset dicere illud Petri Matthaei decimo nono [12]: « Ecce, nos reliquimus omnia et secuti sumus te ». Et hoc est, ad quod hortatur nos Apostolus ad Hebraeos duodecimo: « Deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus » etc.

---

[1] Psalm. 103, 23. — Duo seqq. loci sunt Matth. 20, 1. et Ioan. 16, 28. — Superius Vat. omittit *affatur et* (pro *et* D *sive)*, quae etiam aliquanto inferius pro *de secreto sinu* [cfr. Ioan. 1, 18.] *venit* substituit *de secreto veni*.

[2] Psalm. 24, 18. — Sequuntur Sap. 4, 15. et Luc. 22, 61. seq.

[3] Libr. I. Comment. in Matth. 9, 9: Ceteri Evangelistae propter verecundiam et honorem Matthaei noluerunt eum nomine appellare vulgato, sed dixerunt *Levi;* duplici quippe vocabulo fuit. Ipse autem Matthaeus, secundum illud quod a Salomone [Prov. 18, 17.] praecipitur: *Iustus accusator est sui in principio sermonis*... Matthaeum se et publicanum nominat, ut ostendat legentibus, nullum debere salutem desperare etc.

[4] Vers. 10, post quem 3, 12, ubi etiam a S. Bonav. diversae significationes nominis *publicanus* afferuntur. B. Albert., in Luc. 5, 27: *Vidit publicanum*, quia publicis vectigalibus accipiendis et congregandis erat praepositus; haec autem vectigalia de vehendis mercibus accipiebantur. Quidam tamen dicunt, quod erat mercator merces vehens; et hoc non puto esse verum. Vectigalia autem cum extorsione accipiebantur, et ideo tale officium infame est. Isai. 3, 12: *Populum meum exactores sui spoliaverunt.* Cfr. Ambros., V. in Luc. n. 16. Codd. A C D H omittunt *sicut mercatores... exigebant.*

[5] Libr. II. in Matth. 9, 9. — Sententia Isidori habetur XV. Etymolog. c. 2. n. 45. Pro *redduntur*, quod E F G cum textu originali exhibent, A C D H *venduntur*, Vat. *convertuntur*.

[6] Libr. V. in Luc. n. 16: Itaque ille prius avara de mercedibus [ms. Reg. *mercibus*], dura de laboribus periculisque nautarum emolumenta convertens, verbo vocatus, propria dereliquit, qui rapiebat aliena, ac vile illud sedile destituens, toto post Dominum vestigio mentis incedit.

[7] Scilicet *ordinaria* in Luc. 5, 27. Beda sequitur Hieron. supra nota 3. allegatum.

[8] Vers. 12, post quem Eccli. 23, 38.

[9] Vers. 2. Glossa *interlinearis* in Luc. 5, 27: *Sequere me*, non lucra. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 5, 2. et Prov. 7, 22.

[10] Vers. 13. — Sequitur Osee 12, 1.

[11] Cod. F *vanagloriosi*, ut codd. infra c. 6. n. 58.

[12] Vers. 27, post quem Hebr. 12, 1.

*In sequendo Christum 7 impedimenta.*

69. Et nota, quod sub ista distributione includuntur omnia, quae impediunt ad hoc, quod homo Christum perfecte sequatur, quae sunt septem, scilicet criminale *flagitium,* corporale *solatium,* temporale *negotium,* personale[1] *litigium,* populare *consortium,* paternale *hospitium* et puerile *desiderium.* — *Primum.* Relinquendum est *criminale flagitium;* Proverbiorum vigesimo octavo[2]: « Qui abscondit scelera sua non dirigetur ». — *Secundum.* Secundo, *corporale solatium,* sicut Tobiae secundo: « Reliquit prandium, ieiunus pervenit ad corpus ». — *Tertium.* Tertio, *temporale negotium;* sic Ioseph, *pallium* in manu mulieris Aegyptiacae; Genesis trigesimo nono[3]: « Relicto pallio, fugit »; sic Eliseus, *boves et aratrum,* tertii Regum decimo nono; sic Apostoli, *retia,* sicut dicitur Matthaei quarto: « Relictis retibus, secuti sunt eum ». Per *retia* recte intelliguntur negotia terrena, quia « qui volunt divites fieri incidunt in tentationem » etc., primae ad Timotheum sexto. — *Quartum.* Quarto, relinquendum est *personale litigium;* Ecclesiastici vigesimo octavo[4]: « Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur ». — *Quintum.* Quinto vero, *populare consortium;* Ieremiae quadragesimo octavo: « Relinquite civitates et habitate in petra ». — *Sextum.* Sexto, *paternale hospitium;* Ieremiae duodecimo: « Reliqui domum meam et dimisi hereditatem meam » etc. — *Septimum.* Septimo, *puerile desiderium;* Proverbiorum nono: « Relinquite infantiam » etc. — *Sic bene surgitur.* Qui haec omnia relinquit, ille est qui bene *surgit;* qui designatur per Paulum conversum, de quo Actuum nono[5]: « Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis, nihil videbat »; quia homini ad Christum converso et luce eius illuminato nihil esse videtur terrenum; ad Ephesios quinto: « Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus ». Et qui sic expeditus surgit potest per viam perfectionis *sequi,* ut possit dicere illud Iob vigesimo tertio[6]: « Vestigia eius secutus est pes meus ».

*Promptitudo in exsequendo.*

70. Et *velociter* hoc fecit; sciebat enim, quod « nocuit differre paratis »; unde nolebat facere contra illud Proverbiorum tertio[7]: « Ne dicas amico tuo: Vade et revertere, et cras dabo tibi, cum statim possis dare »; sed illud Proverbiorum vigesimo secundo: « Vidisti virum velocem in opere suo? Coram regibus stabit ».

*Porphyrius refellitur.*

71. Verumtamen de hoc arguit eum Porphyrius haereticus[8], quia statim sine deliberatione secutus est eum tanquam stultus. — Ad quem respondet Glossa[9], quod « non levitate ductus, sed virtute operum secutus est eum »; viderat enim Christi miracula. Unde Hieronymus[10] dicit, quod « fulgor Divinitatis occultae, quae in humana facie Christi relucebat, extemplo ad se videntes trahere poterat aspectu. Sicut vis in magnete lapide esse dicitur, ut anulos et stipulam sibi copulet; quanto magis creaturarum Dominus ad se trahere poterat quos volebat ». Iuxta quod dicit sponsa in Canticis illud: « Trahe me post te, in odorem curremus unguentorum tuorum ».

*Tertio.*

72. (Vers. 29.). Tertio vero ostenditur vocatio perfecta ex parte *devoti obsequii* subsequentis in ministrando, cum dicitur: *Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua.* Faciebat Matthaeus secundum propositum Sapientis, qui dicebat Sapientiae octavo[11]: « Proposui sapientiam adducere mihi ad convivendum, sciens, quoniam communicabit mecum de bonis suis ». Iam in eo impletum erat desiderium Christi, secundum illud Apocalypsis tertio: « Ecce, sto ad ostium et pulso; si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum et coenabo cum ipso » etc. Iam manifestum est gaudium Patris aeterni, de quo infra decimo quinto[12]: « Epulari oportebat et gaudere, quia filius hic mortuus fuerat et resurrexit ».

*Multitudo convivantium.*

73. Et quoniam magnitudo convivii requirit multitudinem convivantium, ideo subdit: *Et erat turba multa publicanorum et aliorum, qui cum ipsis*[13] *erant discumbentes.* Invitaverat enim illos Matthaeus, ut, sicut fuerant socii in culpa, sic etiam essent in poenitentia, secundum illud Apocalypsis ultimo: « Qui audit dicat: Veni »; unde Hieronymus: « Videbant publicanum, a peccatis ad meliora conversum, locum invenisse poenitentiae, et ob illud etiam ipsi non desperant salutem ». Attendebant enim, quod « melius est vocari ad olera cum caritate quam ad vitulum saginatum cum odio », Proverbiorum decimo quinto[14]. Haec autem turba publicanorum ad

---

[1] Vat. hic et inferius *particulare.*

[2] Vers. 13. — Sequitur Tob. 2, 3.

[3] Vers. 12, post quem III. Reg. 19, 20; Matth. 4, 20. (cfr. supra v. 11.) et I. Tim. 6, 9.

[4] Vers. 2. — Sequuntur Ier. 48, 28. et 12, 7; Prov. 9, 6.

[5] Vers. 8. — Subinde allegatur Eph. 5, 14.

[6] Vers. 11.

[7] Vers. 28, post quem 22, 29. — Supra cit. verba sunt Lucani, de Bello civili, l. v. 258:

Tolle moras, semper nocuit differre paratis.

[8] Ut refert Hieron., l. Comment. in Matth. 9, 9. — Non constat, Porphyrium, Plotini discipulum et fidei christianae inimicum, fuisse baptizatum.

[9] Scilicet *ordinaria* in Matth. 9, 9: « Lucas plenius dicit: *Relictis omnibus, secutus est eum,* tam corpore quam mente; non levitate ductus, sed veritate operum et divina potentia intus operante tractus ». Haec Glossa exhibetur sub nomine *Bedae* (cfr. l. in Marc. 2, 14. et II. in Luc. 5, 28.). Vide etiam Hieron., l. Comment. in Matth. 9, 9: Arguit in hoc loco Porphyrius et Iulianus Augustus... quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem sint secuti, cum tantae virtutes tantaque signa praecesserint, quae Apostolos, antequam crederent, vidisse non dubium est.

[10] Loc. cit. — Subinde allegatur Cant. 1, 3.

[11] Vers. 9. — Sequitur Apoc. 3, 20.

[12] Vers. 32, ubi Vulgata *frater tuus* pro *filius* et *revixit* [ita etiam D a secunda manu et G] pro *resurrexit.* — Superius pro *Iam manifestum* Vat. *Magnum etiam.*

[13] Vulgata *illis.* — Subinde allegatur Apoc. 22, 17, post quem sententia Hieron., l. Comment. in Matth. 9, 10. seq., in qua Vat. cum pluribus codd. pro *Videbant publicanum* (ita D cum textu originali) substituit *Videbant publicani* (Vat. addit *eum).*

[14] Vers. 17. — Duo seqq. loci sunt Matth. 8, 11. et 21, 31.

convivium Christi vocata designat illud implendum, quod dicitur Matthaei octavo: « Multi ab oriente et occidente venient et recumbent cum Abraham in regno caelorum; filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores »; unde vigesimo primo: « Publicani et peccatores praecedent vos ». Et in huius figuram dicitur infra decimo [1], quod « mulier quaedam, Martha nomine, excepit illum in domum suam, et huic erat soror, nomine Maria ».

Difficultas solvitur.

74. Sed huic videtur obviare illud primae ad Corinthios quinto [2]: « Si quis frater nominatus inter vos est fornicator aut avarus, cum huiusmodi nec cibum sumere ». — Sed illud dicitur infirmis, ne ex mala communicatione corrumpantur, quia dicitur Ecclesiastici decimo tertio [3]: « Qui communicaverit superbo induet superbiam ». Vel certe dicitur de publicis obstinatis et convictis, secundum quod dicit Glossa. Hi autem poterant praesentia Christi conteri. Unde Hieronymus [4]: « Ibat Iesus ad convivia peccatorum, ut occasionem haberet docendi et spirituales invitatoribus suis praeberet cibos. Denique, cum frequenter pergere ad convivia describatur, nihil aliud refertur, quod ibi fecerit, nisi quod docuerit, ut et humilitas Domini eundo ad peccatores, et potentia doctrinae eius in conversione poenitentium demonstretur ».

Confutatio superborum tripliciter describitur.

75. *Et murmurabant* etc. Supra [5] egit de vocatione peccatorum; in hac parte agit de *confutatione superborum*, quoniam, sicut dicit Apostolus primae ad Corinthios primo, « infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ignobilia et contemptibilia mundi elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt, destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius ». Describitur ergo *confutatio Pharisaeorum* superbientium de propriis meritis et ceteros contemnentium hoc ordine. Nam primo superbia eorum *detegitur;* secundo detecta *redarguitur;* tertio redarguta *deiicitur.*

Primo, superbia eorum detegitur.

76. (Vers. 30.). *Detegitur* ergo primo ex murmure loquacitatis propriae; et hoc notatur, cum dicit: *Et murmurabant Pharisaei et scribae eorum,* contra consilium Sapientis, Sapientiae primo [6]: « Custodite vos a murmuratione, quae nihil prodest, et a detractione parcite linguae ». Quod isti non faciebant; unde et subditur: *Dicentes* [7]*: Quare cum publicanis et peccatoribus manducatis et bibitis?* Unde non poterant mordere in peccato proprio, mordebant tamen ex alieno; hoc enim est hominis iniqui; Ecclesiastici undecimo: « Bona in mala convertens, insidiatur et in electis imponit maculam ». In hoc manifestatur Pharisaeorum superbia, quia se non reputabant peccatores. Unde Glossa [8]: « Dupliciter peccant, et quia putant, se esse iustos, cum sint superbi, et illos reos, cum iam poeniteant ». Unde erant similes illi Pharisaeo, de quo infra decimo octavo: « Non sum sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus ». Et ideo infra decimo sexto dicebat eis Dominus: « Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda vestra ». De talibus Isaias sexagesimo quinto [9]: « Qui dicunt: Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es ». Propter talium verba et oblocutiones non debet homo devitare opera misericordiae; unde primi Machabaeorum secundo: « A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius stercus et vermis est ». Unde Hieronymus [10]: « Non potest fieri, ut absque morsu hominum huius vitae curricula quis pertranseat. Malorum solatium est bonorum vitam carpere, et de peccantium multitudine putant suorum culpam minui peccatorum ».

Secundo, eadem redarguitur.

77. (Vers. 31.). *Arguitur* vero secundo ex lumine veritatis perspicuae, cum additur: *Respondens* [11] *Iesus dixit ad illos: Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent.* Haec est per se nota, quia, secundum quod dicitur Ecclesiastici trigesimo octavo, « honora medicum propter necessitatem; etenim creavit illum Altissimus ». Si medicina propter aegritudinem, igitur non est redarguendus aegrotus, qui confugit ad medicum, nec medicus, qui accedit ad aegrotum; sed magis illi redarguendi sunt, qui haec redarguunt. Vocat autem Christus peccatores *infirmos*, quoniam peccatum infirmum facit, secundum illud Psalmi [12]: « Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea ». De tali infirmo dicitur ad Romanos decimo quarto: « Infirmum autem in fide assumite » etc.; et decimo quinto: « Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere ». Se autem vocat *medicum*, quia,

[1] Vers. 38. et 39. [2] Vers. 11.

[3] Vers. 1. — Glossa *ordinaria* in I. Cor. 5, 11: Eam nominationem voluit intelligi Apostolus, quae fit in quemquam cum sententia et ordine iudiciario atque integritate profertur. Nam si quaelibet nominatio sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia saepe falso in quoquam crimina nominantur etc. Cfr. Petr. Lombard., in eundem loc.: *Si is qui nominatur frater,* etsi non sit, *est fornicator*, nominabilis et manifestus et falce evangelica praecisus vel notatus etc.

[4] Lib. I. Comment. in Matth. 9, 13. Pro *nihil aliud refertur, quod ibi fecerit, nisi quod docuerit*, textus originalis (quem sequitur Vat.) *nihil refertur aliud, nisi quid ibi fecerit, quid docuerit,* qui etiam in fine pro *demonstretur* exhibet *demonstraretur.* — Superius pro *poterant praesentia* [H *in praesentia*] *Christi conteri* F et Vat. *poterant et volebant ad bonum propter* [F *per*] *praesentiam Christi trahi.*

[5] Num. 63. seqq. — Subinde allegatur I. Cor. 1, 27. seq.

[6] Vers. 11.

[7] Vulgata, quam sequitur Vat., addit *ad discipulos eius.* — Sequitur Eccli. 11, 33.

[8] Scilicet *interlinearis* in Luc. 5, 30, quae est secundum Raban., III. Comment. in Matth. 9, 11. — Duo seqq. loci sunt Luc. 18, 11. et 16, 15.

[9] Vers. 5. — Subinde allegatur I. Machab. 2, 62.

[10] Epist. 54. (alias 10.) n. 13, ubi pro *et de peccantium* textus originalis *dum peccantium.*

[11] Vulgata *Et respondens.* — Sequitur Eccli. 38, 1.

[12] Psalm. 37, 8. — Duo seqq. loci sunt Rom 14, 1. et 15, 1

Isaiae quinquagesimo tertio [1], « livore eius sanati sumus »; et sexagesimo primo: « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ut mederer contritos corde »; et Actuum decimo: « Pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo ».

Tertio, eadem deiicitur.

78. (Vers. 32.). *Deiicitur* autem tertio ex rectitudine aequitatis supernae, qua magis condescendit humili peccatori quam superbo iusto; et ideo subdit: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam; iustos,* id est, qui se reputant; Glossa [2]: « Qui iustitiae suae confidunt ». Unde Beda: « *Iustos* eos vocat, qui *Dei ignorantes iustitiam et suam volentes statuere, iustitiae Dei non sunt subiecti,* ad Romanos decimo, qui ex Lege praesumentes, Evangelii gratiam non quaerunt ». Tales enim non venit Dominus vocare, sed magis iusto iudicio excaecare; unde Ioannis nono [3]: « In iudicium ego veni in mundum, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant ». Venit autem Dominus vocare omnes ad poenitentiam, quia, sicut dicitur ad Romanos tertio et acceptum est de Psalmo, « non est iustus quisquam, omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt »; unde et ibidem: « Omnes peccaverunt et egent gloria Dei ». Et ideo a poenitentia incepit praedicare, secundum quod dicitur Matthaei quarto [4]. De hac vocatione dicitur Isaiae vigesimo secundo: « Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum et planctum et calvitium et ad cingulum sacci ». Sed hanc vocem non audiunt qui se reputant iustos; contra quos Iob nono [5]: « Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me; si innocentem ostendero, pravum me comprobabit ». Sed hanc audiunt humiles peccatores; infra septimo: « Et omnis populus audiens et publicani iustificaverunt Dominum, baptizati baptismo Ioannis. Pharisaei autem et legisperiti spreverunt consilium Dei in semetipsos, non baptizati ab eo ». — Et sic patet, quomodo in hoc facta est confutatio superborum; unde divino iudicio peiores reputantur illis quos despiciunt.

Consolatio infirmorum tripliciter notatur.

79. (Vers. 33.). *At illi dixerunt.* Postquam descripta est vocatio peccatorum et confutatio superborum, subiungitur hic tertio *consolatio infirmorum* in hoc, quod non imponuntur ipsis discipulis onera gravia et difficultates ieiuniorum. Introducitur ergo *consolatio* manuductoria discipulorum ut *dissonans severitati legalis observantiae,* ut *consonans benignitati divinae praesentiae,* ut *expediens ruditati imperfectionis humanae* [6].

Primo, ut dissonans severitati legalis observantiae.

Primo ergo introducitur ut *dissonans severitati legalis observantiae* in quaestione Pharisaeorum, cum dicitur: *At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter et obsecrationes faciunt? Similiter autem et* [7] *Pharisaeorum* etc. Dicitur autem et Matthaei nono, quod hoc discipuli Ioannis quaesierunt; sed, ut dicit Augustinus in libro de Concordia Evangelistarum, non est contrarietas, quia utrique quaesierunt. Et utrique quaerebant, sed discipuli Ioannis volentes discere veritatem, Pharisaei vero volebant eorum explorare libertatem, sicut illi, de quibus dicitur ad Galatas secundo [8]: « Propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram ». Hoc autem non quaerebant, quia discipulos Ioannis approbarent, sed ut comparatione eorum Christi discipulos reprehenderent.

Quaestio duplex et dissimilis.

Pharisaei arguuntur.

80. Unde et subdunt: *Tui autem edunt et bibunt;* et ideo conquerebatur Dominus de eis Matthaei undecimo [9]: « Venit Ioannes neque manducans neque bibens, et dicunt: Daemonium habet; venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt: Ecce, homo vorax et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus ». Et ideo spernebant Pharisaei eos tanquam discordes a legali et populari observatione; sed male, quia Isaiae quinquagesimo octavo [10]: « Nolite ieiunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Nunquid tale est ieiunium, quod elegi? Hoc enim est ieiunium, quod elegi? Dissolve colligationes impietatis » etc.; et ad Romanos decimo quarto: « Is qui non manducat, manducantem non spernat », quia, sicut ibidem subditur, « regnum Dei non est esca et potus ».

Secundo, ut conveniens divinae benignitati.

81. (Vers. 34.). Secundo vero introducitur ut *conveniens benignitati divinae praesentiae* in dissolutione obiectorum, cum dicitur: *Quibus ipse ait:*

---

[1] Vers. 5, post quem 61, 1. et Act. 10, 38.

[2] Scilicet *interlinearis.* — Sententia Bedae habetur II. in Luc. 5, 32; in ipsa allegatur Rom. 10, 3. Cfr. Ambros., V. in Luc. n. 21. seq. — Superius pro *aequitatis supernae* Vat. *aequitatis fraternae.*

[3] Vers. 39. — Duo seqq. loci sunt Rom. 3, 10. 12. (ex Ps. 13, 3.) et 23.

[4] Vers. 17, post quem Isai. 22, 12.

[5] Vers. 20. — Sequitur Luc. 7, 29. seq. — Infra pro *humiles peccatores* Vat. *peccatores quam plurimi.*

[6] Cod. D hic et infra n. 83. *ruditati antiquae.*

[7] Vulgata omittit *autem,* nonnulli codd., ut C D, *et.* — Sententia August. habetur II. de Consensu Evangelist. c. 27. n. 62: « Item, quod dicit Matthaeus [9, 14.]: *Tunc accesserunt ad eum discipuli Ioannis, dicentes: Quare nos et Pharisaei ieiunamus frequenter?* Marcus [2, 18.] similiter intulit, dicens: *Et erant discipuli Ioannis et Pharisaei ieiunantes et veniunt et dicunt illi: Cur discipuli Ioannis et Pharisaeorum ieiunant, tui autem discipuli non ieiunant?* nisi quod iste putari potest addidisse Pharisaeos, quod simul cum discipulis Ioannis hoc dixerint, cum Matthaeus tantum discipulos Ioannis hoc dixisse perhibeat. Sed verba ipsa, quae illos dixisse apud Marcum legitur, magis indicant, alios hoc dixisse de aliis, id est convivas, qui aderant » etc. In fine ait: « Omnes [qui aderant, scil. discipuli Ioannis et ceteri convivae] certatim, ut quisque poterat, hoc obiecerunt; quorum sententia diverso loquendi modo, sed tamen a veritate non alieno, a tribus Evangelistis insinuata est ». Glossa *ordinaria* (secundum Bedam) in Luc. 5, 33: Matthaeus dicit, ipsos discipulos hoc quaesisse. Sed sciendum, quia utrique quaesierunt. — Superius pro *ut dissonans* A C G *ut dissentiens.*

[8] Vers. 4. — Inferius pro *quia* H *ut,* et post *sed* A C D omittunt *ut.*

[9] Vers. 18. et 19.

[10] Vers. 4-6. Vulgata hinc inde plura interserit et finem sic exhibet: *Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi? Dissolve* etc. — Subinde allegantur Rom. 14, 3. et 17.

*Nunquid possunt filii sponsi ieiunare* etc. Secundum Bedam [1] vero haec est littera: *Nunquid potestis filios sponsi facere ieiunare? Sponsus* iste Christus est, de quo Ioannis tertio: « Qui habet sponsam sponsus est »; et in Psalmo: « Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo ». *Filii sponsi* sunt Apostoli; unde Isaiae octavo: « Ecce, ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus »; et in Psalmo: « Pro patribus tuis nati sunt tibi filii; constitues eos principes » etc. Isti non possunt nec debent ieiunare ieiunio moeroris et afflictionis, quamdiu cum illis est sponsus, quia tunc est tempus gaudii; propter quod Canticorum tertio [2] dicitur: « Filiae Ierusalem, egredimini et videte regem Salomonem in diademate »; et Isaiae sexagesimo primo: « Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo, quia induit me Dominus vestimento salutis et indumento iustitiae circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona et quasi sponsam ornatam monilibus ». Unde tunc erat tempus *gaudii*, non moeroris, quia, sicut dicitur Ioannis tertio [3], « amicus sponsi stat et gaudio gaudet propter vocem sponsi ».

82. (Vers. 35.). Et ideo discipulorum *consolatio* conveniens est praesentiae sponsi Christi, sicut et *desolatio* absentiae. Propter quod addit: *Venient autem dies, cum ablatus fuerit ab eis* [4], scilicet per mortem et passionem; Osee quinto: « Vadent ad quaerendum Dominum et non invenient; ablatus est enim ab eis », et *tunc ieiunabunt in illis diebus*, scilicet ad tempus illud; quia Ioannis decimo sexto [5]: « Plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos vero contristabimini, sed tristitia vestra convertetur in gaudium »; et tunc erit tempus moeroris et ieiunii, unde Tobiae secundo: « Comedit panem suum in luctu et tremore, memorans illud propheticum: Dies festi vestri convertentur in luctum »; Threnorum primo: « Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me consolator meus, convertens animam meam ».

Consolatio x praesentia, desolatio ex absentia Sponsi.

83. (Vers. 36.). Tertio autem introducitur ut *expediens ruditati imperfectionis humanae*, cum dicitur: *Dicebat autem illis similitudinem* [6]; ubi ostendit, discipulos ad ieiunium non esse arctandos tum propter *vetustatem conversationis*, tum propter *fragilitatem carnis*, tum etiam propter *dissuetudinem affectionis*, quae tria exprimit sub triplici metaphora, scilicet veteris *vestis*, veteris *utris* et veteris *vini*.

Tertio, ut expediens imperfectioni humanae.

Tanguntur tres rationes.

Rudes igitur discipulos expediens erat confovere, non ieiuniis aggravare, propter *vetustatem conversationis*, propter quam dicit: *Quia nemo commissuram*, id est particulam, quae coniungit, *a vestimento novo*, scilicet ablatam, *immittit in vestimentum vetus*, quia duplex sequitur inconveniens; et ideo addit: *Alioquin et novum rumpit*, quod est *damnosum*, *et veteri non convenit commissura* [7], quod est *indecorum*. — Sic *spiritualiter* intelligendum, quod non sunt imponendae novae observantiae convenientes novae conversationi, quamdiu homo non est priori exutus, scilicet in principio conversionis. Et ideo dicebat Apostolus ad Ephesios quarto [8]: « Deponentes secundum pristinam conversationem veterem hominem, renovamini spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est »; et ad Colossenses tertio: « Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, induite novum »; alioquin erit monstruosum. — Et ideo in figura huius prohibita est in Lege commixtio diversorum; Deuteronomii vigesimo secundo [9]: « Non indueris vestimento, quod ex lana linoque contextum est », quia hinc contemnitur Dominus; Ieremiae duodecimo: « Nunquid avis discolor hereditas mea mihi »?

Ratio prima.

Intellectus spiritualis.

Figura.

84. (Vers. 37. 38.). Hoc ipsum erat expediens propter *fragilitatem carnis*, propter quam dicit: *Et nemo mittit vinum novum in utres veteres;* quia ex hoc sequitur duplex inconvenientia, scilicet effusio vini, propter quam dicit: *Alioquin rumpet vinum novum utres, et ipsum effundetur;* alia, perditio utris; unde et addit: *Et utres peribunt* [10]. Et ideo novo vino novum etiam vas providendum; propter quod dicit: *Sed vinum novum in utres novos mittendum est et*

Secunda.

---

[1] Libr. II. in Luc. 5, 34. Ita etiam Vulgata, quae tamen cum Beda post *sponsi* addit *dum cum illis est sponsus*. Priorem lectionem, de qua cfr. Matth. 9, 15. et Marc. 2, 19, B. Albert. sic affert: *Nunquid possunt filii sponsi lugere vel ieiunare, dum cum illis est sponsus?* — Sequuntur Ioan. 3, 29; Ps. 18, 6; Isai. 8, 18. et Ps. 44, 17. Hieron., I. Comment. in Matth. 9, 15: Sponsus Christus, sponsa Ecclesia est. De hoc sancto spiritualique connubio Apostoli sunt procreati, qui lugere non possunt, quamdiu sponsam in thalamo vident et sciunt, sponsum esse cum sponsa. Quando vero transierint nuptiae, et passionis ac resurrectionis tempus advenerit; tunc sponsi filii ieiunabunt etc.

[2] Vers. 11, post quem Isai. 61, 10. — Superius vocibus *debent ieiunare* H interserit *de congruo*, Vat. *nunc;* deinde substituimus pro *ieiunium moeroris* ex C D H *ieiunio moeroris*.

[3] Vers. 29.

[4] Vulgata *ab illis sponsus*. — Subinde allegatur Osee 5, 6.

[5] Vers. 20. — Duo seqq. loci sunt Tob. 2, 5. seq. (in quo allegatur Amos 8, 10.) et Thren. 1, 16. — Superius pro *ad tempus illud* H *scilicet mortis et passionis usque ad adventum Spiritus sancti paracliti*, Vat. *eo scilicet tempore*.

[6] Vulgata et H: *Dicebat autem et similitudinem ad illos*.

[7] Cod. H (D a secunda manu) cum Vulgata addit *a novo*. Glossa *interlinearis: Quia nemo commissuram*, particulam, *a vestimento novo*, ablatam, *immittit in vestimentum vetus; alioquin et novum rumpit*, quia incipit displicere, etsi ante placuerit, *et veteri non convenit commissura a novo*, ablata. — Superius pro *scilicet ablatam* C D *id est ablatam*, H *ablatam*.

[8] Vers. 22-24. — Sequitur Col. 3, 9. seq. Cfr. Ambros., V. in Luc. n. 23. seqq., et Beda, II. in Luc. 5, 36. Glossa *ordinaria* in Luc. 5, 36. sententiam Ambrosii et Bedae exhibet. — Superius pro *priori* [quod substituimus pro *priora* a Vat. posito] *exutus* A C D G *illa* [scil. vetere; C *in illa*] *exutus*, H *in illa* [scil. nova] *assuetus*, et pro *scilicet in principio conversationis* Vat. *uti non est exutus mox in principio adhuc suae conversationis*.

[9] Vers. 11, post quem Ier. 12, 9.

[10] Maior pars codd. *pereunt*, quod quidem occurrit Matth. 9, 17, ubi tamen praecedentia sic exhibentur: « Alioquin *rum-*

Intellectus spiritualis.

*utraque servantur.* — Sic spirituales observantiae sunt spiritualibus, non carnalibus imponendae, qui designantur per veteres utres, secundum illud Psalmi [1]: « Factus sum sicut uter in pruina »; unde designantur per utres Gabaonitarum ruptos et solutos; Iosue nono: « Utres vini novos implevimus, qui nunc rupti sunt atque soluti sunt », et ita ad continendum vinum inepti. Et ideo primae ad Corinthios tertio: « Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam parvulis in Christo. Lac vobis potum dedi, non escam ». Antequam ergo eis spiritualia iniungantur, necesse est, ut corda eorum renoventur, iuxta illud Ezechielis trigesimo sexto [2]: « Ecce, dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri »; quia ad Galatas sexto Apostolus ait: « In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed nova creatura ». Et ideo in Psalmo [3] petitur: « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis »; quod fit in viris spiritualibus; secundae ad Corinthios quarto: « Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem ».

Tertia.

85. (Vers. 39.). Hoc etiam ipsum nihilominus [4] expediens erat propter *dissuetudinem affectionis;* propter quam designandam dicit: *Et nemo bibens vetus statim vult novum.* Et rationem huius reddit propter iudicium sensus, cum dicit: *Dicit enim: Vetus melius est.* — In quo per simile in delectatione potus vult ostendere, quod affectus noster non statim delectatur in novis servandis, nisi paulative manuducatur. Et ideo dicebant quidam Actuum decimo quinto [5]: « Nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari ». Hanc autem affectionem innovat caritas, secundum illud Ioannis decimo tertio: « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem ». Hoc facit nova sapere ut vetera; unde primae Ioannis secundo [6]: « Non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod audistis ab initio ». « Iterum mandatum novum scribo vobis, quod est verum et in ipso et in vobis ». Vere hoc est *novum mandatum,* quod vetera evacuat et quod facit sapere nova; secundae ad Corinthios quinto [7]: « Si qua in Christo nova creatura, vetera transierunt; ecce, facta sunt omnia nova »; quia, sicut dicitur Levitici vigesimo sexto, « novis supervenientibus, vetera proiicietis ». — Sic ergo propter ruditatem discipulorum tum ex parte *conversationis,* tum ex parte *carnis,* tum ex parte *mentis,* erant discipuli benigne tractandi, nondum ad ieiunium arctandi, maxime ad ieiunium exsultationis, quod non convenit nisi renovatis per gratiam Spiritus sancti.

Intellectus spiritualis.

Caritas innovat affectionem.

Epilogus.

Unde ex praemissis colligitur, quod discipuli Christi non erant arctandi, nec ad ieiunium *moeroris* propter praesentiam sponsi, nec *exsultationis* propter absentiam Spiritus sancti; et ita erant benigne consolandi tanquam adhuc tenelli et infirmi. Ex praemissis igitur sufficienter apparet, quomodo a Domino sunt *peccatores* misericorditer *vocati,* et *superbi* rationabiliter *confutati,* et *infirmi* suaviter *consolati.*

## Capitulum VI.

Pars II. habet duo membra.

1. *Factum est autem in Sabbato.* Supra [8] egit Evangelista de discipulorum vocatione; in parte ista agit de *ipsorum defensione,* quia boni pastoris est non solum oves congregare, sed etiam a lupis defendere [9]. Et habet haec pars duas. In prima defendit eos *testimonio Scripturae;* in secunda vero, miraculo potentiae, ibi [10]: *Factum est autem et in alio Sabbato.* Ipse enim Christus est « Dei virtus et Dei sapientia »; unde discipuli vocabant eum: « Magister et Domine », Ioannis decimo tertio; et ideo primo defendit ut *Magister* per testimonium authenticum, secundo, ut *Dominus* per opus miraculosum.

Defensio e Scriptura notatur tripliciter.

Circa primum autem defendendi modum tria introducuntur: primum est *criminandi occasio,* secundum est *criminationis oppositio* [11], tertium est *criminatorum confutatio.*

Primo, de occasione criminandi.

2. (Vers. 1.). *Criminandi* igitur *occasionem* dedit discipulorum necessitas, propter quam vellebant spicas in Sabbatis. Et hanc notat, cum dicit: *Factum est in Sabbato secundo primo,* id est secundo a primo, id est immediate sequente Sabbatum praecedens, de quo habitum est supra quarto [12], in quo curavit daemoniacum. Vel, sicut dicit Chrysostomus, in Sabbato *secundo primo,* id est bis

Explicatio verborum.

*puntur* utres, et vinum *effunditur* ». Superius pro *rumpet* plures codd. *rumpit.* Inferius pro *servantur* H cum Vulgata *conservantur.*

[1] Psalm. 118, 83. — Duo seqq. loci sunt Iosue 9, 13. et I. Cor. 3, 1. seq. Cfr. Beda, II. in Luc. 5, 37. seq.

[2] Vers. 26. — Sequitur Gal. 6, 15.

[3] Psalm. 50, 12, post quem II. Cor. 4, 16.

[4] Vat. *inchoantibus.*

[5] Vers. 1, ubi pro *salvari* A C D *salvi fieri.* — Subinde allegatur Ioan. 13, 34.

[6] Vers. 7. et 8, pluribus omissis.

[7] Vers. 17, post quem Lev. 26, 10.

[8] Cap 5 27. n. 63. seqq.

[9] De officio boni pastoris cfr. Ioan. 10, 1. seqq.

[10] Vers. 6. — Subinde allegantur I. Cor. 1, 24: *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam,* et Ioan. 13, 13.

[11] Ita codd., qui infra n. 5. legunt *Criminationis* [G *criminis*] *vero obiectionem;* Vat. *criminis obiectio.*

[12] Vers. 31. seqq. Glossa *ordinaria: Secundo primo.* Ad litteram in altero Sabbato, quod post illud fuit primitus secundum, vel quod occurrit prius post secundum ab eo quo praecedentia sunt dicta vel facta. — Chrysost., Homil. 39. (alias 40.) in Matth. n. 1: Quid autem est *secundum primum?* Quando duplices feriae erant, et Sabbati Domini et alterius festi succedentis. Sabbatum enim quaslibet ferias et quietem appellabant.

primo sive principali, propter duplicem solemnitatem concurrentem, quia Sabbatum ex se solemnitas erat, et etiam ratione *Neomeniae,* quae tunc erat. Vel secundum Bedam [1] *secundo primo* est una dictio composita ex integro et corrupto, ut *secundo primum* dicatur, hoc est secundo praelatum, id est superius et dignius illo Sabbato legali, quia iam tunc incipiebat Sabbatum novum, in quo feriandum est a vitiis, non ab operibus necessariis.

...positus per sata.

3. Et hoc patet per ipsorum discipulorum exemplum, de quibus subditur: *Cum transiret per sata; transibat,* scilicet ipse Christus, quia viator erat; unde Actuum decimo [2]: « Pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos ». In transitu autem suo designat, omnia haec esse transitoria, secundum illud Matthaei vigesimo quarto: « Caelum et terra transibunt ». *Transibat* autem, non manebat, et discipuli eius similiter, ut ipsi etiam hoc faterentur, quia « non habemus hic manentem civitatem », ad Hebraeos ultimo. — Quia vero, per haec transeundo, non debemus immorari, sed indigemus sustentari; ideo addit: *Vellebant discipuli eius spicas et manducabant, confricantes manibus suis* [3]; *vellebant,* id est, avellebant, a stipula discerpentes, secundum quod dicitur Amos septimo: « Armentarius ego sum, vellicans sycomoros ». *Vellebant,* dicit, non metebant, quia hoc secundum Legem erat concessum, illud inhibitum; Deuteronomii vigesimo tertio: « Si intraveris segetem amici tui, franges spicas et manibus conteres, falce autem non metas ». Et hoc quidem faciebant, famis necessitate compulsi, sicut, Matthaei duodecimo [4], « discipuli eius esurientes coeperunt vellere spicas et manducare ». Nec mirum, quia, Proverbiorum vigesimo septimo, « anima esuriens amarum pro dulci sumet »; et Iob sexto: « Quae tangere nolebat anima mea, nunc prae angustia cibi mei sunt ».

...iscipuli vellebant spicas.

4. Unde *humana necessitas* ipsos excusabat, quae hoc facere compellebat; et hanc rationem assignat Beda [5]: « Non habentes, inquit, discipuli spatium manducandi propter importunitatem turbarum, esuriebant ut homines, sed vellentes spicas inediam consolabantur ». — Alia ratio est *necessitas paupertatis assumtae,* qua erant inopes, ut nec sufficienter haberent panem; unde Apostolus secundae ad Corinthios undecimo [6]: « In fame et siti, in frigore et nuditate ». — Tertia ratio est *austeritatis exemplum,* quo docebant nos, sicut dicit Ambrosius [7], « non praeparatas escas, sed simplices quaerere cibos »; Isaiae trigesimo: « Dabit vobis Dominus panem arctum et aquam brevem ». — Quarta est, ut *ostendant,* quod non ad litteram, sed *spiritualiter* debemus legale Sabbatum observare, contra haereticos post futuros; ad Hebraeos quarto [8]: « Relinquitur sabbatismus populo Dei ». — Quinta ratio est *spiritualis intelligentia.* Per *Sabbatum* enim intelligitur otium divinae contemplationis; Isaiae quinquagesimo octavo [9]: « Vocaveris Sabbatum Domini delicatum ». *Spicae* sunt praegustationes dulcedinis internae, quae asperitatibus sunt permixtae, et ideo *manibus confricantur,* ut granum purum eliciatur, sicut Ruth, quae « colligebat spicas remanentes post terga metentium ». — Sexta ratio est ex parte *dulcedinis verbi Christi,* qua fortiter illecti, obliviscuntur manducare; unde Psalmus [10]: « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo »; et Ioannis sexto: « Verba, quae locutus sum vobis, spiritus et vita sunt ».

Ratio excusandi prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta.

5. (Vers. 2.). *Criminationis* vero *obiectionem* intulit Pharisaeorum perversitas, qua libenter insultabant discipulis. Quod notat, cum subdit: *Quidam autem*

Secundo, de criminis obiectione.

[1] Libr. II. in Luc. 6, 1, qui sequitur Ambros., V. in Luc. n. 31. Sententia Bedae secundum Glossam *ordinariam* in Luc. 5, 1. est: Diem, quo Sabbati littera solvi coeperat δευτερόπρωτον, id est secundo-primum Sabbatum vocat, per hoc innuens, observantiam legalis Sabbati cessaturam et naturalis Sabbati libertatem... restituendam, qua credentes per gratiam septiformis Spiritus a malis operibus vacant. Sabbatum ergo gratiae ad distinctionem legalis Sabbati *secundo-primum* dicitur, id est primum secundo praelatum, id est superius et dignius inferiori legali etc. (Tam Ambros. quam Beda ad hanc sententiam explicandam afferunt I. Cor. 15, 45. seqq., ubi Christus vocatur *secundus Adam,* qui ratione dignitatis primum Adam antecedit, ideoque nominari potest *secundo-primus Adam).* Glossa *interlinearis:* « *Sabbato secundo primo,* una dictio est, vel duae dictiones ». Plura de hoc vide apud Petr. Comest., Histor. scholastica, in Evang. c. 68.

[2] Vers. 38. — Duo seqq. loci sunt Matth. 24, 35. et Hebr. 13, 14.

[3] Vulgata omittit *suis,* quod tamen exhibet Ambros., V. in Luc. n. 28: *confricantes eas manibus suis.* — Sequuntur Amos 7, 14. et Deut. 23, 25.

[4] Vers. 1, cui Vat. subiungit Marc. 2, 23. et 24. — Subinde allegantur Prov. 27, 7. et Iob 6, 7. — Superius pro *Et hoc quidem* plures codd. *Et hoc quidam.*

[5] Libr. II. in Luc. 6, 1. Sententia allegatur secundum Glossam *ordinariam* in eundem loc. — Retinuimus cum Vat. *Beda,* pro quo codd. *Ambrosius,* apud quem verba non invenimus. Beda sequitur *Hieron.,* II. Comment. in Matth. 12, 1.

[6] Vers. 27. — Post *panem* Vat., refragantibus codd., addit: *ut apertissime liquet ex Ioanne* [6, 5. seq.], *ubi, cum convenissent quinque millia virorum aut circiter, absque mulieribus et parvulis, inter universos Apostolos non est inventa vel mica panis, sed tantum erat puer unus in medio turbarum, qui habebat quinque panes hordeaceos et duos pisces.*

[7] Substituendum videtur aut *Hieronymus,* aut *Beda,* qui locis supra nota 5. allegatis hanc etiam ponunt rationem. — Sequitur Isai. 30, 20.

[8] Vers. 9. — Hieron., II. Comment. in Matth. 12, 2: Nota, quod primi Apostoli Salvatoris litteram Sabbati destruunt adversus Ebionitas, qui, cum ceteros recipiant Apostolos, Paulum quasi transgressorem Legis repudiant. Idem dicit Beda, II. in Luc. 6, 1. Haec verba affert etiam H, sed perperam sub nomine *Ambrosii.*

[9] Vers. 13. — Subinde allegatur Ruth 2, 3. Cfr. Ambros., V. in Luc. n. 28. seqq.; Beda, II. in Luc. 6, 1. et I. in Marc. 2, 23, ubi etiam seq. ratio tangitur. — Inferius pro *praegustationes* Vat. *purgationes,* et post *internae* B addit *vel aeternae.*

[10] Psalm. 118, 103, post quem Ioan. 6, 64. — Superius pro *illecti* C D H *allecti.*

*Pharisaei*[1] *dicebant illis: Quid facitis quod non licet in Sabbatis?* quia praeceptum erat in Lege, Exodi decimo sexto et trigesimo quinto et Levitici vigesimo tertio, Sabbatum diligentissime observari. Et ideo arguebant eos tanquam legis divinae transgressores, sicut Magistrum eorum; Ioannis nono: « Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit ». Unde eos morte dignos reputabant, quia, secundum illud ad Hebraeos decimo[2], « irritam quis faciens Legem Moysi, absque ulla miseratione sub duobus vel tribus testibus moritur », et maxime quantum ad mandatum de Sabbato, quod erat praecipue observandum; unde ille qui inventus est colligere ligna in Sabbato, interfectus est, sicut dicitur Numerorum decimo quinto: « Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra ».

Criminatio oritur ex quatuor.

6. Haec autem criminatio partim veniebat ex *ignorantia Legis*, partim ex *superbia mentis*, partim ex *simulatione hypocrisis*, partim ex *superstitione traditionis*. — Ex *ignorantia Legis*, quia non prohibebatur sumtio necessitatis, sed operatio servitutis. Et ideo talibus dicitur Matthaei vigesimo secundo[3]: « Erratis, nescientes Scripturas neque virtutem Dei ». — Ex *superbia mentis*, quia alios despiciebant, sicut infra decimo octavo dicitur de Pharisaeo, qui se ipsum iactabat: « Gratias tibi, Deus, ago, quia non sum sicut ceteri hominum »; ad Romanos decimo: « Dei ignorantes iustitiam, suam quaerentes statuere, iustitiae Dei non sunt subiecti ». — Ex *simulatione hypocrisis*, secundum illud Matthaei vigesimo tertio[4]: « Vae vobis! scribae et Pharisaei hypocritae, qui decimatis mentham et reliquistis quae graviora sunt Legis ». — Ex *superstitione traditionis*, in qua maiorem vim faciebant quam in Lege; unde dicitur eis Matthaei decimo quinto: « Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram »? — Haec autem criminatio potissime veniebat ex *ignorantia Legis*, ex qua inflammabatur Pharisaeorum perversitas.

Ex ignorantia Legis.

Ex superbia mentis.

Ex simulatione hypocrisis.

Ex superstitione traditionis.

Tertio, de duplici criminatorum confutatione.

7. (Vers. 3.). *Criminatorum* autem *confutationem* subiecit auctoritas Veritatis, et hanc notat, cum subdit: *Et respondens Iesus ad eos, dixit.* Confundit autem Veritas Pharisaeos et defendit discipulos *auctoritate Scripturae* et etiam *propria*. — Per *auctoritatem Scripturae* ostendit, quod mandatum de Sabbato non obligabat in casu necessitatis; et hoc ostendit exemplo David, quod insinuat, cum dicit: *Nec hoc legistis?* et si legistis, non *intellexistis;* Iob quarto[5]: « Quia nullus intelligit, in aeternum peribunt »; vel si legistis, non *meministis,* secundum illud Ezechielis septimo: « Peribit Lex a sacerdote et consilium a senioribus eius », quasi dicat: vos, qui estis Legis aemulatores, deberetis legisse, non ignorare, ne posset vobis dici illud Ioannis tertio: « Tu es magister in Israel, et haec ignoras »? Et vere debebant legisse, quia valde notabile erat factum, scilicet *quod fecit David, cum esurisset ipse et qui cum eo*[6] *erant.* — Sed contrarium huius dicti videtur primi Regum vigesimo primo: « Quare tu solus venisti, et nullus tecum »? Sed illud dicit, quia non habebat nobilem societatem, cum esset « gener regis[7] » et magnus princeps. Unde subditur ibidem, quod « vasa puerorum erant sancta ». Societatem igitur habuit, licet non ita magnam vel notabilem; et illi fuerunt socii eius in facto, ut non possint dicere, factum esse causa privilegii specialis.

Primo, per Scripturam.

Affertur exemplum David.

Difficultas solvitur.

8. (Vers. 4.). Unde addit: *Quomodo intravit in domum Dei,* id est in tabernaculum, quia domus Dei, id est templum, nondum erat aedificata; primi Paralipomenon decimo septimo[8]: « Non aedificabis mihi domum ad habitandum. Non enim mansi in domo, ex quo eduxi Israel de Aegypto, usque ad diem hanc ». — Nec tantum in domum, id est tabernaculum, introivit, sed, quod plus est, *panes*[9] *propositionis sumsit, sumsit* scilicet a sacerdote, *et manducavit.* Et de his panibus Exodi vigesimo quinto: « Panes super mensam pones propositionis in conspectu meo semper », qui ideo *propositionis* dicuntur, quia per singula Sabbata super mensam proponebantur. — Et quod plus est: *Manducavit ipse et qui cum eo erant*[10], sicut dicitur primi Regum vigesimo primo: « Dedit sacerdos David sanctificatum panem; neque enim erant ibi nisi tantum panes propositionis », contra Legem; unde subdit: *Quos non licebat manducare nisi tantum sacerdotibus;* unde dicitur Levitici vigesimo secundo, quod « inquilinus etiam sacerdotis et mercenarius non debebant vesci de sanctificatis ». Sed Levitici vigesimo quarto dicitur de panibus propositionis, quod erant « Aaron et filiorum, ut comedant in loco sancto, quia Sanctum

Dupliciter David non observavit Legem.

Etiam socii eiusdem.

---

[1] Vulgata, quam sequitur Vat. et unus alterve cod., *Pharisaeorum.* — Subinde allegantur Exod. 16, 26. et 35, 2; Lev. 23, 3. et Ioan. 9, 16.

[2] Vers. 28. — Sequitur Num. 15, 35.

[3] Vers. 29. — Duo seqq. loci sunt Luc. 18, 11. et Rom. 10, 3. — Superius pro *operatio servitutis* (ita D a secunda manu) A C H *actio servitutis*, Vat. *occasio servitutis.*

[4] Vers. 25. — Subinde allegatur Matth. 15, 3.

[5] Vers. 20, ubi pro *peribunt* C D G *peribit.* — Sequuntur Ezech. 7, 26. et Ioan. 3, 10.

[6] Ita etiam Beda, Card. Hug. et B. Albert. (cfr. Matth. 12, 3. et Marc. 2, 25.); Vulgata *illo.* — Sequitur I. Reg. 21, 1.

[7] Libr. I. Reg. 18, 22. et 27, post quem allegatur 21, 5.

[8] Vers. 4. et 5.

[9] Vulgata *et panes.* — Sequitur Exod. 25, 30, ubi Glossa *ordinaria:* Iosephus [III. Antiq. c. 6, 2, ed. Didot] dicit, duodecim panes ex simila fieri, singulos ex duabus decimis, qui Sabbato super mensam sex hinc et sex inde ponebantur etc.

[10] Vulgata: *Et manducavit et dedit his qui cum ipso erant,* quae etiam paulo inferius pro *Quos non licebat* (ita Card. Hug., B. Albert. et Lyranus; cfr. Matth. 12, 4. et Marc. 2, 26.) substituit *Quos non licet.* — Subinde allegantur I. Reg. 21, 6; Lev. 22, 10. et 24, 9, in cuius fine Vulgata: *quia Sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini iure perpetuo.* — Vat. inferius omittit *contra Legem... tantum sacerdotibus.*

sanctorum est foedere sempiterno». Si ergo David non peccavit, quia necessitas eum excusavit ab illo praecepto, pariter et hi qui sunt necessitate compulsi, non sunt reprehendendi, quia per necessitatem famis sunt excusati.

Secundo, per suam auctoritatem.

9. (Vers. 5.). Et ne quid desit auctoritati Scripturae, subiungit *suam auctoritatem,* per quam cum eis volebat et poterat dispensare. Quod notat, cum subdit: *Et dicebat illis, quod* [1] *dominus est Filius hominis etiam Sabbati.* Vocat autem se *Filium hominis* quantum ad *humilitatem humanitatis assumtae,* et dicit se *Dominum Sabbati* et Legis quantum ad *sublimitatem Divinitatis occultae;* unde in Apocalypsis decimo nono [2] dicitur, quod « habebat in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium », Et ideo dicitur in Psalmo: « Omnia subiecisti sub pedibus eius »; dicitur hoc de Filio hominis « paululum minorato ab Angelis » propter ignominiam passionis. Et ideo tanquam Dominus cum eis dispensabat ad tempus, qui postmodum ipsius observantiam ablaturus erat.

Defensio discipulorum virtute potentiae in miraculo.

10. *Factum est in alio Sabbato* etc. Supra [3] defendit discipulos ut Magister auctoritate Scripturae sive testimonio; hic defendit ut *Dominus* virtute *potentiae in miraculo,* in quo, sanando hominem in Sabbato, ostendit, se dominum esse Sabbati, et quod non oportet in Sabbato ab omni opere abstinere, sed a malo solum. Circa huius miraculi descriptionem tria insinuantur: primum est *opportunitas miraculosi operis;* secundum est *sublimitas mirabilis operatoris,* ibi [4]: *Ipse autem sciebat cogitationes eorum;* tertium est *perversitas miserabilis plebis,* ibi: *Ipsi autem repleti sunt insipientia.*

Tria de hoc miraculo tanguntur.

Opportunitas eius tripliciter colligitur.

Quantum ad *opportunitatem* autem *miraculosi operis* notandum, quod ipsa colligitur ex tribus, scilicet ex *confirmatione propriae doctrinae,* ex *relevatione humanae miseriae* et ex *confutatione* [5] *Iudaicae perfidiae.* Primum erat sapientiae, secundum clementiae, tertium iustitiae, quae sunt in Christo omnipotente.

Primo.

11. (Vers. 6.). Erat ergo primo *propria doctrina confirmanda,* quam publicabat Sabbatis; propter quod dicit: *Factum est autem et in alio Sabbato, ut intraret in synagogam et doceret:* quia, sicut Ioannis decimo octavo [6] dicit, « ego semper docui in synagogis et in templo, ubi omnes Iudaei conveniunt »; quia illud Isaiae quinquagesimo quarto debebat in Christo impleri: « Ponam omnes filios tuos doctos a Domino ». Unde hic erat, de quo Ecclesiastici trigesimo nono [7]: « Ipse palam faciet disciplinam doctrinae suae et in lege testamenti Domini gloriabitur ». Docebat enim iustitiam, quae est communis virtus; unde Osee decimo: « Tempus requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos iustitiam ».

Secundo.

12. Erat *humana miseria relevanda* propter penuriam infirmitatis, ob quam dicit: *Et erat ibi homo, et manus eius dextera erat arida;* et ita ineptus erat ad omnia opera, quia fortiorem manum et melius membrum amiserat. Unde vere erat homo iste ille, de quo Iob decimo quarto [8], quod « brevi vivens tempore, repletur multis miseriis ». Unde iam in isto impletum erat illud Zachariae undecimo: « Brachium eius dexterum ariditate siccabitur »; et ideo iam potuit gemere et dicere Domino: « Aruit tanquam testa virtus mea »; et propterea relevanda per divinam potentiam.

Tertio.

13. (Vers. 7.). Erat nihilominus *Iudaica perfidia confutanda* propter observantiam malignitatis, ratione cuius dicit: *Observabant autem scribae et Pharisaei, si in Sabbato curaret.* Unde impletum est in eis illud Psalmi [9]: « Omnes cogitationes eorum in malum, inhabitabunt et abscondent; ipsi calcaneum meum observabunt ». — Observatio ista erat insidiosa, quod spectat ad malignum animum, iuxta illud Ieremiae nono: « In ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias ». Et ideo subditur: *Ut invenirent, unde accusarent illum* [10]. Unde isti dicebant illud Babyloniorum, Danielis sexto: « Non inveniemus huic aliquam occasionem nisi forte in lege Dei sui ». In hac igitur die praecipue observabant, sicut dicit Beda [11], « ut, si non curaret, crudelitatis vel imbecillitatis; si autem curaret, transgressionis arguerent ». Sed certe neutrum inveniunt, quia, dum curat, ostendit se misericordem; et dum non curat, iustum; unde Ioannis nono [12]: « Nisi esset hic a Deo, non posset facere quidquam ». Et ideo Ieremiae secundo: « Quid invenerunt patres vestri iniquitatis in me, quia elongaverunt a me »? quasi dicat: nihil, quia ipse est, de quo Isaiae

---

[1] Vulgata *Quia.*

[2] Vers. 16. — Sequitur Ps. 8, 8, post quem respicitur v. 6: Minuisti eum paulo minus ab Angelis. Cfr. Hebr. 2, 7. et 9: Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum, propter passionem etc. — Inferius pro *ipsius* [Sabbati, Legis] *observantiam* Vat. *observantiam eorum.*

[3] Cfr. n. 1.

[4] Vers. 8: *Ipse vero sciebat* etc.; tertium est v. 11.

[5] Cod. B *confusione,* Vat. perperam *confirmatione.*

[6] Vers. 20, post quem Isai. 54, 12. seq.

[7] Vers. 11. — Sequitur Osee 10, 12. — Inferius respicitur illud Ambros., II. in Luc. n. 30: Iustitia enim communis est virtus; cfr. supra c. 1. n. 21.

[8] Vers. 1. — Duo seqq. loci sunt Zachar. 11, 17: Brachium eius ariditate siccabitur, et oculus *dexter* eius etc.; Ps. 21, 16.

[9] Psalm. 55, 6. seq. — Subinde allegatur Ier. 9, 8. — Superius pro *propter observantiam malignitatis* Vat. *propter observantiae malignitatem.*

[10] Vulgata *eum.* — Sequitur Dan. 6, 5.

[11] Libr. II. in Luc. 6, 7. (secundum Hieron., II. Comment. in Matth. 12, 9.). Pro *arguerent* codd. *arguant,* quod etiam exhibet textus originalis, qui tamen *non curet* et *curet* substituit pro *non curaret* et *curaret.* Hieron. legit: *ut si non curaverit... si curaverit, transgressionis accusarent* (alias: *accusent).*

[12] Vers. 33. — Subinde allegantur Ier. 2, 5; Isai. 53, 9. et Ioan. 8, 46. — Superius Vat. omittit *dum non curat.*

quinquagesimo tertio: « Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius ». Propterea dicebat ipse Ioannis octavo: « Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi »?

Sublimitas operatoris mirabilis tripliciter notatur.

14. (Vers. 8.). *Ipse vero sciebat cogitationes eorum.* Post opportunitatem miraculosi operis subditur hic *sublimitas mirabilis operatoris* quantum ad tria, scilicet quantum ad *sapientiam discernendi* in corde, *prudentiam interrogandi* in sermone et *efficaciam curandi* in opere [1].

Primo.

Primo igitur per *sapientiam in corde* deprehendit eorum cogitationes; quod notat, cum dicit: *Ipse vero sciebat cogitationes eorum;* et vere, quia Dominus sapientissimus; unde in Psalmo [2]: « Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae ». Et ideo oculis Dei erant cogitationes eorum apertae; propter quod dicit Isaiae primo: « Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis »; unde et Ioannis decimo sexto: « Dicebant ei discipuli: Nunc scimus, quia scis omnia, et non est opus, ut quis te interroget ». Nec mirum, quia ipse est ille, de quo Ieremiae decimo septimo [3]: « Ego Dominus scrutans corda et renes, qui do unicuique iuxta viam suam ».

Dominus iubet.

15. In cuius rei testimonium, ut ostendat se cognitorem cordium, iubet, hunc curandum surgere in medium, cum subdit: *Et ait homini, qui habebat manum aridam;* propter quem illi cogitationes superbas cogitabant, ita ut posset eis dici illud Ecclesiastici trigesimo septimo [4]: « O praesumtio nequissima! unde creata es cooperire aridam malitia »? *Surge et sta in medium,* id est in loco perspicuo, ut omnes cognoscant, cogitatus suos esse deprehensos, iuxta illud Ecclesiastici primo [5]: « Ne accesseris ad illum duplici corde »; « ne revelet Deus abscondita tua et in medio synagogae elidat te »; quia, secundum quod dicitur Proverbiorum vigesimo sexto, « qui operit odium fraudulenter manifestabitur malitia eius in concilio ». — *Et surgens stetit,* non timens indignationem Pharisaeorum. Dicebat enim illud Iob decimo septimo [6] intra se: « Libera me, Domine, et pone me iuxta te, et cuiusvis manus pugnet contra me »; et rursus illud Psalmi: « Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum »; unde ad Domini imperium confortatus, securus stetit. Nec mirum, quia ipsi recte potest dici illud Iob quarto [7]: « Ecce, docuisti multos et manus lassas roborasti »; unde poterat hic dicere illud Danielis decimo: « Cumque loqueretur mecum, convalui et dixi: Loquere, Domine mi, quia confortasti me ».

Exsequitur aegrotus.

Secundo.

16. (Vers. 9.). Secundo vero per *prudentiam in sermone* declinabat eorum machinationes; propter quod additur: *Et ait* [8] *ad illos Iesus: Interrogo vos.* — Sed contrarium huius videtur dici Matthaei duodecimo, ubi dicitur, quod ipsi « interrogabant Dominum: Si licet Sabbato curare »? — Ad quod respondet Augustinus, de Concordia Evangelistarum [9], quod primo ipsi interrogaverunt, et Dominus eis replicavit. Vel potest esse, quod cogitationem interiorem sequitur interrogationis forma. Matthaeus intelligit, quod in auribus Dei *cogitare* est loqui, et *dubitare* est interrogare. — Et proponit cautam interrogationem: *Si licet Sabbato* [10] *bene facere, an male; animam salvam facere, an perdere?* Hoc quaerit non tanquam dubium, sed tanquam indubitanter verum, ut altera pars detur. Constat enim, quod licet Sabbatis *bene facere,* vel *non bene facere; salvare* animam, vel *non salvare,* quia inter contradictorie opposita nihil est medium [11]. Sed *non bene facere,* cum est locus et opportunitas, est negligere bonum, et hoc est male facere. Igitur hoc est certum et verum disiunctum, de quo necesse est dare alteram partem; sed hanc non possunt dare: licet male facere, vel animam perdere: restat igitur, ex hac interrogatione ipsos esse convictos, quod licet Sabbato bene facere et animam curare; et sic non poterant respondere. Unde impletum est illud Iob nono [12]: « Si repente interroget, quis respondebit ei? Aut quis poterit ei dicere: Cur ita facis »? Et ideo ad Romanos nono: « O homo! quis es tu, ut respondeas Deo »? Unde Iob nono dicitur, quod « non poterit respondere ei unum pro mille ». In Matthaei autem duodecimo [13] istud disiunctum non sic proponitur, sed altera pars quaeritur et probatur *a minori* per liberationem ovis a fovea; multo igitur fortius liberandus est homo, de quo in Psalmo: « Omnia subiecisti sub pedibus eius » etc.

Difficultas solvitur.

Cauta interrogatio.

---

[1] Ita A, alii codd. et Vat. *operatione,* cum tamen infra n. 17. omnes exhibeant *opere.*

[2] Psalm. 93, 11. — Duo seqq. loci sunt Isai. 1, 16. et Ioan. 16, 29. seq.

[3] Vers. 10: *Ego Dominus scrutans cor et probans renes* etc.

[4] Vers. 3, ubi codd. perperam *malitiam.*

[5] Vers. 36. et 39: *Et revelet* [ita etiam G] *Deus absconsa tua* etc. — Sequitur Prov. 26, 26.

[6] Vers. 3, post quem Ps. 26, 3.

[7] Vers. 3. — Subinde allegatur Dan. 10, 19.

[8] Vulgata et H *Ait autem.* — Sequitur Matth. 12, 10.

[9] Libr. II. c. 35. n. 82: Itaque intelligendum est, quod illi prius interrogaverint Dominum: *Si licet Sabbato curare;* deinde quod intelligens cogitationes eorum, aditum accusandi quaerentium, constituerit in medio illum, quem fuerat sanaturus, et interrogaverit quae Marcus [3, 4.] et Lucas eum interrogasse commemorant etc. Cfr. Glossa *ordinaria* apud Lyranum in Matth. 12, 10. et Marc. 3, 4.

[10] Vulgata *Sabbatis.* — Superius pro *Et proponit cautam interrogationem* Vat. *Proinde proponit interrogationis formam et dicit,* quae etiam inferius pro *detur* substituit *concedatur.*

[11] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Oppositis;* V. Phys. text. 26. (c. 3.) et X. Metaph. text. 22. (IX. c. 7.). — Inferius post *Igitur hoc* Vat. prosequitur *ipsum disiunctum est certum et evidens, cuius necesse est concedere alteram partem.*

[12] Vers. 12, post quem Rom. 9, 20. et Iob 9, 3.

[13] Vers. 11. seq.: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam; et si ceciderit haec Sabbatis in foveam, nonne tenebit et levabit eam? Quanto magis melior est homo ove? Itaque licet Sabbatis benefacere. (De probatione *a minori* cfr. tom. I. pag. 835, nota 5.) — Subinde allegatur Ps. 8, 8.

17. (Vers. 10.). Tertio autem per *efficaciam in opere* deiiciebat eorum praesumtiones; propter quod subiungitur: *Et circumspectis omnibus*, tanquam iam confusis, ut iam posset dicere illud Iob decimo septimo[1]: « Ergo vos convertimini et venite, et non inveniam in vobis ullum sapientem ». — Et quia nullus poterat contradicere, ad veritatis confirmationem subditur: *Dixit homini: Extende manum tuam.* — Et quoniam « sermo eius potestate plenus est », sicut dicitur Ecclesiastae octavo[2]; ideo subditur: *Et extendit, et restituta est* sanitati *manus eius;* in quo ostendit Dominus, se esse Legis et Sabbati dominum. Nam ipse erat, qui Moysi, Exodi quarto[3], sanavit manum per solum imperium; ipse etiam erat, qui Ieroboam, idololatrae regis Israel, manum siccavit et iterum sanavit, sicut dicitur tertii Regum decimo tertio; ipse, inquam, est ille, de quo dicitur, quod « vulnerat et medetur, percutit, et manus eius sanabunt »; de quo in Psalmo: « Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas »; et hoc solo sermone, ut manifestetur, quod ipse est ille, de quo Sapientiae decimo sexto[4]: « Tuus, Domine, sermo sanavit eos, qui sanat omnia ». Sicut enim Pater per Verbum increatum omnia fecit, ita per Verbum incarnatum, ut dicit Augustinus, omnia refecit.

Tertio.

18. (Vers. 11.). *Ipsi autem repleti sunt insipientia.* Hic tertio tangitur *perversitas miserabilis plebis*, quae inde obstinata est in malo, unde debuit relevari ad bonum. Haec autem perversitas ostenditur in tribus, scilicet in *excaecatione cordis, conspiratione oris* et *persecutione operis.*

Perversitas plebis ostenditur in tribus.

Quantum ad *excaecationem cordis* dicitur: *Ipsi autem repleti sunt insipientia*, hoc est caecitate malitiae; Sapientiae secundo[5]: « Haec cogitaverunt et erraverunt, excaecavit enim illos malitia eorum ». Hac quippe fuerunt repleti et stulti facti sunt iusto iudicio Dei, secundum illud ad Romanos primo: « Tradidit illos Deus in reprobum sensum »; « repletos omni iniquitate, malitia, avaritia, nequitia; plenos invidia, homicidio, dolo, malignitate ». Hac quippe invidia erant excaecati, quia[6] « sapiens est ille cui sapiunt res, prout sunt »; invidus autem aliena felicitate torquetur. Tales erant hi; unde eis competebat illud Baruch tertio: « Quoniam non habuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam ». Haec autem plenitudo insipientiae est vera *vacuitas*, quia[7] « *divitiae salutis*, sapientia et scientia »; igitur *ab oppositis* insipientia est *inopia;* ideo dicitur Proverbiorum decimo nono: « Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quam dives torquens labia sua et insipiens ».

Primo.

19. Quantum ad *conspirationem* autem *oris* additur: *Et colloquebantur ad invicem*, mutuo sermone se ipsos provocantes ad malum. Sic fecerunt Ioannis undecimo[8]: « Collegerunt pontifices et Pharisaei consilium et dicebant: Quid facimus » etc. Hoc consilium figuraliter praecessit in fratribus Ioseph; Genesis trigesimo septimo: « Mutuo loquebantur, dicentes: Ecce, somniator venit; venite, occidamus eum ». Hoc consilium erat impium; ideo Genesis quadragesimo nono: « In consilium eorum non veniat anima mea »; Ieremiae decimo octavo: « Tu scis omne consilium eorum adversum me in mortem; ne propitieris iniquitatibus eorum ».

Secundo.

Figura.

20. Quantum ad *persecutionem operis* subditur: *Quidnam facerent de*[9] *Iesu*, id est, quomodo eum morti tradere possent; quod et fecerunt, licet non statim, secundum illud Ioannis septimo: « Nemo misit in eum manus, quia nondum venerat hora eius ». Sed tamen post fecerunt, sicut dicitur Actuum tertio: « Auctorem vitae interemistis et petistis virum homicidam donari vobis ». Unde ipse Salvator dicere poterat illud Ieremiae undecimo[10]: « Tu autem, Domine, demonstrasti mihi, et cognovi consilia eorum. Ego autem quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, et non cognovi, quoniam cogitaverunt consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem eius » etc.

Tertio.

21. *Spiritualiter* intelligendum, quod *ariditas* est in anima defectus vigoris propter absentiam gratiae, secundum illud Ioannis decimo quinto[11]: « Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes et arescet ». Haec autem ariditas septem de causis introducitur secundum septem capitalia peccata. Unde nota, quod est ariditas *superbiae* sive ex superbia proveniens; Ecclesiastici decimo[12]: « Radices gentium superbarum arefecit Dominus ». — Et *invidiae;* Iacobi primo: « Exortus est sol cum ardore et arefecit foenum »; et in Psalmo: « Fiant sicut foenum tectorum ». — Et *irae*, de qua Marci nono[13]

Expositio spiritualis.

Septem causae ariditatis.

Prima.

Secunda.

Tertia.

---

[1] Vers. 10.

[2] Vers. 4.

[3] Vers. 7. — Tres seqq. loci sunt III. Reg. 13, 4; Iob 5, 18. et Ps. 102, 3.

[4] Vers. 12. — Sententia Augustini habetur Enarrat. in Ps. 142. n. 17. (cfr. tom. III. pag. 30, nota 5.); vide etiam in Ioan. Evang. tr. 1. n. 12.

[5] Vers. 21. — Subinde allegatur Rom. 1, 28. et 29.

[6] Ut dicit Bernard., Serm. de Diversis, serm. 18. n. 1. Cfr. etiam in Cantic. serm. 49. n. 6. Gregor. Regul. pastoral. p. III. c. 10, ubi diffusius exprimitur, quod invidus aliena felicitate torquetur. — Sequitur Baruch 3, 28.

[7] Sicut habetur Isai. 33, 6. — Subinde allegatur Prov. 19, 1. — De argumentatione *ab oppositis* cfr. Aristot., II. Rhetor. c. 30. (c. 23.) et III. Topic. c. 4. (c. 6.). Vide etiam Boeth., II. de Differentiis topic., ubi pro loco *ab oppositis* hanc affert maximam propositionem: Contraria contrariis conveniunt.

[8] Vers. 47. — Tres seqq. loci sunt Gen. 37, 19. 20, et 49, 6; Ier. 18, 23. — Inferius pro *Hoc consilium figuraliter* Vat. *Haec conspiratio figuraliter.*

[9] Vulgata omittit *de*, quod tamen exhibetur a Card. Hug. et Lyrano. — Sequuntur Ioan. 7, 30. et Act. 3, 14.

[10] Vers. 18. et 19, ubi pro *consilia eorum* Vulgata *tunc ostendisti mihi studia eorum.*

[11] Vers. 6.

[12] Vers. 18. — Duo seqq. loci sunt Iac. 1, 11. et Ps. 128, 6.

[13] Vers. 17. — Subinde allegantur Prov. 17, 22; Num. 11, 6. et 21, 5.

de daemoniaco, qui « spumat et stridet dentibus suis et arescit ». — Quarta. Et *accidiae;* Proverbiorum decimo septimo: « Spiritus tristis exsiccat ossa »; Numerorum undecimo: « Arida est anima nostra » « nauseat super hoc cibo levissimo ». — Quinta. Et *avaritiae;* Ecclesiastici decimo quarto [1]: « Insatiabilis est oculus cupidi, in parte iniquitatis non satiabitur, donec consumet arefaciens animam suam ». — Sexta. Et *gulae;* Nahum primo: « Convivium pariter potantium consumetur quasi stipula ariditate plena ». — Et *luxuriae;* Septima. Psalmus [2]: « Ossa mea sicut cremium aruerunt, percussus sum ut foenum, et aruit cor meum » etc.; « Omnis caro foenum », Isaiae quadragesimo; et Iob trigesimo: « Cutis mea denigrata est super me, et ossa mea aruerunt ».

Septem genera ariditatis.

22. Sic igitur ex *septem causis* accipitur *ariditas spiritualis,* quae etiam est septiformis: scilicet Primum. *ariditas cordis* ad bene *cogitandum;* Isaiae vigesimo primo [3]: « Emarcuit cor meum, tenebrae stupefecerunt me ». — Secundum. Et *ariditas oris* ad *desiderandum;* Iudith septimo: « Erit finis noster brevis in ore gladii, qui longior efficitur in ariditate sitis ». — Tertium. Et *verbi* ad *docendum;* Osee nono [4]: « Da eis, Domine, Quartum. vulvam sine liberis et ubera arentia ». — Et *ariditas brachii* ad *operandum;* Zachariae undecimo: « Quintum. Brachium eius ariditate siccabitur ». — Et *ariditas manus* ad *largiendum;* Iob decimo quinto: « Antequam Sextum. dies eius impleatur, peribit, et manus eius arescet. — Et *cutis* ad *conversandum;* Iob septimo [5]: « Cutis mea aruit et contracta est ». — Est postremo *ariditas* Septimum. *virtutis* ad *sustinendum;* Psalmus: « Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis ».

Genus ariditatis in isto aegroto.

23. Hic autem aegrotus habens manum aridam significat *ariditatem avaritiae,* quae sanatur, cum divino imperio manus extenditur ad eleemosynam largiendam, secundum illud Proverbiorum ultimo [6]: « Manum suam aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperem ». Et illa *extensio* impetrat vigorem gratiae, secundum illud Ecclesiastici decimo septimo: « Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit ». — Exemplum. Exemplum autem et experimentum apparet manifeste in quodam rege Angliae [7], qui faciebat eleemosynas largas, cuius manus et brachium manet integrum et incorruptum, dicente sibi quadam die quodam episcopo, cum extendisset manum, ut daret pauperi scutellam argenteam, quam ante se habebat, nunquam manum eius siccandam; quod verbum impletum dicitur esse usque in praesentem diem.

**Tertio determinatur vocatorum instructio per duo.**

24. *Factum est autem in illis diebus, exiit* etc. Postquam determinata est doctrinae Christi authenticatio et discipulorum vocatio, hic subditur tertia pars, in qua fit *vocatorum instructio* [8]. Et quoniam instructio discipulorum duplex est, scilicet *communis* et *specialis: communis* scilicet in doctrina eorum quae requiruntur ad salutem omnium; *specialis,* in doctrina mysterii Scripturarum; ideo pars ista Divisio. habet duas: in quarum prima erudiuntur Apostoli in *veritate explicata et praeceptis apertis;* in secunda instruuntur in *explicandis parabolis et parabolice dictis,* infra octavo [9]: *Et factum est deinceps, et ipse iter faciebat* etc.

**In prima parte Apostoli instruuntur in veritate explicata et praeceptis apertis.**

Divisio. Prima pars habet duas: in prima exprimitur *veritas doctrinae;* in secunda vero ad confirmationem doctrinae declaratur *sublimitas in Doctore,* infra septimo [10]: *Cum autem implesset omnia verba sua* etc.

**Primo exprimitur veritas doctrinae tripliciter.**

Prima pars, quae continet praesens capitulum, habet tres. Quia enim doctrina non debet communicari indignis et fastidiosis, sed *idoneis* et *studiosis;* ideo primo praemittitur *segregatio discipulorum;* Divisio. secundo vero, *attractio auditorum,* ibi [11]: *Et descendens cum illis* de monte; tertio vero, *explicatio documentorum,* ibi: *Et ipse, elevatis oculis* etc.

De segregatione discipulorum tanguntur quatuor.

Circa *segregationem* autem *discipulorum* quatuor introducuntur, quae ipsam perficiunt, scilicet *oratio divina impetrativa doni, electio insinuativa meriti, institutio impositiva officii, nominatio* [12] *discretiva consortii.*

Primum. 25. (Vers. 12.). Praemittitur *divina oratio impetrativa doni* ipsis discipulis eligendis, cum dicitur:

---

[1] Vers. 9. — Sequitur Nahum 1, 10, ubi pro *consumetur* (ita codd. et Hieron.) Vat. cum Vulgata *consumentur.*

[2] Psalm. 101, 4. — Duo seqq. loci sunt Isai. 40, 6. et Iob 30, 30.

[3] Vers. 4. — Subinde allegatur Iudith 7, 17.

[4] Vers. 14. — Sequuntur Zachar. 11, 17. et Iob 15, 32.

[5] Vers. 5. — Sequitur Ps. 21, 16.

[6] Vers. 20, post quem Eccli. 17, 18, ubi pro *sacculo* Vulg. *signaculum;* cfr. tom. VI. pag. 58, nota 1. — Superius post *quae sanatur* Vat. legit *divino imperio, cum manus extenditur* etc. Subinde pro *Et illa* A C D G *Et ita.*

[7] Scilicet Osualdo, ut refert Beda, III. Histor. ecclesiast. gentis Anglor. c. 6. Episcopus, cuius paulo inferius mentio fit, fuit Aedanus, qui, teste Beda (loc. cit.), « delectatus tali facto pietatis, apprehendit dexteram eius [regis] et ait: Nunquam inveterascat haec manus. Quod et ita iuxta votum benedictionis eius provenit. Nam cum, interfectu illo in pugna, manus cum brachio a cetero essent corpore resectae, contigit, ut hactenus incorruptae perdurent » etc.

[8] Cfr. supra c. 4. n. 1. — Pro *authenticatio* (cfr. supra pag. 88, nota 12.) Vat. *auctoritas.* Inferius pro *salutem omnium* A *salutem aeternam.*

[9] Vers. 1.

[10] Vers. 1.

[11] Vers. 17; tertium habetur v. 20. — Superius pro *attractio auditorum* Vat. *attentio auditorum.*

[12] Vat. *denominatio;* cfr. infra n. 31.

*Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare; exiit,* scilicet de civitate et consortio turbarum, ut esset eius oratio *quieta*. Hinc dicitur de Iudith, quod « petiit, ut daretur ei copia, nocte et ante lucem egrediendi ad orationem », Iudith duodecimo [1]. Et quod plus, *exiit in montem,* scilicet ascendendo, ut ostenderet, quod oratio debet esse *elevata,* et orans elevatus a terrenis; quia, sicut dicit Damascenus [2], « oratio est ascensus intellectus in Deum ».

Oratio sit quieta. Elevata.

26. Huius figura praecessit in Moyse, Exodi decimo septimo [3], ubi dicitur, quod « Moyses ascendit in verticem collis, cumque elevaret Moyses manus, vincebat Israel ». — De his duobus, scilicet de *recessu a turbis* et *ascensu in montem,* dicitur Matthaei decimo quarto: « Dimissa turba, ascendit in montem solus orare ». Horum duorum figura praecessit in Abraham, de quo Genesis vigesimo secundo dicitur, quod « dixit ad pueros suos: Exspectate hic cum asino », scilicet in valle; « ego autem et puer illuc usque pergentes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos ». — Per hunc etiam modum debet adorare anima sancta, cuius informatio apparet in Iudith, de qua duodecimo [4] dicitur, quod « egrediebatur nocte in vallem Bethuliae et ascendebat et adorabat Dominum Deum Israel ».

Figura. Notandum.

27. Et quia non sufficit oratio quantumcumque devota, nisi etiam sit *assidua;* ideo subditur: *Et erat pernoctans in oratione Dei;* ita ut posset dicere cum David [5], quod « media nocte surgebam ad confitendum tibi »; unde et Moyses, « ascendens in montem, fuit ibi quadraginta diebus et quadraginta noctibus », Exodi vigesimo quarto. Per hunc modum debent spirituales viri facere, iuxta quod dicitur Threnorum secundo [6]: « Consurge, in nocte lauda in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini ». Hinc est, quod dicitur de illa Sara devota Tobiae tertio, quod « perrexit in superius cubiculum domus suae et tribus diebus et tribus noctibus non manducavit neque bibit, sed in oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Dominum ».

Assidua.

28. (Vers. 13.). Secundo vero subditur *electio insinuativa meriti* in discipulis promovendis, cum subditur: *Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos et elegit ex ipsis duodecim.* In *die* vocat, quia, sicut Ioannis undecimo [7] dicitur, « qui ambulaverit in die non offendit, quia lucem huius mundi videt », scilicet Christum, qui « est lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum », Ioannis primo; et ideo primae Petri secundo: « De tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum ».

Secundum.

29. Nota, quod discipulos vocat, ut eligat, quia discipuli Christi digni erant honorari, secundum illud Psalmi [8]: « Nimis honorificati sunt amici tui, Deus », et hoc, quia discipuli. Ad discipulatum enim Christi requiritur perfecta *humilitas;* Matthaei undecimo [9]: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde ». Item, perfecta *paupertas;* infra decimo quarto: « Nisi quis renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus ». Item, perfecta *caritas;* Ioannis decimo tertio: « In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei eritis, si dilectionem ad invicem habueritis ». — Et nota, quod *duodecim* elegit ad designandam abundantem perfectionem meriti, quia duodecimus est primus numerus abundans. Unde Matthaei quinto [10] Christus ait: « Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum ». Hic autem numerus designatur in *duodecim filiis Iacob,* Genesis quadragesimo sexto [11]; in *duodecim lapidibus,* Exodi vigesimo octavo; in *duodecim principibus* plebis Israel, Numerorum decimo septimo; in *duodecim exploratoribus* missis a Moyse, Numerorum decimo tertio; in *duodecim fontibus* aquarum, Exodi decimo quinto; in *duodecim lapidibus* de Iordane extractis, Iosue quarto; in *duodecim bobus* sustentantibus mare aeneum, tertii Regum septimo; in *duodecim horis* diei, Ioannis undecimo; in *duodecim fundamentis* civitatis, Apocalypsis vigesimo primo. Fuerunt enim Apostoli figuris plurimis designati propter multiplicem dignitatem. Fuerunt enim *patriarchae* filiorum spiritualium procreatione [12]; *lapides pretiosi*, virtutum varietate; *principes multitudinis,* praelationis sublimitate; *exploratores,* contemplationis subtilitate; *fontes aquarum,* sapientiae profunditate; *lapides Iordanis,* fidei fundatione; *boves,* praedicationis exercitatione; *horae diei,* exemplorum honestate; *fundamenta civitatis,* totius Ecclesiae supportatione [13].

Dignitas discipulorum. Habere debebant tria. De numero duodecim Apostolorum. Notandum.

---

[1] Vers. 5.

[2] Libr. III. de Fide orthod. c. 24. Cfr. III. Sent. d. 17. a. 2. q. 1. et tom. IV. pag. 368, nota 3.

[3] Vers. 10. seq. — Subinde allegantur Matth. 14, 23. et Gen. 22, 5.

[4] Vers. 7. seq.

[5] Psalm. 118, 62, post quem Exod. 24, 18.

[6] Vers. 19. — Sequitur Tob. 3, 10. seq.

[7] Vers. 9. — Subinde allegantur Ioan. 1, 9, et I. Petr. 2, 9.

[8] Psalm. 138, 17.

[9] Vers. 29, post quem Luc. 14, 33. et Ioan. 13, 35.

[10] Vers. 20. — August., IV. de Gen. ad lit. c. 2. n. 4: Duodenarius vero partibus suis talibus simul ductis, non ipse consummatur, sed exceditur; ampliorem quippe duodenario numerum faciunt; nam usque ad sexdecim perveniunt. Habet enim eas quinque: duodecimam, sextam, quartam, tertiam, dimidiam; nam duodecima eius unum est, sexta duo... unum autem et duo et tria et quatuor et sex in summam ducta sexdecim sunt. Cfr. tom. IV. pag. 972, nota 3.

[11] Vers. 8. seqq. — Sequuntur Exod. 28, 17. seqq.; Num. 17, 2. et 13, 4. seqq.; Exod. 15, 27; Iosue 4, 8; III. Reg. 7, 25; Ioan. 11, 9; Apoc. 21, 14. et 19. seq. Cfr. tom. VI. pag. 400, nota 6.

[12] Codd. A C D H legunt: *Fuerunt enim patriarchae filii spirituali filiatione, non* [D a secunda manu addit *carnali*] *procreatione.*

[13] In B additur *et sic multiplicem habent figuram propter multiplicem dignitatem.*

Tertium. 30. Tertio vero adiungitur *institutio impositiva officii* in electis, cum subditur: *Quos et apostolos nominavit,* id est missos; in quo auctoritatem dedit praecipuam praedicandi; ad Romanos decimo[1]: « Quomodo praedicabunt, nisi mittantur » ? Unde conqueritur Dominus de malis prophetis Ieremiae vigesimo tertio: « Non mittebam eos, et ipsi currebant; non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant ». At non tales Apostoli, de quibus Matthaei decimo dicitur: « Ecce, ego mitto vos sicut oves in medio luporum ». Hos autem misit ad Ecclesiam Dei fundandam et civitatem construendam super illum lapidem vivum, angularem in fundamentis fundatum. Unde Apocalypsis vigesimo primo[2]: « Murus civitatis habebat fundamenta duodecim, et in ipsis nomina duodecim Apostolorum Agni ». Et ideo ad Ephesios secundo: « Vos estis cives Sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis aedificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto ».

Quartum. 31. (Vers. 14.). Quarto subiungitur *denominatio discretiva consortii* in Apostolis iam promotis; quod notatur, cum subditur: *Simonem, qui cognominatur Petrus*[3]*, et Andream, fratrem eius.* Nominat enim Apostolos binos et binos, secundum quod Dominus associavit eos. Unde infra decimo subditur, quod « misit eos binos et binos in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus ».

Cognomina nonnullorum. 32. Et nota, quod hic ponit nomina omnium, sed non omnium ponit et cognomina, sed illorum qui habent nomina aequivoca, ut Simonis Petri et Simonis Zelotis et Iudae Iacobi et Iudae Iscariotis. — Et nota, quod associat fratrem fratri, ut Petrum Andreae et Ioannem Iacobo ad commendandam concordiam, secundum illud Ecclesiastici vigesimo quinto[4]: « In tribus beneplacitum est spiritui meo: concordia fratrum et amor proximorum ». Nam, sicut dicitur Proverbiorum decimo octavo, « frater, qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma ». — Postremo autem Apostolo, scilicet Iudae, addit non solum cognomen, sed etiam crimen, cum dicit[5]: *Qui fuit proditor;* in quo designatur, quod Dominus in eligendo eum non ignoravit, qualis futurus erat; unde Ioannis sexto: « Nonne vos elegi, et unus ex vobis diabolus est » ?

Ratio eligendi Iudam prima. 33. Licet autem hic esset futurus pessimus, tamen Dominus eum elegit. Competebat enim suae *humilitati,* qua non recusabat consortium suum proditori, et suae *benignitati,* qua non solum bonis, sed etiam malis benignum se ostendebat. Unde et fecit eum dispensatorem, sicut dicitur Ioannis duodecimo[6]: « Sed ea quae mittebantur, portabat ». — Congruebat etiam *statui praesentis Ecclesiae,* Secunda. in qua mali permiscentur bonis, secundum illud Matthaei decimo tertio[7]: « Sinite utraque crescere usque ad messem »; quia « simile est », sicut ibidem dicitur, « regnum caelorum sagenae missae in mare et ex omni genere piscium congreganti » etc. — Expediebat hoc etiam *eruditioni nostrae,* ut Tertia. non *diffidamus,* si aliquos, qui videntur stare, cadere videamus; et propter aliquos malos bonorum consortium non despiciamus, iuxta quod dicitur primae Ioannis secundo[8]: « Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis ». Ut etiam non *praesumamus,* si ad dignitates eligamur. Unde Bernardus in epistola ad Coloniensem archiepiscopum sic ait: « Si cunctos, qui eliguntur ad ministerium, constat eligi ad regnum, securus est Coloniensis archiepiscopus. Quodsi Iudam in sacerdotio et Saulem in regno non legitur reprobasse nisi Deus, timeat necesse est et Coloniensis archiepiscopus ». Unde valde terribile est illud Matthaei vigesimo secundo[9]: « Multi sunt vocati, pauci vero electi »; et ideo ad Romanos duodecimo: « Noli altum sapere, sed time ».

Expositio spiritualis. 34. *Spiritualiter* per has sex combinationes duodecim Apostolorum intelliguntur sex gradus profectus virtutum, quibus pervenitur usque ad *caritatem perfectam,* vel usque ad *pacem,* vel usque ad *sapientiam.* — De primis sex gradibus, quibus ad Gradus ad caritatem. *caritatem* pervenitur, secundae Petri primo[10]: « Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore fraternitatis caritatem ». Et illi sex gradus recte correspondent istis combinationibus, si nominum interpretationes attendantur. — De gradibus, quibus Ad pacem. pervenitur ad *pacem,* Matthaei quinto[11]: « Beati

---

[1] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt Ier. 23, 21. et Matth. 10, 16.

[2] Vers. 14. (C D H *Apostolorum et Agni),* post quem Eph. 2, 19-22. — De propositione praecedente cfr. Isai. 28, 16. (quem Vat. allegat) et I. Petr. 2, 4. et 6, ubi Apostolus Christum nominat *lapidem vivum* et *lapidem summum angularem.*

[3] Vulgata *quem cognominavit Petrum,* quod etiam codd. infra n. 36, exhibent. — Subinde allegatur Luc. 10, 1.

[4] Vers. 1. seq., post quem Prov. 18, 19.

[5] Vers. 16. Sequitur Ioan. 6, 71. Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 6. n. 107, et 112.

[6] Vers. 6. Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 12. n. 12.

[7] Vers. 30. et 47.

[8] Vers. 19. — Sententia Bernardi habetur in epist. 9. ad Brunonem, archiep. Colon.: Si cunctos, qui vocantur ad ministerium, constat eligi et ad regnum, profecto securus est Coloniensis archiepiscopus. Quodsi etiam et Saulem in regno et Iudam in sacerdotio legitur elegisse non alius quam ipse Deus, *et non potest solvi Scriptura* [Ioan. 10, 35.], quae hoc asserit, timeat necesse est et Coloniensis archiepiscopus.

[9] Vers. 14., post quem Rom. 11, 20. Glossa *interlinearis* in Marc. 3, 19: Huius [Iudae] casus confirmat alios in humilitate.

[10] Vers. 5-7. — De interpretationibus nominum Apostolorum cfr. infra n. 36. seqq. — Inferius pro *correspondent* D *respondent.*

[11] Vers. 3. seqq.

*Ad sapientiam.*

pauperes » etc. — De gradibus vero, quibus ad *sapientiam* pervenitur, Isaiae undecimo[1]: « Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis. Et replebit eum spiritus timoris Domini »; ubi incipit a supremo. Horum figura pulcherrima praecessit in throno Salomonis, ubi[2] dicitur, quod erant « sex gradus », « et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc et inde ». Per *leonem* intelligitur potestatis auctoritas, per *sex gradus* sex combinationes spiritualibus gradibus aptissime respondentes.

*Figura.*

*Expositio moralis pro praelatis.*

35. *Moraliter* etiam per nomina Apostolorum sic combinata insinuatur perfectio praelatorum, specialiter episcoporum, qui ceteros debent praecellere in tribus: in *vita*, in *doctrina*, in *exemplo* sive conversatione bona. Unde Apostolus instruens ad Titum secundo[3] dicit: « Tu autem loquere quae decent sanam doctrinam »; ecce, *doctrina*. « Nemo te contemnat »; ecce, *vita*. « In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum »; ecce, *exemplum* seu conversatio bona. — Quatuor ergo prima nomina designant *perfectionem vitae;* quatuor alia *perfectionem doctrinae;* alia vero quatuor *perfectionem exempli* sive conversationis bonae.

*De 4 Apostolorum nominibus designantibus perfectionem vitae.*

36. Dicit ergo: *Simonem*, supple vocavit, qui interpretatur *obediens. Quem cognominavit Petrum*, qui interpretatur *agnoscens*[4]; in quo designatur virtus *prudentiae*, qua cognominari debet Petrus, id est *agnoscens*, *ex Simone;* quia ex humilitate debet procedere cognominatio prudentiae, ut, secundum quod dicitur Proverbiorum vigesimo tertio[5], « prudentiae suae ponat modum »; « et ne innitatur prudentiae suae », Proverbiorum tertio; et sic non erit « prudens apud semetipsum », ad Romanos duodecimo, sed « in omnibus prudenter aget », secundum quod de David dicitur primi Regum decimo octavo. — *Et Andream*, qui interpretatur *virilis*[6]; in quo exprimitur virtus *iustitiae*. Alioquin « noli quaerere fieri iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates », Ecclesiastici septimo. — *Et Iacobum*, qui interpretatur *supplantator* vel luctator[7], per quem insinuatur virtus *fortitudinis*, quae fortiter adversa aggreditur et contra *vitia* reluctatur; unde ad Ephesios sexto: « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus ». Sic episcopus debet esse « leo, fortissimus bestiarum, ut ad nullius paveat occursum », Proverbiorum trigesimo[8]; etiam contra *Deum*, ut ei dicatur illud quod Iacob dictum est Genesis trigesimo secundo: « Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praevalebis ». — *Et Ioannem*, qui interpretatur *in quo est gratia*[9]; per quem intelligitur virtus *temperantiae* sive continentiae, quae gratia Dei est, secundum illud Sapientiae octavo: « Non possum esse continens, nisi Deus det », maxime quia « virgo a Domino est electus et virgo in aevum permansit »; et Ecclesiastici vigesimo sexto: « Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorosa ». — Secundum combinationem istarum quatuor virtutum vidit Ezechiel species « quatuor animalium », « et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus, et facies et pennas per quatuor partes habebant », Ezechielis primo[10], in praefigurationem quatuor virtutum, quae

*Figura.*

---

[1] Vers. 2. seq. (codd. hos versus non allegant; retinuimus ipsos cum Vat.). — De donorum ordinatione et combinatione cfr. III. Sent. d. 34. p. I. a. 2. q. 2; Breviloq. p. V. c. 5. et de Donis Spiritus S. collat. 1. n. 18.

[2] Libr. III. Reg. 10, 19. et 20. Cfr. Breviloq. p. VI. c. 12. et Itinerar. mentis in Deum, c. 1. n. 5.

[3] Vers. 1. 12. (codd. *nemo adolescentiam tuam contemnat*, quod habetur I. Tim. 4, 12.) et 7. Pro *ad Titum secundo* multi codd. *I. Tim. 4*. Vat. duos hos affert locos: Unde Apostolus instruens Timotheum [I. 4, 11. seq.] dicit: *Praecipe haec et doce*, ecce doctrina. *Nemo adolescentiam tuam contemnat*, ecce vita. *Sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate*, ecce exemplum seu conversatio bona. Idem Titum instruens dicit: *Tu autem loquere* etc. His duobus locis eadem Vat. addit: Unde Hieronymus [Comment. in Epist. ad Tit. 1, 9.] dicit: Si episcopi tantum sit sancta vita, sibi potest prodesse sic vivens. Porro si et doctrina et sermone fuerit eruditus, potest se ceterosque instruere, et non solum instruere et docere suos, sed et adversarios repercutere, qui nisi refutati fuerint atque convicti, facile queunt simplicium corda pervertere.

[4] Beda, II. in Luc. 6, 14: « Violenter ergo quidam Latino vel Graeco nomini Hebraeam quaerentes etymologiam, dicunt, Petrum *dissolventem*, sive *discalceantem*, vel *agnoscentem* interpretari, cum et expositio Ioannis evangelistae [1, 42: *Tu es Simon, filius Iona, tu vocaveris Cephas, quod interpretatur Petrus*], cuius memini, et ipsa lingua Hebraea, quae P litteram omnino non sonat, Hebraeum hoc nomen non esse testetur... Simon autem *obediens* interpretatur ». Secundum Hieron., de Nominib. Hebraic. nov. testam. Luc.: *Simon*, pone moerorem, vel audi tristitiam.

[5] Vers. 4, post quem 3, 5; Rom. 12, 16: *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos*, et I. Reg. 18, 14: *In omnibus quoque viis suis David prudenter agebat* etc., ubi codd. vel *prudenter agebit (!)* vel *prudenter agebat*, Vat. *se prudenter habebit*.

[6] Beda, II. in Luc. 6, 14: « Porro Andreas, Graecum nomen est, ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς, hoc est a viro, *virilis* appellatur ». Secundum Hieron., loc. cit. de Matthaeo: *Andreas*, decorus, vel respondens pabulo. — Subinde allegatur Eccli. 7, 6. — Pro *virtus iustitiae* C D E G H *virtuositas iustitiae*.

[7] Hieron., loc. cit.: « *Iacob*, supplantator, sive supplantans ». — Cfr. Gen. 32, 24: Et ecce, vir *luctabatur* cum eo etc. Sequitur Eph. 6, 12.

[8] Vers. 30, post quem Gen. 32, 28.

[9] Beda, loc. cit.: « Ioannes, *in quo est gratia*, vel *Domini gratia* dicitur ». Hieron., loc. cit.: *Ioannan*, cui est gratia, vel Domini gratia. — Subinde allegantur Sap. 8, 21; sententia Bedae (I. Homil. homil. 8. in die natali Ioan. evang.): « Sed hunc prae omnibus diligit, qui, virgo electus ab ipso, virgo in aevum permansit »; Eccli. 26, 19, ubi pro *pudorosa* Vulgata *pudorata*. — Inferius post *maxime quia* Vat. supplet *Ioannes*.

[10] Vers. 5. et 8. — Codd. legunt: *species quatuor animalium, quorum manus sub pennis eorum* etc. Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 3. n. 8: Possumus etiam per *quatuor partes* principales quatuor virtutes accipere, ex quibus reliquae

exiguntur ad regimen praelatorum, quia « his utilius nihil est in vita hominibus », Sapientiae octavo.

37. Sequitur de nominibus apostolicis, quae pertinent ad *doctrinam*, cum dicit: *Philippum*, qui interpretatur *os lampadis*[1]; in quo insinuatur, quod doctrina episcopalis debet esse *lucida* quantum ad *intellectum audientium*, ut sit « aspectus eorum quasi aspectus lampadarum », Ezechielis primo; ut ponatur « lampas super candelabrum », Zachariae quarto, non « sub modio », infra undecimo; sed sicut de Elia dicitur Ecclesiastici quadragesimo octavo: « Verbum eius quasi facula ardebat ». — *Et Bartholomaeum*, qui interpretatur *filius suspendentis aquas*[2] », in quo intelligitur doctrina *devota* quantum ad *affectum*, ut ex devotione suspendat et elevet lacrymas usque ad oculum, de quo dicit Dominus ad Iob trigesimo octavo[3]: « Nunquid elevabis in nebula vocem tuam »? scilicet in devotione seu compunctione in docendo; « et impetus aquarum operiet te »? in lacrymando; quod facit Dominus, qui « ad vocem suam dat multitudinem aquarum in caelo et elevat nebulas ab extremitatibus terrae », Ieremiae decimo; et « fulgura in pluviam facit », sicut dicit Psalmus, id est comminationes.

Item, de quatuor spectantibus ad doctrinam.

38. (Vers. 15.). *Matthaeum*, qui interpretatur *donatus*[4], per quem insinuatur, quod doctrina debet esse *aedificatoria ad operandum*. Nam post habitam devotionem oportet, quod aliquis auditum salutarem impleat per bonam operationem; hoc est ab illo specialiter, a quo « omne datum optimum et omne donum perfectum », Iacobi primo. Ipse verbo praedicatoris confert virtutem sive gratiam praedicationis et aedificationis; unde Isaiae quadragesimo primo: « Primus ad Sion dicet: Ecce, adsum, et Ierusalem evangelistam dabo ». — *Et Thomam*, qui interpretatur *abyssus*[5], per quod intelligitur *profunditas eruditionis* credendorum, ut sit « consilium eius in abysso magna », ut dicitur Ecclesiastici vigesimo quarto. Unde quaeritur a Iob trigesimo octavo: « Nunquid in novissimis abyssi deambulasti »? « O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius »! quia, « iudicia eius abyssus multa », ad Romanos undecimo et Psalmus. — Et haec quatuor pertinent ad *doctrinam*, ut sic quatuor rotae « in quatuor partes gradiantur et non revertantur ambulantes », Ezechielis decimo[6].

39. Sequitur de illis nominibus, quae pertinent ad *exemplum*: *Iacobum*, qui interpretatur *luctator*, *Alphaei*, qui interpretatur *fugitivus*[7]; in quo exprimitur exemplum *perfectae paupertatis*. Unde Gregorius: « Qui ad certamen cum diabolo properat vestimenta abiiciat, ne succumbat. Quid autem sunt terrena omnia nisi quaedam corporis indumenta »? Unde volentem in paupertate luctari oportet temporalia fugere, secundum quod dicit Psalmus[8]: « Ecce, elongavi fugiens et mansi in solitudine ». Sic Elias in figura huius fugit a facie Iezabel, quae interpretatur *fluxus sterquilinii*; per quod designatur temporalium fluxibilitas. — *Et Simonem*, qui interpretatur *obediens, qui vocatur Zelotes*[9], id est *aemulator*; in quo exemplum exprimitur *perfectae humilitatis* cum aemulatione ordinatae caritatis; unde primae Petri primo: « Animas vestras castificantes in obedientia caritatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius »; Ecclesiastici tertio: « Filii sapientiae, ecclesia iustorum, et natio illorum obedientia et dilectio ».

Item, de spectantibus ad exemplum.

virtutes oriuntur, videlicet prudentiam, fortitudinem, iustitiam atque temperantiam etc. — Sequitur Sap. 8, 7, cui G subiungit *est anima* (vide paulo inferius lectionem Vat.). — Superius pro *Secundum combinationem* Vat. et G *Secundum configurationem*. Vat. ibidem (coniungendo sequentia cum praecedentibus) legit: *Per mulierem potest spiritualiter intelligi anima secundum configurationem istarum quatuor virtutum. Vidit* etc.

[1] Cfr. supra pag. 64, nota 10. — Subinde allegantur Ezech. 1, 13; Zachar. 4, 2: *Vidi, et ecce, candelabrum aureum totum et lampas eius super caput ipsius;* Luc. 11, 33. et Eccli. 48, 1.

[2] Hieron., loc. cit.: *Bartholomaeus*, filius suspendentis aquas, vel filius suspendentis me. Syrum est nomen, non Hebraeum.

[3] Vers. 34, post quem Ier. 10, 13, ubi etiam habetur, quod legitur Ps. 134, 7. August., Enarrat. in Ps. 134. n. 13: Fulgura sunt, contremiscis; pluit, gaudes. *Fulgura in pluviam fecit*, qui terruit, ipse ut gauderes.

[4] Hieron., loc. cit.: *Matthaeus*, donatus quondam. — Duo seqq. loci sunt Iac. 1, 17. et Isai. 41, 27. — Inferius Vat., omisso cum nonnullis codd. *oportet*, pro *quod aliquis auditum salutarem impleat* substituit *quod quis verbum salutis auditum impleat.*

[5] Hieron., loc. cit.: *Thomas*, abyssus, vel geminus; unde et Graece Didymus appellatur. — Sequuntur Eccli. 24, 39: *Consilium illius ab abysso magna;* Iob 38, 16; Rom. 11, 33. et Ps. 35, 7.

[6] Vers. 11: *Cumque ambularent, in quatuor partes gradiebantur, et non revertebantur ambulantes* (cfr. 1, 17.). Pro *et non revertantur* codd. *et revertantur*, pro qua falsa lectione iam secunda manus in D substituit *nec revertantur*. Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 3. n. 16: Pennata animalia, videlicet praedicatores sancti, cum incedunt, *minime revertuntur*, quia sic a terrenis actibus ad spiritualia pertranseunt, ut ad ea quae reliquerunt, ulterius nullatenus reflectantur. Quasi enim per quandam viam eis incedere est mente ire semper ad meliora. Quocontra de reprobis dicitur, quia reversi sunt corde in Aegyptum [Num. 14, 3. seq.]. Et per semetipsam Veritas dicit [Luc. 9, 62.]: *Nemo mittens manum ad aratrum* etc.

[7] Hieron., loc. cit.: *Alphaeus*, fugitivus, sed melius millesimus, vel doctus. — Sententia Gregorii habetur II. Homil. in Evang. homil. 32. n. 2.

[8] Psalm. 54, 8. — Sequitur III. Reg. 19, 3. seq.: Timuit ergo Elias et surgens abiit... Et perrexit in desertum etc. Hieron., de Nominib. Hebraic. vet. testam. III. Reg.: « *Izabel*, cohabitatrix, sive fluxus vanus ». Ibid. nov. testam. de Apoc. Ioannis: *Iezabel*, fluxus sanguinis, vel fluens sanguine, sed melius, ubi est sterquilinium.

[9] Hieron., loc. cit. nov. testam. Marci: « *Cenna*, zelotes; unde in alio loco Cananaeus, in alio Zelotes dicitur ». Beda, II. in Luc. 6, 15: Simon autem Zelotes ipse est et Simon Cananaeus de vico Galilaeae Cana, ubi aquas Dominus convertit in vinum. Cana quippe zelus, Cananaeus zelotes interpretatur. — Duo seqq. loci sunt I. Petr. 1, 22. et Eccli. 3, 1.

40. (Vers. 16.). *Iudam*[1], qui interpretatur *con-* Iacobus. *fitens, Iacobi,* ut sit in exemplum *strenuitatis in agendo;* Matthaei quinto: « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est ». Hinc Tobiae duodecimo[2]: « Benedicite Dominum caeli et coram omnibus viventibus confitemini illi ». Hinc est, quod in benedictione Iudae dicitur Deuteronomii trigesimo tertio: « Manus eius pugnabunt pro eo, et adiutor illius contra adversarios eius erit »; unde ipse ascendit Iudas. ante alios in proelium, Iudicum primo. — *Et Iudam Iscariotem*[3], qui interpretatur *memoria mortis;* in quo intelligitur exemplum *mortificationis carnis.* Unde Gregorius: « Nihil adeo valet ad domanda carnis vitia quam cogitare, qualis caro nostra post mortem sit futura ». Et hoc debent facere, « ne, cum aliis praedicaverint, ipsi reprobi efficiantur », secundum quod dicit Apostolus primae ad Corinthios nono[4]: « Castigo corpus meum » etc.; propter quod dicitur infra duodecimo: « Sint lumbi vestri praecincti » etc. Sed quia multi decipiuntur et traduntur occasione mortificatae carnis, quia inde gloriantur, ut hypocritae, qui « ore confitentur, se nosse Deum, et facto negant », secundum quod dicitur ad Titum primo[5]; caveant, ne per *proditionem* huiusmodi reprobentur, quia hic subditur: *Qui fuit proditor.* Hinc est, quod dicit Apostolus secundae ad Timotheum tertio[6], quod « in novissimis temporibus instabunt tempora periculosa, et erunt homines se ipsos amantes »; et sequitur: « Proditores, protervi, invidi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem Epilogus. pietatis, virtutem autem eius abnegantes ». — Et haec pertinent ad *exemplum,* et hi sunt quatuor paralytici portitores, supra quinto[7]. Et in hunc modum nominum apostolicorum designatur mysterium; et sic terminatur haec pars.

De auditorum attractione tanguntur quatuor. 41. (Vers. 17.). *Et descendens cum illis* etc. Post discipulorum segregationem subiungit hic Evangelista *auditorum attractionem*[8], quam describit Evangelista quantum ad quatuor: quantum ad *discipulos comitantes,* quantum ad *populos concurrentes,* quantum ad *causas incitantes* et quantum ad *efficacias subsequentes.*

Quantum ad *discipulos comitantes* dicit: *Et* Primum. *descendens,* de monte, *cum illis,* id est cum duodecim iam electis, qui ipsum semper comitabantur, secundum quod infra vigesimo secundo[9] dicitur: « Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis »; *stetit in loco campestri,* id est plano et communi, ut omnes possent accedere ad audiendam sapientiam, ut possent dicere: « Ecce, audivimus eum in Ephrata, invenimus eum in campis silvae ». Et sic impletum est illud Proverbiorum primo: « Sapientia foris praedicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat ». — Ad huius sapientiae clamorem attrahebantur praecipue discipuli; unde subdit: *Et turba discipulorum eius,* scilicet stetit cum eo. Hoc dicit quantum ad alios discipulos, Apostolis inferiores. Nam perfectis discipulis fecerat sermonem in montis cacumine, sicut dicitur Matthaei quinto[10]: « Videns Iesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius ». Istis vero tanquam imperfectis condescendens, sermonem fecit in descensu de monte; unde dicuntur *turba,* quia multi erant, multitudini etiam propinqui. Multiplicabantur enim discipuli Christi, sicut dicitur Ioannis quarto[11]: « Audierunt Pharisaei, quia Iesus plures discipulos facit quam Ioannes ». Istis non erant secreta communicanda, quia ex auditu secretorum scandalizabantur; unde dicitur Ioannis sexto, quod ex verbo, quod dixerat, « multi discipulorum eius abierunt retro et iam cum illo non ambulabant. Et dixit Iesus ad duodecim: Nunquid et vos vultis abire »? cum istis scilicet discipulis.

42. Dicitur Iesus *stare,* sed cum aliis perfectis Notandum. *sedere;* in quo ostendit, quod « nos firmiores debemus imbecillitates infirmorum sustinere et non nobis placere », ad Romanos decimo quinto[12]. — *Et*

---

[1] Vulgata *Et Iudam.* — Hieron., loc. cit. nov. testam. de Matthaeo: *Iudas,* confitens, sive glorificans. — Subinde allegatur Matth. 5, 16. — Inferius pro *strenuitatis* [E *firmitatis*] *in agendo* Vat. *fraternitatis in agendo.*

[2] Vers. 6, post quem Deut. 33, 7. et Iudic. 1, 1, ubi, mortuo Iosue, ad quaestionem filiorum Israel ad Dominum: « Quis ascendet ante nos contra Chananaeum et erit dux belli »? Dominus respondit: « Iudas ascendet; ecce, tradidi terram in manus eius ». Ibid. v. 4: Ascenditque Iudas, et tradidit Dominus Chananaeum etc.

[3] Codd. cum Card. Hug., B. Albert. et Lyrano *Scarioth.* — Hieron., loc. cit.: *Iscarioth,* memoriale Domini; quod si voluerimus legere *Issacharioth,* interpretatur: est merces eius. Potest autem dici et memoria mortis. — Gregor., XVI. Moral. (in fine) c. 69. n. 83: Caro itaque cum concupiscitur, pensetur, quid sit exanimis, et intelligitur, quid amatur. Nil quippe sic ad addomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quam ut unusquisque hoc quod vivum diligit, quale sit mortuum penset.

[4] Vers. 27. — Sequitur Luc. 12, 35.

[5] Vers. 16. — Superius A C H omittunt *et traduntur occasione mortificatae carnis,* quod habet Vat., et D primitus habuisse videtur, eo excepto, quod pro *mortificatae* perperam exhibet *mortificare.* Lectio, quam substituit secunda manus in D, est haec: *Sed multi decipiuntur et creduntur mortificare se carnis occasione, qui inde gloriantur... unde* [etiam A C G habent *unde*] *caveant, ne* etc. Vat., codd. contradicentibus, prosequitur: *cum proditore Iuda numerentur, de quo hic subditur* etc. — Secundum Du Cange, Glossarium etc., *tradere* idem est ac prodere, sicut et *traditor* idem valet ac proditor.

[6] Vers. 1. et 2, post quos v. 4. seq.

[7] Vers. 18.

[8] Vat. *attentionem.*

[9] Vers. 28. — Duo seqq. loci sunt Ps. 131, 6. (ubi pro *eum* Vulgata bis *eam*) et Prov. 1, 20.

[10] Vers. 1. Vide infra n. 62. seq. — Inferius pro *multitudini* Vat. *multi.* Lectio codicum quidem est obscura.

[11] Vers. 1. — Subinde allegatur Ioan. 6, 67. seq. — Inferius post *Istis non erant* Vat. prosequitur *omnia secreta communicanda, quia imperfecti ex auditu* etc.

[12] Vers. 1.

*descendit cum illis*, ad exemplum humilitatis, secundum illud Ecclesiastici trigesimo secundo [1]: « Rectorem te posuerunt? Noli extolli; esto in illis quasi unus ex illis ». Unde sua benignitate omnes attrahebat et adunabat, sicut gallina pullos; Matthaei vigesimo tertio: « Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina pullos » etc. Nec immerito, quia de ipso dictum est Deuteronomii trigesimo secundo: « Invenit eum in terra deserta, in loco horroris et vastae solitudinis; circumduxit eum et docuit et custodivit quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila, provocans ad volandum pullos suos, expandit alas super eos » etc.

43. Quantum ad *populos concurrentes* subditur: Secundum. *Et multitudo copiosa plebis*, scilicet stetit cum eo, qui scilicet ex diversis locis convenerant; convenerant tam de De locis propinquis. *locis propinquis*, quantum ad quae dicit: *Ab omni Iudaea et Samaria et Ierusalem*, quae intra regnum Israel erant; *Iudaea* nomen est regni, *Samaria* principalior civitas in regno decem tribuum, et *Ierusalem* principalior in regno duarum [2]; ab his omnibus confluebant ad Christum, secundum illud Isaiae secundo: « Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad De locis remotis. eum omnes gentes »; quam etiam de *locis remotis*, quantum ad quae dicit: *Et maritima et Tyri et Sidonis*. Et debet iterari: multitudo copiosa plebis, *a maritima*, et multitudo copiosa *Tyri et Sidonis*, id est, de Tyro et Sidone. Et haec erant loca *remota*, sicut dicit Beda in Glossa [3], quod « *maritima* non a proximo mari Galilaeae, sed a mari magno cognominatur »; Isaiae sexagesimo: « Tunc videbis et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gen- Figura. tium venerit tibi ». — Hoc autem praefiguratum fuit in Salomone, tertii Regum decimo [4], ubi dicitur, quod « omnes desiderabant videre vultum Salomonis et audire sapientiam eius ».

44. (Vers. 18.). Quantum ad *causas incitantes* Tertium. subiungitur: *Qui venerant, ut audirent eum*, quantum ad *illustrationem veritatis* in mente, *et sanarentur ab infirmitatibus suis* [5], quantum ad *curationem salutis* in carne. Et haec erat recta intentio, secundum illud Osee sexto: « Venite, et revertamur ad Dominum, quia ipse cepit et sanabit nos »; et post: « Et vivemus in conspectu eius, sciemus sequemurque, ut cognoscamus Dominum ». In hoc ostendebant isti, quod erant de ovibus Christi, quia ad ipsum concurrebant ad veritatem et salutem percipiendam; Ioannis decimo [6]: « Oves meae vocem meam audient, et ego cognosco eas, et sequentur me, et ego vitam aeternam do eis ». Amor igitur veritatis intelligendae et sanitatis obtinendae attrahebat eos, ut venirent ad Christum, sicut ad magistrum et sicut ad medicum. Ad primum invitat Salvator in Psalmo [7]: « Venite, filii, audite me; timorem Domini docebo vos »; ad secundum in Matthaei undecimo: « Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis; et ego reficiam vos ».

45. Quantum ad *efficacias sequentes* subinfer- Quartum. tur: *Et qui vexabantur a spiritibus immundis curabantur;* in quo tangitur efficacia virtutis respectu spirituum immundorum; Zachariae decimo tertio [8]: « Spiritum immundum auferam de terra ». Isti spiritus immundi vexant eos quos possident; Matthaei decimo quinto: « Filia mea male a daemonio vexatur ». Haec vexatio compellebat eos fugere ad Quoad animam. Christum, quia, secundum quod dicitur Isaiae vigesimo octavo [9], tantummodo « vexatio intellectum dabit auditui »; secundum autem quod dicit Gregorius, « mala, quae nos hic premunt, ad Deum ire compellunt ». Certe dum ad Deum compellunt, ad bonam dispositionem deducunt, secundum illud Sapientiae tertio: « In paucis vexati, in multis bene disponentur ».

46. (Vers. 19.). Nec tantum efficacia erat in Quoad corpus. animam, sed etiam in corpus per ipsius Christi corpus; quod notatur, cum subdit: *Et omnis turba quaerebat eum tangere*, ex fide scilicet et devotione, sicut illa mulier, de qua Matthaei nono [10]: « Si tetigero fimbriam vestimenti eius, salva ero ». — Et merito devoti erant; unde subditur: *Quia virtus de illo exibat et sanabat omnes*, id est operatio virtutis; infra octavo [11]: « Ego cognovi, virtutem de me exiisse ». Tunc *virtus exit*, quando, latens in *se*, manifesta- Notandum. tur in *opere*, secundum illud Sapientiae duodecimo:

---

[1] Vers. 1. — Duo seqq. loci sunt Matth. 23, 37. et Deut. 32, 10. seq. — Inferius pro *adunabat* Vat. *adiuvabat*.

[2] Hieron., I. Comment. in Osee 1, 5: *Samaria*, quae et ipsa altera urbs fuit metropolis decem tribuum, quae postea ab Augusto Caesare appellata est Augusta, id est Σεβαστή, in qua ossa Ioannis Baptistae condita sunt. Post divisionem ergo duarum et decem tribuum ob maximam partem multitudinis, quae Ieroboam secuta est, nomen pristinum Israel remansit in decem tribubus. Et propter tribum Iuda, quae regnavit in *Ierusalem*, aliae duae tribus appellatae sunt Iudas etc. — In Vulg. desunt verba *et Samaria*. Sequitur Isai. 2, 2.

[3] Scilicet *ordinaria* in Luc. 6, 17: « *Maritima*. Non a proximo mari Galilaeae, quia hoc non miraculi loco ponunt, sed a mari magno cognominatur, in quo etiam Tyrus et Sidon comprehendi poterant. Sed quia sunt civitates gentium, consulte nominatim ponuntur, ut, quanta sit virtus Christi, intimetur, quae etiam exteras civitates excitat ». Hieron., V. Comment. in Ier. 25, 21: Tyrus et Sidon in Phoenicis littore principes civitates. — Subinde allegatur Isai. 60, 5.

[4] Vers. 24. Cfr. II. Paralip. 9, 23.

[5] Vulgata et G H *a languoribus suis;* cfr. supra 5, 15. — Sequuntur Osee 6, 2. seq. et dein v. 3.

[6] Vers. 27. et 28.

[7] Psalm. 33, 12, post quem Matth. 11, 28.

[8] Vers. 2. — Sequitur Matth. 15, 22. — Superius pro *efficacia virtutis* Vat. *efficacia sanitatis*.

[9] Vers. 19. — Gregorii sententia insinuatur II. Homil. in Evang. homil. 36. n. 9, ubi exponit illud Luc. 14, 23: *Compelle intrare, ut impleatur domus mea*. Cfr. tom. VI. pag. 294, nota 2. Subinde allegatur Sap. 3, 5.

[10] Vers. 21.

[11] Vers. 46. — Duo seqq. loci sunt Sap. 12, 17. et Isai. 40, 29.

« Virtutem ostendis, qui non crederis esse in virtute consummatus ». Tunc etiam *exit,* quando *aliis communicat,* secundum illud Isaiae quadragesimo: « Qui dat lasso virtutem et his qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat ». Et *magna* erat haec virtus, quae in omnes poterat, secundum illud Sapientiae decimo quarto [1]: « Potens es ex omnibus sanare »; et decimo sexto: « Qui conversus erat non per id quod videbat, sanabatur, sed per te, omnium Salvatorem ». Et hoc maxime attrahebat omnes ad Christum; unde dicitur Ioannis sexto: « Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quae faciebat super his qui infirmabantur ».

Expositio spiritualis.

47. *Spiritualiter* nota hic, quod auditores, qui veniunt ad Christum, attrahuntur de sex locis, de tribus scilicet *Iudaeorum* et tribus *gentilium.* Per loca *Iudaeorum* signantur iusti, per loca *gentilium* peccatores. — Tria autem ponuntur loca *Iudaeorum* secundum statum triplicem *iustorum. Iudaea* enim interpretatur *confitens* [2] et significat statum *activorum,* qui Christum bonis operibus confitentur; Osee decimo: « Arabit Iudas, et confringet sibi sulcos Iacob »; Tobiae decimo tertio: « Confitemini illi et Regem saeculorum exaltate in operibus vestris ». — *Samaria,* quae interpretatur *custodia* [3], significat statum *praelatorum.* Nam illis dicitur tertii Regum vigesimo: « Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius ». — *Ierusalem,* quae interpretatur *visio pacis* [4], significat statum *contemplativorum;* Isaiae sexagesimo: « Surge, illuminare, Ierusalem, quia venit lumen tuum »; Tobiae decimo tertio dicitur de Ierusalem: « Beati omnes, qui diligunt te et gaudent in pace tua ».

Loca 3 Iudaeorum significant iustos.

Loca 3 gentilium significant peccatores.

48. Tria etiam ponuntur loca *gentilium* secundum triplicem statum *peccatorum. Maritima* enim, quae ventosa est et frequenter turbulenta, significat vanitatem et turbulentiam superborum; Isaiae quinquagesimo septimo [5]: « Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest ». — *Tyrus,* quae interpretatur *angustia* [6], significat anxietatem et angustiam *cupidorum;* Ecclesiastici vigesimo septimo: « Inter medium emptionis et venditionis angustiabitur peccator »; Ecclesiastici quinto: « Noli esse anxius in divitiis iniustis ». — *Sidon,* quae interpretatur *venatio* [7], significat desiderium et concupiscentiam *carnalium;* unde in Psalmo: « Convertentur ad vesperam et famem patientur ut canes et circuibunt civitatem ». — Omnes hi concurrunt ad Christum, sed *iusti* tanquam ad *magistrum,* ut doceantur sapientiam, quia, secundum illud Proverbiorum nono [8], « doce iustum, et festinabit accipere »; et Deuteronomii penultimo: « Qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina illius ». Sed *peccatores* ut ad *amicum,* ut assequantur misericordiam; infra decimo quinto [9]: « Erant appropinquantes ad Iesum publicani et peccatores, ut audirent illum »; a quibus primo eiiciuntur daemones per *expulsionem culpae;* secundo sanantur in tactu per *curationem sequelae,* iuxta quod dicitur in Psalmo: « Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas ».

Notandum.

De explicatione documentorum ponuntur tria.

49. *Et ipse, elevatis oculis* etc. Post electionem discipulorum et attractionem auditorum subditur hic *explicatio documentorum.* Est autem pars ista tripartita secundum tria, quorum notitia est ad salutem necessaria, scilicet *praemiorum, suppliciorum, praeceptorum.* Prima igitur pars est de *praemiis,* secunda de *suppliciis,* ibi [10]: *Verumtamen vae vobis divitibus!* tertia de *praeceptis,* ibi: *Sed vobis dico, qui auditis* etc. Prima pars continet promissiones praemiorum; secunda, comminationes poenarum sive suppliciorum; tertia vero, leges praeceptorum. In promissis praemiis docemur, quid *sperandum;* in comminatis suppliciis, quid *timendum;* in praeceptis vero, quid *operandum.*

Divisio.

Primo, circa promissionem praemiorum ponuntur quatuor.

Circa *promissionem* autem *beatitudinum* nota, quod quatuor promittit, scilicet *regnum,* quod consistit in participatione divinae potestatis; *saturitatem,* quae consistit in gustu divinae bonitatis; *risum,* qui consistit in contemplatione divinae veritatis; et *mercedem multam,* quae consistit in duratione aeternitatis. Et haec quatuor designantur ad Ephesios tertio [11]: « Ut possitis, inquit, comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit *longitudo, latitudo, sublimitas* et *profundum* »: *longitudo* aeternitatis, *latitudo* bonitatis, *sublimitas* potestatis et *profunditas* sapientiae sive veritatis. Haec autem quatuor promittit quatuor generibus meritorum erigentium nos ad Deum et rectificantium liberum arbitrium nostrum. *Regnum* enim *opulentiae* promittitur contemnentibus bona temporalia, cuiusmodi sunt *pauperes; convivium abundantiae* desiderantibus spiritualia, et hi *esurientes* dicuntur; *risus iucunditatis* detestantibus

Quatuor genera meritorum.

---

[1] Vers. 4, ubi pro *sanare* Vulgata *salvare* (cfr. tom. VI. pag. 197, nota 1.) et 16, 7, post quem Ioan. 6, 2, in quo pro *videbant* A C G *videbat.*

[2] Hieron., de Nominib. Hebraic. nov. testam. ad I. Corinth.: *Iudaeis,* confitentibus, sive laudantibus. Cfr. supra pag. 145, nota 1. — Sequuntur Osee 10, 11. et Tob. 13, 6.

[3] Hieron., loc. cit. de Actibus Apost.: *Samaria,* custos. Subinde allegatur III. Reg. 20, 39.

[4] Vide supra pag. 42, notam 6. — Duo seqq. loci sunt Isai. 60, 1. et Tob. 13, 18.

[5] Vers. 20.

[6] Hieron., de Nominib. Hebraic. vet. testam. de libro Iesu (Iosue): *Tyrus,* quae Hebraice dicitur *Sor,* et interpretatur tribulatio, sive angustia, vel fortitudo. — Sequuntur Eccli. 27, 2. et 5, 10.

[7] Hieron., loc. cit. de Deut.: *Sidon,* venatio tristitiae, sive inutilitas. ibid. nov. testam. de Matthaeo: *Sidona,* venatio. — Subinde allegatur Ps. 58, 7.

[8] Vers. 9, post quem Deut. 33, 3.

[9] Vers. 1. — Inferius allegatur Ps. 102, 3.

[10] Vers. 24; tertia pars est v. 27. — Superius pro *attractionem* Vat. *attentionem.*

[11] Vers. 18. — Inferius pro *latitudo bonitatis,* C D H *latitudo caritatis.*

mala culpae, et hi dicuntur *flentes; multitudo mercedis* sustinentibus mala poenae, et hi *patientes*. In his quatuor clauditur perfectio [1] voluntatis humanae respectu duplicis boni et respectu duplicis mali.

Primo promittitur regnum opulentiae pauperibus.

50. (Vers. 20.). Primo ergo promittit *pauperibus regnum opulentiae* propter *contemptum temporalium*, et tales erant discipuli, et ideo dicit: *Et ipse, elevatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes* etc. *Elevando oculos* dicit beatos, quia [2] « oculi Domini super iustos », et maxime super pauperes; Ecclesiastici undecimo: « Est homo marcidus et indigens recuperatione, deficiens virtute et abundans paupertate, et oculus Domini respexit illum in bono ». Ideo autem vocat *beatos* hos pauperes, quia sunt ad beatitudinem praeparati. — Et ideo addit: *Quoniam* [3] *vestrum est regnum Dei;* quod quidem est valde magnum. Nam in Psalmo: « Regnum tuum, Domine, regnum omnium saeculorum ». Hoc dicit *esse pauperum,* quia illius pauperes sunt heredes, secundum illud Iacobi secundo: « Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se »? « Melior est ergo pauper, qui ambulat in simplicitate sua, quam dives torquens labia sua et insipiens », Proverbiorum decimo nono.

Quare dicatur: est.

51. Et nota, quod dicit *est* de praesenti sive propter certitudinem promissionis, sive etiam quia veri pauperes nunc quodam modo incipiunt esse *reges,* secundum illud secundae ad Corinthios sexto [4]: « Tanquam nihil habentes et omnia possidentes ». « Altissima enim paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis », sicut dicitur secundae ad Corinthios octavo. Unde iam quasi felices sunt, non miseri reputandi pauperes evangelici sive voluntarii. Seneca [5]: « Nemo nascitur dives: quisquis exit in lucem, iussus est pane et lacte esse contentus ». « Nemo ad haec pauper est; inter quae si quis desiderium suum clauserit, cum Iove poterit de felicitate contendere ».

Notandum.

Et nota, quod a *paupertate* incipit, quia, sicut ibi [6] dicit Ambrosius, « paupertas est prima parens virtutum, quia qui contempserit saecularia merebitur aeterna », aemulus illius pauperis, « qui, cum dives esset, factus est propter nos egenus », secundae ad Corinthios octavo.

Secundo, convivium abundantiae esurientibus.

52. (Vers. 21.). Secundo promittit *esurientibus convivium abundantiae* propter *desiderium spiritualium;* et hoc notat, cum subdit: *Beati, qui nunc esuritis,* scilicet cibum iustitiae, secundum quod dicitur in Glossa Matthaei quinto [7]. *Quoniam saturabimini,* per convivium abundantiae. Ambrosius: « Qui esurit virium quaerit augmentum », secundum illud Ecclesiastici vigesimo quarto: « Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient ».

Duplex esuries.

Illi iustitiam esuriunt, qui possunt dicere cum Iesu illud Ioannis quarto [8]: « Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei ». Illi etiam iustitiam esuriunt, qui amore iustitiae libenter esuriem patiuntur; et hi possunt cum Apostolo dicere illud primae ad Corinthios quarto: « Usque in hanc horam esurimus et sitimus ». Tales fuerunt illi sancti Patres, de quibus ad Hebraeos undecimo dicitur, quod « circuierunt in melotis, egentes, angustiati, afflicti » etc. Tales a Domino saturabuntur, quia, Apocalypsis septimo [9], « non esurient neque sitient amplius, nec cadet super illos sol neque ullus aestus, quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos ». Et hoc erit in divina gloria, secundum quod in Psalmo dicitur: « Satiabor, cum apparuerit gloria tua »; et iterum: « Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos ». Et sic impletum est illud primi Regum secundo [10]: « Famelici saturati sunt ». Nec mirum, quia, Isaiae vigesimo quinto, « faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium vindemiae, pinguium medullatorum, vindemiae defaecatae » et rursus, secundum illud Psalmi: « Cibavit eos ex adipe frumenti et de petra melle saturavit eos ».

---

[1] Vat. cum nonnullis codd. *perfecta oratio.*

[2] Ut dicitur Ps. 33, 16. — Sequitur Eccli. 11, 12. seq.

[3] Vulgata *Quia;* cfr. Matth. 5, 3. — Tres seqq. loci sunt Ps. 144, 13; Iac. 2, 5. et Prov. 19, 1.

[4] Vers. 10, post quem 8, 2. — Bernard., Serm. 4. in Adventu Domini, n. 5: Magna quaedam penna est paupertatis, qua tam cito volatur in regnum caelorum. Nam in aliis virtutibus, quae sequuntur, promissio futuro tempore indicatur, paupertati non tam promittitur, quam datur. Unde et praesenti tempore enuntiatum est [Matth. 5, 3.]: *Quoniam ipsorum est regnum caelorum,* cum in ceteris dicatur: *Hereditabunt, consolabuntur* et similia [Matth. 5, 4. seqq.]. Videmus autem pauperes aliquos, qui, si veram haberent paupertatem, non adeo pusillanimes invenirentur et tristes, utpote *reges* et *reges caeli* etc. Cfr. Epist. 103. n. 1.

[5] Epist. 20. in fine, ubi pro *pane et lacte* textus originalis *lacte et panno.* Secunda sententia habetur Epist. 25. § 4: « Panem et aquam natura desiderat; nemo ad haec pauper est; intra quae quisquis desiderium suum clusit, cum ipso Iove de felicitate contendat », ut ait Epicurus. Cfr. Epist. 110. (alias 111.) § 17: Habemus aquam, habemus polentam, Iovi ipsi de felicitate controversiam faciamus.

[6] Libr. V. in Luc. 6, 20. n. 50. — Sequitur II. Cor. 8, 9.

[7] Scilicet *ordinaria* in v. 6: Amatores veri boni, quibus non satis est, quod iusti sunt, sed semper sitiunt opus iustitiae. Iustitia est sua cuique tribuere, sibi et proximis et Deo. Haec iustitia non plene implebitur, donec *Deus sit omnia in omnibus* [I. Cor. 15, 28.]; ideo hic possumus esurire, non saturari (cfr. August., I. de Serm. Domini in monte, c. 2. n. 6. et de Utilitate ieiunii, c. 1. n. 1.). Ambros., V. in Luc. n. 65: Unde in Matthaeo sitim et famem intelligimus spiritualem, qua cibus iustitiae desideratur aut potus. Ibid. n. 56. sententia illa, quae mox a S. Bonav. allegatur: *Qui esurit utique virium quaerit augmentum* (codd. nostri: Qui esurit virtutem quaerit augmentum), post quam sequitur Eccli. 24, 29.

[8] Vers. 34. — Duo seqq. loci sunt I. Cor. 4, 11, et Hebr. 11, 37. seq.

[9] Vers. 16. seq. Pro *nec cadet* multi codd. *neque occidet.* — Subinde allegantur Ps. 16, 15. et 35, 9.

[10] Vers. 5, post quem Isai. 25, 6. et Ps. 80, 17. — Inferius retinuimus communem editionum et codd. lectionem *et rursus,* quod in D a secunda manu deletum est. Videtur enim locus Psalmi esse altera confirmatio verborum: *Nec mirum, quia.*

*ertio, risus iucunditatis flentibus. Ratio flendi prima.*

53. Tertio promittit *flentibus risum iucunditatis* propter *poenitentiam de malo culpae*, cum adiungit: *Beati, qui nunc fletis*, scilicet pro *malis commissis*, sicut Ezechias, « conversus ad parietem », « flevit fletu magno », sicut dicitur Isaiae trigesimo octavo[1]; sicut etiam Petrus, de quo Matthaei vigesimo sexto post negationem dicitur, quod « egressus foras flevit amare »; et Iob trigesimo: « Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in

*Secunda.*

vocem flentium ». — Vel pro *peccatis alienis*, sicut David super Saulem, secundi Regum primo[2]; sic Christus super Ierusalem, infra decimo nono: « Vi-

*Tertia.*

dens civitatem, flevit super eam ». — Vel: *nunc fletis*, scilicet pro *alienis miseriis;* Iob trigesimo: « Flebam quondam super eo qui afflictus erat »; ad Romanos duodecimo: « Flere cum flentibus ». —

*Quarta.*

Vel: *Qui nunc fletis*, pro *evadendis tentationibus* peccatorum et sequelis; Iudicum secundo[3] dicitur, quod « cum loqueretur ad filios Israel Angelus Domini, elevaverunt vocem suam et fleverunt. Et vocatum est nomen loci illius locus flentium sive lacrymarum ». Et hic locus est status praesentis vitae, qui non durat nisi ad *nunc*. Et ideo dicit: *Qui nunc fletis;* primae Petri primo[4]: « Modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro, quod per

*Quinta.*

ignem probatur, inveniatur in laudem » etc. — Vel: *Qui nunc fletis*, scilicet pro *desiderio aeternorum*, et hic est proprius intellectus; Ioannis decimo sexto[5]: « Plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium »; et Psalmus: « Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus »? Istis dicit: estis beati, *quia ridebitis*, risu spirituali, qui consistit in iucunditate mentis propter contemplationem veritatis; Iob octavo[6]: « Implebitur risu os tuum, et labia tua iubilo »; quia dicitur Proverbiorum ultimo: « Fortitudo et decor indumentum eius, et ridebit in die novissimo ». Hic risus erit de bonis propriis et alienis, secundum quod dicitur de Sara Genesis vigesimo primo: « Risum fecit mihi Dominus, et quicumque audierit, corridebit mihi ».

*Quarto, magnitudo mercedis patientibus.*

54. (Vers. 22.). Quarto vero promittit *patientibus magnitudinem mercedis* propter *tolerantiam in malo poenae*, cum subdit: *Beati eritis, cum vos oderint homines*, scilicet quantum ad *actum cordis*.

*Odium in corde.*

Optime dicit: *homines*, id est animales et bestiales, quia[7] « homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis »; primae ad Corinthios tertio: « Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis »? secundum illum scilicet hominem, de quo dicitur Ecclesiastici vigesimo octavo: « Homo homini servat iram ». Isti oderunt servos Christi; Proverbiorum decimo nono[8]: « Fratres hominis pauperis oderunt eum »; et Matthaei decimo: « Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum ». — Quantum ad *actum ope-*

*Item, in opere.*

*ris* addit: *Et cum separaverint vos*, scilicet eiiciendo extra synagogas, secundum illud Ioannis nono[9]: « Iam conspiraverant Iudaei, ut, si quis eum confiteretur Christum, extra synagogam fieret », et ita in opprobrium separaretur ab aliis, etiam ab ipsis domesticis, quemadmodum praedicabat Dominus venturum esse suis discipulis; Matthaei decimo: « Veni, separare hominem adversus patrem suum »; et post subditur: « Et inimici hominis domestici eius ». —

*Item, in ore.*

Quantum ad *actum oris* subiungit: *Et exprobraverint*, vos conviciando, *et eiecerint nomen vestrum tanquam malum*, detrahendo; primae Petri quarto[10]: « Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis »; Iacobi secundo: « Ipsi blasphemant nomen bonum, quod invocatum est super vos », quia *bonum* dicunt malum, secundum illud Matthaei quinto: « Dixerunt omne malum adversum vos mentientes, propter me ».

*Debita passionis causa.*

— Et quia Martyrem non facit qualiscumque poena, nisi adsit debita causa, ideo subdit: *Propter Filium hominis;* primae Petri tertio[11]: « Si quid patimini propter iustitiam, beati eritis », id est propter Christum, « qui factus est a Deo sapientia et iustitia et sanctificatio ». Et hac iustitia triplici volebat pati Paulus; Actuum vigesimo primo: « Ego non solum alligari, sed et occidi paratus sum in Ierusalem propter Christum Iesum ».

*Gaudium ex sponsione praemii.*

55. (Vers. 23.). Sic patientes laetificat per praemium, cum subdit: *Gaudete*[12] *et exsultate; ecce,*

---

[1] Vers. 2. et 3. — Duo seqq. loci sunt Matth. 26, 75. et Iob 30, 31.

[2] Vers. 17. — Subinde allegantur Luc. 19, 41; Iob 30, 25. et Rom. 12, 15.

[3] Vers. 4. et 5.

[4] Vers. 6. seqq.

[5] Vers. 20, post quem Ps. 41, 4.

[6] Vers. 21: *Donec impleatur risu* etc. — Sequuntur Prov. 31, 25. et Gen. 21, 6.

[7] Ut dicit Ps. 48, 13, post quem I. Cor. 3, 3, ubi pro *secundum hominem* codd. *secundum homines*, et Eccli. 28, 3.

[8] Vers. 7. — Sequitur Matth. 10, 22.

[9] Vers. 22. — Subinde allegantur Matth. 10, 35. et 36.

[10] Vers. 14, post quem Iac. 2, 7. et Matth. 5, 11; Isai. 5, 20: Vae! qui dicitis malum bonum et bonum malum.

[11] Vers. 14. — Sequuntur I. Cor. 1, 30: *Qui factus est nobis sapientia a Deo et iustitia* etc., et Act. 21, 13. August., Enarrat. in Ps. 34. serm. 2. n. 13: Poena similis est bonis et malis. Itaque Martyres non facit poena, sed causa. Nam si poena Martyres faceret, omnia metalla Martyribus plena essent, omnes catenae Martyres traherent, omnes, qui gladio feriuntur, coronarentur. Ergo discernatur causa. Nemo dicat: quia patior, iustus sum. Quia ipse, qui primo passus est, pro iustitia passus est. Ideo magnam exceptionem addidit [Matth. 5, 9. seq.]: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam* etc. Cfr. Enarrat. in Ps. 43. n. 1. et in Ps. 68. serm. 1. n. 9; III. contra Crescon. Donatist. c. 47. n. 51. Vide etiam S. Bonav., IV. Sent. d. 4. p. II. dub. 1. — Inferius pro *Et hac triplici iustitia* [scil. cordis, operis et oris] Vat. *Sic.*

[12] Vulgata addit *in illa die*, et subinde post *ecce* subiungit *enim*. — Duo seqq. loci sunt Rom. 12, 12. et Act. 5, 41. — Inferius pro *ex retributione* Vat. *ob retributionem bonam*.

*merces vestra multa est in caelo; gaudete*, scilicet ex retributione; ad Romanos duodecimo: « Spe gaudentes, in tribulatione patientes ». Quod impletum est Actuum quinto: « Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati ». Hoc autem inducit mercedis consideratio; Ieremiae trigesimo primo [1]: « Quiescat vox tua a planctu, et oculi tui a lacrymis, quia merces est operi tuo ». *Merces*, inquam, *multa*, quia « pax multa diligentibus legem tuam » etc., ut in Psalmo dicitur; et *perpetua*, quia *in caelo*; Sapientiae quinto: « Iusti autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum ». Et hoc est quod dicit Beda [2]: « Inter odia cordium, inter probra linguarum, inter manus persequentium laetiori corde versamini intuitu mercedis supernae ». — Et quia hoc opus est arduissimum, scilicet gaudere in tribulationibus; ideo non solum spondet praemium, sed adiungit exemplum, cum subdit:

Confirmatur exemplo Prophetarum.

36. *Secundum hoc* [3] *enim faciebant Prophetis patres eorum;* secundum quod dicitur Matthaei vigesimo tertio: « Testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum qui occiderunt Prophetas »; et Actuum septimo: « Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prophetabant de adventu iusti ». Hos proponit in exemplum propter suam constantiam; Iacobi ultimo [4]: « Exemplum accipite, fratres, patientiae, laboris et longanimitatis Prophetas »; qui a veritate propter flagella non movebantur. Unde de Eliseo Ecclesiastici quadragesimo octavo: « In diebus suis non pertimuit principem, et potentia nemo vicit illum, nec superavit illum homo ». Haec omnia mala sustinebant Prophetae propter mercedem, quam aliis promittunt; Ecclesiastici trigesimo sexto [5]: « Da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut Prophetae tui fideles inveniantur ». Unde ille eximius Propheta Ioannes post omnes tribulationes Ecclesiae subiungit Apocalypsis vigesimo secundo in fine: « Ecce, venio cito, et merces mea mecum est, dare unicuique secundum opera sua ».

37. Unde nota, quod divina Scriptura insinuat nobis differentiam *praemiorum* secundum diversitates *meritorum*. Unde invenitur merces *salva*, merces *magna*, *digna*, *plena*, *opportuna* [6], *festina*, *fidelis*, *copiosa*, *perpetua*. — Merces *salva* est Angelis nobis ministrantibus; *magna* datur praelatis sive praesidentibus; *digna*, obedientibus; *plena*, contemplantibus; *temporanea* datur operantibus; *festina*, proficientibus; *fidelis*, perficientibus: *multa* sive copiosa, patientibus, sed *perpetua*, perseverantibus.

Novem species mercedis sec. 9 merita.

Merces salva.

Unde de *salva mercede Angelorum*, quia ministerium, quod habent erga nos, a suo praemio non fraudatur, dicitur Tobiae quinto [7]: « Quaere aliquem virum fidelem, qui tecum eat, salva mercede », dicit Tobias. — De *mercede magna praesidentium* dicitur Genesis decimo quinto ad Abraham, qui typum gerit praelatorum: « Ego protector tuus, et merces tua magna nimis ». — De *mercede digna obedientium* dicitur Esther decimo sexto: « Sciant omnes, qui Persis obediunt fideliter, dignam pro fide recipere mercedem ». — De *mercede plena contemplantium* dicitur ad Ruth, secundo, quae typum gerit contemplativorum, qui cuncta relinquunt propter Deum, et etiam interpretatur *ovis*, vel *videns* [8], ut *ovis* dicatur propter mititatem affectus anima contemplativa, sed *videns* propter illuminationem intellectus; unde dicit ei Booz: « Plenam mercedem recipies a Domino Deo Israel, ad quem venisti et sub cuius confugisti alas ». — De *mercede temporanea operantium* dicitur Ecclesiastici ultimo [9]: « Operamini opus vestrum, quando tempus est, et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo ». — De *mercede festina proficientium* dicitur Ecclesiastici undecimo: « Benedictio Dei in mercedem iusti festinat ». — De *mercede fideli perfectorum*, ut praedicantium vel talium, dicitur Proverbiorum undecimo [10]: « Seminanti iustitiam merces fidelis ». — De *mercede copiosa patientium* sive militantium dicitur hic et Matthaei quinto: « Ecce enim, merces vestra copiosa est in caelis ». — De *mercede perpetua* vero, quae congruit *perseverantibus*, Ecclesiastici decimo octavo [11]: « Non verearis usque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in aeternum ». — Sic ergo secundum diversitates meritorum appropriantur differentiae praemiorum; et sic « reddet Deus iustis mercedem laborum suorum », Sapientiae decimo.

Magna.

Digna.

Plena.

Opportuna.

Festina.

Fidelis.

Copiosa.

Perpetua.

---

[1] Vers. 16. — Sequuntur Ps. 118, 165. et Sap. 5, 16. — Superius pro *Hoc autem inducit* Vat. *Ad haec autem inducit.*

[2] Libr. II. in Luc. 6, 23. Verba afferuntur secundum Glossam *ordinariam* in eundem locum.

[3] Vulgata *Secundum haec.* — Sequuntur Matth. 23, 31. et Act. 7, 51. seq.

[4] Vers. 10, post quem Eccli. 48, 13. seq., in cuius fine pro *homo* Vulgata *verbum aliquod.*

[5] Vers. 18. — Subinde allegatur Apoc. 22, 12. — Superius pro *quam aliis promittunt* (ita etiam D a secunda manu) non pauci codd. *quam aliis promittit;* minus bene, propter subnexa. Inferius pro *in fine* Vat. *in persona Christi.*

[6] Vat. *temporanea,* quod inferius etiam codd. exhibent.

[7] Vers. 4. — Duo seqq. loci sunt Gen. 15, 1. et Esther 16, 22. seq. — Superius posuimus *fraudatur,* pro quo codd. incongrue *fraudantur,* nisi voci *ministerium* vel cum D a secunda manu praefigatur *per,* vel cum Vat. *ob.*

[8] Hieron., de Nominib. Hebraic. vet. testam. de Ruth: « *Ruth*, videns, vel festinans, sive deficiens ». In appendice ad III. tom. Operum S. Hieron. habetur duplex Origenianum lexicon nominum Hebraicorum; in secundo ponitur: *Ruth*, grex [ποίμνη, quae vox adhibetur praecipue ad designandum gregem ovium]. — Subinde allegatur Ruth 2, 12.

[9] Vers. 38. — Sequitur Eccli. 11, 24.

[10] Vers. 18. — Subinde allegatur Matth. 5, 12. — Inferius pro *sive militantium* Vat. *sive multa.*

[11] Vers. 22. — Sequitur Sap. 10, 17.

Secundo, circa comminationes suppliciorum ponuntur quatuor vae.

58. (Vers. 24.). *Verumtamen vae vobis divitibus!* Post promissiones beatitudinum subiungit *comminationes suppliciorum.* Et quia contra bonum malum [1], quatuor ponit comminationes quatuor beatitudinibus respondentes, scilicet *desolationem* in amissione boni temporalis, *esuriem* in amissione boni spiritualis, *fletum* in afflictione mali corporalis, *confusionem* in passione opprobrii sempiternalis. Et haec sunt quatuor *vae,* quae comminatur quatuor generibus hominum oppositis viris evangelicis praedeterminatis, scilicet *cupidis* et *gulosis*, *lascivis* et *vanagloriosis* [2].

Cupidis comminatur primum vae.

*Cupidis* ergo comminatur *vae sempiternae desolationis*, cum dicit: *Verumtamen vae vobis divitibus! Adversative* dicit *divitibus*, id est divitias amantibus, quia tales inhiant ad divitias congregandas; Habacuc secundo [3]: « Vae ei qui multiplicat non sua »! id est bona terrena, quae non sunt nostra, quia nec nobiscum veniunt nec recedunt; terreni tamen homines reputant, esse sua; Apocalypsis octavo: « Vae, vae, vae habitantibus in terra »! Tales sunt cupidi, contra quos dicit Dominus Matthaei sexto: « Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur ». — Quoniam ad divitiarum istarum abundantiam necesse est sequi *inopiam*, et ad consolationem sequi *desolationem;* ideo subdens rationem dicit: *Qui* [4] *habetis consolationem vestram; habetis,* scilicet de praesenti, sed non de futuro; unde Iacobi quinto: « Agite nunc, divites, plorate, ululantes in miseriis vestris, quae advenient vobis ». Ideo consolatio ista vana et falsa est, quia desolationem inducit; Zachariae decimo [5]: « Somniatores frustra locuti sunt et vane consolabantur ». Vere *frustra*, quia « dormierunt somnum suum viri divitiarum et nihil invenerunt in manibus suis ». Et propterea dicendum est cum Propheta David [6]: « Renuit consolari anima mea; memor fui Dei et delectatus sum »; Iob sexto: « Haec sit mihi consolatio, ut affligens dolore, non parcat »; ut per desolationem viae perveniatur ad consolationem patriae, de qua Isaiae ultimo: « Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos ». Hanc debemus exspectare, non praeoccupare; Iudith octavo: « Exspectemus humiles consolationem eius ».

Ratio.

Gulosis, secundum vae.

59. (Vers. 25.). *Gulosis* comminatur *vae perpetuae famis*, cum subdit: *Vae vobis, qui saturati estis!* vacando scilicet crapulae et ebrietati; Proverbiorum vigesimo tertio [7]: « Cui vae? Cuius patri vae? Cui rixae et sine causa vulnera? Nonne his qui demorantur in vino et student calicibus epotandis »? « Vae, qui potentes estis ad bibendum vinum et viri fortes ad miscendam ebrietatem »! Et ideo subditur: *Quia esurietis.* Saturitas haec inducit perpetuam famem, secundum illud Iob vigesimo [8]: « Cum satiatus fuerit, arctabitur, aestuabit, et omnis dolor irruet super eum »; et Isaiae sexagesimo quinto: « Ecce, servi mei comedent, et vos esurietis; ecce, servi mei bibent, et vos sitietis ». Unde de malis in Psalmo: « Manducaverunt et saturati sunt » etc.

Lascivis, tertium vae.

60. *Lascivis* comminatur *vae sempiterni fletus*, cum dicit: *Vae vobis, qui ridetis nunc! quia lugebitis et flebitis*, id est in hoc momento temporis; Iob vigesimo [9]: « Gaudium hypocritae ad instar puncti »; et Proverbiorum decimo quarto: « Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupabit ». Melius est certe, quod fletus ad risum antecedat quam e converso; et propterea Ecclesiastae tertio [10]: « Tempus flendi », scilicet prius in tempore, « et tempus ridendi », post in aeternitate. Sed fatuus non vult nunc continere a risu; Ecclesiastici vigesimo primo: « Fatuus in risu exaltat vocem suam; vir autem prudens vix tacite ridebit »; immo Ecclesiastae secundo: « Risum reputavi errorem, et gaudio dixi: Quid frustra deciperis »? Stulti ergo sunt qui nunc rident, et sapientes qui lugent, secundum illud Ecclesiastae septimo [11]: « Cor sapientium, ubi tristitia est; et cor stultorum, ubi laetitia ». Propter quod dicitur stultis et mundanis Isaiae sexagesimo quinto: « Ecce, servi mei laudabunt prae exsultatione cordis, et vos clamabitis prae dolore cordis et prae contritione spiritus ululabitis », scilicet in inferno, quia dicitur Matthaei decimo tertio: « Ibi erit fletus et stridor dentium ».

Notandum

Vanis, quartum vae

61. (Vers. 26.). *Vanagloriosis* vero comminatur *vae sempiterni contemptus*, cum subdit: *Vae vobis, cum benedixerint vobis omnes* [12] *homines!* vanis scilicet laudibus extollendo; Proverbiorum vigesimo septimo: « Qui benedicit proximo suo voce

---

[1] Sicut e contrario dicitur Eccli. 33, 15: Contra malum bonum est. — Inferius post *quatuor beatitudinibus* Vat. cum uno alteroque cod. addit *ex opposito*.

[2] Du Cange, Glossarium etc. *Vanagloriosus*, vir vanam gloriam aucupans; ex Italico *vanaglorioso*. Cfr. supra pag. 129, nota 11. — Superius pro *comminatur* A H *comminantur*.

[3] Vers. 6. — Duo seqq. loci sunt Apoc. 8, 13. et Matth. 6, 19. Beda, II. in Luc. 6, 24: Ubi notandum, quod non tam divitiae quam divitiarum amor in culpa est. Non enim omnis, qui habet divitias, sed, ut Ecclesiastes [5, 9.] ait, *qui amant divitias fructus non capient ex eis* etc. Cfr. Ambros., V. in Luc. n. 69.

[4] Ita Ambros., V. in Luc. n. 68; Beda, Card. Hug., B. Albert. et Lyranus, in hunc loc.; Vulgata *Quia*. — Subinde allegatur Iac. 5, 1. — Superius pro *abundantiam* Vat. *multiplicationem*.

[5] Vers. 2. — Sequitur Ps. 75, 6.

[6] Psalm. 76, 3. seq. — Tres seqq. loci sunt Iob 6, 10; Isai. 66, 13, ubi pro *si cui* codd. *sicut;* Iudith 8, 20. — Superius pro *Et propterea dicendum est* Vat. *Et praeterea etiam.*

[7] Vers. 29. seq., post quem Isai. 5, 22.

[8] Vers. 22. — Sequuntur Isai. 65, 13. et Ps. 77, 29. (ibid. v. 30. seq.: Adhuc escae eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos etc.).

[9] Vers. 5, post quem Prov. 14, 13.

[10] Vers. 4. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 21, 23. et Eccle. 2, 2.

[11] Vers. 5. — Subinde allegantur Isai. 65, 14. et Matth. 13, 42.

[12] Vulgata, omisso *vobis* post *Vae*, omittit etiam *omnes*, quod tamen exhibent Ambros., V. in Luc. n. 71; Beda, Card. Hug., B. Albert. et Lyranus, in hunc loc. — Duo seqq. loci

grandi, de nocte consurgens, maledicenti similis erit »; quia, sicut dicitur Isaiae nono, « erunt qui beatificant populum istum seducentes, et qui beatificantur praecipitantur ». Praecipitantur enim ex vanis laudibus in opprobrium sempiternum, dum ex illis extolluntur, secundum illud Iob trigesimo[1]: « Elevasti me, quasi super ventum ponens », scilicet vanae laudis, « elisisti valide ». — Et quia difficile est huiusmodi laudes vitare, subiungit exemplum: *Secundum hoc*[2] *enim faciebant prophetis patres eorum;* prophetis, inquam, non veris, sed falsis; unde Glossa: « Benedicebant pseudoprophetis, qui ad captandum favorem vulgi de corde suo prophetabant »; Ieremiae quinto: « Stupor et mirabilia facta sunt in terra: prophetae prophetabant mendacium, et sacerdotes plaudebant manibus suis, et populus meus dilexit talia ». In hoc ergo, quod ostendit, malos homines laudari a prophetis, ostendit, omnino contemnendum esse favorem popularem; Psalmus[3]: « Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos ». Hoc autem dictum est non de his qui bona exempla et laudabilia populis ostendunt ad Deum glorificandum, cum dicatur Matthaei quinto[4]: « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est »; sed qui propriam gloriam in placendo hominibus et in eorum laudibus quaerunt; ad Galatas primo: « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem ».

Exemplum.

62. Nota hic de diversitate inter Matthaeum[5] et Lucam: quia Lucas ponit *promissiones* et *comminationes vae*, Matthaeus autem solum *promissiones*. Propter quod videtur, vel quod alter dixerit diminute, vel alter superflue. — Sed certe potest responderi, secundum quod Glossa[6] innuit, et Augustinus dicit, quod alius fuerit sermo hic et ille. Cuius diversitas ex *locis* colligitur et *personis* et *praeceptis*. Nam ille *discipulis*, iste *turbis;* ille *sedendo*, iste *stando;* ille *in monte*, iste *in loco campestri;* ille *plura documenta continet* quam iste, quia *septem* beatitudines[7], iste *quatuor;* ex quibus omnibus colligitur, quod fuerit alius et alius. — Nec immerito, quia aliis et aliis personis aliter et aliter est loquendum. Discipulis enim tanquam perfectioribus perfectiori modo debuerunt mandata evangelica explicari; turbae vero non possunt ad alta conscendere: ideo non adeo perfecte explicatur verbum Dei turbis, sicut Apostolis. — Et quia perfecti moventur amore, imperfecti vero non solum amore, sed timore[8]; ideo in sermone Apostolorum ponuntur *beatitudines* et non *vae*, in sermone turbarum et *beatitudines* et *vae*. — Rursus, quia perfecti conformes efficiuntur Christo per septiformem Spiritum, qui requievit super eum, ut dicitur Isaiae undecimo[9]; ideo septem ponuntur beatitudines, septem donis Spiritus sancti concordantes. Hic notantur quatuor beatitudines respondentes quatuor virtutibus cardinalibus, ut habetur in Glossa[10]: *Paupertas*, temperantiae; *esuries* boni spiritualis, iustitiae; *fletus*, prudentiae; *passio malorum*, fortitudini sive patientiae, sicut dicit Glossa Bedae.

Difficultas solvitur.

Triplex differentia duorum locorum.

Corollarium primum.

Secundum.

63. In his tamen quatuor aliae continentur *implicite;* unde non ita exprimit Lucas spiritualem intellectum in huiusmodi promissionibus, ut Matthaeus. Matthaeus enim dicit[11]: « Beati pauperes spiritu »; hic solum: « Beati pauperes », ille: « Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam » etc. Et iterum in Matthaeo proponuntur pluraliter et in tertia persona, quia loquitur ad *intelligentes;* in Luca particulariter et in secunda persona, quia loquitur ad *sensuales*[12]. — Ex his colligi possunt rationes *aliarum* diversitatum, quia pro diversitate audientium diversimodus est sermo doctorum, secundum illud Apostoli ad Colossenses quarto[13]: « Sermo vester semper sit in gratia sale conditus, ut sciatis, quomodo vos oporteat unicuique respondere ». Et hoc faciebat ille doctor gentium primae ad Corinthios secundo: « Ego cum venissem ad vos, veni non in sublimitate sermonis » etc., et post sequitur: « Sapientiam autem loquimur inter perfectos ». Sic faciebat Salvator, qui turbis loquebatur in parabolis, seorsum autem discipulis suis disserebat omnia, sicut dicitur Matthaei decimo tertio[14], quia eis datum erat « nosse mysteria regni caelorum ».

Aliae differentiae.

Observatio generalis.

---

sunt Prov. 27, 14. et Isai. 9, 16, in cuius fine Vulgata et H *praecipitati*.

[1] Vers. 22.

[2] Vulgata *Secundum haec*, quae etiam pro *prophetis*, quod exhibent Beda, Card. Hug., B. Albert. et Lyranus, substituit *pseudoprophetis*. — Subinde allegantur Glossa *interlinearis* (secundum Bedam, in hunc loc.) et Ier. 5, 30. seq.

[3] Psalm. 52, 6. — Superius pro *a prophetis* Vat. *a pseudoprophetis*.

[4] Vers. 16. — Sequitur Gal. 1, 10. — Inferius post *sed* Vat. supplet *de his*.

[5] Cap. 5, 3. seqq.

[6] Scilicet *ordinaria* in Matth. 5, 1. et in Luc. 6, 18. August., II. de Consensu Evangelist. c. 19. n. 45.

[7] De numero beatitudinum cfr. III. Sent. d. 36. q. 1. scholion.

[8] Epist. I. Ioan. 4, 18: Perfecta caritas foras mittit timorem... qui autem timet non est perfectus in caritate. — Vat. *sed simul comminationis timore*. Superius pro *Discipulis enim* C D G *Discipulis eius*.

[9] Vers. 2. seq.

[10] Scilicet *ordinaria* in Luc. 6, 20. Ipsa est, sicut etiam paulo inferius dicitur, secundum Bedam, II. in Luc. 6, 23, qui sequitur Ambros., V. in Luc. n. 62. seqq. — Superius C D G omittunt *cardinalibus*.

[11] Cap. 5, 3. seqq. — Ambros., V. in Luc. n. 49: Quatuor tantum beatitudines sanctus Lucas dominicas posuit, octo vero sanctus Matthaeus; sed in his octo illae quatuor sunt, et in istis quatuor illae octo. Hic enim quatuor velut virtutes amplexus est cardinales etc.

[12] Codd. *sensibiles*.

[13] Vers. 6, ubi pro *unicuique* C D G *omnibus*. — Sequuntur I. Cor. 2, 1. et 6.

[14] Vers. 11.

Tertio, circa leges praeceptorum habentur duae partes.

64. *Sed vobis dico, qui auditis* etc. Post promissiones praemiorum et comminationes suppliciorum subdit hic tertio Evangelista *leges praeceptorum* sive documenta dirigentia, et habet haec pars duas. In quarum prima ponit documenta *propria et expressa;* in secunda vero *similitudinaria et translata,* ibi [1]: *Dicebat autem illis et similitudinem* etc.

In 1. parte documenta propria traduntur quadrupliciter.

Circa *prima documenta* auditoribus commendanda hoc modo procedit Christi doctrina. Primo namque ea *promulgat sub perfectione conveniente.* Secundo vero *probat ex conditione deficiente,* ibi [2]: *Et si diligitis eos qui vos diligunt.* Tertio vero *resumit cum ratione movente,* ibi: *Verumtamen diligite inimicos vestros.* Quarto *concludit pro retributione sufficiente,* ibi: *Estote ergo misericordes.*

De primo tanguntur tria.

Circa *documentorum promulgationem* notandum est, quod ad hoc, quod homo sit perfectus, necesse est, ipsum esse perfecte *benevolum,* perfecte *pacificum* et perfecte *beneficum.* Primum respicit *affectionem,* secundum *passionem* et tertium *operationem.*

Primum fit benevolentia.

65. (Vers. 27.). Dat igitur primo mandatum perfectae *benevolentiae,* cum ait: *Sed vobis dico, qui auditis: Diligite inimicos vestros.* Hoc namque mandatum est auditoribus, id est credentibus et obedientibus, proponendum, in quibus habitat Deus, quia dicitur primae Ioannis quarto [3]: « Qui manet in caritate in Deo manet, et Deus in eo ». Et talis audit mandatum caritatis, non solum aure corporis, sed cordis, secundum illud Ioannis octavo: « Qui ex Deo est verba Dei audit ». Hunc auditum excitabat Isaiae quinquagesimo quinto: « Audite audientes me et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram et venite ad me; audite, et vivet anima vestra ». *Vivet* utique per mandatum dilectionis, quia, sicut dicitur primae Ioannis tertio [4], « qui non diligit manet in morte »; et ante illud: « Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres ». Ad hoc Apostolus ad Ephesios quinto: « Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis »; « quoniam, cum inimici essemus, Deo reconciliati sumus per mortem Filii eius », ad Romanos quinto. Et ita nos debemus inimicos diligere. — Et quoniam non sufficit « diligere verbo neque lingua solum, sed opere et veritate [5] »; ideo subdit: *Bene facite his qui oderunt vos,* ut sit « dilectio sine simulatione »; Proverbiorum vigesimo quinto: « Si esurit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi »; idem dicitur ad Romanos duodecimo.

Benevolentia in corde.

Benevolentia in opere.

Benevolentia in verbo.

66. (Vers. 28.). Et quia [6] « verbum melius est quam datum », et sermo declarat affectum, subdit: *Benedicite maledicentibus vobis,* in sermone *publico; et orate pro calumniantibus vos,* in sermone privato. *Benedicite,* in sermone manifesto. Ad hoc Apostolus ad Romanos duodecimo [7]: « Benedicite maledicentibus vobis, benedicite et nolite maledicere »; et primae Petri tertio: « Nulli malum pro malo reddentes nec maledictum pro maledicto, sed e contrario, benedicentes ». *Orate,* etiam in sermone *secreto,* exemplo illius, de quo Isaiae quinquagesimo tertio [8]: « Pro transgressoribus oravit »; et exemplo illius protomartyris, Actuum septimo: « Positis autem genibus, clamavit voce magna: Domine, ne statuas illis hoc peccatum ».

Difficultas solvitur.

67. Sed huic contrariari videtur, quod Eliseus, quarti Regum secundo [9], iratus est pueris irridentibus, et Elias quinquagenario, quarti Regum primo, et Paulus sacerdoti summo, Actuum vigesimo tertio. — Ad hoc respondet Beda [10], quod ista « non sunt vota optantium, sed praedictiones futurorum »; vel non irascebantur contra naturam, sed contra vitium. Ut enim dicit Augustinus [11]: « Sic homines sunt diligendi, ut tamen eorum non diligantur errores ». Sic igitur dat mandatum perfectae benevolentiae, quae non solum consistit in corde, sed etiam in opere et sermone. Unde Gregorius [12]: « De dilectione Conditoris lingua, mens et manus requiratur ».

Modus obligationis.

De hoc autem *mandato benevolentiae* in summa notandum est, quod quantum ad *affectum* astringit universos, quantum ad *signum* astringit perfectos, quantum ad *effectum* in articulo necessitatis omnes astringit, citra necessitatem non astringit *imperfectos,* nisi quantum requirit debitum alicuius praecepti [13]. *Perfectos* autem *a statu praelationis* astringit,

---

[1] Vers. 39.

[2] Vers. 32; tertium habetur v. 35. et quartum v. 36. — Inferius pro *concludit pro retributione sufficiente* Vat. *concludit per retributionem sufficientiae.*

[3] Vers. 16. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 8, 47. et Isai. 55, 2. seq. — Inferius verbo *excitabat* Vat. praefigit *Dominus.*

[4] Vers. 14; ibid. etiam habetur: *Nos scimus* etc. — Sequuntur Eph. 5, 2. et Rom. 5, 10, ubi nonnulli codd. *Dei* pro *Deo* (variata interpunctione).

[5] Epist. I. Ioan. 3, 18. — Subinde allegantur Rom. 12, 9; Prov. 25, 21. et Rom. 12, 20.

[6] Ut dicitur Eccli. 18, 16.

[7] Vers. 14, ubi pro *maledicentibus vobis* (sic Luc. hoc loco) Vulgata *persequentibus vos,* post quem I. Petr. 3, 9.

[8] Vers. 12. — Sequitur Act. 7, 60.

[9] Vers. 23. — Duo seqq. loci sunt IV. Reg. 1, 9. et Act. 23, 3.

[10] Libr. II. in Luc. 6, 28. Verba allegantur secundum Glossam *ordinariam* (in eundem loc.), quae tamen pro *praedictiones* substituit *praenuntiationes.*

[11] Sententiar. Prosperi Aquitani ex Augustino delibatarum, n. 2. Cfr. August., Enarrat. in Ps. 100. n. 5. et Serm. 49. (alias 237. de Tempore) c. 5. n. 5. seqq.

[12] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 2, ubi pro *et manus* textus originalis *et vita.*

[13] Cfr. III. Sent. d. 30. q. 4. et 5. — De seq. triplici statu perfectorum cfr. S. Bonav., Apolog. pauperum, Resp. 1. c. 3. — Cod. C legit: *praeter necessitatem, si astringit imperfectos non est, nisi in quantum requirit* etc.; H: *praeter necessitatem vero non astringit imperfectos, sed si astringit*

quantum requirit debitum officii assumti; *perfectos a statu perfectionis*, quantum requirit debitum boni exempli; *perfectos* autem *a perfectione virtutis*, quantum requirit intensio caritatis.

Secundum fit patienter ferendo iniuriam in personam.

68. (Vers. 29.). Secundo dat mandatum de *perfecta patientia*, cum subdit: *Et qui te percusserit in unam maxillam* [1], inferendo scilicet iniuriam in *personam;* et ponit *maxillam* pro parte corporis nobiliori, quae cum percutitur, praecipua iniuria irrogatur; unde Iob decimo sexto: « Aperuerunt super me ora sua, exprobrantes percusserunt maxillam meam ». De tali et tanta iniuria non est exigenda vindicta, sed exhibenda patientia; unde subdit: *Praebe et alteram,* scilicet maxillam, id est, paratus sis aliam percussionem sustinere, exemplo Magistri, de quo Threnorum tertio [2]: « Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis »; *dabit* utique, non invitando ad percussionem, sed non opponendo defensionem, secundum illud ad Romanos duodecimo: « Non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum irae ».

Non prohibetur caritativa correctio.

69. Unde in hoc mandato inhibetur *libidinosa defensio*, non *caritativa correctio,* cum dicatur Matthaei decimo octavo [3]: « Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum » etc. Et exemplum huius in Christo, Ioannis decimo octavo: « Unus minister assistens dedit alapam Iesu »; et subditur: « Respondit ei Iesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, cur me caedis »? Unde Augustinus in quodam sermone de Verbis Domini [4]: « Si iniuriam pateris et taces et proximum non corripis, plus peccas negligendo quam ille affligendo ». — Per hoc etiam mandatum non arcentur personae laicales a sui vel aliorum defensione; unde Paulus, Actuum vigesimo tertio [5], petiit milites, ut illaesus servaretur. Unde Augustinus primo de Civitate Dei, exponens illud praeceptum Exodi vigesimo: *Non occides,* dicit, quod « contra hoc praeceptum non fecerunt qui Deo auctore bella gesserunt et secundum leges sceleratos punierunt ». Unde canon [6]: « Fortitudo, quae a barbaris tuetur patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latronibus socios, plena iustitia est ». Unde Augustinus ad Marcellinum: « Ista praecepta patientiae sunt in *cordis praeparatione retinenda;* ipsa namque benevolentia, ne reddatur malum pro malo, semper in cordis voluntate complenda est. *Agenda* autem sunt multa etiam cum invitis benigna quadam asperitate plectendis, quorum potius est utilitati consulendum quam voluntati ». — Sic igitur intelligendum est mandatum de exhibenda patientia iniurianti ipsi personae.

Notandum.

Item, ferendo iniuriam in rem possessam.

70. Exhibenda est etiam patientia iniurianti *in re possessa*, propter quod addit: *Et ab eo qui aufert tibi vestimentum,* scilicet exterius per iniuriam, sicut illi, de quibus Iob vigesimo quarto [7]: « Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes »; et Michaeae secundo: « Desuper tunicam pallium sustulistis ». Tali sic iniurianti exhibenda est patientia; unde subdit: *Etiam tunicam noli prohibere,* scilicet rixando, vel contradicendo, exemplo Salvatoris, de quo in Psalmo [8]: « Diviserunt sibi vestimenta mea » etc., sine repugnantia scilicet et contradictione. In hoc similiter mandato intelligendum est, prohiberi contentionem vel libidinem vindicandi. Unde Augustinus ad Marcellinum [9]: « Cavendum est, ne vindicandi cupiditate amittatur ipsa patientia, quae pluris habenda est quam omne, quod potest invito inimicus auferre ». — In summa hic tenendum est de praecepto *patientiae,* quod non prohibetur hic *correctio proximi,* seu *impeditio* vel prohibitio *mali,* vel *punitio sceleris* perpetrati ab eo qui potest et debet, cuiusmodi est legis minister; sed prohibetur et cohibetur hic *libido ulciscendi* et quantum ad *manum* et quantum ad *signum* et quantum ad *animum.* Et in hoc addit Evangelista supra Legem [10], quam perficit et consummat secundum spiritualem intelligentiam.

Modus obligationis.

Tertium fit beneficentia.

71. (Vers. 30.). Tertio [11] dat mandatum de *perfecta beneficentia,* cum subiungit: *Omni autem petenti te tribue.* Hoc est mandatum generale respectu omnis *personae* et omnis *dati* sive *obsequii,* sive

---

*perfectos* [! imperfectos] *non est nisi in quantum respicit debitum* etc. D hoc loco plura omittit. Inferius post *a statu perfectionis* H addit *sive religionis*, et pro *intensio caritatis*, quod habet H, A C D *intentio caritatis*, B E G *unctio caritatis*, Vat. *unio caritatis.*

[1] Vulgata et H: *Et qui te percutit in maxillam.* Cfr. supra pag. 77, nota 9. — Sequitur Iob 16, 11.

[2] Vers. 30. — Subinde allegatur Rom. 12, 19. — Superius vocibus *De tali* H praefigit *Et tamen.* Inferius pro *non opponendo* A D G *non apponendo.*

[3] Vers. 15, post quem Ioan. 18, 22. et 23.

[4] Scilicet 16, qui nunc est serm. 82. c. 4. n. 7: Hoc ergo debet facere qui fecit iniuriam. Qui autem passus est, quid debet? Quod audivimus hodie [Matth. 18, 15.]: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum.* Si neglexeris, peior es. Ille iniuriam fecit et iniuriam faciendo gravi se ipsum vulnere percussit, tu vulnus fratris tui contemnis? Tu eum vides perire, vel periisse, et negligis? Peior es tacendo quam ille conviciando.

[5] Vers. 10: Timens tribunus, ne discerperetur Paulus ab ipsis, iussit milites descendere et rapere eum de medio eorum etc. — Sententia Augustini, in qua allegatur Exod. 20, 13, habetur I. de Civ. Dei, c. 21.

[6] Can. 5. Caus. 23. q. 3: *Fortitudo, quae vel in bello tuetur a barbaris patriam... plena iustitiae est.* Hic canon a codd. Augustino tribuitur, legunt enim *Unde canon ipsius est* (H *Unde idem*); est tamen Ambrosii, I. de Offic. ministror. c. 27. n. 129. — Subinde allegatur sententia Augustini, quae habetur Epist. 138. (alias 5.) c. 2. n. 14. In ipsa respicitur Rom. 12, 17: Nulli malum pro malo reddentes (cfr. I. Thess. 5, 15. et I. Petr. 3, 9.), et textus originalis ante *voluntate* omittit *cordis.*

[7] Vers. 7, post quem Mich. 2, 8.

[8] Psalm. 21, 19.

[9] Epist. 138. (alias 5.) c. 2. n. 12.

[10] Cfr. Matth. 5, 17. seqq., ubi Christus dicit, se venisse, non ut solvat Legem, sed ut adimpleat, addendo praeceptum de non irascendo fratri etc.

[11] Vat.: *Supra egit de mandato benevolentiae et de mandato patientiae, hic tertio.*

Tum externa relevatione. *mutui*, sive *alterius muneris*. Et est proximo dandum munus *exterioris relevationis*, secundum illud Deuteronomii decimo quinto [1]: « Praecipio tibi, ut aperias manum tuam fratri tuo egeno et pauperi »; et Exodi vigesimo tertio: « Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo ». Et *internae compassionis;* Isaiae quinquagesimo octavo [2]: « Cum effuderis esurienti animam tuam » etc.; et ad Colossenses tertio: « Induite vos, sicut electi Dei, viscera misericordiae, supportantes invicem et donantes vobismetipsis » etc. Et etiam munus *dulcis locutionis;* Ecclesiastici decimo octavo [3]: « Nonne ardorem refrigerabit ros? Sic et verbum melius quam datum ».

Tum interna compassione.

Tum dulci locutione.

72. Ad duo sequentia omnes obligantur; ad primum autem obligantur praecipue divites sive qui habent, unde possint alienam necessitatem relevare; primae ad Timotheum ultimo [4]: « Divitibus huius saeculi praecipe, non sublime sapere, sed bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam ».

Obligatio divitum.

73. Obligat etiam respectu *omnis personae*, considerata natura et necessitate, non autem pensato vitio; unde non contrariatur ei quod dicitur Ecclesiastici duodecimo [5]: « Da bono, et non receperis peccatorem; benefac humili, et non dederis impio »; hoc dicit: quia est *peccator* vel impius. Unde non est dandum histrionibus ratione sui ministerii, quia, ut dicit Hieronymus [6], « mimis et histrionibus dare nihil aliud est quam daemonibus immolare ». Si tamen sunt in necessitate constituti, dandum est eis, quia sunt ad imaginem Dei creati et quia fratres nostri; unde primae Ioannis tertio: « Qui viderit, fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo »?

Respectu omnium.

74. Et quia hoc mandatum beneficentiae se extendit ad omnes sine exceptione, ideo specificat etiam de *iniuriantibus*, cum adiungit: *Et qui aufert quae tua sunt, ne repetas;* Glossa [7]: « Cum litigio vel contentione », quae venit ex cupiditate; Isaiae quinquagesimo octavo: « Ecce, in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. Ecce, ad lites et contentiones ieiunatis »; Ecclesiastici trigesimo primo: « Verba improperii non dicas proximo, et non premas illum in repetendo ». Tunc autem fit, quando coram iudice alieno vel infideli causam trahit; propter quod primae ad Corinthios sexto [8]: « Frater adversus fratrem in iudicio contendit, et hoc apud infideles? Quare non magis fraudem patimini »? Hoc autem non dicit, quia in ullo non liceat repetere, sed ut ostendat, quod magis debemus diligere proximum et eius salutem, quam rem temporalem. Unde Gregorius [9]: « Cum pro terrena re pax a corde cum proximo scinditur, apparet, quod plus res quam proximus amatur ».

Specificatio.

75. Unde nota, quod repetere contingit tripliciter, scilicet ex *cupiditate* et *zelo iustitiae* et *timore casus*. Primum est *malorum*, non iustorum caritatem habentium, secundum illud primae ad Corinthios decimo tertio [10]: « Caritas non quaerit quae sua sunt »; Glossa: « Non repetit ablata », scilicet ex amore cupiditatis ad rem. — Est iterum *repetere zelo iustitiae;* et hoc modo licet *perfectis,* qui habent proprium *in communi,* nomine communitatis; perfectis vero, qui nec *in communi* nec *in speciali* habent proprium [11], non licet eis repetere, sed eis solum, qui habent proprietatem illarum rerum, quarum ipsi usum habent. Ille *zelo iustitiae repetit,* qui intendit consulere saluti rapientis et refrenationi cupiditatis alienae et paci universalis Ecclesiae. Unde Gregorius [12]: « Non solum debet esse cura, ne nostra subtrahant, sed ne rapientes non sua semetipsos perdant ». Ille etiam *zelo iustitiae repetit,* qui intendit ius suum defendere, vel personae, vel Ecclesiae, seu alicuius communitatis adiunctae, maxime cum illud ex causa teneatur defendere. — Est tertio repetere *timore casus,* scilicet ne propter paupertatem et indigentiam ruant in culpam; et sic spectat ad *infirmos.* Unde orabat in persona talium Sapiens Proverbiorum trigesimo [13]: « Divitias et paupertates ne dederis mihi; tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum et dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer et periurem nomen Dei mei ».

Triplex modus repetendi.

Primus.

Secundus.

Tertius.

---

[1] Vers. 11, post quem Exod. 23, 5.

[2] Vers. 10. — Sequitur Col. 3, 12. seq.

[3] Vers. 16.

[4] Vers. 17-19.

[5] Vers. 5. seq. Cfr. IV. Sent. d. 15. p. II. dub. 7.

[6] Etiam Gulielm. Autissiod., Sum. lib. III. tr. 8. c. 1. q. 3, hanc sententiam tribuit Hieronymo (sed ubi habetur?). Alex. Hal., S. p. IV. q. 33. m. 1, sub nomine *Ambrosii* haec affert: « Dare res suas histrionibus vitium est immane »; ipsa autem verba profert August., in Ioan. Evang. tr. 100. n. 2. Cfr. Gratian., C. *Donare* (c. 7.), dist. 86. Vide ibid. C. *Qui venatoribus* (c. 8.), qui sumtus est ex August., Enarrat. in Ps. 102. n. 13, in quo insinuantur quae paulo inferius de homine, in quantum est ad imaginem Dei creatus, dicuntur: Qui donant histrionibus... quare donant? Nunquid non et ipsi hominibus donant? Non tamen ibi attendunt *naturam operis Dei*, sed nequitiam operis humani. — Subinde allegatur I. Ioan. 3, 17.

[7] Scilicet *interlinearis.* — Duo seqq. loci sunt Isai. 58, 3. seq. et Eccli. 31, 42.

[8] Vers. 6. et 7. Vulgata plura interserit. — Superius pro *Tunc fit* Vat. *Maxime autem tunc premit.*

[9] Libr. XXXI. Moral. c. 13. n. 23. — Superius pro *quia in ullo* [scil. iudicio] *non liceat,* quod praebet C, A D G *quia in nullo non liceat*, H *quod non liceat ullo modo*, Vat. *quia nullo modo liceat.*

[10] Vers. 5. — Glossa, quae apud Lyranum est *interlinearis*, exhibetur a Petro Lombardo sic: *Non quaerit quae sua sunt*, id est, ablata sibi non repetit, quia non est amatrix pecuniae.

[11] Respicitur ad Ordinem Fratrum Minorum S. Francisci.

[12] Libr. XXXI. Moral. c. 13. n. 22.

[13] Vers. 8. et 9. Pro *Divitias et paupertates*, quod, teste Ioanne de la Haye (Biblia maxima etc.), exhibet S. Bernardus (cfr. Serm. 2. in Dominica palmarum, n. 2: *Divitias et paupertatem* etc.), Vulgata *Mendicitatem et divitias.*

— Vult ergo in hoc mandato dicere, quod homo sit paratus ad benefaciendum omnibus, non solum benefactoribus suis, sed etiam suis praedatoribus.

76. (Vers. 31.). Ad perfectionem etiam benevolentiae exigitur, quod homo benefaciat *in omnibus;* unde et subditur: *Et prout vultis, ut vobis faciant homines, et vos facite illis similiter.* Et nota, quod non dicit: prout *faciunt*, sed: prout *vultis*, quia quilibet vult sibi, cum indiget, benefieri et in omni necessitate relevari; Proverbiorum vigesimo quarto [1]: « Ne dicas: Quomodo fecit mihi, sic faciam ei et reddam unicuique secundum opus suum ». In hoc mandato est consummatio legis *naturalis;* cuius una pars negativa ponitur Tobiae quarto et implicatur hic: « Quod ab alio oderis tibi fieri, vide, ne tu aliquando alteri facias ». Vult ergo, quod semper bonum, quando possumus, cuilibet faciamus, sicut prompti sumus ad volendum recipere, secundum illud ad Galatas ultimo: « Bonum autem facientes, non deficiamus » etc. — Et nota, quod non dicit: facite, prout *volunt homines*, sed: prout *vultis;* tum quia voluntas nostra nobis notior est; tum etiam, quia magis nos movet consideratio nostri; tum etiam, quia loquitur ad eos qui voluntatem habent ordinatam, et secundum illam est operandum [2]. — In summa tenendum est de praecepto beneficentiae in generali, quod tantum astringit, quantum explicatur per speciales obligationes praeceptorum; et ideo supra legem naturae addita est lex scripta, ut per eam sciret homo, ad quid astringeretur ex iustitia.

Generale praeceptum. Notandum. Modus obligationis.

77. *Et si diligitis illos* [3] etc. Postquam promulgavit leges evangelicas sub perfectione conveniente, hic secundo *probat ex conditione deficiente*, ubi ostendit, quod praecipere debuit secundum modum praemissum; alioquin nullum est meritum apud Deum. Unde ostendit hic tria, scilicet quod non sufficit ad meritum esse *benevolum* respectu *amantium*, nec *beneficum* solum respectu *retribuentium*, nec *communicativum* respectu *recompensantium*. Et in hoc ostendit, quod perfecta benevolentia et beneficentia non tantum debet se extendere ad *amicos*, verum etiam ad *adversarios* iuxta formam superius [4] promulgatam.

De secundo tanguntur tria.

78. (Vers. 32.). Ostendit ergo primo, quod non sufficit esse *benevolum solum respectu diligentium*, quia hoc est peccatorum; propter quod ait: *Et si diligitis illos qui vos diligunt*, id est, quia vos diligunt, *quae vobis est gratia?* id est quod meritum retributione dignum? quasi dicat: nullum. Et rationem reddit: *Nam et peccatores diligentes se diligunt*, qui nullum habent meritum apud Deum; hoc enim est *naturale*, secundum illud Ecclesiastici decimo tertio [5]: « Omne animal diligit simile sibi, sic et omnis homo proximum sibi » etc.; vel etiam *carnale*, sicut Ecclesiastici trigesimo septimo: « Sodalis amico condolet causa ventris et contra hostem accipiet scutum ». Talis dilectio apud Deum non habet meritum, quia non impenditur propter Deum. Si enim propter Deum impenderetur, utique diligeret homo *diligentes se*, secundum illud Proverbiorum octavo [6]: « Ego diligentes me diligo »; *minus* etiam *diligentibus* plus dilectionis rependeret, secundum illud secundae ad Corinthios duodecimo: « Ego autem libentissime impendam et superimpendar pro animabus vestris, licet, plus vos diligens, minus diligar »; item, *nullo modo* etiam *diligentes* diligeret, secundum illud primae Ioannis quarto [7]: « In hoc apparuit caritas Dei, non quia nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos »; et ad Romanos quinto: « Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quoniam, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro impiis mortuus est ». — Unde quando solum ad *diligentes* extenditur, non est dilectio divina nec gratuita, sed mercenaria et humana, ac per hoc nec retributione digna.

Primum. Ratio.

79. (Vers. 33.). Non sufficit etiam esse *beneficum respectu retribuentium*, quia hoc etiam est ipsorum mundanorum; propter quod subdit: *Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt;* Glossa [8]: « Id est, ideo, quia benefaciunt »; *quae vobis est gratia?* id est quod meritum? quasi dicat: nullum. Et ratio redditur: *Siquidem et peccatores hoc faciunt;* beneficium namque pro recompensatione factum non est gratuitum, sed venale, et ideo nec acceptabile est. Unde Ecclesiastici vigesimo [9]: « Datus insipientis non erit tibi utilis; oculi eius septemplices sunt; exigua dabit et multa improperabit ». Sed illud quod liberaliter et hilariter datur, illud acceptatur, secundum illud secundae ad Corinthios nono: « Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus ». Si ergo benefacere benefacientibus solum est *debitum*, benefacere non benefacientibus *gratuitum;* videtur, quod malefacere benefacientibus est *impium* et crudelissimum; quod quidem facit peccator, cum offendit Deum; iuxta quod secundi Paralipomenon

Secundum.

---

[1] Vers. 29. — Subinde allegantur Tob. 4, 16, in cuius fine codd. legunt: *vide, ne unquam tu alteri aliquando facias;* et Gal. 6, 9. — Inferius pro *consummatio* Vat. *conservatio* et *pro nobis bona recipere* pro *ad volendum recipere*.

[2] Cfr. Glossa *ordinaria* in Luc. 6, 31. (ex Ambros., V. in Luc. n. 74.): Nec ait: prout faciunt, sed *prout vultis, ut faciant vobis homines, et vos faciatis illis*, ut vicissitudo sit cumulatior, cum votis actus aequatur.

[3] Vulgata *eos*.

[4] Num. 65. seqq. — Plures codd. *anterius*.

[5] Vers. 19. seq. — Glossa *interlinearis: Nam et peccatores*, ethnici et publicani, *diligentes se diligunt*, natura duce. — Subinde allegatur Eccli. 37, 5. Superius pro *qui nullum* A C D *quia nullum*.

[6] Vers. 17. — Sequitur II. Cor. 12, 15. — Superius pro *diligeret homo diligentes se* Vat. *diligeret Deus diligentes se*.

[7] Vers. 10, post quem Rom. 5, 8. seq.

[8] Scilicet *interlinearis*.

[9] Vers. 14. seq. — Sequitur II. Cor. 9, 7. — Superius pro *venale* Vat. *velatum*.

trigesimo secundo[1] dicitur de Ezechia, quod « non iuxta beneficia, quae accepit a Deo, retribuit, quia elevatum est cor eius ». Unde Christus potest dicere illud Psalmi: « Retribuebant mihi mala pro bonis », et peccator Christo illud primi Regum vigesimo quarto: « Tu tribuisti mihi bona, et ego reddidi tibi mala ». Et eo ipso, si vult Domino reconciliari, oportet, quod ipse benefaciat non tantum benefacienti, sed etiam adversanti; et tale est beneficium caritatis secundum illud primae ad Corinthios decimo tertio[2]: « Caritas patiens est, benigna est ».

Tertium. 80. (Vers. 34.). Non sufficit etiam esse *communicativum respectu recompensantium*, quia hoc est ipsorum feneratorum; unde et subiungit: *Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere*, scilicet recompensationem; *quae gratia est vobis?* quasi dicat: nulla. Et hoc ostendit: *Nam et peccatores peccatoribus fenerantur*, id est, commodant ad usuram; unde subdit: *Ut recipiant aequalia*, scilicet pro servitio, non solum pro debito. Et quia mercedem accipiunt, non habent meritum apud Deum; unde in Psalmo[3]: « Quis ascendet in montem Domini »? et subditur: « Qui pecuniam suam non dedit ad usuram et munera super innocentem non accepit ». Alioquin in montem Domini non ascendit; unde Ezechielis decimo octavo[4] ille iustificatur, de quo dicitur: « Qui ad usuram non accommodaverit et amplius non acceperit »; et ille e contrario, qui amplius accipit, reprobatur ibidem. Unde talibus potest dici illud Aggaei primo[5]: « Respexistis ad amplius, et ecce, factum est minus », quia in Psalmo dicitur: « Nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis ». Tales feneratores inter peccatores computantur, quia sunt oppressores aliorum; unde Proverbiorum vigesimo secundo[6]: « Qui accipit mutuum servus est fenerantis ». Et propterea inhibetur Exodi vigesimo secundo: « Si pecuniam mutuam dederis pauperi, non urgebis eum quasi exactor nec usuris opprimes ».

Difficultas solvitur. 81. Sed contrarium huius videtur dici Deuteronomii vigesimo tertio[7]: « Non fenerabis fratri tuo, sed alieno ». — Sed intelligendum est, quod hoc est malum *secundum se;* sed permisit illis Lex hoc, sicut et libellum repudii, propter vitationem maioris mali[8]. — Ratio autem huius prohibitionis est multiplex: tum quia pecunia propter accommodationem non deterioratur; tum quia de se non fructificat, sed tota ratio utilitatis est ex parte utentis; tum quia continue consumit et devastat, et ita commodum mutui convertitur in incommodum damni; tum quia in mutuo pecuniae transit rei mutuatae dominium, quia non tenetur eandem[9] numero reddere; tum quia totum transfertur periculum in eum qui fuerat mutuatus; tum etiam, quia in tali modo mutuandi plus diligitur nummus quam proximus, dum nummos proximo accommodat non ex amore proximi, sed ex amore nummi.

Rationes contra usuram.

De tertio tanguntur tria. 82. (Vers. 35.). *Verumtamen diligite inimicos* etc. Hic post promulgationem et probationem resumit *mandata approbata cum ratione movente.* Sunt autem tria, quae debent nos movere ad praedicta facienda, scilicet *auctoritas praecepti*, *immensitas praemii* et *sublimitas exempli.* Primum movet irascibilem, secundum concupiscibilem, tertium vero rationalem.

Primo movet auctoritas praecepti. Resumit igitur praedicta documenta per *modum praecepti*, cum ait: *Verumtamen diligite inimicos vestros et*[10] *benefacite*, scilicet ut non « diligatis verbo neque lingua, sed opere et veritate », primae Ioannis tertio. Et hoc imperando dicit, quia, sicut dicitur Ioannis decimo quinto, « hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos ». Ipse autem dilexit non solum affectu, sed etiam effectu, sine aliqua spe retributionis. — Ideo additur: *Et mutuum date, nihil inde sperantes*, scilicet recompensationis; Deuteronomii vigesimo tertio[11]: « Fratri tuo absque usura id quod indiget, accommodabis, ut benedicat tibi Dominus », id est, non quaeras retributionem de hoc ab homine, sicut usurarii, qui propter spem usurae perdunt spem vitae aeternae; contra quos Apostolus primae ad Corinthios decimo quinto[12] ait: « Si tantum in hac vita sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus ». Tales sunt divites, qui in divitiis sperant; talium « spes est vacua et labores sine fructu », Sapientiae tertio. Et ideo Ecclesiastici trigesimo primo: « Beatus dives, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua ».

De duplici spe in mutuo. 83. Nota, quod *spes in mutuo* potest esse ad simile *obsequium*, vel ad *lucrum*. Primo modo licet;

---

[1] Vers. 25. — Duo seqq. loci sunt Ps. 34, 12. et I. Reg. 24, 18.

[2] Vers. 4.

[3] Psalm. 23, 3, post quem Ps. 14, 5. — Vat. pro Ps. 23, 3: *Quis ascendet* etc. (quem allegant codd.) substituit initium Ps. 14: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo* etc.; in qua lectione servatur proprius sensus verbi *subditur.*

[4] Vers. 8, cui subiungitur v. 9: Hic iustus est, vita vivet etc. Ibid. v. 13: Ad usuram dantem et amplius accipientem, numquid vivet? non vivet etc.

[5] Vers. 9, post quem Ps. 75, 6.

[6] Vers. 7. — Sequitur Exod. 22, 25.

[7] Vers. 19. et 20. Pro *fenerabis* plures codd. *feneraberis.*

[8] Cfr. I. Sent. d. 47. q. 4. et IV. Sent. d. 33. a. 3. q. 1. seq.

[9] Cod. A omittit *eandem*, pro quo C H *tantum idem*, D *idem.* Cfr. III. Sent. d. 37. dub. 7. in fine, ubi praeter alias rationes contra usuram haec affertur: quia in mutuatione pecuniae transfertur pecunia in dominium alienum. Et huius signum est, quia non tenetur illam eandem numero reddere, sed illi consimilem; in accommodatione autem domus vel equi dominium non transfertur.

[10] Vulgata omittit *et*, quod tamen exhibent Beda, Card. Hugo et B. Albert. — Duo seqq. loci sunt I. Ioan. 3, 18. et Ioan. 15, 12.

[11] Vers. 20.

[12] Vers. 19. — Subinde allegantur Sap. 3, 11. et Eccli. 31, 8. seq.

Duplex subdivisio.

secundo modo potest esse dupliciter: vel *expressa* per pactum, et haec simpliciter est prohibita, quia facit usurarium; vel *tacita* in corde, et hoc modo dupliciter: vel *principaliter movens* ad mutuum, et haec similiter prohibita, quia contra mandatum divinum est; vel *non principaliter movens,* sed quasi annexa, quia, licet non faciat propter commodum principaliter vel lucrum, credit tamen, accipientem non esse sibi ingratum, et ideo facit libentius. Hic vero non est talis spes commodi contra divinum mandatum [1].

Secundo, motivum praemium.

84. Secundo subdit rationem motivam *ex parte praemii,* cum adiungit: *Et erit merces vestra multa;* Ecclesiastici duodecimo [2]: « Benefac iusto, et invenies retributionem magnam, et si non ab ipso, certe a Domino ». Et dicitur retributio *multa* et *magna,* quia aeterna merces omnia bona continet in excellentia, secundum illud Psalmi: « Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te »! Et vere *magna* et *multa* et *abscondita,* sed promissa, quia, primae ad Corinthios secundo [3] et Isaiae sexagesimo quarto, « oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se ».

Tertio, exemplum.

85. Tertio subiungit rationem motivam *ex parte exempli,* cum subdit: *Et eritis filii Altissimi,* scilicet per imitationem, secundum illud ad Ephesios quinto [4]: « Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi ». Sicut filii debemus Deum imitari, quia accepimus *gratiam fidei,* de qua Ioannis primo [5]: « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius ». Accepimus etiam ab eo *spiritum adoptionis filiorum,* secundum illud ad Romanos octavo: « Non accepistis spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum ». Et ideo debemus Deum imitari, sicut filius patrem, secundum illud Ioannis octavo [6]: « Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite ». — Et propterea ad exemplum eius debemus vivere; quod adiungit, cum addit: *Quia ipse benignus est super ingratos et malos,* secundum illud Ioelis secundo [7]: « Benignus et misericors est, patiens et multae misericordiae et praestabilis super malitia ». Et haec benignitas se ad ingratos et malos extendit; ad Romanos secundo: « An ignoras, quod Dei benignitas ad poenitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddit unicuique secundum opera eius ». Et propterea dicitur secundae ad Timotheum tertio [8]: « Mali et seductores proficient in peius »; Ecclesiastae octavo: « Etenim, quia non profert cito contra malos sententiam, filii hominum absque ullo timore perpetrant mala ». Ab his omnibus malis liberat et salvat divina benignitas, excedens nostram malitiam; ad Titum tertio [9]: « Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei ».

De quarto tanguntur tria.

86. (Vers. 36.). *Estote ergo misericordes* etc. Postquam evangelicas leges promulgavit et probavit et etiam resumsit cum ratione movente, hic tandem *concludit pro retributione consequente* [10], quam ostendit sequi opera nostra in *sententia iudiciali,* in *gloria caelesti* et in *poena infernali;* in *iudicio* quidem respectu universorum, in *praemio* respectu bonorum et in *supplicio* respectu peccatorum.

Primo, praedicit iudicium.

Concludit igitur primo, quod debemus praemissa mandata implere secundum formam praescriptam, *praedicendo iudicialem sententiam,* cum dicit: *Estote ergo misericordes,* scilicet in exhibendo vos proximis *benevolos, pacificos* et *beneficos;* in quo tangit mandatorum praedictorum *substantiam.* — *Sicut et Pater vester misericors est,* in quo tangit *formam* sive circumstantiam, quia ipse non tantum amicis, sed adversariis condescendit. Hoc quippe necessarium est, secundum illud Matthaei decimo octavo [11]: « Oportuit, et te misereri conservi sicut et ego tui misertus sum ». Unde illam misericordiam exigit, quam impendit; et secundum illam quam impendimus, in iudicio rependit, secundum illud Ecclesiastici quarto: « In iudicando esto pupillis misericors ut pater, et pro viro matri illorum; et eris tu velut filius Altissimi, et miserebitur tui magis quam mater »; Iacobi secundo: « Iudicium sine misericordia ei qui non fecerit misericordiam ».

Iudicii sententia respondet quatuor actibus.

Et ideo addit *retributionem iudicii* correspondentem operibus meriti secundum quadruplicem differentiam actus, scilicet *iudicandi, condemnandi, dimittendi* et *donandi;* quorum primus est *aequitatis,* secundus *severitatis,* tertius *pietatis* et quartus *liberalitatis.*

De 1. actu.

87. (Vers. 37.). Primum notatur cum subdit: *Nolite iudicare, et non iudicabimini;* Matthaei septimo [12] dicitur: « In quo iudicio iudicaveritis,

---

[1] Cfr. Alex. Hal., S. p. III. q. 36. m. 4. a. 1. — Superius A C D omittunt *accipientem,* pro quo H *illum,* qui etiam subinde pro *et ideo facit* substituit *et ideo mutuat sibi.*

[2] Vers. 2. — Sequitur Ps. 30, 20.

[3] Vers. 9. et Isai. 64, 4.

[4] Vers. 1.

[5] Vers. 12. — Subinde allegatur Rom. 8, 15.

[6] Vers. 39. — Ambros., V. in Luc. n. 78: Et tamen, quoniam studia ipsa virtutum sine remuneratione torpescunt, et exemplum nobis attulit et mercedem spopondit e caelo, filios Dei futuros pollicens, qui fuerint imitatores eius. Qui enim festinat ad praemium fastidire non debet exemolum etc.

[7] Vers. 13. — Sequitur Rom. 2, 4-6.

[8] Vers. 13, post quem Eccle. 8, 11.

[9] Vers. 4.

[10] Vat.: *hic tandem Salvator noster concludit per retributionem consequentem,* quae etiam subinde vocibus *opera nostra* praefigit *bona et virtuosa.* Superius voci *Postquam* H addit *Salvator.*

[11] Vers. 33. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 4, 10. seq. et Iac. 2. 13. — Superius vocibus *sed adversarii* B H interserunt *etiam.*

[12] Vers. 2. — Superius pro *Primum notatur, cum subdit* H *Quantum ad primum dicit,* Vat. *Retributionem per actum iudicandi describit primo, cum subditur.*

De 2. actu. iudicabimini ». — Et quia non intelligit de quocumque iudicio, sed de eo quod a pietate deviat in crudelitatem; ideo adiungit: *Nolite condemnare, et non condemnabimini;* ad Romanos secundo [1]: « In quo alterum iudicas, te ipsum condemnas », quia, sicut dicitur Proverbiorum decimo septimo, « et qui iustificat impium, et qui condemnat iustum, uterque est abominabilis apud Deum ». — Unde revocat a iudicio iniquitatis et hortatur ad beneficium pietatis, quod consistit in *dimittendo* et *dando:* in dimittendo iniuriam et in dando indulgentias, vel in dimittendo

De 3. actu. mala commissa et in dando bona concessa. — Quantum ad *dimissionem malorum* adiungit: *Dimittite, et dimittetur vobis* [2]. Alioquin non salubriter oratis, Matthaei sexto: « Dimitte nobis debita nostra » etc.; et post: « Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra ». Unde Ecclesiastici vigesimo octavo: « Relinque proximo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata tua solventur ».

De 4. actu. 88. (Vers. 38.). Quantum ad *collationem bonorum* subditur: *Date, et dabitur vobis,* scilicet in iudicio, in quo dicetur illud Proverbiorum ultimo [3]: « Date illi de fructu manuum suarum » etc., quia, Matthaei vigesimo quinto, « habenti dabitur, et abundabit ». Illa enim sola homo secum habet, quae pro Deo dedit, secundum illud Ecclesiastici decimo septimo [4]: « Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit, et postea resurget et retribuet ». Et ideo hoc attendens Zachaeus dicebat, infra decimo nono: « Ecce, dimidium bonorum meorum do pauperibus ».

Notandum. In summa nota hic, quod non prohibetur hic iudicium quodcumque, scilicet *deliberatum, ordinatum* et *iustum,* sed *usurpatum, temerarium* et *iniquum. Usurpatum* autem dico, quando non est officium nec auctoritas in iudicante; *temerarium,* quando est de re, quae non constat, sed procedit ex sola suspicione; *iniquum,* quando est contra ius divinitus approbatum; et tale iudicium hic prohibetur, non primum [5].

Secundo, promittit gloriam. 89. Secundo, *promittendo supercaelestem gloriam* secundum mensuram perfectam, cum adiungit: *Mensuram bonam* etc. Et nota, quod ponit hic quatuor conditiones secundum quatuor partes beatitudinis, quarum prima est in gaudio *interiori* in beatitudine animae; propter quam dicit: *Mensuram bonam,* quia, secundum Psalmum [6], tunc « replebitur in bonis desiderium tuum »; et dices cum Petro, Matthaei decimo septimo: « Domine, bonum est nos hic esse », quia eadem erit « mensura hominis tunc, quae et Angeli », Apocalypsis vigesimo primo. — Secunda, ex gaudio *inferiori* in glorificatione corporis; propter quod dicit: *Confertam* [7], a *con* et *farcio, farcis;* Iob quinto: « Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus in tempore suo ». — Tertia, ex gaudio *exteriori,* scilicet ex societate Sanctorum et renovatione omnium creaturarum; propter quod addit: *et coagitatam;* Iob vigesimo secundo [8]: « Argentum tuum et aurum coacervabitur tibi », id est, imperfecti et perfecti in merito omnes colligentur in unum gaudium. — Quarta, ex gaudio *superiori* in visione Dei; propter quod dicit: *et supereffluentem;* Iob vigesimo secundo [9]: « Tunc super Omnipotentem deliciis afflues ». — Et de hoc quadruplici gaudio in praemio aeterno potest exponi illud ad Ephesios tertio: « In caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere, quae sit longitudo » gaudii *interioris,* « latitudo » *exterioris,* « sublimitas » *superioris* et « profunditas » *inferioris.* — Hanc quidem mensuram *dabunt in sinum vestrum,* illi scilicet, quibus misericordiam facitis in praesenti, secundum illud quod infra decimo sexto dicitur [10]: « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis » etc. Et tales sunt *pauperes,* quos fecit Dominus iudices; Iob trigesimo sexto: « Iudicium pauperibus tribuet ». Hanc *dabunt in sinum,* id est in animae capacitatem stabilem et intrinsecam; Iob decimo nono [11]: « Reposita est haec spes mea in sinu meo »; quam si vis habere, fac consilium Sapientis, Ecclesiastici vigesimo nono: « Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et haec pro te exorabit ab omni malo ».

Proprietates 4 secundum 4 partes beatitudinis. Prima. — Secunda. — Tertia. — Quarta.

Tertio, comminatur poenam. 90. Tertio, *comminando infernalem poenam* secundum aequiparantiam ad culpam, cum adiungit: *Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis,* scilicet

---

[1] Vers. 1, post quem Prov. 17, 15.

[2] Ita etiam Card. Hugo, B. Albert. et Lyranus; Vulgata *et demittemini.* — Sequuntur Matth. 6, 12. et 15; Eccli. 28, 2.

[3] Vers. 31, post quem Matth. 25, 29.

[4] Vers. 18. seq. Cfr. supra pag. 140, nota 6. — Sequitur Luc. 19, 8.

[5] Cfr. Alex. Hal., S. p. II. q. 118. seq. — Superius pro *quando non est officium nec auctoritas in iudicante* Vat. *quando non officium nec auctoritas imminet.*

[6] Psalm. 102, 5: *Qui replet in bonis* etc. (C D *implebitur),* post quem Matth. 17, 4. et Apoc. 21, 17. — Superius post *quod ponit hic* Vat. prosequitur *quatuor dictiones, secundum quatuor conditiones beatitudinis.*

[7] Vulgata et H *et confertam.* — Sequitur Iob 5, 26. Gregor., VI. Moral. c. 37. n. 62: Potest etiam per *sepulcrum...* requies aeternae et intimae retributionis intelligi... *In abundantia* ergo *sepulcrum* ingreditur, qui post congesta vitae praesentis opera, mutabilitati suae plene mortuus in secreto veri luminis occultatur etc.

[8] Vers. 25, ubi Vulgata: *Et argentum coacervabit tibi;* in versu tamen praecedenti habetur: « Dabit pro terra silicem et pro silice *torrentes aureos* ». — De hoc gaudio cfr. III. Sent. d. 31. a. 3. q. 3. ad 3; IV. Sent. d. 49. p. 1. q. 6. ad 4. et d. 50. p. I. a. 1. q. 3. ad 4; Breviloq. p. VII. c. 7, ubi etiam aliae partes gaudii caelestis tanguntur, quae profusius exponuntur Soliloq. c. 4. De gaudio ex renovatione creaturarum cfr. IV. Sent. d. 48. dub. 6.

[9] Vers. 26. Auctor libri de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 65: *Mensuram,* ait Dominus, *bonam dabit in sinus vestros, confertam* in interiore homine, *coagitatam* in exteriore, *supereffluentem* in ipso Deo. — Subinde allegatur Eph. 3, 17. seq.

[10] Vers. 9. — Sequitur Iob 36, 6.

[11] Vers. 27, post quem Eccli. 29, 15.

nocendo vel male agendo sive demerendo, *remetietur*[1] *vobis*, iuxta illud Deuteronomii vigesimo quinto: « Iuxta mensuram delicti erit et plagarum modus »; et Apocalypsis decimo octavo: « Quantum se glorificavit et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et luctum »; et hoc est quod comminatur Dominus Ioelis tertio: « Cito velociter reddam vicissitudinem vobis in caput vestrum ».

Aequalitas mensurae determinatur.

91. Retribuit autem Dominus in mensura *aequali*, pensato *reatu*, sed in *maiori*, pensata *duratione*, quia cito transit delectatio, sed sempiterna manet punitio; Iob septimo[2]: « Sicut consumitur nubes et pertransit, sic qui descendit ad inferos non ascendet nec revertetur ultra in domum suam ». In *minori* vero, pensata *offensa*, quia qui contra omne bonum peccavit omni bono debet *privari*, secundum illud Threnorum tertio[3]: « Misericordiae Domini, quia non sumus consumti, quia non defecerunt miserationes eius ». — Rursus, qui peccat in bonum infinitum *intensive* et *extensive*, deberet utroque modo infinite puniri; et quia non potest creatura habere infinitatem *intensionis*, suscipit alteram, scilicet infinitatem *durationis* cum finitate *acerbitatis*. Unde Augustinus[4]: « Non actus temporalis facit, ut peccatum mortale aeternaliter puniatur, sed circumstantia illius, in quem peccatur »; qui cum sit aeternus, implentibus mandata bona promittit aeterna, peccantibus vero poenam comminatur aeternam ». Et ideo Augustinus: « Dignus est malo aeterno, qui in se perimit bonum, quod posset esse aeternum ». Et Gregorius[5] dicit hoc ipsum: « Iuste qui aeternaliter peccato perfrui volunt aeternaliter poenam inveniunt, et quorum voluptas non habuit finem peccandi non habebit finem torquendi ». — Licet igitur *poena* sit maior *voluptate* et minor *offensa*, attamen aequatur *reatui obligationis* necessario. Nec mirum, si actionem temporalem comitatur reatus perpetuus, quia in contractu temporalis est actio, et tamen ius perpetuum acquirit emptori[6]; vulneratio etiam temporalis ad mortem deducit perpetuam, et bellum diurnum acquirit perpetuam servitutem, et temporale peccatum exsilium sempiternum.

Notandum.

In parte 2. documenta similitudinaria traduntur quadrupliciter.

92. *Dicebat autem illis et similitudinem.* Post praecepta propria et expressa subiungit hic Evangelista documenta Domini *similitudinaria* et translata, in quibus Dominus quadrupliciter nos informat. Primo namque *retrahit a vanitate praesidendi.* Secundo vero *revocat a temeritate iudicandi*, ibi[7]: *Quid autem vides festucam* etc. Tertio *informat ad prudentiam discernendi*, ibi: *Non enim est arbor bona* etc. Quarto vero *invitat ad diligentiam operandi*, ibi: *Omnis, qui venit ad me* etc.

De primo tanguntur tria.

Primo ergo *retrahit a vanitate praesidendi* ex consideratione triplici, scilicet ex consideratione *periculi declinandi* et *vitii detestandi* et *exempli imitandi.*

Primo retrahitur consideratione periculi.

93. (Vers. 39.). *Declinandum* namque est *ruinae periculum*, quod imminet praesidenti superbe; propter quod dicit: *Nunquid potest caecus caecum ducere?* quasi dicat: non potest sane propter periculum ruinae, quod adiungit: *Nonne ambo in foveam cadunt?* Sed homo praesumtuosus caecus est, secundum illud Apocalypsis tertio[8]: « Dicis, quod dives sum et locupletatus et nullius egeo; et nescis, quia tu es miser et miserabilis et pauper et caecus et nudus ». De tali ad Romanos secundo: « Confidis, te ipsum ducem esse caecorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium ». « Qui ergo alios doces te ipsum non doces »; quasi dicat: caecus es. — Et ideo, qui ambit et praesumit aliis praeferri, cum sit caecus, se et alios in praecipitium demergit; unde Ieremiae quinquagesimo[9]: « Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos ». Et ratio huius redditur Ieremiae decimo: « Stulte egerunt pastores et Dominum non requisierunt; propterea non intellexerunt, et omnis grex eorum dispersus est ». Et ideo subdit: *Ambo in foveam cadunt.* Et hoc est quod dicit Gregorius[10]: « Dum pastor per abrupta vitiorum graditur, necesse est, ut grex in praecipitium trahatur ». Et tales maledictionem Domini merentur, secundum illud Deuteronomii vigesimo septimo: « Maledictus, qui errare facit caecum »; sicut et lucifer, qui voluit aliis praeesse, et qui ei adhaeserunt omnes corruerunt in

De ambitione praesidendi.

---

[1] Plures codd. *retribuetur.* — Tres seqq. loci sunt Deut. 25, 2; Apoc. 18, 7. et Ioel 3, 4.

[2] Vers. 9. et 10.

[3] Vers. 22. Supra pro *privari* C D F H *puniri.*

[4] Principia huius et sequentis sententiae proponuntur ab August., XXI. de Civ. Dei, c. 11. seq., ubi docet, iustitiam expostulare, quod quandoque extensiora, immo aeterna sint poenarum tempora, quam fuerint peccatorum (quia scelus « non temporis longitudine, sed iniquitatis et impietatis magnitudine metiendum ») et subinde (c. 12.) ait: « Quanto enim magis homo [primus] fruebatur Deo, tanto maiore impietate dereliquit Deum et factus est malo dignus aeterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse posset aeternum ». Vide etiam Epist. 102. (alias 49.) q. 4, ubi (n. 26. seq.) ait: Ex qualitatibus quippe voluntatum, non ex temporum spatiis, sive recte facta sive peccata metimur. Alioquin maius peccatum haberetur arborem deiicere, quam hominem occidere. Illud enim fit longa mora, ictibus multis, hoc uno ictu, brevissimo tempore... In eadem igitur mensura, quamvis non aeternorum malefactorum, aeterna supplicia remetiuntur, ut, quia aeternam voluit habere [voluntas] peccati perfructionem, aeternam vindictae inveniat severitatem. Cfr. tom. IV. pag. 922, nota 3. 4. et 7.

[5] Libr. XXXIV. Moral. c. 19. n. 36. et IV. Dialog. c. 44. (cfr. tom. IV. pag. 922, nota 2.). Verbotenus haec sententia habetur in Glossa *ordinaria* super Matth. 7, 2.

[6] Pro *emptori* in D substitutum est *emptor.*

[7] Vers. 41; tertium habetur v. 43. et quartum v. 47. Superius et aliquanto inferius pro *praesidendi* Vat. *possidendi.*

[8] Vers. 17. — Sequitur Rom. 2, 19-21. (de v. 20. plura omittuntur).

[9] Vers. 6, post quem 10, 21.

[10] Regul. pastor. p. I. c. 2. Cfr. etiam tom. VI. pag. 146, nota 3, ubi allegatur XXIV. Moral. c. 25. n. 53. — Subinde allegatur Deut. 27, 18.

foveam, secundum illud Isaiae decimo quarto[1]: « Quomodo cecidisti, lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes »?

Item, retrahitur consideratione vitii detestandi.

94. (Vers. 40.). *Detestandum* etiam est *superbiae vitium,* quod adiacet volenti praesidere; propter quod subdit: *Non est discipulus supra*[2] *magistrum,* scilicet secundum rectum ordinem. Qui ergo, magistro subiacente, cupit praeesse, magistrum suum contendit praecedere. Unde Bernardus: « Quoties hominibus praeesse desidero, toties Deum meum praeire contendo, et tunc non sapio quae Dei sunt ». Et hoc est quod dicit Dominus discipulis Ioannis decimo tertio[3]: « Amen dico vobis, non est maior servus domino suo, neque apostolus maior eo qui misit eum ». Qui ergo vult aliis superefferri ignorat doctrinam Christi; Matthaei undecimo: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde »; aut si aliquando novit, in apostasiam cadit, iuxta illud quod dicit Gregorius[4]: « Quoties pastor praeesse aliis delectatur, toties in apostasiae crimen dilabitur ». Desinit autem esse discipulus, dum vult dominari et magister aliorum vocari, contra illud Matthaei vigesimo tertio: « Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est, Christus ».

Item, consideratione exempli imitandi.

95. *Imitandum* est *vitae perfectae exemplum,* quod consistit in volendo subiacere; propter quod dicit: *Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius,* Christus scilicet, qui « non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis », Matthaei vigesimo[5]. Et ideo dicitur infra vigesimo secundo: « Qui maior est in vobis fiat sicut minor, et qui praecessor, sicut ministrator ». Et ratio redditur: « Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat ». Et hoc ipse ostendit eis per exemplum, Ioannis decimo tertio[6]: « Postquam lavit pedes », subditur: « Scitis, quid fecerim vobis? Vos vocatis me *magister* et *domine;* et bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros » etc. Et post subditur: « Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis ». Et ad hoc perfectum exemplum invitat Apostolus ad Philippenses secundo: « Nihil, inquit, per contentionem neque per inanem gloriam operantes, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes ». « Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Iesu », de quo subdit, quod, « humiliavit semetipsum » etc.

De secundo tanguntur tria.

96. (Vers. 41.). *Quid autem vides festucam* etc. Hic *revocat a temeritate iudicandi,* quod quidem facit ostendendo eum qui temere iudicat, *iniquum* in cogitatione, *indiscretum* in locutione, *inordinatum* in operatione.

Temere iudicans est iniquus in cogitatione.

Ostendit igitur primo temere iudicantem *iniquum in cogitatione,* quia non iudicat *aequaliter;* propter quod dicit: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui?* tu scilicet, qui iudicas. *Festucam* vocat leve peccatum, quod quis reprehendit in alio, magnum negligens in se ipso; quantum ad quod addit: *Trabem autem, quae in oculo tuo est, non consideras; trabem,* id est magnum peccatum; ex quo colligitur, quod sic iudicantis iniquum est iudicium, quia, sicut dicitur Proverbiorum vigesimo[7], « abominatio est apud Deum pondus et pondus ». Non habet *aequale pondus* qui magis ponderat culpam in alio quam in se; et talis dicitur *abominabilis,* quia dupliciter peccat: et se ipsum, qui est superbus et impius, *iustificando,* et suum proximum *condemnando;* unde Proverbiorum decimo septimo[8]: « Et qui iustificat impium, et qui condemnat iustum, uterque est abominabilis apud Deum ». Et sanum est consilium, aliis indulgere et semetipsum considerare et diiudicare, secundum illud ad Galatas sexto: « Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris » etc. « Nam qui putat, se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit ». Et ideo talis *trabem habet in oculo,* id est superbiam excaecantem, sicut Balaam, Numerorum vigesimo quarto[9]: « Dixit homo, cuius obturatus est oculus »; cuius obturatio est valde gravis in iudicando iniquum; Ecclesiastici trigesimo primo: « Nequius oculo quid creatum est »? Et merito, quia, sicut dicitur infra undecimo, « si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit ».

Item, indiscretus in locutione.

97. (Vers. 42.). Secundo ostendit, *indiscretum* esse *in locutione,* quia non loquitur *rationabiliter;* propter quod subdit: *Aut quomodo potes dicere fratri tuo,* exterius scilicet alloquendo: *Frater, sine, eiiciam festucam de oculo tuo,* in reprehendendo et corrigendo; *ipse autem*[10] *in oculo tuo trabem non videns?* peccatum gravissimum in te non attendendo, quasi dicat: non potes hoc rationabiliter dicere. Poterit enim tibi dici: Quid alium iudicas, te ipsum non iudicas? « Qui alium doces te ipsum non doces »? ad Romanos secundo; et illud supra quarto: « Medice, cura te ipsum ». Unde talis admonitio potius merito despicitur, quam auditur,

---

[1] Vers. 12.

[2] Vulgata et H *super*. — Sententia Bernardi, in cuius fine respicitur Matth. 16, 23., habetur Homil. I. super *Missus est,* n. 8. Cfr. supra pag. 68, nota 9.

[3] Vers. 16. — Sequitur Matth. 11, 29.

[4] Libr. XXIV. Moral. c. 25. n. 52. Cfr. tom. VI. pag. 145, nota 3. — Subinde allegatur Matth. 23, 10. — Superius pro *aliquando novit* Vat. *aliud novit.*

[5] Vers. 28, post quem Luc. 22, 26. et 27.

[6] Vers. 12. seqq. et 15. — Sequitur Phil. 2, 3. 5. et 8.

[7] Vers. 23. Theophylact., in Luc. 6, 41: *Quid autem vides,* inquit, *festucam,* hoc est parvum peccatum fratris tui, *trabem autem,* magnum peccatum tuum, *non advertis?*

[8] Vers. 15. — Subinde allegatur Gal. 6, 1-3.

[9] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 31, 15. et Luc. 11, 34.

[10] Vulgata omittit *autem,* codd. vero omittunt *tuo* et pro *videns* substituunt *vides.* — Sequuntur Rom. 2, 21. (Codd. *quid alium*) et Luc. 4, 23.

secundum illud Gregorii [1]: « Cuius vita despicitur, restat, ut eius praedicatio contemnatur », quia:

« Turpē est doctori, dum culpa redarguit ipsum ».

Chrysostomus [2]: « Quare in alienis vides tam parva peccata, et in te tam magna transcurris »? Ecclesiastici trigesimo quarto: « Ab immundo quis mundabitur, et a mendace quid verum dicetur »? Et ideo in Psalmo: « Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas »?

Item, inordinatus in operatione.

98. Tertio vero ostendit *inordinatum in operatione*, quia postponit illud, ad quod tenetur principaliter; propter quod dicit: *Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo. Hypocritam* vocat talem iudicem temerarium, quia in *iudicando ālios* ostendit et praetendit zelum iustitiae, et *se ipsum non iudicando* habet vitium intus latens. Unde Gregorius [3]: « Hypocrita ceteros reprehendit, ut in aliorum comparatione ipse sanctior videatur ». Vel *hypocritam* vocat, quia, exteriora ponderans, interiora negligit, quae sunt magis ponderanda, secundum illud Matthaei vigesimo tertio [4]: « Vae vobis, scribae et Pharisaei! hypocritae, qui mundatis quod deforis est calicis et paropsidis, intus autem pleni estis rapina et immunditia. Pharisaee caece! munda prius quod intus est ». Et ideo recte nunc dicit: *Eiice primum*, quia circa hoc principaliter insistendum est, ut trabes, id est grave peccatum, de interiori oculo eiiciatur; Iacobi quarto [5]: « Purificate corda, duplices animo »; quoniam, sicut dicitur Ecclesiastici decimo quarto, « qui sibi nequam est, cui alii bonus erit »? Debet enim caritas esse ordinata, ut primo intendat sibi et post alii, secundum illud primae ad Timotheum quarto: « Attende tibi et doctrinae. Hoc enim faciens, et te ipsum salvum facies et eos qui tecum sunt ». Unde subditur: *Et tunc perspicies*, id est, perfecte aspicies, oculo iam mundato, *ut educas festucam de oculo fratris tui;* Iob vigesimo sexto [6]: « Obstetricante manu, eductus est coluber tortuosus »; unde Glossa: « Non est doctor prius idoneus alii mederi, qui nondum se sanavit ». Unde in omnibus talibus est *ordo* praecipue attendendus; stultus enim est et hypocrita, qui sollicitius curat aliena facta quam propria. Exemplum de Collationibus patrum [7], de eo qui posuit arenam in sacco, quem superposuit humero, habens posterius multum et anterius modicum; et interpretatus est, illud *multum* esse peccata propria, et illud *modicum* esse peccata aliena, sicut facit hypocrita.

De tertio tanguntur tria.

99. (Vers. 43.). *Non est enim arbor bona* etc. Postquam retraxit a temeritate iudicandi, hic *informat ad prudentiam discernendi*, quod quidem facit hoc ordine. Primo enim proponit *similitudinem metaphoricam;* secundo vero elicit *eruditionem explicitam;* tertio vero ex hoc redarguit *simulationem deceptoriam.*

Ad prudentiam discernendi primo informat per similitudinem.

Proponitur ergo *metaphorica similitudo*, cum dicitur: *Non est enim arbor bona, quae facit fructus malos. Enim* non est hic causale, sed continuativum; *arborem* vocat non voluntatem, quae est a Deo; sic est bona, quia a Deo; sed voluntatem, quae non est bona, cum facit malum; nec etiam est mala, cum facit bonum; quantum ad quod addit: *Neque arbor mala faciens fructum bonum.* Conformis est enim voluntas operi, sicut arbor fructui; Proverbiorum duodecimo [8]: « De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis, et iuxta opera manuum suarum retribuetur ei »; quia, sicut dicitur supra tertio, « omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur ». Unde *spiritualiter* arbores fructibus privantur per gelicidium iniquitatis, secundum illud Iudae in Canonica sua [9] de malis: « Arbores sunt autumnales, infructuosae, bis mortuae ». Tunc autem fructibus replentur, cum appropinquant calori caritatis, secundum illud infra vigesimo primo: « Videte ficulneam et omnes arbores; cum producunt ex se fructum, scitis, quia prope est aestas ». Unde prudens considerator arbores discernit per fructum.

Sensus spiritualis.

---

[1] Cfr. supra pag. 43, nota 7. — Cato Dionys., I. Distich. 30:

Quae culpare soles, ea tu ne feceris ipse.
Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

[2] Homil. 23. (alias 24.) in Matth. n. 2. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 34, 4. et Ps. 49, 16.

[3] Cfr. VIII. Moral. c. 42. seqq., ubi vita hypocritarum describitur, et n. 69. inter alia dicitur: « Quid enim cunctis suis operibus hypocrita sperat nisi honoris reverentiam, gloriam laudis, a melioribus metui, sanctus ab omnibus vocari »? Card. Hugo similem sententiam tribuit *Augustino,* secundum quem signum alterum, ex quo hypocritae cognoscuntur, « est facilis reprehensio aliorum, quod faciunt, ut videantur habere zelum ». S. Thom., Catena aurea in Luc. 6, 42. n. 10. Theophylacti hanc sententiam refert: Propter hoc eos Dominus hypocritas vocat, qui ex hoc aliorum peccata iudicant, ut iusti videantur.

[4] Vers. 25. seq.

[5] Vers. 8, post quem Eccli. 14, 5. et I. Tim. 4, 16. — Superius pro *ut trabes* Vat. cum uno alteroque cod. *ut trabs* (teste Forcellini, ab antiquis *trabes* dicebatur pro *trabs*), et inferius pro *ut primo* C H *ut prius.*

[6] Vers. 13. — Sequitur Glossa *interlinearis* in Luc. 6, 42, quae est *ordinaria* in Matth. 7, 5.

[7] Libr. V. de Vitis patrum, libelli 9. n. 9. (Migne, Patrolog. Lat. tom. 73. col. 911; cfr. ibid. n. 4, ubi simile de abbate Moyse narratur): Saccus iste, qui multum habet arenae, mea peccata sunt, et quoniam multa sunt, posui ea supra dorsum, ne doleam pro ipsis et plorem; ista autem arena modica peccata sunt istius fratris et sunt ante faciem meam, et in ipsis exerceor iudicans fratrem; quod non oportet ita fieri, sed mea magis peccata ante me esse et de ipsis cogitare et rogare Deum, ut ignoscat mihi. Audientes autem patres, dixerunt: Vere haec est via salutis.

[8] Vers. 14. — Sequitur Luc. 3, 9. — De expositione huius versus cfr. Chrysost., Homil. 19. in Matth. 7, 18. (Op. imperfect.); Hieron. et Beda, in Matth. 7, 18; August., de Serm. Domini in monte, c. 24. n. 79. seqq.

[9] Vers. 12. — Subinde allegatur Luc. 21, 29. seq.

Arbor ex fructu cognoscitur.

100. (Vers. 44.). Et propterea adiungit: *Unaquaeque enim arbor ex*[1] *fructu suo cognoscitur.* Et hoc est quod dicitur Matthaei septimo: « A fructibus eorum cognoscetis eos », quia, sicut dicitur ad Galatas quinto, « manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus etc. Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax » etc.; unde de viro iusto in Psalmo[2] dicitur: « Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit ». Nec mirum, quia, Sapientiae tertio, « bonorum laborum gloriosus est fructus », sed malorum nullus; ad Romanos sexto: « Quem fructum habuistis, in quibus nunc erubescitis »? Et ideo dicitur de avaro Ecclesiastae quinto: « Qui amat divitias fructum non capiet ex eis ».

Quod probatur dupliciter. Quoad ficus et uvam.

101. Et quod arbor discernatur per fructum, probatur per sensibile experimentum, cum subditur: *Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvam.* Duos ponit fructus praecipue laudabiles, scilicet *ficus* et *uvas;* unde Iudicum nono[3] introducitur ficus et vitis per prosopopoeam loquens; ficus sic: « Nunquid possum deserere dulcedinem meam fructusque suavissimos »? Et vitis sic: « Nunquid possum deserere vinum meum, quod laetificat Deum et homines »? Duo etiam arbusta ponit pessima, scilicet *rubum* et *spinam,* quae gignit terra propter peccata humana, secundum illud Genesis tertio[4]: « Maledicta terra in opere tuo; spinas et tribulos germinabit tibi ».

Quoad rubum et spinam.

Spiritualis horum significatio.

102. Sed *spiritualiter* per *ficum* dulcem intelligitur *dulcedo pietatis,* per *spinas* homines *iracundi* et *schismatici,* qui non possunt aliis compati; secundi Regum vigesimo tertio[5]: « Praevaricatores quasi spinae avellentur universi; et si quis eas tangere voluerit, armabitur ferro et ligno lanceato ». — Per *uvam* intelligitur *perspicua cognitio veritatis,* et per *rubos* homines *haeretici,* a quibus detinentur superbi, secundum illud Genesis vigesimo secundo[6]: « Levavit Abraham oculos suos viditque inter vepres arietem haerentem cornibus ». — Ista duo genera hominum dissipant vineam Domini exercituum, scilicet schismatici et haeretici; Isaiae trigesimo secundo[7]: « Super humum populi mei ascendent spinae et vepres »; Isaiae quinto: « Exspectavi, ut faceret uvas, fecit autem labruscas »; et post: « Ascendent super eam vepres et spinae ».

Ad prudentiam informat secundo eruditione expressa.

103. (Vers. 45.). Secundo autem elicitur *expressa eruditio,* cum adiungitur: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona*[8], ad similitudinem scilicet arboris bonae. *Bonum thesaurum* vocat habitum interioris perfectionis, sive in *affectu,* quantum ad quem dicitur Proverbiorum vigesimo primo[9]: « Thesaurus desiderabilis et oleum in habitaculo iusti »; sive in *intellectu,* quantum ad quem Matthaei decimo tertio: « Omnis scriba doctus in regno caelorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera ». De utroque bono thesauro proferuntur tam opera quam etiam verba; unde Iacobi tertio: « Quis sapiens et disciplinatus est inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiae ».

De bono cordis thesauro.

De malo thesauro.

104. Et sicut bonus homo bonae arbori comparatur, ita et malus malae; unde et addit: *Et malus homo de malo thesauro profert mala*[10]. *Thesaurum malum* vocat malam voluntatem et malam conscientiam; Michaeae sexto: « Adhuc ignis in domo impii et thesauri iniquitatis ». Et certe de malo corde procedunt mala *opera* et immunda *verba;* unde Marci septimo[11]: « De corde hominum procedunt adulteria, fornicationes, homicidia, furta, avaritiae, nequitiae, dolus, impudicitiae; omnia haec mala ab intus procedunt et coinquinant ». Similiter et mala *verba,* secundum illud Proverbiorum decimo quarto: « Testis fidelis non mentietur; profert autem mendacium testis dolosus ». — Et rationem huius ipse reddit, cum subiungit: *Ex abundantia enim cordis os loquitur, bonum* scilicet verbum, aut *malum.* De *bono* Ecclesiastici sexto[12]: « Lingua eucharis in bono homine abundabit »; et de *malo* Proverbiorum decimo quinto: « Mens iusti meditabitur sapientiam, os impiorum redundat malis »; et in eodem: « Os fatuorum ebullit stultitiam ».

Tertio redarguit simulationem.

105. (Vers. 46.). Tertio vero redarguitur *deceptoria simulatio,* cum subiungitur: *Quid autem vocatis me: Domine*[13]*?* scilicet confessione oris, *et non facitis quae dico,* omissione boni operis. Ostensio enim reverentiae in ore falsa est, nisi adsit pariter exhibitio obedientiae in opere; unde de talibus Isaiae vigesimo nono[14]: « Appropinquat populus iste ore suo et labiis suis glorificat me, cor autem eius longe est a me »; et Matthaei decimo quinto: « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me »; et ad Titum primo: « Confitentur, se nosse Deum, factis autem negant ». Et ita est in eis repugnantia, quia verbum indicat bonitatem in corde, et factum ostendit malignitatem in opere. Tales non decipiunt Dominum, sed fallunt semetipsos, secundum

---

[1] Vulgata et H *de*. — Duo seqq. loci sunt Matth. 7, 16. et Gal. 5, 19-22.

[2] Psalm. 1, 3. — Sequuntur Sap. 3, 15; Rom. 6, 21. et Eccle. 5, 9.

[3] Vers. 11. et 13.

[4] Vers. 17. et 18. — Superius pro *Duo etiam arbusta ponit pessima* codd. *Duas etiam arbustas ponit pessimas.*

[5] Vers. 6. seq., ubi pro *avellentur* Vulgata *evellentur.*

[6] Vers. 13. Superius pro *detinentur* A C D *derivantur.*

[7] Vers. 13, post quem 5, 2. (cfr. v. 4.) et 6.

[8] Vulgata et H *bonum.*

[9] Vers. 20. — Duo seqq. loci sunt Matth. 13, 52. et Iac. 3, 13.

[10] Vulgata et H *malum.* — Subinde allegatur Mich. 6, 10.

[11] Vers. 21-23, post quos Prov. 14, 5.

[12] Vers. 5. Pro *eucharis* Vat. *gratiosa,* quae etiam subiungit Eccli. 15, 10: Sapientiae Dei astabit laus, et in ore fideli abundabit. — Duo seqq. loci sunt Prov. 15, 28. et 2.

[13] Vulgata et H repetunt *Domine.*

[14] Vers. 13. — Sequuntur Matth. 15, 8. et Tit. 1, 16. — Superius pro *falsa est* Vat. *fallax est.*

illud Iacobi primo [1]: « Estote factores verbi et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos »; unde Matthaei septimo: « Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum ».

**De quarto agit sub duplici metaphora.**

106. (Vers. 47.). *Omnis, qui venit ad me* etc. Postquam informavit ad prudentiam discernendi, hic invitat ad *diligentiam operandi*, et hoc sub duplici metaphora, in quarum prima *commendat obedientes;* in secunda vero *vituperat negligentes*, ibi [2]: *Qui autem audit et non facit* etc. — Circa *commendationem obedientis* primo praemittit *obedientis actum;* secundo, *modum;* tertio, *fructum.*

**Primo commendat obedientes tripliciter.**

**Quoad actum obedientis tria.**

Quantum ad *actum* igitur *vere obedientis* dicit: *Omnis, qui venit ad me,* scilicet fideliter credendo, *et audit sermones meos,* devote intelligendo, *et facit eos,* scilicet opere complendo; *ostendam vobis, cui sit similis.* Ex quo colligitur, quod vere obedientis est primo *venire* per fidem, *credendo fideliter;* de quo adventu Ioannis sexto [3]: « Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum ». Sic veniunt parvuli, secundum illud Matthaei decimo nono: « Sinite, parvulos venire ad me ». — Deinde *audire, intelligendo vivaciter;* Ecclesiastici tertio [4]: « Auris bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam »; Iacobi primo: « Sit omnis homo velox ad audiendum » etc. — Est tertio vere obedientis *implere efficaciter;* unde Deuteronomii trigesimo [5]: « Iuxta te est sermo valde in ore tuo et in corde tuo, ut facias illum ». Alioquin non iustificaberis apud Dominum, quia, ut dicitur ad Romanos secundo, « factores legis iustificabuntur ».

**Credere fideliter.** **Intelligere vivaciter.** **Implere efficaciter.**

**Quoad ipsius modum docet similitudine.** **Profectus virtutis.**

107. (Vers. 48.). Quantum ad *vere obediendi modum* adiungit documentum similitudinarium de aedificante domum, cum subdit: *Similis est homini aedificanti domum,* per *profectum virtutis;* Proverbiorum vigesimo quarto [6]: « Diligenter exerce agrum tuum, ut postea aedifices domum tuam ». Haec quidem *domus* est conscientia bona; Sapientiae octavo: « Intrans in domum meam, conquiescam cum illa »; Proverbiorum decimo quarto: « Sapiens mulier aedificat domum suam, insipiens exstructam quoque manibus destruit ». — *Qui fodit in altum,* per *descensum humilitatis,* secundum praeceptum Elisei quarti Regum tertio [7]: « Facite alveum torrentis huius fossas et fossas », scilicet per humilitatem in intellectu pariter et affectu. Sed huic respondet superbus illud mali villici, infra decimo sexto: « Fodere non valeo, mendicare erubesco ». Quocontra Isaiae secundo: « Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo a facie timoris Domini » etc. Ille autem altius fodit, qui magis per humilitatem descendit, et huius aedificium altius ascendit, quia « qui se humiliat exaltabitur », infra decimo octavo [8]. — *Et posuit fundamentum supra petram,* per *stabilimentum caritatis,* secundum illud ad Ephesios tertio [9]: « In caritate radicati et fundati ». Haec caritas fundat super Christum, qui est petra solida, secundum illud Isaiae vigesimo octavo: « Ecce, ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum ». Super hunc fundat caritas, dum facit implere eius mandata, secundum illud Ioannis decimo quarto [10]: « Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me ». Et hic est in Christo fundatus; Ecclesiastici vigesimo sexto: « Fundamenta aeterna super petram solidam, mandata Dei in corde mulieris sanctae ». Ambrosius [11]: « Omnium virtutum fundamentum est caelestium obedientia mandatorum ». — Hic est ergo modus vere obediendi divinis praeceptis, ut sit *sedulitas in profectu virtutis,* sit *profunditas in descensu humilitatis,* sit *firmitas in affectu caritatis.*

**Descensus humilitatis.** **Stabilimentum caritatis.** **Notandum.** **Epilogus.**

**Quoad ipsius fructum.**

108. Quantum ad *verae obedientiae fructum* subiungit: *Inundatione autem facta* etc. Observatio namque divinorum mandatorum firmat contra impulsum tentationum, quam designat per *inundationem* quantum ad tentationem *exteriorem* a daemonibus, secundum illud Isaiae octavo [12]: « Adducet Dominus aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum »; et infra: « Et ibit per Iudam transiens et inundans usque ad collum »; hic aperte designat diabolum; et Iob vigesimo primo: « Quoties lucerna impiorum exstinguetur, et superveniet eis inundatio »? — Designat etiam tentationem per *illisionem fluminis,* cum addit: *Illisum est flumen domui illi,* quantum scilicet ad tentationem *interiorem,* scilicet timoris, vel doloris, vel laetitiae, vel amoris; Nahum secundo [13]: « Portae fluviorum apertae sunt »; quod quidem fit, quando ingrediuntur tentationes interius, ut possit clamare illud Psalmi: « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam ». — Sed hae tentationes non praevalent contra divinorum mandatorum observatores; propterea subditur: *Et non potuit eam movere;* Proverbiorum decimo [14]: « Quasi tempestas transiens non erit impius,

**Obedientia firmat contra tentationem exteriorem.** **Item, contra tentationem interiorem.**

---

[1] Vers. 22, post quem Matth. 7, 21.

[2] Vers. 49.

[3] Vers. 44. — Subinde allegatur Matth. 19, 14. — Superius pro *opere complendo* G *opere implendo.*

[4] Vers. 31, post quem Iac. 1, 19.

[5] Vers. 14. — Sequitur Rom. 2, 13.

[6] Vers. 27. — Duo seqq. loci sunt Sap. 8, 16. et Prov. 14, 1.

[7] Vers. 16. — Subinde allegantur Luc. 16, 3. et Isai. 2, 10, ubi pro *timoris* nonnulli codd. *fortitudinis,* pro quo in D secunda manus substituit *formidinis* (ita versio ex Hebr.); Septuaginta: *a facie timoris Domini et a gloria fortitudinis eius* etc.

[8] Vers. 14. — Inferius pro *supra petram* (ita etiam Card. Hugo, B. Albert., Lyranus) Vulgata *super petram.*

[9] Vers. 17. — Sequitur Isai. 28, 16. — Inferius pro *Haec caritas fundat* Vat. cum H *Haec* [H addit *autem*] *caritas fundatur.*

[10] Vers. 21. — Subinde allegatur Eccli. 26, 24. — Superius pro *fundat caritas H fundatur caritas.*

[11] Libr. V. in Luc. 6, 46. n. 82.

[12] Vers. 7. et 8, post quos Iob 21, 17.

[13] Vers. 6. — Sequitur Ps. 68, 2.

[14] Vers. 25, cui subiungitur Ps. 16, 5. — Superius pro *observatores* A C D *conservatores.*

iustus autem quasi fundamentum sempiternum »; in Psalmo: « Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea ». — Huius autem stabilitatis ratio redditur, cum adiungitur: *Fundata enim erat supra firmam petram*[1]. Hinc dicitur de iusto Isaiae vigesimo secundo: « Figam illum paxillum in loco fideli ». Haec quidem *fixio* est per caritatem; ad Romanos octavo: « Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius »? — Verae igitur obedientiae fructus est victoria tentationis exterioris et interioris per virtutem stabilis fundamenti.

Ratio.

109. (Vers. 49.). *Qui autem audit et non facit.* Hic post commendationem vere obedientis subiungit *vituperium negligentis*, praemittens *negligentis vitium*, addens *periculum* et subiungens[2] *praecipitium.*

Secundo vituperatur negligens tripliciter.

Praemittit igitur *negligentis vitium*, cum dicit: *Qui autem audit et non facit*, sicut Balaam, Numerorum vigesimo quarto[3]: « Dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi ». — Hic reprehensibilis est, quod ostendit per simile, cum subdit: *Similis est homini aedificanti domum suam supra*[4] *terram sine fundamento. Terram* vocat locum inconstantem et facile mobilem, secundum illud Psalmi: « Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis, quem proiicit ventus a facie terrae »; Isaiae vigesimo quarto: « Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, et auferetur sicut tabernaculum unius noctis »; Iob quarto: « Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumuntur velut a tinea »! Et hoc est, quia non sunt « in caritate radicati[5] », sed in terrena cupiditate; Sapientiae quarto: « Adulterinae plantationes non dabunt radices ».

Negligentis vitium.

Similitudo.

110. Adiungit *negligentis periculum* in illisione fluminum, cum adiungit: *In quam illisus est fluvius*, id est tentatio impellens, ex qua imminet periculum ruinae; Ezechielis decimo tertio[6]: « Dic ad eos qui liniunt parietem absque temperamento, quod casurus sit paries. Erit enim imber inundans, et dabo lapides praegrandes desuper irruentes et ventum procellae dissipantem ». De talibus Isaiae vigesimo octavo: « Flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem; quandocumque pertransierit, tollet vos ». Hi enim sunt, de quibus dicitur infra octavo[7]: « Ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt »; et hi sunt « qui non habent radices ».

Ipsius periculum.

111. Subiungit postremo *negligentis praecipitium*, cum ait: *Et continuo cecidit, et facta est ruina domus illius magna;* Zachariae decimo quarto[8]: « Erit ruina equi et muli, cameli et asini et omnium iumentorum », id est omnium hominum animalium et negligentium et impiorum; Sophoniae primo: « Haec dicit Dominus: Congregans hominem et pecus, congregans volatilia caeli et pisces maris; et erunt ruinae impiorum, et disperdam homines a facie terrae ». Nec mirum, quia, Proverbiorum quarto[9], « via impiorum tenebrosa; nesciunt, ubi corruant ». — Ex periculo igitur et vituperatione *negligentium* et commendatione *obedientium* sufficienter invitatur ad *diligentiam agendorum*, et in hoc documenta divina habent terminum.

Ipsius praecipitium.

Epilogus.

## Capitulum VII.

**Secundo declaratur sublimitas in Doctore tripliciter.**

1. *Cum autem implesset omnia verba sua* etc. Postquam prosecutus est Evangelista doctrinae Christi veritatem[10], hic ad ipsius commendationem manifestat *Doctoris sublimitatem*, quam ostendit esse praecipuam propter tria, scilicet propter *excellentiam potestatis;* propter *evidentiam veritatis*, ibi[11]: *Et exiit hic sermo* etc.; et propter *affluentiam pietatis*, ibi: *Rogabat autem illum quidam de Pharisaeis.* Excellentia potestatis ostenditur in operando magna miracula; evidentia veritatis, in approbando vera testimonia; affluentia pietatis, in condonando peccata.

**Primo propter excellentiam potestatis probatam per duo miracula.**

Quantum ad primum intelligendum, quod prima pars habet duas secundum duo miracula, quorum primum est *curatio pueri morituri;* secundum est *resuscitatio adolescentis iam mortui*, quae ibi[12] describitur: *Et factum est deinceps* etc. In sanatione namque *morituri* ostenditur dominus *vitae*, qui potest vitam pereuntem salvare; in suscitatione *mortui*, dominus *mortis*, qui potest mortem superare. Item, in *sanatione corporis morituri* ostenditur dominus *corporum*, qui potest corpus reparare; in

---

[1] Ita etiam Card. Hugo; Vulgata *super petram.* — Subinde allegantur Isai. 22, 23. et Rom. 8, 35.

[2] Pro *subiungens* Vat. *negligentis.*

[3] Vers. 16.

[4] Vulgata *super;* cfr. supra pag. 164, nota 8. — Tres seqq. loci sunt Ps. 1, 4; Isai. 24, 19. seq. et Iob 4, 19.

[5] Eph. 3, 17. — Sequitur Sap. 4, 3.

[6] Vers. 11. — Subinde allegatur Isai. 28, 18. seq.

[7] Vers. 13. Codd. allegant Matth. 13, 21, ubi idem, sed aliis verbis dicitur.

[8] Vers. 15, post quem Soph. 1, 3.

[9] Vers. 19. — Inferius pro *invitatur* [C H *invitamur*] *ad diligentiam* Vat. *innuitur diligentia.*

[10] Cfr. supra c. 4. n. 1. et c. 6. n. 24.

[11] Vers. 17; tertium habetur v. 36.

[12] Vers. 11. — Pro *quae ibi* A C D H *quod ibi.*

*suscitatione mortui*, dominus *animarum*, qui potest animas ad corpora revocare.

Primo de curatione pueri morituri tria.

Quantum igitur ad *curationem pueri aegrotantis* mirabiliter consummatam tria introducit Evangelista ad explicationem miraculi facientia. Primum est *opportunitas faciendi miraculum*. Secundum est *dignitas impetrandi remedium*, ibi[1]: *Cum audisset de Iesu, misit* etc. Tertium est *congruitas accelerandi beneficium*, ibi: *Et cum iam non longe esset* etc. — *Opportunitas* autem faciendi miraculum colligitur ex tribus, scilicet ex *temporis commoditate*, ex *loci congruitate* et ex *morbi necessitate*.

Subdivisio primi membri.

Miraculi opportunitatis ratio prima.

2. (Vers. 1.). Primo igitur quantum ad *commoditatem temporis* dicitur: *Cum autem implesset omnia verba sua in aures plebis*, id est post tempus praedicationis et eruditionis perfectae et completae, quae spectat ad illum Doctorem, secundum illud Ecclesiastici quadragesimo tertio[2]: « Multa dicimus et deficimus in verbis, consummatio sermonum ipse est »; ipse scilicet *abbreviatus* in carne, secundum illud Isaiae decimo: « Consummatio abbreviata inundabit iustitiam »; et vigesimo octavo: « Consummationem et abbreviationem audivi a Domino Deo exercituum »; hoc dicebat in persona populi audientis Christum ad quem supra quarto[3] Christus dixit: « Hodie impleta est haec Scriptura in auribus vestris », scilicet Iudaeorum.

Secunda.

Secundo quantum ad *congruitatem loci* subditur: *Intravit Capharnaum*. Dicitur supra quarto[4]: « Quanta audivimus a te facta in Capharnaum »; unde Matthaei undecimo dicitur: « Et tu, Capharnaum, nunquid usque in caelum exaltaberis »? Quod dicit propter multas virtutes, quas ibi fecit. — Ratio huius est, quia haec est civitas Galilaeae, quae erat in confinio gentium et Iudaeorum, ut ostendatur Christus *lapis angularis*, secundum illud ad Ephesios secundo[5]: « Ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem ». Et in hoc impleta est prophetia Isaiae nono: « Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephthalim, et novissimo aggravata est via maris trans Iordanem Galilaeae gentium » etc.

Tertia.

3. (Vers. 2.). Tertio quantum ad *morbi necessitatem* adiungitur: *Centurionis autem cuiusdam servus male habens erat moriturus;* et ita gravem habebat morbum, secundum illud Matthaei octavo[6]: « Puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur ». *Centurionem* autem vocat eum qui praeerat centum militibus; quod faciebant ex industria in proeliis, ut scirent de facili numerum bellatorum; unde erant ibi *tribuni, centuriones, quinquagenarii* et *decani*, qui denominantur a numero eorum quibus praesunt; *tribunus* autem dicitur qui praeest mille. Et hos ad hortationem populi constituere consulebatur Moysi; Exodi decimo octavo[7]: « Constitue ex eis tribunos, centuriones, quinquagenarios et decanos, qui iudicent populum ». — Hic centurio, licet plures haberet servos, hunc carum habebat inter alios, et ideo subdit: *Qui erat illi pretiosus*, id est affectuose dilectus, secundum illud Ecclesiastici trigesimo tertio[8]: « Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua »; quia, secundum illud Proverbiorum decimo septimo, « servus sensatus dominabitur stultis filiis ». Unde servus hic, licet esset infirmus, non tamen erat suo domino onerosus, sed carus propter domini sui pietatem; Proverbiorum duodecimo: « Novit iustus animas iumentorum suorum » etc.

Dignitas impetrandi colligitur ex tribus.

4. (Vers. 3.). *Et cum audisset de Iesu* etc. Post opportunitatem faciendi miraculum subdit hic Evangelista *dignitatem impetrandi remedium*, quam colligit Evangelista ex tribus, scilicet ex *centurionis reverentia* in supplicando, ex *seniorum confidentia* in postulando, ex *Salvatoris clementia* in condescendendo. Quae tria in unum concurrentia dignum faciunt servum aegrotum ad inveniendum remedium sanitatis.

Ex centurionis reverentia.

Quantum igitur ad centurionis *reverentiam supplicantem* praemittit: *Et cum audisset de Iesu*, non solum aure corporis, sed etiam aure cordis, secundum illud ad Romanos decimo[9]: « Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi ». Et quia fides facit cum reverentia accedere, dum admirabilem Dei praedicat maiestatem; ideo subdit: *Misit ad eum seniores Iudaeorum*, quasi ipse non esset dignus accedere nec auderet; sicut filii Israel tempore dationis Legis, Exodi vigesimo[10], dixerunt ad Moysen: « Loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur ». Et hanc causam ipse reddit infra eodem: « Propter quod et me ipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te ». Et ideo illos.

---

[1] Vers. 3: *Et cum* etc.; tertium est v. 6. — Superius omittit Vat. *mirabiliter consummatam.*

[2] Vers. 29. — Duo seqq. loci sunt Isai. 10, 22. et 28, 22. — Superius pro *ad illum Doctorem* B *ad Christum doctorem*, H legit *ad talem doctorem, de quo Eccli. 43. etc.*

[3] Vers. 21. — Pro *persona populi* Vat. *praesentia populi.*

[4] Vers. 23, post quem Matth. 11, 23, ubi etiam dicitur: quia, si in Sodomis factae fuissent *virtutes, quae factae sunt in te*, forte mansissent usque in hanc diem. — Pro *quas ibi fecit* B *ibi factas ab eo.* Superius post *Intravit Capharnaum* Vat. addit *ubi miracula facere consueverat, secundum illud quod.*

[5] Vers. 15. — Sequitur Isai. 9, 1. Cfr. Matth. 4, 12-16, ubi per haec Isaiae verba situs civitatis Capharnaum declaratur.

[6] Vers. 6. — Hieron., II. Comment. in Isai. 3, 2: Quomodo enim centuriones vocantur, qui centum praesunt militibus, et chiliarchi, qui mille, quos nos tribunos appellamus, ab eo quod praesint tribui, sic in Israelitico exercitu quinquagenarii vocabantur, qui in capite erant quinquaginta militum. Unde et decanos dicimus, qui decem praesunt hominibus.

[7] Vers. 21. seq. — Pro *consulebatur*, quod habet D, alii codd. *consulebat*, cui Vat. addit *Iethro.*

[8] Vers. 31. — Duo seqq. loci sunt Prov. 17, 2. et 12, 10.

[9] Vers. 17. — Subinde pro *facit cum reverentia accedere* D *facit eum reverenter accedere.*

[10] Vers. 19, post quem Luc. 7, 7.

misit, non tanquam nuntios inferiores, sed tanquam digniores. Et ideo mittebat *seniores,* quia ipsi sunt pro aetate et sapientia reverendi et audiendi; Iob duodecimo[1]: « In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia ». — Unde per eos Dominum, interpellabat; quod notatur, cum addit: *Rogans eum, ut veniret et sanaret*[2] *servum eius,* secundum illud Ecclesiastici trigesimo octavo: « In tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, et curabit *te* »; similiter et *alium* propter te, quia, Iacobi ultimo, « oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit ipsum Dominus ».

Contrarietas apparens Evangelistarum solvitur.

5. Sed videtur huic contrariari Matthaeus[3], qui dicit, quod « centurio ipse accessit ad Dominum ». — Sed non est contrarietas, quia, sicut Beda[4] ait, Matthaeus loquitur de accessu *per fidem,* Lucas narrat *ordinem rei gestae.* Augustinus[5] etiam dicit, quod secundum communem modum dicitur *accedere* qui incipit ire; dicitur etiam *rogare* qui per alium facit. Unde nulla est contrarietas, sed tunc esset, si diceret Matthaeus, quod corporaliter ad eum pervenisset in propria persona, quod non dicit; sed aliquid dicit, quod stat cum dicto Lucae, et unus alterum explicat et confirmat.

Ex seniorum confidentia.

6. (Vers. 4.). Quantum autem ad *seniorum confidentiam* intercedentem subdit: *At illi, cum venissent ad Iesum, rogaverunt*[6] *eum sollicite,* quia hoc faciebant ex amore et confidentia; ad Romanos duodecimo: « Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes; Domino servientes, orationi instantes, necessitatibus Sanctorum communicantes ». — Et quia potissima ratio impetrandi est meritum eius, pro quo petitur; ideo addunt *dicentes*[7]*: Quia dignus est, ut hoc ei praestes,* et sic iam invenisti quod quaeris, secundum illud Sapientiae sexto de Sapientia: « Quoniam dignos se ipsa circuit quaerens et in viis suis ostendit se illis hilariter et in omni providentia occurrit illis ».

Ratio a senioribus allata.

7. (Vers. 5.). Et ad huius dignitatis comprobationem adiungunt: *Diligit enim gentem nostram,* cum tamen sit alienigena; et ideo tu, qui es de gente nostra, debes eum diligere, secundum quod dicis de te Proverbiorum octavo[8]: « Ego diligentes me diligo ». — Nec tantum « diligit ore vel lingua, sed opere et veritate »; unde et addunt: *Et synagogam ipse aedificavit nobis,* quod quidem magnum beneficium fuit et signum magni amoris. Unde Gregorius[9] de caritate dicit, quod « amor operatur magna, si est; si autem operari renuit, amor non est ». Et quoniam magnam praestat eleemosynam, dignus est, ut magnam ei facias gratiam, ut cognoscat, illud Ecclesiastici duodecimo[10] esse verum: « Benefac iusto et invenies retributionem magnam, et si non ab illo, certe a Domino »; quasi dicant: ostende te Dominum populi nostri, ut facias huic sicut obstetricibus, Exodi primo, quae fecerunt misericordiam cum Hebraeis, de quibus dicitur: « Quia timuerunt obstetrices Deum, aedificavit illis domos ».

Ex Salvatoris clementia.

8. (Vers. 6.). Quantum ad *Salvatoris clementiam condescendentem* subditur: *Iesus autem ibat cum illis,* omnino satisfaciens petitioni eorum. Maluit autem Dominus petitioni eorum satisfacere quam petitioni reguli, Ioannis quarto[11] dicentis: « Domine, descende, priusquam moriatur filius meus », sive propter *maiorem fidem et humilitatem* centurionis, cui Dominus magis condescendebat, secundum illud Ieremiae quinto: « Domine, oculi tui respiciunt fidem ». Sive ad *commendandam humilitatem,* secundum quod dicit Ambrosius[12]: « Ad filium reguli ire noluit, ne divitias honorasse videretur; ad servum vero centurionis vadit, ne servilem conditionem sprevisse putaretur. Elucet fides in operibus, dum sanat; sed plus operatur humilitas in affectibus, dum vadit ». Vel hoc fecit ad *excludendam personarum acceptionem,* secundum quod dicitur Sapientiae sexto[13]: « Pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter est illi cura de omnibus »; unde Actuum decimo: « In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus »; et ideo Iacobi secundo: « Nolite, fratres, in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriae »; quod fit, quando dives praefertur pauperi, sicut dicitur ibidem.

Triplex ratio.

Congruitas accelerandi beneficium comprobatur tripliciter.

9. *Et cum iam non longe esset* etc. Post opportunitatem faciendi miraculum et dignitatem impetrandi remedium subditur hic tertio *congruitas accelerandi beneficium;* quae quidem consistit penes meritum *fidei excellentis,* cuius excellentia tripliciter comprobatur, primo scilicet ex *humilitate confessionis devotae;* secundo, ex *auctoritate testificationis divinae,* ibi[14]: *Quo audito* etc.; et tertio, ex *celeritate curationis optatae,* ibi: *Et reversi qui missi fuerant.*

Primo, ex humilitate confessionis tripliciter insinuata.

Quantum ad *humilitatem devotae confessionis* nota, quod centurio *excellentiam divinae potestatis insinuat* signo, *explicat* verbo et *probat* argumento. *Indicat signo,* cum non audet eum suscipere

---

[1] Vers. 12.

[2] Ita etiam Card. Hugo, B. Albert. et Lyranus; Vulgata *salvaret.* — Duo seqq. loci sunt Eccli. 38, 9. et Iac. 5, 15.

[3] Cap. 8, 5.

[4] Libr. II. in Luc. 7, 3; cfr. Glossa *ordinaria* in hunc loc.

[5] Libr. II. de Consensu Evangelist. c. 20. n. 49. Ibid. n. 50. datur explicatio illa, quam Beda insinuat.

[6] Vulgata et H *rogabant.* — Sequitur Rom. 12, 11. seq.

[7] Vulgata addit *ei,* quae etiam cum H subinde pro *ei* substituit *illi.* — Subinde allegatur Sap. 6, 17. — Pro *quod quaeris* H et Vat. *quem quaeris.*

[8] Vers. 17. — Subinde respicitur I. Ioan. 3, 18: Non diligamus verbo neque lingua, sed opere etc.

[9] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 2.

[10] Vers. 2. — Sequitur Exod. 1, 21. seq.

[11] Vers. 49. — Subinde allegatur Ier. 5, 3.

[12] Libr. V. in Luc. n. 84. Propositio, quae iuxta Bonav. est ultima, in textu originali est prima, et in ea pro *humilitas* substituitur *humanitas.* Sententia Ambrosii exhibetur secundum Glossam *ordinariam* in Luc. 7, 6.

[13] Vers. 8, post quem Act. 10, 34; Iac. 2, 1. et 2. seqq.

[14] Vers. 9; tertium habetur v. 10.

*explicat verbo,* dum dicit, eum omnia posse; *probat argumento,* quia omnia debent ei obtemperare.

10. Propter quod ait: *Et cum iam non longe esset a domo;* prope quidem erat domui corporali, sed propior domui mentali, quia, secundum illud Psalmi [1], « prope est Dominus omnibus invocantibus eum »; quocontra de malis Ieremiae duodecimo: « Prope es tu ori eorum et longe a renibus eorum ». Non talis erat iste; cuius *signum* erat praecipua humilitas, quam ostendit primo *confitendo suam indignitatem,* cum dicit: *Misit ad eum centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari,* quasi dicat: non sum talis, quod propter me debeas laborare et corporaliter fatigari; quia laboriosum erat ei ire, secundum illud Ioannis quarto [2]: « Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem ». — Quod non dicebat, quia recusaret praesentiam Christi corporalem, sed propter suam indignitatem; unde et addit: *Non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres,* quod dicit consideratione suae immunditiae et peccati, sicut et Petrus supra quinto [3]: « Exi a me, Domine, quia homo peccator sum »; secundi Regum vigesimo quarto dixit Areuna regi: « Quid causae est, ut veniat dominus meus rex ad servum suum »? Et haec indignitas non latebat eum per superbiam, sed nota erat per humilitatem praecipuam.

Excellentiam potestatis insinuat signo humilitatis.

Notandum.

11. (Vers. 7.). Propter quod adiungit: *Propter quod et me ipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te.* Hoc *arbitrium* est humilitatis, secundum illud ad Philippenses secundo [4]: « In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes ». Hoc arbitrium erat in Apostolo per veram humilitatem, qui dicebat primae ad Corinthios decimo quinto: « Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus ». Ambrosius [5]: « Militari honore deposito, reverentiam sumit, ad fidem facilis, ad honorificentiam promptus ». Et hoc quidem facit vera humilitas, quia, secundum illud Ecclesiastici tertio, « magna potentia Dei solius, et a solis humilibus honoratur ».

Iudicium humile de se.

12. Unde iste non solum honorificabat Dominum confitendo suam dignitatem, sed etiam *profitendo divinae virtutis sublimitatem,* cum addit: *Sed dic verbo, et sanabitur puer meus,* quasi dicat: « non est apud te impossibile omne verbum [6] », tu es enim illud Verbum, per quod « omnia facta sunt », Ioannis primo. Tu es ille « sermo, qui sanas omnia », Sapientiae decimo sexto; qui « potestate plenus es », Ecclesiastae octavo; qui es « vivus et efficax » etc., ad Hebraeos quarto. *Dic* ergo *verbo, et sanabitur puer meus.*

Profitetur verbo.

13. (Vers. 8.). Et quod illud sufficiat, ostendit *a minori,* cum adiungit: *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus,* et ita aliis me recognosco subiectum, secundum illud ad Romanos decimo tertio [7]: « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit »; sic tamen *subditus,* quod et aliis *praepositus.* Propterea dicit: *Habens sub me milites,* qui scilicet verbo meo obediunt; unde addit: *Et dico huic: Vade, et vadit; et alii: Veni, et venit,* sine contradictione, secundum illud ad Hebraeos ultimo [8]: « Obedite praepositis vestris et subiacete eis ». Et hoc dicit quantum ad maiora ministeria; et quantum ad minora addit: *Et servo meo,* scilicet dico: *Fac hoc, et facit;* infra duodecimo; « Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus eius, invenerit sic facientem », scilicet sicut praecepit. Ex quo arguit, cum ipse sub nulla sit potestate et innumerabiles habeat subditos, quod potest sanare solo verbo; in quo confitetur Iesum Dominum, de quo Ecclesiastici quadragesimo secundo [9]: « Omnia in omni necessitate obediunt ei ».

Probat argumento.

14. (Vers. 9.). Quantum autem ad *auctoritatem divinae testificationis* subditur: *Quo audito, Iesus miratus est,* id est, ad modum admirantis se habuit, non quia hoc esset sibi ante incognitum vel magnum, sed ut signo ostenderet, fidem gentilis hominis esse magnam, sicut illius mulieris gentilis; Matthaei decimo quinto [10]: « O mulier! magna est fides tua ». — Et hoc manifestat verbo, cum addit: *Et conversus sequentibus se* [11] *dixit,* scilicet discipulis, ad quos benignitate convertebatur, ut doceret, secundum illud Deuteronomii trigesimo tertio: « Qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina illius »; Proverbiorum vigesimo primo: « Qui sectatur sapientem sumet sapientiam ». — Et sequitur, quod dixit: *Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni,* ubi maior deberet inveniri, quia ipsi habent eam quasi per *hereditatem* ab Abraham, de quo dicitur Genesis decimo quinto [12]: « Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam ». Ipsi etiam habent per *Legem;* Ioannis quinto: « Si Moysi crederetis, crederetis

Secundo, ex auctoritate divinae testificationis.

---

[1] Psalm. 144, 18. — Sequitur Ier. 12, 2.

[2] Vers. 6.

[3] Vers. 8, post quem II. Reg. 24, 21. Cfr. supra c. 1. n. 81. et c. 5. n. 18.

[4] Vers. 3. — Subinde allegatur I. Cor. 15, 9. — Superius pro *arbitrium* Vat. *signum,* G *argumentum,* quod ipse cum C D E etiam paulo inferius pro *arbitrium* substituit.

[5] Libr. V. in Luc. n. 85, ubi pro *honore* textus originalis, Vat. et H *tumore.* — Sequitur Eccli. 3, 21.-Vulgata omittit *solis.*

[6] Luc. 1, 37. — Subinde allegatur Ioan. 1, 3; Sap. 16, 12: Tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia; Eccle. 8, 4: Et sermo illius potestate etc., et Hebr. 4, 12. — A C D omittunt *tu es enim illud Verbum.*

[7] Vers. 1. — De argumentatione *a minori* cfr. tom. I. pag. 835, nota 5.

[8] Vers. 17. — Sequitur Luc. 12, 43.

[9] Vers. 24. Glossa *ordinaria* in Luc. 7, 8: Si ego homo sub alio possum imperare minoribus, quanto magis tu, qui super omnia habes famulantes Angelos, potes per eorum ministeria sine corporis praesentia dicere infirmitati, ut recedat, et recedet; et sanitati, ut veniat, et veniet (secundum Bedam). — Post *Dominum* (plures codd. *Deum*) Vat. addit *omnium.*

[10] Vers. 28.

[11] Vulgata, Vat. et H addunt *turbis,* et immediate post pro *scilicet discipulis* Vat. *maxime discipulis.* — Duo seqq. loci sunt Deut. 33, 3. et Prov. 21, 11.

[12] Vers. 5, post quem Ioan. 6, 46. seq.

et mihi; de me ille scripsit; si autem illius litteris non creditis, mihi quomodo credetis »?

15. Sed quomodo potest illud intelligi? cum beata Virgo de Israel fuerit, cui dicitur supra primo[1]: « Beata, quae credidisti »; et etiam Apostoli. — Sed hoc dicitur, non quia maior sit *simpliciter*, sed *respectu* habito ad personam. Unde Chrysostomus[2]: « In modico sermone sapientiae plus laudatur rusticus quam in magno philosophus; et puer, si dicat aliquid sapienter, laudatur, ubi perfectior non auditur ». Sic et in proposito intelligendum est. — Vel potest dici, quod intelligit quantum ad reverentiam exterius exhibendam; vel quod in hoc intelligitur fides gentium[3].

Difficultas solvitur.

Aliter.

16. (Vers. 10.). Quantum ad *celeritatem optatae curationis* subiungitur: *Et reversi qui missi fuerant*[4], quasi spe de salute impetrata per verbum Christi, quod dixit quod exprimit Matthaeus, licet Lucas taceat: « Sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer »; quod tacet Lucas, quia satis potest colligi ex praedictis, quia, ut dicit Beda[5], « mos est beati Lucae ab aliis plene exposita breviare, vel etiam de industria praeterire; quae autem brevius dicta ab aliis vel omissa sollicitius dilucidare ». Et ideo tacet verbum Domini, quod alii dicunt, et dicit nuntiorum reversionem, ut exprimat miraculi celeritatem, quam insinuat, cum adiungit: *Invenerunt servum, qui languerat, sanum.* Ante ergo pervenit virtutis operatio quam nuntiorum reversio, ut sic verum esse comprobetur quod in Psalmo[6] dicitur: « Velociter currit sermo eius ». Nec mirum, quia non refert apud eum *dicere* et *facere*, sicut centurio fideliter credidit et ore confessus est; quia « corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem ». Et ideo credendo et confitendo, quod subito solo verbo posset facere, hoc merito fidei impetravit, ut sic impleta ostendatur dominica promissio, secundum illud Matthaei vigesimo primo[7]: « Quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis, et fiet vobis ». — Et sic sufficienter expressit Evangelista mirabilem curationem servi.

Tertio, ex celeritate curationis.

17. *Spiritualiter* hic secundum *allegoriam* intelligitur *curatio populi gentilis*, quod colligitur ex *persona aegrotante* et ex *persona interveniente* et ex *curationis ordine*. — *Persona* namque *aegrotans* erat servilis conditionis; sic et populus gentilis ante adventum Christi, quia serviebat peccato — secundum illud Ioannis octavo[8]: « Qui facit peccatum servus est peccati », et ratio huius dicitur secundae Petri secundo: « A quo quis superatus est, eius et servus est » — et propter peccatum specialiter idololatriae, propter quod erant servi infirmarum rerum; ad Galatas quarto[9]: « Cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes »; et post: « Quomodo revertimini ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis »? ad Galatas loquitur, qui fuerant gentiles. — Ex *persona interveniente*, qui fuerunt seniores Iudaeorum, per quos intelliguntur Apostoli, secundum illud Isaiae tertio[10]: « Dominus ad iudicium veniet cum senioribus terrae et principibus populi ». Isti sunt Apostoli, quibus dicitur Matthaei decimo nono: « Sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel » etc. Horum interventione gentilis populus est curatus, secundum illud Matthaei ultimo[11]: « Ite, docete omnes gentes »; et per hoc conversi sunt ad lumen Christi, per quod illuminati et salvati sunt, secundum illud Isaiae quadragesimo nono: « Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob et faeces Israel convertendas; dedi te in lucem gentium ». — Ex *curationis ordine*, quia per fidei magnitudinem, quae praefertur fidei Israeliticae; ad Romanos undecimo[12]: « Ex parte caecitas contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret »; Actuum decimo quinto: « Elegit Deus per os meum, dicit Petrus, gentes audire verbum Evangelii et credere »; « et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum »; ad Romanos decimo: « Non est distinctio Iudaei et Graeci »; « omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit ».

Expositio secundum allegoriam.

Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

18. *Spiritualiter* autem secundum *tropologiam* designatur hic *curatio viri peccatoris*, ad quam tria concurrunt, sicut hic. Primum est *recognitio infirmitatis propriae*, quia primo requiritur, ut homo cognoscat delictum; ad quod hortatur Ieremiae

Expositio secundum tropologiam.

Conditio 1.

---

[1] Vers. 45.

[2] Homil. 22. in Matth. (Op. imperfect.). Post *rusticus* A C D H addunt *in parvo*, quod in textu originali non habetur, qui tamen plura alia interserit.

[3] Glossa *ordinaria* in Luc. 7, 9: « Etiam in isto uno fides gentium praefertur Israeli ». Beda, in eundem locum: Non de omnibus retro Patriarchis et Prophetis, sed de praesentis aevi loquitur hominibus. Quibus ideo centurionis fides antefertur, quia illi Legis Prophetarumque monitis edocti, hic autem, nemine docente, sponte credidit.

[4] Vulgata et H addunt *domum*. — Subinde allegatur Matth. 8, 13.

[5] Libr. II. in Luc. 7, 10. Vide Glossam *ordinariam* in eundem locum.

[6] Psalm. 147, 15. (vel. 4.). — Sequitur Rom. 10, 10. — Pro propositione *non refert* [i. e. non differt] *apud eum dicere et facere* S. Bonav., I. Sent. d. 27. p. II. q. 2. fundam. 1, allegat Ps. 32, 9: *Dixit, et facta sunt.*

[7] Vers. 22, ubi habetur quoad sensum, quoad verba cfr. Marc. 11, 24. Vide Ambros., V. in Luc. n. 88.

[8] Vers. 34, post quem II. Petr. 2, 19. — Pro *et ratio huius dicitur* A C D G *et ideo ratio huius est, quia.*

[9] Vers. 3. et 9, ubi pro *revertimini* Vulgata et H *convertimini iterum.*

[10] Vers. 14. — Sequitur Matth. 19, 28.

[11] Vers. 19. — Subinde allegatur Isai. 49, 6. — Inferius post *et per* Vat. prosequitur *hos* [ita et H] *conversi sunt ad fidem Christi, per quem* [A C D *quos*] *illuminati* etc.

[12] Vers. 25. et 26, post quos Act. 15, 7. et 9; Rom. 10, 12. et 13.

secundo[1]: « Vide vias tuas in convalle, scito, quid feceris »; alioquin non poteris iustificari, sicut ibidem subditur: « Ecce, ego iudicio contendam tecum, eo quod dixeris: Non peccavi ». Hoc attendens, anima poenitens dicit Ieremiae trigesimo primo: « Converte me, Domine, et convertar ». « Postquam enim convertisti me, egi poenitentiam; et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum » etc. — Secundum est *interventio auctoritatis apostolicae,* quia dictum est Petro Matthaei decimo sexto[2]: « Et tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis » etc. Et Ioannis vigesimo omnibus Apostolis dicitur: « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis » etc. Ideo dicitur in Levitico: « Orabit pro eo sacerdos, et remittetur ei »; unde ad Hebraeos quinto: « Omnis pontifex ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis ». — Tertium est *condescensio pietatis divinae,* appropinquantis ad domum aegroti per gratiae infusionem, secundum illud cantici Zachariae, supra primo[3]: « Ad dandam scientiam salutis » etc., « per viscera misericordiae Dei nostri ». Domini autem gratia magis appropinquat humilibus, quia, secundum illud Iacobi quarto, « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam ». « Excelsus enim Dominus et humilia respicit et alta a longe cognoscit[4] ». Unde in Psalmo: « Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit »; sicut dicitur infra decimo nono de Zachaeo pusillo: « Festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere »; quia libenter humilibus condescendit. Augustinus[5]: « Altus est Deus; humilias te, et venit ad te; exaltas te, et fugit a te ».

Conditio 2.

Conditio 3.

19. Et nota, quod aliter humiliavit se Zachaeus, aliter centurio: Zachaeus suscipiendo, centurio non audendo suscipere; utroque enim modo fit Domino reverentia. Unde bene facit qui propter reverentiam corpus dominicum suscipit frequenter in Sacramento; et bene etiam, qui per[6] reverentiam cessat; utrique enim salus datur, sicut centurionis servo et ipsi Zachaeo. Sic intelligendum est in proposito.

Duplex actus se humiliandi.

Notandum.

20. *Et factum est, deinceps* etc. Post miraculum de curatione morituri, subditur hic *miraculum de suscitatione mortui;* in quo expressius fit demonstratio excellentiae Salvatoris. Ad huius autem miraculi explicitam descriptionem tria introducuntur ab Evangelista. Primum est *ratio movens* respectu miraculi *faciendi;* secundum est *causa efficiens* respectu miraculi *in fieri,* et hoc notatur ibi[7]: *Quam cum vidisset Dominus* etc. Tertium est *efficacia sequens* respectu miraculi *iam perfecti,* ibi: *Et resedit qui erat mortuus.*

Secundo, de suscitatione mortui tria.

Divisio.

*Ratio* autem *movens* Dominum ad mirabiliter resuscitandum mortuum duplex ostenditur in littera, scilicet *documentum ignorantium* in intellectu et *solatium moerentium* in affectu. Et secundum haec duo genera[8] introducuntur in prima parte, scilicet *comitantium in via,* ut dirigantur per eius doctrinam, et *occurrentium in porta,* ut consolentur per eius gratiam.

De ratione movente duo tanguntur.

Comitantes et occurrentes.

21. (Vers. 11.). Primo igitur quantum ad *comitatum multitudinis erudiendae* dicitur: *Et factum est, deinceps ibat Iesus[9] in civitatem, quae vocatur Naim; ibat,* scilicet ad docendum, secundum illud Matthaei quarto: « Circuibat Iesus totam Galilaeam, docens in synagogis eorum ». — Et quia volentes discere comitantur doctorem, ideo addit: *Et ibant cum eo discipuli eius et turba copiosa.* Sciebant, enim illud verum esse, quod Deuteronomii trigesimo tertio[10] scribitur: « Qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina illius »; et illud Proverbiorum decimo tertio: « Qui cum sapientibus graditur sapientior fiet ». Et ideo dicitur Ecclesiastici octavo: « Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, et in proverbiis eorum conversare; ab ipsis enim disces sapientiam et doctrinam ». Et ideo turbae comitantur Dominum et discipulos eius, secundum illud Psalmi[11]: « Accedite ad eum, et illuminamini ».

Erudiuntur comitantes in via.

22. (Vers. 12.). Secundo quantum *ad occursum multitudinis consolandae* subditur: *Cum autem appropinquaret portae civitatis, ecce, defunctus efferebatur, filius unicus matris suae;* de quo erat moeror et luctus, quia *mortuus,* secundum illud Ecclesiastici vigesimo secundo[12]: « Super mortuum plora; defecit enim lux eius ». *Maior* etiam luctus, quia erat *unigenitus,* de quo fit planctus tanto amarior, quanto et carior; Ieremiae sexto: « Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum »; et secundi Regum primo David lugens Ionathan mortuum: « Sicut mater unicum amat filium, ita te diligebam ». *Maximus* autem luctus, quia mater omnino erat desolata; propter quod dicit: *Et haec vidua erat,* et ita iam

Consolantur occurrentes in porta.

---

[1] Vers. 23. ac 35. et deinde 31, 18. et 19. — Superius pro *sicut hic* Vat. *scilicet haec.* Inferius pro *non poteris* C D *non potest,* H *non potest homo,* G *non potes.*

[2] Vers. 19. — Tres seqq. loci sunt Ioan. 20, 23; Lev. 5, 18. et Hebr. 5, 1.

[3] Vers. 77. seq. — Subinde allegatur Iac. 4, 6. — Superius pro *condescensio pietatis,* quod habent C E, alii codd. et Vat. *condescensio potestatis,* et inferius pro *magis* Vat. cum aliquibus codd. *maxime.*

[4] Psalm. 137, 6, post quem Ps. 33, 19. et Luc. 19, 5.

[5] Serm. 177. in Appendice (alias 175. de Tempore) n. 2. Cfr. tom. VI. pag. 71, nota 2, ubi etiam alii loci allegati sunt.

[6] Vat. *propter.* — Cfr. August., Sermo 229. in Append. (alias 252. de Tempore) n. 2.

[7] Vers. 13; tertium habetur v. 15.

[8] Vat. cum H supplet *hominum,* in D manus secunda addidit *personarum.*

[9] Vulgata omittit *Iesus,* quod tamen exhibetur a Card. Hug., B. Alberto et Lyrano. — Subinde allegatur Matth. 4, 23.

[10] Vers. 3, post quem Prov. 13, 20. et Eccli. 8, 9. seq.

[11] Psalm. 33, 6.

[12] Vers. 10. — Duo seqq. loci sunt Ier. 6, 26. et II. Reg. 1, 26.

omnino desolata, carens tam solatio filii quam mariti. Quod allegat illa mulier Thecuitis ad misericordiam impetrandam, secundi Regum decimo quarto [1]: « Heu! mulier vidua ego sum ». Et ideo plangebat Ieremias viduitatem Ierusalem Threnorum primo: « Quomodo sedet sola civitas plena populo » etc. Et propterea multi ei compatiebantur; unde addit: *Et turba civitatis multa cum illa,* scilicet ad condolendum et consolandum, quia hic erat mos Iudaeorum, secundum illud Ioannis undecimo [2]: « Multi ex Iudaeis venerant ad Mariam et Martham, ut consolarentur eas de fratre suo ». Ad quos autem omnes poterat haec vidua dicere: « O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus »! post parum: « Posuit me desolatam, tota die moerore confectam ». Et ideo egebat consolatione.

De causa efficiente duo tanguntur.

23. (Vers. 13.). *Quam cum vidisset Dominus* etc. Hic tangitur *causa efficiens* respectu miraculi *in fieri,* quae quidem fuit duplex, scilicet *affectus pietatis* in corde inclinans ad miserandum; et *virtus maiestatis* in sermone imperans ad surgendum. Primum respicit naturam assumtam; secundum vero, aeternam.

Affectus pietatis in corde.

Quantum ad *affectum pietatis in corde* dicitur: *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus* [3], scilicet quantum ad *cordis affectum,* ut posset dicere illud Iob trigesimo: « Flebam quondam super eo qui afflictus erat »; et trigesimo primo: « Ab infantia mea crevit mecum miseratio ». — Et quia misericordia latens in *affectu* apparet in *affatu, dixit* [4]: *Noli flere,* benigno sermone eam consolando, secundum illud Iob vigesimo nono: « Cor viduae consolatus sum »; et Ieremiae trigesimo primo: « Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis ».

Item, in affatu.

Item, in opere.

24. (Vers. 14.). Et quia *affectum cordis* et *affatum oris* comitari decens est *effectum operis,* ideo addit: *Et accessit et tetigit loculum,* ut omnibus ostenderet suam benignitatem, qua non despicit mortuos, cum secundum Legem tangens mortuum immundus esset, sicut dicitur Levitici vigesimo primo [5]; et ut portantes humiliter faceret sistere *tangendo,* non imperando. — Unde subditur: *Hi autem, qui portabant, steterunt,* scilicet miraculum exspectantes, secundum quod ipsi Iob, trigesimo septimo [6], dicitur: « Ausculta haec, Iob, sta et considera mirabilia Dei ».

Virtus maiestatis in imperando.

25. Quantum autem ad *imperium maiestatis in sermone,* subditur: *Et ait: Adolescens, tibi dico: Surge;* ad Ephesios quinto [7]: « Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus »; ut sic verificetur illud Ioannis quinto: « Mortui audient vocem Filii Dei »; quae quidem est vox imperans et potens mortuos suscitare ratione suae virtutis, secundum illud Psalmi: « Dabit voci suae vocem virtutis ». Et recte, quia, sicut dicit Augustinus [8], « nemo tam facile dormientem excitat de somno, sicut Christus revocat a sepulcro ». Dirigit autem hunc sermonem ad mortuum, non solum ut excitativum, sed ut auditus reparativum, ut ostendat, verum esse illud Ioannis octavo [9]: « Ego principium, qui et loquor vobis », *principium* scilicet interius operando, *qui loquor* exterius excitando. Unde in Christo, quia caro iuncta est Verbo aeterno, *vox exterior* iuncta est illi *dicere interiori,* quod est principium omnis *conditionis,* sicut patet in operibus sex dierum, Genesis primo [10]; est etiam principium omnis *reparationis;* Sapientiae decimo sexto: « Sermo tuus, Domine, sanat omnia ».

Notandum.

De efficacia subsequente duo tanguntur.

26. (Vers. 15.). *Et resedit qui mortuus erat.* Hic tertio notatur *efficacia subsequens* respectu *miraculi iam perfecti,* quae quidem duplex est secundum duplicem finem, scilicet *operis* et *intentionis.* Prima efficacia est *suscitatio mortui;* secunda, *promotio fidei.*

Primo, suscitatio mortui nota assistentibus.

Primo ergo designatur *suscitatio mortui* ut *nota plebi assistenti,* cum dicit: *Et resedit qui erat mortuus, et coepit loqui;* in quo apparet manifeste, quod vivebat, quia dupliciter vita dignoscitur, scilicet per sensum et motum. Non est dubium, quin loqueretur verba divinae laudis, quod quidem non est mortuorum, sed viventium, secundum illud quod in Psalmo [11] dicitur: « Non mortui laudabunt te, Domine, sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino ».

Triplex manifestatio suscitationis.

27. Et nota, quod suscitatio puellae probatur *manducatione,* Marci quinto [12]; suscitatio Lazari *ambulatione,* Ioannis undecimo; suscitatio adolescentis *locutione,* sicut hic. Et respicit *manducatio* actum vegetabilis, *ambulatio* actum sensibilis, *locutio* actum rationalis, ut hac triplici probatione ostendatur dominus animae secundum omnem sui potentiam et virtutem.

Item, grata matri.

28. Nec tantum erat nota plebi assistenti, sed *grata matri desideranti;* unde et subdit: *Et dedi*

---

[1] Vers. 5. — Sequitur Thren. 1, 1.

[2] Vers. 19, post quem Thren. 1, 12. et 13.

[3] Vulgata, H et Vat. addunt *super eam.* — Sequuntur Iob 30, 25. et 31, 18.

[4] In Vulgata et H additur *illi.* — Duo seqq. loci sunt Iob 29, 13. et Ier. 31, 16. — Pro *affatu* maior pars codd. perperam *effectu;* cfr. paulo inferius, ubi pro *affatum oris,* H *effectum oris.* B. Albert.: *Dixit: Noli flere,* ecce consolationis affatus.

[5] Vers. 1: Ne contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum; v. 11: Et ad omnem mortuum non ingredietur omnino etc. — Superius pro *effectum operis* A *factum operis.*

[6] Vers. 14; ubi pro *considera* A D *audi,* C F G *ausculta.*

[7] Vers. 14. — Subinde allegantur Ioan. 5, 28. et Ps. 67, 34.

[8] Serm. 98. (alias 44. de Verbis Domini) c. 2. n. 2: Nemo tam facile excitat in lecto, quam facile Christus in sepulcro. In Ioan. Evang. tr. 49. n. 9: Dominus tanta eum [Lazarum] facilitate excitabat de sepulcro, quanta tu non excitas dormientem de lecto. Cfr. tom. VI. pag. 398, nota 9.

[9] Vers. 25. Cfr. Comment. S. Bonav. in hunc locum. — Inferius pro *caro iuncta* F *caro coniuncta.*

[10] Vers. 1. seq. — Sequitur Sap. 16, 12.

[11] Psalm. 113, 17. seq. — Superius post *per sensum* [Vat. *spiritum*] *et motum* H addit *movebatur enim et sentiebat, quia loquebatur.* Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 13. (c. 2.).

[12] Vers. 43. — Sequitur Ioan. 11, 44. — Inferius post *probatione* Vat. addit *Christus.*

*illum matri suae;* in quo ostendit, se illum suscitasse ad matris consolationem. Unde ipsa poterat dicere illud Annae primi Regum primo [1]: « Oravi Dominum pro puero isto, et dedit mihi petitionem meam ». Sic Elias tradidit puerum resuscitatum matri suae, dicens tertii Regum decimo septimo: « En, filius tuus vivit »; sed ille *tradidit,* iste *dedit,* quia ille fuit minister suscitationis, iste vero dator vitae et salutis.

Secundo, promotio fidei quoad reverentiam Creatoris. 29. (Vers. 16.). Secundo vero designatur *promotio fidei* quantum ad *reverentiam Creatoris,* cum dicitur: *Accepit autem omnes timor, et magnificabant Deum; timor* scilicet reverentiae magnificantis; Iob trigesimo septimo [2]: « Timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes »; et Isaiae quinquagesimo nono: « Timebunt qui ab occidente nomen Domini, et qui ab ortu solis, gloriam eius ». Et sic timentes corde glorificabant et magnificabant ore; Ecclesiastici quadragesimo tertio: « Glorificantes eum, quantumcumque potestis, supervalebit adhuc ». « Et quis magnificabit eum, sicut est a principio » ?

Item, quoad intelligentiam Mediatoris. 30. Sed non sufficienter promovetur fides ad reverentiam Creatoris sine *intelligentia Mediatoris;* et ideo quantum ad illam adiungitur: *Dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis,* id est Christus mediator, secundum illud Deuteronomii decimo octavo [3]: « Prophetam suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris tanquam me; ipsum audietis ». *Et quia Deus visitavit plebem suam,* scilicet per Christum redemptorem, secundum illud Zachariae supra primo [4]: « Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae »; et hoc secundum illud Genesis ultimo: « Post mortem meam visitabit vos Dominus et educet vos de loco isto »; quod intelligit de visitatione per mediatorem Christum. — Et sic apparet ex praedictis, quomodo manifestatus est quantum ad excellentiam potestatis suae.

Expositio spiritualis. Triplex status. 31. Secundum *spiritualem intelligentiam* nota, quod triplex status in prosecutione huius miraculi designatur, scilicet status *iustitiae* in comitatu dominico; status *iniustitiae* in adolescente mortuo; et status *poenitentiae* in eodem resuscitato. — Status quidem *iustitiae* designatur in Christo et comitatu suo. Status iustitiae triplex. Primus. Nam triplex est status iustorum, scilicet *contemplationis, praelationis* et *actionis.* Status *praelatorum* designatur in Christo, de quo Ioannis decimo [5]: « Ego sum pastor bonus; bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis »; ubi in se ostendit formam rectae praelationis. Secundus. — Status *contemplativorum* in discipulis, qui admittuntur in montem in transfiguratione Domini, secundum illud Matthaei decimo septimo [6]: « Assumsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem fratrem eius, et duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos »; et infra decimo: « Conversus ad discipulos suos, dixit: Beati oculi, qui vident quae vos videtis »; hoc dicitur contemplativis. Tertius. — Status *activorum* designatur in turba, quae versatur in fluctibus mundi; infra decimo [7]: « Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima »; quia, secundum quod dicitur Ioannis decimo sexto, « in mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum ». Figura. — De hoc triplici statu *iustitiae* dicitur in figura Ezechielis decimo quarto [8]: « Si fuerit in medio eius Noe, Daniel et Iob; ipsi quidem animas suas liberabunt » etc. Per *Noe* intelliguntur *praelati;* per *Danielem,* cui data est intelligentia visionum, *contemplativi;* per *Iob, activi.*

Status culpae triplex gradus. 32. Status vero *culpae* designatur in *adolescente mortuo,* cuius triplex est gradus: primus in *interiori affectione;* secundus, in *exteriori operatione;* tertius vero, in *consuetudine* sive obstinatione. Hi tres status per tres mortuos a Domino suscitatos designantur tum ratione *locorum,* tum ratione *aetatum.* Primus. — Nam status *peccantium in corde* designatur per puellam mortuam in *domo,* de qua habetur Marci quinto [9]. Secundus. — Status *peccantium in opere,* per adolescentem, qui ad *portam civitatis* inventus est, quia iam processit peccatum et patuit, de quo hic. Tertius. — Status *peccantium per consuetudinem* et obstinationem, per Lazarum, iam in virili aetate iacentem, iam quatriduanum mortuum et foetidum in sepulcro, Ioannis undecimo [10]. — His tribus respondent tres mortui suscitati in veteri testamento, scilicet *puerulus* ab Eliseo, filius mulieris Sunamitis, quarti Regum quarto [11]; *adolescens,* filius mulieris Sareptanae, suscitatus ab Elia, tertii Regum decimo septimo; et *vir,* ab Eliseo mortuo, quarti Regum decimo tertio. In his tribus designantur tres praedicti status. Aliter. — Possunt etiam in his tribus tres *radices peccatorum* designari, quia unus mortuus ex *languore aegritudinis,* in quo concupiscentia carnis; alius ex *fervore solis* [12], in quo cupiditas mundi; tertius *invisibiliter,* in quo superbia vitae.

Status poenitentiae triplex gradus. Primus. Status autem *poenitentiae* designatur in *adolescente resuscitato,* de quo dicitur, quod *resedit et coepit loqui et redditus est matri. Resedit* quidem per contritionem, quae levat caput a terra; in Psalmo [13]: « Surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris »; et secundum illud Ieremiae decimo quinto: « Solus sedebam, quoniam amaritudine replesti me ». Secundus. *Coepit loqui,* per confessionem; Iob

---

[1] Vers. 27. — Subinde allegatur III. Reg. 17, 23.

[2] Vers. 24, post quem Isai. 59, 19; Eccli. 43, 32. et 35.

[3] Vers. 15. — Superius pro *Sed non sufficienter promovetur fides* Vat. *Sed non sufficit promotio fidei.*

[4] Vers. 68, cui subiungitur Gen. 50, 23.

[5] Vers. 11.

[6] Vers. 1. seq. — Sequitur Luc. 10, 23.

[7] Vers. 41, post quem Ioan. 16, 33.

[8] Vers. 14.

[9] Vers. 35. seqq. — Inferius Vat. omittit *et patuit.*

[10] Vers. 39. Cfr. infra 8, 55. et tom. VI. pag. 399, nota 15.

[11] Vers. 32. seqq. — Subinde allegantur III. Reg. 17, 21. seq. et IV. Reg. 13, 21.

[12] Vat. *sitis.* De primo cfr. III. Reg. 17, 17; de secundo IV. Reg. 4, 18. 19.

[13] Psalm. 126, 2, post quem Ier. 15, 17.

decimo [1]: « Loquar in amaritudine animae meae, dicam Deo: Noli me condemnare »; et septimo: « Non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei, confabulabor cum amaritudine animae meae ». *Redditus est matri,* Ecclesiae per satisfactionem, quia *satisfacere* est debitum reddere, non Deo Patri tantum, sed etiam matri Ecclesiae; in cuius figura dicitur quarti Regum quarto [2]: « Tolle puerum istum et duc eum ad matrem suam ». Et sicut mater libenter suscipit filium suscitatum, sic gaudenter Christus et Ecclesia peccatorem poenitentem; infra decimo quinto: « Epulari oportebat et gaudere, quia frater tuus hic mortuus erat et revixit ».

Tertius.

**Secundo, declaratur sublimitas Doctoris propter evidentiam veritatis per testimonium Praecursoris.**

33. *Et exiit hic sermo* etc. Postquam ostensa est sufficienter excellentia potestatis in Christo per magnitudinem duplicis miraculi, hic secundo ostenditur *evidentia veritatis* in eodem per certitudinem veracis testimonii, quod quidem fuit *testimonium Praecursoris.* Ad huius autem testimonii certificationem dupliciter procedi potest et debet: aut per *probationem veritatis ipsius in se*, aut per *approbationem virtutis in testificante.* Primum respicit Praecursoris *doctrinam*, secundum vero respicit Praecursoris *vitam*, quorum utrumque facit ad comprobationem testimonii. Primo ergo in hac parte ostenditur, *Praecursoris testimonium esse verum;* secundo vero, *testificantis meritum esse magnum,* ibi [3]: *Et cum discessissent nuntii Ioannis* etc.

Hoc testimonium dupliciter certificatur.

Circa primum autem, scilicet veritatem testimonii comprobandam, duo introducuntur. Primum est *quaestio Praecursoris;* secundum est *responsio Salvatoris*, ibi [4]: *In ipsa autem hora curavit multos* etc. Quaerit autem Ioannes ab eo cui perhibuerat testimonium, non propter dubium amovendum, sed propter testimonium approbandum per infallibile argumentum. — Proponitur autem quaestio ipsius hoc ordine. Primo enim introducitur quaestionis *occasio;* secundo vero, quaestionis *demandatio;* tertio vero, demandatae quaestionis *denuntiatio.*

De probatione veritatis doctrinae duo tanguntur.

Primo, quaestio Praecursoris proponitur tripliciter.

34. (Vers. 17.). Introducitur ergo primo *quaerendi occasio* ex nominis Christi praeconio; quantum ad quod dicitur: *Et exiit hic sermo*, scilicet de suscitatione mortui, *in universam Iudaeam de eo et in omnem circa regionem* [5], ita ut possent omnes dicere illud Iob vigesimo octavo: « Auribus nostris audivimus famam eius »; et Iosue nono: « Audivimus famam potentiae eius », scilicet Dei tui; unde et Matthaei quarto dicitur, quod « abiit opinio eius in totam Syriam ». Cuius figura praecessit in Ozia rege; secundi Paralipomenon vigesimo sexto [6]: « Egressum est nomen eius procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus et corroborasset eum ».

Occasio quaerendi.

Figura.

35. (Vers. 18.). Hoc autem famae praeconium, licet esset multis causa credendi, erat tamen aliquibus occasio invidendi, sicut discipulis Ioannis, quantum ad quos additur: *Et nuntiaverunt Ioanni discipuli eius de omnibus his.* Beda [7]: « Non simplici corde, sed invidia stimulante, sicut alibi, scilicet Ioannis tertio, queruntur dicentes: *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui testimonium perhibuisti, ecce, hic baptizat, et omnes veniunt ad eum.* De talibus ad Philippenses primo [8]: « Quidam ex contentione, non sincere, Christum annuntiant ». Ex hoc ergo sumta est occasio quaerendi, utrum ipse esset, quem Ioannes praenuntiaverat, tum propter discipulorum invidiam exstirpandam, tum propter contentionem consopiendam, tum propter ipsorum dubitationem amovendam, tum etiam propter ipsam veritatem iam clarius divulgandam.

Praeconium fit aliquibus occasio invidendi.

36. (Vers. 19.). Subditur ergo secundo *quaestionis demandatio* ex Ioannis officio, cum dicitur: *Et vocavit duos ex discipulis suis Ioannes et misit ad Iesum* [9]. Hoc enim spectat ad eius officium, missio discipulorum ad Christum. Praecursoris enim officium est, ad Christum mittere verbo pariter et officio, tam scilicet praedicando quam baptizando, secundum quod dicitur Actuum decimo nono [10]: « Ioannes baptizavit baptismo poenitentiae dicens, in eum qui venturus erat ut crederent ». Unde Glossa: « Misit eos ad Iesum, ut hac occasione videant signa, et correpti credant in eum ». Et Ambrosius [11]: « Misit discipulos ad Christum, ut supplementum scientiae assequantur, quia *plenitudo Legis est Christus,* et quia plerumque nutant dicta sine factis, eo fides plenior gestorum testificationibus quam verborum sponsionibus exhiberetur ». Unde mittebat eos ad Veritatem, ut ipsi certificarentur per veritatem, et

Demandatio quaestionis.

---

[1] Vers. 1. seq. et deinde 7, 11.

[2] Vers. 19; cfr. v. 36. — Sequitur Luc. 15, 32. Beda, II. in Luc. 7, 15: *Redditur matri,* cum per sacerdotalis decreta iudicii communioni sociatur Ecclesiae.

[3] Vers. 24, ubi pro *nuntii* A C D H *discipuli.*

[4] Vers. 21. — Subinde respicitur Ioan. 1, 7: Hic [Ioannes] venit in testimonium, ut testimonium perhiberet etc.; cfr. ibid. v. 19. 32. et 34.

[5] Plures codd. *de ipso et circa omnem regionem.* — Sequuntur Iob 28, 22; Iosue 9, 9. et Matth. 4, 24.

[6] Vers. 15.

[7] Libr. II. in Luc. 7, 18, ubi pro *stimulante* textus originalis *stimulato* substituit et, paucis interiectis, prosequitur: « Nam et alibi [Ioan. 3, 26.] ita apud eum questi esse produntur [S. Thom., Catena aurea in Luc. 7. n. 3 et H: conqueruntur dicentes]: *Rabbi, qui erat tecum* » etc. Cod. C *queruntur dicentes;* Glossa *ordinaria* apud Lyranum et A D G *quaerunt dicentes.*

[8] Vers. 15.

[9] Vulgata: *Et convocavit duos de discipulis* etc., plures codd. verbo *misit* addunt *eos.*

[10] Vers. 4, post quem sequitur Glossa *ordinaria* (secundum Bedam) in Luc. 7, 18, ubi pro *correpti* textus originalis et H *correcti.*

[11] Libr. V. in Luc. n. 95. Sententia Ambrosii allegatur secundum Glossam *ordinariam* in Luc. 7, 18. apud Lyranum, quae tamen cum textu originali pro *et quia* substituit *ut quia* et contra textum originalem ponit *nutabant* (ita et G) pro *nutant, eo fides* pro *et fides, exhiberetur* pro *exhibetur.*

certificati redderent testimonium veritati; et ideo duos misit, quia, secundum illud Ioannis octavo [1], vos dicitis, quod « duorum hominum testimonium verum est ». — Quia tamen adhuc dubitabant, ideo formam quaerendi eis dat, cum additur: *Dicens: Tu es qui venturus es*, id est, quem ego praedixi venturum; Ioannis primo [2]: « Post me venturus est qui ante me factus est », et in ceteris aliis Evangelistis. *An alium exspectamus?* quasi dicat: si tu es ille, iam alius non est exspectandus, ne forte, si alium exspectamus, suscipiamus non Christum, sed antichristum; de quo Ioannis quinto [3] dicit Dominus ad Iudaeos incredulos: « Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis ».

Relatio demandatae quaestionis.

37. (Vers. 20.). Subiungitur autem tertio *demandatae quaestionis relatio* discipulorum ministerio, cum subditur: *Cum autem venissent ad eum viri.* Isti duo viri designati sunt per duos exploratores missos ultra Iordanem, Iosue secundo [4]. Isti dicuntur *viri*, quia viriliter et fideliter impleverunt quod eis fuerat imperatum. Unde subditur: *Dixerunt: Ioannes Baptista misit nos ad te*, ut scilicet nos in persona eius a te quaereremus. — Quod notat, cum subdit: *Dicens*: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Unde nota, quod quaestio ista proponitur a discipulis in persona Ioannis, ut ostendatur, quod discipuli intra se ferunt animum dubium, sed

Notandum.

per Ioannem diriguntur ad Christum. — Unde Ioannes non per se quaestionem proposuit, quia non in se, sed in discipulis dubitavit. Et hoc est quod dicit Chrysostomus [5]: « Qui a Spiritu didicerat, qui vocem Patris audierat, qui ceteris praedicaverat, qui testimonium perhibuerat, quomodo post multa miracula, per quae multis innotuerat, dubitabat? Nunquid timidior propter incarcerationem factus fuerat? Absit, cum de eo Dominus dicat, non esse arundinem vento agitatam ». Unde non dubitavit, sed verba dubitantis proposuit ad certitudinem discipulorum, sicut dicitur Ioannis undecimo [6]: « Ubi posuistis eum »? et

Aliae expositiones.

Ioannis sexto: « Unde ememus panes »? — Gregorius [7] tamen vult, quod dubitaverit et quaesierit non de primo adventu, de quo certus erat, sed de descensu ad inferos, quo Christum adhuc praecedere debebat. Ambrosius [8] vero vult, quod dubitaverit, non ex infidelitate, aut tarditate, ut discipuli, « sed quadam pietate », sicut dicitur in Glossa.

Secundo, responsio Salvatoris solvens quaestionem.

38. (Vers. 21.). *In ipsa autem hora* etc. Post propositam quaestionem subdit *quaestionis solutionem* ad discipulorum dubium removendum et Ioannis testimonium confirmandum. In quo Dominus perfectissime respondet, scilicet *quaestioni* et *quaerenti* et *omni contradicenti.* — Primum quidem respondet *quaestioni* faciendo miracula, per quae probatur, ipsum esse Christum sive Messiam; et ob hoc dicitur: *In ipsa autem hora*, scilicet adventus discipulorum, quae quidem erat hora propalandae veritatis, secundum illud ad Romanos decimo tertio [9]: « Hora est, iam nos de somno surgere » etc.; in hac ergo ad veritatem propalandam *curavit multos.* In huius figura dicitur de Simone, filio Oniae, Ecclesiastici quinquagesimo: « Curavit gentem suam et liberavit eam a perditione ». Et quia virtus miraculorum non solum attenditur in multitudine curatorum et ex parte personarum, sed etiam ex parte morborum; ideo subditur, quod a multiplici aegritudine curavit, scilicet *a languoribus,* quoad *morbi prolixitatem;* Ecclesiastici decimo [10]: « Languor prolixus gravat medicum. Brevem languorem praecidit medicus », ut sic impleretur illud Isaiae quinquagesimo tertio: « Vere languores nostros ipse tulit et infirmitates nostras ipse portavit ». — *A plagis* [11], quoad *morbi acerbitatem,* secundum illud Ieremiae trigesimo: « Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli ». Ab his curavit Dominus, sicut in Psalmo petitur: « Amove a me plagas tuas » etc. — *Et spiritibus malis,* quantum ad *impetum alienae violentiae,* qui fit per spiritum malum; primi Regum decimo sexto [12]: « Spiritus nequam a Domino exagitabat Saul. » — *Et caecis multis donavit visum,* in quo notatur *defectus intrinsecae potentiae,* ut sic impleatur illud Isaiae vigesimo nono [13]: « De tenebris et caligine oculi caecorum videbunt ». Et per haec manifestat, se esse illum qui erat venturus; Ioannis quinto: « Vos misistis ad Ioannem, et testimonium perhibuit veritati ».

Respondet ipsi quaestioni.

---

[1] Vers. 17. — Superius pro *Unde* H *Ideo autem*, Vat. *Ideo*.

[2] Vers. 27. Cfr. Matth. 3, 11; Marc. 1, 7; Luc. 3, 16.

[3] Vers. 43.

[4] Vers. 1.

[5] Homil. 36. (alias 37.) n. 1. seq. et Homil. 37. (alias 38.) in Matth. n. 1. Cfr. Hilar., Comment. in Matth. c. 11. n. 2.

[6] Vers. 34, post quem Ioan. 6, 5. — Hieron., II. Comment in Matth. 11, 1. seq.: Non quasi ignorans interrogat; in enim ceteris ignorantibus demonstraverat dicens [Ioan. 1, 29]: *Ecce, Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi;* et Patris vocem audierat intonantis [Matth. 3, 17.]: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui;* sed quo modo Salvator interrogat, ubi sit positus Lazarus, ut qui locum sepulcri indicabant, saltem sic pararentur ad fidem et viderent mortuum resurgentem; sic et Ioannes interficiendus ab Herode, discipulos suos mittit ad Christum, ut per hanc occasionem videntes signa atque virtutes, crederent in eum, et magistro interrogante sibi discerent.

[7] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 6. n. 1. et I. Homil. in Ezech. homil. 1. n. 5.

[8] Libr. V. in Luc. n. 98. Glossa, quae subinde allegatur, est *ordinaria* in Luc. 7, 18. Cfr. III. Sent. d. 25. dub. 3; IV. Sent. d. 5. dub. 3. et Comment. in Ioan. c. 1. n. 71. — Pro *aut tarditate* C D *non tarditate.*

[9] Vers. 11. — Sequitur Eccli. 50, 4. — Inferius pro *in hac ergo* C D *In hoc ergo.*

[10] Vers. 11. seq.: *Languor prolixior* etc., post quem Isai. 53, 4; cfr. supra pag. 122, nota 1.

[11] Vulgata et H *Et plagis.* — Duo seqq. loci sunt Ier. 30, 14. et Ps. 38, 11. seq. — Inferius pro *curavit* C D *curat.*

[12] Vers. 14.

[13] Vers. 18. — Subinde allegantur Ioan. 5, 33. et 36. — Inferius pro *Et per haec* A C D H *Et per hoc.*

« Sed ego testimonium maius habeo ». « Et opera, quae ego facio, ipsa testimonium perhibent de me ».

Respondetur quaerenti.

39. (Vers. 22.). Secundo vero respondet *quaerenti* denuntiando prodigia a discipulis visa et audita; propter quod dicit: *Et respondens dixit illis: Euntes renuntiate Ioanni quae audistis et vidistis,* quia, sicut dicitur Tobiae duodecimo [1], « opera Dei revelare et confiteri honorificum est ». Mandat eis denuntiare quae viderunt et audierunt, quia isti duo sensus plurimas nobis differentias ostendunt, ut in hoc ostendatur perfectior fides Ioannis, qui credidit solum audiendo, quam istorum qui viderunt et crediderunt, secundum illud Ioannis vigesimo de Thoma, cui dicitur: « Quia vidisti me, Thoma, credidisti. Beati, qui non viderunt et crediderunt ».

De variis miraculis.

40. Praecipit autem eis narrare prodigia, quae quidem sunt praecipua miracula propter impossibilitatem respectu virtutis creatae, sicut est *restitutio visus, rectificatio gressus, mundatio corporis totius, reparatio auditus, restitutio vitae* et *sublimatio inopiae.*

Quoad visum.

— Quantum ad *restitutionem visus* dicit: *Caeci* [2] *vident;* Isaiae trigesimo quinto: « Tunc aperientur oculi caecorum », scilicet in adventu Christi; Ioannis nono: « A saeculo non est auditum, quod quis aperuit oculos caeci nati ».

Quoad gressum.

— Quantum ad *rectificationem gressus* dicitur: *Claudi ambulant;* Michaeae quarto [3]: « In die illa congregabo claudicantem et eam quam eieceram, colligam »; Isaiae trigesimo quinto: « Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum ».

Quoad lepram.

— Quantum ad *mundationem corporis totius* dicitur: *Leprosi mundantur,* sicut infra decimo septimo [4] leguntur decem leprosi esse mundati, et sicut dicitur Iob decimo quarto: « Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es »? Tu ergo, qui hoc facis, es ille qui venturus es.

Quoad auditum.

— Quantum ad *apertionem auditus* subditur: *Surdi audiunt;* Isaiae trigesimo quinto [5]: « Aures surdorum patebunt », scilicet in adventu Christi, secundum illud Marci septimo: « Bene omnia fecit: et surdos fecit audire et mutos loqui ».

Quoad reparationem vitae.

— Quantum ad *reparationem vitae* dicitur: *Mortui resurgunt,* secundum illud Ezechielis trigesimo septimo [6]: « Sciatis, quia ego Dominus, cum aperuero sepulcra vestra et eduxero vos de tumulis vestris et dedero spiritum meum in vobis, et vixeritis »; et hoc est in adventu Christi; Ioannis quinto: « Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei ».

Quoad sublevationem inopiae.

— Postremo quantum ad *sublimationem inopiae* subditur: *Pauperes evangelizantur,* id est, per Evangelium praedicantur et exaltantur; quod patet, quia sermo Domini incepit a commendatione pauperum; Matthaei quinto [7]: « Beati pauperes », et supra sexto. Et hoc erat certum signum adventus Christi, secundum illud Isaiae vigesimo nono: « Pauperes homines in sancto Israel exsultabunt »; quia, sicut dicitur Isaiae ultimo, « ad quem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu » etc. Et Iacobi secundo [8]: « Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo » etc.; quia de ipso Christo dictum est: « Parcet pauperi et inopi et animas pauperum salvas faciet »; et post: « Et honorabile nomen eorum coram illo ».

Notandum.

Et illud erat magnum prodigium, quod honorabile fieret et amabile et praedicabile nomen pauperum; quod non fuit nisi per Iesum, qui se fecit pauperem ad nos pauperes ditandos et honorandos; secundae ad Corinthios octavo [9]: « Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives ».

Notandum de paupertate.

41. Et nota, quod magis dicit: *Pauperes evangelizantur,* quam virgines vel obedientes, quia paupertas fundamentum est evangelicae perfectionis. Quia fundamentum civitatis Babylonis est avaritia, secundum illud primae ad Timotheum ultimo [10]: « Radix omnium malorum cupiditas »; et « superbia omnis peccati initium », secundum quod dicitur Ecclesiastici decimo; sic paupertas spiritus, quae includit oppositum utriusque, scilicet paupertatem et humilitatem, est *fundamentum* perfectionis evangelicae; est etiam *consummatio* eiusdem, secundum illud secundae ad Corinthios octavo [11]: « Altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum ».

Dignitates 10 paupertatis.

42. Et nota, quod paupertas est evangelizabilis et praedicabilis propter decem excellentissimas dignitates.

Prima.

— Primo, propter *intelligentiam infirmitatis propriae;* Threnorum tertio [12]: « Ego vir videns paupertatem meam » etc.; quocontra de divite Apocalypsis tertio: « Dicis, quia dives sum et locupletatus et nullius egeo, et nescis, quia tu es miser » etc.

Secunda.

— Secundo, propter *excellentiam virtutis gratuitae;* secundae ad Corinthios octavo [13]: « Altissima paupertas » etc.; et Genesis quadragesimo primo: « Crescere

---

[1] Vers. 7. — Sequitur Ioan. 20, 29. — De sensibus visus et auditus cfr. supra pag. 50, nota 2. — Inferius pro *qui viderunt et crediderunt* C D G H *qui viderunt, ut crederent.*

[2] Vulgata: *Quia caeci.* — Duo seqq. loci sunt Isai. 35, 5. et Ioan. 9, 32. — Superius G substituit *sublevatio inopiae* pro *sublimatio inopiae.* Idem recurrit aliquanto inferius, ubi etiam H concordat cum G.

[3] Vers. 6, ubi pro *et eam, quam eieceram* C D G H *et eam, quae* [H *et eum, qui*] *erraverit.* — Sequitur Isai. 35, 6.

[4] Vers. 14, post quem Iob 14, 4.

[5] Vers. 5. — Sequitur Marc. 7, 37.

[6] Vers. 13. et 14. — Subinde allegatur Ioan. 5, 28.

[7] Vers. 3, post quem Luc. 6, 20; Isai. 29, 19. et 66, 2.

[8] Vers. 5. — Sequuntur Ps. 71, 13. et 14.

[9] Vers. 9. — Superius pro *quod honorabile fieret* Vat. *quia honorabile fuerat.*

[10] Vers. 10, cui subiungitur Eccli. 10, 15. — Superius pro *Quia fundamentum* Vat. *Sicut fundamentum.*

[11] Vers. 2.

[12] Vers. 1, post quem Apoc. 3, 17. — Superius pro *evangelizabilis* D *enuntiabilis,* Vat. *èvangelizanda,* et subinde pro *infirmitatis* C *vilitatis,* D a secunda manu *defectibilitatis.*

[13] Vers. 2. — Sequitur Gen. 41, 52.

me fecit Dominus in terra paupertatis meae ». — Tertio, propter *affluentiam iucunditatis internae;* Isaiae vigesimo nono [1]: « Pauperes homines in sancto Israel exsultabunt »; et in Psalmo: « Videant pauperes et laetentur; quaerite Deum, et vivet anima vestra ». — Quarto, propter *copiam abundantis sufficientiae;* Tobiae quinto [2]: « Sufficiebat nobis paupertas nostra » etc.; et iterum Proverbiorum duodecimo: « Melior est pauper et sufficiens sibi quam gloriosus et indigens pane »; quocontra Ecclesiastici decimo quarto: « Insatiabilis oculus cupidi ». — Quinto, propter *custodiam protectionis supernae;* Proverbiorum vigesimo secundo [3]: « Ne facias violentiam pauperi, quia pauper est, neque conteras egenum in porta, quia Dominus iudicabit causam eius et configet eos qui confixerunt eum »; Iob quinto: « Salvum faciet egenum a gladio oris eorum et de manu violenti pauperem »; et Psalmus: « Factus est Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione ».

*Tertia.* *Quarta.* *Quinta.*

43. Sexto, propter *complacentiam acceptationis divinae;* Isaiae ultimo [4]: « Ad quem respiciam nisi ad pauperculum » etc.; et in Psalmo: « Oculi eius in pauperem respiciunt »; et Ecclesiastici undecimo: « Est homo marcidus »; « et abundans paupertate, et oculus Dei respexit illum in bono et erexit eum ab humilitate ipsius ». — Septimo, propter *condescendentiam pietatis paternae;* Psalmus [5]: « Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum »; iterum: « Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exsurgam »; et rursus: « Parcet pauperi et inopi ». — Octavo, propter *eminentiam auctoritatis iudiciariae;* Iob trigesimo sexto [6]: « Non salvat impium et iudicium pauperibus tribuit »; Matthaei decimo nono: « Vos, qui reliquistis omnia, sedebitis super sedes » etc. — Nono, propter *evidentiam perfectionis probatae;* Isaiae quadragesimo octavo [7]: « Elegi te in camino paupertatis »; et Apocalypsis secundo: « Scio tribulationem tuam et paupertatem tuam, sed blasphemaris ab his qui se dicunt Iudaeos, et non sunt, sed sunt synagoga satanae » etc. — Decimo, propter *excellentiam regalis praesidentiae;* Iacobi secundo [8]: « Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se »? Matthaei quinto: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum ». — Si igitur despectissimum est genus pauperum et excellentissimum genus divitum, excellentissimum miraculum est, quod pauperes ut reges evangelizantur.

*Sexta.* *Septima.* *Octava.* *Nona.* *Decima.*

44. (Vers. 23.). Postremo autem respondet omni *contradicenti,* comprimendo iudicia temeraria, quae praecipitant homines in diversa scandala. Propter quod adiungit: *Et beatus, qui* [9] *non fuerit scandalizatus in me,* id est, qui non iudicaverit me hominem purum et non Deum, in consideratione infirmitatis assumtae; quod quidem erat valde difficile, immo impossibile non credenti; unde primae ad Corinthios primo [10]: « Nos praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam ». Sed quidam scandalizati sunt propter *infirmitatem,* sicut discipuli; Matthaei vigesimo sexto: « Omnes in me scandalum patiemini in nocte ista »; quidam autem ex *malignitate,* sicut scribae et Pharisaei, secundum illud Matthaei decimo quinto: « Scitis, quia Pharisaei, audito hoc verbo, scandalizati sunt »? Unde generale documentum est hoc omnibus volentibus nosse Christum, ut propter infirma, quae passus est, non incurrant scandalum, secundum illud Isaiae octavo [11]: « Dominum exercituum ipsum sanctificate, et erit vobis in sanctificationem; in lapidem autem offensionis et in petram scandali duabus domibus Israel et in ruinam habitantibus Ierusalem ». Et ideo recte talem vocat *beatum,* quia vitat periculum erroris et pervenit ad lucem veritatis, sicut Petrus, cui dicitur Matthaei decimo sexto [12]: « Beatus es, Simon Bariona, quia caro et sanguis non revelavit tibi » etc.

*Respondet contradicenti.*

45. *Spiritualiter* hic nota, quod ex curatione morborum praesentialiter exhibita intelligitur perfecta curatio ab *originali;* sed ex curatione morborum denuntiata Ioanni, perfecta curatio ab *actuali.*

*Expositio spiritualis.*

Quantum ad curationem ab *originali* nota, quod ad hoc, quod perfecte curetur, oportet, quod fiat curatio et sanatio a quatuor, quae fuerunt propter originale peccatum inflicta, scilicet a *concupiscentia, impotentia, malitia* et *ignorantia* [13]. Et haec quatuor designantur per curationem quatuor generum aegritudinum. Nam *concupiscentia* intelligitur per *languorem* propter adhaerentiam universalem, secundum illud Isaiae primo [14]: « Omne caput languidum, et omne cor moerens ». *Impotentia,* per *plagam;* Ieremiae decimo: « Vae mihi super contritione mea! pessima plaga mea ». Per *spiritum malignum* intelligitur *nequitia;* primi Regum decimo sexto: « Exagitabat Saul spiritus nequam ». Per *caecitatem,*

*Curatio a peccato originali.*

---

[1] Vers. 19. — Subinde allegatur Ps. 68, 33.
[2] Vers. 25. — Duo seqq. loci sunt Prov. 12, 9. et Eccli. 14, 9.
[3] Vers. 22. et 23. — Sequuntur Iob 5, 15. et Ps. 9, 10.
[4] Vers. 2, post quem Ps. 10, 5; Eccli. 11, 12. et 13, ubi pro *in bono* C D G *in bonum* (Septuaginta: *in bona).*
[5] Psalm. 33, 7; deinde Ps. 11, 6. et 71, 13. — Superius vocibus *pietatis paternae* Vat. interserit *supernae, id est.*
[6] Vers. 6. — Sequitur Matth. 19, 28.
[7] Vers. 10. et Apoc. 2, 9. seq.
[8] Vers. 5, post quem Matth. 5, 3.
[9] Vulgata: *Et beatus est quicumque;* Card. Hugo et Lyranus exhibent etiam *qui.* — Inferius pro *infirmitatis* C *humanitatis,* B legit *humanitatis assumtae vel infirmitatis.*
[10] Vers. 23. — Duo seqq. loci sunt Matth. 26, 31. et 15, 12.
[11] Vers. 13. et 14.
[12] Vers. 17.
[13] Cfr. II. Sent. d. 22. dub. 2.
[14] Vers. 5. — Duo seqq. loci sunt Ier. 10, 19. et I. Reg. 16, 14.

*ignorantia;* Isaiae quinquagesimo nono [1]: « Palpavimus quasi caeci in meridie »; et quinquagesimo sexto: « Speculatores eius caeci omnes ». — In curatione ergo huius quadruplicis aegritudinis intelligitur perfecta curatio originalis.

Curatio a peccato actuali. Quinque gradus peccati actualis.

46. Quantum ad curationem perfectam ab *actuali* nota, quod in consummatione impietatis in actuali quinque sunt gradus. Primus est *deviatio in eligendo,* et haec per *caecitatem* designatur; Threnorum quarto [2]: « Erraverunt caeci in plateis »; quia « error et tenebrae peccatoribus concreata sunt », secundum illud Ecclesiastici undecimo. — Secundus est *deordinatio in prosequendo,* quae intelligitur per *claudos;* Psalmus [3]: « Filii alieni inveterati sunt et claudicaverunt a semitis suis »; unde tertii Regum decimo octavo: « Usquequo claudicatis in duas partes » etc. — Tertius, *contagio in conversando,* quae per *lepram* intelligitur; Deuteronomii vigesimo quarto [4]: « Observa diligenter, ne incurras plagam leprae »; Ezechielis trigesimo sexto: « Mundamini ab omnibus inquinamentis vestris ». — Quartus est *obduratio in perdurando,* quae per *surditatem* intelligitur, secundum illud Psalmi [5]: « Sicut aspidis surdae et obturantis aures suas ». — Quintus est *desperatio in contemnendo,* quia « impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit », Proverbiorum decimo octavo [6]. Et haec designatur per *mortem;* Isaiae vigesimo octavo: « Percussimus foedus cum morte »; et hoc « est peccatum ad mortem », de quo dicitur primae Ioannis quinto. — Ab omnibus curat virtus Christi per gratiam suam, quae designata fuit in piscina, de qua dicitur Ioannis quinto [7], quod « Angelus Domini descendebat, et movebatur aqua, et qui prior descendebat sanus fiebat, a quacumque detinebatur infirmitate ». Et haec est « virtus, quae de illo exibat et sanabat omnes », secundum quod dicitur supra sexto.

Secundo testimonium Ioannis comprobatur per evidentiam virtutis eiusdem dupliciter.

47. *Et cum discessissent* etc. Supra [8] comprobavit testimonium Ioannis per evidentiam veritatis in se; hic secundo comprobat per *evidentiam virtutis in testificante Ioanne.* Et haec pars habet duas partes, in quarum prima multipliciter *extollitur praerogativa virtutis in Ioanne;* in secunda vero *redarguitur perfidia incredulitatis in plebe,* ibi [9]: *Cui ergo similes dicam homines?*

Primo extollitur ipsius virtus quoad quatuor.

*Praerogativa* autem *virtutis* ostenditur fuisse quadrupliciter in Ioanne; primo scilicet quantum ad *meritum vitae;* secundo vero, quantum ad *officium doctrinae,* ibi [10]: *Sed quid existis videre? Prophetam* etc.; tertio, quantum ad *donum gratiae,* ibi: *Dico enim vobis: Inter natos mulierum* etc.; quarto, quantum ad *praeconium famae,* ibi: *Et omnis populus audiens* etc.

De primo duo.

Quantum ad primum notandum, quod meritum vitae dupliciter commendatur in Ioanne: primo, quantum ad *constantiam* respectu difficilium; secundo vero, quantum ad *abstinentiam* respectu delectabilium.

Commendatur constantia eius.

48. (Vers. 24.). Introducitur ergo primo commendatio *constantiae* Ioannis in absentia discipulorum; propter quod dicit: *Et cum discessissent nuntii Ioannis* [11], solutione quaestionis obtenta, revertentes tanquam boni nuntii ad eum, a quo missi fuerant; de quibus Iob trigesimo octavo: « Nunquid mittes fulgura, et ibunt et revertentia dicent tibi: Adsumus »? — In horum absentia laudari debebat Ioannes, ut ostendatur laus esse vera, non adulatoria; ideo dicitur: *Coepit de Ioanne dicere ad turbas; coepit* utique ipsum turbis laudare, ne videretur Ioannes ex dubitatione discipulos ad Christum transmisisse. — Ideo incipit eum de constantia commendare: *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* quasi dicat: non est Ioannes similis arundini, ut quolibet impulsu trepidet et concutiatur, sed fortis et fixus in fide et in omni bonitate; iuxta quod Iacobi primo [12]: « Postulet in fide nihil haesitans; qui enim haesitat similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur ». « Vir autem duplex animo inconstans est in omnibus viis suis ». Talis vere est *arundo,* non talis erat Ioannes, cum esset sanctissimus, cum dicatur Ecclesiastici vigesimo septimo [13]: « Homo sanctus in sapientia remanet sicut sol; nam stultus sicut luna mutatur ». Tales sunt omnes Sancti, secundum illud ad Ephesios quarto: « Non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum ». Ideo rogabat Paulus secundae ad Thessalonicenses secundo: « Rogamus vos, fratres, per adventum Domini nostri Iesu Christi, ut non cito moveamini a vestro sensu ». Hanc autem constantiam qui vult adipisci debet relinquere mundum et exire ad Ioannem in desertum, secundum quod dicitur primi Machabaeorum secundo [14]: « Exclamavit Mathathias voce magna: Omnis, qui habet zelum Legis, exeat post me »; et sequitur, quod « multi exierunt in desertum ».

---

[1] Vers. 10, post quem 56, 10.

[2] Vers. 14. — Sequitur Eccli. 11, 16. — Superius plures codd. omittunt *nota, quod in consummatione impietatis in actuali.*

[3] Psalm. 17, 46, cui subiungitur III. Reg. 18, 21.

[4] Vers. 8. — Subinde allegatur Ezech. 36, 25.

[5] Psalm. 57, 5.

[6] Vers. 3, post quem Isai. 28, 15. et I. Ioan. 5, 16: Qui scit, fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem; non pro illo dico, ut roget quis.

[7] Vers. 4. — Sequitur Luc. 6, 19.

[8] Cfr. supra n. 33.

[9] Vers. 31.

[10] Vers. 26; tertium habetur v. 28; quartum v. 29.

[11] De lectione codd. cfr. supra pag. 173, nota 3. — Subinde allegatur Iob 38, 35.

[12] Vers. 6. et 8. — Cfr. Beda, II. in Luc. 7, 24.

[13] Vers. 12. — Sequuntur Eph. 4, 14. (ubi pro *in nequitia* A C D *in astutia,* qui etiam subinde omittunt *Ideo rogabat Paulus)* et II. Thess. 2, 1. seq. Cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 6. n. 2.

[14] Vers. 27. et 29, ubi pro *exierunt* Vulgata *descenderunt.*

Item, abstinentia eius.

49. (Vers. 25.). Secundo vero subditur commendatio *abstinentiae* Ioannis respectu delectabilium; propter quod dicit: *Sed quid existis videre?* id est considerare: *Hominem mollibus vestimentis vestitum*[1]*?* quasi dicat: non; Ioannes enim sanctissimus ab omni mollitie carnalitatis erat alienus, sicut dicitur Matthaei tertio: « Habebat autem Ioannes vestimentum de pilis camelorum, esca autem eius erant locustae ». Hic vere erat de numero virorum evangelicorum, in quorum persona primae ad Timotheum sexto[2] dicitur: « Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus »; *quibus tegamur* dicit, non: quibus ornemur. Bernardus ad Eugenium: « Apostoli fortes fuerunt in bello, non molles in serico; quodsi filius es Apostolorum et Prophetarum, et tu fac similiter ». Sed qui hoc vult facere, oportet quod deserat mundum et cum Ioanne exeat in desertum. — Propter quod adiungit: *Ecce, qui in veste pretiosa sunt et in*[3] *deliciis in domibus regum sunt;* quasi dicat: vestis pretiosa et vita deliciosa sunt hominum mundanorum, non virorum spiritualium et christianorum. Unde primae Petri tertio[4] dicitur de mulieribus: « Quarum non sit extrinsecus capillatura aut circumdatio auri et argenti aut indumenti vestimentorum cultus ». Super quo Gregorius: « Nemo putet in cultu pretiosarum vestium deesse peccatum. Pensate, quae culpa sit hoc etiam viros appetere, a quo curavit pastor Ecclesiae etiam feminas prohibere ». Huiusmodi namque vestimenta pretiosa sunt carnalia et deliciosa, in deliciis autem periclitatur spiritualis vita; unde primae ad Timotheum quinto[5]: « Vidua, quae in deliciis est, vivens mortua est »; Ieremiae trigesimo primo: « Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga »? Huiusmodi autem vestes pretiosae et deliciosae consueverunt esse vanae gloriae occasio; et ideo addit: *In domibus regum sunt;* de quo Ecclesiastici undecimo[6]: « In vestitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris ».

De secundo vel de officio doctrinae duo.

50. (Vers. 26.). *Sed quid existis videre?* Postquam commendavit Salvator Ioannem quantum ad meritum vitae, hic commendat quantum ad *officium doctrinae,* et recto ordine, quia prior debet esse vita bona quam doctrina authentica. Commendatur autem *doctrinae officium* in Ioanne dupliciter, scilicet quantum ad *limpiditatem in cognoscendo* et quantum ad *auctoritatem in docendo,* quae duo perfectum reddunt doctoris officium.

Commendatur limpiditas in cognoscendo.

Primo ergo quantum ad *limpiditatem in cognoscendo* divinum mysterium dicitur: *Sed quid existis videre? Prophetam?* cui scilicet Dominus revelet futura, secundum illud Amos tertio[7]: « Neque enim facit Dominus Deus verbum, nisi prius revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas ». Huic autem non solum futura praedixit, sed etiam se praesentialiter ostendit; et ideo addit: *Utique, dico vobis, et plus quam Prophetam.* De quo Ambrosius[8]: « Quia multi cupierunt eum videre, quem iste prophetavit, quem iste conspexit, quem iste baptizavit »; ideo, ostendendo Christum digito et videndo oculo, aliis Prophetis fuit excellentior et beatior, secundum illud infra decimo[9]: « Beati oculi, qui vident quae vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetae et reges voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt ». Et ideo, quia excellentius fuit eius officium quam Prophetarum, ideo Baptista, Ioannis primo[10], Pharisaeis quaerentibus: « Propheta es tu? » respondet: « Non sum, sed vox clamantis in deserto ». Nec est aliqua contradictio, sed consonantia, quia *propheta* praedicit futura et absentia, sed *vox* patefacit praesentia.

Item, auctoritas in docendo.

51. (Vers. 27.). Secundo vero quantum ad *auctoritatem in docendo* per divinum mandatum dicitur: *Hic est, de quo scriptum est,* scilicet Malachiae tertio[11], ubi loquitur Pater ad Filium: « Ecce, ego mitto angelum meum », id est nuntium authenticum, Ioannem, qui *angelus* dicitur non simplicitate naturae, sed auctoritate doctrinae, secundum illud Malachiae secundo: « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent de ore eius, quia angelus Domini exercituum est ». Ideo autem dicitur Ioannes *nuntius* ad modum Angeli, quia, sicut Angeli « vident faciem Patris[12] » in Deitate, sic ipse vidit faciem Christi et monstravit in carne. — Propter quod addit: *Ante faciem tuam,* id est apparitionem in carne, de qua in Psalmo[13]: « Ostende nobis faciem tuam, et salvi erimus ». Hanc faciem desiderabat Isaias in persona Patrum, sexagesimo quarto: « Utinam dirumperes caelos et descenderes;

[1] Vulgata et H *indutum;* Matth. 11, 8: *Hominem mollibus vestitum?* — Subinde allegatur Matth. 3, 4.

[2] Vers. 8. — Sententia Bernardi habetur II. de Considerat. c. 6. n. 13: Sic Prophetae, sic Apostoli factitabant. Fortes fuere in bello [cfr. Hebr. 11, 34.], non molles in sericis. Si filius etc. — Pro *quodsi filius* C D *quia si,* H *quare si.*

[3] Vulgata omittit *in,* quod tamen exhibent Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Catena aurea) et Lyranus.

[4] Vers. 3. — Verba Gregorii habentur I. Homil. in Evang. homil. 6. n. 3, ubi post *deesse peccatum* textus originalis duplicem probationem adiungit, scil. laudem Domini de asperitate vestimenti Ioannis et vituperationem feminarum pretiosa veste utentium (I. Petr. 3, 3.). Pro *Pensate, quae culpa sit hoc etiam viros appetere* (ita textus originalis) codd. *quia* [H *et idem*] *sine dubio viros appetere culpa est.*

[5] Vers. 6. (pro *in deliciis est* codd. *in deliciis vivit),* post quem Ier. 31, 22.

[6] Vers. 4. — Superius pro *vanae gloriae occasio* B C D *vanagloriosae;* cfr. supra pag. 151, nota 2.

[7] Vers. 7.

[8] Libr. V. in Luc. n. 100. Codd. legunt: *Quia... quem iste prophetando conspexit et baptizando.*

[9] Vers. 23. et 24; cfr. Matth. 13, 16. seq.

[10] Vers. 21. et 23. Vide supra pag. 72, notam 6.

[11] Vers. 1. — Subinde allegatur Malach. 2, 7; cfr. Hieron., II. Comment. in Matth. 11, 8. et Beda, II. in Luc. 7, 27, ubi sequitur Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 6. n. 5. seq.

[12] Matth. 18, 10.

[13] Psalm. 79, 20, post quem Isai. 64, 1.

a facie tua montes defluerent ». — Et quia non erant parati ad istam faciem recipiendam, nisi praemunirentur; ideo dicitur: *Qui praeparavit viam tuam*[1] *ante te,* scilicet nascendo, conversando, baptizando, praedicando. Omnibus enim his modis manuducebat ad Christum, sicut vox ad verbum. Ideo recte de ipso dictum est Isaiae quadragesimo[2], et resumtum est supra tertio et Ioannis primo: « Ego vox clamantis in deserto: Parate viam Domini »; ut impleatur illud Isaiae trigesimo quinto: « Erit vobis directa via, ut stulti non errent per eam ».

De tertio seu de dono gratiae duo.

52. (Vers. 28.). *Dico enim vobis: Maior* etc. Hic tertio commendat Christus suum praecursorem quantum ad *donum gratiae divinae,* qua fuit « magnus coram Domino », secundum quod dicitur supra primo[3]. Et quoniam donum gratiae in Ioanne *praerogativam* habuit in *gradu* et *mensuram* finitatis in *statu;* ideo haec duo insinuat, cum donum gratiae in Ioanne commendat.

Commendatur praerogativa in gradu.

Primo igitur commendat Ioannem quantum ad *praerogativam doni gratuiti* respectu hominis puri, cum dicit: *Dico enim vobis: Maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est.* Non est ergo inter homines in *gradu gratiae* infimo vel medio, necesse est igitur, quod sit in supremo. Unde non solum ex hoc dicitur, quod sit magnus, sed quod sit maximus, ut possit de eo dici illud Ecclesiastici quadragesimo sexto[4], quod dicitur de Iosue: « Qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei ». Quia enim magnam habuit gratiam, ideo *Ioannes* vocatus est[5]. Magnus etiam fuit per *vitae meritum,* maior per *doctrinae magisterium,* maximus per *gratiae privilegium.* Non autem dicitur *maior omnibus,* ut omnibus *praeferatur,* sed quod alius non fuerit maior eo; nec dicitur de omnibus *universaliter* praeteritis et futuris, sed tunc praeteritis. Non dicitur etiam respectu *utriusque sexus,* sed tantum virilis; unde non includitur virgo Maria, quae « exaltata est super choros Angelorum[6] », nullam puram creaturam habens superiorem nec etiam aequalem, secundum illud Canticorum sexto: « Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suae, electa genetrici suae ».

Item, praerogativa in mensura.

53. Secundo vero insinuat *doni illius mensuram* respectu hominis Christi, quantum ad quem dicit: *Qui autem minor est in regno caelorum maior est eo*[7]. *Regnum caelorum* hic vocat Ecclesiam, secundum quod exponit Gregorius illud Matthaei decimo tertio: « Mittet Angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala ». *Minor* in hoc regno dicitur humilior; hic autem est Christus, de quo in Psalmo[8]: « Minuisti eum paulo ab Angelis, gloria et honore coronasti eum ». Quia enim, sicut dicitur ad Philippenses secundo, « humiliavit semetipsum, factus est obediens usque ad mortem »; « dedit illi Dominus nomen, quod est super omne nomen ». Et sic verificatum est illud Isaiae sexagesimo[9]: « Minimus erit in mille et parvulus in gentem fortissimam ». Et haec est lex divina, quam ipse dedit Matthaei decimo octavo: « Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est maior in regno caelorum ». Sic utique, immo plus per omnem modum humiliavit se Christus; infra vigesimo secundo: « Quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat ». Unde Gregorius[10]: « Humilia te, quantumcumque potes, adhuc Christus erit humilior ». — Posset tamen exponi de Beatis, quod minor bonorum Angelorum maior esset Ioanne pro statu illo; est enim « ignis caritatis in Sion, sed caminus in Ierusalem », Isaiae trigesimo primo[11]. Aliter.

De quarto seu de praeconio famae duo.

54. (Vers. 29.). *Et omnis populus audiens* etc. Hic quarto, ut nihil desit commendationi Ioannis, commendatur a Domino quantum ad *praeconium famae.* Et quoniam fama bonorum salutifera est electis et perniciosa reprobis, secundum illud secundae ad Corinthios secundo[12]: « Christi bonus odor sumus Deo in his qui salvi fiunt et in his qui pereunt;

---

[1] Vat. cum pluribus codd. *suam.*

[2] Vers. 3; Luc. 3, 4. et Ioan. 1, 23. — Subinde allegatur Isai. 35, 8.

[3] Vers. 15. — Inferius pro *finitatis* Vat. *sanctitatis.*

[4] Vers. 1. seq. — Superius pro *sed quod sit maximus, ut,* quod praebet D, A C G *sed etiam maximus, ut* (G *ita ut),* Vat. *sed etiam ita magnus, quod.*

[5] Cfr. supra pag. 36, nota 6.

[6] Vide Breviar. Roman. festum Assumt. B. M. V. (15. Aug.), in quo haec propositio pluries occurrit. Inter opera Hieron. habetur Epist. 9. (ad Paulam et Eustochium) de Assumt. B. M. V., in qua (c. 7.) dicitur: Haec est dies praeclara, in qua meruit exaltari super choros Angelorum... Sic itaque ubique confidenter sancta Dei canit Ecclesia, quod de nullo alio Sanctorum fas est credere, ut ultra Angelorum et Archangelorum dignitatem merito transcenderit etc. Cfr. tom. III. pag. 57, nota 5. — Subinde allegatur Cant. 6, 8. Cfr. Ambros., V. in Luc. n. 110. et Hieron., II. Comment. in Matth. 11, 11. — Superius post *Non dicitur* plures codd. omittunt *etiam.*

[7] Vulgata, Vat. et H *regno Dei, maior est illo;* cfr. Matth. 11, 11: Qui autem minor est in regno caelorum etc. — Sententia Gregorii super Matth. 13, 41. habetur I. Homil. in Evang. homil. 12. n. 1. — Superius pro *ad quem* A *ad quod.*

[8] Psalm. 8, 6, post quem Phil. 2, 8. seq.

[9] Vers. 22. — Duo seqq. loci sunt Matth. 18, 4. et Luc. 22, 27.

[10] In *Hieron.* Epist. 66. (alias 26.) n. 13. invenimus hanc sententiam: Quantumcumque te deieceris, humilior Christo non eris. Esto, incedas nudis pedibus, fusca tunica vestiaris, aequeris pauperibus... ubi vincula? ubi alapae? ubi sputa? ubi flagella? ubi patibulum? ubi mors?

[11] Vers. 9. — Glossa *ordinaria* in Luc. 7, 28: Omnis Sanctus, qui iam est cum Deo, maior est eo qui adhuc est in mundo. Vel: ego, quem minorem facit multorum opinio, in Ecclesia Sanctorum illi praelatus sum. Vel: novissimus Angelus caeli melior est quovis homine. — Superius pro *de Beatis* H *de beatis spiritibus,* Vat. *de bonis Angelis.*

[12] Vers. 15. seq. — Aliquanto inferius pro *ipsam salutiferam... mortiferam* Vat. *ipsum salutiferum... mortiferum.*

aliis quidem odor mortis in mortem, aliis odor vitae in vitam »; ideo commendat dupliciter praeconium famae in Ioanne: primo ostendendo ipsam *salutiferam credentibus,* secundo *mortiferam despicientibus.* Primis enim videbatur Ioannes laudabilis, secundis vero contemptibilis; primi erant humiles et secundi superbi.

**Commendatur fama ut salutifera credentibus.**

Primo ergo introducit commendationem Ioannis de humilibus assentientibus, cum dicit: *Et omnis populus audiens,* Ioannem scilicet praedicantem, *iustificaverunt*[1] *Deum,* id est, iustum esse dixerunt, se ipsos ostendendo iniustos, peccata confitendo, secundum illud Psalmi: « Iustificeris in sermonibus tuis et vincas, cum iudicaris ». Peccator enim, dum confitetur peccatum, Deum *dicit iustum* et *iustificat* se ipsum, secundum illud Isaiae quadragesimo tertio[2]: « Narra, si quid habes, ut iustificeris »; alia translatio: « Dic tu prior iniquitates tuas, ut iustificeris ». Et hoc modo publicani et peccatores fecerunt, audientes Ioannem, secundum illud Matthaei tertio: « Exibat ad eum omnis Ierosolyma et omnis Iudaea et omnis regio circa Iordanem, ut baptizarentur ab eo, confitentes peccata sua ». Haec enim duo requiruntur ad iustificationem peccatorum, scilicet poenitentia et baptismus. — Et ideo subdit: *Baptizati baptismo Ioannis;* supra tertio[3]: « Venerunt autem et publicani, ut baptizarentur », ab eo quaerentes, quid agerent; unde signo et verbo approbabant Ioannem tanquam Dei angelum et gloriosum habebant nomen eius. Unde cum Dominus quaereret a Pharisaeis Matthaei vigesimo primo[4]: « Baptismus Ioannis unde erat, e caelo, an ex hominibus »? dixerunt inter se: « Si dixerimus: E caelo, dicet nobis: Quare non credidistis illi? Si autem dixerimus: ex hominibus, timemus turbam; omnes enim Ioannem sicut Prophetam habebant ». Et ideo subditur: « Publicani et meretrices praecedent vos in regnum caelorum ».

**Item, ut mortifera despicientibus.**

55. (Vers. 30.). Secundo vero adiungit contemptum Ioannis a Pharisaeis superbientibus, cum dicit: *Pharisaei autem,* in quibus fastus sanctitatis, *et legis periti,* in quibus arrogantia notitiae veritatis, *consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo,* quia, secundum illud infra decimo[5], « qui vos spernit me spernit ». Unde qui spreverunt Ioannem, qui erat Dei nuntius, spreverunt divinum consilium. Tales fuerunt Pharisaei, ita ut posset eis Sapientia Dei improperare[6]: « Despexistis omne consilium nostrum »; et verificatum sit in eis illud Isaiae primo: « Filios enutrivi et exaltavi; ipsi autem spreverunt me ». Et ideo consuluit Apostolus primae ad Thessalonicenses ultimo: « Spiritum nolite exstinguere, prophetias nolite spernere ». — In hoc autem divinum consilium spreverunt, quia baptismum recusaverunt, per quod divina sapientia consuluit humanae saluti. Cuius figura praecessit in arca Noe in diluvio fabricata, Genesis sexto[7]. Propter quod dicitur primae Petri tertio: « Quod et vos nunc similis formae salvos facit baptisma ».

**Figura.**

**Pharisaei spreverunt consilium Dei ob sex rationes.**

56. Et nota, quod *Pharisaei spreverunt consilium Dei in semetipsos,* propter sex rationes. Primo, quia praetulerunt statuta humana divinis; Matthaei decimo quinto[8]: « Quare vos transgredimini Legem Dei propter traditionem vestram »? — Secundo, quia praetulerunt iustitiam Legis iustitiae fidei; ad Romanos decimo: « Ignorantes Dei iustitiam et suam quaerentes statuere » etc. — Tertio, quia praetulerunt apparentiam veritati; Matthaei vigesimo tertio[9]: « Vae vobis! qui mundatis quod deforis est ». — Quarto, quia praeferebant affluentiam paupertati; infra decimo sexto: « Audiebant omnia haec Pharisaei, qui erant avari, et deridebant illum » etc. — Quinto, quia vanam gloriam humilitati; Ioannis duodecimo[10]: « Dilexerunt magis gloriam hominum quam gloriam Dei ». — Sexto, quia commodum honestati; Matthaei vigesimo tertio: « Vae vobis! qui dicitis: Qui iuraverit per templum, nihil est; qui autem iuraverit in auro templi, debet. Stulti et caeci » etc.

**Secundo redarguitur perfidia in plebe quoad quatuor.**

57. (Vers. 31.). *Ait autem Dominus: Cui ergo similes dicam* etc. Postquam Salvator noster extulit praerogativam virtutis in Ioanne, hic *redarguit perfidiam incredulitatis in plebe,* cuius incredulitatem redarguit quadrupliciter. Notat enim eos de *infidelitate,* de *duritia,* de *detractione* et de *blasphemia.*

**De plebis infidelitate in cogitatione.**

Primo igitur quantum ad notam *infidelitatis in cogitatione* dicitur: *Cui ergo similes dicam homines generationis huius, et cui similes sunt?* qui scilicet noluerunt credere Ioanni propter mentis caecitatem; *huius,* inquam, *generationis* incredulae, secundum illud Deuteronomii trigesimo secundo[11]: « Generatio enim perversa est et infideles filii »; et Marci nono: « O generatio incredula! quamdiu ero apud vos? quamdiu vos patiar »? Psalmus: « Ne fiant, sicut patres eorum, generatio prava et exasperans, generatio, quae non direxit cor suum, et non est cum Deo spiritus eius ». Et ideo Ieremiae secundo: « Considerate vehementer, si mutavit gens deos suos; populus vero meus mutavit gloriam suam in idolum »

---

[1] Vulgata et Vat. *et publicani iustificaverunt.* — Sequitur Ps 50, 6.

[2] Vers. 26. Alia translatio est septuaginta interpretum. Cfr. de hac expositione Glossa *ordinaria* (ex Ambrosio) in Luc. 7, 29. — Subinde allegatur Matth. 3, 5. seq.

[3] Vers. 12.

[4] Vers. 25. seq. et deinde v. 31; A C D prosequuntur: *et ideo additur* [v. 32.], *quia* « non credidistis me [l ei?] ». — Cod. B legit: *Unde timuerunt Pharisaei respondere quaestioni Domini de baptismo Ioannis, quia* « omnes Ioannem prophetam habebant, Matth. 21, timebant turbam ».

[5] Vers. 16; codd. allegant perperam *Matth. 10.*

[6] Prov. 1, 25, post quem Isai. 1, 2. et I. Thess. 5 19. seq.

[7] Vers. 14. seqq. — Sequitur I. Petr. 3, 21.

[8] Vers. 3. — Subinde allegatur Rom. 10, 3.

[9] Vers. 25. — Sequitur Luc. 16, 14. seq.

[10] Vers. 43. — Subinde allegatur Matth. 23, 16. seq.

[11] Vers. 20. — Tres seqq. loci sunt Marc. 9, 18; Ps. 77, 8. (in cuius fine post *non est* Vulgata et H cum Vat. addunt *creditus,* A C D *tibi)* et Ier. 2, 10. seq.

De plebis duritia in affectione.

58. (Vers. 32.). Secundo, quantum ad notam *duritiae in affectione* subdit: *Similes sunt pueris*, ubi adiungit similitudinem, per quam ostenditur duritia eorum, quia nec moti sunt ad *cantum* promissionum nec ad *lamentum* comminationum, sicut pueri stulti in foro non respondent aliis, nec cantantibus nec lamentantibus; quos introducit per modum similitudinis. Propter quod dicit: *Similes sunt pueris sedentibus in foro.* Similiter competit eis dici et improperari quod improperant pueri sedentes in foro suis coaetaneis. Propter quod addit: *Loquentibus*[1] *ad invicem et dicentibus: Cantavimus vobis tibiis, et non saltastis;* quia sic possunt eis praedicatores dicere: *Cantavimus vobis tibiis*, scilicet promissa Dei concrepando; *et non saltastis*, proficiendo. Et recta est comparatio, quia praedicator tibicini comparatur, secundum illud Isaiae quinquagesimo octavo[2]: « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam »; et Ieremiae quarto: « Canite tuba in Sion ». Nec immerito, quia, Ecclesiastici quadragesimo[3], « tibiae et psalterium suavem faciunt melodiam, et super utraque lingua suavis ». Ad haec duri corde non moventur nec saltant per profectum bonorum operum; de quo saltu Malachiae quarto: « Egrediemini, et salietis sicut vitulus de armento et calcabitis impios ». Et de hac Ambrosius[4]: « Honesta saltatio, quia tripudiat animus bonis operibus elevatus »; unde qui ad cantum promissionum moti non fuerunt duri sunt corde, sed opere duriores, quia nec ad comminationes suppliciorum. — Propter quod addit: *Lamentavimus* vobis, scilicet per comminationem poenae; Ezechielis secundo[5]: « Scriptae erant in libro lamentationes et carmen et vae »; et Ieremiae nono: « Contemplamini et vocate lamentatrices, et assumant super nos lamentum »; Ioelis secundo: « Convertimini ad me in ieiunio et fletu et planctu, et scindite corda vestra et non vestimenta vestra ». Et tamen ad hoc moti non sunt; unde addit: *Et non plorastis*, per compunctionem poenitentiae; Isaiae vigesimo secundo[6]: « Vocabit Dominus ad fletum et planctum »; et post: « Et ecce, gaudium et laetitia, iugulare arietes » etc.; cum tamen dicat Apostolus ad Romanos duodecimo: « Gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus ».

De eius detractione in locutione.

59. (Vers. 33.). Tertio, quantum ad notam *detractionis in locutione*, qua bonum ponunt in malum, dicitur: *Venit Ioannes Baptista non manducans*[7] *panem neque bibens vinum*, et ita in via *severitatis* et *iustitiae*, sicut dicitur Matthaei vigesimo primo: « Venit ad vos Ioannes in via iustitiae ». Unde quia venit cum austeritate poenitentiae, ideo venit sicut lamentans et gemens propter salutem populi, secundum illud Danielis decimo: « Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, et caro et vinum non introierunt in os meum ». Sed tamen per eum non est emollita eorum duritia ad plorandum, sed aucta malitia ad detrahendum. — Unde subditur: *Et dicitis: Daemonium habet*, quia dissimilis est vitae alienae. Sic dicebant Salvatori Ioannis decimo[8]: « Daemonium habet; quid eum auditis »? Unde opera virtutum, quae sunt a Spiritu sancto, ipsi ex nequitia cordis attribuebant daemonio, sicut Matthaei nono dicebant: « In principe daemoniorum eiicit daemonia ». Et sic verificatum est in eis illud Ecclesiastici undecimo[9]: « Bona in mala convertens insidiatur, et in electis imponet maculam ». Et propterea vae eis, secundum illud Isaiae quinto: « Vae! qui dicitis bonum malum et malum bonum ».

De eius blasphemia in obduratione.

60. (Vers. 34.). Quarto, quantum ad notam *blasphemiae in obduratione* contra ipsum Christum subditur: *Venit Filius hominis manducans et bibens*, et ita in via *clementiae* quasi medicus et tanquam sponsus, sicut supra quinto[10]: « Non poteritis filios sponsi facere ieiunare, quamdiu cum illis est sponsus ». — Et tamen non sunt moti ad exsultandum, sed depravati ad blasphemandum; et ideo subditur: *Et dicitis: Ecce, homo vorator*[11] *et bibens vinum;* hoc dicunt quantum ad *superfluitatem victus*, quasi dicant: non potest esse sapiens, secundum illud Proverbiorum vigesimo: « Luxuriosa res vinum et tumultuosa ebrietas ». *Amicus publicanorum et peccatorum*, quantum ad *inhonestatem convictus*, quasi dicant: non potest esse bonus, quia, sicut dicitur Ecclesiastici decimo tertio[12], « qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, et qui communicaverit superbo induet superbiam ». Sed male, quia Ieremiae decimo quinto: « Ipsi convertentur ad te, et non converteris ad eos »; et Matthaei nono: « Euntes discite, quid est: Misericordiam volo et non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores », ad poenitentiam.

Haec aggravatur.

61. (Vers. 35.). Et quia blasphemia Iudaeorum aggravatur ex vera praedicatione Apostolorum, ideo

---

[1] Vulgata et H cum Vat. *Et loquentibus.* — Pro *suis coaetaneis* E *cantantes.* Inferius pro *concrepando* A C D *increpando,* H *nuntiando.*

[2] Vers. 1, post quem Ier. 4, 5. seq. (cfr. Ioel 2, 1. et 15.).

[3] Vers. 21. — Subinde allegatur Malach. 4, 2. seq.

[4] Libr. VI. in Luc. n. 8, ubi textus originalis, quem sequitur Vat., pro *bonis operibus elevatus* substituit *et bonis corpus operibus elevatur.*

[5] Vers. 9, post quem Ier. 9, 17. seq. et Ioel 2, 12. seq.

[6] Vers. 12. et 13. — Sequitur Rom. 12, 15.

[7] Vulgata: *Venit enim Ioannes Baptista neque manducans.* — Duo seqq. loci sunt Matth. 21, 32. et Dan. 10, 2. seq. (codd. legunt: *secundum illud Danielis 10: Propter salutem populi ego Daniel* etc.). — Superius pro *qua bonum ponunt in malum*, quod habent C H, D *qua bonum dicitur malum*, Vat. *quia bonum pervertitur in malum*, quae etiam subinde pro *et ita in via severitatis* substituit *vita in via securitatis.*

[8] Vers. 20. — Subinde allegatur Matth. 9, 34. — Superius pro *vitae alienae* H *vitae humanae.*

[9] Vers. 33, post quem Isai. 5, 20.

[10] Vers. 34.

[11] Vulgata et Vat. *devorator;* cfr. Matth. 11, 19, ubi ponitur *homo vorax.* — Subinde allegatur Prov. 20, 1.

[12] Vers. 1, post quem Ier. 15, 19. et Matth. 9, 13.

subditur: *Et iustificata est Sapientia ab omnibus filiis suis. Sapientiam* namque Evangelista vocat Christum, secundum illud primae ad Corinthios primo [1]: « Qui factus est nobis a Deo sapientia et iustitia ». Filii istius Sapientiae sunt Apostoli per verbum istius Sapientiae geniti et per Spiritum sanctum vivificati, secundum illud Ecclesiastici quarto [2]: « Sapientia filiis suis vitam inspirat », id est Christus Apostolis. Unde et Petrus dicebat Ioannis sexto: « Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes ». Isti *iustificaverunt,* id est, Christum iustum reputaverunt, dum eius verba per iustitiam et obedientiam impleverunt, secundum illud Ecclesiastici tertio [3]: « Filii sapientiae, ecclesia iustorum, et natio illorum, obedientia et dilectio ». Ad istorum exemplum Pharisaei debuerunt moveri, sed propter pertinaciam suam remanserunt in faecibus suis. Unde ipsis dicebat Matthaei duodecimo: « Si ego in Beelzebub eiicio daemones, filii vestri in quo eiiciunt? Ideoque ipsi iudices vestri erunt », quia ipsi iusti reputantur a Sapientia, quam iustificant, et Pharisaei iniusti et reprobi ab eadem Sapientia, quam condemnant propter pertinaciam et blasphemiam.

Apostoli sunt filii Sapientiae.

**Tertio declaratur sublimitas Doctoris propter affluentiam pietatis tripliciter.**

62. *Rogabat autem illum quidam Pharisaeus* [4]. Supra ostendit Evangelista sublimitatem Domini Salvatoris quantum ad excellentiam potestatis et quantum ad evidentiam veritatis; hic tertio ostendit quantum ad *affluentiam pietatis.* Ostenditur autem haec pietatis affluentia in Domino Iesu magna in peccatricis *susceptione,* maior in *approbatione,* sed maxima in *absolutione.* Suscepit enim accedentem, commendavit diligentem et absolvit poenitentem.

Divisio. Introducitur ergo primo in hac parte benigna *susceptio peccatricis accedentis*; secundo vero, benignior *approbatio diligentis*, ibi [5]: *Et respondens Iesus dixit ad illum* etc.; tertio vero, benignissima *absolutio poenitentis confitentis,* ibi: *Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata.*

Primo, de benigna susceptione peccatricis tria. Quantum ad primum notandum, quod *susceptio peccatricis* ad Dominum accedentis ostenditur esse magnae pietatis et misericordiae, tum propter *solemnitatem convivii,* in quo eam suscepit; tum propter *familiaritatem obsequii,* ad quod admisit; tum propter *temeritatem alieni iudicii,* ob quod [6] eam non dimisit.

Primum. 63. (Vers. 36.). Primo ergo quantum ad *solemnitatem convivii,* in quo peccatrix fuit pie a Domino suscepta, dicitur: *Rogabat autem illum quidam Pharisaeus, ut manducaret cum illo;* non est dubium, quin Dominum Iesum; et recte, secundum consilium et propositum Sapientis; Sapientiae octavo [7]: « Proposui hanc », id est sapientiam, Christum, « adducere ad convivendum, sciens, quoniam mecum communicabit de bonis suis ». Hic autem Pharisaeus iam non erat a Domino divisus, sed magis unitus, et ideo secure Dominum rogabat et ad convivium invitabat, secundum illud Iob vigesimo secundo [8]: « Si reversus fueris ad Omnipotentem, aedificaberis »; et sequitur: « Rogabis eum, et exaudiet te ». — Quod et iste consecutus est; unde et subditur: *Et ingressus domum Pharisaei discubuit.* Resedit ad manducandum et sic implevit illud visibiliter, quod spiritualiter promittit in Apocalypsis tertio [9]: « Si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum et coenabo cum illo, et ipse mecum ». Nec mirum, quia, sicut ipse dicit Proverbiorum octavo, « deliciae meae esse cum filiis hominum ». Hoc dicit quantum ad nimietatem caritatis, propter quam homo factus est et humanas indigentias libenter suscepit et pertulit inter homines, secundum illud Baruch tertio [10]: « Post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus est ». Haec ergo introducta sunt propter solemnitatem convivii.

Secundum. 64. (Vers. 37.). Quantum ad *familiaritatem obsequii,* ad quod fuit admissa, subditur: *Et ecce, mulier, quae erat in civitate peccatrix,* cuius infamia innotuerat toti civitati, ita ut posset ei dici illud Ieremiae tertio [11]: « Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere ». Haec est illa mulier, de qua dicitur Ecclesiastae septimo: « Inveni amariorem morte mulierem, quae laqueus est venatorum, et sagena cor eius »; et hoc, quia fornicaria manifesta, sicut dicit Ravennas [12], quod « infamia eius totam laeserat civitatem », ita ut impletum esset in ea quod comminatur Dominus per Amos ad Amasiam sacerdotem, Amos septimo: « Uxor tua in civitate fornicabitur ». Et ideo merito dicitur *peccatrix* et ratione infamiae et ratione frequentiae, secundum

---

[1] Vers. 30. Cfr. Hieron., II. Comment. in Matth. 11, 19. — Superius pro *Et quia blasphemia* A C D *Et quantum ad blasphemiam*, H *Haec autem falsa blasphemia.*

[2] Vers. 12. — Sequitur Ioan. 6, 69. — Superius pro *geniti* (quod C H omittunt) et *vivificati* Vat. *regenerati* et *iustificati.*

[3] Vers. 1. — Subinde allegatur Matth. 12, 27. — Inferius pro *Unde ipsis dicebat* C D *Unde ipse dicebat.*

[4] Vulgata, quam sequitur Vat., *de Pharisaeis.* — De divisione seq. cfr. supra n. 1. — Inferius pro *quandam affluentiam* ex H substituimus *quantum ad affluentiam,* G *quoad affluentiam.*

[5] Vers. 40; tertium habetur v. 48.

[6] Codd. A C F G *ad quod,* H *propter quod etiam;* cfr. infra n. 68. Subinde pro *dimisit* Vat. *abiecit.*

[7] Vers. 9.

[8] Vers. 23. et 27.

[9] Vers. 20, post quem Prov. 8, 31.

[10] Vers. 38.

[11] Vers. 3. — Subinde allegatur Eccle. 7, 27.

[12] Scilicet Petr. Chrysolog. archiepisc. Ravennas, Serm. 93. n. 8: *In civitate peccatrix.* Civitate [alias *Civitati; In civitate*] peccaverat, quia fama sua famam totius tetigerat civitatis; sicque iam non peccatrix solum, sed ipsius civitatis facta fuerat ipsa peccatum. — Sequitur Amos 7, 17. — Pro *Ravennas* D *Glossa.*

illud Ecclesiastici tertio[1]: « Cor nequam gravabitur in doloribus, et peccator adiecit ad peccandum »; et Apocalypsis ultimo: « Qui in sordibus est sordescat adhuc ». Non solum autem culpam iteraverat, sed et diversis modis peccaverat; unde super hoc quod dicitur Marci ultimo[2], quod « eiecerat Christus de Maria septem daemonia », Gregorius: « Per septenarium recte universitas designatur. Septem ergo daemonia Maria habuit, quae universis vitiis plena fuit ».

*A Domino tamen attrahitor.*

65. Quoniam ergo sic erat peccatrix et immunda, merito deberet repelli, maxime de loco convivii; et tamen propter pietatem Domini, quam cognovit, attracta fuit; unde et subditur: *Ut cognovit, quod Iesus*[3] *accubuisset in domo Pharisaei, attulit alabastrum unguenti,* id est pyxidem seu vas alabastri, quod « est de quodam genere marmoris, in quo incorrupta servantur unguenta ». Hoc attulit peccatrix ad domum Pharisaei, in qua Christum cognovit esse et a quo suscepta fuit, secundum illud Psalmi[4]: « Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam ». *Attulit,* inquam, unguentum *humilitatis,* ubi Christus accubuit, ut impleretur illud Canticorum primo: « Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum ». Haec autem aromata sive unguenta, quae attulit Magdalena Christo, designata sunt secundi Paralipomenon nono[5]: « Non fuerunt aromata talia, qualia haec, quae dedit regina Saba Salomoni ». — *Aliter.* Vel Magdalena Salvatori unguenta attulit propter impendendum familiare obsequium, ad quod admissa fuit, scilicet ad exhibendum Christo ex *devotione* quod sibi exhibuerat ex *libidine,* hoc est ad abluendum, detergendum, deosculandum et ungendum sacratissimam et mundissimam carnem Christi, ad quod admissa fuit propter affectum *poenitentiae* et *benevolentiae.*

*Ratio admissionis duplex.*

*Prima est affectus poenitentiae.*

66. (Vers. 38.). Quantum ad affectum *poenitentiae* dicitur: *Et stans retro secus pedes eius, lacrymis coepit rigare pedes eius,* per dolorem. In poenitente enim anima debet esse *pudor, timor* et *dolor. Pudor* erat, quia stabat *retro; timor,* quia *secus pedes; dolor,* quia *lacrymis rigabat,* sicut in illo publicano infra decimo octavo[6]: « Publicanus autem a longe stans, nolebat nec oculos ad caelum levare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori »; Ieremiae trigesimo primo: « Converte me, Domine, et convertar, quia tu Deus meus. Postquam convertisti me, egi poenitentiam, et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum et erubui » etc.; ubi tanguntur tria praemissa. — Quantum autem ad affectum *benevolentiae* additur: *Et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes eius, et ungebat unguento,* ubi ostenditur dilectio benevolentiae *pura, affectuosa* et *devota.* Debet enim caritas procedere « de corde puro[7] ». Magis autem curabat de infima parte corporis sui quam de suprema. Iam enim non quaerebat placere mundo, sed soli Christo, ut posset dicere illud Canticorum octavo: « Quis det te mihi fratrem meum, ut inveniam te solum foris et deosculer te, et iam me nemo despiciat »?

*Secunda, affectus benevolentiae.*

*Haec duo conversionem reddunt perfectam.*

67. Et in his duobus consistit *perfecta conversio* ad Christum. Sicut enim in peccato est conversio per concupiscentiam et aversio per superbiam[8]; sic in remedio est aversio a peccato per *poenitentiam* et conversio ad Deum per *benevolentiam.* Et vere haec mulier fuit perfecte conversa et reversa, quia, ut dicit Gregorius, « quot in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta ». — Solent enim peccatrices mulieres in his quatuor maxime delinquere, scilicet in *nutibus oculorum;* Isaiae tertio[9]: « Nutibus oculorum ibant »; *superfluitatibus capillorum;* primae Petri tertio: « Non sit exterius capillatura »; in *voluptatibus osculorum;* Proverbiorum septimo: « Apprehensumque deosculatur iuvenem »; *suavitatibus unguentorum,* sicut dicitur Esther secundo, quod puellae regis « ungebantur oleo myrrhino » etc. — Et ideo perfecta poenitens *oculis* serviebat ad lacrymandum, ita ut posset ei Christus dicere illud quarti Regum vigesimo[10]: « Audivi orationem tuam: vidi lacrymam tuam »; *capillis* ad abstergendum, ut sic posset ei dici illud Canticorum quarto: « Vulnerasti

*Quatuor mulierum delicta.*

*Contraria facit poenitens.*

---

[1] Vers. 29, post quem Apoc. 22, 11. — Superius post *ratione infamiae* B addit *ratione immunditiae, ad quam illaqueabat animas, Eccle. 7, 27:* Et inveni amariorem morte mulierem, quae laqueus venatorum est.

[2] Vers. 9. — Sententia Gregorii habetur II. Homil. in Evang. homil. 33. n. 1. — Superius pro *culpam iteraverat* Vat. *simpliciter.*

[3] Vulgata omittit *Iesus,* quod exhibent etiam Card. Hugo, B. Albert. et Lyranus. — Descriptio vasis alabastri est secundum Glossam *interlinearem* (ex Beda) in Luc. 7, 37. — Post *pyxidem* H addit *alabastrinam,* et pro *vas alabastri* C H substituunt *vas de alabastro.*

[4] Psalm. 47, 4. — Subinde allegatur Cant. 1, 11.

[5] Vers. 9, ubi pro *dedit* C D *attulit;* codd. allegant III. Reg. 10, 10, ubi eadem sententia, sed aliis verbis profertur. — Superius pro *aromata sive unguenta* D F G *aromatica unguenta.*

[6] Vers. 13, post quem Ier. 31, 18. seq. Cfr. Bernard., Serm. 3. in Cant. n. 2. (vide tom. VI. pag. 412, notam 4.); ibid. Serm. 16. n. 4. seqq. agit de necessariis ad poenitentiam (pudore etc.); cfr. tom. IV. pag. 383, nota 4; cfr. etiam Incendium amoris, c. 2.

[7] Ut insinuatur I. Tim. 1, 5. — Subinde allegatur Cant. 8, 1. — Inferius pro *corporis sui* H *corporis Christi* [Vat. *Domini*], qui etiam cum B F G post *suprema* addit *parte corporis sui.*

[8] Cfr. II. Sent. d. 35. dub. 6. et d. 42. a. 3. q. 2. — Sententia Gregorii habetur II. Homil. in Evang. homil. 33. n. 2. — Inferius pro *Et vere haec mulier* A C D H *Et haec vere mulier.*

[9] Vers. 16. — Tres. seqq. loci sunt I. Petr. 3, 3; Prov. 7, 13. et Esther 2, 12. — Inferius pro *superfluitatibus capillorum* Vat. *In capillorum superflua praeparatione.*

[10] Vers. 5. — Sequuntur Cant. 4, 9. et 11. nec non 1, 3. — Superius pro *perfecta poenitens oculis serviebat* Vat. *perfecte poenitentis oculi serviebant.*

cor meum in uno crine colli tui »; *ore* ad osculandum, ita ut posset ei dici a Christo illud Canticorum quarto: « Favus distillans labia tua »; *unguentis* serviebat ad ungendum, ut posset sibi dici: « In odorem unguentorum tuorum curremus ».

68. (Vers. 39.). Tertio quantum ad *temeritatem*
Tertium. *alieni iudicii*, propter quod non fuit repulsa, dicit: *Videns autem Pharisaeus, qui vocaverat eum*, scilicet ad convivium; *videns*, inquam, oculo non simplici, sed nequam, secundum illud Ecclesiastici trigesimo primo[1]: « Memento, quoniam malus est oculus nequam. Nequius oculo quid creatum est »? Et vere *nequam*, quia, secundum illud Ecclesiastici undecimo, « bona in mala convertens insidiatur et in electis imponet maculam ». Et ideo talium convivium non est multum acceptum, secundum illud Proverbiorum vigesimo tertio: « Ne comedas cum homine invido neque desideres cibos eius, quoniam in similitudinem harioli et coniectoris aestimat quod ignorat. Comede et bibe, dicet tibi, et mens eius non est tecum ». Et talis erat iste Pharisaeus; quod patet per illud quod subditur: *Ait intra se*[2], scilicet cogitando sicut hypocrita, de quo Iob decimo quinto: « Venter eius praeparat dolos ». — Unde sequitur iudicium: *Hic si esset Propheta, sciret utique, quae et qualis est mulier, quae tangit eum.* Et ita iudicabat, eum non esse Prophetam, sed hominem ignorantem, dicens in corde suo[3]: « Signa nostra non vidimus, iam non est Propheta, et non cognoscet amplius ». Sed huic potest dici illud Iob vigesimo secundo: « An non cogitas, quod Deus excelsior caelo sit et super stellarum verticem sublimetur? Et dicis: Quid enim novit Deus? Et quasi per caliginem iudicat ». Sed certe ipse « novit in tenebris constituta, et lux cum eo est », sicut dicitur Danielis secundo.

69. Et nota, quod hoc modo ex *vero* cadebat in
Notandum. *falsum.* Manifestum est enim, quod Deus et homo divinus novit occulta non solum bonorum, sed etiam malorum; Proverbiorum decimo quinto[4]: « Oculi Domini in omni loco contemplantur bonos et malos ». Sed in hoc errabat, quia hoc credebat ignorare Christum, dum se permittebat a muliere peccatrice contingi. Unde etiam de ipsa male iudicabat; propter quod addit: *Quia peccatrix est*, quasi dicat: non admitti, sed repelli deberet. Hic erat de illis, de quibus Isaiae sexagesimo quinto[5]: « Qui dicunt: Recede a nobis et ne appropinques, quia immundus es ». Sic etiam alter Pharisaeus dicebat de publicano infra decimo octavo: « Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut ceteri hominum, velut etiam hic publicanus ». Et male iudicabat, et tamen Christus propter eius malum iudicium non dimisit facere misericordiam; de quo supra quinto[6] dixit Pharisaeis: « Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam ». — Magna igitur misericordia Christi ostensa fuit in susceptione peccatricis accedentis ad Christi contactum inter epulas convivantium et versutias iudicantium. In quo simul commendatur Christi *clementia* et peccatricis *poenitentia*. Unde Gregorius[7]: « Cogitanti mihi de Mariae poenitentia flere magis libet, quam aliquid dicere. Cuius enim vel saxeum pectus istae huius peccatricis lacrymae ad exemplum poenitendi non emolliant? Super convivantes ingressa est, inter epulas lacrymas fudit; quid ergo miramur? Mariam venientem, vel Dominum suscipientem? *Suscipientem* dicam, an *trahentem?* Sed melius *suscipientem et trahentem*, quia nimirum ille per misericordiam traxit intus, qui per mansuetudinem suscepit foris ». Misericordia Christi et peccatricis poenitentia

70. Et est hic *moraliter* notandum, quod in his sex, quae dicuntur de hac peccatrice poenitente, scilicet quod *retro stabat* et *secus pedes* iacebat; *lacrymis rigabat*, *capillis tergebat* et *osculabatur* et *ungebat*; ista intelliguntur, quae debent esse in vero poenitente, scilicet *pudor erubescentiae*, quod notat, cum dicit *stans retro;* infra decimo octavo[8]: « Publicanus a longe stans ». — *Timor reverentiae*, quod notatur ibi: *Secus pedes eius;* Psalmus: « Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est ». — *Dolor poenitentiae: Lacrymis coepit rigare pedes eius;* Threnorum secundo: « Deduc quasi torrentem lacrymas ». — *Nitor pudicitiae: Capillis suis tergebat;* Isaiae primo[9]: « Lavamini, mundi estote, auferte malum ». — *Ardor benevolentiae: Osculabatur pedes eius;* et hic: « Osculum mihi non dedisti » etc., usque ibi: « Quoniam dilexit multum ». — *Dulcor devotionis internae: Et unguento ungebat;* Canticorum primo[10]: « Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis ». Bonum unguentum *compunctionis*, melius *compassionis*, sed optimum *devotionis;* primo pedes, secundo corpus, sed tertio ungitur caput. Et ideo Magdalena ter legitur
Expositio moralis de sex conditionibus poenitentiae.

---

[1] Vers. 14. et 15. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 11, 33. et Prov. 23, 6. seq. — Inferius pro *acceptum* Vat. *acceptandum*.

[2] Vat. cum Vulgata addit *dicens*. — Sequitur Iob 15, 35.

[3] Illud Ps. 73, 9. — Subinde allegantur Iob 22, 12. seq. et Daniel 2, 22.

[4] Vers. 3. — Superius pro *hoc modo* A C G *in hoc modo*, F *in modo*, H *in hoc iudicio*, qui etiam subinde pro *quod Deus et homo divinus* substituit *quod ipse, cum esset Deus et homo*. Vocibus *non solum* C F G praefigunt *sed*.

[5] Vers. 5, post quem Luc. 18, 11. — Superius pro *repelli deberet* C F H *repelli debet*, qui etiam prosequuntur *Hic autem de illis est* [H *erat*], *de quibus* etc.

[6] Vers. 31. seq.

[7] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 33. n. 1. Textus orinalis hinc inde plura interserit.

[8] Vers. 13. — Duo seqq. loci sunt Ps. 98, 5. et Thren. 2, 18.

[9] Vers. 16. — Subinde allegatur Luc. 7, 45-47. — Superius pro *Nitor pudicitiae* Vat. *Amor pudicitiae*.

[10] Vers. 1. et 2.

venisse ad Dominum ungendum, hic et Ioannis duodecimo[1] et Matthaei vigesimo sexto et Marci decimo sexto.

Secundo, de benigniore approbatione diligentis tria.

71. (Vers. 40.). *Et respondens Iesus dixit* etc. Post benignam susceptionem accedentis subditur hic *benignior approbatio diligentis.* Approbat Dominus hanc peccatricem diligentem et eius dilectionem, primo perquirens *generale iudicium;* secundo assumens *speciale propositum*, ibi[2]: *Et conversus ad mulierem* etc.; tertio vero concludens *principale intentum*, ibi: *Propter quod dico tibi: Remittuntur ei* etc.

Perquiritur generale iudicium tripliciter.

— In *perquirendo* autem *generale iudicium* procedit hoc ordine. *Excitat* enim *Pharisaei attentionem*, *insinuat quaestionem* et *approbat responsionem.*

Excitatur Pharisaei attentio.

Primo igitur *Pharisaei excitat attentionem*, ut a falsitate revocetur, cum dicit: *Respondens Iesus dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere;* in quo excitat eum, ut attendat. Et nota, quod dicitur *respondere Pharisaeo*, cum tamen non dicatur aliquid quaesivisse a Christo, ut ostendatur, quod ipse audiebat eius cogitationem, ut eius iudicium refellatur, quo credebat Christum ignarum, iuxta quod in Psalmo[3] dicitur: « Intelligite insipientes in populo, et stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audiet? Aut qui finxit oculum, non considerat »? In hoc, quod quasi respondendo alloquitur, excitat ad cogitandam Christi sapientiam; in hoc vero, quod spondet, se aliquid dicturum, excitat ad percipiendam doctrinam; sicut et discipulis dixit Ioannis decimo sexto[4]: « Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo ». — Et quoniam efficaciter eum excitavit, ideo subditur eius attentio, cum dicitur: *At ille ait: Magister, dic.* In qua responsione profitetur scientiam et petit doctrinam, iuxta consilium sapientis, Ecclesiastici sexto[5]: « Fili, si attenderis mihi, disces sapientiam, et si accommodaveris animum tuum, sapiens eris; si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam; et si dilexeris audire, sapiens eris ». Et sequitur post: « Et si videris sensatum, evigila ad illum ». Hic est Christus Dominus, quem recte vocat *magistrum*, secundum illud Matthaei vigesimo tertio[6]: « Unus est magister vester, Christus »; et Ioannis decimo tertio: « Vocatis me *magister* et *domine*, et bene dicitis; sum etenim ».

Insinuatur ipsi quaestio.

72. (Vers. 41.). Secundo autem *Pharisaeo insinuat quaestionem*, ut ad veritatem dirigatur, cum subditur: *Duo debitores erant uni*[7] *foeneratori* etc.

Casus proponitur.

Casum proponit in generali, intelligens per istos *debitores* et intelligi dans peccatores, qui magnis debitis sunt astricti, secundum illud Matthaei sexto: « Dimitte nobis debita », id est peccata, « sicut et nos dimittimus debitoribus nostris » etc. Per *foeneratorem* intelligimus Christum, secundum illud Matthaei vigesimo quinto[8]: « Serve male et piger, nonne oportuit pecuniam meam mittere nummulariis, et ego veniens exegissem quod meum est cum usuris »? — Et quia non omnes aequaliter peccant nec aequaliter obligantur, ideo additur: *Unus debebat denarios quingentos;* in quo ostenditur *plena* obligatio propter quinqueformem transgressionem perfectionis evangelicae; completio enim intelligitur per centenarium. *Et alius quinquaginta;* hoc dicitur quantum ad *semiplenam* obligationem, quae est in transgressione quinqueformi ipsius decalogi.

Misericordia condonans.

73. (Vers. 42.). Sed quia Deus miseretur omni generi peccatorum, qui ad ipsum convertuntur; ideo subditur: *Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque*, scilicet ex misericordia condonante, sicut dicitur Matthaei decimo octavo[9]: « Misertus dominus servi illius, dimisit eum et debitum dimisit ei », et hoc compassione miseriae, qua impotentes sumus solvere. Omnia enim, quae habemus, sine obligatione peccati Deo debemus; primae ad Corinthios quarto[10]: « Quid habes, quod non accepisti »? et primi Paralipomenon vigesimo nono: « Tua sunt, Domine, omnia, et quae de manu tua accepimus dedimus tibi ». Si ergo remittuntur peccata, oportet, quod liberaliter et misericorditer remittantur, quia nullum possumus rependere beneficium. Obligamur tamen ad dilectionis affectum, de quo requirit propter collatum beneficium. — Unde subdit: *Quis ergo eum plus diligit?* cum uterque diligere teneatur. Unde sic quaerebat Dominus a Petro post condonationem sui peccati, Ioannis vigesimo primo[11]: « Simon Ioannis, diligis me plus his »? Et rationabiliter quaerit, quia inaequalitatem beneficiorum sequi debet inaequalitas affectionum, secundum quod dicit Gregorius: « Cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo humilior atque ad serviendum Deo promptior quisque esse debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione ».

Quaestio.

Approbatur responsio.

74. (Vers. 43.). Tertio vero Pharisaei *approbat responsionem*, ut in veritate confirmetur; propter

---

[1] Vers. 3; Matth. 26, 7. et Marc. 16, 1; codd. allegant *Marc. 14,* 38. (ubi de unctione *capitis*), pro quo vel substituendum (sicut nos fecimus, et cui concordat Comment. in Ioan. c. 12. n. 10.), vel cui adiungendum est *Marc. 16*, 1, cui lectioni favet H: *hic et Ioan. 12*, pedes; *Matth. 26. et Matth. 24.* [? Marc. 14.] caput; *sed Matth. 28.* [melius Marc. 16.] corpus ad monumentum. — Locos, in quibus Bernard. de hoc triplici unguento agit, allegavimus tom. VI. pag. 412, nota 4.

[2] Vers. 44; tertium est v. 47.

[3] Psalm. 93, 8. seq. Cfr. August., Enarrat. in Ps. 140. n. 8, et Euthym., in Luc. 7, 40.

[4] Vers. 12.

[5] Vers. 33. seq. et v. 36.

[6] Vers. 8, post quem Ioan. 13, 13.

[7] Vulgata et Vat. cum H *cuidam.* — Subinde allegatur Matth. 6, 12. et 14. 15. — Inferius A legit: *Casum proponit in generali intelligendum, per istos debitores intelligi peccatores* etc. Vat. *Casum proponit in generali per istos debitores, dans intelligi peccatores* etc.

[8] Vers. 26. et 27.

[9] Vers. 27. — Pro *condonante* Vat. *condolente.*

[10] Vers. 7, post quem I. Paralip. 29, 14.

[11] Vers. 15. — Sententia Gregorii habetur I. Homil. in Evang. homil. 9. n. 1. — Superius pro *de quo requirit* H (D a secunda manu) *quem requirit.*

quod additur: *Respondit Simon et dixit*[1]: *Aestimo, quia is cui plus donavit,* quod scilicet amplius diligat, ut verificetur illud ad Romanos quinto: « Ubi autem abundavit delictum, superabundavit et gratia ». — Et quoniam, sicut dicitur Ecclesiastici vigesimo primo, « verbum sapiens, quodcumque audierit, scius laudabit et ad se adiiciet »; ideo subditur: *At ille dixit ei: Recte iudicasti.* Hoc enim solum iudicium approbat Veritas Christus, secundum illud Ioannis septimo[2]: « Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate ». Unde qui falsum iudicium fecerat ex propria aestimatione rectum profert divina manuductione, et qui male prius iudicaverat intra se nunc recte iudicat contra se. Unde Gregorius[3]: « Sua sententia Pharisaeus convincitur, quia sicut phreneticus funem portat, ex quo ligetur ». — Et nota, quod commendatur hic Pharisaei iudicium; nec tamen ille qui amplius peccaverat, amplius approbatur, sed ostenditur, quod quantum est ratione *obligationis,* quae venit ex dimisso, amplius obligatur[4]. Unde intelligenda est haec sententia *cum reduplicatione* et quantum ad obligationem, et supposita gratia et rectitudine in voluntate; quia multi ad magnas gratias tenentur, qui paucas aut nullas reddunt. Unde Beda[5]: « Secundum omnes plus offendit qui plus debuit; sed per misericordiam omnis causa mutatur, ut amplius diligat qui amplius debuit, si tamen gratiam consequatur ».

Notandum.

75. (Vers. 44.). *Et conversus ad mulierem* etc. Hic post generale iudicium assumit *speciale propositum,* in quo ostendit, peccatricem maiorem affectum[6] habuisse ad Christum quam Pharisaeum, proponendo triplex dilectionis indicium, scilicet *fletum, osculum* et *ablutionem pedum,* in quibus mulier praecellit Pharisaeum.

Assumitur speciale propositum de triplici indicio dilectionis.

Primo igitur praeponit peccatricem Simoni propter *fletum,* qui erat expressum indicium *contritionis;* et hoc notat, cum dicitur: *Et conversus ad mulierem,* propter eius contritionem et poenitentiam, secundum illud Zachariae primo[7]: « Convertimini ad me, et ego convertar ad vos ». Hoc autem fit, cum diligimus et rediligimur, secundum illud Canticorum secundo: « Dilectus meus mihi, et ego illi »; et Canticorum septimo: « Ego dilecto meo, et ad me conversio eius ». — Ideo autem se corporaliter convertit ad mulierem, ut in ipsa erudiret Simonem, ad quem loquebatur; et ideo subditur: *Dixit Simoni: Vides hanc mulierem?* Ideo quaerit, utrum *videret,* quia, licet videret corporaliter, eius[8] facta non approbabat, sed reprobabat eius merita; et licet videret peccatricis fletum, non tamen attendebat affectum. — Et ideo a Domino commonetur et ex comparatione illius arguitur in hoc quod sequitur: *Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti;* ex quo reprehensibilis es, quia non fuisti imitator Abrahae; Genesis decimo octavo[9]: « Loquebatur viris transeuntibus: Laventur pedes vestri, et requiescite sub arbore ». — Sed econtra haec est commendabilis, unde additur: *Haec autem lacrymis rigavit pedes meos et capillis suis tersit,* id est, lacrymas in tanta copia fudit ad modum fontis et rivuli, iuxta quod dicitur Ieremiae nono[10]: « Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum »? Et in hoc significatur mirabilis affectus mulieris et gratia interior, quae ita in lacrymas profluebat exterius, ut impleretur illud Psalmi: « Posuit desertum in stagna aquarum »; et Isaiae trigesimo quinto: « Et quae erat arida facta est in stagnum, et sitiens in fontes aquarum ». Et in hoc praeponitur Pharisaeo quantum ad *luctum*[11], in quo est expressum signum compunctionis.

De primo.

Comparatur peccatrix Pharisaeo.

76. (Vers. 45.). Secundo vero praeponit eam quantum ad *osculum,* quod erat signum *dilectionis,* cum additur: *Osculum mihi non dedisti,* in signum amoris, iuxta Apostolum ad Romanos ultimo[12]: « Salutate invicem in osculo sancto »; et discipuli osculati sunt Paulum, Actuum vigesimo. — Sed econtra de hac; unde additur: *Haec autem, ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos;* in quo signatur *fervens* dilectio et *permanens.* Ideo non cessabat ab osculo, quia non cessabat ab interiori desiderio. Nam de ipsa dicit Gregorius[13], quod « amoris eius, id est Christi, igne succensa ardebat desiderio ». Sicut enim dicitur Canticorum ultimo: « Fortis est ut mors dilectio »; et post: « Lampades eius lampades ignis atque flammarum ». Unde sicut ignis semper urit, sic caritas incessanter accendit; ut enim dicit Gregorius[14]: « Nunquam est amor Dei otiosus ».

De secundo.

77. (Vers. 46.). Tertio praeponit eam quantum ad *unctionem pedum,* quod erat signum *devotionis,*

De tertio.

---

[1] Vulgata et Vat. *Respondens Simon dixit.* — Duo seqq. loci sunt Rom. 5, 20. et Eccli. 21, 18.

[2] Vers. 24. — Superius post *Christus* H addit *quod est iustum, rectum et verum,* Vat. *quod iustum est.*

[3] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 33. n. 4, ubi pro *quia sicut* (ita Glossa *ordinaria*) textus originalis *quasi* et *ligetur* pro *ligatur.*

[4] Vat., omisso *quod quantum est,* subinde legit *quae venit ex diverso, quod amplius ad diligendum obligatur.* Cfr. IV. Sent. d. 4. p. I. a. 1. q. 3. in fine.

[5] Haec sententia exhibetur in Glossa *ordinaria* in Luc. 7, 43. absque nomine auctoris: Secundum homines [ita etiam A F H] plus fortasse offendit qui plus debuerit. Sed per misericordiam Domini causa mutatur... gratiam [codd. et Vat. *gratia*] consequatur.

[6] Cod. A *affectionem.*

[7] Vers. 3. — Duo seqq. loci sunt Cant. 2, 16. et 7, 10.

[8] Cod. H addit *tamen,* qui etiam subinde cum A C D G pro *approbabat* et *reprobabat* substituit *approbat* et *reprobat.*

[9] Vers. 4: *Lavate pedes vestros* etc. B: *Dixit hospitibus: Afferam pauxillum aquae, laventur* etc.

[10] Vers. 1. — Duo seqq. loci sunt Ps. 106, 35. et Isai. 35, 7.

[11] Vat. *fletum et luctum.*

[12] Vers. 16, post quem Act. 20, 37.

[13] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 25. n. 1. — Subinde allegatur Cant. 8, 6.

[14] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 2.

cum subiungit: *Oleo caput meum non unxisti;* quod erat moris tunc temporis in signum laetitiae et exsultationis, secundum illud Matthaei sexto[1]: « Tu autem, cum ieiunas, unge caput tuum et faciem tuam lava ». — *Haec autem unguento unxit pedes meos*, quod est pretiosius oleo. Unde pretiosiora offerebat haec mulier Christo, secundum illud Ioannis duodecimo[2]: « Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit pedes Iesu ». In his ergo tribus dilectionis indiciis probat Dominus, quod peccatrix verius et ferventius dilexit.

78. (Vers. 47.). *Propter quod dico tibi* etc. Hic post generale iudicium et speciale propositum concludit *principale intentum*, quod est commendatio mulieris consequens ex praemissis. Commendatur autem haec mulier peccatrix a Domino commendatione plena, quia[3] ut *purgata a peccato* propter dilectionis affectum, ut *perfecta in merito* propter dilectionis effectum, ut *praeposita Pharisaeo* propter dilectionis excessum.

Concluditur principale intentum tripliciter.

Unde approbat hic Dominus dilectionem eius primo, quia dilectio eam *a peccato purgavit;* quod notat, cum dicit: *Propter quod dico tibi*, id est, propter nunc praemissa dilectionis indicia assero tibi: *Remittuntur ei peccata multa* etc.; et ita iam non debet a te condemnari, sed magis beatificari, quia in Psalmo scriptum est[4]: « Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata »; et ad Romanos quarto: « Ei qui non operatur, credenti in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiae Dei. Sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus » Legis. Unde in ista impletum est illud Psalmi[5]: « Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei ».

Commendatur ut purgata a peccato.

79. Secundo, quia dilectio *in merito perfecit*[6]; propter quod addit: *Quoniam dilexit multum.* Magnitudo enim dilectionis amplificat meritum et expellit peccatum; primae Petri quarto[7]: « Caritas operit multitudinem peccatorum »; et Proverbiorum decimo: « Odium suscitat rixas, et universa delicta operit caritas ». Unde et in Glossa dicitur: « Ardor caritatis in ea rubiginem peccatorum consumsit ». Nec solum purgat a peccato, sed etiam *conservat* in merito, secundum illud ad Colossenses tertio[8]: « Super omnia haec caritatem habete, quod est vinculum perfectionis ».

Ut perfecta in merito.

80. Tertio vero approbat, quia dilectio eam *Pharisaeo praeposuit;* propter quod addit: *Cui autem minus dimittitur*, scilicet Pharisaeo, *minus diligit*, quam ista cui dimissa sunt multa. Et ita ex hoc concluditur, quod longe plus quam Pharisaeus Dominum amavit, et ideo amplius Deo accepta fuit; et propterea « eam laudavit vir eius[9] », quasi dicens sibi illud Proverbiorum ultimo: « Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas »; quia « fallax gratia, et vana est pulcritudo; mulier timens Dominum, ipsa laudabitur ». — Patet igitur, quomodo in hac conclusione clauditur[10] perfecta commendatio et approbatio diligentis contra iudicium Pharisaei ipsam contemnentis, quia reputabat eam plenam peccatis et vacuam meritis, et sic viluisse in conspectu superni iudicis. Quod totum exsufflatum est in hac conclusione, cum ipsa ostenditur iustificata a peccato et multiplicata in merito et anteposita Pharisaeo.

Ut praeposita Pharisaeo.

Epilogus.

81. Et nota, quod in hac conclusione infertur commendatio dilectionis Christi respectu remissionis peccati per modum *causae* et per modum *effectus*. Unde remissio peccati *praemittitur*, et remissio peccati *postponitur*, et dilectio *interponitur*. Est enim *remissio* quoad *poenam*, et haec causatur a dilectione; et quoad *culpam*, et haec inducit dilectionem. Et rursus est *dilectio affectus*, et hanc inducit peccati remissio, secundum quod supra[11] ostensum fuit in Pharisaei iudicio. Et est *dilectio effectus*, et haec inducit peccati remissionem quoad *poenam*, secundum quod colligitur ex triplici dilectionis indicio[12]. Unde ista conclusio quantum ad primam partem respondet inductioni factae in bonis operibus; quantum ad secundam respondet quaestioni de duobus debitoribus et respondet simul omnibus praemissis. — Super hoc etiam advertenda est Christi *sapientia* in approbando peccatricem, quam Pharisaeus condemnaverat. Approbat eam ex datis a Pharisaeo et ex concessis[13], deinde ex manifestis indiciis; primo quasi syllogizando, secundo quasi inducendo; primo in generali, secundo in speciali; primo parabolice, secundo expresse. Ad haec omnia respondet illatio conclusionis praemissae.

Notanda.

Duplex remissio et dilectio.

Christi sapientia.

82. (Vers. 48.). *Dixit autem ad illam.* Post benignam susceptionem accedentis et benigniorem

Tertio, de benignissima absolutione poenitentis tria.

---

[1] Vers. 17.

[2] Vers. 3.

[3] Vat. *scilicet.*

[4] Psalm. 31, 1, post quem Rom. 4, 5. seq. — Codd. C D addunt *ibi*, H legit *beatificari iuxta illud Psalmi.*

[5] Psalm. 31, 5.

[6] Vat. *profecit;* cfr. tamen supra n. 78.

[7] Vers. 8, post quem Prov. 10, 12. et Glossa *ordinaria* (secundum Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 33. n. 4.) in Luc. 7, 47.

[8] Vers. 14.

[9] Prov. 31, 28, post quem v. 29. et 30.

[10] Vat. *in hac quaestione concluditur,* quae etiam inferius pro *viluisse* substituit *venisse*, D *vivisse.* Subinde pro *multiplicata* D *amplificata.*

[11] Num. 74. seqq. — Vat. legit: *Unde dilectio duplex est: altera effectus, et hanc introducit remissio peccati quoad culpam, secundum quod supra ostensum est ex Pharisaei iudicio. Altera est dilectio affectus, et haec* etc.

[12] Supra n. 75. seqq., ubi etiam inductio de benevolentiae operibus, cfr. supra etiam n. 67. 78.

[13] Sive ex argumento *ad hominem;* cfr. Aristot., II. Elench. c. 3. (c. 22.), et tom. I. pag. 104, nota 11. et pag. 131, nota 6. — De *syllogismo* et *inductione* vide Aristot., II. Prior. c. 23. (c. 25.). — Superius post *peccatricem* Vat. addit *poenitentem.*

approbationem diligentis subiungitur hic tertio *benignissima absolutio confitentis.* Circa quam primo introducitur *divinae largitatis donum plenarium;* secundo, *humanae impietatis iudicium perversum;* tertio, *devotae credulitatis meritum perfectum.*

De primo. Primo igitur quantum ad *divinae largitatis donum plenarium* dicitur: *Dixit autem ad illam.* Non est dubium, quin dixerit Christus ad peccatricem: *Remittuntur tibi peccata,* non solum quoad *culpam,* sed etiam quoad *poenam,* secundum quod petebat Manasses[1]: « Peto rogans te, Domine, remitte mihi, remitte mihi, ne simul perdas me cum iniquitatibus meis neque in aeternum reserves mala mea ». Hanc remissionem Christus fecit sua virtute; Matthaei nono: « Ut sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata » etc.; Actuum decimo: « Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum ».

De secundo. 83. (Vers. 49.). Secundo quantum ad *humanae impietatis iudicium perversum* subditur: *Et coeperunt qui simul accumbebant, dicere intra se,* scilicet male iudicando et ipsum despiciendo: *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* quasi dicant: cum sit parvus et nullus, quomodo sibi attribuit quod potest solus Deus? iuxta illud Isaiae quadragesimo tertio[2]: « Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me ». Et sic verificatum est illud Ecclesiastici decimo tertio: « Pauper locutus est, et dicunt: Quis est hic »? Sic etiam in cordibus suis qui simul manducabant dolum cogitabant, ut impleretur illud Psalmi: « Si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimis » etc. Unde isti male iudicando de sanitate illius infirmabantur, sicut dicit Beda[3]: « Sanata aegrota, de eius salute alii aegrotant ». Et sic verificatum est illud Osee septimo: « Cum sanare vellem Israel, revelata est iniquitas Ephraim et malitia Samariae, quia mendacium operati sunt ».

84. (Vers. 50.). Tertio quantum ad *devotae credulitatis meritum perfectum* subditur: *Dixit autem ad mulierem: Fides tua te salvam fecit,* scilicet a peccatis; *fides,* inquam, Christi, de qua Matthaei primo[4]: « Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum »; et hoc per fidem; ad Romanos tertio: « Deus iustificat eum qui ex fide est Iesu Christi ». Et quia iustitia facit pacem cum Deo et cum conscientia, ideo subdit: *Vade in pace;* ad Romanos quinto[5]: « Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum »; et Isaiae quinquagesimo septimo: « Veniat pax et requiescat in cubili suo »; ut de illa possit dici illud Malachiae secundo: « In pace et in aequitate ambulavit mecum et multos avertit ab iniquitate ». De tertio.

## Capitulum VIII.

**In secunda parte Apostoli instruuntur specialiter in doctrina mystica Scripturarum.**

1. *Et factum est deinceps* etc. Supra[6] posita est instructio communis discipulorum in doctrina eorum quae requiruntur ad salutem omnium. In parte vero ista subditur instructio *specialis in doctrina mystica Scripturarum.* Et quoniam haec doctrina turbis proponitur in parabolis et aperitur discipulis et confirmatur miraculis, ideo pars ista habet tres: in quarum prima ponitur *instructio parabolica* in occultis mysteriis; secundo vero, *informatio apostolica* in apertis eloquiis, ibi[7]: *Est autem haec parabola;* tertio vero, eius *confirmatio authentica* in manifestis miraculis, ibi: *Factum est autem in una dierum* etc. Divisio.

**Primo ponitur instructio parabolica in occultis mysteriis per tria.**

Circa *doctrinam parabolicam,* quae communiter omni generi hominum proponitur audienda et Apostolis intelligenda, introducuntur tria. Primum est *coadunatio multitudinis* ad audiendum; secundum est *propositio similitudinis* ad manuducendum, et hoc ibi[8]: *Exiit qui seminat* etc.; tertium est *excitatio sollicitudinis* ad intelligendum, quod describitur ibi: *Haec dicens, clamabat* etc.

Primo, quoad coadunationem multitudinis tanguntur 4 causae. Quantum ad primum notandum, quod ad doctrinam Christi erat *concursus multitudinis* ex causa quadruplici, secundum quod ex littera potest coniici: quia quidam comitabantur Christum ratione *suscepti officii,* ut Apostoli; quidam, ratione *accepti*

---

[1] In sua oratione (Orat. Manassae); codd. allegant *II. Paralip. ultimo.* — Duo seqq. loci sunt Matth. 9, 6. et Act. 10, 43.

[2] Vers. 25, post quem Eccli. 13, 29. et Ps. 54, 13. seq.

[3] Libr. III. in Luc. 7, 47. Verba allegantur secundum Glossam *ordinariam* in Luc. 7, 49. — Sequitur Osee 7, 1. Vat. adiungit v. 13.

[4] Vers. 21. — Subinde allegatur Rom. 3, 26. — Superius post *scilicet,* quod H omittit, retinuimus cum Vat. et F *a peccatis,* quod alii codd. omittunt.

[5] Vers. 1. — Duo seqq. loci sunt Isai. 57, 2. et Malach. 2, 6.

[6] Cfr. c. 6. n. 24. — Inferius post *in doctrina* contra codd. et Vat. A omittit *mystica* (c. 6. n. 24. *mysterii).*

[7] Vers. 11; tertium habetur v. 22.

[8] Vers. 5; tertium proponitur v. 8. — Vat. legit: *Secundum est proportio similitudinis ad manifestandum,* quae etiam subinde voci *sollicitudinis* [C H *multitudinis*] praefigit *apostolicae.*

*beneficii,* ut infirmi curati; quidam, ratione *impendendi ministerii,* ut mulieres honestae; quidam, ratione *audiendi verbi divini,* ut multitudo turbae. Et haec quatuor genera enumerat Evangelista concurrisse ad Christi doctrinam.

Causa prima est ratione officii suscepti.

2. (Vers. 1.). Primo igitur quantum ad *Apostolos* concomitantes Christum ratione *suscepti officii* praemittitur: *Et factum est deinceps* [1], *et ipse iter faciebat per civitates et castella,* id est per loca, ubi habitant minores et maiores, secundum quod dicitur Sapientiae sexto: « Pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter est illi cura de omnibus », maxime quantum ad ea quae sunt salutis; propter quod dicit: *Praedicans et evangelizans regnum* [2] *Dei,* secundum illud Isaiae quinquagesimo secundo: « Quam pulcri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem et annuntiantis salutem, praedicantis bona ». — Et quia verbum frustra proponitur, nisi adsit auditor, ideo additur: *Et duodecim cum illo,* qui scilicet sequebantur eum ex suscepto officio, ad quod elegit eos; supra sexto [3]: « Elegit duodecim, quos et Apostolos nominavit ». Unde ipsi Apostoli cum evangelizante circuibant, ut cum ipso in Evangelio collaborarent, secundum illud, ad quod hortatur Apostolus secundae ad Timotheum primo: « Sed collabora Evangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum »; quia, Ioannis decimo quinto, « non vos me elegistis, sed ego elegi vos et posui vos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat ».

Secunda, ratione beneficii accepti.

3. (Vers. 2.). Secundo, quantum ad *curatos* comitantes ratione *accepti beneficii* subditur: *Et mulieres aliquae,* supple: cum eo iter faciebant, et hoc ratione accepti beneficii; unde adiungit: *Quae erant curatae a spiritibus malignis et infirmitatibus.* Ideo comitabantur eum tanquam suum salvatorem et medicum, secundum consilium Sapientis, Ecclesiastici trigesimo octavo [4]: « Da locum medico, et non discedat a te, quia opera eius sunt necessaria »; unde supra sexto: « Et qui vexabantur a spiritibus immundis curabantur. Et omnis turba quaerebat eum tangere, quia virtus de illo exibat et sanabat omnes ».

Notandum.

— Et nota, quod licet curaverit utrumque sexum, magis tamen specificat de muliebri, sive quia sexus infirmior, secundum illud primae Petri tertio [5]: « Infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem »; sive quia clementior quam vir respectu infirmitatis alienae, secundum illud, Proverbiorum ultimo, de bona muliere: « Manum suam aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperes »; sive quia inter personas curatas erant nobiliores. — Et ideo exprimit aliquas nominaliter, cum addit: *Maria, quae vocatur Magdalena* [6], a Magdalo oppido secundo milliario a Tiberiade; et haec erat notabilis ratione *enormitatis peccati;* unde et addit: *De qua septem daemonia eiecerat* [7], id est universa vitia; Gregorius: « Septem daemonia Maria habuit, quae universis vitiis plena fuit ». Haec daemonia exierunt, quando peccata dimissa fuerunt, secundum quod dicitur infra undecimo [8]: « Cum immundus spiritus exiit ab homine, errat per loca inaquosa »; remissa autem fuerunt ei, supra septimo. Haec enim est illa peccatrix, de qua supra sermonem fecit, sicut dicit Beda in Glossa [9].

Nomina trium mulierum notabilium. De prima.

De secunda.

4. (Vers. 3.). Erat etiam aliqua nobilis ratione *nobilitatis viri;* unde addit: *Et Ioanna, uxor Chusae, procuratoris Herodis,* qui erat persona nobilis. Erat etiam aliqua nobilis ex *se ipsa,* de qua sine cognomine adiungitur: *Et Susanna.* Has autem tres nominat, ut *commendet castitatem* secundum triplicem differentiam in comitatu Christi, scilicet *vidualem* [10], *coniugalem* et *virginalem.* Unde prima dicitur prius fuisse peccatrix, secunda coniugata, de tertia tacetur utrumque. Vel, ut in hoc *ostendatur curatio a triplici aegritudine,* scilicet animae et carnis et utriusque; ideo tres personas curatas exprimit, scilicet Mariam, Ioannam et Susannam.

De tertia.

Tertia, ratione obsequii impendendi.

5. Tertio, quantum ad comitantes ratione *impendendi obsequii* sive ministerii additur: *Et aliae multae, quae ministrabant ei de facultatibus suis,* sicut illa Sunamitis Eliseo, quarti Regum quarto [11], cui dicitur: « Ecce, sedule in omnibus ministrasti nobis ». Sic et socrus Simonis, de qua Matthaei octavo dicitur, quod postquam curata est, « surrexit et ministrabat eis ». — Hoc enim antiquitus consueverat esse officium mulierum, sicut dicit Beda in

Notandum.

[1] Non pauci codd. omittunt *deinceps.* — Sequitur Sap. 6, 8.

[2] Codd. CDFG *verbum.* — Subinde allegatur Isai. 52, 7. (Vat. addit v. 8.).

[3] Vers. 13. — Duo seqq. loci sunt II. Tim. 1, 8. seq. et Ioan. 15, 16. — Inferius pro *Apostoli cum evangelizante* Vat. *Apostoli et Evangelistae.*

[4] Vers. 11. et 12, post quos Luc. 6, 18. seq.

[5] Vers. 7. — Subinde allegatur Prov. 31, 20. — Inferius codd. omittunt *quam vir.*

[6] Vulgata et Vat. *Magdalene.* — Petr. Comestor, Histor. scholast. in Evang. c. 64. *Additio* 1: *Magdalum* oppidum est duobus milliariis a Tiberiade etc. Cfr. tom. VI. pag. 498, nota 2.

[7] Vulgata, quam H et Vat. sequuntur, *exierant;* cfr. tamen Marc. 16, 9. — Sententia Gregorii habetur II. Homil. in Evang. homil. 33. n. 1.

[8] Vers. 24, post quem Luc. 7, 47. seq.

[9] Scilicet *ordinaria* in Luc. 8, 2: « Cum Maria iter faceret cum Domino et ei ministrare commemoratur, celebri eam vocabulo Magdalenam vocat; ubi eandem peccatricem describit [supra 7, 37. seqq.], reverenter eam generali nomine mulierem dicit, ne nomen tantae famae, quod hodie veneramur, prisci erroris nota fuscaret ». His verbis ipse Beda (III. in Luc. 8, 2.) haec praemittit: Maria Magdalene ipsa est, cuius tacito nomine proxima lectio [c. 7, 37. seqq.] poenitentiam narrat.

[10] Auctor Commentarii in Evang. secundum Lucam (inter opera Hieron.) c. 15, 40, Mariam Magdalenam vocat « viduam ». Cfr. Cornel. a Lapide in Luc. 8, 2. — Glossa *interlinearis* (ex Beda) in Luc. 8, 3: *Susanna,* lilium propter odoriferum caelestis vitae candorem.

[11] Vers. 13. — Sequitur Matth. 8, 15; cfr. Marc. 1, 31.

Glossa [1]: « Antiquitus mos erat Iudaeorum, nec ducebatur in culpam, ut mulieres de sua substantia pascerent et vestirent doctores. Sed quia hoc in gentibus poterat facere scandalum, Paulus se memorat abstinuisse primae ad Corinthios nono: *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut ceteri Apostoli* »? Et ideo illud nunc non debet ad consequentiam trahi [2] propter scandalum vitandum et etiam propter periculum. —

Duplex documentum insinuatur.

In hoc tamen erudimur, quod praedicatori licet accipere stipendium pro labore; primae ad Corinthios nono: « Si seminavimus vobis spiritualia, non est mirum, si carnalia vestra metamus »; et Matthaei decimo: « Dignus est operarius cibo suo »; et infra decimo: « Dignus est enim operarius mercede sua ». Et rursus in hoc erudimur, quod praedicare et laborare actus est virilis et perfectorum; sed ministrare, imperfectorum, utpote mulierum; unde Actuum sexto [3]: « Non est aequum, nos relinquere verbum Dei et ministrare mensis ».

Quarta, ratione verbi divini audiendi.

6. (Vers. 4.). Quarto, quantum ad concurrentes ratione *verbi divini audiendi* adiungitur: *Cum autem plurima turba conveniret,* scilicet ad audiendum doctrinam, secundum illud Ioannis decimo octavo [4]: « Ego semper docui in synagogis, ubi omnes Iudaei conveniunt ». Et sic impletur illud Isaiae secundo: « Fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi ». Unde congregabantur in multitudine et veniebant cum promptitudine; unde et subdit: *Et de civitatibus properarent ad eum,* scilicet audiendum. —

Parabola.

*Dixit per similitudinem,* scilicet parabolicam ad apertas res, quibus assueti erant; et ideo ad audiendum cum desiderio properabant. Unde Chrysostomus [5]: « Commiscens parabolas, cum ampliori mitigatione attrahebat auditores et de area et de vinea et de agro ». Unde ad hanc doctrinam parabolicam omnes invitantur, secundum illud Psalmi [6]: « Audite haec, omnes gentes, auribus percipite, qui habitatis orbem »; et post subditur: « Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam »; et rursus alibi: « Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio ». Et sic facta est excitatio multitudinis.

Secundo, quoad propositionem similitudinis notantur 4 differentiae auditorum.

7. (Vers. 5.). *Exiit qui seminat* etc. Post congregationem multitudinis additur hic secundo *propositio similitudinis*. Et quia doctrina debet esse secundum exigentiam auditorum, ideo similitudo proposita quatuor habet differentias membrorum, correspondentes quatuor differentiis auditorum. Quidam enim audiunt, sed non retinent, ut *obliviosi;* quidam audiunt et retinent, sed non faciunt, ut *desidiosi;* quidam audiunt, retinent, faciunt, sed non complent, ut *negotiosi;* quidam autem audiunt, retinent, faciunt [7] et complent, et hi sunt *studiosi et virtuosi.*

Item, 4 differentiae terrarum.

Haec quatuor genera hominum similia sunt quatuor differentiis terrarum, quarum prima semen *recipit,* sed *non retinet,* et quantum ad illam dicitur: *Exiit qui seminat seminare semen suum. Exiit,* scilicet de domo ad agrum, hoc est de quiete ad laborem; Psalmus [8]: « Exibit homo ad opus suum et ad operationem suam usque ad vesperam ». Et hic

Quid sit seminatio.

labor vel est in *opere iustitiae,* vel *misericordiae,* qui recte designatur per *seminationem,* secundum illud Ecclesiastae undecimo [9]: « Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua »; et Isaiae trigesimo secundo: « Beati, qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini ». —

Aliter.

Vel etiam est in *sermone doctrinae;* unde de Paulo praedicante dicitur Actuum decimo septimo [10]: « Quid vult seminator verborum hic dicere »? Et isto semine multiplicata est Ecclesia, secundum illud primae Petri primo: « Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi et permanentis in aeternum ». Et de hac seminatione intelligit hic; sed haec, licet de se semper sit bona et fructuosa, variatur tamen secundum differentiam terrae suscipientis.

Prima differentia terrarum et auditorum.

8. Quaedam enim *suscipit,* sed *non retinet,* et ideo quantum ad illam subdit: *Et dum seminat, aliud,* id est alia pars seminis, *cecidit secus viam,* per quam scilicet est discursus, et ideo non est in

---

[1] Scilicet *ordinaria:* Antiquus [ita etiam A H] mos etc. In fine allegatur (a Beda, non in Glossa) I. Cor. 9, 5. Vat. sententiam exhibet, prout ipsa habetur apud Bedam, non prout est in Glossa.

[2] Cfr. supra pag. 85, nota 4. — Tres seqq. loci sunt I. Cor. 9, 11; Matth. 10, 10. et Luc. 10, 7. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 8, 3: Ministrabant ergo Domino carnalia, cuius metebant spiritualia, ut formam daret praedicatoribus, quod victu et vestitu deberent esse contenti accipiendo a plebibus.

[3] Vers. 2.

[4] Vers. 20, post quem Isai. 2, 2. seq.

[5] Cfr. Expositio in Ps. 48. n. 3: Quocirca Christus quoque hoc faciebat et loquebatur in parabolis, eos stimulans et incitans, ut audire cuperent qui supini dormiebant etc. Homil. 44. (alias 45.) in Matth. n. 2: « Quia aenigmatice praedicaturus erat, auditorum animum primo per parabolam excitat... Nec ideo solum in parabolis loquitur, sed ut maiore cum emphasi verba faceret et magis memoriae imprimeret resque sub aspectum poneret ». His verbis praemiserat, quod Christus in monte (Matth. 5.) non per tot parabolas sermonem contexuit, sicut hic (Matth. 13.), ubi proponuntur parabolae de seminante, de zizaniis, de grano sinapis, de thesauro abscondito etc.

[6] Psalm. 48, 2. et 5, quem plures codd. sic exhibent: *Aperiam in parabolis aurem, inclinabo in psalterio* etc. — Sequitur Ps. 77, 2. — Inferius pro *excitatio* Vat. *exercitatio,* F a secunda manu *adunatio,* quod convenit cum iis quae supra n. 1. proposita sunt et cum n. 7. dicendis.

[7] Secunda manus in D addidit *sive incipiunt.*

[8] Psalm. 103, 23.

[9] Vers. 6, post quem Isai. 32, 20. — Superius pro *sive misericordiae* Vat. *vel misericordiae.*

[10] Vers. 18: *Quid vult seminiverbius hic dicere?* — Sequitur I. Petr. 1, 23.

ea status retentionis, sed transitus oblivionis propter strepitum multitudinis; quod significatur infra decimo octavo [1], ubi dicitur, quod « caecus sedebat secus viam, mendicans »; et cum clamaret ad Dominum, turbae « increpabant eum, ut taceret ». — Unde hic non est locus fructificationis, quia non est in eo retentio seminis. Ideo adiungit: *Et conculcatum est*, scilicet a pedibus hominum, *et volucres caeli comederunt illud;* in quo intelliguntur morsus daemonum, secundum illud Deuteronomii trigesimo secundo [2]: « Consumentur fame, et devorabunt eos aves morsu amarissimo »; Matthaei septimo: « Nolite sanctum dare canibus, neque spargatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus

Duo documenta. suis ». — Ex quo colligimus, quod duo expellunt de corde hominis semen divinum, scilicet malae suggestiones hominum et tentationes daemonum. Et ideo dicit Apostolus ad Hebraeos ultimo [3]: « Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis, quae non profuerunt ambulantibus in eis ». Et ideo necesse est, cor nostrum elongari ab huiusmodi discursibus, « ut non simus sicut parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae »; Ieremiae secundo: « Quid tibi vis in via Aegypti, ut bibas aquam turbidam? Et quid tibi vis in via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis »?

9. (Vers. 6.). Secunda vero differentia terrae

Item, secunda. est, quae *recipit* et *quodam modo retinet*, sed *non fovet;* et quantum ad hanc subdit: *Et aliud cecidit supra petram*, id est super cor durum, de quo Zachariae septimo [4]: « Cor suum posuerunt ut adamantem »; et Iob quadragesimo primo: « Cor eius indurabitur quasi lapis ». — Haec, quamvis semen possit retinere, non tamen potest fovere, deficiente humore; et propterea addit: *Et natum aruit, quia non habebat* [5] *humorem*, scilicet vegetantem et foventem; et in tali terra statim nascitur et statim moritur, quia parum habet de alimento, sicut foenum tectorum; de quo in Psalmo [6]: « Fiant sicut foenum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit »; et Isaiae decimo octavo: « Ante messem totus effloruit, et immatura perfectio germinabit ». Et hoc est propter defectum humoris gratiae, secundum quod Isaiae decimo quinto [7] dicitur: « Aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit »; et hoc contingit propter multitudinem petrarum, quae non sunt aptae ad semen divini verbi percipiendum; propter quod dicitur Amos sexto: « Nunquid currere queunt in petris equi »? id est praedicatores, et hoc propter defectum aquarum; Iob duodecimo: « Si continuerit aquas, omnia siccabuntur ». Quocontra Ieremiae decimo septimo: « Erit lignum, quod transplantatum est secus aquas, et non timebit, cum venerit aestus. Et erit folium eius viride et in tempore siccitatis non erit sollicitum ».

10. (Vers. 7.). Tertia differentia terrae est, quae, Item, tertia.
etsi aliquo modo *retineat* et *foveat*, non tamen *complet* nec *fructum profert;* quantum ad quam subdit: *Et aliud cecidit inter spinas*, id est inter mundanas sollicitudines, in quibus multi libenter conversantur; Iob trigesimo [8]: « Esse sub sentibus delicias computabant ». Istis spinis repleta est terra, secundum illud Isaiae septimo: « Vepres et spinae in universa terra ». Et hoc merito maledictionis primae, secundum illud Genesis tertio: « Maledicta terra in opere tuo. Spinas et tribulos germinabit tibi ». — Et in hac terra semen, etsi oriatur, non tamen consummatur; unde subdit: *Et simul exortae spinae*, scilicet cum semine, *suffocaverunt illud*, quia plus in cordibus proficiunt et crescunt cogitationes carnales quam spirituales et eis praevalent; Isaiae trigesimo secundo [9]: « Super humum populi mei ascendent vepres et spinae ». Et hoc est, quia non curant de spiritualibus; Proverbiorum vigesimo quarto: « Per agrum hominis pigri transivi et per vineam viri stulti; et ecce, operuerant superficiem eius spinae ». Unde spinae totum occupant, ut fructus cum eis nasci non possit. Et ideo Ieremiae quarto [10]: « Novate vobis novale et nolite serere super spinas »; quia, sicut dicitur ad Hebraeos sexto, « terra proferens spinas et tribulos reproba est et maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem ».

11. (Vers. 8.). Quarta differentia terrae est, Item, quarta.
quae *recipit* et *retinet*, *fovet* et *fructum profert*, quantum ad quam addit: *Et aliud cecidit in terram bonam*, id est mentem docilem et benignam; de qua Exodi tertio [11]: « Educam filios Israel in terram bonam et spatiosam ». Haec est terra bona, quae habet quatuor conditiones praedictas, secundum illud ad Hebraeos sexto: « Terra supervenientem bibens imbrem et proferens herbam opportunam his, a quibus colitur, accipiet benedictionem a Deo », secundum illud Psalmi: « Benedixisti, Domine, terram tuam ». — Haec benedictio est in completione fructus; et ideo additur: *Et ortum, fecit fructum*

---

[1] Vers. 35. et 39. — Superius pro *discursus* Vat. *decursus;* quae etiam subinde omittit *transitus*. *Discursus* hic sumitur proprie, infra (nota 3.) translate.

[2] Vers. 24, post quem Matth. 7, 6. [Vulg.: *mittatis*].

[3] Vers. 9. — Duo seqq. loci sunt Eph. 4, 14. et Ier. 2, 18. — Inferius pro *discursibus* Vat. *decursibus*.

[4] Vers. 12. — Sequitur Iob 41, 15.

[5] Plures codd. *habuit*.

[6] Psalm. 128, 6, post quem Isai. 18, 5.

[7] Vers. 6. — Tres seqq. loci sunt Amos 6, 13, ubi pro *queunt* C D F *poterant;* Iob 12, 15. et Ier. 17, 8.

[8] Vers. 7. — Sequuntur Isai. 7, 24. et Gen. 3, 17. seq.

[9] Vers. 13, post quem Prov. 24, 30. seq. — Superius pro *non tamen consummatur* E *non fructificat*.

[10] Vers. 3. — Subinde allegatur Hebr. 6, 8, ubi codd. post *tribulos* prosequuntur *maledictioni proxima est, cuius* etc.

[11] Vers. 8. — Duo seqq. loci sunt Hebr. 6, 7, cuius finem codd. sic exhibent *colitur, benedicetur a Domino;* et Ps. 84, 2.

*centuplum*, id est fructum perfectum. Et sic impletur illud Psalmi[1]: « Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum », secundum quod dicitur Genesis vigesimo sexto: « Sevit Isaac et invenit in ipso anno centuplum ». Matthaei decimo tertio[2] hoc expressius dicitur secundum tres gradus: « Et fecit fructum centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum »; et hoc secundum tres gradus continentiae, vel tres gradus iustitiae; beatus vero Lucas tangit differentiam supremam, in hac includens alias.

Notandum. 12. Et nota, quod tres ponit terrae infructuosae differentias et unam tantum bonam, quia, secundum quod dicitur Matthaei vigesimo secundo[3], « multi sunt vocati, pauci vero electi ». Et propterea conqueritur Dominus Michaeae septimo: « Vae mihi! quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiae ». Et ratio huius redditur Matthaei septimo: « Quia lata est porta et spatiosa via, quae ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam; angusta est porta et arcta via, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam ».

Tertio, quoad excitationem apostolicae sollicitudinis notantur quatuor. 13. *Haec dicens clamabat.* Hic post congregationem multitudinis et propositionem similitudinis subiungitur tertio *excitatio apostolicae sollicitudinis.* Circa huiusmodi[4] autem excitationem quatuor introducuntur ab Evangelista, scilicet *admonitio magistralis, interrogatio disciplinalis, praeelectio familiaris* et *reprobatio iudicialis.* Primum sollicitat, secundum rectificat, tertium confortat et quartum humiliat.

Primum. Primo igitur quantum ad *magistralem admonitionem sollicitantem* dicitur: *Haec dicens clamabat,* ut suo clamore excitaret auditorum attentionem, sicut Ioannis septimo[5]: « In die magno festivitatis stabat Iesus et clamabat ». Hoc est enim officium praedicatoris; Isaiae quinquagesimo octavo: « Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam », ut ex ipso *modo dicendi* excitet audientes. — Nec tantum ex modo dicendi, sed etiam ex *sensu verbi;* propter quod adiungit: *Qui habet aures audiendi audiat,* id est, « spiritualiter haec verba intelligat[6] »; et Beda: « Ubicumque haec admonitio interponitur, mysticum esse quod dicitur et attentius esse quaerendum ostenditur ». Et hoc significat ipsa multiplicatio actus audiendi, sicut Isaiae vigesimo octavo[7]: « Auribus percipite et audite vocem meam et attendite et audite eloquium ». Ad hanc exhortationem potest dicere vere intelligens illud Isaiae quinquagesimo: « Erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam eum quasi magistrum »; et illud Iob quadragesimo secundo: « Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te » etc. Tangit audiendi usum, quia tres sunt gradus: primus in audiendo exterius, secundus in credendo, tertius vero in intelligendo.

14. (Vers. 9.). Secundo quantum ad *disciplinalem quaestionem rectificantem* subditur: *Interrogabant autem eum discipuli eius,* ut scilicet dirigerentur ab eo, secundum illud Ecclesiastici trigesimo tertio[8]: « Qui interrogationem manifestat parabit verbum, et sic deprecatus exaudietur; et qui servabit disciplinam et tunc respondebit ». Hoc autem dicitur, non quia statim interrogarent, sed quia ad verbum Christi conceperunt voluntatem interrogandi; unde in Marci quarto dicitur: « Cum esset singularis, interrogaverunt eum ». — Et quia interrogatio est de occultis et mysticis, ideo additur: *Quae esset haec parabola,* id est, quid significaret, ut per eius interpretationem possent intellectum capere, secundum illud Proverbiorum primo[9]: « Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit; animadvertet parabolam et interpetrationem »; et Ecclesiastici trigesimo nono: « Ideo occulta proverbiorum exquiret sapiens et in absconditis parabolarum conversabitur ». Secundum.

15. (Vers. 10.). Tertio quantum ad *familiarem praeelectionem confortantem* subditur: *Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei,* id est intelligentiam Scripturae, quae regnum Dei dicitur, secundum illud Matthaei vigesimo primo[10]: « Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius ». Dicitur autem Scriptura *regnum Dei,* quia ipsum praedicat et ostendit et Tertium.

---

[1] Psalm. 84, 13, post quem Gen. 26, 12.

[2] Vers. 8. — Hieron., II. Comment. in Matth. 13, 23: De quibus plenius in libro contra Iovinianum diximus et nunc breviter perstringimus: Centesimum fructum virginibus, sexagesimum viduis et continentibus, tricesimum casto matrimonio deputantes. Cfr. tom. IV. pag. 754, nota 6. — De triplici iustitia vide supra pag. 82, notam 3. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 8, 8: *Centuplum* etc. Cum denarius pro perfectione soleat accipi, quia in decem Legis praeceptis custodia continetur, *centenarius,* qui per multiplicatum denarium surgit, pro magna perfectione ponitur. Cor igitur *centuplum* facit fructum, quod per amorem proximi activam et per amorem Dei contemplativam adipiscitur vitam et spiritualium ornatur perfectione virtutum. — Inferius pro *includens* A C D H *concludens.*

[3] Vers. 14. — Subinde allegantur Mich. 7, 1, deinde Matth. 7, 13. seq.

[4] Cod. H *hanc.* Inferius pro *sollicitat* Vat. *excitat.*

[5] Vers. 37, post quem Isai. 58, 1. — Superius pro *sollicitantem* (ita F) C D H *sollicitam,* G legit *ad magistralem admonitionem et sollicitationem,* Vat. *ad magistralis admonitionis sollicitudinem excitantem.*

[6] Ita, ut monent F H, Glossa *interlinearis.* Vat.: *Gregorius* [I. Homil. in Evang. homil. 15. n. 2.] *spiritualiter haec verba intelligit.* — Verba Bedae, III. in Luc. 8, 8, allegantur secundum Glossam *ordinariam* apud Lyranum in Luc. 8, 8, apud Strab. in Matth. 13, 9.

[7] Vers. 23. — Sequuntur Isai. 50, 4. et Iob 42, 5. seq.

[8] Vers. 4. — Subinde allegatur Marc. 4, 10. Idem dicitur in Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 8, 9.

[9] Vers. 5, post quem Eccli. 39, 3.

[10] Vers. 43. — Sequitur Ioan. 5, 39. Glossa *interlinearis* in Luc. 8, 10: *Mysterium regni Dei,* intelligentiam Scripturarum, de quo regno alibi [Matth. 21, 43.] dicitur: Auferetur etc. — Inferius post *obedientem* Vat. addit *ipsum ad regnum Dei.*

promittit et obedientem perducit, secundum illud Ioannis quinto: « Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere ». De his igitur dicit Apostolis specialiter et discretive: *Vobis datum est,* quia ipsi ad hoc electi fuerunt; Ioannis decimo quinto [1]: « Vos autem dixi amicos, quia omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis ». Et signanter dicit *datum,* non *venditum,* ut gratiam agnoscamus; Matthaei decimo: « Gratis accepistis, gratis date »; *datum* etiam, non *innatum;* infra vigesimo primo: « Ego enim dabo vobis os et sapientiam »; *datum,* non *acquisitum;* Iacobi primo [2]: « Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum ». In hoc ergo, quod familiariter dicit eos praeelectos, confortat, ne deficiant ab inquirendo; infra duodecimo [3]: « Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum ».

16. Quarto vero quantum ad *iudicialem reprobationem humiliantem* subiungit: *Ceteris autem in parabolis,* scilicet supple: datum est nosse, quod potius est ignorare; Isaiae vigesimo octavo [4]: « In loquela labii », scilicet exterioris, « et in lingua altera loquar ad populum istum ». Et hoc facit iusto suo iudicio, quo non vult communicare sancta immundis, secundum illud Matthaei septimo: « Nolite sanctum dare canibus ». — Et propterea subdit: *Ut videntes non videant; ut* non est ibi causale, sed consecutivum, sicut Ioannis nono [5]: « In iudicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant ». Et hoc iudicium praedicitur Isaiae vigesimo nono: « Claudet Dominus oculos vestros; prophetas et principes vestros, qui vident visiones, operiet. Et erit vobis visio Domini sicut verba libri signati ». Non est contradictio in hoc, quod dicit: *Ut videntes non videant,* quia primum refertur ad visum exteriorem, secundum ad interiorem, secundum illud Isaiae quadragesimo tertio [6]: « Educ foras populum caecum et oculos habentem et surdum, et aures ei sunt ». Et hoc explicat sequens clausula: *Et audientes non intelligant;* Isaiae sexto [7]: « Excaeca cor populi huius et aures eius aggrava »; et ibidem subditur: « Auribus audite et nolite intelligere ». Unde dicitur secundae ad Corinthios tertio: « Usque in hodiernum diem, dum legeretur Moyses, velamen est positum super cor eorum ». Et hoc factum est divino iudicio, secundum illud ad Romanos undecimo [8]: « Nolo vos ignorare, fratres, quia ex parte caecitas contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret ». Et hoc debet omnes humiliare, secundum quod ibidem dicitur: « Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat ». — Et haec humilitas est opportuna et praeambula ad intelligentiam mysteriorum, quia dicitur Matthaei undecimo [9]: « Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis ».

Quartum.

Notandum.

**Secundo ponitur informatio apostolica in apertis eloquiis per duo.**

17. (Vers. 11.). *Est autem haec parabola.* Postquam praemissa est instructio parabolica in occultis mysteriis, sequitur secunda pars capituli, in qua describitur *informatio apostolica in apertis eloquiis.* Haec autem pars habet duas particulas, in quarum prima *erudiuntur ad intellectum parabolae;* in secunda *invitantur ad communicationem doctrinae,* ibi [10]: *Nemo autem lucernam accendens* etc. — Quantum ad *explicationem parabolae* attendendum, quod primo explicat eam *generaliter,* deinde *specialiter,* ibi [11]: *Qui autem secus viam.*

Divisio.

Primo, eruditio Apostolorum.

Dicit ergo primo, quasi *generalem* quandam intentionem parabolae praemittens: *Est autem haec parabola,* id est, hic est intellectus parabolae, ut posset dicere illud Ioannis decimo sexto [12]: « Haec in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora, cum iam palam de Patre meo annuntiabo vobis ». — *Semen est verbum Dei.* Est autem divinum semen verbum Dei, quia per illud renascimur, ut fiamus divini; Iacobi primo [13]: « Voluntarie genuit nos verbo veritatis ». — Iuxta quatuor membra in parabola praemissa quatuor distinguit auditorum genera, in quibus diversimode suscipitur semen divinorum eloquiorum,

Generalis parabolae explicatio.

Specialis explicatio quoad quatuor.

[1] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt Matth. 10, 8. et Luc. 21, 15. — Inferius pro *non innatum* Vat. *non mutuatum.*

[2] Vers. 17.

[3] Vers. 32.

[4] Vers. 11. — Subinde allegatur Matth. 7, 6. — Glossa *interlinearis* (secundum Bedam) in Luc. 8, 10: *Ceteris,* « qui foris sunt », ut Marcus [4, 11.] ait, qui neque intueri neque cognoscere curant veritatem. — Inferius pro *communicare sancta* C D F G *communicare sacrata* (E *secreta indignis).*

[5] Vers. 39, post quem Isai. 29, 10. seq. — De particula *ut* cfr. tom. VI. pag. 382, nota 1. verba Chrysost.; vide ibid. c. 9. n. 50. et c. 12. n. 70.

[6] Vers. 8. — Chrysost., Homil. 45. (alias 46.) in Matth. n. 1: Verum si ex natura caecitas erat, aperire oportebat; quia vero voluntaria caecitas, ideo non simpliciter dixit: Non vident; sed *videntes non vident,* ita ut ex eorum nequitia caecitas sit. Viderant enim daemones egressos et dicebant [Matth. 9, 34.]: *In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia.* Audierant illum ipsos Deo adducentem et eum Deo magnum consensum exhibentem et dicunt [Ioan. 9, 16.]: *Hic non est ex Deo* etc.

[7] Vers. 10, ubi subditur: Ne forte videat oculis suis et auribus suis audiat et corde suo intelligat etc.; ibid. v. 9: Audite audientes et nolite intelligere. — Sequitur II. Cor. 3, 15.

[8] Vers. 25, post quem v. 20. seq., in cuius fine codd. omittunt *ne forte,* et G H pro *parcat* substituunt *parcet.* — Inferius pro *Et hoc debet omnes humiliare* Vat. *Et debet omnis se humiliare.*

[9] Vers. 25.

[10] Vers. 16. — Superius post *erudiuntur* H addit *Apostoli.*

[11] Vers. 12.

[12] Vers. 25.

[13] Vers. 18. — Superius Vat. omittit *Est autem divinum semen verbum Dei* et voci *divini* praefigit *sancti et.*

ita quod unum semen accipit[1] dispositionem, ut sit in aliis *conculcatum,* in aliis *arefactum,* in aliis *suffocatum* et in aliis *multiplicatum.*

Primo, semen conculcatum.

18. (Vers. 12.). Primo igitur quantum ad explicationem *seminis conculcati,* quod est verbum Domini in corde *oblivioso,* dicit: *Quod*[2] *autem secus viam, hi sunt qui audiunt; quod* non refertur ad semen susceptum, sed ad personas recipientes semen, qui et ipsi dicuntur *semen,* secundum illud Ieremiae trigesimo primo: « Seminabo domum Israel et domum Iuda semine hominum et semine iumentorum », id est perfectorum et imperfectorum. Illi ergo, qui audiunt, semen sunt, sed ideo infructuosi, quia non retinent. — Propter quod addit: *Deinde venit diabolus,* scilicet per suggestionem, *et tollit verbum de corde eorum,* id est de recordatione. Et hoc signatum fuit Iudicum sexto[3], ubi dicitur: « Cum sevisset Israel, ascendebat Madian et Amalech et vastabant cuncta, prout erant in herbis ». Unde ipse libenter destruit principia bonitatis, quia insidiatur nostrae saluti. — Propter quod adiungit: *Ne credentes salvi fiant.* Sicut enim scriptum est Marci ultimo[4], « qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur ». Ipse autem nihil quaerit nisi nostram damnationem tanquam iam damnatus; Apocalypsis duodecimo: « Proiectus est accusator fratrum, qui accusabat eos ante conspectum Dei nostri die ac nocte ».

Secundo, arefactum.

19. (Vers. 13.). Secundo quantum ad explicationem *seminis arefacti* in corde *desidioso* subditur: *Nam qui supra petram, hi sunt*[5] *qui, cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum.* Et hoc quidem est laudabile, secundum illud Actuum decimo septimo: « Susceperunt verbum cum omni aviditate ». — Sed tamen in hoc sunt reprehensibiles, quia non fovent nec volunt laborare; et ideo subdit: *Et hi radices non habent,* id est firmitatem caritatis, de qua Apostolus ad Ephesios tertio[6]: « In caritate radicati et fundati »; sed potius amorem libidinosum sive adulterinum, et ideo non proficiunt; Sapientiae quarto: « Adulterinae plantationes non dabunt radices altas nec stabile firmamentum collocabunt », quia, Osee nono, « radix eorum exsiccata est ». — Et quod isti non habeant radices confirmantes, ostendit, cum adiungit: *Quia*[7] *ad tempus credunt,* scilicet in tempore prosperitatis, *et in tempore tentationis recedunt,* scilicet a Deo, secundum illud Deuteronomii trigesimo-secundo: « Recessit a Deo, salutari suo ». Hoc certe competit huiusmodi desidioso, secundum illud Ecclesiastici sexto[8]: « Quam aspera est nimium sapientia indoctis hominibus, et non permanebit in illa excors », sed, sicut dicitur Osee septimo, « vae his qui recesserunt a me »! Quocontra Iob vigesimo septimo: « Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea ». Et ideo hortatur Ecclesiasticus secundo: « Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia et timore et praepara animam tuam ad tentationem ».

Tertio, suffocatum.

20. (Vers. 14.). Tertio autem quantum ad expositionem *seminis suffocati* in corde *negotioso* subditur: *Quod autem in spinas*[9] *cecidit, hi sunt qui audierunt,* id est, illi signantur per illud. Et nota, quod *auditus* attribuitur omnibus, ut nullus possit se excusare; ad Romanos decimo: « Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum ». — Sed non omnes faciunt fructum spiritualem, quia impediuntur a curis carnalibus; et ideo addit: *Et a sollicitudinibus,* scilicet intra, *et divitiis,* scilicet extra, *et voluptatibus vitae,* scilicet infra; in quo tangitur triplex bonum commutabile, scilicet *interius, exterius* et *inferius; euntes suffocantur,* id est, vitam spiritualem perdunt, quia, secundum quod dicitur primae ad Timotheum sexto[10], « qui volunt divites fieri incidunt in tentationes et in laqueum diaboli et in desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt hominem in interitum et perditionem »; et ideo merito *suffocari* dicuntur. — Et ideo perdendo vitam interiorem, perdunt per consequens efficaciam exteriorem; et ideo subditur: *Et non referunt fructum.* Scribitur enim Ecclesiastae quinto[11]: « Qui amat divitias fructum non capiet ex eis », quia, sicut dicitur in Psalmo, « dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis »; et ad

Notandum.

[1] Cod. B *diversam accipit.* — De quatuor auditorum generibus cfr. supra n. 7.

[2] Ita plures codd. cum Gregor. (I. Homil. in Evang. homil. 15. in principio), S. Thoma (Catena aurea in Luc. 8. n. 2). et Lyrano. Alii codd. hic cum Vulgata *qui,* et infra *qui* [H *istud qui*] *non refertur* etc., Card. Hugo explicat duplicem hanc lectionem; cfr. Matth. 13, 20. — Sequitur Ier. 31, 27.

[3] Vers. 3. et 4. — Subinde Vat., interpunctione mutata, legit: *principia bonitatis. Et quia nostrae saluti insidiatur, adiungit* etc.

[4] Vers. 16. — Sequitur Apoc. 12, 10.

[5] Vulgata et Vat. cum H omittunt *hi sunt,* quod tamen exhibent Gregor. (I. Homil. in Evang. homil. 15.), B. Albert. et S. Thom. (Catena aurea in Luc. 8. n. 2.). — Subinde codd., H excepto, omittunt *cum audierint* et *verbum.* — Sequitur Act. 17, 11, ubi post *verbum* A C D F G addunt *Dei.*

[6] Vers. 17. — Duo seqq. loci sunt Sap. 4, 3: *Spuria vitulamina non* etc., pro *firmamentum* codd. *fundamentum* (cfr. tom. VI. pag. 132 col. II. et pag. 133. col. I.), et Osee 9, 16.

[7] Ita etiam Gregor. (I. Homil. in Evang. homil. 15.), Card. Hugo, B. Albert.; Vulgata *Qui.* — Sequitur Deut. 32, 15. — Superius pro *Et quod isti* C D F *Et quod istae,* et pro *radices confirmantes* Vat. *radices confirmatas.*

[8] Vers. 21, post quem Osee 7, 13, Iob 27, 5. et Eccli. 2, 1.

[9] Codd. C D F H *spinis,* ita etiam B. Albert. et S. Thom. (Catena aurea in Luc. 8. n. 2.); Matth. 13, 22: *Qui autem seminatus est in spinis.* — Sequitur Rom. 10, 18.

[10] Vers. 9. — De his tribus bonis cfr. Qq. disput. de Perfect. evangel. q. 2. a. 3. in corp. et in Hexaëm. collat. 4. n. 22. Cfr. etiam Itiner. mentis in Deum c. 1. et Soliloquia c. 1-3.

[11] Vers. 9, post quem Ps. 75, 6. et Rom. 6, 21.

Romanos sexto: « Quem fructum habuistis in quibus nunc erubescitis »? quasi dicat: nullum. Unde merito divitiae et voluptates comparantur *spinis*, tum quia fructum non afferunt, tum etiam, quia fructum impediunt, tum etiam, quia habentem affligunt, secundum illud Ecclesiastae secundo[1]: « Peccatori autem dedit Deus afflictionem et curam superfluam, ut addat et congreget. Sed et hoc vanitas et cassa sollicitudo mentis est »; Ecclesiastae quinto: « Dulcis est somnus operanti, sive multum, sive parum comedat; saturitas autem divitis non permittit eum dormire ». Unde quasi super spinas iacet; propter quod dicit Beda[2]: « Divitiae, etsi delectare videantur, tamen possessoribus suis spinae sunt, quia cum aculeis curarum mentes eorum confodiunt quae avide quaeruntur et sollicite servantur ».

Quarto, multiplicatum.

21. (Vers. 15.). Quarto autem ad interpretationem *seminis multiplicati* in corde *fructuoso* subiungitur: *Quod autem in terram bonam*, scilicet cecidit; Numerorum decimo quarto[3]: « Terra, quam lustravimus, valde bona est »; *hi sunt qui in corde bono*, quoad *cognitivam;* Ecclesiastici trigesimo septimo: « Cor boni consilii statue tecum »; et Ecclesiastici tertio: « Sapiens cor et intelligibile abstinet se a peccato »; *et optimo*, quoad *affectivam;* ad Hebraeos ultimo: « Optimum est gratia stabilire cor ». *Audientes verbum retinent*, quoad *memorativam;* Proverbiorum tertio[4]: « Fili mi, ne obliviscaris legis meae, et praecepta mea custodiat cor tuum ». *Et fructum afferunt*, quoad *operativam;* Isaiae trigesimo: « Dabitur pluvia semini tuo, ubicumque seminaveris in terra, et panis frugum terrae tuae erit uberrimus ». *In patientia*, quoad potentiam *passivam et supportativam*, in qua est consummatio meriti boni; Iacobi primo[5]: « Patientia opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri ». Unde ipsa est, quae perducit ad fructum; Iacobi quinto: « Ecce, agricola exspectat pretiosum fructum terrae, patienter ferens, donec accipiat temporaneum et serotinum »; et ad Hebraeos decimo: « Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem »; et duodecimo: « Omnis disciplina in praesenti quidem non est gaudii, sed moeroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiae ».

22. Ad istius tamen explanationis evidentiorem manifestationem notandum, quod *semen est Verbum Dei*, primo, quia tenet rationem *principii activi;* Ioannis octavo[6]: « Ego principium, qui et loquor vobis »; Matthaei decimo tertio: « Qui seminat bonum semen Filius est hominis », qui scilicet est principium omnis boni. — Secundo, quia tenet rationem *principii propagativi;* Ioannis quinto[7]: « Pater meus usque modo operatur, et ego operor ». Ideo Marci quarto: « Sic est regnum Dei, quemadmodum si iaciat homo sementem in terram et dormiat » etc.; et Genesis primo: « Germinet terra herbam virentem et facientem semen et lignum pomiferum, cuius semen » etc. — Tertio, quia tenet rationem *principii multiplicativi;* Ioannis duodecimo[8]: « Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert »; et de hoc primae ad Corinthios decimo quinto: « Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur ». Huiusmodi autem semen est Verbum Dei increatum ut *inspiratum*, ut *incarnatum*, ut *praedicatum*, ut *exemplatum*[9].

Secundo, invitatio quadruplex Apostolorum ad communicandam doctrinam.

23. (Vers. 16.). *Nemo autem accendens lucernam* etc. Postquam eruditi sunt Apostoli ad intellectum parabolae, hic secundo *invitantur ad communicationem doctrinae*, ad quam invitantur Apostoli quadrupliciter: primo, *congruitate generalis exempli;* secundo vero, *necessitate superni iudicii*, ibi[10]: *Non est enim occultum* etc.; tertio, *utilitate proprii meriti*, ibi: *Videte, quomodo auditis* etc.; quarto vero, *immutabilitate divini beneplaciti*, ibi: *Venerunt autem ad illum* etc. — Circa *congruitatem generalis exempli* duo sunt attendenda: primum est *dissonantia in opposito*, secundum *convenientia in proposito*[11].

De congruitate generalis exempli dupliciter.

Primo.

Primo ergo quantum ad *dissonantiam in opposito* dicitur: *Nemo autem lucernam accendens. Lucerna* est verbum Dei, iuxta illud Proverbiorum sexto[12]: « Mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitae increpatio disciplinae »; et in Psalmo: « Lucerna pedibus meis verbum tuum ». Tunc autem *lucerna accenditur*, quando cordi humano intelligentia divini verbi tribuitur. Unde de Ioanne Ioannis quinto: « Ipse erat lucerna ardens et lucens ». — *Operit eam vase.* Lucerna haec non est operienda

---

[1] Vers. 26. et deinde 5, 11.

[2] Libr. III. in Luc. 8, 14; sententia Bedae (qui sequitur Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 15. n. 1.) exhibetur secundum Glossam *ordinariam* (apud Lyranum) in Luc. 8, 14.

[3] Vers. 7. — Tres seqq. loci sunt Eccli. 37, 17. et 3, 32; Hebr. 13, 9.

[4] Vers. 1. — Subinde allegatur Isai. 30, 23. — Superius pro *memorativam* plures codd. *memoriam.*

[5] Vers. 4. — Sequuntur Iac. 5, 7; Hebr. 10, 36. et 12, 11. — Superius pro *potentiam passivam* Vat. *passionem passivam.*

[6] Vers. 25, post quem Matth. 13, 37. — Superius post *Ad istius tamen* Vat. addit *seminis.*

[7] Vers. 17, cui subiunguntur Marc. 4, 26. et Gen. 1, 11.

[8] Vers. 24. seq. — Subinde allegatur I. Cor. 15, 36.

[9] Cfr. in Hexaëm. collat. 3. n. 2. seqq. et de Donis Spiritus S. collat. I. n. 5. seqq.

[10] Vers. 17; tertium habetur v. 18: *Videte ergo, quomodo* etc. (pro *auditis*, quod habent codd. et Beda, Vulg. *audiatis);* quartum v. 19. — Inferius pro *immutabilitate* codd. *amicabilitate;* cfr. infra n. 29, ubi pro *imitatione* (ita Vat.) A C D H *insinuatione.* — Locus videtur esse corruptus.

[11] Aristot., IV. Topic. c. 4: Si oppositum in opposito, et propositum in proposito erit; ut si caecitas insensibilitas quaedam, et visus sensus.

[12] Vers. 23, post quem Ps. 118, 105. et Ioan. 5, 35. Cfr. Gregor., XIX. Moral. c. 11. n. 18. et I. Homil. in Ezech. homil. 7. n. 17.

vase carnalis immunditiae; Osee octavo[1]: « Israel factus est in nationibus quasi vas immundum ». Sed non est tale vas Paulus, de quo Actuum nono: « Vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel ». Hoc fuit vas apertum, quod illuminavit mundum; Ecclesiastici quadragesimo tertio: « Sol in aspectu annuntians in exitu vas admirabile, opus Excelsi ». — *Aut subtus lectum ponit.* In *lecto* autem accidia designatur; Proverbiorum vigesimo sexto[2]: « Sicut ostium vertitur in cardine suo, sic piger in lectulo suo ». Hinc est, quod reprehenditur « servus ille, qui abscondit pecuniam domini sui », Matthaei vigesimo quinto, contra illud Ecclesiastici vigesimo nono: « Ne abscondas illam sub lapide in perditionem ». Vult ergo dicere, quod sicut inconveniens est, lucernam accensam abscondere sub vase vel lecto, sic divinam intelligentiam occultare. Et hoc est quod dicitur Ecclesiastici vigesimo[3]: « Sapientia abscondita et thesaurus invisus, quae utilitas in utrisque »? et post: « Melior est homo, qui abscondit stultitiam, quam qui abscondit sapientiam suam ». Hoc autem intelligitur, quando habet tempus et locum. Nam in Psalmo[4] dicitur: « In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi »; et rursum: « Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me; obmutui et humiliatus sum ».

Secundo. 24. Secundo vero quantum ad *congruitatem in proposito* adiungit: *Sed supra candelabrum ponit*[5], quantum ad *perfectionem virtutis; ut intrantes videant lumen,* per *apertionem veritatis,* secundum illud Matthaei quinto: « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est »; ad Philippenses secundo: « Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes ». Illud autem lumen non vident, nisi qui intrant per fidem; quia Isaiae septimo[6] secundum Septuaginta: « Nisi credideritis, non intelligetis ». Et de hoc fidei ingressu dicitur Ioannis decimo: « Per me si quis introierit, salvabitur »; *introierit,* per fidem, quia « qui crediderit salvus erit ». Isti intrantes per fidem mediante doctrina Sanctorum perveniunt ad intelligentiam sacramentorum, secundum illud Psalmi[7]: « Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis ». « Qui enim ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates », Danielis duodecimo. Et ideo Dominus dicebat discipulis Matthaei decimo: « Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine, et quod in aure auditis praedicate super tecta ».

De necessitate superni iudicii dupliciter. 25. (Vers. 17.). *Non est enim occultum.* Hic secundo invitat eosdem ad communicationem doctrinae *necessitate superni iudicii* dupliciter, tum propter futuram *manifestationem omnis boni,* tum propter futuram *revelationem omnis mali.*

Primo. Primo igitur quantum ad futuram *manifestationem omnis boni* dicitur: *Non est enim occultum,* scilicet bonum, *quod non manifestetur,* scilicet per futurum iudicium; unde secundae ad Corinthios quinto[8]: « Oportet enim, nos omnes manifestari ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque, prout gessit in corpore ». Hoc autem erit in iudicio, de quo primae ad Corinthios quarto dicitur, quod « illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique »; et hoc, quia lux habet proprietatem manifestativam, secundum illud ad Ephesios quinto: « Quae arguuntur a lumine manifestantur »; unde bona veritas fidei et morum tanquam lux quaerit manifestari, non occultari, secundum illud Ioannis tertio[9]: « Qui facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta ». Quod potissime fiet, quando lux illa manifestabitur in iudicio; propter quod in Psalmo: « Qui sedes super Cherubim, manifestare »; et rursus in Psalmo: « Deus manifeste veniet, et non silebit ».

Secundo. 26. Secundo vero quantum ad futuram *revelationem omnis mali* dicitur: *Nec absconditum,* scilicet peccatum vel malum, quod homo libenter abscondit, secundum illud Iob trigesimo primo[10]: « Si abscondi quasi homo peccatum meum »; *quod non cognoscatur et in palam veniat,* id est in iudicio, secundum illud Proverbiorum vigesimo sexto[11]: « Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia eius in concilio ». Unde Ecclesiastici primo: « Ne fueris hypocrita in conspectu hominum »; « ne forte revelet Deus abscondita tua et in medio synagogae elidat te »; quia, sicut dicitur Sapientiae primo[12], « auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur ». « Ipse enim est, qui revelat profunda et abscondita et novit in tenebris constituta » etc. Quia ergo oportet, omnia manifestari, stultum est ad tempus abscondere; ac per hoc necesse est doctrinam acceptam aliis aperire.

---

[1] Vers. 8. — Duo seqq. loci sunt Act. 9, 15. et Eccli. 43, 2. Cfr. Gregor., XXX. Moral. c. 25. n. 77.

[2] Vers. 14. — Subinde allegantur Matth. 25, 26. seqq. et Eccli. 29, 13.

[3] Vers. 32, post quem 41, 18; cfr. 20, 33: Melior est qui celat insipientiam suam, quam homo, qui abscondit sapientiam suam.

[4] Psalm. 118, 11. et dein Ps. 38, 2. seq.

[5] Plures codd. *Sed super candelabrum superponit.* — Sequuntur Matth. 5, 16. et Phil. 2, 15. seq. — Superius Vat. sola *apparitionem virtutis* pro *perfectionem virtutis.*

[6] Vers. 9; cfr. supra pag. 4, nota 8. — Subinde allegantur Ioan. 10, 9. et Marc. 16, 16.

[7] Psalm. 75, 5, post quem Dan. 12, 3. et Matth. 10, 27.

[8] Vers. 10. — Duo seqq. loci sunt I. Cor. 4, 5. et Eph. 5, 13.

[9] Vers. 21. (A C D, omisso *quia in Deo sunt facta,* addunt *quantum habet).* — Sequuntur Ps. 79, 2. et 49, 3.

[10] Vers. 33. Vat. addit v. 35.

[11] Vers. 26, ubi pro *odium fraudulenter* C D G *hominum fraudulentiam.* — Subinde allegantur Eccli. 1, 37. et 39.

[12] Vers. 10, post quem Dan. 2, 22; cfr. Iob 12, 22.

De utilitate proprii meriti dupliciter.

27. (Vers. 18.). *Videte ergo, quomodo auditis*[1] etc. Hic tertio invitantur Apostoli ad idem *utilitate proprii meriti;* et hoc, quia eius *habitus facit opulentum, privatio* vero *reddit egenum.* — Primo. Praedicanda est ergo divina doctrina primo, quia *habitus documenti perducit ad opulentiam;* propter quod dicit: *Videte ergo, quomodo auditis;* Beda[2]: « Ut in vestro pectore suscipiatis et continuo ruminetis et alieno auditui eructare sufficiatis »; quasi dicat: non audiatis verba eruditionis divinae negligenter, ut non curetis, sed diligenter, ut abundetis et aliis tribuatis. Unde et subdit: *Qui enim habet, dabitur ei*[3]*;* qui enim habet affectum et voluntatem proficiendi, dabit ei Deus intellectum et facultatem docendi. Unde Sapientiae septimo: « Optavi, et datus est mihi sensus; et invocavi, et venit in me spiritus sapientiae »; et post: « Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa ». Unde si quis vult, quod detur sibi abundanter, debet et ipse dare de eo quod habet libenter; supra sexto[4]: « Date, et dabitur vobis », scilicet donum sapientiae, secundum illud Iacobi primo: « Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter » etc. Unde nulli datur sapientiae donum, nisi habeat desiderium; Isaiae quinquagesimo quinto: « Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum properate » etc.

28. Secundo vero, *per contrarium,* quia ipsius Secundo. *privatio ducit ad inopiam,* adiungit: *Et quicumque non habet,* affectum scilicet divinae doctrinae in corde, *etiam quod putat se habere,* per tumorem superbiae, *auferetur ab eo*[5], scilicet per rigorem divinae sententiae; infra decimo nono: « Tollite ab eo mnam et date illi qui habet decem mnas »; et Matthaei vigesimo primo: « Auferetur a vobis regnum », scilicet sacrae Scripturae, « et dabitur genti facienti fructus eius ». Ex quo colligitur, quod nullus potest pervenire ad plenitudinem divinae sapientiae, nisi habeat promptitudinem doctrinae communicandae; unde Sapientiae sexto[6]: « Quid sapientia et quomodo facta sit, referam, et non abscondam a vobis sacramenta Dei ». « Neque cum invidia tabescente iter habebo; quoniam talis homo non erit particeps sapientiae » Dei.

De imitatione Magistri dupliciter.

29. (Vers. 19.). *Venerunt autem ad illum Mater* etc. Hic quarto invitat Apostolos ad doctrinam communicandam *ex imitatione*[7] *Magistri sui,* scilicet Christi, qui praetulit affectum docendi affectui parentali. Unde duo hic introducuntur: primum est *requisitio propinquorum;* secundum vero, *praeelectio discipulorum.*

Primo igitur quantum ad *parentum requisitionem* dicitur: *Venerunt autem ad illum Mater et fratres eius,* ad quos debet specialis affectus haberi, ad *matrem* quidem, quoniam dicitur Exodi vigesimo[8]: « Honora patrem tuum et matrem tuam »; et Tobiae quarto: « Honorem habebis matri tuae omnibus diebus vitae eius »; ad *fratres,* scilicet propinquos et cognatos; Levitici decimo nono[9]: « Diliges fratrem tuum sicut te ipsum ». Horum igitur, quibus debetur praecipua affectio, introducitur requisitio, sed non poterant per se ipsos; unde additur: *Et non poterant adire eum prae turba;* et ideo requirebant per nuntium. Primo.

30. (Vers. 20.). Propter quod additur: *Et nuntiatum est illi: Mater tua et fratres tui,* quibus multam debes affectionem ratione propinquitatis, *foris stant, volentes te videre,* per affectum caritatis. Et sic efficaciter requiritur, ut ad propinquos transeat vel exeat tum propter naturam agnoscendam, tum propter caritatem rependendam. Unde super hoc dicit Glossa[10], Matthaei duodecimo, quod « hoc tergiversando nuntiatum est Christo, ut sciretur, si doctrinam relinqueret ». Sciebant enim, illud esse verum quod dicitur ad Ephesios quinto[11]: « Nemo unquam carnem suam odio habuit »; et sic volebant experiri, quid amplius acceptaret, utrum affectionem parentum, an eruditionem discipulorum.

31. (Vers. 21.). Secundo vero quantum ad *discipulorum praeelectionem* additur: *Qui respondens dixit ad eos: Mater mea et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt et faciunt.* In quo ostendit, Secundo.

---

[1] Vulgata *audiatis*, G H *auditis*, cui lectioni alii codd., ut C D, qui hic ponunt *audistis*, supra pag. 195, nota 10. et paulo inferius suffragantur.

[2] Libr. III. in Luc. 8, 18: « *Videte ergo, quomodo auditis.* Instanter nos docet verbo auscultare, quatenus et nostro illud pectore continue ruminare et alieno ructare sufficiamus auditui ». Glossa *interlinearis* apud Lyranum: « *Videte ergo, quid audiatis,* ut et in vestro pectore continue ruminetis et aliena ructuare sufficiatis ». Codd. A C D *aliena eructare*, G *alieno ructare*, H *alieno pectori eructare.* Inferius pro *tribuatis* E *nuntietis.*

[3] Vulgata et Vat. *illi;* cfr. Matth. 13, 12. — Subinde allegantur Sap. 7, 7. et 11.

[4] Vers. 38. — Duo seqq. loci sunt Iac. 1, 5. et Isai. 55, 1. — Superius vocibus *quod habet* C interserit *ipse.*

[5] Vulgata et Vat. *illo.* Codd. A C D superius legunt: *Ei autem, qui non habet, et quod putat se habere* etc.; cfr. Matth. 13, 12: Qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo. — Sequuntur Luc. 19, 24. et Matth. 21, 43, ubi post *regnum* Vulgata et H addunt *Dei.*

[6] Vers. 24. et 25, in quo pro *iter habebo* A C D *communico*, et pro *erit* C D *est.* — Cfr. Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 8, 18.

[7] Codd. A C D H *insinuatione;* cfr. supra pag. 195, nota 10.

[8] Vers. 12, post quem Tob. 4, 3.

[9] Vers. 18: *Diliges amicum tuum* [Septuaginta: *proximum*] etc. — Inferius D *quia ire non poterant*, Vat. *sed non poterant pertingere;* melius supple *requirere.*

[10] Scilicet *ordinaria* (ex Hieron.) in Matth. 12, 47: *Dixit autem ei quidam,* insidiose, utrum spirituali operi carnem praeferat; et ideo se nosse dissimulat Matrem et proximos per cognationem, sed per coniunctionem spiritus esse sibi proximos dicit. Cfr. ibid. Glossa in v. 46, quae etiam habetur in Luc. 8, 20. — Pro *tergiversando* H *dolose et insidiose.* Post *relinqueret* Vat. addit *propter humanum, quem erga Matrem et fratres haberet affectum.*

[11] Vers. 29.

quod magis acceptabat discipulorum eruditionem quam parentum affectionem, et quod magis acceptabat discipulos quam propinquos, et quod magis acceptat[1] affectum doctorum ad discipulos quam parentum ad filios. — Et nota, quod propter parentum affectum et indigentiam et requisitionem non debet doctor intermittere eruditionem doctrinae; in quo magis invitat facto, quam supra invitaverit verbo.

Notandum.

32. Et nota, quod auditores vocat *matres*, in quantum per documentum alios generant, secundum illud ad Galatas quarto[2]: « Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis ». — *Fratres* vocat, in quantum per verbum generantur et filii Dei fiunt, secundum illud Psalmi: « Narrabo nomen tuum fratribus meis »; et ad Hebraeos secundo: « Non confunditur eos vocare fratres ». Qui enim verbum Dei suscipiunt, illi inseruntur tanquam stipiti radicali; et per consequens rigantur per humorem Spiritus sancti, et ideo efficiuntur filii Dei vivi, secundum illud ad Galatas quarto[3]: « Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem » etc. Et ideo, quantum praeest spiritus carni, et gratia naturae, et divina humanis, et aeterna caducis, tantum praefertur generatio spiritualis, quae est per verbum vitae[4], generationi carnali; et ideo huic praeferenda est. Nam propter illam verus praedicator plus afficitur ad filios generatos per praedicationem quam ad parentes carnales. Quod patet, quia Apostoli pro eis confirmandis effuderunt sanguinem proprium, sicut etiam Christus fecerat, qui est magister magistrorum.

Notandum.

33. Et quoniam illi soli semen verbi recte suscipiunt, qui audita exsequuntur; ideo recte addit: *Qui verbum Dei audiunt et faciunt;* quia, ad Romanos secundo[5], « non auditores Legis iusti sunt apud Deum, sed factores iustificabuntur apud Deum »; et Iacobi primo: « Estote factores verbi et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos ». Tales enim praefert Christus parentali cognationi suae, infra undecimo[6]: « Beatus venter, qui te portavit ». « Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud ». Hoc autem dicit, non quia Matrem contemnat, cum ipsam prae omnibus dilexerit, sed ut exemplo ostendat quod praecipit infra decimo quarto: « Qui non reliquerit patrem et matrem et uxorem, filios, fratres et sorores, non potest meus esse discipulus ».

Quando semen verbi recte suscipiatur.

**Tertio ponitur confirmatio authentica in manifestis miraculis.**

34. *Factum est*[7] *in una dierum, et ipse ascendit* etc. Post instructionem parabolicam in occultis mysteriis et informationem apostolicam in apertis eloquiis subdit hic Evangelista more suo *confirmationem authenticam in expressis miraculis.* Introducuntur autem in hac parte tria signa miraculorum, « ut in ore trium testium stet omne verbum[8] », et ut ostendatur Christus dominus universorum. Primum est in *sedatione tempestatis,* ex quo ostenditur dominus super creaturam corporalem; secundum est in *expulsione daemoniacae legionis,* ex quo ostenditur dominus super spiritualem, ibi[9]: *Et navigaverunt ad regionem Gerasenorum* etc.; tertium est in *restitutione vitae et sanitatis,* ex quo ostenditur dominus super composita ex utraque, ibi: *Factum est autem, cum rediisset* etc.

Tria miracula ostendunt tria.

Circa primum miraculi genus, quod est in *sedatione tempestatis,* quatuor introducuntur ab Evangelista ad eius explicationem perfectam. Primum est *occasio praecedens;* secundum, *opportunitas imminens;* tertium, *potestas efficiens;* quartum, *utilitas consequens. Occasio* autem praecedens fuit transitus maris; *opportunitas* imminens, impetus tempestatis; *potestas* efficiens, virtus Divinitatis; *utilitas* consequens est profectus nostrae credulitatis. — Primo ergo introducitur ab Evangelista *transitus maris;* secundo, *impetus tempestatis,* ibi[10]: *Navigantibus autem illis* etc.; tertio vero, *virtus Divinitatis,* ibi: *At ille surgens increpavit* etc.; quarto, *profectus nostrae credulitatis,* ibi: *Dixit autem illis: Ubi est fides?*

Circa primum miraculum quatuor dicuntur.

Circa primum notandum, quod duo introducit Evangelista: primum est *ascensus naviculae*[11]; secundum est *transitus stagni.*

Primo, de transitu maris duo.

35. (Vers. 22.). Primo ergo quantum ad *ascensum naviculae* dicitur: *Factum est autem in una dierum, et ipse ascendit in naviculam et discipuli*

Ascensus naviculae.

---

[1] Codd. C D H *acceptabat.* — Glossa *ordinaria* (ex Ambros.) apud Lyranum in Luc. 8, 20: Magister praecepturus aliis [Matth. 10, 37; Luc. 14, 26.] *qui non reliquerit patrem et matrem, non est me dignus,* sententiae suae ipse primus se subiicit etc.

[2] Vers. 19. — Duo seqq. loci sunt Ps. 21, 23. et Hebr. 2, 11. Hieron., II. Comment. in Matth. 12, 49. seq.: Isti sunt mater mea, qui me quotidie in credentium animis generant. Isti sunt fratres mei, qui faciunt opera Patris mei. Cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 3. n. 2. — Superius post *documentum* H prosequitur *suum generant Christum in cordibus aliorum, vel in quantum ipsi generant alios in cordibus suis per amorem iuxta illud Gal. 4.* etc.

[3] Vers. 6.

[4] Cfr. Ioan. 1, 12. seq.; Eph. 5, 26. et Phil. 2, 16. Vide etiam August., III. de Peccatorum meritis et remiss. c. 2. n. 2. — Mox pro *et ideo huic praeferenda est* D G H *et ideo haec praetermittenda est propter illam.* Inferius pro *magister magistrorum* Vat. *magister omnium.*

[5] Vers. 13, post quem Iac. 1, 22. — Superius pro *semen verbi* G *verbum vitae.*

[6] Vers. 27. et 28; subinde allegatur 14, 26; cfr. 18, 29. Vide supra notam 1.

[7] Vulgata et Vat. cum H addunt *autem.* Cfr. supra n. I.

[8] Matth. 18, 16.

[9] Vers. 26, ubi Card. Hugo et B. Albert.: *Enavigaverunt autem ad regionem* etc.; ita inferius n. 46. cod. H constanter, cui favent C D, qui hic legunt *Et navigaverunt autem* etc. (idem recurrit infra n. 46.); tertium habetur v. 40.

[10] Vers. 23; ita legunt cum Beda, Card. Hug., B. Alberto et S. Thoma (Catena aurea) codd.; Vulg. et Vat. *Et navigantibus illis* (idem recurrit infra n. 37.); tertium est v. 24. et quartum v. 25.

[11] Codd. *vehiculi.*

*eius,* ut scilicet per eius obsequium veheretur, iuxta illud Sapientiae decimo quarto[1]: « Exiguo ligno credunt homines animas suas ». Et nota, quod *Christus* ascendit cum discipulis in naviculam, ut ostendat se eis similem in natura et indigentia, secundum illud ad Hebraeos secundo[2]: « Per omnia debuit fratribus similari »; et ad Philippenses secundo: « In similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo ». *Discipuli* ascenderunt cum Christo, ut ostendatur perfectio comitatus, quo nunquam deserebant Magistrum, sicut Eliseus fecit magistro suo Eliae, quarti Regum secundo[3]: « Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te ». Unde in persona talium dicebat Iob vigesimo tertio: « Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodivi nec declinavi ex ea ». Non erant de illis « qui ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt », supra eodem, et ideo ad veritatis sapientiam nunquam pertingunt.

De Christo.

De discipulis.

36. Secundo vero quantum ad *transitum stagni* subditur: *Et ait ad illos: Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt,* scilicet ut transfretarent et ultra fretum sive mare irent, quia aqua illa, sicut habitum est supra quinto[4], et *mare* et *stagnum* appellabatur. Ideo autem voluit Dominus, quod discipuli eius transfretarent cum eo, ut miracula eius eis apparerent; Psalmus[5]: « Qui descendunt mare in navibus, ipsi viderunt opera Domini et mirabilia eius in profundo ». Vel ideo voluit, ut secum ascenderent, ut ostenderet, quod non possunt pervenire ad portum salutis nisi per mare tribulationis praesentis. Unde Sapientiae decimo quarto[6]: « Transeuntes mare per ratem liberati sunt »; et in Psalmo: « Transivimus per ignem et aquam »; quia, secundum quod dicitur Actuum decimo quarto, « per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei ».

Transitus stagni.

37. (Vers. 23.). *Navigantibus autem illis*[7] etc. Hic secundo describitur *impetus tempestatis* cum *importunitate periculi* et cum *opportunitate refugii.* — Primo quantum ad *importunitatem periculi* emergentis, Christo *dormiente,* dicitur: *Et navigantibus illis, obdormivit.* Et ipso dormiente, periculum incurrerunt in navigando, iuxta illud Ecclesiastici quadragesimo tertio[8]: « Qui navigant mare enarrant pericula eius ». — Ideo subditur periculum: *Et descendit procella venti in stagnum, et complebantur et periclitabantur,* id est, procella venti exagitabat stagnum et implebat navem aquis, iuxta illud Marci quarto[9]: « Et facta est procella magna venti et fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis ». Et hoc factum est divina dispensatione, sicut de Iona dicitur Ionae primo: « Facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri ». Unde sicut illa navis propter Ionam fugientem a facie Domini erat in periculo, sic et ista propter praesentiam proditoris, secundum quod Glossa[10] dicit: « Merito turbatur navis, in qua proditor est cum bonis, et qui suis meritis firmi fuerant turbantur alienis ».

De impetu tempestatis duo.

Importunitas periculi.

38. (Vers. 24.). Secundo quantum ad *opportunitatem refugii* succurrentis, Christo *evigilante,* subditur: *Accedentes autem suscitaverunt eum,* ut scilicet per eius vigiliam obtinerent remedium qui in dormitione incurrerant periculum; Psalmus[11]: « Excitatus est tanquam dormiens Dominus ». Suscitaverunt autem eum non ex animi audacia, sed ex indigentia; unde additur: *Dicentes: Praeceptor, perimus;* in quo allegant *Christi potentiam* et *suam indigentiam: Christi potentiam* in hoc, quod aiunt: *Praeceptor;* Iob nono[12]: « Praecipit soli, et non oritur, et stellas claudit quasi sub signaculo »; Psalmus: « Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas »; Sapientiae decimo quarto: « Dedisti in mari viam et in fluctibus semitam firmissimam ». — *Suam indigentiam* allegant in hoc, quod dicunt: *Perimus,* cum tamen tu nolis, aliquem perire; secundae Petri tertio[13]: « Patienter agit nolens, aliquos perire », et maxime praedestinatos. Unde Ioannis decimo: « Oves meae vocem meam audiunt, et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum »; et decimo septimo: « Ego custodivi eos, et nemo ex eis periit nisi filius perditionis ».

Opportunitas refugii.

39. *At ille surgens increpavit ventum.* Hic tertio describitur *virtus Divinitatis,* ut *praecipiens verbo* et ut *perficiens facto.* — Primo igitur quantum ad *praeceptum in verbo* dicitur: *At ille surgens increpavit ventum et tempestatem aquae;* in qua increpatione intelligitur maiestatis imperium super utrumque. Unde dicitur Matthaei octavo[14]: « Imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna »; Marci quarto dicitur, quod dixit mari: « Tace,

De virtute Divinitatis duo.

Praecipit verbo.

---

[1] Vers. 5. — Superius pro *naviculae* codd. *vehiculi.*

[2] Vers. 17, post quem Phil. 2, 7.

[3] Vers. 6. — Duo seqq. loci sunt Iob 23, 11. et Luc. 8, 13, pro quo codd. *Matth. 13,* ubi v. 21. occurrit sententia, sed non verba. — Superius pro *ascenderunt* H *ascendunt* (ita etiam C D) et subinde *deserunt* pro *deserebant.*

[4] Vers. 1. n. 3. — Superius pro *ultra fretum sive mare* B *ultra stagnum sive fretum.* [5] Psalm. 106, 23. et 24.

[6] Vers. 5, post quem Ps. 65, 12. et Act. 14, 21, ubi pro *intrare in regnum Dei* C D G *introire in regnum caelorum.*

[7] De hac lectione codd. vide supra pag. 198, notam 9.

[8] Vers. 26, ubi G et Vulgata *enarrent* pro *enarrant.*

[9] Vers. 37. — Subinde allegatur Ionae 1, 4. — Superius verbo *exagitabat* Vat. praefigit *venit et.* Inferius pro *dispensatione* Vat. *dispositione;* cfr. infra n. 47, ubi simili modo *divina dispensatione* occurrit.

[10] Scilicet *ordinaria* apud Lyranum in Luc 8, 23. — Pro *Glossa* Vat. *Ambrosius* (? Beda, III. in Luc. 8, 25.).

[11] Psalm. 77, 65.

[12] Vers. 7. — Duo seqq. loci sunt Ps. 88, 10. et Sap. 14, 3. — Superius post *indigentia* Vat. cum nonnullis codd. addit *patrocinii.*

[13] Vers. 9, ubi pro *aliquos* codd. *aliquem.* — Subinde allegantur Ioan. 10, 27. et 17, 12. — Superius post *Perimus* II prosequitur *nisi tu adiuves, qui neminem vis perire* etc.

[14] Vers. 26, post quem Marc. 4, 39. — Superius pro *praeceptum in verbo* C D G *praeceptum in sermone,* et subinde pro *imperium super utrumque* C D *imperium fieri utrique.*

obmutesce ». Et in hoc ostendit, se esse illum, qui fecit mare; Iob trigesimo octavo [1]: « Circumdedi mare terminis meis; et dixi: Hucusque venies et hic confringes tumentes fluctus tuos »; et Nahum primo: « Increpans mare et exsiccans illud ».

**Efficit in opere.**

40. Secundo vero quantum ad *effectum in opere* subditur: *Et cessavit, et facta est tranquillitas; cessavit,* scilicet ventus; Ecclesiastici quadragesimo tertio [2]: « In sermone eius siluit ventus »; quia in Psalmo: « Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt verbum eius ». Et sic apparet, quod ipse est ille, ad quem dicit Tobias, tertio [3], « Post tempestatem tranquillum facis ». Et sic verum est in Christo quod in Psalmo dicitur: « Et stetit spiritus procellae ».

**De profectu nostrae credulitatis.**

41. (Vers. 25.). *Dixit autem illis* etc. Hic quarto determinatur *profectus nostrae credulitatis* dupliciter, scilicet quantum ad *cognitionem in corde* et quantum ad *confessionem in ore* [4]. — Primo ergo quantum ad *cognitionem cordis* procedentis ab haesitatione dubietatis ad certitudinem credulitatis dicitur: *Dixit autem illis: Ubi est fides vestra?* Quod quidem dicit increpando dubietatem et suadendo fidei firmitatem, quasi dicat: Quare dubitastis mergi et periclitari? Iuxta quod dixit Petro Matthaei decimo quarto [5]: « Modicae fidei, quare dubitasti »? Nam dicitur ad Hebraeos undecimo: « Fide filii Israel transierunt mare rubrum tanquam per aridam terram ». Ideo autem discipulos arguit de pusillanimitate, ut excitet ex viso miraculo ad fidei firmitatem, per quam resiliant in propriam parvitatem et admirentur immensitatem divinam. — Unde et subditur: *Qui timentes mirati sunt.* Iam enim cognoscebant suam parvitatem, in quam resiliebant per timorem, et divinam immensitatem, in quam excedebant per admirationem; Ieremiae decimo [6]: « Quis non timebit te, o rex gentium? Tuum enim est decus inter cunctos sapientes »; Ieremiae quinto: « Me ergo non timebitis? dicit Dominus ». « Qui posui arenam terminum mari, praeceptum sempiternum, quod non praeteribit ». — Et quia timorem maiestatis comitatur admiratio potestatis, recte dicitur: *Mirati sunt;* Ecclesiastici undecimo [7]: « Mirati sunt in illo multi et honoraverunt Deum », quia « magnus Dominus vehementer, et admirabilis potentia eius », Ecclesiastici quadragesimo tertio.

**Cognitio cordis.**

**Confessio oris.**

42. Secundo vero quantum ad *confessionem oris* subditur: *Ad invicem dicentes: Quis, putas, hic est?* quasi dicant: nullus est huic similis; Exodi decimo quinto [8]: « Quis similis tui magnus in fortibus, Domine? Quis similis tui magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia »? — Et rationem reddunt: *Quia et ventis et mari imperat,* per potentiam ineffabilem; *et obediunt ei,* per reverentiam admirabilem; Iob vigesimo octavo [9]: « Qui posuit ventis pondus et aquas appendit in mensura, quando ponebat pluviis legem et viam procellis sonantibus ». Et sic verificatum est illud Ecclesiastici trigesimo nono: « In verbo eius stetit aqua sicut congeries ». Iste ergo est ille, de quo Iob trigesimo octavo [10]: « Quis conclusit ostiis mare »? Ex quo enim venti et mare obediunt ei, nulla resistere possunt; Ecclesiastici quadragesimo secundo: « Omnia in necessitate obaudiunt ei ». Unde Beda in Glossa [11]: « Nota, quod omnis creatura sentit Creatorem, quia maiestati Conditoris sunt sensibilia, quae apud nos sunt insensibilia ».

**Expositio spiritualis.**

**Tria attendenda.**

43. *Spiritualiter* autem exprimitur hic liberatio animae poenitentis a tentatione diaboli per gratiam Christi. Unde tria hic spiritualiter sunt attendenda: primum est *animae conversio,* quae designatur in ascensu naviculae; secundum est *tentatio,* quae designatur in impetu procellae; tertium est *animae consolatio,* quae designatur in sedatione tempestatis maximae.

**Ascensus naviculae in tribus insinuat conversionem animae.**

Circa *ascensum naviculae* designantem *conversionem animae* tria attendenda sunt, scilicet Christi *exemplum,* quia prior ascendit; Michaeae secundo [12]: « Ascendet pandens iter ante eos »; quia, Actuum primo, « coepit Iesus facere et docere ». Et hoc est quod dicit Ambrosius: « Christus, relictis parentibus, navem crucis ascendit », ut doceat nos, relicto amore

---

[1] Vers. 10. et 11; pro *terminis meis* A C G *terminis suis,* D *terminum suum* (Iob 26, 10: Terminum circumdedit aquis). — Sequitur Nahum 1, 4.

[2] Vers. 25, cui subiungitur Ps. 148, 8.

[3] Vers. 22. — Subinde allegatur Ps. 106, 25.

[4] Rom. 10, 10: Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

[5] Vers. 31, post quem Hebr. 11, 29. — Inferius Vat. *ut excitaret eos, viso miraculo* pro *ut excitet ex viso miraculo.*

[6] Vers. 7. et deinde 5, 22, ubi pro *terminum mari* C D H *terminum maris.*

[7] Vers. 13, cui subiungitur 43, 31. Cfr. Beda, III. in Luc. 8, 25.

[8] Vers. 11.

[9] Vers. 25. et 26. — Sequitur Eccli. 39, 22, ubi codd.: *In verbo eius aquarum stetit congeries.* — Superius post *Et rationem reddunt* Vat. addit *de eius potentia.*

[10] Vers. 8, post quem Eccli. 42, 24: In omni necessitate omnia obaudiunt ei.

[11] Scilicet *ordinaria* in Luc. 8, 24. Beda sequitur Hieron., I. Comment. in Matth. 8, 26: Et ex hoc loco intelligimus, quod omnes creaturae sentiant Creatorem. Quibus enim increpatur et quibus imperatur sentiunt imperantem, non errore haereticorum, qui omnia putant animantia, sed maiestate Conditoris, quae apud nos insensibilia illi sensibilia sunt.

[12] Vers. 13. — Sequitur Act. 1, 1 — Sententia Ambrosii insinuatur VI. in Luc. n. 39: « Itaque qui se intelligeret propter divinum in terras venisse mysterium Ecclesiaeque conventum, relictis navem ascendit parentibus ». Beda, II. in Matth. 8, 23: Navicula, quam ascendunt, nulla melius quam dominicae passionis arbor intelligitur, de qua alibi [Matth. 16, 24; Marc. 8, 34.] dicitur: *Si quis vult post me venire, tollat crucem suam et sequatur me.* Cfr. II. in Marc. 4, 35. et III. in Luc. 8, 25.

Figura.

carnali, cum ipso crucifigi. In figura huius primi Machabaeorum decimo sexto[1] dicitur, quod Ioannes « vidit populum trepidantem ad transfretandum torrentem et transfretavit ad eos primus, et viderunt eum viri et transierunt post eum ».

Praeter exemplum attendendum est Christi consilium.

Secundo, Christi *consilium*, quia discipulos invitavit, ut secum transirent; Ecclesiastici vigesimo quarto[2]: « Transite ad me, omnes, qui concupiscitis me », scilicet ex hoc mundo, qui non est nisi transitus quidam; Ioannis decimo tertio: « Ut transeat ex hoc mundo ad Patrem »; et ad Hebraeos decimo tertio: « Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus ». Beatus, qui sic transit cum Christo « per bona temporalia, ut non amittat aeterna[3] »; quia, Sapientiae decimo quarto, « transeuntes mare per ratem liberati sunt ».

...tem, consortium.

Tertio vero, Christi *consortium*, quia simul cum ipsis in navi transivit; Isaiae quadragesimo tertio[4]: « Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te » etc., quia in Psalmo: « Cum ipso sum in tribulatione »; et Matthaei vigesimo octavo: « Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi ».

Circa impetum procellae primo attendenda dormitio Christi.

44. Circa *impetum procellae*, in quo designatur *tentatio animae*, tria sunt attendenda. Primum est *obdormitio Christi*; quod quidem est, quando Christi amor et memoria torpescit in corde; nam in se non obdormivit; Psalmus[5]: « Ecce, non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel »; sed in nobis; propter quod dicitur Matthaei vigesimo sexto: « Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem »; et ideo primae Petri ultimo: « Sobrii estote et vigilate »; et primae ad Thessalonicenses quinto: « Igitur non dormiamus sicut ceteri, sed vigilemus et sobrii simus; qui enim dormiunt nocte dormiunt ».

Secundo, descensus procellae.

Secundum est *descensus procellae venti*, in quo designatur *tentatio diaboli;* Ezechielis primo[6]: « Ventus turbinis veniebat ab aquilone ». Hic est ventus veniens « a regione deserti, qui concutit quatuor angulos domus », id est quatuor mentis affectus, de quo dicitur Iob primo; hic est, de quo Ecclesiastici quadragesimo tertio: « Frigidus ventus aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua ».

Tertio, periclitatio navis.

Tertium est *periclitatio navis impulsae*, quae designat *perturbationem animae*. Aqua enim ingrediens in naviculam est perturbatio intrans in animam, et tunc imminet periculum. Unde in Psalmo[7]: « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam »; Threnorum tertio: « Inundaverunt aquae super caput meum; dixi: perii ».

Circa sedationem tempestatis attendenda primo oratio.

45. Circa *consolationem animae* tria sunt attendenda. Primum est *oratio in Christi excitatione;* quod quidem fit per orationem; infra undecimo[8]: « Quis vestrum habebit amicum » etc.; Isaiae sexagesimo quarto: « Non est qui invocet nomen tuum, qui surgat et teneat te ».

Secundo, devotio.

Secundum est *mentis devotio in tranquillitate;* Tobiae tertio[9]: « Post tempestatem tranquillum facis et post lacrymationem et fletum exsultationem infundis »; Sapientiae duodecimo: « Tu autem, dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas ».

Tertio, Dei honorificatio.

Tertium est *Dei honorificatio* in hoc, quod Deum venerantur et timent et confitentur; Exodi decimo quarto[10]: « Liberavit Dominus Israel de manu Aegyptiorum ». « Tunc cecinit Moyses canticum Domino » etc. — De his tribus dicitur in Psalmo: « Invoca me in die tribulationis, et eruam te, et honorificabis me ». — Et sic patet, quomodo spiritualiter hic designatur transitus animae poenitentis.

Circa secundum miraculum quatuor dicuntur.

46. *Et navigaverunt ad regionem*[11] etc. Postquam primo ostendit Evangelista, Christum habere dominium supra creaturam corporalem; hic secundo ostendit, habere dominium supra *spiritualem* in expulsione admirabili daemoniacae legionis. Unde intendit Evangelista in hac parte explicare mirabilem liberationem daemoniaci factam mediante virtute Christi. Ad huius autem miraculi explicationem quatuor introducuntur. Primum est *violentia daemonis obsidentis;* secundum est *omnipotentia Domini liberantis,* quod determinat ibi[12]: *Et rogabant illum, ne imperaret illis* etc.; tertium est *reverentia populi occurrentis,* ibi: *Quod ut viderunt factum, qui pascebant* etc.; quartum est *benevolentia curati obtemperantis,* ibi: *Et rogabat illum vir, a quo daemonia exierant* etc.

Primo violentia diaboli ostenditur ex quatuor.

*Violentia* autem *diaboli obsidentis* ostenditur ex quatuor, scilicet ex *fremitu furoris,* ex *strepitu*

---

[1] Vers. 6; pro *transfretavit* codd. *transivit.* Plures codd. allegant *I. Mach. 5, 43,* ubi simile narratur de *Iuda,* dum A C D H expresse nominant *Ioannem,* de quo agitur I. Mach. 16, 6, et ubi occurrunt verba hic allegata. — Superius pro *In figura huius* A C D G *Huius figura.*

[2] Vers. 26. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 13, 1. et Hebr. 13, 14.

[3] Gregor., Libr. Sacramentorum, pro hebdomada 5. post Pentec. (in Breviar. Romano Domin. 3. post Pentec.): Protector in te sperantium, Deus... multiplica super nos misericordiam tuam, ut, te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus aeterna. — Sequitur Sap. 14, 5.

[4] Vers. 2, post quem Ps. 90, 15. et Matth. 28, 20.

[5] Psalm. 120, 4. — Tres seqq. loci sunt Matth. 26, 41; I. Petr. 5, 8. et I. Thess. 5, 6. seq.

[6] Vers. 4. — Subinde allegantur Iob 1, 19. et Eccli. 43, 22. — De quatuor mentis affectibus seu passionibus (gaudium et dolor, spes et timor) cfr. tom. III. pag. 555, nota 7. et pag. 556, nota 5. Inferius pro *ventus veniens* Vat. *ventus vehemens.*

[7] Psalm. 68, 2, cui subiungitur Thren. 3, 54, ubi pro *super caput meum* A C D G *usque ad animam meam.*

[8] Vers. 5, post quem Isai. 64, 7. — Superius pro *excitatione* A *imitatione,* D G *invocatione.*

[9] Vers. 22, ubi pro *facis* codd. *facit,* et in fine legunt A C D G *gaudium et exsultationem infundit.* — Subinde allegatur Sap. 12, 18.

[10] Vers. 30. et 15, 1, ubi pro *canticum* G H cum Vulgata *carmen.* — Sequitur Ps. 49, 15.

[11] Cfr. supra pag. 198, nota 9. — De divisione seq. cfr. supra n. 34. — Pro *Postquam primo* codd. *Supra.* Aliquanto inferius post *legionis* B addit *a quodam oppresso* et omittit propositionem *Unde intendit... Christi.*

[12] Vers. 31; tertium habetur v. 34. et quartum v. 38, ubi pro *vir* codd. *homo.*

*clamoris*, ex *impetu fortitudinis* et ex *comitatu multitudinis*.

47. (Vers. 26.). Primo igitur quantum ad *fremitum furoris* in daemoniaco occurrente Domino applicanti dicitur: *Et navigaverunt ad regionem Gerasenorum.* « *Gerasa* autem, ut dicit Beda[1], civitas est Arabiae »; in quo ostenditur, quod post miracula facta circa Iudaeos divina dispensatio hoc requirit, ut fiant in gentibus; iuxta quod dicitur Actuum decimo tertio: « Vobis primum oportebat loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud et indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce, convertimur ad gentes », quasi in contemptum rebellium. Unde addit: *Quae est contra Galilaeam; quae* refertur ad *civitatem* intellectam per illam gentem, quae scilicet *Gerasa* dicitur. Illuc navigavit, ut virtutem potentiae per miracula ostenderet et ad se traheret. Interpretatur namque *Gerasa*, ut dicit Glossa[2], « advena »; et ideo designat gentes, secundum illud ad Ephesios secundo: « Memores estote, quod aliquando vos eratis gentes, alienati a conversatione Israel, promissionis spem non habentes et sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope ». Unde in hoc patet, quod « idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum », ad Romanos decimo[3]. « Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit ».

*De fremitu obsessi.* — *Gerasa.*

48. (Vers. 27.). Ideo additur: *Et cum egressus esset ad terram, occurrit ei*[4] *vir quidam*, ut sicut mirabilia fecerat in mari, ita et in terra. Et per hoc apparet, quod ipse est ille, de quo in Psalmo dicitur: « Omnia, quaecumque voluit Dominus, fecit in caelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis ». Et hoc ostendit in viro isto, qui merito dicitur *vir quidam* singularis passionis, qui notabilis erat persona et notabiliter et miserabiliter erat obsessus. Et ideo, licet duo occurrerent, secundum quod dicitur Matthaei octavo[5], Lucas tamen non commemorat nisi occursum unius, cuius notabilem vexationem determinat ex *temporis diuturnitate.* — Propter quod dicit: *Qui habebat daemonium iam temporibus multis*, ita quod iam sibi eum vindicaverat in possessionem, ita ut posset dici de eo illud Isaiae trigesimo quarto[6]: « Cubile erit draconum et pascua struthionum, et occurrent daemonia, onocentaurus »; hoc est de plene a diabolo possessis. — Aggravatur etiam ex *habitus deformitate;* unde et additur: *Et vestimento non induebatur*[7]*;* quod erat valde deforme, iuxta quod comminatur Dominus Ezechielis decimo sexto: « Denudabunt te vestimentis tuis, ut auferant vasa decoris tui ». Et in hoc apparet fremitus daemonis, qui non tantum vexabat corporis membra, sed etiam laniabat vestimenta, sicut de illo dicitur Actuum decimo nono: « Cum invaluisset daemonium pessimum contra duos filios Scevae Iudaei, nudi et vulnerati effugerunt de domo ». — Aggravatur etiam ex *loci horribilitate;* propterea addit: *Neque in domo manebat, sed in monumentis*, ubi est locus valde horribilis. Et talia loca quaerunt principes tenebrarum; Iob trigesimo[8]: « In desertis habitant montium et in cavernis terrae »; et tamen ab his eripit Dominus, secundum illud Psalmi: « Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris ».

*Occurrit obsessus.* — *Obsessionis diuturnitas.* — *Habitus deformitas.* — *Loci horribilitas.*

49. (Vers. 28.). Secundo vero quantum ad *strepitum clamoris* in daemone vociferante, Domino praecipiente, subditur: *Is ut vidit Iesum, procidit ante illum.* Et sic verificatur illud Psalmi[9]: « Coram illo procident Aethiopes »; et illud Isaiae sexagesimo: « Venient ad te qui detrahebant tibi et adorabunt vestigia pedum tuorum », « ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum », ad Philippenses secundo. Hoc autem non faciebat humilitate devotionis, sed cum murmure et strepitu clamoris. — Et ideo addit: *Et exclamans voce magna dixit: Quid mihi et tibi est, Iesu, Fili Dei altissimi?* Quod non exhibebat ex reverentia, sed magis abhorrebat praesentiam cum clamore, per quem ostendit gemitum et dolorem in corde, secundum illud Isaiae penultimo[10]: « Clamabitis prae dolore cordis et prae contritione spiritus ululabitis ». Ideo

*De strepitu clamoris.*

---

[1] Libr. III. in Luc. 8, 26. — Sequitur Act. 13, 46, ubi pro *repellitis* G H *vos repulistis* [A C D *expulistis*], et pro *iudicatis* D G H *iudicastis.* Superius pro *in daemoniaco occurrente* A C D G H *in daemone occurrente.*

[2] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 8, 26: *Gerasa* sive *Gergesi* colonum eiiciens, id est diabolum, a quo prius incolebatur, vel advena propinquans, qui longe erat in tempore. — Subinde allegatur Eph. 2, 11-13. — Superius post *potentiae* E H addunt *suae*, et subinde post *traheret* H et Vat. *in tempore.*

[3] Vers. 12. et 13; cfr Ioel 2, 32.

[4] Vulgata *illi.* Immediate post codd. omittunt *vir*, quod tamen paulo inferius ab ipsis exhibetur. — Sequitur Ps. 134, 6. — Subinde pro *mirabilia* D H *miracula*, et vocibus *in terra* H et Vat. addunt *faceret.*

[5] Vers. 28. Chrysost., Homil. 28. (alias 29.) in Matth. n. 2: « Quodsi Lucas *unum tantum memoret*, hic autem *duos*, neque sic dissonantia aliqua indicatur. Si enim dixisset, *unum tantum fuisse*, nec alterum exstitisse, tunc videretur a Matthaeo differre... Mihi enim videtur Lucas *acriorem* hic memorandum suscepisse » etc. Simili modo docet August., II. de Consensu Evangelist. c. 24. n. 56.

[6] Vers. 13. et 14; cfr. supra pag. 109, nota 1.

[7] Codd. A C D G *utebatur.* — Subinde allegantur Ezech. 16, 39, ubi pro *auferant* codd. *auferrent*, et Act. 19, 16. (cfr. v. 14.), ubi pro *effugerunt de domo* codd. *exierunt.*

[8] Vers. 6, ubi pro *habitant* (ita C D G) Vulgata *habitabant*, Vat. *habitavit*, et pro *montium* Vulgata et Vat. *torrentium;* cfr. infra n. 53. in fine (H allegat Iob 40, 16; vide infra n. 57. in fine). — Sequitur Ps. 67, 7.

[9] Psalm. 71, 9, post quem Isai. 60, 14. et Phil. 2, 10.

[10] Vers. 14. Cfr. supra pag. 106, nota 3. — Superius H et Vat. legunt: *Ecce* [ita et C, H substituit *Et sic apparet*], *quod non exhibebat reverentiam ex devotione* [Vat. *ex amore*], *sed magis abhorrebat praesentiam* [Vat. addit *exiens*] *cum clamore.*

autem clamat et dolet de eius praesentia, quia nulla erat ad Christum convenientia; secundae ad Corinthios sexto[1]: « Quae conventio Christi ad Belial? Quae societas lucis ad tenebras, iustitiae cum iniquitate »? et Ecclesiastici decimo tertio: « Quid communicabit lupus cum agno; aut quae communicatio homini sancto ad canem »?

Eliditur error Iudaeorum. 50. Et nota, quod in hac confessione duplicem elidit errorem: unum *Iudaeorum,* qui dicebant, Christum habere daemonium, Ioannis octavo[2], et in Beelzebub eiicere daemonia, Matthaei duodecimo. Unde Beda: « Iudaei dicunt, in principe daemoniorum eiicere eum daemones, quem daemonia negant aliquid secum habere commune ». — Alium errorem elidit Item, Arianorum. *Arianorum,* qui dicunt Christum *creaturam puram,* cum daemon dicat eum *Dei altissimi Filium,* iuxta illud Ecclesiastici vigesimo quarto[3]: « Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam ». Hoc autem fatetur daemon non venerando eius dominium, sed pertimescendo eius praeceptum, iuxta illud Iacobi secundo: « Daemones credunt et contremiscunt ».

Preces daemonis. 51. Et ideo additur: *Obsecro te, ne me torqueas,* illa scilicet virtute, de qua Sapientiae undecimo[4]: « Absentes et praesentes similiter torquebantur ». Ideo volebat Christum confiteri, ut saltem confitendo inveniret copiam evadendi; quia, Sapientiae decimo sexto, « negantes te nosse impii, per fortitudinem brachii tui flagellati sunt ».

Praeceptum Domini. 52. (Vers. 29.). Sed haec supplicatio parum sibi valuit, non erat enim voluntaria, sed coacta; ideo subiungitur: *Praecipiebat enim spiritui immundo, ut exiret ab homine*[5]; cui praecepto non poterat resistere, secundum illud Sapientiae decimo nono: « Omnis creatura deserviebat praeceptis tuis, ut pueri tui servarentur illaesi ». Ideo autem hoc praeceptum timebat, quia solatium est immundo spiritui obsidere hominem et tormentum exhibere, iuxta illud infra undecimo[6]: « Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quaerens requiem »; et Beda in Glossa: « Tormentum est diaboli ab hominis laesione cessare, et quanto diutius possideat, tanto difficilius dimittit. Caveat ergo laesus a diabolo, ut cito iugum disrumpat ». — Sed in hac petitione non meruit daemon exaudiri, quia non erat ex affectu devotionis, sed ex impatientia et strepitu clamoris; Psalmus[7]: « Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret ».

53. Tertio quantum ad *impetum fortitudinis* in daemone resistente humanae ligationi subiungitur: *Multis enim temporibus arripiebat eum*[8], scilicet impetu fortitudinis, cui non poterat obsessus resistere; iuxta quod dicitur de Saule primi Regum decimo octavo, quod « spiritus Domini malus arripiebat Saul ». Sed hunc aliter quam Saul, quia ille leniebatur cithara, hic autem non poterat detineri catena. — Unde additur: *Et vinciebatur catenis,* quantum ad manus, *compedibus custoditus*[9], quantum ad pedes, quod erat retinaculum valde forte, iuxta illud Psalmi: « Ad alligandos reges eorum in compedibus et nobiles eorum in manicis ferreis ». — Et licet tam forte esset, non poterat sustinere impetum fortitudinis diabolicae; propter quod addit: *Et ruptis vinculis, agebatur a daemonio in deserto*[10]. In quo ostenditur superbia et audacia diaboli, qui nullis retinaculis poterat detineri, iuxta illud Ieremiae secundo: « A saeculo confregisti iugum meum, rupisti vincula ». Sic utique faciunt superbi imitatores diaboli, contra quos Ieremias, quinto[11], loquens de principibus: « Confregerunt iugum, ruperunt vincula », scilicet divinorum praeceptorum; cum tamen dicatur Ecclesiastici sexto: « Iniice pedem tuum in compedes illius, et ne acedieris vinculis eius ». Sed tolerabilius est peccatori obsesso a diabolo agitari in deserto, quam istis vinculis compediri; Iob trigesimo[12]: « In desertis habitant torrentium et in cavernis terrae, qui in huiusmodi laetabantur et esse sub sentibus delicias computabant ».

De impetu fortitudinis.

Superbia daemonis.

54. (Vers. 30.). Quarto vero quantum ad *comitatum multitudinis* in daemone respondente dominicae interrogationi subiungitur: *Interrogavit autem illum Iesus dicens: Quod tibi nomen est?* Ipsius

De comitatu multitudinis.

---

[1] Vers. 15. et 14. — Subinde allegantur Eccli. 13, 21. et 22.

[2] Vers. 48, cui subiungitur Matth. 12, 24. — Sententia Bedae habetur III. in Luc. 8, 28, ubi istis verbis praemittitur: Quanta Arii vesania Iesum creaturam et non Deum credere, quem Filium Dei altissimi *daemones credunt et contremiscunt* [Iac. 2, 19.]!

[3] Vers. 5. — Sequitur Iac. 2, 19.

[4] Vers. 12, post quem Sap. 16, 16. — Superius pro *illa scilicet virtute* D *tua virtute,* H *virtute scilicet potentiae tuae.*

[5] Codd. A C D G substituunt *ei* pro *spiritui immundo* et omittunt *ab homine.* — Subinde allegatur Sap. 19, 6.

[6] Vers. 24. — Bedae sententia habetur in Glossa *ordinaria* in Luc. 8, 28, in cuius fine H cum textu originali: *Caveat ergo aliquis laesus... ut cito eius iugum disrumpat.* — Superius post *hoc praeceptum* B addit *exeundi.*

[7] Psalm. 17, 42. — Superius C D G H omittunt *daemon.*

[8] Vulgata et Vat. *illum* (plures codd. *arripiebant eum*). — Sequitur I. Reg. 18, 10; ibid. 16, 23: Igitur quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul et levius habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus.

[9] Vulgata, quam sequuntur H et Vat., *et compedibus custoditus* (A C D G *custoditur).* — Subinde allegatur Ps. 149, 8.

[10] Ita etiam Beda, B. Albert. et Lyranus; Vulgata *deserta.* — Sequitur Ier. 2, 20. — Superius vocibus *non poterat* Vat. praefigit *tamen adhuc* (H legit *non poterat tamen*), quae etiam inferius post *qui nullis* prosequitur *obedit nec retinaculis teneri potest* etc.

[11] Vers. 5, post quem Eccli. 6, 25. seq. Du Cange, Glossarium etc.: *Acedia, accidia, acidiari, acidiosus. Acedia,* taedium... *Accidia,* tristitia... *Acediari,* indignari... Papias: *Accidiari,* stomachari; unde *accidia,* quae est taedium animi etc.

[12] Vers. 6. et 7. Vulgata *habitabant* pro *habitant,* codd. omittunt deinde *torrentium* (cfr. supra n. 48. in fine, ubi substituunt *montium);* subinde pro *qui in huiusmodi* Vulgata *qui inter huiuscemodi.*

enim est interrogare, cuius est et iudicare; Sapientiae sexto [1]: « Interrogabit Altissimus opera vestra et cogitationes vestras scrutabitur »; et undecimo: « Hos tanquam durus rex interrogans, condemnasti »; quia, secundum illud Sapientiae primo, « in cogitationibus impii interrogatio erit ». Interrogabat autem de nomine, non quia ignoraret, secundum quod dicunt ei discipuli Ioannis decimo sexto [2]: « Nunc scimus, quia scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget », et multo minus nec tu alios. — Sed quaerebat, ut ex responsione daemonis appareret comitatus multitudinis; unde et subditur: *At ille dixit: Legio.* « Legio continet sex millia sexcenta et sexaginta sex [3] »; et ideo non respondet nomen singularis personae, sed multitudinis; quod exponens Evangelista, adiungit: *Quia intraverant daemonia multa in eum,* ita ut posset dicere Domino [4]: « Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me »? Et iterum: « Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui oderunt me gratis ». Iam verificatum erat in isto quod de Antiocho dicitur primi Machabaeorum primo: « Ascendit Antiochus Ierosolymam in multitudine gravi. Et intravit in sanctificationem cum superbia ». — Et sic ex quatuor praemissis apparet violentia diaboli obsidentis.

Quid sit legio.

55. (Vers. 31.). *Et rogabant illum* etc. Post violentiam daemonii obsidentis subiungit hic Evangelista *omnipotentiam Domini liberantis.* Ostenditur autem in hac parte Christus potens per omnem modum, potens scilicet in *imperando,* potens in *permittendo,* potens in *salvando* et potens in *perdendo.*

Secundo, de omnipotentia liberantis quadrupliciter.

Primo ergo ostenditur potens in *imperando dura* in hoc quod dicitur: *Et rogabant illum,* scilicet daemones, *ne imperaret illis, ut in abyssum irent;* quia mandatum eius non poterant praeterire, iuxta illud Psalmi [5]: « Praeceptum posuit et non praeteribit ». Ideo rogabant eum, quia sciebant, quod ipse erat ille Angelus, de quo Apocalypsis vigesimo: « Vidi Angelum descendentem de caelo, habentem clavem abyssi », id est potestatem mittendi in abyssum iusto suo iudicio, sicut fecit Aegyptiis; Exodi decimo quinto: « Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis »; et Apocalypsis vigesimo: « Iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum. Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis ». Hoc iudicium timebant daemones accelerari sibi per imperium Christi, non tanquam praescii futurorum, sed propter dicta Prophetarum. Unde Ambrosius [6]: « Sciebant daemones, per adventum Christi se aliquando in abyssum mergendos, non ipsi futura praedivinantes, sed Prophetarum de se dicta recolentes ».

Fuit potens in imperando.

56. (Vers. 32.). Secundo dicitur potens in *permittendo damna* in hoc quod subditur: *Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte* [7], in quos, licet bruta sint animalia, daemones non habebant *posse* nisi ex divina permissione. Nam de Christo dictum est in Psalmo [8]: « Omnia subiecisti sub pedibus eius »; et post: « insuper et pecora campi ». Unde in istum gregem non poterant quidquam nisi ex permissione Dei, secundum illud Matthaei decimo: « Nonne duo passeres asse veneunt? et unus ex eis non cadet in terram sine Patre vestro », id est sine potentia Patris. — Et ideo subditur: *Et rogabant eum, ut permitteret, eos* [9] *in illos ingredi;* in quo ostendunt daemones Christi potentiam et suam impotentiam, quia nihil possunt in bestias nisi permissi, multo magis nec in hominem. Unde Iob primo dixit satan: « Domine, extende manum tuam et tange cuncta, quae possidet ». Propter quod et in tribulatione, quam facturus est diabolus Ecclesiae, divina permissio praecedit, secundum illud Apocalypsis nono [10]: « Soluti sunt quatuor angeli, qui parati erant in horam et diem »; et vigesimo dicitur, quod « solvetur satanas ». — Et quia Dominus iusto suo iudicio permittit eis multa, subditur: *Et permisit, eos* [11]; in qua permissione ostendit se dominum non solum prohibentem daemones, sed possidentem porcos, secundum illud Psalmi: « Meae sunt omnes ferae silvarum, iumenta in montibus et boves ». Possessores vero solum erant villici Domini Iesu, et ideo in nullo iniuriatus est eis. — Ostendit etiam Dominus, quod magis diligit salutem unius hominis quam millia brutorum animalium; primae ad Corinthios nono [12]: « Nunquid de bobus cura est

Potens in permittendo.

Quid primo ostendatur.

Quid secundo.

Quid tertio.

[1] Vers. 4, post quem 11, 11. et 1, 9.

[2] Vers. 30. — Glossa *interlinearis* (ex Beda) in Luc. 8, 30: *Interrogavit,* non ut ignarus inquirit, sed ut, confessa peste [Beda: *confessa coram teste*], quam furens tolerabat, virtus curantis gratior emineat.

[3] Ut dicit Richard. a S. Vict., IV. de Trin. c. 25. Cfr. tom. II. pag. 211, nota 1. Hieron., IV. Comment. in Matth. 26, 53. seq.: Una legio apud veteres sex millibus complebatur hominum. Isidor., IX. Etymolog. c. 3. n. 46: *Legio* sex millium armatorum est a delectu vocata, quasi *lecti* etc.

[4] Illud Ps. 3, 2, cui subiunguntur Ps. 68, 5, ubi pro *oderunt me* C D G *persequuntur me;* et I. Mach. 1, 22. seq.

[5] Psalm. 148, 6. — Tres seqq. loci sunt Apoc. 20, 1; Exod. 15, 5. et Apoc. 20, 13. seq.

[6] Libr. VI. in Luc. n. 46, ubi allegat Zach. 13, 2: *Erit et in illa die, disperdet Dominus nomina idolorum de terra* etc. Sententia Ambrosii exhibetur verbis Glossae *ordinariae* (ex Beda) in Luc. 8, 31. Cfr. II. Sent. d. 6. a. 2. q. 2.

[7] Codd. A C D G omittunt *pascentium in monte.*

[8] Psalm. 8, 8. — Sequitur Matth. 10, 29. — Superius pro *licet bruta sint* Vat. cum H *licet bruta essent.*

[9] Vulgata et Vat. *permitteret eis.* — Subinde allegatur Iob 1, 11. Glossa *ordinaria* (ex Beda in Luc. 8, 33.) apud Lyranum in Luc. 8, 32: In quo notandum, quod nec porcis nisi permissa daemonia nocere possunt, multo minus hominibus, nisi occulta tamen iustitia Dei permittantur. Cfr. eandem Glossam in Matth. 8, 31.

[10] Vers. 15, post quem 20, 3.

[11] Ita A C D G, H *illos,* quod etiam exhibent Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 8. n. 6.), Lyranus in margine; Vulgata et Vat. *illis;* cfr. supra nota 9. — Sequitur Ps. 49, 10. — Inferius pro *ostendit se dominum* [H addit *universorum*] C D G *ostendit se Deum.*

[12] Vers. 9, post quem Sap. 11, 27. Cfr. Hieron., I. Comment. in Matth. 8, 32. seq.

Deo »? Sapientiae undecimo: « Parcis autem omnibus, Domine, quoniam tua sunt, qui amas animas ».

...oid quarto.

— Rursus, in hoc ostendit Dominus, carnales homines, qui designantur per *porcos*, iusto Dei iudicio expositos esse daemonibus; ad Romanos octavo [1]: « Si secundum carnem vixeritis, moriemini ». Unde primae ad Corinthios quinto dicit Apostolus de illo carnali, quod « iudicavit tradere huiusmodi satanae in interitum carnis ». Hoc etiam fecit, ut non solum innotesceret hominibus terrae illius potentia salvandi, sed etiam occidendi, secundum illud Deuteronomii trigesimo secundo [2]: « Ego occidam et ego vivere faciam, percutiam et ego sanabo; et non est qui de manu mea possit eruere ».

Potens in ...lvando in...rmos.

57. (Vers. 33.). Tertio ostenditur potens in *salvando infirmos* in hoc quod adiungitur: *Exierunt ergo daemonia ab homine et intraverunt in porcos;* in quo exitu liberatus est homo. *Exierunt* autem divinae virtutis imperio, secundum illud Zachariae decimo tertio [3]: « Spiritum immundum eiiciam de terra ». Hoc dicebat ille qui ait de se infra decimo tertio: « Ecce, daemonia eiicio et sanitates perficio hodie et cras et tertia die consummor ». In virtute namque Christi exibant, in cuius nomine eiiciebantur ab eius discipulis, iuxta quod dicitur Actuum decimo sexto, quod « Paulus dixit spiritui pythonico: Praecipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea; et exiit eadem hora ». Egredientes autem ab homine *in porcos intrant*, quia immundus spiritus immunda quaerit habitacula; Iob trigesimo septimo [4]: « Ingredietur bestia latibulum suum et in antro suo morabitur »; et de Behemoth dicitur Iob quadragesimo: « Sub umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus ». Hoc dicit quantum ad carnales, qui nihil aliud quaerunt nisi umbram et lasciviam sicut porci.

Potens in deiiciendo superbos.

58. Quarto ostenditur potens in *deiiciendo superbos* in hoc quod subditur: *Et impetu abiit grex per praeceps in stagnum et suffocatus est;* in quo ostenditur Domini virtus eximia, quae non permisit, eos ingredi in porcos ad quietem, sed ad submersionem, ut sic impleretur in eis illud Exodi decimo quinto [5]: « Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare; submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus »; in quo spiritualiter designatur submersio peccatorum, iuxta illud propheticum Michaeae ultimo: « Deponet omnes iniquitates nostras et proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra ».

Septem notabilia colliguntur.

59. Ostenditur igitur, quod ex praedictis secundum litteram colligi possunt septem notabilia: primum, quod potentia solius verbi Christi excedit virtutem infinitorum millium daemonum; secundum, quod maximus est furor daemonum respectu generis humani; tertium, quod maximus est timor [6] respectu hominis Christi; quartum, quod daemones sunt incorporei, cum tot essent in homine uno; quintum, quod ipsi nihil possunt etiam super bruta animalia nisi permissi; sextum, quod homines in his temporalibus possidendis non sunt nisi sicut villici Christi; septimum, quod Deus salutem unius hominis praeferendam ostendit infinitis animalibus brutis.

Tertio, reverentia populi ostenditur quadrupliciter.

60. (Vers. 34.). *Quod ut viderunt factum* etc. Hic iam tertio [7] ostendit Evangelista *reverentiam populi occurrentis*. Circa cuius explicationem introducuntur quatuor, scilicet *denuntiatio veritatis conspectae, indagatio veritatis auditae, inventio veritatis inquisitae, veneratio veritatis inventae, quaesitae et denuntiatae.*

Denuntiatio veritatis conspectae.

Primo igitur quantum ad *denuntiationem veritatis conspectae* dicitur: *Quod ut viderunt factum, qui pascebant fugerunt,* scilicet ex timore sicut mercenarii; Ioannis decimo [8]: « Mercenarius autem, et qui non est pastor, videt lupum venientem et fugit »; et Zachariae undecimo: « O pastor et idolum derelinquens gregem »! Vel fugerunt non timore humani periculi, sed timore divini iudicii; de quo Iob decimo nono [9]: « Fugite a facie gladii, quia ultor iniquitatis est gladius, et scitote, esse iudicium ». Fugerunt autem, non ut laterent, quia in Psalmo scriptum est: « Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam »? sed ut absentibus celeriter visa narrarent. — Unde infertur: *Et nuntiaverunt in civitatem et in villas,* sicut et ille nuntius, Iob primo [10]: « Evasi ego solus, ut nuntiarem tibi ». Et in hoc quasi habebant praedicatorum officium, de quibus in Psalmo: « Annuntiaverunt opera Dei et facta eius intellexerunt »; ad Philippenses primo: « Sive per occasionem annuntietur Christus, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo ».

Notandum.

Unde *bona* de Christo visa non sunt reticenda, sed annuntianda, secundum illud quarti Regum septimo [11]: « Dixerunt illi quatuor viri leprosi: Haec dies boni nuntii est; si tacuerimus et noluerimus nuntiare usque

---

[1] Vers. 13, cui subiungitur I. Cor. 5, 3. seqq. Beda, III. in Luc. 8, 32: Nam nisi quis porci more vixerit, nunquam accipiet in eum diabolus potestatem, aut ad probandum tantum, non autem et ad perdendum, accipiet.

[2] Vers. 39. — Chrysost., Homil. 28. (alias 29.) in Matth. n. 3: « Propterea permisit, eos abire in gregem porcorum, ut qui regionem incolebant eius potentiam discerent. Ubi namque nomen ipsius notum erat, ibi non valde se ostendebat; ubi vero nemo ipsum noverat stolidusque populus erat, ibi miraculis magis fulgebat, ut illos ad Divinitatis suae cognitionem pertraheret ». Ibid. etiam aliae rationes insinuantur.

[3] Vers. 2. — Duo seqq. loci sunt Luc. 13, 32. et Act. 16, 18. — Superius pro *in quo exitu* C D G *ex quo exitu.*

[4] Vers. 8, post quem 40, 16; cfr. supra n. 48. in fine.

[5] Vers. 10. — Subinde allegatur Mich. 7, 19.

[6] Val. addit *daemonum*, et substituit subinde *Christiani* pro *Christi.* — De *quarto* cfr. II. Sent. d. 8. p. II. q. 1.

[7] Cfr. supra n. 46. — Inferius pro *inquisitae* G *quaesitae,* et post *veritatis inventae* B addit *unde ad reverentiam maiestatis aeternae introducit notitia veritatis inventae.*

[8] Vers. 12, cui subiungitur Zach. 11, 17.

[9] Vers. 29. — Subinde allegatur Ps. 138, 7.

[10] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt Ps. 63, 10. et Phil. 1, 18. Cfr. infra n. 68. in fine.

[11] Vers. 9, post quem II. Reg. 1, 20.

mane, sceleris arguemur. Venite, eamus et nuntiemus in aula regis ». Sed *mala* non sunt nuntianda; secundi Regum primo: « Nolite annuntiare in Geth neque annuntietis in compitis Ascalonis ».

Indagatio veritatis auditae.

61. (Vers. 35.). Secundo vero quantum ad *indagationem veritatis auditae* subditur: *Exierunt autem videre quod factum est, et venerunt ad Iesum. Exierunt,* inquam, ad inquisitionem; Canticorum tertio[1]: « Egredimini, filiae Sion, et videte regem Salomonem »; et in Psalmo: « Venite et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram ». — Exierunt autem *ad Iesum,* qui est Veritas[2], ut discerent veritatem. Nam, sicut dicit sollicitus inquisitor Iob vigesimo tertio: « Quis mihi tribuat, ut cognoscam et inveniam illum et veniam usque ad solium eius »? Sic Samaritani, audito verbo mulieris, Ioannis quarto: « Abiit mulier in civitatem et dicit hominibus illis: Venite et videte hominem, qui dixit mihi omnia, quaecumque feci ». « Exierunt ergo de civitate et veniebant ad eum ».

Factura ducit ad Factorem.

Et notandum est valde, quod dicitur, quod dum *exeunt videre quod factum est, venerunt ad Iesum,* quia factura, dum videtur, ducit ad Factorem; ad Romanos primo[3]: « Invisibilia Dei a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur »; et Sapientiae decimo tertio: « A magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri ». Et ideo Ecclesiastici quadragesimo secundo: « Quam admirabilia opera illius, et tanquam scintilla, quae est considerare »! In hoc autem apparet, quod non est standum in factura, sed perveniendum usque ad Iesum; Ecclesiastici quadragesimo tertio[4]: « Vide arcum et benedic qui fecit illum »; et in Psalmo: « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem » etc.

Notandum.

Inventio veritatis quaesitae. Notantur quatuor de curato.

62. Tertio quantum ad *inventionem veritatis quaesitae* subditur: *Et invenerunt hominem sedentem, a quo daemonia exierant;* et ita in *debito statu* contra inquietationem, quia nunquam quiescebat, quando diabolus eum possidebat; Isaiae quinquagesimo septimo[5]: « Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest ». Econtra de eo, in quo inhabitat Spiritus Domini, dicitur Threnorum tertio: « Sedebit solitarius et tacebit »; quia, secundum illud Psalmi, « in pace factus est locus eius ». — Invenerunt etiam eum in *debito habitu* contra nudationem; propter quod addit: *Vestitum.* Talis enim habitus decet hominem tam corporaliter quam spiritualiter; Apocalypsis decimo sexto[6]: « Beatus, qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet ». — Invenerunt etiam eum in *debito sensu* contra insanitionem; propter quod subdit: *Ac sana mente;* unde poterat dicere illud Nabuchodonosor Danielis quarto[7]: « In ipso tempore sensus meus reversus est ad me ». Quem sensum aufert diabolus eis quos possidet, infatuando eorum mentes; secundae ad Corinthios quarto: « In quibus Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium ». — Invenerunt eum etiam in *debito situ* contra deordinationem; propter quod adiungitur: *Ad pedes eius,* tanquam intentum praedicationi eius, secundum illud Deuteronomii penultimo[8]: « Qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina illius »; et infra decimo: « Maria sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius ». — Et per haec indicia manifeste cognoverunt ipsum liberatum *ex proprio visu.*

Modum curationis audierunt.

— Modum autem curationis et causam cognoverunt *per auditum,* quia audierant, hoc factum esse per Christum. Propter quod subditur: *Et timuerunt,* scilicet Christum, attendentes eius miram potentiam et fortitudinem, secundum illud Ieremiae decimo[9]: « Quis non timebit te, o rex gentium? Tuum est enim decus; inter cunctos sapientes gentium et in universis regnis eorum nullus est similis tui ».

Inducitur testimonium.

63. (Vers. 36.). Ad hoc inducit certum testimonium, ideo subdit: *Nuntiaverunt autem illis hi*[10] *qui viderant,* scilicet pastores. Nam tales debent testificari; Ioannis decimo nono: « Et qui vidit testimonium perhibuit ». — *Quomodo sanus factus esset a legione,* per Christi imperium. Tali testimonio est credendum; primae Ioannis primo[11]: « Quod vidimus et audivimus et perspeximus testamur et annuntiamus vobis »; Psalmus: « Narrantes laudes Domini et mirabilia eius, quae fecit »; quia, Actuum quarto, « non possumus quae audivimus et vidimus non loqui ».

Veneratio veritatis inventae.

64. (Vers. 37.). Quarto vero quantum ad *venerationem veritatis inventae* subditur: *Rogaverunt eum*[12] *omnis multitudo regionis Gerasenorum.* Postquam cognoverunt Maiestatis imperium formidandum, rogaverunt eum, *ut discederet ab eis.* Quod quidem non dicebant contemptu superbiae, sicut illi, de quibus Iob vigesimo primo[13]: « Qui dicunt Deo: Recede a nobis; scientiam viarum tuarum nolumus »; sed

---

[1] Vers. 11. — Sequitur Ps. 45, 9. — Superius pro *ad inquisitionem* C D G *per inquisitionem.*

[2] Ioan. 14, 6: Ego sum via et veritas et vita. — Subinde allegantur Iob 23, 3. et Ioan. 4, 28. seq.

[3] Vers. 20. — Duo seqq. loci sunt Sap. 13, 5. et Eccli. 42, 23.

[4] Vers. 12, post quem Ps. 8, 3.

[5] Vers. 20. — Sequuntur Thren. 3, 28. et Ps. 75, 3.

[6] Vers. 15.

[7] Vers. 33. — Subinde allegatur II. Cor. 4, 4. — Superius pro *contra insanitionem,* quod habent A B E, Vat. *contra insaniam* [C *insinuationem*], G *contra infirmationem,* H *contra infatuationem* [Du Cange, Glossarium etc.: *Infatuatio,* fatuitas].

[8] Vers. 3, cui subiungitur Luc. 10, 39.

[9] Vers. 7, ubi pro *inter* C D G H *super.* — Superius pro *miram potentiam* C D G *mirum posse.*

[10] Pro *hi,* quod A omittit, Vulgata *et,* H *et hi.* — Subinde allegatur Ioan. 19, 35.

[11] Vers. 1. et 2. — Duo seqq. loci sunt Ps. 77, 4. et Act. 4, 20.

[12] Vulgata *Et rogaverunt illum,* quae etiam paulo inferius pro *ut discederet ab eis* substituit *ut discederet ab ipsis.* — Pro *formidandum* Vat. *formidabant, unde.*

[13] Vers. 14. — Hieron., I. Comment. in Matth. 8, 34: Quod rogant, ut transeat a finibus eorum, non de superbia hoc faciunt, ut nonnulli arbitrantur, sed de humilitate, qua se

ex timore reverentiae. Unde et subditur: *Quia timore magno tenebantur,* sicut Petrus, supra quinto [1]: « Exi a me, Domine, quia homo peccator sum »; et sicut centurio, supra septimo: « Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum »; quia, secundum illud Ecclesiastici decimo tertio, « pondus super se tollet qui honestiori se communicat ». Unde Ambrosius [2]: « Infirma mens non capit Dei verbum nec potest pondus sapientiae sustinere ». Et quoniam ad divinam cohabitationem erant minus idonei, ideo fuerunt exauditi. — Propter quod additur: *Ipse autem, ascendens navim* [3], *reversus est.* Nolebat Dominus esse aliquibus onerosus; unde Matthaei decimo: « Et quicumque non receperint vos, exeuntes foras, excutite pulverem de pedibus vestris »; et Matthaei septimo: « Nolite sanctum dare canibus neque spargere margaritas ante porcos ». Sed prudentius his fecerunt Samaritani, de quibus Ioannis quarto [4]: « Cum venissent ad eum Samaritani, rogaverunt eum, ut ibi maneret. Et mansit apud eos duos dies ». Sed stupor circumdederat istos, sicut et Petrum, supra quinto. Ideo poterant dicere illud Iob trigesimo primo: « Semper quasi tumentes fluctus super me timui Deum et pondus eius ferre non potui ».

(Q)uare Christus revertatur.

In hoc etiam *spiritualiter* datur intelligi, quod Dominus repulsus abscedit; primi Paralipomenon vigesimo octavo [5]: « Si quaesieris eum, invenies; si autem dereliqueris eum, proiiciet te in aeternum ». — Insinuatur etiam, quod Dominus non relinquit nos, nisi prius eum repellamus, quin potius se ingerit; unde Apocalypsis tertio: « Ego sto ad ostium et pulso » etc.

(S)piritualiter duo insinuantur.

65. (Vers. 38.). *Et rogabat illum* etc. Hic quarto describitur *benevolentia sanati obtemperantis,* quam commendat Evangelista ex quatuor, scilicet ex *oblatione obsequii,* ex *condescensione Medici,* ex *commissione officii* et ex *divulgatione beneficii,* ita quod unum ad alterum disponit.

Quarto, benevolentia commendatur quadrupliciter.

Primo igitur quantum ad *oblationem obsequii* dicitur: *Et rogabat illum vir, a quo daemonia exierant,* scilicet sanatus medicum, *ut cum illo* [6] *esset,* ut scilicet ei serviret tanquam Domino et Salvatori, sicut dicebat Ethai Gethaeus ad David secundi Regum decimo quinto: « Vivit Dominus, et vivit dominus meus rex, quia in quocumque loco fueris, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus ». Sic Eliseus ad Eliam, quarti Regum secundo: « Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non dimittam te ». Ideo autem volebat esse cum ipso, ut esset *securior*, secundum illud Ecclesiastici quinquagesimo primo [7]: « Invocabo Dominum patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meae ». Ut etiam esset *perfectior;* Psalmus: « Iustificationes tuas custodiam, non me derelinquas usquequaque ». Ut etiam esset *felicior;* ad Philippenses primo [8]: « Cupio dissolvi et esse cum Christo »; et Ioannis duodecimo: « Volo, Pater, ut, ubi ego sum, ibi sit et minister meus ». — Ideo volebat cohabitare in via, ut cohabitaret in patria.

(Q)uoad oblationem obsequii.

Tria intendebat curatus.

66. Secundo quantum ad *condescensionem Medici* subditur: *Dimisit autem eum Iesus,* in omnimoda scilicet libertate, nolens sibi aliud onus imponere, ostendens, quod propter collatum beneficium non est accipiendum obsequium; unde Matthaei decimo octavo [9]: « Misertus dominus servi illius dimisit eum et debitum dimisit ei ».

Quoad condescensionem Medici.

67. (Vers. 39.). Dimisit autem eum in quiete; unde subdit: *Dicens: Redi in domum tuam,* ut ibi requiescas, unde te daemonia expulerant; Ecclesiastici trigesimo secundo [10]: « Praecurre prior in domum tuam, et illic avocare et illic lude et age conceptiones tuas ». Seneca: « Indicium mentis bene constitutae est, in se posse consistere et secum posse morari ».

Dimittit in quiete.

Et nota, quod Dominus quosdam *dimittit* propter *infirmitatem,* sicut istum cui condescendebat. Quosdam *admittit* propter *fidelitatem,* sicut ipsum, de quo infra nono [11]: « Dixit ad alterum: Sequere me. Ille autem dixit: Domine, sed dimitte me, ut vadam prius sepelire » etc. Quosdam *attrahit* propter *idoneitatem,* infra nono: « Et ait alter: Sequar te, Domine, sed permitte mihi primum renuntiare » etc. Quosdam *repellit* propter *cupiditatem,* sicut illum, de quo Matthaei octavo [12]: « Magister, sequar te »,

Quatuor modis agit Christus.

---

praesentia Domini indignos iudicabant, sicut et Petrus in captura piscium, cadens ad genua Salvatoris, ait: *Exi a me* etc.

[1] Vers. 8, post quem Luc. 7, 6. et Eccli. 13, 2.

[2] Libr. VI. in Luc. n. 54. Ibid. n. 52. addit: Et ideo diutius molestus non fuit, sed *ascendit* [navim], *et regressus est.*

[3] Codd. A C D et Beda *navem.* — Duo seqq. loci sunt Matth. 10, 14. et 7, 6; cfr. supra pag. 194, nota 2.

[4] Vers. 40. — Sequuntur Luc. 5, 9. et Iob 31, 23.

[5] Vers. 9. — Subinde allegatur Apoc. 3, 20.

[6] Vulgata, quam sequuntur Vat. et H, *cum eo.* — Duo seqq. loci sunt II. Reg. 15, 21. et IV. Reg. 2, 2. — Subinde voci *serviret* Vat. praefigit *cohabitaret et.*

[7] Vers. 14: *Invocavi Dominum* etc. — Sequitur Ps. 118, 8.

[8] Vers. 23, cui subiungitur Ioan. 12, 26; cfr. 17, 24. (quem Vat. etiam allegat), e quibus haec sententia (antiphona 5. ad Laudes unius Martyris Breviarii Romani) formata esse videtur.

[9] Vers. 27. — Superius pro *accipiendum* G *acceptandum.*

[10] Vers. 15. 16. De sententia Senecae cfr. supra pag. 34, nota 4.

[11] Vers. 59, secundum nostram lectionem, quam confirmat H, nonnullis verbis textus omissis. Sed Vat. et A C D G citant v. 61: « Et ait alter: Sequar te, Domine [Vat. *etc.,* omittens quae sequuntur]; sed dimitte me, ut vadam prius » etc. Iidem paulo post citant v. 59: « Dixit ad alterum [Vat. *Et ait ad alterum*]: Sequere me ». Sed manifestum est et confirmatur per ea quae auctor infra c. 9. in Comment. n. 106. seqq. dicit, quod Luc. 9, 59. 60. conveniant ei qui non solum *attractus,* sed etiam *admissus* fuit, non vero v. 61, cum *alter,* qui citt. verbis adiungit: « Sed permitte mihi primum renuntiare his quae domi sunt », non dicitur expressis verbis *admissus.* Unde censuimus, positionem duarum citationum esse commutandam. — Superius A D *propter infidelitatem* pro *propter fidelitatem.*

[12] Vers. 19. et 20.

Dominus respondet: « Vulpes foveas habent » etc. — Hunc autem non admisit Dominus ad perfectionis discipulatum, vel quia movebat eum timor humani periculi, vel amor beneficii; vel ut ostenderet, sicut praetactum est [1], quod propter spiritnale beneficium non est accipiendum obsequium; unde Matthaei decimo: « Gratis accepistis, gratis date ». Et exemplum huius apparet in Eliseo, quarti Regum quinto. Potest tamen praedicator accipere stipendium, sicut dicitur primae ad Corinthios nono; sed non debet *praedicare* propter illud, sed propter salutem populi.

Notandum.

68. Et nota hic, quod Dominus, secundum quod historia evangelica narrat, aliquando praecipit curatis, quod nemini dicerent, sicut patet in curatione leprosi Matthaei octavo [2]: « Vide, nemini dixeris »; et in suscitatione puellae, infra eodem: « Quibus praecepit, ne cui dicerent quod factum erat ». Hic autem praecipit sanato, quod divulget ad hoc, ut Dominus ostendat, veritatem salutarem non esse tacendam, et gloriam propriam non esse quaerendam. Ideo aliquando praecipit, quod dicatur, et aliquando praecipit, quod taceatur, ut in primo det documentum, quod veritas praedicetur, in secundo vero, quod gloria propria non quaeratur [3]. — In hoc etiam apparet, quod praedicationis opus non tantum est virorum apostolicorum, verum etiam quorumcumque bonorum, qui a Christo edocti sunt. Unde etiam Christus, discipulis prohibentibus, quendam in nomine Christi eiicere daemonia, qui Christum non sequebatur, dixit: « Nolite prohibere », sicut dicitur infra nono [4]. Bonus enim vir debet dicere quod dixit Moyses Numerorum undecimo: « Quis det, ut omnes prophetent, et det eis Dominus Spiritum sanctum »? secundum illud ad Philippenses primo: « Sive per veritatem, sive per occasionem annuntietur Christus, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo ».

Duplici modo Christus praecipit. — Documentum 1. — Documentum 2.

69. Tertio quantum ad *commissionem officii* dicitur: *Et narra, quanta tibi fecerit* [5] *Deus;* in quo mittit eum ad praedicandum et divulgandum divinum beneficium; Psalmus: « Narrabo nomen tuum fratribus meis » etc.; et Tobiae duodecimo: « Sacramentum regis abscondere bonum est; opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est ». Et hoc mandat Deus fieri; Psalmus: « Quanta mandavit patribus nostris, nota facere ea filiis suis ». Et illud est officium praedicatoribus iniunctum.

Quoad commissionem officii.

70. Quarto quantum ad *divulgationem beneficii* subditur: *Et abiit per universam civitatem dicens* [6], quod iniunctum est; Ionae tertio: « Surge et vade in Ninivem, civitatem magnam, et praedica in ea praedicationem ». Sed Ionas praedicabat periculum, iste vero divulgabat et praedicabat beneficium. — Propter quod addit: *Quanta illi fecisset Iesus*, ut vere diceret illud Psalmi [7]: « Venite, audite, omnes, et narrabo, quanta fecit animae meae ». Ad hoc invitabat Angelus Tobiae duodecimo: « Benedicite Deum et narrate omnia mirabilia eius ». Hoc autem dicit, non quia in nostra sit potestate omnia eius opera et beneficia enarrare, cum dicatur Ecclesiastici decimo octavo [8]: « Quis sufficit enarrare opera illius »? sed quia hoc debet esse in nostro desiderio et voluntate, iuxta illud Psalmi: « Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo; narrabo omnia mirabilia tua »; non quia lingua sufficiat exprimere, sed quia gratitudo cordis de omnibus cupit laudes exsolvere et praedicare.

Quoad divulgationem beneficii.

71. Nota hic, quia secundum litteram quatuor possunt ex dictis elici notabilia. Primum est, quod Dominus per viles et humiles personas voluit aliis notificari, sicut per porcarios et pecorarios. — Secundo, quod non omnes ad statum perfectionis [9] sunt admittendi, sed tantum illi qui sunt idonei. — Tertio, quod a praedicatione nominis Christi arcendi non sunt quos Christus curat a vexatione diaboli. — Quarto, quod ad gratiarum actionem pro beneficiis acceptis debemus esse promptissimi, exemplo huius daemoniaci, qui beneficium Dei omnibus nuntiavit.

Eliciuntur quatuor notabilia.

72. *Factum est autem, cum rediisset Iesus* etc. Supra [10] ostendit Evangelista dominium et auctoritatem Christi super creaturam corporalem in sedatione tempestatis et super spiritualem in expulsione daemonis; hic ostendit, ipsum dominium habere super *creaturam compositam ex utraque* in sanatione haemorrhoissae et suscitatione puellae. Habet autem haec pars duas, secundum quod humana natura ex duobus est composita, corpore videlicet et anima. Nam primo ostenditur *dominus corporum* in haemorrhoissae sanatione; secundo, *dominus animarum* in puellae suscitatione, ibi [11]: *Adhuc illo loquente* etc. Introducitur autem explicatio utriusque miraculi ad manifestandam dignitatem virtutis Christi, quam demonstrat satis perfecte in miraculo curationis haemorrhoissae.

Tertio, per duo miracula ostenditur aliud dominium Christi. — Divisio.

---

[1] Num. 66. — Tres seqq. loci sunt Matth. 10, 8; IV. Reg. 5, 15. seqq. et I. Cor. 9, 11. seqq.; cfr. supra n. 5. in fine. — Inferius pro *salutem populi* codd. *salutem eius*. Glossa *interlinearis* (ex Ambros., VI. in Luc. n. 53.) in Luc. 8, 33: *Dimisit* etc., ut iactantiae causa vitetur, et infidelibus sit exemplo.

[2] Vers. 4, post quem Luc. 8, 56.

[3] Cfr. supra pag. 120, nota 4. Vide Bedam, in Matth. 8, 4; II. in Marc. 7, 36. et 8, 26.

[4] Vers. 50. — Duo seqq. loci sunt Num. 11, 29, ubi pro *Spiritum sanctum* Vulgata *spiritum suum* (A C D *Spiritum sanctum suum*, omisso subinde *secundum)*, et Phil. 1, 18.

[5] Ita etiam Beda et Card. Hugo; Vulgata, quam sequitur Vat., *fecit*. — Subinde allegantur Ps. 21, 23; Tob. 12, 7. et Ps. 77, 5. — Inferius pro *praedicatoribus* G *praedicantibus*.

[6] Vulgata, Vat. et H *praedicans*. — Sequitur Ionae 3, 2.

[7] Psalm. 65, 16, post quem Tob. 12, 20.

[8] Vers. 2, cui subiungitur Ps. 9, 2.

[9] Cod. B addit *et religionis*, qui etiam aliquanto inferius post *huius daemoniaci* addit *curati*.

[10] Num. 34. — Inferius pro *sanatione* Vat. *sanitate*.

[11] Vers. 49.

In curatione haemorrhoissae demonstrantur tria.

Nam primo demonstratur in parte ista *benignitas praesentiae Christi desiderabilis;* secundo vero, *sublimitas potentiae inaestimabilis*, ibi [1]: *Et mulier quaedam erat in fluxu sanguinis* etc.; tertio, *profunditas sapientiae ineffabilis*, ibi: *Et ait Iesus: Quis est qui me tetigit* etc.

Primo, de benignitate praesentiae ostensa ex tribus.

*Benignitas* autem *praesentiae Christi* ostenditur *desiderabilis* ex *plebe suscipiente cum laetitia,* ex *principe supplicante cum fiducia,* ex *multitudine concomitante cum benevolentia.* Primum respicit Christi adventum, cui plebs *occurrit;* secundum, Christi statum, ad quem princeps *recurrit;* tertium, Christi progressum, ad quem multitudo *concurrit.* Ex occursu ergo et recursu et concursu multitudinis multipliciter ostenditur praesentia et adventus Christi desiderabilis.

De primo.

73. (Vers. 40.). Primo igitur quantum ad *susceptionem laetitiae factam a plebe* dicitur: *Factum est autem, cum rediisset Iesus,* trans fretum scilicet in Galilaeam, cui ad tempus corporalem subtraxerat praesentiam desideratam; iuxta quod figuratum est tertii Regum decimo [2] in Salomone: « Et universa terra desiderabat videre vultum Salomonis, ut audiret sapientiam eius, quam dederat ei Deus ». Per istum *Salomonem* intelligimus Christum, de quo in Psalmo: « Speciosus forma prae filiis hominum » etc. — Et ideo subditur: *Excepit illum turba multa* [3], scilicet cum laetitia et gaudio, ut sic impleretur illud Isaiae vigesimo nono: « Pauperes homines in sancto Israel exsultabunt ». — Et ideo subditur: *Erant enim omnes exspectantes eum,* scilicet cum desiderio, quia, Threnorum tertio [4], « bonum est praestolari cum silentio salutare Dei ». Nam « bonus Dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum »; « ipse enim erit exspectatio gentium », Genesis penultimo; Psalmus: « Exspecta igitur Dominum et viriliter age » etc.

De secundo.

74. (Vers. 41.). Secundo quantum ad *supplicationem fiduciae factam a principe* subditur: *Et ecce, venit vir, cui nomen Iairus;* cuius nomen exprimit, eo quod persona erat notabilis ex principatu, iuxta quod dicitur secundi Regum septimo [5]: « Feci tibi nomen grande iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra »; vel etiam, quia nomen respondebat officio et dignitati. Iairus enim *illuminatus* interpretatur, et talis in plebe debet principari. — Unde subditur: *Et ipse princeps synagogae erat;* Ecclesiastici quadragesimo quinto [6]: « Statuit illi testamentum pacis et principem sanctorum et gentis suae ». Hic autem princeps, licet esset exaltatus in gloria, ita ut ei posset competere illud primi Regum secundo [7]: « Ut sedeat cum principibus et solium gloriae teneat »; non inde est elatus per superbiam, sed humiliatus per *reverentiam,* attendens illud Ecclesiastici trigesimo secundo: « Rectorem te posuerunt? Noli extolli ». — Ideo subditur: *Et cecidit ad pedes Iesu,* sciens scriptum, Isaiae quadragesimo quinto [8]: « Mihi curvabitur omne genu, et iurabit omnis lingua »; et in Psalmo: « Venite, adoremus et procidamus ante Dominum ». Ideo autem procidit, ut Christi maiestatem honoret sua reverentia; Ecclesiastici tertio [9]: « Quam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur »; et ut etiam imploret pietatem cum fiducia. — Unde et subdit: *Rogans* [10], *ut intraret in domum eius.* Hoc faciebat cum *instantia,* ut posset dicere illud Canticorum tertio: « Tenui eum nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meae ».

75. (Vers. 42.). Ad istam autem instantiam propellebat *indigentia,* quam exprimit, cum dicit: *Quia unica filia erat ei,* et ita multum amabilis. Nam, secundi Regum primo [11], « sicut mater unicum amat filium suum, ita te diligebam », dixit David. Non solum autem erat amabilis, quia *unica,* sed etiam quia *iuvencula;* et ideo addit: *Fere annorum duodecim;* et quia tenera, ideo tenero amore amanda, secundum illud Genesis trigesimo septimo [12]: « Israel autem diligebat Ioseph super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum ». Et quia vita erat multum amabilis, ideo mors erat multum tristabilis. — Propter quod subdit: *Et haec moriebatur;* quod non poterat esse sine magno dolore, qui est in luctu unicae; Ieremiae sexto [13]: « Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum ». Ideo dicebat Iacob de Beniamin Genesis quadragesimo secundo: « Non descendet, inquit, filius meus vobiscum; frater enim suus mortuus est, et ipse solus remansit. Si quid adversi acciderit in via, deducetis canos meos cum dolore ad inferos ». Sic et hic dicere poterat de unica filia.

Ratio supplicationis.

76. Quoniam igitur Christi praesentiam adiit cum reverentia, rogavit ex confidentia, desideravit ex indigentia; ideo oratio eius fuit exaudita, secundum

Oratio exauditur.

---

[1] Vers. 43; tertium habetur v. 45. — Pro *potentiae inaestimabilis* et *sapientiae ineffabilis* Vat. *potentiae admirabilis* et *sapientiae infallibilis*, quae lectio occurrit infra n. 78. et n. 82.

[2] Vers. 24; cfr. II. Paralip. 9, 23. — Subinde allegatur Ps. 44, 3. — Superius pro *cui ad tempus* Vat. *cum ad tempus.*

[3] B. Albert.: *Excepit illum turba multa;* cfr. Marc. 5, 21, ubi dicitur: *Et cum transcendisset Iesus... convenit turba multa ad eum* etc. — Sequitur Isai. 29, 19.

[4] Vers. 26, post quem v. 25; Gen. 49, 10. et Ps. 26, 14.

[5] Vers. 9. — Hieron., de Nominib. Hebraic. novi test. Lucae: *Iairus,* illuminans, aut illuminatus.

[6] Vers. 30, cuius finem sic exhibent A C D *principem factum* [B G *fratrum,* H *fecit*] *gentis suae.*

[7] Vers. 8. — Subinde allegatur Eccli. 32, 1. — Inferius vocibus *non inde* H et Vat. interserunt *tamen.*

[8] Vers. 23, ubi pro *iurabit* A C D G *confitebitur,* de quo vide Rom. 14, 11. — Sequitur Ps. 94, 6.

[9] Vers. 21: *Quoniam magna* etc. — Superius pro *Christi maiestatem* codd. *suam maiestatem.*

[10] Vulgata, H et Vat. addunt *eum.* — Sequitur Cant. 3, 4.

[11] Vers. 26. Ut H notat, hoc *dixit David de Ionatha.* — Superius pro *propellebat* G *compellebat.*

[12] Vers. 3. — Pro *quia tenera, ideo tenero amore* Vat. *et ita revera teneriori amore.*

[13] Vers. 26, post quem Gen. 42, 38.

illud Ecclesiastici quarto [1]: « Rogationem contribulati ne abiicias ». Hinc est, quod Dominus non reprehendit istum qui rogabat, quod iret ad domum, sicut regulum, Ioannis quarto; quia regulus credebat, quod magis posset infirmum sanare quam mortuum suscitare, unde dixit: « Domine, descende, priusquam moriatur filius meus ». Hic autem credidit, quod aeque bene posset super utrumque, unde filiam suam quasi mortuam reputabat. — Et ideo alius Evangelista, scilicet Matthaeus [2], introducit eum rogantem pro mortua, licet secundum Lucam et Marcum aliquid superesset de vita. Unde Augustinus de Concordia Evangelistarum dicit, quod Marcus et Lucas expresserunt principis verbum, Matthaeus vero intellectum expressit, quia eam mortuam reputabat.

Difficultas solvitur.

77. Tertio quantum ad *comitatum benevolentiae factum a multitudine* subditur: *Et contigit, dum iret, a turbis comprimebatur;* quoniam ex amoris affectu omnes volebant contingere ipsum, sicut supra sexto [3]: « Omnis turba quaerebat eum tangere ». In hoc etiam versa vice ostenditur benevolentia Salvatoris; qui etiam a multitudine vult comprimi, quasi nullum a se repellens. Ipse enim est, qui *dicit* Ioannis sexto [4]: « Omnis, qui venerit ad me, non eiiciam foras »; ipse, qui *vocat* Matthaei undecimo: « Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos »; ipse est, qui *ad ostium pulsat;* Apocalypsis tertio: « Ego sto ad ostium et pulso ». Hanc compressionem facit mutuus amor, qui est copula amantis et amati; quia, primae ad Corinthios sexto [5], « qui adhaeret Domino, unus spiritus est »; et Ioannis decimo quinto: « Manete in me, et ego in vobis ». Unde perfectus amor non est contentus aliquo sensu sine tactu; propter quod dicit sponsa Canticorum primo [6]: « Trahe me post te »; Ieremiae trigesimo primo: « In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te ».

De tertio.

Notandum.

78. (Vers. 43.). *Et mulier quaedam erat in fluxu* etc. Postquam ostensa est praesentia Christi desiderabilis, ostenditur *potentia eius admirabilis* in mirabili curatione a fluxu sanguinis. Hanc autem curationem ostendit Evangelista processisse ex admirabili omnipotentia tum propter *diuturnitatem morbi* in muliere, tum propter *impossibilitatem curandi* ab arte, tum propter *facilitatem remedii* a Salvatore.

Secundo, de sublimitate potentiae ostensa ex tribus.

Primo igitur quantum ad *diuturnitatem immundae passionis* in muliere dicitur: *Et mulier quaedam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim.* Haec erat immunda passio, et ideo cum difficultate portabilis; Levitici decimo quinto [7]: « Mulier, quae patitur fluxum sanguinis, si fluere non cessat, quamdiu huic passioni subiacet, immunda est ». Erat cum difficultate sanabilis propter adhaerentiam, quia iam erat inveterata; Ecclesiastici decimo: « Languor prolixior gravat medicum ». Erat igitur haec passio immunda, continua et diuturna; ideo vilis ad cohabitandum, gravis ad sustinendum et difficilis ad sanandum. Unde poterat dicere illud Threnorum tertio [8]: « Vetustam fecit pellem meam et carnem meam »; et illud Psalmi: « Lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea ». Haec autem mulier secundum Ambrosium videtur fuisse Martha. Ait enim [9]: « Christus largum fluxum sanguinis siccavit in Martha et daemones expulit de Maria ».

De primo.

79. Secundo quantum ad *impossibilitatem humanae subventionis* ex arte subditur: *Quae in medicos erogaverat omnem substantiam suam,* propter curationis remedium, secundum consilium Ecclesiastici trigesimo octavo [10]: « Honora medicum propter necessitatem, etenim illum creavit Altissimus ». Hoc autem dicit de honore *munerum,* non sermonum; unde haec eos honoraverat, quia omnem substantiam expenderat. Et ideo probabile est, quodsi curabilis fuisset aegritudo, quod per artem esset curata. — Attamen ars non profuit; unde subdit: *Nec ab ullo potuit curari.* Ita nec a natura nec ab arte potuit ei subveniri, ut verificaretur in ea illud Sapientiae decimo sexto [11]: « Neque herba neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia ».

De secundo.

80. Unde nota, quod natura nihil potest sine superna potentia, nec ars aliquid potest sine natura; unde ubi natura non subvenit, ars non proficit, sed magis nocet, sicut in hac muliere, de qua Marci quinto [12] dicitur, quod « fuerat multa perpessa a

Notanda de arte medicinae.

[1] Vers. 4. — Subinde respicitur Luc. 8, 41: Rogans [Iairus] eum, ut intraret domum eius; et allegatur Ioan. 4, 49.

[2] Cap. 9, 18; Luc. 8, 42. et Marc. 5, 23. — August., II. de Consensu Evangelist. c. 28. n. 66: Duo [Marcus et Lucas] itaque posuerunt, quid dixerit Iairus; Matthaeus autem, quid voluerit atque cogitaverit. Utrumque ergo petitum est a Domino, ut vel morientem salvam faceret, vel mortuam suscitaret; sed cum instituisset Matthaeus totum breviter dicere, hoc insinuavit patrem rogantem dixisse, quod et ipsum certum est voluisse et Christum fecisse. Cfr. Glossa *ordinaria* in Matth. 9, 18.

[3] Vers. 19.

[4] Vers. 37: *Eum, qui venit* etc.; cfr. tom. I. pag. 720, nota 3. et tom. IV. pag. 469, nota 5. — Duo seqq. loci sunt Matth. 11, 28. et Apoc. 3, 20.

[5] Vers. 17, post quem Ioan. 15, 4. Cfr. Dionys., de Div. Nom. c. 4. § 15: Amorem... unitivam quandam et concretivam intelligimus virtutem. Vide etiam III. Sent. d. 27. dub. 1. cum nota 8.

[6] Vers. 3, cui subiungitur Ier. 31, 3. — Pro *dicit sponsa* A C (primitus etiam D) *dicit sponso* [H *sponsus*].

[7] Vers. 25. — Subinde allegatur Eccli. 10, 11. — Inferius pro *erat inveterata* Vat. *erat inveteratus morbus.*

[8] Vers. 4. — Sequitur Ps. 37, 8.

[9] Ut notat H: *in libro de Salomone,* nunc Serm. 46. c. 4. n. 14. Cfr. tamen Euseb., VII. Histor. eccles. c. 18, ubi refert, hanc haemorrhoissam fuisse mulierem ex Caesarea Philippi (quae prius dicta est *Dan,* postea *Paneas,* denique *Caesarea*), ipsamque in tanti beneficii memoriam erexisse Christo statuam etc. Vide Cornel. a Lapide, in Marc. 5, 25.

[10] Vers. 1. — Superius pro *impossibilitatem* G *impotentiam.*

[11] Vers. 12.

[12] Vers. 26. — De triplici agente, Deo, natura et arte cfr. II. Sent. d. 7. p. II. a. 2. q. 2. in corp. — Superius pro *superna potentia* Vat. *divina potentia* (idem recurrit paulo inferius), quae etiam subinde post *unde ubi natura* prosequitur *arti non proficit, magis nocet* etc.

pluribus medicis et erogaverat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat ». Sed Lucas medicus hoc tacet, de medicis curialius loquens. — Corollarium. Ex quo colligitur, quod medicorum ars est *laudabilis*, quando sequitur supernam potentiam et naturam substratam. Unde dicitur Ecclesiastici trigesimo octavo[1]: « Da locum medico, ne recedat a te ». Sed tunc erit *viluperabilis* operatio medici, quando negligit vel considerare naturam, vel non anteponit divinam potentiam, sicut dicitur de Asa secundi Paralipomenon decimo sexto[2]: « Aegrotavit Asa dolore pedum vehementer nec sic Dominum requisivit, sed magis medicorum arte confisus est »; et sequitur, quod « mortuus est ».

81. (Vers. 44.). De tertio. Tertio quantum ad *facilitatem perfectae curationis* a Salvatore subditur: *Accessit retro et tetigit fimbriam vestimenti eius. Accessit*, quia *credebat;* ad Hebraeos undecimo[3]: « Oportet accedentem credere »; *retro*, quia *timebat*, sicut soror eiusdem Maria, supra septimo: « Stans retro secus pedes Domini ». *Tetigit*, quia *speravit curari;* Matthaei nono: « Dicebat intra se: Si tetigero fimbriam vestimenti, salva ero ». *Tetigit* autem *fimbriam*[4], id est infimam partem *vestimenti*, reputans se immundam et honorificans Christi potentiam, qui potest salutem dare per infima. — Et quia credidit et speravit, ideo faciliter obtinuit. Propter hoc additur: *Et confestim stetit fluxus sanguinis eius;* ex quo apparet mira Dei virtus, quae morbum tam diuturnum et tam gravem curavit statim ad tactum unius particulae. Mira est ergo virtus Christi, quae credulitate sui impossibilia facit facilia, secundum illud Marci nono[5]: « Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti »; et Ioannis decimo quarto: « Qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet et maiora horum faciet »; et Actuum decimo nono: « Virtutes non modicas faciebat Deus per manum Pauli, ut etiam de corpore eius deferrentur sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores ». Notandum. Si ergo tam salubre est per fidem tangere fimbriam vestimenti, quam salubre erit ipsum Christum tenere? Unde Bernardus[6]: « Dulce satis est te, bone Iesu, quaerere, dulcius tenere »; unde sponsa Canticorum tertio: « Tenui eum nec dimittam ». « Dulcis utique est attrectatio tui; nam et ipse tactus fructu non caret. Mulier enim evangelica felici furto *attigit fimbriam* Iesu, *et statim stetit* in illa *fluxus* carnalis illecebrae, carnalis delectationis et curae ».

82. (Vers. 45.). *Et ait Iesus* etc. Tertio, de profunditate sapientiae ostensa ex tribus. Postquam ostensa est Christi praesentia esse desiderabilis et potentia admirabilis, hic tertio ostenditur eius *sapientia infallibilis;* et hoc tripliciter, scilicet ex *deprehensione veritatis occultae*, ex *detectione veritatis deprehensae*, ex *approbatione veritatis detectae.*

De primo. Primo igitur introducitur *deprehensio veritatis occultae* a Christo per propriam inquisitionem, cum dicitur: *Et ait Iesus: Quis*[7] *me tetigit?* Hoc autem non dicit, ut discat, sed ut quod notum est sibi aliis detegat; iuxta quod in Psalmo dicitur: « Palpebrae eius interrogant filios hominum, Dominus interrogat iustum et impium »; non ut ab eis aliquid addiscat, sed ut doceat quod ignorant. — Unde quia ignorabant quaestionis causam, subditur: *Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, et qui cum illo erant*, id est alii discipuli, causam huius quaestionis non intelligentes; unde poterat eis dici illud Matthaei decimo quinto[8]: « Adhuc et vos sine intellectu estis »? quia quaestionem illam carnaliter, non spiritualiter intelligebant. — Petrus miratur. Quod patet in hoc quod adducit: *Praeceptor, turbae te comprimunt et affligunt, et tu*[9] *dicis: Quis me tetigit?* quasi dicant: cum omnes te tangant indifferenter, quomodo quaeris de aliquo specialiter? Unde mirabantur, quomodo Christus, magister et praeceptor, quaereret quasi de dubio quod omnibus erat in manifesto; et ideo merito mirabantur, quomodo Christus proponeret quaestionem, quae apparet stulta, cum dicatur secundae ad Timotheum secundo[10]: « Stultas et sine disciplina quaestiones devita ». Sed quia intellectum habebant carnalem, manuducendi erant ad spiritualem.

83. (Vers. 46.). Respondet Christus. Propter quod addit: *Et dixit Iesus: Aliquis me tetigit*, id est aliqua persona, tactu scilicet spirituali; et hoc probat: *Nam et*[11] *ego novi, virtutem de me exiisse.* Hoc dicit quantum ad effectum curationis; et sic verificatur illud Sapientiae duodecimo: « Virtutem autem tuam ostendis,

---

[1] Vers. 11. et 12. — Superius pro *hoc tacet* C D *haec tacet.* Subinde pro *naturam substratam* Vat. *naturam abstractam.*

[2] Vers. 12, et 13. — Superius pro *non anteponit* Vat. *non apponit.*

[3] Vers. 6. — Duo seqq. loci sunt Luc. 7, 38. (respectu cuius supponitur sententia Ambrosii supra n. 78. in fine allegata) et Matth. 9, 21. et 20; cfr. Marc. 5, 28.

[4] Vat. addit *vestimenti eius.* — Glossa *ordinaria* (ex Ambros., VI. in Luc. n. 58. et ex Beda) in Luc. 8, 44: Fimbriam tangit qui incarnationis mysteria perfecte amat et credit, donec ad maiora capienda perveniat. Si consideremus, quanta sit fides nostra, et intelligamus, quantus sit Filius Dei; videmus, quia comparatione eius fimbriam tantummodo tangimus, superiorem vestimenti eius partem nequimus attingere.

[5] Vers. 22., post quem Ioan. 14, 12. et Act. 19, 11. seq.: *Virtutesque non quaslibet faciebat* etc. — Superius post *particulae* H addit *vestimenti sui* [Vat. *vestimenti ipsius*]. Subinde pro *credulitate sui* A C D G H *credulitate sua.*

[6] Vel potius Gilbert. de Hollandia, Serm. 1. in Cant. (inter opera Bernardi) n. 2, ubi pro *unde sponsa Cant. 3, 4: Tenui eum, nec dimittam* textus originalis *in uno pius labor, in altero perfecta laetitia.* Subinde pro *felici furto* plures codd. *felici furtu* (cfr. Du Cange, Glossarium etc., ubi refertur *furtus*, furtum), Vat. *felici fructu.*

[7] Vulgata, quam sequuntur H et Vat., *Quis est, qui.* — Subinde allegatur Ps. 10, 5. seq. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 8, 45: *Quis est*, non quaerit, ut doceatur quae nesciat, sed ut fides mulieris appareat.

[8] Vers. 16.

[9] Vulgata, Vat. et H omittunt *tu.*

[10] Vers. 23.

[11] In Vulgata deest *et*, quod tamen exhibent etiam Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. c. 8. n. 7.) et Lyranus. — Duo seqq. loci sunt Sap. 12, 17. et Luc. 6, 19.

qui non crederis in virtute consummatus ». Ostendit autem effectum egredientem ab ipso, secundum illud quod supra sexto dicitur, quod « virtus de illo exibat et sanabat omnes ». Nec mirum, quia, primae ad Corinthios primo [1], « Christum dicimus Dei virtutem et Dei sapientiam »; ad Hebraeos primo: « Portans omnia verbo virtutis suae ».

84. (Vers. 47.). Secundo vero adiungitur *detectio veritatis deprehensae* per alienam confessionem, cum dicitur: *Videns autem mulier, quia non latuit eum* [2]*;* unde poterat dicere illud mulieris Samaritanae, Ioannis quarto: « Domine, ut video, Propheta es tu ». Propter quod et ipsa poterat simile testimonium cum illa perhibere et ideo dicere: « Venite et videte hominem, qui dixit mihi omnia, quaecumque feci ». Iste vere erat alter Salomon, immo sapientior eo, de quo dicitur tertii Regum decimo [3]: « Non fuit sermo qui regem posset latere »; quia ipse est, de quo Danielis secundo: « Ipse novit in tenebris constituta, et lux cum eo est ». Et quia iam cognoverat potentiam in effectu et sapientiam percipiebat in sermone, ideo attendebat, se non posse effugere. — Et propterea subditur: *Et* [4] *tremens venit et procidit ad pedes eius,* ad honorificandam Maiestatem; Michaeae sexto: « Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso ». Et hoc cum *tremore,* quia solos tales respicit Deus; Isaiae ultimo [5]: « Ad quem respiciam nisi ad pauperculum et trementem sermones meos »? Et ideo ad Philippenses secundo: « Cum metu et tremore vestram salutem operamini, quia Deus operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate ». — Et quia nihil magis spectat ad honorem Maiestatis quam manifestatio veritatis, ideo subditur: *Et ob quam causam tetigerit eum, indicavit coram omni populo,* scilicet *quomodo confestim sanata est* [6]*;* quia, Tobiae duodecimo, « opera Dei revelare et confiteri honorificum est ». Et ideo dicebat Angelus: « Benedicite Deum caeli et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam ».

De secundo.

85. (Vers. 48.). Tertio adiungitur *approbatio veritatis detectae* per definitivam commendationem, cum subditur: *At ipse dixit illi* [7] *: Filia, fides tua te salvam fecit,* quasi dicat: iuste hoc assecuta es, quia credidisti; quasi dicat: fides fecit te *filiam,* secundum illud Ioannis primo: « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius ». Fides etiam fecit *salvam,* quia, ad Romanos decimo, « omnis, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit ». Unde in hoc apparet mira dispensatio nostrae salutis, quia *mulier sanata* totum attribuit *divinae virtuti,* secundum illud ad Romanos nono [8]: « Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis »; *Deus salvans* totum attribuit *merito fidei,* sicut dicitur Marci nono: « Si potestis credere, omnia possibilia sunt credenti ». — Et quoniam in acquisitione salutis per consequens fit acquisitio *pacis,* ideo subditur: *Vade in pace,* tanquam Dei amica et filia; Sapientiae tertio [9]: « Donum et pax est electis Dei ». Pax est illud quod Dominus omnibus *optat* et optari mandat, secundum illud infra decimo: « In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui ». Hoc est, quod prae aliis *donat;* Ioannis decimo quarto [10]: « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis »; hoc est, ad quod specialiter *vocat;* Matthaei undecimo: « Tollite iugum meum super vos, et invenietis requiem »; et Ioannis decimo sexto: « Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum ». De hac ad Philippenses quarto: « Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Iesu », Domino meo.

De tertio.

Mira dispensatio.

De dono pacis.

86. Et nota, quod trium mulierum Dominus fidem commendat, quas exaudit et salvat. Commendavit Magdalenam supra septimo [11], dicens consimile verbum: « Fides tua te salvam fecit »; et hanc commendat hic; et mulierem Chananaeam, Matthaei decimo quinto, cui dixit: « Mulier, magna est fides tua ». — In his tribus mulieribus tres poenitentiae partes *spiritualiter* intelliguntur. Nam prima, quae flevit et lacrymis rigavit, dat intelligere *contritionem;* Chananaea, quae clamavit, dat intelligere *confessionem;* haec autem, quae tetigit vestimentum, dat intelligere *satisfactionem.* De Magdalena legitur supra septimo [12], quod « stans retro secus pedes Domini,

Fides trium mulierum commendatur.

In his significantur partes poenitentiae.

---

[1] Vers. 24, post quem Hebr. 1, 3.

[2] Ita A C D H, ita etiam B. Albert. et S. Thom. (Cat. aurea in Luc. c. 8. n. 7.); Vulgata omittit *eum.* — Sequuntur Ioan. 4, 19. et 29. — Inferius pro *et ipsa* A *et ista,* et subinde C D omittunt *simile,* pro quo G *similiter.*

[3] Vers. 3, cui subiungitur Dan. 2, 22. Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 8, 46: Non latet quicumque tangit, Deus non indiget oculis... sed in se habet cognitionem omnium. Etiam virtus, quae [Ps. 102, 3.] *propitiatur omnibus iniquitatibus* nostris... non ex nobis, sed ex Deo exit.

[4] Vulgata, quam sequuntur H et Vat., omittit *Et,* quae etiam subinde substituit *ante pedes* pro *ad pedes.* — Sequitur Mich. 6, 6. — Vocibus *honorificandam Maiestatem* Vat. cum G interserit *eius,* H *divinam.*

[5] Vers. 2, post quem Phil. 2, 12. seq.

[6] Cod. H et Vat. cum Vulgata *et quemadmodum confestim sanata sit.* — Subinde allegantur Tob. 12, 7. et 6.

[7] Ita etiam Beda, Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. c. 8. n. 7.) et Lyranus; Vulgata et Vat. *ei.* — Duo seqq. loci sunt Ioan. 1, 12. et Rom. 10, 13. — Beda, III. in Luc. 8, 48: Ideo *filia,* quia *fides tua te salvam fecit.* Nec dixit: fides tua te salvam factura est, sed *salvam fecit.* In eo enim, quod credidisti, iam salva facta es.

[8] Vers. 16. — Sequitur Marc. 9, 22: *Si potes* [ita etiam H et Vat.] *credere* etc.

[9] Vers. 9. — Subinde allegatur Luc. 10, 5. Codd. allegant *Matth. 10,* 11. seq., ubi sententia, sed non verba occurrunt. — Superius pro *in acquisitione* Vat. *inquisitione,* G *in inquisitione.*

[10] Vers. 27. — Tres seqq. loci sunt Matth. 11, 29; Ioan. 16, 33. (codd. omittunt *Haec... pacem habeatis*) et Phil. 4, 7.

[11] Vers. 50. — Sequitur Matth. 15, 28.

[12] Vers. 38. — Duo seqq. loci sunt Matth. 15, 23. et Luc. 8, 44.

lacrymis coepit rigare » etc. De Chananaea Matthaei decimo quinto dicunt discipuli: « Dimitte eam, quia clamat post nos ». De ista dicitur hic, quod « accessit retro et tetigit fimbriam eius vestimenti ». Per *tactum* autem *vestimenti* intelligitur imitatio in labore sanctae conversationis. — Unde nota, quod

De triplici tactu.

legimus Christum tactum in *pede* a Magdalena, supra septimo[1]; tactum in *veste* ab haemorrhoissa, ut hic; tactum in *latere* a Thoma; Ioannis vigesimo: « Mitte manum tuam in latus meum ». In quo intelligitur triplex imitatio approximantium ad Christum, scilicet in *effectu operationis bonae*, in *habitu conversationis sanctae*, in *tolerantia passionis acerbae*, in quibus consistit integritas satisfactionis perfectae. Per *pedum* namque *incessum* intelligitur rectitudo operationis bonae; Ezechielis primo[2]: « Pedes eorum pedes recti ». Per *vestimentum* autem intelligitur honestas conversationis sanctae; Apocalypsis decimo sexto: « Beatus, qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet ». Talis est qui imitatur Christum; ad Romanos decimo tertio: « Abiiciamus opera tenebrarum et induamur arma lucis ». Per *latus* Christi vulneratum et *manus* et *pedes* perforatos intelligitur tolerantia passionis acerbae, secundum illud Psalmi[3]: « Foderunt manus meas et

Notandum.

pedes meos ». In his enim Christum contingimus, cum eius vulneribus ad tolerantiam armamur; primae Petri quarto: « Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini ».

In suscitatione puellae mortuae tanguntur quatuor.

87. *Adhuc illo loquente* etc. Postquam ostendit Evangelista Christum dominum corporum per sanationem haemorrhoissae, hic ostendit Christum *dominum animarum* per suscitationem puellae[4]. Habet autem haec pars quatuor particulas; in quarum prima praemittitur *soliditas fidei* per modum *disponentis*. Secundo adiungitur *idoneitas testimonii* per modum *approbantis*, ibi[5]: *Et cum pervenisset ad domum* etc. Tertio ostenditur *sublimitas imperii* per modum *efficientis*, ibi: *Ipse autem tenens manum eius.* Quarto notatur *celebritas miraculi* per modum *terminantis*, ibi: *Et iussit illi dari manducare.* Et sic perfecte describitur miraculum quantum ad quadruplex genus causae.

Primum describitur dupliciter.

*Soliditas* autem *fidei archisynagogi* describitur in duplici respectu: primo respectu *dissuasionis humanae* et respectu *persuasionis divinae;* per primam tentatur et per secundam solidatur.

De 1. respectu.

88. (Vers. 49.). Primo igitur quantum ad *tentationem fidei* per *dissuasionem humanam* dicitur: *Adhuc illo loquente,* scilicet Iesu, *venit quidam ad principem synagogae; venit* autem non in adiutorium sicut Angelus bonus, sicut dicitur Danielis decimo[6]: « Michael, unus de principibus primis, venit in adiutorium »; sed sicut malus nuntius venit ad impediendum. Propter quod addit: *Dicens ei: Quia mortua est filia tua,* et ita non potest esse spes de vita, secundum illud secundi Regum duodecimo[7]: « Nunc, quia mortuus est infans, quare ieiuno? Nunquid potero revocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum, ille non revertetur ad me ». — Et ideo subiungit: *Iam noli vexare Magistrum*[8], id est, frustra tecum ducere cum labore. Hoc quidem erat verbum non credentis, Christum posse mortuum suscitare. Ignorabat enim illud divinum verbum Ioannis quinto[9]: « Quia venit hora, ut qui in monumentis sunt audiant vocem Filii Dei, et qui audierint vivent ». Unde iste nuntius non dicebat ex reverentia, sicut centurio, supra septimo: « Domine, noli vexari », sed ex diffidentia, ut diceret illud Iob septimo: « Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur, et consumti sunt absque ulla spe ».

De 2. respectu.

89. (Vers. 50.). Secundo quantum ad *roborationem fidei* per *suasionem divinam* subditur: *Iesus autem, audito hoc verbo,* quod scilicet poterat concutere mentem archisynagogi, quia, secundum illud Proverbiorum vigesimo sexto[10], « verba susurronis quasi simplicia, et ipsa penetrant usque ad interiora ventris ». Ne ergo verbum mortis interius penetraret, opponit verbum vitae; et hoc est verbum solidans fidem, quia, ad Hebraeos decimo, « iustus meus ex fide vivit; quodsi subtraxerit se, non placebit animae meae ». — Ideo additur: *Dixit*[11] *patri puellae: Noli timere,* scilicet ex diffidentia; Iacobi primo: « Postulet autem in fide, nihil haesitans. Qui enim haesitat similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur ». Sic de Abraham dicitur ad Romanos quarto, quod « in promissione non haesitavit diffidentia, sed confortatus fide est, plenissime sciens, quoniam quae promisit Deus potens est

---

[1] Vers. 38. — Subinde allegatur Ioan. 20, 27.

[2] Vers. 7. — Duo seqq. loci sunt Apoc. 16, 15. et Rom. 13, 12, in cuius fine A C D *arma salutis.* — Superius pro *consistit* D *conficiatur* (C *conficiat*), H *conficitur.*

[3] Psalm. 21, 17. — Sequitur I. Petr. 4, 1. seq.

[4] Cfr. supra n. 72.

[5] Vers. 51, ubi pro *pervenisset* (ita etiam B. Albert. et S. Thom., Cat. aurea in Luc. c. 8. n. 8.) Vulgata et Vat. *venisset;* idem recurrit infra n. 90; tertium habetur v. 54. et quartum v. 55. — Inferius pro *per modum terminantis* Vat. *per modum utilitatis;* cfr. infra n. 96.

[6] Vers. 13.

[7] Vers. 23.

[8] Vulgata, Vat. et H: *Noli vexare illum* [H addit *scilicet Magistrum*]; versio ex Arab. (Biblia maxima etc. Ioan. de la Haye): *Ne vexes Magistrum.* Etiam Lyranus affert in margine hanc lectionem: *Noli vexare Magistrum;* cfr. Marc. 5, 35. — Subinde pro *ducere* H *ducendo*, et pro *cum labore* A D *eum labores.*

[9] Vers. 28. et 25, ubi habentur verba: *et qui audierint, vivent.* — Duo seqq. loci sunt Luc. 7, 6. et Iob 7, 6.

[10] Vers. 22, in cuius fine Vulgata *perveniunt ad intima ventris.* — Sequitur Hebr. 10, 38. Pro *ex fide vivit* C D G *ex fide sua vivet* [C *vivit*]; cfr. Habac. 2, 4: Iustus autem in fide sua vivet.

[11] Vulgata, quam sequuntur H et Vat., *Respondit.* — Subinde allegantur Iac. 1, 6. et Rom. 4, 20. seq.

et facere ». — Et ideo subditur: *Sed*[1] *crede tantum*, per confidentiam; Ioannis undecimo: « Si credideris, videbis gloriam Dei ». Et ideo addit: *Et salva erit*, per divinam potentiam. Et ad hoc debebat moveri per illud quod statim ante hoc[2] dixerat mulieri cu-

Notandum.

ratae: « Fides tua te salvam fecit ». Unde in hoc apparet mirabilis dispensatio Dei, qui in miraculis suis nostram fidem requirit ad nostrum meritum. Unde Matthaei nono dixit caecis petentibus illuminari: « Creditis, quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis ». Et

Notandum.

quoniam difficile erat credere, mortuum suscitari; ideo Dominus in ipso itinere miraculum fecit, per quod adiuvit fidem archisynagogi; ut sic pateat, illud esse verum quod primae ad Corinthios decimo[3] dicitur: « Fidelis Deus, qui non patietur, vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere ».

Secundum describitur dupliciter.

90. (Vers. 51.). *Et cum pervenisset*[4] etc. Hic secundo post soliditatem fidei disponentis subiungit Evangelista *idoneitatem testimonii approbantis*. Ad probationem autem suscitationis requiritur testimonium de *vita reddita* et de *vita perdita;* ideo inducuntur testes respectu utriusque.

De primo.

Primo igitur quantum ad personas idoneas ad testificandum de *suscitatione miraculosa* dicitur: *Et cum pervenisset ad domum*, ubi scilicet debebat puella suscitari, quae erat domus luctus, ad quam utile est ire, secundum illud Ecclesiastae septimo[5]: « Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii »; quia « in illa finis cunctorum » etc. — Et quia non omnibus aperienda sunt sacramenta Dei; Ioannis decimo quinto: « Servus nescit, quid faciat dominus eius »; ideo subditur: *Non permisit intrare secum quemquam*, secundum illud Ecclesiastici sexto[6]: « Multi pacifici sint tibi, consiliarius sit tibi unus de mille ». — Quia vero discipuli erant eius amici, secundum quod dicit Ioannis decimo quinto: « Vos autem dixi amicos » etc.; ideo non omnes excludit, sed excipit ab exclusis, cum subdit: *Nisi Petrum, Iacobum*[7] *et Ioannem*, qui erant discipuli principales; et inde isti assumti sunt in transfiguratione; infra nono et Matthaei decimo septimo: « Assumsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem, fratrem eius » etc. — Et quia « testimonium oportet habere » non tantum a domesticis, sed etiam « ab his qui foris sunt », secundum illud primae ad Timotheum tertio; ideo discipulis adiungit duas personas, cum dicit: *Et patrem et matrem puellae*, ut sic[8] « in ore duorum et trium testium stet » fixum veritatis testimonium. — Unde apparet, quod *secundum litteram* est idoneitas testimonii quantum ad *personas* et quantum ad *numerum*, quia nihil habet superfluum, nihil habet diminutum.

Expositio spiritualis. De tribus Apostolis.

91. Secundum *spiritualem* intelligentiam hoc non vacat a mysterio. Nam *Petrus*, qui interpretatur agnoscens, designat *fidem; Iacobus*, qui luctator, designat *spem; Ioannes*, in quo gratia, *caritatem*[9]. Et hae tres virtutes sunt Domino familiarissimae et concurrunt ad suscitationem *peccatoris* a morte, quae designatur in suscitatione puellae. Nam *fides* concurrit; Ioannis undecimo[10]: « Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet ». Similiter *spes;* Psalmus: « Ecce, oculi Domini super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia eius, ut eruat a morte ». Similiter *caritas;* primae Ioannis quarto: « In hoc apparuit caritas Dei, quia misit Filium suum unigenitum, ut vivamus per eum ». — *Pater*

De duobus parentibus.

autem et *mater* sunt Legis doctores: *pater*, qui instruit in *fide*, secundum illud primae ad Corinthios quarto[11]: « In Christo Iesu per Evangelium ego vos genui »; *mater*, quae fovet in *moribus*, secundum illud ad Galatas quarto: « « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus ». Et de his Proverbiorum sexto: « Conserva, fili, praecepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuae ». — Haec autem sunt cum Christo suscitante peccatorem.

De secundo

92. (Vers. 52.). Secundo quantum ad personas idoneas testificantes *de morte naturali* subditur: *Flebant autem omnes et plangebant illam*, tanquam mortuam, secundum consilium Ecclesiastici trigesimo octavo[12]: « Fili, in mortuum produc lacrymas et quasi dira passus incipe plorare ». *Flebant* autem lacrymis et *plangebant* vocibus lamentatoriis, sicut erat consuetudinis Iudaeorum; Ieremiae nono[13]: « Vocate

---

[1] Vulgata et Vat. omittunt *Sed*, quod tamen exhibetur etiam a S. Thoma (Cat. aurea in Luc. c. 8. n. 8.) et a Gorrano. — Sequitur Ioan. 11, 40. Codd. A C D: *Si credideritis, videbitis gloriam Dei.*

[2] Vers. 48. — Subinde allegatur Matth. 9, 28. seq., ubi post *vobis* A C D H prosequuntur: *At illi dixerunt: Sic. At ille dixit* [H *Et ait illis*]: *Secundum fidem* etc.

[3] Vers. 13. — Glossa *ordinaria* (ex Ambrosio, VI. in Luc. n. 60.) in Luc. 8, 44: Suscitaturus mortuam, rediit ad fidem faciendam, prius curat haemorrhoidam etc.

[4] Cfr. supra pag. 213, nota 5.

[5] Vers. 3. — Sequitur Ioan. 15, 15. — Superius pro *ad testificandum* A D *testimonii*, G H (C a secunda manu) *testificari*, et pro *miraculosa* C D *mirabili.*

[6] Vers. 6, post quem Ioan. 15, 15.

[7] Etiam Beda omittit *et*, quod Vulgata, quam Vat. cum H sequitur, praemittit: *et Iacobum.* — Subinde allegantur Luc. 9, 28; Matth. 17, 1. et I. Tim. 3, 7. Cfr. Chrysost., Homil. 31. (alias 32.) in Matth. n. 1. seq. et Theophyl. in Marc. 5, 37.

[8] Ut insinuatur Matth. 18, 16. et II. Cor. 13, 1, sumtum ex Deut. 19, 15.

[9] De interpretatione horum nominum cfr. supra pag. 143, nota 4. 7. et 9. (cfr. etiam pag. 36, nota 6.).

[10] Vers. 25. — Duo seqq. loci sunt Ps. 32, 18. seq. et I. Ioan. 4, 9.

[11] Vers. 15. — Sequuntur Gal. 4, 19. et Prov. 6, 20. Glossa *ordinaria* (cfr. Hilar., in Matth. c. 9. n. 5. et 8; Ambros., VI. in Luc. c. 8. n. 54.) in Luc. 8, 51: Pater puellae coetus doctorum Legis, scilicet scribae et Pharisaei, qui si credere voluerint, etiam subiecta synagoga salva erit.

[12] Vers. 16. — Superius pro *testificantes* C G H *testificari;* cfr. supra nota 5.

[13] Vers. 17. seq., ubi pro *super vos* Vulgata et Vat. *super nos*, et pro *lamentum* C D H *lamentationem.*

lamentatrices, et assumant super vos lamentum ». Vel *flebant* propter vitae amissionem et *plangebant* propter desperationem. — Et ideo, quia excedebant, confortantur a Salvatore, cum dicitur: *At ille dixit: Nolite flere,* secundum illud primae ad Thessalonicenses quarto[1]: « Non contristemini sicut et ceteri, qui spem non habent ». — Et ideo additur: *Non est mortua puella, sed dormit;* in quo non removet mortis veritatem, sed dat resurgendi securitatem, quia poterat eam ita faciliter a mortuis suscitare, sicut suscitatur de somnis dormiens a vigilante[2]. Et propterea sic dicebat Ioannis undecimo: « Lazarus, amicus noster, dormit »; et post: « Lazarus mortuus est ». Unde Beda[3]: « Mortua est hominibus, qui suscitare non possunt, non Deo, cui anima vivit, et caro suscitanda quiescit ». Propter quod merito cantat Ecclesia: « Regem, cui omnia vivunt, venite, adoremus », in Officio defunctorum; infra vigesimo: « Non est Deus mortuorum, sed vivorum; omnes enim vivunt ei ». Quoniam ergo nihil Domino moritur, et praesens aderat Deus; ideo merito dicebat: *Non est mortua puella.*

93. (Vers. 53.). Sed quia « homo animalis non percipit ea quae Dei sunt », primae ad Corinthios secundo[4]; ideo additur: *Et deridebant eum, scientes, quod mortua esset.* Qui enim certus est de aliquo non solum non credit, sed etiam deridet persuadentem contrarium. Notandum. Et quoniam divina sapientia frequenter persuadet contrarium humanae scientiae, hinc est, quod homo per humanam scientiam irridet Deum, et sic efficitur stultus; Ieremiae decimo[5]: « Stultus factus est omnis homo a scientia sua ». Stulta est enim scientia, quae deridet sapientiam; primae ad Corinthios primo: « Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi ». Et quia, secundum quod dicitur Proverbiorum decimo octavo[6], « non recipit stultus verba prudentiae, nisi ea dixeris, quae versantur in corde eius »; ideo isti non recipiebant, sed deridebant; Proverbiorum decimo quinto: « Stultus irridet disciplinam patris sui »; Notandum. et ideo non erant idonei testes ad *vitae restitutionem,* sed solum ad *vitae perditionem.* Ideo fuerunt eiecti, secundum quod dicitur Matthaei nono[7]: « Cum eiecta esset turba, intravit et tenuit manum puellae » etc.

94. (Vers. 54.). *Ipse autem tenens manum* etc. Tertium describitur dupliciter. Hic iam tertio post soliditatem fidei et idoneitatem testimonii subiungitur *sublimitas imperii suscitantis* quantum ad *potentiam praecipientem* et quantum ad *efficaciam subsequentem.*

Primo igitur quantum ad *potentiam praecipientem* dicitur: De primo. *Ipse tenens manum eius,* ex *virtutis adiutorio,* secundum illud Psalmi[8]: « Dextera Domini fecit virtutem » etc. Et rursus poterat puella dicere: « Tenuisti manum dexteram meam ». — Et quoniam « non est abbreviata manus Domini, ut salvare non possit », sicut dicitur Isaiae quinquagesimo nono; ideo additur: *Clamavit dicens: Puella, surge,* ex *imperio maiestatis,* sicut dicitur Ioannis undecimo[9]: « Voce magna clamavit: Lazare, veni foras ». Clamor autem iste in voce exteriori designat immensitatem in virtute interiori, iuxta quod in Psalmo dicitur: « Dabit voci suae vocem virtutis », scilicet miraculi, secundum illud primae ad Thessalonicenses quarto: « Ipse Dominus in iussu et in voce Archangeli et in tuba Dei descendet de caelo, et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi ».

95. (Vers. 55.). Secundo quantum ad *efficaciam subsequentem* subditur: De secundo. *Et reversus est spiritus eius,* per *intimam coniunctionem,* iuxta quod dicitur tertii Regum decimo septimo[10]: « Reversa est anima pueri intra ipsum, et revixit »; *et surrexit continuo,* per *vitalem operationem.* Surgere enim est operatio viventis, sicut cadere morientis.

96. Et nota, quod puella ista in resuscitatione Quoad tres resuscitatos triplex differentia. sua dicitur *surrexisse,* et adolescens *resedisse,* supra septimo[11], Lazarus vero *ligatus manus et pedes prodiisse,* Ioannis undecimo; quia, sicut supra tactum fuit, per *puellam* mortuam *in domo* peccatum intelligitur *cogitationis;* per *adolescentem in porta,* peccatum *operationis;* per *Lazarum in sepulcro,* peccatum *consuetudinis.* Et quoniam, secundum quod peccata sunt graviora, maiores relinquunt sequelas; ideo qui solum *cogitatione* peccavit vivificatus *continuo surgit,* quia parva remanet difficultas; qui vero in *opere, sedet,* quia adhuc pronitas remanet; qui autem in *consuetudine, ligatus est,* quia valde habet pronitatem ligantem in malo et praepedientem

[1] Vers. 13. — Superius A D omittunt *quia excedebant,* H vero addit *in hoc, quod non credebant vel sperabant ipsam resurrecturam.*

[2] Secundum August.; cfr. supra pag. 171, nota 8. — Subinde allegantur Ioan. 11, 11. et 14. — Superius pro *sed dat resurgendi securitatem* (ita A D) E *sed eorum incredulitatem,* B *sed irrevocabilitatem,* Vat. cum H *sed irremediabilitatem.*

[3] Libr. III. in Luc. 8, 52. Sententia allegatur verbis Glossae *ordinariae.* — Sequuntur Invitatorium officii defunctorum (ex Breviario Romano) et Luc. 20, 38.

[4] Vers. 14. — Glossa *interlinearis* (ex Ambros., VI. in Luc. n. 62.): *Et deridebant eum,* qui non credit deridet.

[5] Vers. 14, post quem I. Cor. 1, 20.

[6] Vers. 2, in cuius fine pro *eius* A D H *suo.* — Sequitur Prov. 15, 5. — Inferius post *isti non recipiebant* B addit *verba prudentiae.*

[7] Vers. 25. Codd. D G legunt: *Cum eiecisset turbam, tenuit manum* etc. — Glossa *ordinaria* (ex Beda; cfr. Hieron., I. Comment. in Matth. 9, 25.) in Luc. 8, 53: Merito exclusi sunt qui deridere quam credere malebant, indigni videre resurrectionis miraculum.

[8] Psalm. 117, 16, cui subiunguntur Ps. 72, 24. et Isai. 59, 1.

[9] Vers. 43. — Duo seqq. loci sunt Ps. 67, 34. et I. Thess. 4, 16.

[10] Vers. 22. — Inferius pro *operatio viventis* Vat. *operatio virtutis.*

[11] Vers. 15, post quem Ioan. 11, 44. — De his tribus resuscitatis cfr. supra c. 7. n. 32.

a bono, postquam etiam redditus fuerit vitae. Et secundum hoc gravior debet imponi poenitentia diversis [1].

97. *Et iussit illi dari manducare.* Hic quarto et ultimo tangitur *claritas miraculi* ut *manifestandi* ad fidei utilitatem et *occultandi* contra gloriae vanitatem. Unde primo praemittitur *manifestatio utilis;* secundo vero, *occultatio humilis,* quia, sicut dicit Gregorius [2], « sic debet esse opus in manifesto, ut tamen intentio maneat in occulto ».

Quartum describitur dupliciter.

Primo ergo quantum ad *utilem miraculi manifestationem* dicitur: *Et iussit illi dari manducare,* ut non phantastica, sed vera suscitatio probaretur, sicut ipse probavit suam resurrectionem; infra ultimo [3]: « Habetis hic aliquid, quod manducetur »? et suscitationem Lazari, Ioannis duodecimo, ubi dicitur, quod « Lazarus unus erat ex discumbentibus ». Ideo autem signum dat sensibus verae suscitationis, ut mentes elevet in excessum admirationis.

De primo.

98. (Vers. 56.). Unde et additur: *Et stupuerunt parentes eius,* quasi magnitudinem divinae potentiae ferre non valentes; Isaiae vigesimo nono [4]: « Ecce, ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi et stupendo ». Stupor autem iste fidem credentium elevavit in excessum, secundum illud Actuum decimo: « Obstupuerunt ex circumcisione fideles » etc.

Stupor parentum.

99. Secundo vero quantum ad *humilem occultationem* subditur: *Quibus praecepit, ne cui [5] dicerent quod factum erat;* volens humiliter latere et exemplum humilitatis dare, sicut praecepit discipulis Matthaei decimo septimo: « Praecepit illis: Nemini dixeritis visionem » etc.; in quo ostendit, nos debere velle latere in magnis factis. Unde Augustinus [6]: « Occulta quod agis, in quantum potes; quod si ex toto non vales, sit in animo voluntas occultandi ». — Et nota, quod est praeceptum *exsecutionis,* sicut decalogus; *probationis,* sicut de immolando filio Abrahae, Genesis vigesimo secundo [7]; et *instructionis,* sicut hic. In primo invitatur *intellectus* ad cognoscendum, *affectus* ad volendum, *effectus* ad exsequendum. In secundo invitatur *affectus,* sed non *effectus.* In tertio tantum *intellectus* eruditur, non ligatur *affectus,* nec prohibetur *effectus.* Et sic intelligitur illud praeceptum.

De secundo.

Praeceptum triplex.

## Capitulum IX.

**Quarto determinatur instructorum discipulorum delegatio, primo quoad Apostolos, deinde quoad septuaginta.**

1. *Convocatis autem Iesus [8] duodecim* etc. Completis tribus partibus principalibus huius partis, quae est de doctrina Iesu Christi, in quibus discipuli ipsi excitati fuerunt ad credendum, invitati ad imitandum et instructi ad intelligendum; hic sequitur quarta pars, in qua *intelligentes mittuntur ad praedicandum.* Ordo autem istarum partium satis est in se manifestus. Quoniam autem quidam praedicatorum sunt in gradu superiori, quidam vero in inferiori; ideo pars ista habet duas. In quarum prima agitur de *missione Apostolorum;* in secunda vero, de *missione septuaginta discipulorum,* in decimo capitulo ibi [9]: *Designavit autem* etc.

Divisio.

**Primo agitur de missione Apostolorum quoad tria.**

Prima pars continet praesens capitulum et habet tres partes, secundum tria quae explicat Evangelista necessaria Apostolis et praelatis ad praedicandum missis. Quorum primum est *forma praedicandi;* secundum est *via proficiendi,* quam explicat ibi [10]: *Et factum est, cum solus esset orans;* tertium est *norma praesidendi,* quae describitur ibi: *Intravit autem in eos cogitatio, quis eorum* etc.

Subdivisio.

**Forma praedicandi dupliciter explicatur.**

*Formam* autem *praedicandi* dupliciter explicat; primo sub *divino praecepto;* secundo vero, sub *divino exemplo,* ibi [11]: *Et reversi Apostoli nuntiaverunt.*

Alia subdivisio.

---

[1] Cfr. de his Beda, III. in Luc. 8, 55. et II. in Marc. 5, 43. — Superius pro *pronitatem* Vat. *promptitudinem,* et pro *praepedientem* secunda manus in D substituit *impedientem.*

[2] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 11. n. 1.

[3] Vers. 41, post quem Ioan. 12, 2. — Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Et iussit illi dari manducare,* ad testimonium vitae, ut non phantasma, sed veritas crederetur. Cfr. Chrysost., Homil. 31. (alias 32.) in Matth. n. 3: Neque modo suscitat, sed cibum ipsi dare iubet, ne videretur res esse phantasma. Neque ipse dat, sed alios dare iubet, quemadmodum et de Lazaro ait [Ioan. 11, 44.]: *Solvite illum et sinite abire,* et postea mensae consortem efficit. Etenim semper utrumque comprobare solet et mortem et resurrectionem accuratissime assertam. — Inferius pro *sensibus* G *sensibile,* et pro *in excessum,* quod habent C D G H, Vat. *in excelsum.* Cfr. tom. V. p. 40. col. I. in corp. et passim in aliis locis.

[4] Vers. 14. — Sequitur Act. 10, 45. (A C D G *in circumcisione.* — Pro in *excessum* codd. et Vat. *in excelso.*

[5] Vulgata et Vat. cum nonnullis codd. *alicui.* — Subinde allegatur Matth. 17, 9.

[6] Libr. de Conflictu vitiorum et virtutum (inter opera August.), c. 3: Occulta quod agis, in quantum vales; quod si etc.

[7] Vers. 2. Cfr. I. Sent. d. 47. dub. 5.

[8] Ita A B C D, Vulgata omittit *Iesus,* quod habent etiam Beda, Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. c. 9. n. 1.) et Lyranus. — De partibus principalibus divisionis cfr. supra c. 4. n. 1. — Inferius pro *credendum* et *imitandum* Vat. *audiendum* et *communicandum.*

[9] Vers. 1: *Post haec autem designavit Dominus* etc.

[10] Vers. 18; tertium habetur v. 46.

[11] Vers. 10, ubi pro *nuntiaverunt* (ita etiam B. Albert. et Lyranus in margine) Vulgata et Vat. *narraverunt.*

Primo, de informatione per praeceptum ponuntur tria.

Quantum autem ad *informationem praedicatorum per divinum praeceptum* tria introducuntur ab Evangelista, scilicet *auctoritas commissa, honestas iniuncta* et *utilitas adiuncta;* ita quod primo praemittit *auctoritatem* tanquam praecedentem. Secundo adiungit *honestatem* quasi concomitantem, ibi[1]: *Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via.* Tertio subiungit *utilitatem* consequentem, ibi: *Egressi autem circuibant* etc. — Sed quoniam verba, quantumcumque authentici praedicatoris fuerint[2], sunt inefficacia, nisi habeant divina testimonia; et talia sunt divina miracula: ideo in prima parte primo explicatur *collatio potestatis ad miracula facienda,* deinde *commissio auctoritatis ad mysteria praedicanda.* Prima enim viam facit ad secundam.

Subdivisio.

Auctoritas commissa primo explicator per collationem potestatis faciendi miracula.

2. (Vers. 1.). Quantum igitur ad *collationem potestatis ad miracula facienda* dicit: *Convocatis autem Iesus*[3] *duodecim Apostolis,* tanquam scilicet principalibus praelatis, electis ex omnibus aliis, secundum quod dicitur supra sexto: « Vocavit Iesus discipulos suos et ex his elegit duodecim, quos et *Apostolos* nominavit ». Istis ergo *convocatis,* id est in unum vocatis ad unitatem commendandam, in qua datur Spiritus sanctus, secundum quod dicitur Actuum secundo[4]: « Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco » etc. Unde Numerorum undecimo: « Dominus dixit ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros ad ostium tabernaculi testimonii, et auferam de spiritu tuo et tradam eis ». — Sic nunc; unde et subditur: *Dedit illis virtutem et potestatem,* ita quod *virtus* sit respectu spiritualium, *potestas* respectu corporalium. Propter quod ad explicationem huius adiungit: *Super omnia daemonia,* ut hoc referatur ad *virtutem; et ut languores curarent,* ut hoc referatur ad *potestatem;* et per hoc haberent duplex genus testimonii secundum duplex creaturae genus, scilicet spiritualis et corporalis. Et hoc est quod expresse dicitur Marci tertio[5]: « Dedit potestatem curandi infirmitates et eiiciendi daemonia »; ita ut vere impleatur illud Psalmi: « Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa ».

Item secundo, per commissionem praedicandi mysteria.

3. (Vers. 2.). Quantum autem ad *commissionem auctoritatis ad mysteria praedicanda* subdit: *Et misit illos praedicare regnum Dei.* In *missione* namque *auctoritas* designatur, sine qua nullus debet praedicare; unde ad Romanos decimo[6]: « Quomodo praedicabunt, nisi mittantur »? Unde et Isaias non audebat praedicare, nisi mitteretur; Isaiae sexto: « Ecce ego, Domine, mitte me ». Econtra de pseudoprophetis Ieremiae vigesimo tertio: « Non mittebam eos, et ipsi currebant ». At non tales erant Apostoli, qui ideo sic nominati sunt, ut eorum commendaretur auctoritas. Apostolus enim *missus* interpretatur; missi autem fuerunt ad praedicandum, secundum illud primae ad Corinthios primo[7]: « Non misit me Dominus baptizare, sed evangelizare ». — Fuerunt ad praedicandum missi, non rem parvam, sed magnam, scilicet *regnum Dei,* per quod potest intelligi *doctrina veritatis,* iuxta illud Matthaei vigesimo primo[8]: « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius ». Potest etiam dici *gratia Spiritus sancti,* secundum illud ad Romanos decimo quarto: « Regnum Dei non est esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu sancto »; infra decimo septimo: « Regnum Dei intra vos est ». Potest etiam dici *gloria aeterna,* iuxta illud Ioannis tertio[9]: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei ». Omnibus his modis Apostoli sunt missi praedicare regnum Dei, scilicet veram doctrinam, divinam gratiam et aeternam gloriam. — Et quia propter auctoritatem praedicationis concesserat potestatem curationis, ideo subdit: *Et sanare infirmos,* scilicet misit ad confirmationem veritatis praedicatae, secundum illud Marci ultimo[10]: « Illi profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis ». Unde signum missionis spiritualis praedicationis ad praedicandum est sanatio audientium a morbis vitiorum.

Regnum Dei tria significat.

4. Tria autem sunt evidentia signa, quod praedicator a Domino mittatur[11] ad Evangelium praedicandum. Primum est *auctoritas* mittentis, cuiusmodi est pontificis, et maxime pontificis eius[12] qui est loco Petri, immo loco Iesu Christi; unde qui ab eo mittitur a Christo mittitur. Secundum est *zelus animarum* in persona, quae mittitur, quando scilicet principaliter quaerit Dei honorem et animarum salutem. Tertio[13], cum sequitur *fructificatio et conversio* auditorum. — Per primum sunt nuntii Patris,

Signa missionis sunt tria.

---

[1] Vers. 3; tertium est v. 6. — Pro *adiungit honestatem* Vat. *iniungit honestatem.*

[2] Cod. E *quantumcumque authentica persona praedicatoris fuerit.* Inferius pro *Prima* Vat. *Primum,* et pro *facit ad secundam* [Vat. *secundum*] codd. *faciunt ad secundam* (H *secunda*).

[3] Ex codd. addidimus *Iesus;* cfr. supra pag. 216, nota 8. — Subinde allegatur Luc. 6, 13.

[4] Vers. 1, post quem Num. 11, 16. seq.

[5] Vers. 15; codd. et Vat. allegant *Matth. 10,* ubi v. 1. et 10. eadem sententia, sed non verba occurrunt. — Sequitur Ps. 67, 12, ubi vocibus *virtute multa* A C D praefigunt *in.* — Superius pro *duplex creaturae genus* A *duplex curationis genus.*

[6] Vers. 15, cui subiunguntur Isai. 6, 8. et Ier. 23, 21.

[7] Vers. 17. — Beda, II. in Luc. 6, 13: Apostoli Graece, Latine missi dicuntur. Cuius sacramentum nomine exponens evangelista Marcus [3, 14.] ait: *Et fecit, ut essent duodecim cum illo, et ut mitteret eos praedicare Evangelium* etc.

[8] Vers. 43. — Duo seqq. loci sunt Rom. 14, 17. et Luc. 17, 21.

[9] Vers. 5. Post *intrare* (Vulgata *introire*) C D H omittunt *in.*

[10] Vers. 20. — Superius Vat. *veritatis praedicare* pro *veritatis praedicatae.*

[11] Vat. *Tria autem sunt signa evidentia, quibus probatur, utrum praedicator a Domino sit missus.*

[12] Codd. C D *et maximi pontificis, eius scilicet.* C H omittunt *cuiusmodi est pontificis.*

[13] Cod. H *Tertium est,* ita etiam Vat., quae tamen omittit *cum sequitur.*

per secundum Filii, per tertium Spiritus sancti. De talibus dicitur: « Posui vos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat », Ioannis decimo quinto [1]. Et qui sic mittitur potest dicere illud Isaiae sexagesimo primo: « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me » etc.

Honestas iniuncta consistit in tribus.

5. (Vers. 3.). *Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via.* Post explicationem auctoritatis commissae subditur *descriptio honestatis iniunctae.* Haec autem consistit in tribus, scilicet in *paupertate victus, tenuitate vestitus* et *humilitate convictus.*

De paupertate in victu.

Primo ergo quantum ad *paupertatem in victu* dicitur: *Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via,* occasione scilicet temporalis sustentationis, ut exemplo praedicetis illud primae ad Timotheum sexto [2]: « Nihil intulimus in hunc mundum, nec dubium, quia nec auferre quid possumus ». Et ut magis innotescat, descendit ad speciale, cum subdit: *Neque virgam,* scilicet ad sustentandum, *neque peram,* ad reponendum, *neque panem,* ad manducandum, *neque pecuniam,* ad emendum. In quo est prohibitio omnis sustentamenti, ut ostendatur, quod praedicator ex magnitudine spei soli Deo debet inniti, secundum illud primae Petri quinto [3]: « Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quia ipsi cura est de vobis ». Unde etiam beatus Franciscus, quando mittebat fratres ad praedicandum, dicebat eis illud Psalmi [4]: « Iacta cogitatum tuum in Domino » etc. In hoc autem non prohibet, ut dicit Augustinus, studiosam providentiam, sed curiosam sollicitudinem, secundum illud Matthaei sexto [5]: « Nolite solliciti esse in crastinum; sufficit enim diei malitia sua ».

Beatus Franciscus.

Concordia Evangelistarum monstratur.

6. Et ideo ad huius praecepti rectam intelligentiam, quod unus Evangelista negat, scilicet Lucas, alius Evangelista affirmat, scilicet Marcus, sexto [6], ubi dicitur: « Et praecepit eis Iesus, ne quid tollerent in via nisi virgam tantum ». Super quo dicit Augustinus de Concordia Evangelistarum: « Utrumque praeceptum est a Domino, ut nihil nisi virgam ferrent, et ut nec virgam ferrent. *Virgam non ferre* est sollicitum non esse; *nihil ferre nisi virgam* est uti concessa praedicatoribus accipiendi potestate ». Unde Lucae decimo [7]: « Manducantes et bibentes quae apud illos sunt ». — *Litteralis* autem observantia istius praecepti est perfectorum praedicatorum, perfecte Christum imitantium; in quorum persona Petrus Matthaei decimo nono [8]: « Ecce, nos reliquimus omnia et secuti sumus te ». Sed *spiritualis* observantia ad omnes se extendit, ut praedicator veritatis sit contemptor terreneitatis; alioquin, si annuntiant verbum Dei cupiditate lucri, non sunt discipuli Christi, sed Balaam harioli; secundum illud secundae Petri secundo [9]: « Cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii, derelinquentes viam rectam », id est paupertatis; de qua hi « erraverunt, secuti viam Balaam, qui mercedem iniquitatis amavit ». — Unde praedicator veritatis super omnia vitare debet vitium cupiditatis; alioquin non erit praedicator, sed adulator. Propter quod primae ad Thessalonicenses secundo [10]: « Neque aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiae, Deus testis est ». Sciebat enim, quod ex hoc iram Dei provocaret, sicut dicitur Michaeae tertio: « Principes eius in muneribus iudicabant, et sacerdotes eius in mercede docebant, et prophetae eius in pecunia divinabant » etc. « Ob hanc causam Sion quasi ager arabitur » etc.

Spiritualis sensus.

Litteralis observantia.

Item, spiritualis.

Notandum.

De tenuitate in vestitu.

7. Secundo quantum ad *tenuitatem in vestitu* subditur: *Neque duas tunicas habeatis,* ut sic concordet doctrina Magistri doctrinae Praecursoris, secundum illud Lucae tertio [11]: « Qui habet duas tunicas det unam non habenti »; et secundum illud Apostoli primae ad Timotheum sexto: « Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus ». In hoc autem, quod non prohibet simplex vestimentum, sed duplex, concedit necessitatem et vetat curiositatem in mutatione et superfluitatem in possessione. Unde Beda [12]: « *Simplex* vestimentum est quidquid

Notandum.

---

[1] Vers. 16, post quem Isai. 61, 1. — Superius post *Spiritus sancti* Vat. prosequitur: De primo [Ps. 44, 17.]: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii* etc. Lucas [10, 16.]: *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit, qui autem me spernit spernit eum qui misit me.* Unde dicebat Petrus Ananiae [Act. 5, 4.]: *Non es mentitus hominibus, sed Deo* etc. De secundo [II. Cor. 4, 5.]: *Non enim nosmetipsos praedicamus* etc. Et item [II. Cor. 12, 14.]: *Non enim quaero quae vestra sunt, sed vos.* De tertio: *Posui vos, ut eatis* etc. — Inferius pro *Et qui sic mittitur* B *Sic missus.*

[2] Vers. 7, ubi post *mundum* Vulgata prosequitur *haud dubium, quod nec auferre* etc.

[3] Vers. 7. — Superius pro *sustentamenti* Vat. *praesidii temporalis.*

[4] Psalm. 54, 23: *Iacta super Dominum curam tuam* etc. Thomas de Celano, Vita prima S. Francisci Assis., c. 12. ait: Ipse [Franciscus] vero, amplexans eos [suscipientes obedientiae mandatum], dulciter et devote dicebat singulis: *Iacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet.* Hoc verbum dicebat, quoties ad obedientiam fratres aliquos transmittebat. Cfr. S. Bonav., Legenda S. Franc. c. 3.

[5] Vers. 34. — De sententia August., quae habetur II. de Consensu Evangelist. c. 30. n. 73. seqq., vide paulo inferius. Cfr. Qq. disput. de Perfectione evang. q. 2. a. 2. fundam. 3.

[6] Vers. 8. Codd.: *Nihil tuleritis nisi virgam.* — Sententia August. (II. de Consensu Evangelist. c. 30. n. 73. seqq.) exhibetur verbis Glossae *ordinariae* in Luc. 9, 3.

[7] Vers. 7. Codd. perperam allegant *Matth. 10.*

[8] Vers. 27. — Superius vocibus *perfectorum praedicatorum* Vat. praefigit *exemplum.*

[9] Vers. 14. et 15. Codd. legunt *Cor exercitatum avaritiis* [Vat. *in avaritia*] etc. De Balaam cfr. Num. 22, 5. seqq.

[10] Vers. 5. — Subinde allegantur Mich. 3, 11. et 12. Codd. A C D *Princeps eius in muneribus iudicabat,* omisso (cum G H) *et sacerdotes eius in mercede docebant.* Vers. 12. secundum Vulgatam: *Propter hoc, causa vestri, Sion* etc. — Superius post *non erit praedicator* Vat. addit *veritatis.*

[11] Vers. 11, post quem I. Tim. 6, 8.

[12] Haec verba affert Glossa *ordinaria* in Luc. 9, 3; Beda (II. in Luc. 9, 3.) Hieronymum (I. Comment. in Matth. 10, 10.) sequens ait: In duabus tunicis videtur mihi duplex ostendere vestimentum; non quod in locis Scythiae glaciali nive

necessarium est alicui secundum qualitatem loci vel temporis; *duplex,* quod est ultra necessitatem »; et hoc manifestum est in ipso Domino, qui praeter tunicam inconsutilem habuit alia vestimenta, quae fuerunt divisa, ut dicitur Ioannis decimo nono. — Secundum *spiritualem* autem intelligentiam prohibetur duplicitas simulationis et hypocrisis, ne aliam vestem habeant in occulto et aliam in aperto, ne sint de illis, de quibus dicitur Matthaei septimo [1]: « Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces ». Hoc similiter declinans beatus Franciscus, cum infirmaretur, noluit frustum pellis ponere intrinsecus ante pectus, nisi etiam apponeret exterius [2].

Sensus spiritualis.

Beatus Franciscus.

8. (Vers. 4.). Tertio vero quantum ad *humilitatem in convictu* subiungit: *Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete,* contenti scilicet existentes illo hospitio; *et inde ne exeatis,* propter melius requirendum, quia, sicut dicitur Ecclesiastici vigesimo nono [3], « vita nequam hospitandi de domo in domum ». Mutatio namque hospitii attestatur impatientiae, quae pro modica causa movetur et non potest quiescere, secundum illud Ieremiae decimo quarto: « Populus iste dilexit movere pedes et non quievit et Domino non placuit ». — Et hoc maxime vitandum est a praedicatore, quia, secundum illud Proverbiorum decimo nono [4], « doctrina viri per patientiam cognoscitur ». Et ideo Ambrosius: « Alienum est a praedicatore cursitare per domos et immobilis hospitii iura mutare ». Huius autem inconstantiae et impatientiae mater est superbia, quae cum nullo potest in pace cohabitare, secundum illud Proverbiorum decimo tertio [5]: « Inter superbos semper iurgia sunt ».

De humilitate in convictu.

Notandum.

9. (Vers. 5.). Et quoniam verae humilitatis est nullius societatem recusare, nec etiam alii onerosum esse; ideo ad perfectionem humilitatis subditur: *Et quicumque non receperint vos,* despiciendo scilicet vestram doctrinam, sicut illi qui etiam Dominum non receperunt; Ioannis primo [6]: « In propria venit, et sui eum non receperunt ». — Et quia hoc est magnum delictum, cui non est communicandum; ideo subdit: *Exeuntes de civitate illa,* declinando scilicet eorum nequitiam, iuxta illud Numerorum decimo sexto [7]: « Recedite a tabernaculis hominum impiorum et nolite tangere quae eorum sunt, ne involvamini cum eis »; Isaiae quinquagesimo secundo: « Recedite de medio eorum, nolite pollutum tangere »; et Ieremiae quadragesimo octavo: « Relinquite civitates et habitate in petra ». — Et hoc, ne inquinentur sordibus alienis; propter quod addit: *Et* [8] *pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos,* ad ostendendum scilicet vestram innocentiam. Hoc fecerunt Barnabas et Paulus, de quibus Actuum decimo tertio dicitur, quod « excusso pulvere pedum suorum, venerunt Iconium ». *Pulverem* autem *de pedibus excutere* est nihil de vana hominum gloria permittere suis affectibus adhaerere. Vana enim gloria recte per *pulverem* designatur, quae elevatur per ventum, secundum illud Psalmi [9]: « Erit tanquam pulvis, quem proiicit ventus a facie terrae ».

Perfectio humilitatis est, nulli esse onerosum.

Notandum.

10. (Vers. 6.). *Egressi autem circuibant* etc. Post auctoritatem commissam et honestatem iniunctam subiungit hic tertio Evangelista *utilitatem adiunctam.* Quadruplex autem utilitas ostenditur ad praedicationem Apostolorum subsecuta, scilicet excitatio *hominum ad audiendum,* excitatio *audientium ad conferendum,* excitatio *conferentium ad admirandum,* excitatio *admirantium ad conspiciendum.*

Utilitas adiuncta est quadruplex.

Primo ergo quantum ad *excitationem hominum ad audiendum* dicitur: *Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes et curantes ubique,* ita ut iam inciperet impleri illud Psalmi [10]: « In omnem terram exivit sonus eorum ». Licet enim non omnes doctrinam eorum caperent, tamen propter miracula

Prima excitatio.

---

rigentibus una quis tunica debeat esse contentus, sed quod in tunica vestimentum intelligamus, ne alio vestiti, aliud nobis futurorum timore servemus. — Subinde allegatur Ioan. 19, 23. — Superius pro *vetat* codd. *vitat*, et pro *in mutatione* Vat. cum paucis codd. *in imitatione.*

[1] Vers. 15. — Glossa *ordinaria* in praecedente nota allegata: Allegorice in duabus tunicis duplicitatem prohibet.

[2] Thomas de Celano, Vita secunda S. Francisci, c. 70: Cui [Guardiano, qui S. Francisco corium vulpinum procuraverat] beatus Franciscus: Si vis, ut sub tunica patiar istud, fac mihi eiusdem mensurae petiam exterius applicari, quae consuta de foris indicet hominibus pellem intus absconditam.

[3] Vers. 31. — Sequitur Ier. 14, 10. — Inferius vocibus *Mutatio hospitii* B praemittit *Ratio autem huius est, quia.*

[4] Vers. 11. — Sententia Ambrosii habetur VI. in Luc. n. 66. — Superius pro *vitandum est a praedicatore* C D G H *vitandum est in praedicatore.*

[5] Vers. 10. — Cod. B pro hac propositione *Huius autem... iurgia sunt* substituit: *Et sic quatuor mala ex hoc removentur, scilicet inconstantia, impatientia, superbia et hospitalitatis iniuria.*

[6] Vers. 11.

[7] Vers. 26, post quem Isai. 52, 11. et Ier. 48, 28.

[8] Vulgata, quam sequuntur H et Vat., *Etiam,* et *supra illos* pro *super illos.* — Subinde allegatur Act. 13, 51, ubi pro *suorum* Vulgata *in eos.*

[9] Psalm. 1, 4. Cfr. Hieron., I. Comment. in Matth. 10, 14, ubi duas explicationes affert: Pulvis excutitur de pedibus in testimonium laboris sui, quod ingressi sint civitatem, et praedicatio apostolica ad illos usque pervenerit. Sive excutitur pulvis, ut nihil ab eis recipiant, ne ad victum quidem necessarium, qui Evangelium spreverint (ita etiam August., Qq. 17. in Evang. Matth. q. 7, et Beda, III. in Luc. 9, 5.). Hilar., in Matth. 10. n. 10: « In eos autem, qui, audita caelestis regni praedicatione, Apostolorum praecepta respuerint, egressu eorum et signo pulveris de pedibus excussi aeterna maledictio relinquatur ». Ambros. VI. in Luc. 9. n. 68: Excutiendus pedum pulvis, ne fatiscentibus perfidiae sterilis siccitatibus tanquam humi arido arenosoque mentis tuae vestigium polluatur etc. Cfr. Glossa *ordinaria* apud Lyranum in Luc. 9, 5.

[10] Psalm. 18, 5. — Sequitur Act. 8, 6.

volebant doctrinam audire; unde Actuum octavo dicitur: « Intendebant turbae his quae a Philippo dicebantur, unanimiter audientes et videntes signa, quae faciebat ». Et ideo isti non solum praedicabant, sed etiam ubique curabant, ut omnes studio eorum et verbo et signo excitarentur ad audiendum; in quo non solum explicatur auditorum utilitas, sed etiam praedicatorum fidelitas. Quia enim *circuibant,* immunes erant ab otiositate; quia *per castella,* immunes ab elatione: quia *evangelizantes,* immunes a nugacitate; quia *curantes ubique,* a personarum acceptione. Et ideo finem habebant in se, qui est sufficienter dicere ad persuasionem et auditores excitare [1]. Et hic est primus finis et generalis.

Secunda excitatio.

11. (Vers. 7.). Secundus finis sive utilitas specialis est *excitatio audientium ad conferendum;* quantum ad quam dicitur: *Audivit autem Herodes tetrarcha omnia, quae fiebant ab eo,* ita quod fama nominis Christi non solum per Apostolos deferebatur ad plebes, sed etiam ad reges, sicut de Paulo dicitur Actuum nono [2]: « Vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel ». Unde iam poterant auditores dicere illud quod dixerunt Gabaonitae Iosue nono: « Audivimus famam potentiae Dei vestri, cuncta quae fecit ». Et ex hoc auditu excitatus est ad inquirendum et dubitandum propter varietatem opinantium.

Haesitatio Herodis.

12. (Vers. 7. 8.). Unde subditur: *Et haesitabat, eo quod diceretur a quibusdam, quia Ioannes surrexit a mortuis.* Et huic opinioni magis adhaerebat Herodes; unde Matthaei decimo quarto [3]: « Audivit Herodes famam Iesu et ait pueris suis: Hic est Ioannes Baptista; ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in illo ». Hoc autem opinabatur propter *eminentiam sanctitatis vitae,* quia, sicut dicitur Marci sexto [4], « Herodes metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum et sanctum ». Huic tamen opinioni non firmiter adhaerebat; ideo dicitur, quod *haesitabat,* id est, vacillabat, secundum illud Iacobi primo: « Qui haesitat similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur ». — Et hoc erat propter alias opiniones; unde subdit: *A quibusdam vero, quia Elias apparuit,* scilicet dicebatur. Et haec opinio videbatur probabilis propter *eminentiam potestatis.* Unde Ecclesiastici quadragesimo octavo [5]: « Amplificatus est Elias in mirabilibus suis ». Et haec opinio credibilior videbatur, quia, sicut dicitur Ioannis decimo, « Ioannes quidem signum fecit nullum ». Unde Christus faciens miracula magis videbatur Elias. — Sed tamen huic non omnes assentiebant; propter quod addit: *Ab aliis autem, quia Propheta unus de antiquis surrexit.* Et hoc opinabantur propter *notitiam veritatis;* quia, secundum illud Amos tertio [6], « non faciet Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas ». Et sic patet, quod triplex erat opinio propter triplicem excellentiam, quam audiebant de Christo, scilicet sanctitatis, potestatis et notitiae veritatis. Et ideo invicem conferebant, et quidam hoc, et quidam aliud credebant [7].

Tertia excitatio.

13. (Vers. 9.). Tertius autem finis fuit *excitatio conferentium ad admirandum;* quantum ad quam subditur: *Et ait Herodes: Ioannem ego decollavi,* tanquam hominem mortalem et passibilem. Hunc decollaverat Herodes propter Ioannis veritatem et Herodis malignitatem, secundum quod dicitur Matthaei decimo quarto [8]: « Dicebat Ioannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui »; et sequitur post, quod ex hac causa eum decollavit. Et ita ex ipsa morte iudicat in Ioanne, quantumcumque magnus praedicaretur, infirmitatem. — Et propterea ex hac comparatione admirabatur Christi virtutem; unde subdit: *Quis est autem hic, de quo audio talia* [9]? id est tam magna mirabilia; unde poterat dicere: « Quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus, qui facis mirabilia », qualia scilicet non erant ante audita, secundum illud Ioannis nono: « A saeculo non est auditum, quod quis aperuit oculos caeci nati » etc.

Quarta excitatio.

14. Quartus finis fuit *excitatio admirantium ad conspiciendum;* propter quod subditur: *Et quaerebat videre eum.* Libenter enim videmus quod admiramur. Hoc tamen non est tunc assecutus, secundum quod dicitur Lucae decimo [10]: « Amen dico vobis, quod multi reges et Prophetae voluerunt videre quae vos videtis et non viderunt ». Hoc autem non fuit assecutus, quia non studiose quaesivit; unde Proverbiorum decimo quarto: « Quaerit derisor sapientiam et non invenit ». Unde valde sollicite considerandum, qualiter debet Deus quaeri, ut possit a quaerentibus videri et inveniri.

Secundo, de informatione per exemplum ponuntur duo.

15. *Et reversi Apostoli nuntiaverunt* [11]. Post informationem Apostolorum factam per verbum sive

[1] Vat. *qui est sufficiens ad persuasionem et auditorum excitationem.* Pro *sufficienter dicere* H *sufficienter disponere,* qui etiam paulo superius legit: *quia* curantes, *immunes ab invidia, quia* ubique, *immunes a personarum acceptione.*

[2] Vers. 15, cui subiungitur Iosue 9, 9. (Vat. allegat v. 9-11. — Superius post *tetrarcha* C D G H omittunt *omnia.*

[3] Vers. 1. et 2. Cfr. August., II. de Consensu Evangelist. c. 45. n. 93, et Beda, III. in Luc. 9, 7. seq.

[4] Vers. 20. — Subinde allegatur Iac. 1, 6.

[5] Vers. 4, cui Vat. praemittit v. 1. — Sequitur Ioan. 10, 41.

[6] Vers. 7. Pro *faciet* Vulgata *facit* (cfr. supra pag. 178, nota 7.), C D G *faciat.*

[7] Cod. B *conferebant et diversimode credebant.*

[8] Vers. 4; cfr. v. 3; subinde allegatur v. 10: Decollavit Ioannem in carcere. — Inferius post *infirmitatem* Vat. addit *esse.*

[9] Vulgata, quam Vat. et H sequuntur, *Quis est autem iste, de quo ego talia audio?* — Duo seqq. loci sunt Ps. 76, 14. seq. et Ioan. 9, 32. seq.

[10] Vers. 24. — Subinde allegatur Prov. 14, 6.

[11] Vide supra pag. 216, notam 11.

praeceptum sequitur hic informatio eorundem *per factum* sive exemplum. Habet autem haec pars duas. Divisio. In prima enim informat per exemplum *familiare;* in secunda vero per *figurale*, ibi [1]: *Dies autem coeperat declinare.* Primum attenditur in turbarum *eruditione spirituali;* secundum, in eorum *refectione corporali*, quae formam et figuram gerit refectionis spiritualis.

*Eruditio* autem [2] turbarum a Domino, in qua Primo, informatio per exemplum familiare describitur quadrupliciter. tribuitur forma praedicatoribus in docendo fidelium populo, explicatur quantum ad quatuor, quae requiruntur in praedicando. Primum est *fidelitas consortii;* secundum est *opportunitas loci;* tertium, *docilitas populi;* quartum autem, *affabilitas Magistri;* ut sic nihil desit verbo Dei, nec ex parte assistentium nec ex parte adversantium nec ex parte audientium [3] nec ex parte docentium, quin verbum Domini habeat debitum effectum.

16. (Vers. 10.). Primo igitur quantum ad *fide-* Fidelitas consortii. *litatem consortii* dicitur: *Et reversi Apostoli, nuntiaverunt illi quaecumque fecerunt;* in quo apparet eorum fidelitas, quia ad divinum consortium *celeriter redierunt.* Unde fuerunt non sicut corvus, de quo Genesis octavo [4]: « Qui egrediebatur et non revertebatur »; sed sicut columba, de qua dicitur, quod « cum non invenisset, ubi requiesceret pes eius, reversa est ad Noe in arcam », tanquam fidelis amica. Sic et Apostoli columbina simplicitate praediti, sunt ad Christum celeriter reversi tanquam fideles nuntii. — Apparet etiam eorum fidelitas, quia nihil *Deo celaverunt*, sed *narraverunt ei quaecumque fecerunt;* non ut Dominum erudirent, quem nihil latet, sed ut ostenderent, se etiam nolle latere, si possent. Quocontra Isaiae vigesimo nono [5]: « Vae! qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consi-Aliter. lium » etc. Vel ideo *narraverunt*, ut de bonis factis non quaererent sibi gloriam, sed omnia referrent in Deum, secundum illud primae ad Corinthios decimo [6]: « Omnia in gloriam Dei facite »; contra illos qui dicunt illud Deuteronomii trigesimo secundo: « Manus nostra excelsa, et non Dominus, fecit haec omnia ».

17. Secundo vero quantum ad *opportunitatem* Opportunitas loci. *loci* subdit: *Et assumtis illis*, tanquam fidelibus, ad consortium, *secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidae*, tanquam ad locum quietum et tranquillum; unde Marci sexto [7]: « Venite seorsum in desertum locum et requiescite pusillum ». Et hic locus est aptus eruditioni, secundum illud Osee secundo: « Adducam eam in solitudinem et loquar ad cor eius ». Hic autem locus desertus erat iuxta stagnum Genesareth, quod apparet ex hoc quod dicit: *Bethsaidae.* Est autem Bethsaida « civitas Andreae et Petri », sicut dicitur Ioannis primo [8]. Et nota, quod non dicit *Bethsaida*, quasi iuxta illam civitatem vel in civitate; sed *Bethsaidae*, quia remotus erat locus, in confinibus tamen civitatis Bethsaidae. Unde Marci sexto [9] dicitur, quod post multiplicationem panum iussit, eos praecedere « trans fretum ad Bethsaidam ». Unde non est contrarietas, sed unus explanavit quod alter tacuit.

18. (Vers. 11.). Tertio vero quantum ad *doci-* Docilitas populi. *litatem populi* adiungit: *Quod cum cognovissent turbae, secutae sunt illum*, ut scilicet doctrinam eius exciperent, quem desiderabant, secundum illud Osee sexto [10]: « Sciemus sequemurque, ut cognoscamus Dominum ». Unde Beda in Glossa: « *Secutae sunt* non in iumentis, non in vehiculis, sed proprio labore pedum, ut ardorem mentis ostenderent ». Unde Marci sexto [11] dicitur, quod multi « pedestres de civitatibus venerunt illuc ». Ratio autem huius redditur Ioannis sexto, ubi dicitur: « Post haec abiit Iesus trans mare Tiberiadis, et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quae faciebat » etc.

19. Quarto vero quantum ad *affabilitatem Ma-* Affabilitas Magistri. *gistri* subiungit: *Et excepit illos* [12]; in quo ostenditur benignitas Christi *in signo*, ad quam hortatur In signo. Apostolus ad Romanos decimo quinto: « Suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei ». Nec tantum *in signo*, sed etiam *in verbo;* In verbo. unde addit: *Et loquebatur illis de regno Dei*, quasi sermone affabili et familiari, ut vere ostendatur impletum illud Psalmi [13]: « Narrabo nomen tuum fratribus meis ». Licet autem loqueretur affabiliter, non tamen inutiliter, non carnaliter, quia de regno Dei, non de mundo; unde primae Petri quarto [14]: « Si quis loquitur quasi sermones Dei »; et Ioannis

---

[1] Vers. 12.

[2] Vat. *Spiritualis autem eruditio*, et subinde *fidelem populum* pro *fidelium populo* (A C H *populos*).

[3] Codd. A C D H omittunt *nec ex parte audientium.*

[4] Vers. 7. et 9. Pro *non invenisset* C G *non inveniret.*

[5] Vers. 15. — Vocibus *si possent* Vat. interserit *latere.*

[6] Vers. 31, post quem Deut. 32, 27.

[7] Vers. 31. — Sequitur Osee 2, 14: *Ducam eam* etc. Voci *loquar* C D G H praemittunt *ibi.*

[8] Vers. 44. — Beda, III. in Luc. 9, 10: Unde pulcre Bethsaida *domus fructuum* interpretatur. Ipsa est enim, de qua Isaias [35, 1.] ait: *Laetabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo et florebit quasi lilium;* et paulo post [v. 2.]: *Ipsi videbunt gloriam Domini et decorem Dei nostri.* Est autem « Bethsaida in Galilaea civitas Andreae et Petri et Philippi Apostolorum, prope stagnum Gennesareth », ut in locorum libris [Hieron., de Situ et nominibus locorum Hebraic.] invenimus. Cfr. Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Matth. 14, 22. (apud Lyranum), ubi dicitur: Unde Lucas non dicit: qui est Bethsaida, sed: qui est Bethsaidae etc.

[9] Vers. 45. — Cfr. Glossa *ordinaria* (ex Beda) in hunc locum, ex qua Glossa *interlinearis* in Luc. 9, 10. affert: *Qui est Bethsaidae*, pertinens et vicinus Bethsaidae, civitati Galilaeae.

[10] Vers. 3. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 9, 11: « *Secutae sunt*, non iumentis, non vehiculis » etc. (Beda: Non in iumentis vehiculisve). Codd. A C D ante *vehiculis* omittunt *in.*

[11] Vers. 33. — Subinde allegatur Ioan. 6, 1. seq. (G: *Post hoc abiit* etc.).

[12] Ita etiam Beda, Card. Hugo, Lyranus; Vulgata *eos.* — Sequitur Rom. 15, 7.

[13] Psalm. 21, 23. — Glossa *interlinearis* in Luc. 9, 11: *Et loquebatur illis*, docet inscios, *de regno Dei*, non de saecularibus.

[14] Vers. 11, post quem Ioan. 3, 31. et 6, 69.

tertio: « Qui de terra est de terra loquitur », sed Christus de caelo; et Ioannis sexto: « Verba vitae aeternae habes ». — Nec tantum exhibuit se affabilem *verbo* et *signo*, sed etiam *facto*. Unde et subdit: *Et eos qui cura indigebant, sanabat;* in quo ostenditur perfectio dilectionis, de qua primae Ioannis tertio [1]: « Diligamus non verbo neque lingua, sed opere et veritate »; quia « qui viderit, fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo »? Talem caritatem habuit Christus; unde Actuum decimo [2]: « Pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo », non solum bene loquendo. — Unde in hoc eruditur praedicator seu praelatus, ut se benignum exhibeat ovibus, scilicet signo, verbo, facto. In cuius rei signum et dictum est ter Petro: *Pasce*, Ioannis ultimo [3].

In facto.

20. *Dies autem coeperat declinare* etc. Post informationem discipulorum per exemplum familiare subditur informatio per *factum figurale*, et hoc in turbarum refectione. Circa cuius expressionem duo introducuntur ab Evangelista. Primum est *opportunitas* ex parte indigentiae multitudinis; secundum est *liberalitas* ex parte misericordiae Salvatoris, et hoc ibi [4]: *Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere* etc.

Secundo, informatio per factum figurale describitur quoad duo.

*Opportunitas* autem *ex parte indigentiae multitudinis* exprimitur quantum ad quatuor, scilicet quantum ad *tarditatem diei*, quantum ad *ariditatem loci*, quantum ad *paucitatem cibi* et quantum ad *numerositatem populi*. Et sic conficitur ista opportunitas ex circumstantia temporis et loci, quantitatis cibi et personarum [5].

De primo dicuntur quatuor.

21. (Vers. 12.). Primo ergo quantum ad *diei tarditatem* dicitur: *Dies autem coeperat declinare;* et ita tempus erat sumendi refectionem, sicut dicitur infra ultimo [6]: « Quoniam advesperascit, et inclinata est iam dies ». In quo etiam apparet mira turbarum devotio, ut propter auditum divini verbi oblitae essent corporalis cibi. Simile legitur Actuum vigesimo, quod « Paulus protraxit sermonem usque ad mediam noctem ».

Tarditas diei.

Secundo vero quantum ad *loci ariditatem* subditur: *Et accedentes duodecim dixerunt illi: Dimitte turbas;* et ad hoc persuadendum movebat loci ariditas. — Unde et subdit: *Ut euntes* [7] *in castella villasque, quae circa sunt, divertant et inveniant escas*, ne scilicet fame pereant. Et hoc est consilium sanum, quod fecerunt filii Israel; Genesis quadragesimo secundo: « Descenderunt filii Iacob in Aegyptum, ut emerent escas »; sicut et Apostoli, Ioannis quarto: « Discipuli autem abierant in civitatem, ut cibos emerent ». — Sic etiam isti consulebant nunc propter loci penuriam; unde et subdunt: *Quia hic in loco deserto sumus*, ubi est defectus cibi, secundum quod Exodi decimo sexto [8]: « Cur induxisti nos in desertum, ut occideres omnem multitudinem hanc fame »? Et quia difficile est invenire refectionem in deserto, ideo dicebant illud Psalmi: « Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto »? Hoc dicebant increduli, detrahentes divinae potentiae; sed Apostoli dicebant consulendo humanae indigentiae, quia nolebant Dominum tentare.

Loci ariditas.

22. (Vers. 13.). Tertio vero quantum ad *cibi modicitatem* subditur: *Ait autem ad illos: Vos date illis manducare; vos*, tanquam eorum praelati, secundum illud primae Petri quinto [9]: « Seniores, pascite qui in vobis est gregem ». Hoc autem dicit, ut ex eorum responsione cognoscatur cibi modicitas. — Propter quod additur: *At illi dixerunt: Non sunt nobis plus quam quinque panes et duo pisces.* Ex quo apparet Apostolorum inopia non solum ad reficiendam turbam, sed etiam ad propriam famem mitigandam; et ut magna ostendatur inopia, Ioannes exprimit genus panum. Dicitur enim Ioannis sexto [10]: « Est hic puer unus, qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces; sed haec quid sunt inter tantos »? Similes erant in hoc illi viduae, cuius farinam multiplicavit Elias; tertii Regum decimo septimo: « Vivit Dominus Deus, quia non habeo panem nisi quantum pugillus capere potest farinae »; et quarti Regum quarto dixit puer Eliseo: « Quantum est hoc, ut apponam centum viris »? Similiter responderunt hic Apostoli, vel Andreas in persona omnium, sicut dicitur Ioannis sexto [11]; vel ipse prius et post alii; inde non est contrarietas. Qualitercumque dicta sint haec verba, ostendunt impotentiam discipulorum ad reficiendam turbam. — Ne tamen crederentur hoc dicere non propter impotentiam, sed propter pigritiam; ideo offerunt obsequium ad emptionem ciborum, cum adiungunt: *Nisi forte nos* [12] *eamus et emamus in omnem turbam*

Cibi modicitas.

---

[1] Vers. 18, cui subiungitur v. 17.

[2] Vers. 38. — Superius pro *Talem caritatem* Vat. *Talem enim consuetudinem.*

[3] Vers. 17. Ante *Petro* A C D G omittunt *ter*. — Superius pro *ovibus* [Vat. addit *suis*], *scilicet signo* D substituit non male *omnibus in signo.*

[4] Vers. 14.

[5] Retinuimus cum H lectionem Vat., alii codd. post *loci* prosequuntur *qualitatis et quantitatis etiam personarum.*

[6] Vers. 29. — Subinde allegatur Act. 20, 7. — Inferius pro *oblitae* A C D H *obliti.*

[7] Codd. A C D *exeuntes.* — Duo seqq. loci sunt Gen. 42, 3. (cfr. 41, 57.) et Ioan. 4, 8, ubi pro *abierant* C D G H *ierant.*

[8] Vers. 3: *Cur eduxistis... ut occideretis* etc. — Sequitur Ps. 77, 19. — Superius vocibus *loci penuriam* Vat. interserit *sterilitatem et.*

[9] Vers. 1. seq.

[10] Vers. 9. — Duo seqq. loci sunt III. Reg. 17, 12. et IV. Reg. 4, 43. — Inferius pro *multiplicavit* A C D *instituit*, G *miscuit* (cfr. III. Reg. 17, 16: « Hydria farinae non defecit... iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliae »; IV. Reg. 4, 41: Afferte, inquit [Eliseus], farinam. Cumque tulissent, misit in ollam etc.).

[11] Vers. 8. Vide S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 6. n. 12. in fine, ubi prima expositio (ex August.) affertur, quae etiam exhibetur a Glossa *ordinaria* (apud Lyranum) in Matth. 14, 15.

[12] Codd. A C D *Nisi forte et nos.* — Subinde allegatur Marc. 6, 37, ubi pro *dabimus* codd. *demus.* — Superius pro *sed propter* D *nec propter*, H *vel propter.*

*hanc escas.* Et hoc quidem potest esse verbum *offerentium obsequium,* iuxta illud Marci sexto: « Euntes emamus ducentorum denariorum panes, et dabimus illis manducare ». Vel potest esse verbum *ostendentium impotentiam* ad reficiendum, non solum quantum ad panes habitos, verum etiam quantum ad pretium. Unde dicitur Ioannis sexto [1]: « Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat ». Et quidam de discipulis dixerunt uno modo, quidam alio; et Ioannes exprimit unum, Marcus alium, Lucas vero in praedicto sermone includit utrumque; quod patet ex ipsa sermonis varia prolatione.

Aliter.

Populi numerositas.

23. (Vers. 14.). Quarto vero quantum ad *populi numerositatem* subditur: *Erant autem viri fere quinque millia,* ac per hoc tanta multitudo, ut pro uno pane essent mille viri. Unde *viros* nominat et numerat; ex quo apparet, quanta erat reliquorum turba prae sui multitudine non numerata; unde Matthaei decimo quarto [2] dicitur, quod erant « quinque millia, exceptis parvulis et mulieribus ». Ideo autem numerum exprimit, quia propter *quinque* competebat *Legi,* quae homines carnales et sensibiles informabat; propter *perfectionem millenarii* competebat ad susceptionem doctrinae perfectionis evangelicae [3].

De secundo dicuntur quatuor.

24. (Vers. 14. 15.). *Ait autem ad discipulos* etc. Post opportunitatem ex parte indigentiae multitudinis subdit hic *liberalitatem ex parte munificentiae Salvatoris.* Manifestatur autem Salvatoris liberalitas in quatuor: in *convivantium ordinatione, victualium multitudine, ministrantium urbanitate, manducantium saturitate;* ut sic ostendatur perfecta liberalitas per ordinem discumbentium, multitudinem victualium, promptitudinem ministrantium et plenitudinem manducantium.

Discumbentium ordinatio.

Primo quantum ad *discumbentium ordinationem* dicitur: *Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere per convivia quinquagenos. Et ita fecerunt.* Decet enim magnificum et liberalem dominum ordinem attendere in disponendo, iuxta quod dicitur tertii Regum decimo [4], quod « videns regina Saba sapientiam Salomonis et cibaria mensae eius et habitacula servorum et ordinem ministrantium, non habebat ultra spiritum ». Haec autem fuit dispositio ordinis cum determinatione numeri; unde in Marci sexto [5] dicitur, quod « discubuerunt in partes per centenos et quinquagenos ». Quinquagesies enim centum sunt quinque millia. Magis autem exprimitur numerus quinquagesimus, quia propter quinarium magis competebat Legi et etiam quinario panum refectionum. Ex hoc autem ostendit Christus suam miram sapientiam, qua numerum virorum praesciebat et discipulis ex sessione notificabat. Nec mirum, quia ipse erat, de quo dicitur Sapientiae undecimo [6]: « Omnia in mensura, numero et pondere disposuisti ».

Victualium multitudo.

25. (Vers. 16.). Secundo vero quantum ad *victualium multitudinem* dicitur: *Acceptis autem quinque panibus et duobus piscibus, respexit in caelum et benedixit illos* [7]*;* in qua benedictione fuit panum multiplicatio, iuxta illud Genesis primo: « Benedixit illis Deus et ait: Crescite et multiplicamini et replete terram »; et Genesis trigesimo dixit ad Iacob Laban: « Scio, quod benedixit mihi Dominus propter te ». Ideo autem benedicendo *respexit in caelum,* ut ostenderet, quod talis multiplicatio non erat virtute terrena sive tradita elementis, sed virtute caelesti, reservata in prioribus causis, de qua in Psalmo [8] dicitur: « Omnia, quaecumque voluit, fecit Dominus in caelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis ». — Et nota, quod dicitur: *Respexit et benedixit: respexit* quidem ex humilitate humana, et *benedixit* ex virtute divina; Psalmus [9]: « Levavi oculos meos in montes ».

Notandum.

Ministrantium urbanitas.

26. Tertio vero quantum ad *ministrantium urbanitatem* subditur: *Et fregit et distribuit discipulis suis, ut apponerent* [10] *ante turbas.* Ipsi enim erant nobiles Christi ministri et dispensatores et prompti ad serviendum, secundum illud primae ad Corinthios quarto: « Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei ». Decet enim nobilem dominum nobiles habere ministros, secundum illud Esther primo [11]: « Sic rex statuerat,

[1] Vers. 7. — De seqq. cfr. August., II. de Consensu Evangelist. c. 46. n. 96.

[2] Vers. 21. — Superius post *Unde viros* B addit *tantum,* et pro *reliquorum turba* A D *reliqua turba.*

[3] Beda, III. in Luc. 9, 12: Quia quinque sunt exterioris hominis sensus, quinque millia viri Dominum seculi designant eos qui, in saeculari adhuc habitu positi, exterioribus, quae possident, bene uti noverunt. Qui recte quinque panibus aluntur, quia tales necesse legalibus adhuc praeceptis [5 libris Moysi contentis] institui. Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 6. n. 19.

[4] Vers. 4. et 5.

[5] Vers. 40, ubi Glossa *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Gregor., XVI. Moral. c. 55. n. 68.): Per quinquaginta iubilaei requies [cfr. Lev. 25, 10. seqq.]; quinquagenarius autem bis ductus centum facit, et ideo utriusque quietis perfectionem significat, scilicet corporis et mentis. Qui enim quiescit ab actibus pravis requiem habet corporis, qui autem a cogitationibus etiam perversis, requiem habet mentis etc. — Pro propositione *Quinquagesies enim... millia,* quam H omittit, A C (D primitus) *Quinquagenos enim sunt quinque millia* (?), D a secunda manu *Centum enim quinquageni sunt quinque millia.* Cfr. August., II. de Consensu Evangelist. c. 46. n. 98.

[6] Vers. 21.

[7] Ita etiam Card. Hugo, B. Albert. et Lyranus; Vulgata et Vat. *illis.* — Duo seqq. loci sunt Gen. 1, 28. et 30, 27.

[8] Psalm. 134, 6. — Superius pro *sive tradita elementis* Vat. *sibi tradita,* deinde praefigit *sibi* ante *reservata.* Pro *prioribus causis* magis placeret *primordialibus causis,* ut in Breviloq. p. I. c. 7; cfr. II. Sent. d. 18. a. 1. q. 2.

[9] Psalm. 120, 1. — Pro *humilitate humana* Vat. *humanitate.*

[10] Vat. cum Vulgata *ponerent.* — Sequitur I. Cor. 4, 1.

[11] Vers. 8. — Subinde allegantur Luc. 22, 26. et 27. — Beda, III. in Luc. 9, 16: *Respicit in caelum,* ut illuc dirigendam mentis aciem, ibi lucem scientiae doceat esse quaerendam. *Frangit et ante turbas ponenda distribuit discipulis,* quia clausa Legis et prophetiae sacramenta eis qui per mundum praedicent, patefecit.

praeponens singulis mensis singulos de principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet ». In curia autem Iesu Christi nobiliores ministrant et serviunt, sicut dicitur Lucae vigesimo secundo: « Qui maior est in vobis fiat sicut minor; et qui praecessor est, sicut ministrator »; post: « Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat ».

Manducantium saturitas.

27. (Vers. 17.). Quarto vero quantum ad *manducantium saturitatem* subditur: *Et manducaverunt omnes et saturati sunt,* ita ut verificaretur illud Psalmi [1]: « Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum »; et illud: « Manducaverunt et saturati sunt nimis »; *saturati,* inquam, saturitate *iustitiae,* de qua Proverbiorum decimo tertio [2]: « Iustus comedit et replet animam suam »; « beati enim, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur », Matthaei quinto; non saturitate *avaritiae,* de qua Ecclesiastae quinto: « Saturitas divitis non sinit eum dormire », quia sic saturatur, ut semper famescat. — Et quoniam divina abundantia excedit nostram indigentiam, ideo subditur: *Et sublatum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim;* in quo ostenditur magnitudo superabundantiae ex continentia vasorum et numero, quia duodenarius est primus *numerus abundans,* secundum quod tradit arithmetica [3]. Et sic impletum est illud, cuius figura praecessit quarti Regum quarto. Dixit Eliseus de paucis panibus: « Haec dicit Dominus: Comedent, et supererit. Posuit itaque coram eis, qui comederunt, et superfuit iuxta verbum Domini ». Sed ibi non determinatur mensura tantae abundantiae, sicut hic; et hoc propter maiorem *perfectionem* in Evangelio et abundantiorem, secundum illud Matthaei quinto [4]: « Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum ». Vel propter *mysterium.* Isti enim duodecim cophini significant duodecim Apostolos. *Cophini* sunt vasa humilia, et hi repleti sunt fragmentis quinque panum hordeaceorum, id est doctrina quinque librorum Moysi, de quibus primae ad Corinthios decimo quarto [5]: « Malo quinque verba in Ecclesia loqui sensu meo » etc.

De doodecim cophinis.

Aliter.

Notabilis doctrina pro praedicatoribus.

28. Ex quo datur forma praedicantibus, ut non nova de cordibus suis adinveniant, quia Dominus non creavit novos panes ad reficiendam turbam; sed sicut Dominus multiplicavit divina benedictione quinque panes hordeaceos, sic omnis abundantia verae doctrinae sumi debet ex *fundamento sacrae Scripturae,* multiplicanda per *orationem,* qua in caelum respicitur [6], et *devotione,* qua benedicitur, *meditatione,* qua frangitur, et *praedicatione,* qua distribuitur et explicatur. — Doctrina enim catholica primo sumenda est de sacra Scriptura per *lectionem,* cuius verba sunt *panes;* Matthaei quarto [7]: « Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei ». — Sed lectioni debet adiungi *oratio;* Matthaei septimo: « Quaerite, et invenietis; petite et accipietis; pulsate, et aperietur vobis »: *quaerimus* legendo, *petimus* orando, *pulsamus* manu operando. — Orationi debet iungi *devotio* et *gratiarum actio;* unde ad Colossenses quarto [8]: « Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione ». Unde Matthaei vigesimo sexto: « Elevatis oculis in caelum, gratias agens benedixit ». — Devotioni iungenda *meditatio* et *veritatis explicatio,* quae non est aliud quam *fractio* panis; Isaiae quinquagesimo octavo [9]: « Frange esurienti panem tuum et egenos vagosque induc in domum tuam ». — Et tunc *distribuitur,* quando pro capacitate audientium ministratur; Psalmus [10]: « Distribuite domos eius, ut enarretis ». Et ex hoc audientes saturantur; Ecclesiastici decimo quinto: « Cibabit illum pane vitae et intellectus et aqua sapientiae salutaris potabit illum ». — Et sic patet, quod Dominus praedicatores informavit non solum exemplo proprio et familiari, sed etiam mystico et figurali. Plus enim fecit Dominus hoc miraculum ad informationem mentium quam ad refectionem corporum, quoniam, sicut dicitur Sapientiae undecimo [11], ipse est amator praecipuus animarum.

Lectio.

Oratio.

Devotio.

Meditatio.

Distributio.

Epilogos.

---

[1] Psalm. 21, 27, post quem Ps. 77, 29.

[2] Vers. 25. — Duo seqq. loci sunt Matth. 5, 6. et Eccle. 5, 11, post quem B addit *ratio est.*

[3] Cfr. supra pag. 141, nota 10, et Boeth., I. de Arithmetica, c. 19. — Subinde allegatur IV. Reg. 4, 43. seq.

[4] Vers. 20.

[5] Vers. 19. — Beda, III. in Luc. 9, 17: Nam per *cophinos* duodecim Apostoli, et per *Apostolos* omnes sequentium doctorum chori figurantur, foris quidem hominibus despecti; sed intus salutaris cibi reliquiis ad alenda humilium corda cumulati. Constat enim, cophinis opera servilia geri solere, sed ipse cophinos panum fragmentis implevit, qui *infirma huius mundi, ut fortia confunderet, elegit* [I. Cor. 1, 27.]. — August., in Ioan. Evang. tr. 24. n. 5: Quinque panes intelliguntur quinque libri Moysi, merito non triticei, sed hordeacei, quia ad vetus testamentum pertinent. Nostis autem hordeum ita creatum, ut ad medullam eius vix perveniatur; vestitur enim eadem medulla tegmine paleae, et ipsa palea tenax et inhaerens, ut cum labore exuatur. Talis est littera veteris testamenti, vestita tegminibus carnalium sacramentorum, sed si ad eius medullam perveniatur, pascit et satiat. Cfr. supra pag. 223, nota 3. et Comment. in Ioan. c. 6. n. 18. et 19.

[6] Beda, III. in Luc. 9, 16: Turbis esurientibus Salvator non nova creat cibaria, sed acceptis his quae habuerunt discipuli, benedicit, quia veniens in carne non alia quam praedicta sunt praedicat, sed prophetiae dicta mysteriis gratiae gravida demonstrat. Respicit in caelum etc. (cfr. supra pag. 223, nota 11.). — Codd. A C D H, pluribus omissis, legunt: *sic omnis abundantia per orationem, qua in caelum respicitur.*

[7] Vers. 4. — Sequitur Matth. 7, 7, ubi pro *accipietis* Vulgata *dabitur vobis;* cfr. v. 8: *Omnis, qui petit, accipit* etc. et c. 21, 22.

[8] Vers. 2, post quem *sententia* sumitur ex Matth. 26, 26. 27, *verba* autem ex Missali Romano in canone. Sola Vat. citat Matth. 14, 19: Aspiciens in caelum, benedixit et fregit et dedit discipulis etc. [9] Vers. 7.

[10] Psalm. 47, 14, post quem Eccli. 15, 3. — Inferius pro *Et ex hoc audientes* [H *auditores*] A C D G *Et ex hoc secundum* [A C addunt *quod*] *auctoritates.*

[11] Vers. 27, ubi Septuaginta: Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, amator animarum.

**Via proficiendi dupliciter explicatur.**

29. *Et factum est, cum solus esset* etc. Postquam Evangelista expressit formam praedicandi, in parte ista exprimit *viam proficiendi*[1]. Ad profectum autem ista duo consideranda concurrunt, scilicet *asperitas viae*, in qua consistit meritum, et *suavitas patriae*, in qua consistit praemium. Ideo post expressionem *asperitatis viae* exprimit secundo Evangelista *suavitatem gloriae*, ibi[2]: *Factum est autem post haec verba* etc.

[Primo de asperitate viae duo dicuntur.] *Via* autem ad patriam potissime in duobus consistit, scilicet in *perfecta cognitione* Christi per fidem et *perfecta imitatione* per crucem. Ideo primo insinuatur nobis, qualiter Christus per *fidem est cognoscendus;* secundo vero, qualiter per *crucem est imitandus*, ibi[3]: *Dicebat autem ad omnes: Si quis* etc.

[Perfecta notitia fidei consistit in quatuor.] Quantum ad primum notandum, quod *perfecta notitia fidei* in quatuor consistit, scilicet in *approbatione divini honoris, reprobatione humani erroris, confessione Christi mediatoris, consideratione mysterii redemptionis*. Ad perfectam enim fidem concurrit approbatio religionis, detestatio superstitionis, confessio patens et contemplatio latens.

[De primo.] 30. (Vers. 18.). Primo igitur quantum ad *approbationem divini honoris* dicitur: *Et factum est, cum solus esset orans*, ut Deo Patri debitum cultum et reverentiam exhiberet et ostenderet exhibendam; quae potissime exhibetur in oratione, iuxta illud Ioannis quarto[4]: « Venit hora, in qua veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quaerit »; unde in Psalmo: « Invoca me in die tribulationis, et eruam te, et honorificabis [Notandum.] me ». — Quoniam autem haec reverentia debet carere *omni ostentatione*, ideo dicitur, quod *solus erat orans*, secundum illud Matthaei sexto[5]: « Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum » etc. Carere etiam debet *omni inquietatione;* ideo etiam *solus* orabat, secundum illud Threnorum tertio[6]: « Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit se super se », ne scilicet aliquo strepitu retrahatur. Et ideo Matthaei decimo quarto dicitur, quod « dimissa turba, ascendit in montem solus orare ». — Sed quoniam huius reverentiae non erant discipuli perturbatores ex inquietatione, sed approbatores per veram fidem; ideo subditur: *Erant cum illo et discipuli*[7]. Unde per hoc, quod dicitur *solus*, non excludit consortium discipulorum, sed tumultum turbarum. Nam *discipulos* tanquam filios admittebat; unde et dicebat de eis illud quod inducit Apostolus ad Hebraeos secundo[8]: « Ecce, ego et pueri mei, quos dedit mihi Deus »; *turbas* autem tanquam servos excludebat; cuius figuram Abraham gessit, Genesis vigesimo secundo, quando « dixit ad pueros suos: Exspectate hic in valle cum asino; ego autem et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos ». — Vel hoc dicitur, quia non ratione eiusdem [Aliter.] temporis sunt coniuncti, quia solus primo oravit, et postea immediate cum eo discipuli fuerunt. Tamen simul iunguntur, quia, etsi Apostoli erant absentes locali circumscriptione, tamen cum eo erant mentali affectu et fidei approbatione, secundum illud Pauli ad Colossenses secundo[9]: « Etsi corpore absens sum, in spiritu vobiscum sum, gaudens et videns ordinem vestrum » etc.

31. Secundo quantum ad *reprobationem humani erroris* subditur: *Et interrogavit illos dicens: Quem me esse dicunt turbae?* [De secundo.] Quod non ideo quaerebat, ut veritatem addisceret, quam sciebat, secundum illud Ioannis secundo[10]: « Non erat opus, ut quis testimonium ei perhiberet de homine. Ipse enim sciebat, quid esset in homine »; sed ideo interrogat, ut erroneam mundanorum sententiam ostendat verae fidei inimicam. Ut plurimum enim plures contradicunt sapientibus, et turba turbatum habet iudicium; propter quod Exodi vigesimo tertio[11]: « Non sequeris turbam ad faciendum malum. Nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiae, ut a vero devies ». Et ideo non est mirum, si animales homines de Christo Deo non recte sentiebant; quia, primae ad Corinthios secundo, « animalis homo non percipit ea quae Dei sunt ».

32. (Vers. 19.). Propter quod subiungitur triplex opinio sumta a triplici excellentia. Quantum [Unde sit triplex ille error.]

---

[1] Cfr. supra n. 1.

[2] Vers. 28. — Codd. C D H omittunt *secundo*.

[3] Vers. 23.

[4] Vers. 23, cui subiungitur Ps. 49, 15.

[5] Vers. 6. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 9, 18: Ipse autem solus orat Patrem. Possunt enim Sancti fide et amore Domino coniungi... sed incomprehensibilia paternae positionis arcana solus penetrat et solus, quid orandum novit, orat... solus obsecrat, quia Dei consilium humana corda non capiunt etc. Euthym., in Matth. 14, 23: Aptus est enim mons ad orationem; nox praeterea et solitudo silentium ac indistractionem praebent et immobilitatem in oratione.

[6] Vers. 28. — Sequitur Matth. 14, 23. — Inferius post *reverentiae* H addit *et orationis*, et cum C pro *inquietatione* substituit *iniquitate*.

[7] Codd. A C D G *Erant et discipuli eius cum eo;* cfr. Card. Hugo et B. Albert. in ipso Comment.

[8] Vers. 13. — Subinde allegatur Gen. 22, 5, ubi pro *postquam adoraverimus* C D G *cum adoraverimus*.

[9] Vers. 5. — Cfr. Matth. 14, 22. seqq.; Marc. 6, 45. seqq. et Ioan. 6, 15. seqq. — Superius pro *simul iunguntur* A *simul intelliguntur*.

[10] Vers. 25. — Cfr. Raban., V. in Matth. 16, 15. (ex Beda. II. Homil. 16. in Natale B. Apost. Petri et Pauli, et III. in Matth. 16, 15.): Non autem quasi nesciens sententiam de se vel discipulorum vel extraneorum inquirit, sed ideo... ut confessionem rectae fidei illorum [discipulorum] digna mercede remuneret.

[11] Vers. 2. — Sequitur 1. Cor. 2, 14. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 9, 18: Exploraturus fidem discipulorum, prius vulgi sententiam inquirit, ne Apostolorum fides firmata videatur vulgari opinione, sed veritatis agnitione. Merito *turbae* nominantur, quae diversas de Domino ferunt sententias, quorum sermo et sensus instabilis est et vagus; a quibus suos distinguens ait: *Vos autem quem me esse dicitis?*

ad primam dicit: *At illi responderunt et dixerunt:* Quoad Ioannem. *Ioannem Baptistam;* et hoc, quia videbant in eo *spiritum sanctificationis,* qui fuit in Ioanne, secundum illud supra primo [1]: « Erit magnus coram Domino et Spiritu sancto replebitur » etc. — Sed nec in hoc omnes consentiebant, ideo addit: *Alii autem:* Quoad Eliam. *Eliam,* scilicet propter *zelum aemulationis,* secundum illud Ecclesiastici quadragesimo octavo [2]: « Surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum eius quasi facula ardebat ». Et illud videbatur probabile, quia Elias propheta excellens erat non solum in vita, sed etiam in potentia, et quia etiam adventus eius promissus erat, secundum illud Malachiae ultimo: « Ecce, ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis ». — Nec tamen in hoc omnes concordabant, et ideo addit: Quoad unum Prophetam. *Alii* [3], *quia Propheta unus de prioribus surrexit;* et hoc propter *sensum discretionis,* quem in eo attendebant; supra septimo: « Propheta magnus surrexit in nobis »; et Ioannis sexto: « Hic est qui venturus est vere Propheta ». Sed quia purum hominem credebant, ideo *unum de prioribus;* propter quod errabant, quia non erat unus inter priores, sed unus, propter quem praecesserant omnes priores; de quo Deuteronomii decimo octavo [4]: « Prophetam suscitabit Dominus de gente vestra; ipsum sicut me audietis ». — Ex tanta igitur varietate apparet, quod turbae alienae erant a veritate et fidei uniformitate; propter quod dicitur ad Ephesios quarto [5]: « Non simus sicut parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae, ad circumventionem erroris ».

33. (Vers. 20.). Tertio vero quantum ad confessionem Christi mediatoris — De tertio. — *fessionem Christi mediatoris* subditur: *Dixit autem illis: Vos autem quem me esse dicitis? Vos,* scilicet *ab aliis selecti,* secundum illud Ioannis sexto [6]: « Ego duodecim vos elegi »; et decimo quinto: « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos ». Vel *vos amici,* secundum illud Ioannis decimo quinto: « Vos autem dixi amicos ». Vel *vos speciales discipuli,* secundum illud supra octavo [7]: « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei ». *Vos* autem, qui in me creditis, *quem me esse dicitis?* id est, confitemini, quia « corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem », ad Romanos decimo. — Ideo subditur: Confessio Petri. *Respondens Simon Petrus dixit: Christum Dei;* quod unus pro omnibus respondet, ut commendetur unitas Ecclesiae in fide, confessione et praelatione; unde Petrus tanquam unus praelatus universalis Ecclesiae unus pro omnibus respondet. Propter quod dicebat Paulus primae ad Corinthios primo [8]: « Obsecro, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata ». — Unde merito istius Notandum. confessionis unius pro omnibus nomen *Petri* est confirmatum, et universalis praelatio super Ecclesiam est concessa, secundum quod dicitur Matthaei decimo sexto: « Et ego dico tibi ». Unde apparet, quod non ex impetu, sed sancto Spiritu incitatus, prior respondit Petrus. Et hoc est quod dicitur in Glossa [9]: « Unus pro omnibus et prae omnibus, quia senior et princeps Apostolorum ».

34. Confitendo autem ipsum *Christum Dei,* In nomine Christi tria insinuantur. confitetur simul Deum verum et hominem. Unde Ambrosius in Glossa [10]: « Complexus est omnia qui et *naturam* et *nomen* expressit. In nomine enim *Christi* et Divinitatis et incarnationis est expressio et fides passionis ». *Christus* enim exprimit *personam unam in duabus naturis* et *dignitatem regiam* et *sacerdotalem* et *gratiae plenitudinem* propter *unctionis* praerogativam, de quo in Psalmo [11]: « Unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae ». Unde in nomine *Christi* Persona et natura. intelligitur *unctus, ungens* et *quo ungitur;* ac per hoc simul Pater, Verbum et Spiritus, secundum illud Isaiae sexagesimo primo: « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me ». — Intelligitur etiam uncti *natura, gratia,* qua ungitur, et *dignitas,* ad quam ungitur, Gratia.

---

[1] Vers. 15. — Cfr. Ambros., VI. in Luc. n. 96.

[2] Vers. 1. — Subinde allegatur Malach. 4, 5.

[3] Vulgata et Vat. *Alii vero;* codd. et Beda omittunt *vero.* — Duo seqq. loci sunt Luc. 7, 16. et Ioan. 6, 14.

[4] Vers. 15. — Superius verbo *credebant* H praefigit *ipsum;* Vat. *existimant, ideo unum de prioribus ipsum credebant.*

[5] Vers. 14, ubi Vulgata plura interserit.

[6] Vers. 71, post quem Ioan. 15, 16. et 15. — Substituimus *ab aliis selecti* (Glossa *interlin.* in Matth. 16, 15: *discreti ab aliis*) pro *ab aliis electi.*

[7] Vers. 10. — Sequitur Rom. 10, 10.

[8] Vers. 10. — Subinde allegatur Matth. 16, 18. — Glossa *ordinaria* in Matth. 16, 16: Ideo unus respondens, et uni respondetur pro omnibus, ut unitas in omnibus observetur.

[9] Glossa *interlinearis:* « *Respondens Simon Petrus dixit,* unus pro omnibus ». Card. Hugo hanc sententiam tribuit Bedae, qui tamen ex Ambrosio (VI. in Luc. n. 93.) haec tantum affert verba: « Licet ceteri Apostoli sciant, Petrus tamen respondit prae ceteris ». Glossa *interlinearis* in Matth. 16, 16: « *Respondens* etc., sciunt et Apostoli, sed Petrus respondet pro omnibus ». Idem refert Glossa *interlinearis* in Marc. 8, 29. Cfr. Chrysost., Homil. 54. (alias 55.) in Matth. n. 1: Quid igitur os Apostolorum Petrus? Semper fervens, chori apostolici coryphaeus, omnibus interrogatis, ipse respondet.

[10] Scilicet *ordinaria* secundum Ambros., VI. in Luc. n. 93. — Glossa *interlinearis* in Matth. 16, 16: *Tu es* etc., verum hominem et verum Deum credit et confitetur.

[11] Psalm. 44, 8. Cfr. Hebr. 1, 8. seq. — Inferius allegatur Isai. 61, 1. — Ambros., I. de Spir. S. c. 3. n. 44: Si Christum dicas, et Deum Patrem, a quo unctus est Filius, et ipsum qui unctus est Filium, et Spiritum sanctum, quo unctus est, designasti. Scriptum est enim [Act. 10, 38.]: *Hunc Iesum a Nazareth, quem unxit Deus Spiritu sancto* etc. Cfr. tom. III. pag. 115, nota 11. Ibid. d. 11. dub. 1: « *Christus* nominat personam Verbi ut in duabus naturis »; et d. 18. dub. 2: *Filius Dei* nominat personam in *una* natura; *Christus* autem et *Iesus* nominant personam in *duabus* naturis; sed *Christus* nominat personam in *humana* natura relata ad divinam, quia dicitur *unctus. Iesus* autem nominat personam in *divina* natura relata ad *humanam,* quia *Iesus* dicitur Salvator esse, et ideo in nomine *Iesu Christi* debet omne genu curvari [Phil. 2, 10.], sicut in nomine *Filii Dei.*

sive officium; Danielis nono [1]: « Ungetur Sanctus Sanctorum, ut impleatur visio et prophetia ». — Intelligitur etiam *dignitas regalis et prophetalis et sacerdotalis*, secundum triplicem excellentiam suam, scilicet potestatis et veritatis et sanctitatis. In cuius rei figuram in Lege veteri hae tres personae consueverunt inungi [2]. — Et in hoc apparet, quomodo tres opiniones falsae, sicut aliquid habebant rationis moventis, ita defectus obnubilantis. Unde in hoc apparet, quod Christus in hoc verbo confutavit errores et stravit totius fidei fundamentum, secundum illud primae ad Corinthios tertio [3]: « Fundamentum aliud nemo potest ponere ». Hinc est, quod *Petrus* est vocatus, et ei concessum est, ut de Ecclesia eius nunquam deficiat vera fides; infra vigesimo secundo: « Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat » etc.

*Dignitas triplex.* — *Notandum.* — *Ecclesia Petri infallibilis.*

35. (Vers. 21. 22.). Quarto vero quantum ad *cognitionem mysterii redemptionis* subditur: *At ille increpans eos* [4], *praecepit, ne cui dicerent hoc;* et hoc, quia non erat consummatum redemptionis mysterium, quod iusto Dei iudicio erat mundi principibus occultandum. Unde primae ad Corinthios secundo [5]: « Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam nemo principum huius saeculi cognovit; si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent ». — Licet autem non esset omnibus publicandum, erat tamen discipulis praedicendum; propter quod addit: *Dicens, quia oportet, Filium hominis multa pati.* Ratio autem huius praedictionis assignatur Ioannis decimo quarto [6]: « Nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis ». Nam ipsi discipuli nondum hoc capiebant, secundum quod dicitur infra decimo octavo [7]: « Assumsit autem Iesus duodecim et ait illis: Ecce, ascendimus »; et post: « Et ipsi nihil horum intellexerunt, sed hoc acceperunt post consummationem ». Unde dicitur Lucae ultimo: « Haec sunt verba, quae locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt de me »; et post subditur: « Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas ».

*De quarto.* — *Ratio praedictionis.*

36. Dicit autem: *Oportet*, id est, *necessarium* est, non simpliciter, sed ex praesuppositione divinae dispositionis et promissionis, secundum illud Actuum tertio [8]: « Deus autem quae praenuntiavit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, implevit sic ». Vel *oportet*, id est, *opportunum* est et expediens, iuxta quod prophetavit Caiphas; Ioannis undecimo [9]: « Expedit, ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat ». *Oportet,* inquam, *multa pati*, quia *pro multis* animabus redimendis, multis culpis remittendis, multis reatibus absolvendis; Isaiae quinquagesimo tertio [10]: « Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra ». « Omnes nos quasi oves erravimus; unusquisque in viam suam declinavit, et Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum ». — Passus est etiam *multa* et *magna*, passus est etiam *a multis* et *magnis;* propter quod addit: *Et reprobari a senioribus et principibus sacerdotum et scribis. Seniores* praecellebant antiquitate, *principes* auctoritate, sed *scribae* ratione doctrinae, ut sic impleretur illud Isaiae primo [11]: « Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me ». — Et quia passio Christi terminanda in morte erat, ideo additur: *Et occidi*, scilicet oportet, secundum illud Danielis nono [12]: « Occidetur Christus ». Sed ne credatur, quod *invitus*, ideo Isaiae quinquagesimo tertio: « Tradidit in mortem animam suam ». — Sed quia passio haec vivificativa erat mortuorum, ideo addit: *Et tertia die resurgere*, secundum illud Osee sexto [13]: « Vivificabit nos post duos dies et in die tertia suscitabit nos ». Huius figuram dicit Salvator praecessisse in Iona Matthaei duodecimo: « Sicut fuit Ionas » etc. — Ex his igitur apparet, quae est perfecta fidei notitia, in qua Christi fundatur Ecclesia, scilicet per quam approbatur divinus honor, reprobatur humanus error, asseritur mediator et agnoscitur reparator.

*De opportunitate passionis.* — *Aliter.* — *Notandum.*

37. (Vers. 23.). *Dicebat autem ad omnes* etc. Ostenso, qualiter Christus secundum fidem est cognoscendus, hic secundo ostenditur, qualiter *per crucem est imitandus*, quia [14] « fides mortua est sine

*Imitatio Christi per crucem suadetur per quatuor.*

---

[1] Vers. 24. — Superius pro *Intelligitur etiam uncti natura* [ita B], *gratia* A *Intelligitur in natura uncti gratia*, ita etiam primitus D, qui a secunda manu correctus legit *Intelligitur gratia;* Vat. *Intelligitur etiam uncti, gratia,* C H *Intelligitur* [H addit *etiam*] *gratia et natura uncti, g atia.*

[2] Cfr. supra Prooem. n. 3. et c. 4. n. 36.; vide C. *cum venisset.* X. de sacra Unctione (I. Decret. Gregor. tit. XV.). — Superius pro *et sanctitatis* (ita A B D), quod C omittit, H *et pietatis sive bonitatis*, Vat. *et bonitatis*. Vat. omittit seq. propositionem *Et in hoc apparet... obnubilantis.*

[3] Vers. 11. — Subinde allegatur Luc. 22, 32. — Superius pro *stravit* C D G H *sternit.*

[4] Ita etiam Card. Hugo et Lyranus; Vat. cum Vulgata *illos.* — Superius pro *cognitionem* G *recognitionem*, H *agnitionem.*

[5] Vers. 7. et 8. Pro *quae abscondita est* nonnulli codd. *absconditam.* [6] Vers. 29.

[7] Vers. 31. et 34. Pro *duodecim* A C D G *discipulos*, H *duodecim discipulos suos.* — Subinde allegatur Luc. 24, 44. et 45.

[8] Vers. 18. Codd. C D G H: *Deus autem, qui praenuntiavit* etc. — Superius pro *Dicit autem:* Oportet, *id est, necessarium est* codd. *Dicit autem* opportunum *vel* [B *et*] *necessarium*, et immediate post pro *sed ex praesuppositione* (ita H) D *sed ex praeordinatione*, alii codd. cum Vat. *sed ex praesumtione.* Cfr. paulo inferius secunda expositio.

[9] Vers. 50. — Superius pro *Vel oportet* A C D *Vel oportuit.*

[10] Vers. 5. et 6.

[11] Vers. 2. — Superius post *magna* H prosequitur *et amara; passus est etiam a magnis* [etiam A C D ante *magnis* omittunt *multis et*] *et ingratis.*

[12] Vers. 26, post quem Isai. 53 12. — Superius pro *terminanda in morte erat* (ita A D) Vat. *gravior* [B *ultimata*, H *ultimanda*] *erat inter omnes passiones.*

[13] Vers. 3, cui subiungitur Matth. 12, 40.

[14] Ut dicitur Iac. 2, 20; cfr. v. 26.

operibus ». Quoniam autem difficile est ferre crucem, ideo ad hoc invitat quadruplici consideratione, scilicet ex consideratione *sui exempli, proprii periculi, futuri iudicii* et *regni divini;* ut, si non movent monita, moveant exempla, vel saltem pericula, vel futura iudicia, vel saltem promissa [1].

Consideratio prima.

Primo igitur invitat *consideratione sui exempli,* cum dicit: *Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire,* id est me imitari, ad quod non cogo, sed invito; ideo dicit: *Si quis vult;* Ecclesiastici decimo quinto [2]: « Si volueris mandata servare, conservabunt te ». « Apposuit tibi aquam et ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam ». Unde Chrysostomus [3]: « Si quis aurum daret, aut thesaurum apponeret, non vocaret cum violentia, sed currerent homines; multo magis ad ea quae sunt in caelis. Si enim natura rerum persuadet currere; si non curris, non es dignus accipere ». Ideo dicit: *Si quis vult* exemplum meum sequi. — *Abneget semetipsum,* per *omnimodam humilitatem,* captivando sensum, affectum et « intellectum in Christi obsequium [4] »; quod notat in hoc quod dicit: *Semetipsum.* Et hoc est consilium Ecclesiastici, septimo: « Humilia valde spiritum tuum »; et hoc quidem necessarium est volenti sequi humilem Christum. Unde Gregorius in Glossa [5]: « Nisi quis a se ipso deficiat, ad eum qui supra se est, non appropinquat ». — Sed hoc non sufficit; ideo addit: *Et tollat crucem suam quotidie,* per *continuam austeritatem,* ut possit dicere illud Pauli ad Galatas secundo [6]: « Christo confixus sum cruci »; et secundae ad Corinthios quarto: « Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes ». Et ideo dicitur ad Galatas quinto: « Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis ».

Abnegatio sui per humilitatem.

Per austeritatem.

38. Nota, quod dicit: *Quotidie,* quia quotidie poenitentia crucis debet esse nova et recens, ut dicat semper [7]: « Dixi: Nunc coepi », sicut beatus Franciscus, qui in morte dicebat, quod tunc incipiebat bene facere: « Fratres, incipiamus et proficiamus, quia nunc usque parum profecimus ». Crux namque Christi renovativam habet naturam; unde secundae ad Corinthios quarto: « Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem ». — Ad perfectam autem Christi imitationem non sufficit humilitas et austeritas, sed etiam necessaria est *paupertas.* Ideo addit: *Et sequatur me,* scilicet per *altissimam paupertatem,* qua nihil omnino volebat portare in via, ut recte et expedite perveniret ad patriam. Ideo dicebat Petrus Matthaei decimo nono [8]: « Ecce, nos reliquimus omnia et secuti sumus te »; super quo Bernardus: « Bene, Petre, et non ad insipientiam tibi; quia currentem sequi non poteras oneratus ». Et hoc est valde honorabile, licet videatur vile, quia, Ecclesiastici vigesimo tertio [9], « magna gloria est sequi Dominum ».

Notandum.

Beatus Franciscus.

Per paupertatem.

Ex hoc autem verbo elicitur triplex consilium et votum religiosorum, scilicet *obedientiae* in abnegatione, *castitatis* in cruce et *paupertatis* in subsecutione; sed « non omnes capiunt verbum illud, sed quibus datum est a Patre meo », sicut dicitur Matthaei decimo nono [10]; ideo praemittit: *Si quis vult* etc. Ut nemo se excuset, quasi non habeat gratiam, dicit: *Si quis vult* etc., quasi dicat, quod gratia Dei nobis praesto est, si non desit voluntas; ad Hebraeos duodecimo [11]: « Contemplantes, ne quis desit gratiae Dei ».

Insinuator triplex consilium et votum.

39. (Vers. 24.). Secundo invitat consideratione *proprii periculi,* cum ait: *Qui enim voluerit animam suam salvam facere perdet eam* [12], id est, qui voluerit salvare in praesenti vitam perdet vitam in futuro, scilicet pro vita momentanea perdet aeternam; unde Ioannis duodecimo: « Qui amat animam suam perdet eam »: quia qui nimis amat inique amat, et « qui diligit iniquitatem odit animam suam », sicut dicitur in Psalmo. Qui enim diligit animam suam supra Deum perdit Deum, et perdendo Deum perdit per consequens se ipsum. Et ideo dicebat Paulus Actuum vigesimo [13]: « Non facio animam meam pretiosiorem quam me ipsum ». — Et quia ista videtur esse dura sententia, ideo probat a contrario sensu: *Nam qui perdiderit animam suam propter me,* in hac scilicet vita, *salvam faciet illam,* scilicet in futura vita, secundum illud secundi Machabaeorum septimo [14]: « Tu quidem in praesenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro suis

Secunda.

---

[1] Vat. *vel certe futura iudicia, vel tandem promissa.*

[2] Vers. 16. et 17.

[3] Homil. 55. (alias 56.) in Matth. n. 1, ubi pro *sed currerent homines* [H addit *cum benevolentia,* Vat. substituit *omnes*] textus originalis *si vero ad haec sine violentia itur.*

[4] Epist. II. Cor. 10, 5: In captivitatem redigentes omnem intellectum etc. — Subinde allegatur Eccli. 7, 19.

[5] Scilicet *ordinaria* ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 32. n. 2. Pro *ad eum* H *ad Deum.*

[6] Vers. 19. — Duo seqq. loci sunt II. Cor. 4, 10. (A C D G: *Semper crucis mortificationem in corpore* etc.) et Gal. 5, 24.

[7] Illud Ps. 76, 11. — De sententia, quam S. Franciscus moriens proferebat, cfr. S. Bonav., Legenda S. Franc. c. 14. Subinde allegatur II. Cor. 4, 16.

[8] Vers. 27. — Sententia Bernardi habetur in Declamationibus de colloquio Simonis cum Iesu ex S. Bernardi sermonibus, auctore Gaufrido abbate, II. n. 2. Textus originalis post *non ad insipientiam tibi* [Ps. 21, 3.] plura addit.

[9] Vers. 38.

[10] Vers. 11, ubi Vulgata et Vat. omittunt *a Patre meo* (cfr. Ioan. 6, 66.).

[11] Vers. 15.

[12] Ita etiam Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 32, Card. Hugo et B. Albert.; Vulgata et Vat. *perdet illam;* cfr. Ioan. 12, 25, paulo inferius allegatus. — Sequitur Ps. 10, 6. — Inferius pro *nimis amat* Vat. *minus amat.*

[13] Vers. 24. — Glossa *interlinearis* in Luc. 9, 24: *Qui enim voluerit animam suam salvam facere perdet,* in futuro, *illam,* vitam aeternam. *Nam,* e contrario, *qui perdiderit animam suam,* vitam praesentem, *propter me* etc.

[14] Vers. 9. — Sequitur Act. 21, 13.

legibus in aeternae vitae resurrectione suscitabit ». Et ideo dicebat Paulus Actuum vigesimo primo: « Ego non solum alligari, sed et mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu ». Sic ergo *perdere animam* pro Christo est *salvare; velle animam salvare* est eam *perditioni exponere,* iuxta illud ad Romanos octavo[1]: « Si secundum carnem vixeritis, moriemini »; et hoc est maximum periculum.

40. (Vers. 25.). Et ideo in eius exaggeratione Confirmatur. adiungit: *Quid enim proficit homini*[2]*, si lucretur universum mundum,* et hoc temporaliter, *se ipsum autem perdat et detrimentum sui faciat?* et hoc sempiternaliter; quasi dicat: nihil, quia qui perdit se omnia perdit, ideo non prodest, sed obest. Ideo Iacobi quinto[3]: « Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quae advenient vobis ». Et ratio huius est, quia, sicut dicit Augustinus in sermone de Innocentibus[4], « nemo habet iniustum lucrum sine iusto damno, lucrum in arca, damnum in conscientia, tulit vestem et perdidit fidem, acquirit pecuniam et perdidit iustitiam », et sic per consequens animam suam. Unde Isidorus[5]: « Si haberes sapientiam Salomonis, si pulcritudinem Absalonis, si fortitudinem Samsonis, si longaevitatem Henoch, si divitias et potestatem Octaviani; quid prodest tibi, si tandem caro datur vermibus, anima daemonibus cum divite crucianda sine fine »?

41. (Vers. 26.). Tertio invitat ad crucis portaTertia. tionem consideratione *futuri iudicii,* cum ait: *Nam qui me erubuerit,* scilicet imitari, *et meos sermones,* scilicet confiteri, contemnendo Christi crucem tanquam ignominiosam, et etiam doctrinam eius ex mala erubescentia, de qua dicitur Ecclesiastici quarto[6]: « Pro anima tua non confundaris dicere verum; est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gratiam et gloriam ». In quo dat intelligere, quod non debemus erubescere veritatem Christi, exemplo Apostoli, qui dicebat ad Romanos primo[7]: « Non erubesco Evangelium; virtus enim Dei est » etc. Sed erubescere debemus vilitatem peccati, iuxta illud ad Romanos sexto: « Quem fructum habuistis, in quibus nunc erubescitis »? Sed multi non erubescunt peccati deformitatem, de quibus Ieremiae octavo[8]: « Confusi sunt, quia abominationem fecerunt, quinimmo confusione non sunt confusi et erubescere nescierunt »; et iterum: « Frons mulieris meretricis facta est tibi » etc. Talis erubescit humilitatem Christi. — Et de hoc adiungit: *Hunc Filius hominis erubescet,* id est, erubescentem faciet, vel sicut erubescendum abiiciet iusto suo iudicio, quo dicitur primi Regum secundo[9]: « Qui me honorificaverit, honorificabo eum; qui autem contemnunt me erunt ignobiles », et hoc in die iudicii. — Et Notandum. ideo subiungit: *Cum venerit in maiestate sua et Patris et sanctorum Angelorum;* in quo tangit iudiciariam potestatem quantum ad *principium causalitatis* in Patre, quantum ad *privilegium excellentiae* in se et quantum ad *ministerium obedientiae* in Angelorum multitudine. Unde Matthaei vigesimo quarto[10]: « Tunc apparebit signum Filii hominis in caelo, et tunc plangent omnes tribus terrae et videbunt Filium hominis » etc.; et Isaiae tertio: « Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui ». In hoc iudicio confundentur superbi, et exaltabuntur humiles, secundum illud Psalmi[11]: « Omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua iusti ».

42. (Vers. 27.). Quarto invitat ad considerationem Quarta. *divini regni,* quod suis imitatoribus ostendit, cum subdit: *Dico autem vobis vere: Sunt aliqui hic stantes,* per mentis erectionem, secundum illud Psalmi[12]: « Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Ierusalem ». — Talibus debet ostendi regnum, ut eorum compleatur desiderium; ideo addit: *Qui non gustabunt mortem,* ex animae et corporis separatione; *donec videant regnum Dei,* per revelationem, non per apertam visionem. Nam dictum est Moysi Exodi trigesimo tertio[13]: « Non videbit me homo, et vivet ». Sed hoc dictum est per aliquam specialem revelationem, qua dictum est Moysi: « Ego ostendam tibi omne bonum ». In quo datur intelligi, quod stantes in sermone Christi non gustabunt mortem, sed transibunt ad vitam, secundum illud Ioannis octavo[14]: « Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in aeternum ». — Ex quo ergo Christus se Notandum. per crucem imitantibus promittit tantum praemium, comminatur tam severum iudicium, praetendit tantum periculum, ostendit tantum exemplum; valde

[1] Vers. 13. — Inferius pro *maximum periculum* C *extremum periculum.*

[2] Vulgata *homo;* sed Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 32, Card. Hugo, B. Albert. et Lyranus *homini.* Cfr. Matth. 16, 26.

[3] Vers. 1.

[4] Nunc in appendice Serm. 220. (alias n. 72. in appendice et olim 10. de Sanctis) n. 2, ubi textus originalis in fine: Tollit vestem et perdit fidem, acquirit pecuniam et perdit iustitiam. Cfr. Serm. 8. c. 7. n. 8.

[5] Hanc sententiam etiam Card. Hugo et Gorranus Isidoro tribuunt (sed ubi habetur?), et in ea post *si divitias* Card. Hugo addit *Anchi,* Gorranus *Croesi.* Cfr. Christianus Druthmarus, in Matth. 16, 26. (Migne, Patrolog. Lat. t. 106. col. 1400.).

[6] Vers. 24. seq.

[7] Vers. 16, ubi post *Evangelium* A C D H addunt *Christi.* — Sequitur Rom. 6, 21.

[8] Vers. 12, cui subiungitur 3, 3.

[9] Vers. 30.

[10] Vers. 30. — Subinde allegatur Isai. 3, 14. Cfr. IV. Sent. d. 47. a. 1. per totum, et d. 48. a. 1. q. 1. seqq.

[11] Psalm. 74, 11.

[12] Psalm. 121, 2. — Superius pro *ad considerationem divini regni* H *hoc idem ex consideratione futuri regni divini,* Vat. *ad crucem consideratione caelestis regni.*

[13] Vers. 20, sequitur v. 19.

[14] Vers. 51. — Glossa *ordinaria* (secundum Ambros., VII. in Luc. n. 2.) in Luc. 9, 27: Qui stat cum Christo non gustat mortem, quia nec tenuem mortis aeternae sensum habebit qui Christi consortia meruerit, cui nec in morte interrumpitur ordo vivendi.

durus est qui non movetur ad ipsum imitandum. Propter quod dicitur ad Hebraeos duodecimo[1]: « Habentes tantam nubem testium impositam, curramus » etc.; et ultimo: « Exeamus ad eum extra castra, improperium eius portantes; non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus ».

Secundo, de suavitate patriae dicuntur tria.

43. *Factum est autem post haec verba.* Post exhortationem ad asperitatem viae subiungit Evangelista *ostensionem suavitatis gloriae*[2]. Procedit autem hoc ordine. Primo enim describit *revelationem gloriae promissae;* secundo vero, *considerationem gloriae revelatae*, ibi[3]: *Petrus autem, et qui cum ipso erant;* tertio vero, *confirmationem revelationis ostensae*, ibi: *Factum est autem in sequenti die*, et hoc quidem facit per admirabilem curationem daemoniaci.

Revelatio gloriae describitur primo quoad tria antecedentia.

*Revelationem autem futurae gloriae* dupliciter describit Evangelista: primo, quoad antecedentia; secundo, quoad concomitantia, ibi[4]: *Et facta est, dum oraret* etc. — Sciendum autem, quod quantum ad transfigurationem Christi fuerunt antecedentia sive disponentia tria, scilicet *exigentia termini, eligentia consortii* et *eminentia loci.* Haec autem tria sunt, quae Deus observat in communicando revelationes divinas.

Quoad exigentiam termini.

44. (Vers. 28.). Primo igitur quantum ad *exigentiam termini* dicit: *Factum est autem post haec verba fere dies octo.* Quoniam enim Dominus promiserat, se gloriam discipulis ostensurum, et « Dominus non tardat promissionem suam », sicut dicitur secundae Petri tertio[5]; ideo inter promissionem et impletionem non debuit nisi modicum spatium temporis intervenire, scilicet unius septimanae. Cuius figura praecessit in desponsatione Rachel, de qua dixit Laban ad Iacob[6]: « Imple hebdomadam dierum huius copulae, et hanc quoque tibi dabo ». — Et hoc notat, cum dicit, *factum fere dies octo*, quia octavo die hoc fecit, revoluto ordine septimanae, qui non sunt octo dies completi propter defectum partis primae et ultimae diei; et Matthaei decimo septimo[7] et Marci nono non computantur primus et ultimus dies, sed intermedii integri. Nam ibi dicitur: « Factum est post dies sex », in quo non est aliqua contrarietas, sed una sententia aliam explanat. Voluit autem Spiritus sanctus utroque modo exprimere propter insinuationem mysterii. Quia autem sex diebus mundum Deus fabricavit et post diem sextum requievit[8], ideo sex diebus erat laborandum et post contemplationi vacandum. Ideo ad hoc insinuandum dicit Matthaeus: « Post dies sex ». Sed quoniam perfecta et summa quies et contemplatio non est ante octavam, scilicet resurrectionem; ideo hic dicit: dies octo. Et hoc est quod dicitur in Glossa[9] a Beda et Ambrosio: Post haec verba etc.

Difficultas solvitur.

Quoad eligentiam consortii.

45. Secundo quantum ad *eligentiam consortii* dicitur: *Et assumsit Petrum, Ioannem et Iacobum.* Hos tres assumsit tanquam magis intimos et familiares, sicut assumsit, supra octavo[10], in suscitatione puellae. Ideo *tres* assumit propter commendandum mysterium Trinitatis et propter firmitatem testimonii; unde in Glossa dicitur: « Ut tribus idoneis testibus totus mundus crederet ». Ideo autem *hos tres* specialiter eligit propter *eminentiam*, quam considerabat in eis: quia *Petrus* futurus erat primus in Ecclesia gubernanda, sicut dicit Matthaeus decimo sexto[11]: « Tu es Petrus » etc. « Tibi dabo claves regni caelorum ». Et *Iacobus* primus interficiendus erat inter Apostolos pro Ecclesia multiplicanda; Actuum duodecimo dicitur de Herode, quod « occidit Iacobum, fratrem Ioannis, gladio ». *Ioannes*, praecipuus in Matre custodienda; Ioannis decimo nono: « Videns Iesus Matrem et discipulum stantem » etc. — Vel ideo hos tres assumit propter *instructionem figurae.* Per hos triplex status in Ecclesia salvandorum designatur, scilicet *praelati* in Petro, *activi* in Iacobo, *contemplativi* in Ioanne, sicut in Noe, Daniele et Iob[12]; vel in Petro *coniugati*, in Iacobo *continentes*, in Ioanne *virgines*, secundum triplicem continentiam, cui debetur fructus trigesimus, sexagesimus et centesimus[13]. Nam de uxore Petri legimus, de virginitate Ioannis, de Iacobo neutrum dicitur expresse.

Ratio 1.

Ratio 2.

---

[1] Vers. 1, et 13, 13. seq.

[2] Cfr. supra n. 29.

[3] Vers. 32, ubi Vulgata et Vat.: *Petrus vero, et qui cum illo erant* (ita etiam codd. infra n. 56. et 57.); tertium habetur v. 37.

[4] Vers. 29.

[5] Vers. 9. Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 32. n. 6: Discipulis enim rudibus etiam de praesenti vita aliquid promittendum fuit, ut possent robustius in futura solidari.

[6] Gen. 29, 27.

[7] Vers. 1, post quem Marc. 9, 1. — Haec expositio est secundum Hieron., III. Comment. in Matth. 17, 1; secundum August., II. de Consensu Evangelist. c. 56. n. 113. et Damasc., Homil. in Transfigurat. Domini, n. 6.

[8] Gen. 2, 2. Cfr. Exod. 20, 10, seq., Deut. 5, 13. seq. (ubi adiungitur, quod septimo die non sit laborandum) et Hebr. 4, 4.

[9] Scilicet *ordinaria* in Luc. 9, 28, quae est secundum Ambros., VII. in Luc. n. 7, et Bedam, III. in Luc. 9, 28. Cfr. etiam Glossa in Matth. 17, 1. et Marc. 9, 1. — Superius post *octavam* Vat. addit *aetatem.*

[10] Vers. 51. — Sequitur Glossa *interlinearis.* Respicitur Deut. 19, 15: « In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum ». Ambros., VII. in Luc. n. 9: Tres igitur eliguntur... quia nemo potest resurrectionis gloriam videre, nisi qui integrum mysterium Trinitatis incorrupta fidei sinceritate servaverit. — Superius Vat. *ad electionem* pro *ad eligentiam;* cfr. n. 43.

[11] Vers. 18. et 19. — Duo seqq. loci sunt Act. 12, 2. et Ioan. 19, 26. Eodem modo explicat Ambros., VII. in Luc. n. 9. Cfr. Damasc., Homil. de Transfigurat. Domini, n. 9.

[12] Cfr. supra pag. 172, n. 31. in fine.

[13] Cfr. supra pag. 192, nota 2, et Anselm., Homil. 4. in Matth. 17. 1. — Hieron., Epist. 118. (alias 34.) n. 4: Habuit et Petrus [uxorem], et tamen cum reti eam et navicula dereliquit. De Ioanne cfr. supra pag. 143, nota 9. Iacobus, de quo hic sermo, Matth. 17, 1. exhibetur ut frater Ioannis, ideoque filius Zebedaei, dum alter Iacobus, qui primus Ierosolymitanam rexit Ecclesiam, fuit filius Alphaei. De controversia hac de re exorta cfr. Petr. Comestor, Histor. scholast. in Evang. c. 86, et Lyranus in Matth. 17, 7. — Glossa *ordinaria* in Luc. 9, 28: Per Petrum praepositi sive coniugati, per Iacobum poenitentes vel actuales, per Ioannem virgines vel theorici.

*Quoad eminentiam loci.*

46. Tertio vero quantum ad *eminentiam loci* subiungit: *Et ascendit in montem, ut oraret. Mons* enim est locus eminens et a terrenis ad caelestia porrectus, et ideo contemplationi et orationi idoneus. Talis erat hic mons; unde dicitur Matthaei decimo septimo [1], quod « duxit eos in montem excelsum seorsum », ut scilicet sequestrati essent a turba et a terrenis. Et tales sunt divinis revelationibus apti; unde Exodi tertio [2] dicitur de Moyse, quod « cum minasset gregem ad interiora deserti, venit usque ad montem Dei Horeb », ubi scilicet apparuit Dominus in igne rubi. Similiter in Legis susceptione; Exodi vigesimo quarto: « Dixit Dominus ad Moysen: Ascende ad me in montem et esto ibi, daboque tibi duas tabulas lapideas ». Similiter in terrae promissae circumscriptione, secundum illud Deuteronomii ultimo: « Ascendit Moyses de campestribus Moab in montem Nebo, in verticem Phasga, contra Iericho, ostenditque ei Dominus omnem terram Galaad usque Dan ».

*Notandum.*

— Ex his igitur colligitur, quod mons est idoneus ad divinas apparitiones, instructiones et contemplationes. Unde Beda in Glossa [3]: « In monte oraturus ascendit, ut innuat, quia qui resurrectionem exspectant mentem in excelsis elevare et continuis precibus debent insistere », et hoc in monte propter sui eminentiam, secundum illud Deuteronomii trigesimo tertio: « Dominus de Sinai venit et de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan et cum eo Sanctorum millia. In dextera eius ignea lex ». « Et qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina illius »; sicque apparent tria disponentia ad divinam transfigurationem etiam secundum intelligentiam *litteralem*.

*Expositio spiritualis.*

47. *Spiritualiter* autem in his tribus magna est valde informatio volentium pertingere ad videndam Domini transfigurationem per contemplationis excessum. In *numero* enim *dierum* intelligi dantur *gradus* contemplationum succedentium sibi, sicut dies succedit diei. Et secundum Matthaeum [4] numerantur

*Sex dies et sex gradus contemplationis.*

*sex dies* ad insinuandum *sex gradus* contemplationis, quos exprimit Richardus in libro de Arca sive de Contemplatione [5], sic inquiens primo libro, sexto capitulo: « Sex sunt contemplationis genera a se et inter se omnino divisa. Primum est *in imaginatione* et secundum *solam imaginationem;* secundum est *in imaginatione* secundum *rationem;* tertium est *in ratione* secundum *imaginationem;* quartum est in *ratione* secundum *rationem;* quintum est *supra rationem,* sed *non praeter* rationem; sextum est *supra rationem* et videtur esse *praeter* rationem. Duo itaque sunt in imaginatione, duo in ratione, duo in intelligentia ». — Prima duo sunt circa *corporalia,* secunda duo circa *spiritualia*, tertia duo circa *sempiternalia* et incomprehensibilia [6]. — Haec autem sex genera per *sex dies* intelliguntur et per *sex gradus*, quibus ascendebatur ad Salomonis thronum, secundum illud tertii Regum decimo [7], quod « Salomon fecit sibi thronum de ebore grandem et vestivit eum auro fulvo nimis, qui habebat sex gradus ». Et huic numerus perfectionis congruit; est enim senarius primus numerus perfectorum.

*Convenientia huius numeri.*

*De numero octo dierum et graduum.*

48. Secundum autem Lucam computantur *octo dies.* Lucas enim agit de hac apparitione, secundum quod exprimit *gloriam* post resurrectionem; quod patet, quia ibi [8] tangit *somnum* et *evigilationem;* ideo insinuat *octo gradus*, quorum septem sunt in via, octavus reservatur in patria. De his septem dicit Augustinus in libro de Quantitate animae in fine [9]: « Ascendentibus, inquit, sursumversus primus gradus docendi causa dicatur *animatio;* secundus, *sensus;* tertius, *ars;* quartus, *virtus;* quintus, *tranquillitas;* sextus, *ingressio;* septimus, *contemplatio* »; post non restat nisi *beata visio;* et sic sunt fere octo dies. Et ut dicit [10], « primus est *de* corpore, secundus *per* corpus, tertius *circa* corpus, quartus *ad se ipsam*, quintus *in se ipsa*, sextus *ad Deum*, septimus *apud Deum* ». Et hi gradus non tantum dicunt gradus contemplationis, sed quibus venitur ad contemplationem.

*Frater Aegidius.*

Quidam autem, licet simplici sermone, sed non scientia, frater Aegidius, quem frequentissime rapi probatum est, sic distinguit gradus dicens [11]: Septem sunt gradus contemplationis: primus est *ignis;* secundus est *unctio;* tertius est *ecstasis;* quartus, *contemplatio;* quintus, *gustus;* sextus, *requies;* septimus, *gloria;* post quos non restat nisi *felicitas sempiterna.* — His igitur septem diebus pervenitur

---

[1] Vers. 1. Cfr. supra pag. 225, nota 5, et Anselm., loc. cit. — Superius pro *porrectus* G *erectus.*

[2] Vers. 1. et 2. — Duo seqq. loci sunt Exod. 24, 12, et Deut. 34, 1.

[3] Scilicet *ordinaria* apud Lyranum in Luc. 9, 28. (apud Strab. in Marc. 9, 1.), post quam Deut. 33, 2. et 3. — Superius pro *instructiones* G *institutiones.*

[4] Cap. 17, 1. Cfr. supra n. 44.

[5] Sive *Beniamin maior*, dum liber, qui agit de praeparatione animi ad contemplationem, vocatur *Beniamin minor* et incipit: Beniamin adolescentulus in mentis excessu [Ps. 67, 28.]. Prior vocatur de *arca,* quia ea quae Moyses de arcae foederis fabricatione narrat, mystice exponuntur de contemplatione. — Inferius pro *inquiens* A C D H *inquirens.*

[6] Ut insinuat Richard. a S. Vict., loc. cit. c. 7. seqq.

[7] Vers. 18. et 19. Cfr. Breviloq. p. V. c. 6. circa finem; Itiner. mentis in Deum, c. 1. n. 5. et c. 7. n. 1. — De numero senario cfr. supra c. 1. n. 41. et tom. V. pag. 351, nota 7.

[8] Vers. 32.

[9] Cap. 35. n. 79, ubi pro *primus gradus* textus originalis et Vat. *primus actus*, scil. animae.

[10] Loc. cit. pro *ad se ipsam* et *in se ipsa*, scil. anima (ita textus originalis), codd. *ad se ipsum* et *in se ipso*, Vat. *in se ipsam*, quae etiam inferius pro *dicunt* substituit *dicuntur.*

[11] Wadding. II. Annal. Minor. ad annum 1262. n. 23: Ego vero (inquit Leo in sua Legenda) timens, hominem [scil. Fr. Aegidium], cum quo summe desiderabam longius loqui, raptum iri, si quidquid de contemplationibus, aut rebus divinis dixissem, finxi, me longius ire, et breviter dixi: Multi multa dicunt; et rogavi, ut quid ipse sentiret, mihi aperiret. Compendio dixit vulgari et simplici loquela: Ignis, unctio, ecstasis, contemplatio, gustus, requies, gloria.

usque ad diem octavum gloriae; quos voluit in assignatione temporis Spiritus sanctus designare.

49. Per *tres* autem *personas assumtas* dantur intelligi *tres virtutes* ad contemplandum necessariae, scilicet *fides, spes, caritas; fides,* per Petrum, qui interpretatur agnoscens; *spes,* per Iacobum luctatorem; per Ioannem, in quo gratia, *caritas* [1]. Sine his autem pennis nullus potest conscendere ad montana. — Vel per tres personas intelligimus *tres dispositiones* necessarias animae contemplativae, scilicet *industriam, disciplinam* et *gratiam* [2]: prima in Petro, secunda in Iacobo, tertia in Ioanne. Oportet enim, *intelligentiam* illuminari, *concupiscentiam* domari et *affectum* inflammari, ut possimus sursum cum Domino ferri. Aliquo horum deficiente, contemplationis negotium perit. — Vel per has tres personas intelliguntur *tres modi ascendendi* in apicem contemplationis. Uno enim modo ascenditur per viam *splendoris,* et hunc modum ascendendi docet beatus Augustinus [3], et hic designatur per Petrum. Alio modo ascenditur per viam *doloris et gemitus,* et hic in Iacobo, et iste modus est communis orantibus. Tertio modo per viam *amoris,* et hunc docet Dionysius [4], et hic designatur per Ioannem; et hic est praecipuus inter omnes, in quo maxime gratia movet; in primo autem multum valet industria vel scientia; secundus autem modus quasi permixtus est inter gratiam et naturalem industriam et acquisitam.

Quid significent tres personae. Primo. Secundo. Tertio.

50. Per *locum* autem, in quem ascendit, recte intelligi potest eminentia vitae *contemplativae.* Est enim mons locus *magisterii;* unde dicitur Matthaei quinto [5], quod « ascendit Iesus in montem, et cum sedisset » etc. Et ex hoc datur nobis intelligi, quod vita contemplativa abundat *cognitione,* et ideo in persona contemplativorum dicit Isaias, secundo: « Venite, ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos » etc.; unde et de Moyse dicitur Exodi vigesimo quarto, quod « ascendit in montem et fuit ibi quadraginta diebus et quadraginta noctibus », et tunc accepit Legem. — Est etiam mons locus *sacrificii,* secundum illud Genesis vigesimo secundo [6]: « Tolle unigenitum filium tuum, quem diligis Isaac, et offer illum mihi super unum montium, quem monstravero tibi »; et Exodi tertio: « Cum eduxeris populum de Aegypto, immolabis Deo super montem istum ». Ex quo colligitur, quod vita contemplativa abundat *devotione;* unde anima contemplativa Canticorum quarto: « Vadam ad montem myrrhae et ad collem thuris » etc. — Est etiam mons locus *incendii* propter radios solis; unde Ecclesiastici quadragesimo tertio [7]: « Tripliciter sol exurens montes et radios igneos exsufflans »; et hoc propter multam refulgentiam, iuxta illud primi Machabaeorum sexto: « Refulsit sol in clypeos aureos et aereos, et resplenduerunt montes ab eis sicut lampades ignis ». Ex quo datur intelligi, quod contemplativa abundat *caritate;* in cuius rei signum Exodi decimo nono dicitur: « Totus mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus Deus super eum in igne ». — Est etiam mons locus *refugii;* unde Genesis decimo nono [8]: « In monte salvum te fac »; et Matthaei vigesimo quarto dicitur, imminente persecutione: « Tunc qui in Iudaea sunt fugiant ad montes ». Ex quo intelligitur, quod contemplativa abundat *defensione;* unde in persona viri contemplativi dicitur in Psalmo: « Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi ». — Est etiam mons locus *silentii;* unde dicitur tertii Regum decimo nono [9], quod « Elias pervenit usque ad montem Dei Horeb » et « mansit in spelunca »; et de Christo, Matthaei decimo quarto, quod « ascendit in montem solus orare ». Ex quo intelligitur, quod contemplativa abundat *tranquillitate;* unde de contemplativis dicitur in Psalmo: « Suscipiant montes pacem populo et colles iustitiam ». — Est etiam mons locus *pascuae,* iuxta illud Iob trigesimo nono [10]: « Circumspicit montes pascuae suae et virentia »; Ezechielis trigesimo quarto: « In pascuis uberrimis pascam eos, in montibus excelsis Israel erunt pascua eorum ». Ex quo intelligitur, quod contemplativa abundat *suavitate;* unde Ioelis ultimo de contemplatione: « In die illa stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lac et mel ». — Est postremo mons locus *eminentiae,* secundum illud Isaiae secundo [11]: « Erit praeparatus mons domus Domini in vertice montium »; et de Elia dicitur tertii Regum decimo octavo, quod « ascendit Elias in verticem montis »; et sequitur post, quod vidit nubeculam ascendentem de mari. Ex quo intelligimus, quod vita contemplativa superabundat *sursum-agilitate;* in cuius rei signum Dominus de monte Oliveti ascendit in caelum [12]; et de anima sancta dicitur in figura Annae Tobiae undecimo, quod « sedebat in supercilio montis »,

Quid significet mons. Est locus magisterii. Item, sacrificii. Item, incendii. Item, refugii. Item, silentii. Item, pascuae. Item, eminentiae.

---

[1] Cfr. supra c. 6. n. 36. et 39, ubi interpretatio nominum Apostolorum ponitur. — Glossa *ordinaria* in Luc. 9, 28:. Signant [tres Apostoli] illos qui habent fidem, spem, caritatem.

[2] Cfr. Itinerar. mentis in Deum, c. 7. n. 5; in Hexaëm. collat. 2. n. 3. et collat. 22. n. 24. seqq. — Inferius pro *domari* Vat. *dominari.*

[3] Num. 48. allegatus.

[4] De Div. Nom. c. 3. § 1, c. 4. § 1. seqq., c. 7. § 1. et de Mystica Theolog. c. 7. § 1. seqq. Cfr. de his Qq. disp. de Scientia Christi, q. 7. in corp. et in fine; Breviloq. p. V. c. 6. in fine et Itinerar. mentis in Deum, c. 7. n. 4. seqq. — Inferius pro *et acquisitam* Vat. *vel scientiam.*

[5] Vers. 1. — Duo seqq. loci sunt Isai. 2, 3, et Exod. 24, 18. cfr. supra n. 46.

[6] Vers. 2, post quem Exod. 3, 12. et Cant. 4, 6.

[7] Vers. 4, cui subiunguntur I. Mach. 6, 39. et Exod. 19, 18.

[8] Vers. 17, post quem Matth. 24, 16. et Ps. 120, 1.

[9] Vers. 8. seq. — Duo seqq. loci sunt Matth. 14, 23. et Ps. 71, 3.

[10] Vers. 8, post quem Ezech. 34, 14. et Ioel 3, 18.

[11] Vers. 2, cui subiungitur III. Reg. 18, 42. et 44.

[12] Cfr. infra 24, 51. — Duo seqq. loci sunt Tob. 11, 5. et Phil. 3, 20.

quia in persona talium dicitur: « Nostra conversatio in caelis est », ad Philippenses tertio. — Ex his colligi potest excellentia vitae contemplativae, et quantum sit desideranda. Est enim plena *discretione,* plena *devotione,* plena *caritate,* plena *securitate,* plena *tranquillitate,* plena *suavitate,* plena *agilitate.*

Epilogus.

51. (Vers. 29.). *Et facta est, dum oraret* etc. Post antecedentia ad transfigurationem subiungit hic Evangelista *concomitantia* [1]. Haec autem fuerunt tria, scilicet *fulgor aspectus, candor vestitus, honor concomitatus;* ut sic appareat Christus gloriosus et intra se et circa se et iuxta se, ne quid desit gloriae suae.

Revelatio gloriae describitur secundo quoad tria concomitantia.

Primo igitur quantum ad *fulgorem aspectus* dicitur: *Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera;* alterata quidem est per supereminentem claritatis refulgentiam; unde Matthaei decimo septimo [2] dicitur, quod « transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies eius sicut sol ». Nec mirum, quia in hoc ostendit gloriam resurrectionis, de qua Matthaei decimo tertio: « Tunc fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum ». Et ideo in claritatis huius ostensione ostendit discipulis regnum Dei, quia *claritas* est praecipua dos resurgentium, secundum illud primae ad Corinthios decimo quinto [3]: « Alia gloria terrestrium, alia caelestium, alia claritas solis, alia claritas lunae, alia stellarum; stella enim differt a stella in claritate, sic et resurrectio mortuorum ». — Hanc autem *claritatis* dotem ad tempus Christus assumsit, sicut dicitur de *subtilitate,* quam assumsit in nativitate, cum clauso utero matris exivit; *agilitatem,* cum super aquas ambulavit; *impassibilitatem,* cum corpus in Sacramento discipulis tradidit [4]. Sic et *claritatem* hic ad tempus assumsit, propriam tamen effigiem non amisit, sed fuit in eo propria effigies et qualitas consummata sicut *qualitas passibilis,* claritas autem sicut *passio* [5]. Quemadmodum enim pallidus rubescit ad tempus prae verecundia, et fit in eo alteratio ad tempus; sic superna et mira potentia corpus terrestre effectum est ad tempus fulgidum et caeleste. Sive autem fuerit in eo alia dos claritatis, sive non; alia tamen fuit claritas et illi claritati supernae conformis, quae discipulorum oculos divina virtute non corrupit, sed potius confortavit, ita ut possent dicere illud Ecclesiastae undecimo [6]: « Dulce lumen et delectabile oculis videre solem ».

De fulgore aspectus.

Notandum.

52. Secundo vero quantum ad *candorem vestitus* subditur: *Et vestitus eius albus et refulgens,* scilicet factus est. Tanta enim erat albedo, ut prae candore nimio refulgeret, secundum quod dicitur Marci nono [7]: « Vestimenta eius facta sunt splendida nimis et candida velut nix, et qualia fullo super terram non potest candida facere ». Nec mirum; hoc enim designavit candorem, qui apparebit in Sanctis, secundum illud Apocalypsis tertio [8]: « Qui vicerit sic vestietur vestimentis albis »; et septimo: « Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? et unde venerunt » etc.

De candore vestitus.

53. (Vers. 30. 31.). Tertio quantum ad *honorem comitatus* subiungit: *Et ecce, duo viri loquebantur cum eo* [9]. Quia non decebat, Dominum gloriae videri solum, sed habere honorabilem comitatum; ideo quantum ad illum subiungit: *Erant autem Moyses et Elias, visi in maiestate.* Hi autem duo erant personae honorandae: *Moyses,* inquam, propter *legislationem,* secundum illud Numerorum duodecimo [10]: « At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est; ore enim ad os loquor ei, et palam et non per aenigmata et figuras Dominum videt »; *Elias* vero propter *excellentiam prophetiae* cum *miraculorum operatione.* Unde Ecclesiasticus quadragesimo octavo [11] loquens ad Eliam: « Quis potest tibi similiter gloriari? Qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis in verbo Domini Dei ». Unde et propter hanc excellentiam ostendendam Dominus speciali modo apparuit utrisque in figura in monte Horeb: Moysi quidem primo, sicut dicitur Exodi tertio [12], Eliae autem postea, sicut dicitur tertii Regum decimo nono, in eodem scilicet monte Horeb. — Propter igitur eorum honestatem et praecipuam dignitatem apparuit in comitatu eorum; aut certe, quia unus eorum erat mortuus, alter vivus, unus de caelo, alter de inferno [13], ut habeat

De honore comitatus.

Notandum.

---

[1] Vide supra n. 43.

[2] Vers. 2, post quem 13, 43.

[3] Vers. 40-42.

[4] Matth. 26, 26, seq.; ibid. 14, 25. de Christo ambulante super mare, et 1, 25. de eius nativitate (cfr. supra 2, 7.). — In his exhibetur sententia Hug. a S. Vict. et Innocent. III, de quo vide tom. VI. pag. 324, notam 5. — Superius pro *ad tempus,* cui H praemittit *ut dicitur communiter,* Vat. *ad se.*

[5] Vide Aristot., de Praedicam. c. *de Quali,* ubi hae duae ut tertium genus qualitatis exhibentur. Ibid. etiam dicitur: Quod enim fiunt propter aliquam passionem multae colorum mutationes [quae sunt patibiles qualitates], manifestum est; erubescens enim aliquis rubeus factus est, et timens pallidus etc. Cfr. tom. IV. pag. 136, nota 3.

[6] Vers. 7. Cfr. Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 9, 29.

[7] Vers. 2, ubi Vulgata *Vestimenta eius facta sunt splendentia et candida nimis velut nix, qualia* etc.

[8] Vers. 5, post quem 7, 13. — Glossa *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Gregor., XXXII. Moral. c. 6. n. 8.) in Luc. 9, 29: Vestes Domini Sancti sunt, qui Christum induerunt [Gal. 3, 27.] etc.

[9] Ita etiam Beda; Vulgata, quam sequitur Vat., *illo.*

[10] Vers. 7. et 8. — Superius pro *honorandae* Vat. *honorabilissimae.*

[11] Vers. 4. seq. — Superius post *Elias vero* Vat. prosequitur *tum propter excellentiam prophetiae tum miraculorum operationem.*

[12] Vers. 1. seq., cui subiungitur III. Reg. 19, 8. seqq.

[13] Hieron., III. Comment. in Matth. 17, 3: « Ut Apostolorum augeat fidem, dat signum de caelo, Elia inde descendente, quo conscenderat, et Moyse ab inferis resurgente; quod et Achaz per Isaiam [7, 11.] praecipitur, ut petat sibi signum de excelso, aut de inferno ». Chrysost., Homil. 56. (alias 57.) in Matth. n. 2: « Ut discerent, cum et vitae et mortis potestatem

testimonium ex omni genere, et ostendatur, quod ipse est qui vivos et mortuos faciet gloriosos. Unde in Glossa [1] dicitur: « Ideo vivus et mortuus apparent, ut significent Christum moriturum et iterum victurum, et ut nos vivi simus Deo, mortui mundo ». — Vel ideo isti duo apparent, ut ostendatur, quod Lex et Prophetae concordabant Domino Iesu Christo; unde in Glossa Bedae [2]: « Moyses legislator et Elias Prophetarum eximius apparent cum Verbo, ut ostendant, ipsum esse qui locutus est in Lege et Prophetis, et quem Lex et Prophetae promiserunt », ut sic verificetur illud Matthaei vigesimo primo: « Qui praeibant et qui sequebantur clamabant: Hosanna filio David ».

Lex et Prophetae attestantur etiam passioni.

Excessus quadruplex.

54. (Vers. 31.). Et quoniam Lex et Prophetae non tantum attestantur gloriae Christi, sed etiam *passioni*, quae est via in gloriam; ideo subditur: *Et dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem. Excessus* recte nominat passionem, quia in ea fuit excessus *humilitatis*, secundum illud ad Philippenses secundo [3]: « Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens »; et post: « Humiliavit semetipsum » etc. Fuit etiam excessus *paupertatis*, secundum illud Threnorum tertio [4]: « Recordare paupertatis et transgressionis meae, absinthii et fellis ». Fuit excessus *doloris*, secundum illud Threnorum primo: « O vos omnes! qui transitis per viam » etc. Fuit etiam excessus *amoris*, secundum illud ad Ephesios secundo [5]: « Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, cum essemus mortui peccatis » etc.; et ad Romanos octavo: « Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia nobis cum illo donavit »? — Istum excessum complevit in Ierusalem, ubi crucifixus est, in quo fuit consummatio nostrae redemptionis, secundum illud ad Hebraeos secundo [6]: « Decebat eum, propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare ». Unde et ipse praedixit discipulis suis Lucae decimo octavo: « Ecce, ascendimus Ierosolymam, et consummabuntur omnia » etc.

Expositio spiritualis.

55. Secundum autem *spiritualem* intelligentiam in oratione et contemplatione *facies hominis illustratur*, quia, dum facies mentis nostrae ad Deum convertitur, illuminatur, melioratur et perficitur. Quod figuratum fuit in Exodi trigesimo quarto [7], ubi dicitur, quod « cum descendisset Moyses de monte, apparuit facies eius cornuta ex consortio sermonis Domini »; unde et secundae ad Corinthios tertio: « Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, transformamur in eandem imaginem a claritate in claritatem tanquam a Domini spiritu ». — Non solum hoc, sed et *vestitus candescit*, quia conversatio efficitur irreprehensibilis, secundum illud ad Philippenses secundo [8]: « Sitis sinceres, sine querela in medio nationis pravae et perversae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo ». Nec mirum, quia tales conformantur Domino Iesu Christo, secundum illud ad Romanos decimo tertio [9]: « Induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus »; et paulo post: « Non in commessationibus et ebrietatibus, sed induimini Dominum Iesum Christum ». — Non solum hoc, sed etiam *Moyses et Elias colloquuntur,* quia in oratione datur homini intelligentia Scripturarum et mysteriorum propositorum, secundum illud Danielis secundo [10]: « Ingressus est Daniel domum suam sociisque suis indicavit, ut peterent misericordiam a Deo caeli super sacramento isto. Tunc Danieli nocte mysterium revelatum est »; et Sapientiae septimo: « Optavi, et datus est mihi sensus; invocavi, et venit in me spiritus sapientiae ». Ideo autem Moyses et Elias loquuntur cum Domino transfigurato ad certitudinem visionis, quia, ut dicit Richardus [11], « nulli revelationi omnino adhaerendum est, nisi per novum vel vetus valeat confirmari testamentum ».

Notandum.

Consideratio gloriae revelatae describitur quoad quatuor.

56. *Petrus vero, et qui cum illo erant* etc. Post demonstrationem gloriae promissae subiungit hic Evangelista *contemplationem demonstratae.* Hanc autem narrat satis sufficienter, quia secundum statum quadruplicem: primo, quantum ad *initium;* secundo, quantum ad *progressum,* ibi [12]: *Factum est, cum discederent ab illo;* tertio, quoad *consummationem,*

---

habere ac caelestibus pariter atque terrenis imperare; quapropter et eum qui mortuus erat, et eum qui nondum obierat, in medium adducit » (ibid. tres aliae rationes proferuntur). Glossa *ordinaria* (secundum Bedam) in Luc. 9, 30: Per *Moysen* infernales, per *Etiam* caelestes, per *Apostolos* terrestres ad iudicium venturi significantur. — Superius Vat. *honorem* pro *honestatem,* quod habent C D G H.

[1] Scilicet *ordinaria,* in cuius fine textus originalis *et ut vivamus Christo et moriamur mundo.*

[2] Nempe *ordinaria* in Luc. 9, 31: Moyses, id est legislator etc. — Subinde allegatur Matth. 21, 9.

[3] Vers. 7. et 8. — Superius pro *Excessus recte* Vat. *Excessum recte,* H *Et nota, quod valde congrue et recte excessum.*

[4] Vers. 19, post quem 1, 12.

[5] Vers. 4, cui subiungitur Rom. 8, 32.

[6] Vers. 10. Codd. omittunt *et per quem omnia.* — Subinde allegatur Luc. 18, 31.

[7] Vers. 29. — Sequitur II. Cor. 3, 18.

[8] Vers. 15, ubi C D *sinceres,* G et Vat. *fratres,* quod H cum Vulgata omittit, et pro *inter quos* A C G *in quo.*

[9] Vers. 12-14. Vulgata plura interserit.

[10] Vers. 17-19; Vulgata hinc inde plura addit. — Sequitur Sap. 7, 7.

[11] *Beniamin minor* (cfr. supra pag. 231, nota 5.) c. 81, cuius inscriptio est: « Quod suspecta debeat esse omnis revelatio, quam non comitatur Scripturarum attestatio »; et in quo dicitur: Suspecta est mihi omnis veritas, quam non confirmat Scripturarum auctoritas, nec Christum in sua clarificatione recipio, si non assistant ei Moyses et Elias; et in valle et in montis ascensione Christum saepe recipio sine teste, nunquam autem in montis vertice vel in sua clarificatione etc.

[12] Vers. 33: *Et factum est* etc.; tertium habetur v. 34; quartum, v. 35. — Superius voci *demonstratae* D praefigit *gloriae.*

ibi: *Haec autem illo loquente;* quarto, quoad *subtractionem,* ibi: *Et dum fieret vox.*

Primo, quoad initium contemplationis tanguntur duo.

Sciendum autem, quod ad *contemplationem* divinarum revelationum occurrunt duo quasi *in principio,* scilicet *gravamen* ex parte naturae et *iuvamen* ex parte gratiae; primum soporat, et secundum excitat.

Gravamen naturae.

57. (Vers. 32.). Primo igitur quantum ad *gravamen* ex parte naturae obdormientis dicitur: *Petrus vero, et qui cum illo erant gravati erant somno;* et ita omnes deficiebant. Nec mirum, quia infirmitate circumdati erant; unde Sapientiae nono [1]: « Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem ». — Cum enim natura sensuum exteriorum impediat, ne intellectus noster figat oculum in lumen aeternum, oportet in contemplationis principio, ut homo quasi consopitus a sensibus alienetur, quasi per somnum, qui non fit sine gravamine sensuum. Unde anima contemplativa ait Canticorum quinto [2]: « Ego dormio, et cor meum vigilat »; et Iob trigesimo tertio: « Quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo; tunc aperit aures eorum et erudiens instruit eos disciplina »; et de hoc Genesis secundo dicitur: « Immisit Dominus soporem in Adam ».

Notandum.

Iuvamen gratiae.

58. Secundo vero quantum ad *iuvamen* ex parte gratiae excitantis subditur: *Et evigilantes viderunt maiestatem eius et duos viros, qui stabant cum illo.* Haec *vigilia* est per desiderium et amorem Spiritus sancti, secundum illud Isaiae vigesimo sexto [3]: « Domine, anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te ». Haec autem potissime necessaria est in *oratione;* unde Dominus Petro et sociis Matthaei vigesimo sexto [4]: « Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est » etc.; Marci decimo tertio: « Videte, vigilate et orate ». « Quod uni dico, omnibus dico: Vigilate ». — Ad hanc autem vigiliam praecipue nos invitat *promissum praemium,* secundum illud infra duodecimo [5]: « Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes; amen dico vobis » etc. Invitat etiam *praevisum periculum,* secundum illud primae Petri ultimo: « Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus » etc.; et Matthaei vigesimo quarto: « Amen dico vobis: Si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaret utique » etc.

Vigilandum in oratione.

Item, in contemplatione.

59. Maxime autem *contemplationi* necessaria est *vigilia,* quia citissime subtrahitur oblata gratia; unde Canticorum quinto [6]: « Pessulum aperui dilecto meo; at ille declinaverat ac transierat ». — In hac autem *evigilatione* videtur *divina maiestas in creaturis,* secundum illud Sapientiae decimo tertio [7]: « A magnitudine speciei et creaturae » etc.; unde Isaiae sexto: « Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, et plena » etc. — Videtur *divina humilitas in Scripturis;* propter quod dicit: *Et duos viros,* id est Legem et Prophetas, de qua visione infra ultimo [8]: « Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas »; et iterum: « Incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus » etc. — Propter istos duos modos contemplandi factus est duplex liber: Scripturae et creaturae, qui designantur in ascensu et descensu per *scalam Iacob,* Genesis vigesimo octavo [9]; per *egressum et ingressum per ostium,* Ioannis decimo; per *aquilam et eius pullos;* Iob trigesimo nono: « Nunquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila »? et post: « Pulli eius lambent sanguinem ».

Notandum.

Secundo, quoad ipsius progressum tanguntur duo.

60. (Vers. 33.). *Et factum est, cum discederent.* Post contemplationis exordium subiungit *contemplationis progressum;* in quo duo potissime requiruntur, scilicet excedens *gaudium de dono concesso* et excedens *desiderium de continuando,* secundum illud Ecclesiastici vigesimo quarto [10]: « Spiritus meus super mel dulcis ». « Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient ». Per haec enim duo anima in actu contemplationis figitur, sicut comedens in cibo per solatium simul et desiderium.

Gaudium de dono concesso.

Primo ergo quantum ad *gaudium de dono concesso* dicit: *Et factum est, cum discederent ab illo,* id est, discedere vellent; *ait Petrus ad Iesum: Praeceptor, bonum est nos hic esse;* in quo ostendit Petrus, miro modo sibi contemplationis gloriam esse acceptam, quasi dicat illud Prophetae in Psalmo [11]: « Mihi autem adhaerere Deo bonum est »; quia, sicut dicitur Threnorum tertio, « bonus Dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum ». Et propterea dicebat Petrus: *Bonum est nos hic esse;* quia *bonum* est *Christum exspectare,* secundum

Bonum primum.

[1] Vers. 15. — Cfr. I. Sent. d. 2. dub. 1. et 2; d. 3. p. I. q. 1. seqq.

[2] Vers. 2. — Duo seqq. loci sunt Iob 33, 15. seq. et Gen. 2, 21.

[3] Vers. 9. — Superius loco *excitantis* C D G H *evigilantis.*

[4] Vers. 41, post quem Marc. 13, 33. et 37: *Quod autem vobis dico* etc. — Superius pro *Haec autem* [B addit *vigilia*] D *Vigilia autem,* Vat. *Hic autem,* quae etiam subinde pro *in oratione* substituit *oratio.*

[5] Vers. 37. — Duo seqq. loci sunt I. Petr. 5, 8. et Matth. 24, 43. (v. 34: *Amen dico vobis).*

[6] Vers. 6. — Superius pro *contemplationi* secunda manus in D substituit *contemplativis.*

[7] Vers. 5, post quem Isai. 6, 1. et 3: Plena est omnis terra gloria eius.

[8] Vers. 45. et 27. Cfr. supra pag. 234, nota 2.

[9] Vers. 12, cui subiunguntur Ioan. 10, 9; Iob 39, 27. (ubi pro *praeceptum tuum* A C D G *praeceptum suum)* et 30. Cfr. Itinerar. mentis in Deum, c. I. n. 9. Vide etiam Breviloq. p. II. c. 11. seq.

[10] Vers. 27. et 29.

[11] Psalm. 72, 28. — Sequitur Thren. 3, 25.

illud Threnorum tertio [1]: « Bonum est praestolari cum silentio salutare Dei ». — Secundum. *Magis bonum* est *Christum degustare;* primae Petri secundo [2]: « Si tamen gustastis, quoniam suavis est Dominus »; unde et Sapientiae duodecimo: « O quam bonus et quam suavis est Spiritus tuus, Domine, in omnibus »! scilicet rectis corde, secundum illud Psalmi: « Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde »! Unde in persona Christi et animae contemplativae dicit Elcana Annae, uxori suae, primi Regum primo: « Anna, cur fles? Et quamobrem affligitur cor tuum? Nonne ego melior sum tibi quam decem filii »? — Tertium. Sed *maxime bonum cum Christo gaudere,* secundum illud ad Philippenses primo [3]: « Dissolvi et esse cum Christo multo melius est »; et Matthaei vigesimo quinto: « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui ». — Primum ergo bonum, quia *meritum,* secundum magis bonum, quia *viaticum,* sed tertium maxime bonum, quia *praemium.* Omnibus his modis volebat dicere Petrus, maxime ratione gaudii: *Bonum est nos hic esse.*

61. Secundo vero quantum ad *desiderium de dono continuando* adiungit: (Desiderium de dono continuando.) *Et*[4] *faciamus tria tabernacula,* ad continuandum gaudium nostrum, sicut filii Israel fecerunt in figura, secundum illud Levitici vigesimo tertio [5]: « Omnis, qui de genere Israel est, manebit in tabernaculis, ut discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel ». — Notandum. Quia tamen non uniformiter desiderabat consortium illorum trium, ideo non uniformiter omnibus, sed cuilibet optat fieri proprium tabernaculum. Unde addit: *Unum tibi,* tanquam principali; *et unum Moysi,* tanquam legislatori; *et unum Eliae,* tanquam excellenti praedicatori, ut sic secundum diversitates dignitatum distinguantur habitacula mansionum. Sic enim erit in regno caelorum, secundum illud Ioannis decimo quarto [6]: « In domo Patris mei mansiones multae sunt ». — Ratio duplex. Hoc autem dicebat Petrus per *excessivum desiderium,* quod consuevit esse in contemplantibus; et propter hoc additur: *Nesciens, quid diceret,* scilicet prae nimietate desiderii, secundum illud Psalmi [7]: « Quia inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt, et ego ad nihilum redactus sum et nescivi »; et propter *profunditatem mysterii,* secundum illud Canticorum sexto [8]: « Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium et inspicerem » etc.; et paulo post: « Nescivi, anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab ». Et ex hac duplici causa nesciebat Petrus, quid dicebat; unde in Glossa [9]: « Etsi Petrus ex sua infirmitate nescit, quid dicat; insiti tamen sibi dat ardoris indicium, dum eos quos videre delectabat, etiam officio sistere quaerit. Errabat, quia in terra et in hac mortali carne sibi et coapostolis suis dari cupiebat regnum, quod in caelis et carne mortali exspoliatis est promissum ».

62. Notandum autem, quod Petrus decipiebatur (Petri deceptio prima.) primo, quia *volebat manere in statu,* a quo est transeundum. Dicitur enim ad Hebraeos ultimo [10]: « Non habemus hic manentem civitatem »; Petrus autem volebat manere hic. In quo etiam reprehensibiles sunt quidam, qui, dum volunt arcem contemplationis ascendere, volunt quiescere et ad laborem actionis recusant descendere. Et hi designantur per *filios Ruben,* de quibus Numerorum trigesimo secundo [11] dicitur, quod voluerunt ultra Iordanem remanere. « Quibus ait Moyses: Nunquid fratres vestri ibunt ad pugnam, et vos hic sedebitis »? quasi dicat: non. Unde « Iacob vidit scalam in somnis », Genesis vigesimo octavo, et « Angelos », non quiescentes, sed « ascendentes et descendentes per eam ». — Secundo decipiebatur in (Secunda.) hoc, quod *umbram credebat in hoc verificatam;* cum tamen dicat Apostolus primae ad Corinthios decimo tertio [12]: « Videmus nunc per speculum in aenigmate »; et tabernaculum gloriae credebat *materiale,* cum tamen sit *spirituale,* secundum illud Psalmi: « Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis »; hoc est « tabernaculum, quod fixit Dominus, et non homo », sicut dicitur ad Hebraeos octavo. Et hoc potissime cavendum est contemplativis, ne decipiantur in figuris ostensis. — Tertio vero, quia (Tertia.) *dividere volebat unita,* et quod erat unum triplicare volebat. Unum est enim in gloria Sanctorum tabernaculum, secundum illud Ioannis decimo septimo [13]: « Volo, Pater, ut, ubi ego sum, et illi sint

---

[1] Vers. 26.

[2] Vers. 3. — Subinde allegantur Sap. 12, 1; Ps. 72, 1. et I. Reg. 1, 8.

[3] Vers. 23: Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo multo magis melius. — Sequitur Matth. 25, 23.

[4] Codd. A C D G omittunt *Et.*

[5] Vers. 42. et 43. — Superius pro *gaudium nostrum* C D G *gaudium verum,* et pro *sicut* D *sic.*

[6] Vers. 2. Cfr. tom. VI. pag. 436, nota 1. seqq.

[7] Psalm. 72, 21. seq. — De desiderio excessivo in contemplativis cfr. Richard. a S. Vict., Beniamin maior, c. 10. seq. — Superius pro *Hoc autem* C D *Haec autem.*

[8] Vers. 10. et 11.

[9] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) apud Lyranum in Luc. 9, 33: Etsi Petrus ex humana infirmitate etc. Pro *insiti* B C E G *insitum,* A D *ausum;* deinde Vat. cum Glossa omittit *sibi;* porro pro *officio* [Vat. *obsequio*] *sistere* A C D G *officio insistere;* Beda *obsequio Petrus sistere.*

[10] Vers. 14. — Inferius post *qui, dum,* omisso *volunt,* G H prosequuntur *arcem contemplationis ascendere inquirunt* [H *ascendunt*], *volunt,* A D *ascendere volunt et quiescere.*

[11] Vers. 5, ubi filii Ruben Moysen deprecantes dicunt: « Des nobis famulis tuis eam [terram Iazer et Galaad] in possessionem, nec facias nos transire Iordanem ». Sequitur v. 6. — Subinde allegatur Gen. 28, 12, in cuius fine pro *per eam* C D G H *in ea.*

[12] Vers. 12; vocibus *in aenigmate* A C D H praefigunt *et.* — Duo seqq. loci sunt Ps. 41, 5: *Transibo in* etc., et Hebr. 8, 2. — Inferius pro *spirituale* Vat. *speciale.*

[13] Vers. 24, cui subiunguntur Apoc. 21, 3. et Ioan. 10, 16. — Superius pro *unita* C D *unica,* pro quo secunda manus in D substituit *unicum.*

mecum »; et Apocalypsis vigesimo primo: « Ecce, tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis »; et Ioannis decimo: « Fiet unum ovile et unus pastor ». Haec autem deceptio non erat per iudicium et assensum, sed magis propter mentis excessum, de quo secundae ad Corinthios quinto [1]: « Sive mente excedimus, Deo » etc.; et Psalmus: « Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu ».

63. (Vers. 34.). *Haec autem illo loquente* etc.

Tertio, quoad contemplationis consummationem tanguntur duo.

Post ingressum et progressum determinat hic Evangelista *contemplationis statum* sive consummationem [2]. Consummatur autem contemplatio in duobus: quorum primum est *ostensio maiestatis terribilis*, secundum vero, *revelatio veritatis credibilis*.

Ostensio maiestatis terribilis.

Primo ergo quantum ad *maiestatis terribilis ostensionem* dicitur: *Haec autem illo loquente, facta est nubes*. Haec erat divinae maiestatis ostensiva; unde filiis Israel terribilis in nube apparebat; unde dicitur Exodi ultimo [3]: « Postquam perfecta sunt omnia, operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud; nec poterat Moyses ingredi tectum foederis, nube cooperiente omnia, et maiestate Domini coruscante ». Similiter tertii Regum octavo [4] dicitur: « Factum est, cum exissent sacerdotes, nebula implevit domum Domini; et non poterant sacerdotes ministrare propter nebulam; impleverat enim gloria Domini domum Domini ». Unde nubes indicium erat supernae gloriae et maiestatis. — Et propterea subditur: *Et obumbravit eos, et timuerunt*. Sentiebant enim divinam virtutem in nube, de qua supra primo [5]: « Virtus Altissimi obumbrabit tibi »; et ideo *timuerunt* propter praesentiam summae virtutis, sicut Iob, qui dicebat trigesimo primo: « Semper quasi tumentes fluctus super me timui Dominum »; et Ieremiae decimo: « Quis non timebit te, o Rex gentium » etc.

Expositio spiritualis. Ratio prima.

64. Secundum *mysticum* autem sensum per *nubem* intelligi potest caro Christi, primo, quia contemperat lumen Divinitatis oculis nostris, ut possimus intueri; Exodi decimo nono [6]: « Nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te ». — Secundo vero, quia est divinae lucis vehiculum super terram tenebrosam, secundum illud Isaiae decimo nono [7]: « Ascendet Dominus super nubem levem et ingredietur Aegyptum ». — Tertio, quia ortum traxit de amaritudine et poenalitate naturae humanae, mediante Maria Virgine; quod figuratum est tertii Regum decimo octavo [8]: « Ecce, nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari ». — Quarto, quia aquam gratiae salutaris, quam hausit in sui origine, effundit, cum agitatur vento orationis; unde Ecclesiastici quadragesimo tertio [9]: « Medicina omnium in festinatione nebulae ». — Ex hoc erudiuntur contemplativi, ut non tantum erigant oculos ad lucem Deitatis radiantem, sed etiam ad nubem humanitatis obumbrantem. Quod figuratum est Ioannis primo [10], ubi dixit Dominus Nathanaeli: « Videbitis Angelos », id est contemplativos, « ascendentes et descendentes super Filium hominis », quia in humanitate latet divina maiestas.

Secunda. Tertia. Quarta. Notandum.

Revelatio veritatis credibilis.

65. (Vers. 35.). Secundo vero quantum ad *veritatis credibilis revelationem* adiungitur: *Intrantibus autem [11] illis in nubem*, scilicet excitantem ad reverentiam, iuxta quod dicitur Exodi vigesimo quarto: « Ingressus Moyses medium nebulae, ascendit in montem », ubi audivit divinas revelationes. — Unde et nunc subditur: *Vox facta est de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus; discretive* ipsum demonstrat, ut ostendat, quod ipse solus est *filius per naturam;* unde in Psalmo [12]: « Ex utero ante luciferum genui te ». Et ponuntur ibi discretiones tum in hoc, quod dicit *hic*, tum in hoc, quod dicit *meus*, tum in

---

[1] Vers. 13. — Sequitur Ps. 67, 28.

[2] Cfr. supra n. 56.

[3] Vers. 31-33. — Superius pro *Haec* [H addit *enim*] *erat divinae maiestatis ostensiva* Vat. *Haec autem erat divinam maiestatem ostensura*.

[4] Vers. 10. seq. — Chrysost., Homil. 56. (alias 57.) n. 3: Sic [in nube] semper apparet Deus; nam [Ps. 96, 2.]: *Nubes et caligo in circuitu eius*... [allegantur Ps. 103, 3; Isai. 19, 1; Act. 1, 9. et Dan. 7, 13.]. Ut igitur credant, ab ipso Deo vocem ferri, inde venit, et nubes lucida erat etc.

[5] Vers. 35. — Duo seqq. loci sunt Iob 31, 23. et Ier. 10, 7. Hieron., III. Comment. in Matth. 17, 6: Triplicem ob causam pavore terrentur, vel quia se errasse cognoverant, vel quia nubes lucida operuerat eos, aut quia Dei Patris vocem loquentis audierant, quia humana fragilitas conspectum maioris gloriae ferre non sustinet, ac toto animo et corpore contremiscens, ad terram cadit. Quanto quis ampliora quaesierit, tanto magis ad inferiora collabitur, si ignoraverit mensuram suam.

[6] Vers. 9. Hanc rationem insinuant August. et Bernard.; cfr. tom. VI. pag. 358, nota 6. Isidor., XIII. Etymolog. c. 7. n. 2: *Nubes* dictae ab *obnubendo*, id est operiendo caelum, ut et *nuptae*, quod vultus suos velant etc.

[7] Vers. 1, in quem locum Hieron. ait: *Ascendit Dominus super nubem levem*, corpus sanctae Virginis Mariae... vel certe corpus suum, quod de Spiritu sancto conceptum est. Et ingressus est in Aegyptum huius mundi etc.

[8] Vers. 44. — Ioan. 44. episc. Ierosol., in libro de Institutione monachorum, c. 32. (Bibliothec. Patrum etc. per Marg. de la Bigne, Paris. 1610. tom. VIII, pag. 778): Per hoc namque, quod ille puer Eliae vidit, de mari nubeculam parvam oriri, revelavit Deus Eliae, quod quaedam infantula (scilicet B. Maria), per illam nubeculam significata et instar illius nubeculae per humilitatem parva, nasceretur de humana natura peccatrice, designata per mare. Quae infantula iam in suo ortu esset munda ab omni peccatorum sorde, quemadmodum nubecula illa fuit de mari amaro sine tamen aliqua amaritudine. Licet namque nubecula illa esset originaliter eiusdem naturae cum mari, alterius tamen fuit qualitatis alteriusque proprietatis; mare quippe ponderosum est et amarum, sed nubecula illa levis fuit et dulcis: sic etc.

[9] Vers. 24. — Cfr. Serm. 40. in Appendice serm. August. (alias 201. de Tempore) n. 5, et Isid., Qq. in III. Reg. c. 8. n. 4.

[10] Vers. 51.

[11] Vulgata omittit *autem*, et coniungit haec verba *intrantibus illis in nubem* cum praecedentibus in v. 34: *et timuerunt*, et v. 35. incipit ab istis: *Et vox facta est* etc. — Subinde allegatur Exod. 24, 18.

[12] Psalm. 109, 3.

hoc, quod dicit *dilectus;* in quo declarat, proprietatem filiationis in Christo esse *personalem* et *connaturalem* et *coaequalem*. Ostenditur *personalis* per pronomen, quod certam demonstrat personam; unde ipse dicebat Ioannis octavo[1], ad demonstrationem personae suae: « Ego principium, qui et loquor vobis ». — Ostenditur *connaturalis* per hoc, quod dicit *meus,* secundum illud Psalmi[2]: « Dixit Dominus ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te »; quia alium non habet patrem nisi Deum, ad cuius distinctionem Ioannis vigesimo dicitur: « Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum ». — Ostenditur etiam *coaequalis* in hoc, quod addit *dilectus,* id est praecipue et summe; unde Canticorum quinto[3]: « Dilectus meus electus ex millibus »; et Ioannis quinto: « Pater diligit Filium et omnia ostendit ei ».

Triplex filiationis proprietas.

66. Et quia ista veritas adeo erat credibilis, ut omnia dicta Christi ostenderet esse credenda; ideo adiungit: *Ipsum audite,* non aure solum corporis, sed etiam cordis, sicut Propheta in Psalmo[4]: « Audiam, quid loquatur in me Dominus ». *Audite,* inquam, cum omni *reverentia,* secundum consilium Ecclesiastici trigesimo secundo[5]: « Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia ». *Ipsum audite,* cum omni *obedientia,* secundum illud Ecclesiastici vigesimo quarto: « Qui audiunt me non confundentur, et qui operantur in me non peccabunt ». *Ipsum audite,* cum omni *diligentia;* unde infra decimo nono: « Omnis populus suspensus erat, audiens eum » etc. — Haec autem vox firmavit corda discipulorum, ut etiam ipsa eorum doctrina ex hoc fieret authentica, secundum illud secundae Petri primo[6]: « Non enim indoctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem et praesentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo Patre » etc. usque ibi: « Cum essemus cum ipso in monte sancto ».

Christus audiendus cum reverentia.

Cum obedientia.

Cum diligentia.

67. (Vers. 36.). *Et dum fieret vox* etc. Hic ultimo[7] post contemplationis consummationem subiungit Evangelista *ipsius subtractionem,* circa quam duo introducit Evangelista: primum est *reditus visionis solitae,* secundum est *occultatio visionis ostensae.*

Quarto, quoad contemplationis subtractionem tanguntur duo.

Primo igitur quantum ad *reditum visionis solitae* dicitur: *Et dum fieret vox, inventus est Iesus solus,* scilicet absque Moyse et Elia, sicut et ante cum eis erat. Et hoc est quod in Canticorum octavo[8] desiderabat sponsa: « Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae, ut inveniam te solum foris et deosculer te, et iam me nemo despiciat »? Et hic ideo *solus* cum eis inventus est, ut intelligant transitum Legis et prophetiae et permanentiam veritatis evangelicae, iuxta quod dicitur Matthaei vigesimo quarto[9]: « Caelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt ». Unde in Glossa Bedae: « *Solus* cernitur, quia, Legis et Prophetarum umbra discedente, verum lumen, coruscante Evangelii gratia, reperitur ». — Vel, ut ostendat, quod ipse est solus, qui adorandus est, et ei tabernaculum aedificandum, iuxta illud Deuteronomii sexto[10]: « Dominum Deum tuum timebis et illi soli servies ». — Vel, ut ostendat, quod ipse solus est, qui potest salvare; unde Actuum quarto[11]: « Non est alind nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat non salvos fieri »; et ad Hebraeos septimo: « Iesus autem, eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium; unde et salvare in perpetuum potest, semper vivens ad interpellandum pro nobis ».

Reditus visionis solitae.

Aliter.

Aliter.

68. Secundo vero quantum ad *occultationem visionis ostensae* subditur: *Et ipsi tacuerunt.* Sciebant enim, scriptum esse Tobiae duodecimo[12]: « Sacramentum regis abscondere bonum est ». Nondum enim erat tempus loquendi, sed magis occultandi, secundum illud Ecclesiastae tertio: « Tempus tacendi et tempus loquendi »; et Ecclesiastici vigesimo: « Est tacens, sciens tempus apti temporis. Homo sapiens tacebit usque ad tempus, lascivus autem et imprudens non servabit tempus ». — Et tales fuerunt Apostoli; propter quod additur: *Et nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his quae viderant;* non quia vellent ex avaritia occultare, sed quia ex divina obedientia reticere. Praeceperat enim hoc eis Dominus, secundum illud Matthaei decimo septimo[13]: « Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis resurgat a mortuis ».

Occultatio visionis ostensae.

---

[1] Vers. 25. — Superius post *pronomen* Vat. addit *hic,* nimis stricte; vide tom. I. pag. 515, nota 4. locum Prisciani.

[2] Psalm. 2, 7. — Sequitur Ioan. 20, 17.

[3] Vers. 10, post quem Ioan. 5, 20. — Superius post *summe* H addit *intimus,* Vat. *electus.* Cfr. supra c. 3. n. 55.

[4] Psalm. 84, 9. — Superius pro *ista veritas* [H addit *ostensa*] *adeo* Vat. *ista veritas a Deo.*

[5] Vers. 9. — Subinde allegantur Eccli. 24, 30: *Qui audit me non confundetur* etc. et Luc. 19, 48.

[6] Vers. 16-18. Pro *indoctas fabulas,* quod iam exhibet Beda, Vulgata *doctas fabulas* (σεσοφισμένοις μύθοις). Cfr. Biblia maxima etc. Ioan. de la Haye, ubi concordia harum lectionum sic proponitur, ut *doctae fabulae,* i. e. ita argute confectae, quod etiam a probabilitate abhorreant, *indoctae* dici possint.

[7] Cfr. supra n. 56. — Inferius pro *subiungit* Vat. *colligit.*

[8] Vers. 1. — Hieron., III. Comment. in Matth. 17, 8: *Non viderunt nisi solum Iesum,* ne, si Moyses et Elias perseverassent cum Domino, Patris vox videretur incerta, cui potissimum daret testimonium.

[9] Vers. 35. — Glossa, quae sequitur, est *ordinaria* apud Lyranum (Strab. in Matth. 17, 8.) et secundum Hieron., III. Comment. in Matth. 17, 8, in quem locum Beda: Solus Iesus, ablatis nube Moyse et Elia cernitur, ne incertum videretur testimonium dare Pater, sive in Christo Legis nubila et prophetiae mysteria impleta aperiuntur. Cfr. Anselm., Homil. 4. — Vat. omittit *Bedae.*

[10] Vers. 13. — Glossa in nota praecedente allegata: Non Elias, non Moyses, sed quem solum videtis, huic figendum est tabernaculum in corde etc. Cfr. Beda, III. in Marc. 9, 6.

[11] Vers. 12, post quem Hebr. 7, 24. seq.

[12] Vers. 7. — Duo seqq. loci sunt Eccle. 3, 7. et Eccli. 20, 6. seqq.; pro *tempus apti temporis* (ita etiam Card. Hugo) Vulgata *tempus aptum.* Cfr. supra pag. 69, nota 5.

[13] Vers. 9. — Superius pro *sed quia* H *sed,* Vat. *sed magis.*

69. Huius autem prohibitionis triplex potest ratio assignari. Ratio 1. Una fuit informatio *contemplativorum*, quorum est celare divinum secretum, secundum illud Isaiae vigesimo quarto [1]: « Secretum meum mihi, secretum meum mihi ». Unde Maria celavit partum virginalem annis triginta, Elisabeth conceptum mensibus quinque, sicut dicitur supra primo: « Occultabat se mensibus quinque »; Paulus raptum quatuordecim annis, secundae ad Corinthios duodecimo: Ratio 2. « Scio hominem ante quatuordecim annos » etc. — Secunda ratio fuit informatio *praedicatorum*, ut verbum veritatis non proponant, nisi videant capacitatem auditorum ad credendum et suscipiendum verbum, secundum illud Ecclesiastici trigesimo secundo [2]: « Ubi non est auditus, non effundas sermonem ». Unde in Glossa: « Domino iubente, tacent, donec Filius hominis a mortuis resurgat, ne incredibile sit pro rei magnitudine, et post tantam gloriam sequens crux scandalum faciat »; et Hieronymus [3]: « Utique doctoris est audientium considerare personas, ne irri- Ratio 3. deant, antequam audiant ». — Tertia ratio fuit instructio *universorum*, ut nemo velit laudari, nec quis audeat laudare in hac vita, secundum illud Ecclesiastici undecimo [4]: « Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filiis suis agnoscitur vir »; unde Ambrosius: « Lauda post mortem, praedica post consummationem ».

70. *Factum est autem in sequenti die* etc. Post onfirmatio oriae ostensae per orationem aemoniaci lescribitor ripliciter. demonstrationem gloriae promissae et contemplationem gloriae demonstratae subditur hic *confirmatio gloriae consideratae* in mirabili curatione daemoniaci, muti et lunatici [5]. Circa huius curationem tria introducuntur ab Evangelista ad ipsius explicationem perfectam. Primum est *opportunitas disponens;* secundum est *potestas efficiens*, ibi [6]: *Respondens autem Iesus, ait illis* etc.; tertium est *utilitas consequens*, et hoc ibi: *Stupebant autem omnes* etc.

*Opportunitas* autem *disponens* colligitur ex tri- pportunitas ·ios ex tri- )os colligi- ur. bus, scilicet ex *praesentia multitudinis occurrentis*, ex *instantia hominis obsecrantis*, ex *violentia daemonis obsidentis*.

71. (Vers. 37.). Introducit igitur primo *multitudinis occurrentis praesentiam*, cum ait: *Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte*, revertendo scilicet ad plana; *occurrit illis turba multa*, quia credebant et sperabant videre signa, secundum illud Ioannis sexto [7]: « Sequebatur Iesum multitudo magna, videntes signa, quae faciebat super his qui infirmabantur ». — Et nota, quod non comitatur turba *ascendentem*, quia non capit sublimia; unde Exodi decimo nono [8]: « Non poterit vulgus ascendere in montem »; occurrit autem *descendenti*, quia libenter amplectitur Christi humilia; unde Matthaei octavo: « Cum descendisset Iesus de monte, secutae sunt eum turbae multae ». De primo. Notandum.

72. Ex hoc etiam potest *spiritualiter* intelligi, quod paucorum est otium contemplationis, quod designatur per *ascensum in montem;* sed multorum est exercitium actionis, quod designatur per *eius descensum* et turbam occurrentem. Quod designatum fuit in arca Noe, quae, cum esset trecentorum cubitorum in imo, consummata est in summo in cubito uno, sicut patet Genesis sexto [9]. Et ideo apex montis competit *contemplantibus*, et campestria plana *laborantibus*, iuxta illud Psalmi: « Ascendunt montes, et descendunt campi ». Et hoc est quod dixit Beda in Glossa [10]: « In monte orat, docet, maiestatem suam demonstrat, Patris vocem Apostolis pandit; descendens autem a turba excipitur, miserorum fletu pulsatur, infidelitatis peccata exprobrat, malos spiritus expellit ». Ubi tangit quatuor actus *contemplativae*, quos designavit in montis *ascensu*, qui sunt *oratio, lectio, contuitio divinorum* et *revelatio secretorum;* et quatuor *activae*, qui ostenduntur in *descensu*. Quadrupliciter enim debet praelatus in exercitio actionis condescendere subditis suis, scilicet *visitando, compatiendo, vitia increpando* et *necessitates relevando* [11]. — Secundum *litteram* vero descendenti turba occurrit, quia cupiebant videre expulsionem daemonis, quae non potuit fieri a discipulis, sicut paulo post subditur: « Rogavi discipulos tuos, ut eiicerent illum [12], et non potuerunt ». Ex Expositio spiritualis. Actus 4 et contemplativae et activae. Sensus litteralis.

[1] Vers. 16. — Duo seqq. loci sunt Luc. 1, 24. et II. Cor. 12, 2.

[2] Vers. 6. — Glossa seq. est *ordinaria* apud Lyranum in Luc. 9, 36. (Strab. in Matth. 17, 9. et Marc. 9, 8.), et secundum Hieron., III. Comment. in Matth. 17, 9, ubi post *tantam gloriam* additur *apud rudes animos* (Glossa et Vat. addunt *apud rudes)*.

[3] Etiam Card. Hugo (in Luc. 9, 36.) hanc sententiam Hieronymo [sed ubi habetur?] attribuit et finem ipsius sic exhibet: *ne prius irrideatur, quam audiatur*. Cfr. Isidor., III. Sent. c. 43, in quo agens de doctrinae discretione n. 4. ait: « Prima quippe prudentiae virtus est, eam quam docere oporteat aestimare personam ». Et inferius n. 5. subiungit: « Ne dum audita non capiunt [carnales], prius incipiant contemnere quam venerari mandata caelestia ».

[4] Vers. 30, ubi pro *agnoscitur* A C D *cognoscitur*. — Sententia, quae subinde Ambrosio tribuitur, habetur in S. Maximi Homil. 78. seu 2. de S. Euseb. episc. Vercell. (cfr. Breviar. Roman. Commune Confess. Pontif. lect. 2. Noct. primo loco). In admonitione, quae in ed. Maurin. praemittitur huic homiliae, dicitur: An veteres operum *Ambrosii* editores eidem iure, an iniuria hanc homiliam tribuerint, quisque per se iudicabit. Cfr. de Institut. Virginis, c. 3. n. 21.

[5] Cfr. supra n. 43. — Vat. *confirmatio gloriae demonstratae* pro *confirmatio gloriae consideratae*.

[6] Vers. 41, ubi pro *ait illis* Vulgata *dixit;* idem recurrit infra n. 77; tertium est v. 44.

[7] Vers. 2, ubi pro *videntes* Vulgata *quia videbant*.

[8] Vers. 23. — Subinde allegatur Matth. 8, 1. Cfr. Ambros., V. in Luc. n. 46: Quomodo enim turba nisi in humili Christum videret? Non sequitur ad excelsa, non ascendit ad sublimia etc. Vide etiam Bedam, III. in Luc. 9, 37.

[9] Vers. 15, de cuius expositione vide tom. V. pag. 258, notam 2. — Sequitur Ps. 103, 8. — Superius pro *sed multorum* H *et multorum*, A C D G *et multiplex*.

[10] Scilicet *ordinaria* in Luc. 9, 37.

[11] Cfr. Isidor., III. Sent. c. 46. n. 1. seqq.

[12] Codd. A C D G *ut curarent eum;* inferius vero n. 75. conveniunt cum Vulgata; Vat. hic et infra *illud* pro *illum*.

tanta igitur praesentia et desiderio populi colligitur opportunitas miraculi faciendi.

De secundo.

73. (Vers. 38.). Secundo vero introducit *hominis obsecrantis instantiam*, cum ait: *Et ecce, vir de turba exclamavit.* In hoc ostendit affectum in supplicando, secundum illud Psalmi [1]: « Dum clamarem ad Dominum, exaudivit vocem meam »; unde primi Machabaeorum quinto: « Exclamaverunt tubis in caelum et exclamaverunt in oratione »; et de Samuele dicitur primi Regum decimo quinto, quod « contristatus clamavit ad Dominum tota nocte ». — Et quod hic esset *clamor orationis*, patet per hoc quod sequitur: *Dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi.* In qua oratione fatetur *Christi excellentiam*, offert *reverentiam*, petit *clementiam* et allegat *indigentiam;* et sic est oratio satis perfecta.

Oratio perfecta quadrupliciter.

Confessio excellentiae.

Cum dicit: *Magister, excellentiam confitetur*, iuxta quod dicitur discipulis: « Vocatis me *magister* et *domine*, et bene dicitis », Ioannis decimo tertio [2]. Ideo autem magis vocat eum *magistrum*, quia existimabat, eum plura posse et scire quam discipulos, qui non potuerant nec sciverant curare filium suum; et propterea dicebat Dominus discipulis Matthaei vigesimo tertio [3]: « Ne vocemini magistri, quia unus est magister vester, Christus ».

Exhibitio reverentiae.

— In hoc autem, quod addit: *Obsecro, exhibet reverentiam.* Obsecrantis enim est se humiliare et revereri, iuxta quod dicitur primae ad Timotheum quinto [4]: « Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem ». Et hoc potissime debet homo facere in oratione. Nam Ecclesiastici trigesimo quinto dicitur: « Oratio humiliantis se nubes penetrabit ».

Petitio misericordiae.

— In hoc vero, quod addit: *Respice in filium meum, petit misericordiam*, secundum illud Ecclesiastici trigesimo sexto [5]: « Miserere nostri, Deus omnium, et respice in nos et ostende nobis lucem miserationum tuarum »; de quo respectu dicitur in Psalmo: « Respexit in orationem humilium et non sprevit precem eorum ».

Allegatio indigentiae.

— In hoc, quod addit: *Quia unicus est mihi, allegat indigentiam*, quasi dicat illud Psalmi [6]: « Respice in me et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego ». Unicus enim filius *tenere diligitur*, iuxta illud secundi Regum primo: « Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam »; et *cum dolore perditur;* unde Genesis quadragesimo secundo dixit Iacob de Beniamin: « Ipse solus remansit, si quid ei adversitatis acciderit in terra, deducetis canos meos cum dolore ad inferos ».

De tertio.

74. (Vers. 39.). Tertio vero adiungit *daemonis obsidentis violentiam*, cum addit: *Et ecce, spiritus apprehendit illum* [7], *et subito clamat;* ex quo apparet, quod daemon affligebat afflictione repentina; unde Matthaei decimo septimo dicitur de isto eodem: « Miserere filio meo, quia lunaticus est et male patitur et saepe cadit in aquam et crebro in ignem »; unde talis infirmitas erat *repentina*, sicut est infirmitas arreptitiorum.

Infirmitas repentina.

Talis autem erat Saul, de quo primi Regum decimo sexto [8] dicitur, quod « quando spiritus Domini malus arripiebat Saul, quod David citharam percutiebat »; in quo designatur, quod verus David, Christus, daemoniacam violentiam domaturus erat. — Nec tantum erat repentina, sed etiam *afflictiva;* unde addit: *Et elidit et dissipat eum cum spuma;* quod est signum magni doloris et afflictionis; unde poterat iam dicere [9]: « Dissipata sunt ossa mea secus infernum », quia a spiritu infernali ille dissipabatur.

Afflictiva.

— Nec tantum erat afflictiva, sed etiam *diuturna;* propter quod addit: *Et vix discedit dilanians eum;* unde poterat dicere illud Iob decimo nono [10]: « Simul venerunt latrones et fecerunt sibi viam per me et obsederunt in gyro tabernaculum meum ».

Diuturna.

Difficultas curationis.

75. (Vers. 40.). Et quod passio ista magnae esset durationis [11], apparet propter difficultatem curationis; unde adiungit: *Et rogavi discipulos tuos, ut eiicerent illum, et non potuerunt.* Ratio autem huius fuit, quod non poterant per potestatem terrenam, secundum illud Iob quadragesimo primo [12]: « Non est potestas super terram » etc.; et tunc aberat potestas divinae efficaciae propter incredulitatem humanam. Unde Matthaei decimo septimo: « Dixerunt discipuli Domino: Quare nos non potuimus eum eiicere? At ille respondens dixit: Propter incredulitatem vestram ». Sed econtra Marci nono: « Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti ».

Expositio spiritualis.

76. Secundum *spiritualem* autem intelligentiam in hoc daemoniaco sic vexato intelligitur homo, qui possidetur a *peccato spirituali;* qui *apprehenditur* per *superbiam*, quae prima facit, quod diabolus manum extendat in hominem, secundum illud Iob

Superbia.

---

[1] Psalm. 30, 23, quem Vat. sic allegat: Exaudisti vocem orationis meae, dum clamarem ad te. Cfr. Ps. 21, 25: Cum clamarem ad eum, exaudivit me. — Duo seqq. loci sunt I. Mach. 5, 33. (cfr. 4, 40.) et I. Reg. 15, 11. Cfr. Gregor., II. Moral. c. 7. n. 11, ubi docet, desiderium esse clamorem animae.

[2] Vers. 13. Cfr. supra c. 7. n. 71. circa finem.

[3] Vers. 10. Pro *Ne* Vulg. *Nec.* — Cfr. infra n. 75. in fine.

[4] Vers. 1. — Sequitur Eccli. 35, 21.

[5] Vers. 1, post quem Ps. 101, 18.

[6] Psalm. 24, 16. — Duo seqq. loci sunt II. Reg. 1, 26. et Gen. 42, 38. Cfr. supra c. 8. n. 75.

[7] Ita etiam Beda, Card. Hugo et Lyranus; Vulgata et Vat. *eum.* — Subinde allegatur Matth. 17, 14. — Inferius pro *infirmitas arreptitiorum* (ita C D G H) Vat. *infirmitas arreptivorum* (E *repentinorum*). Du Cange, Glossarium etc.: *Arreptus, Arrepticius*, Daemoniacus... Ugutio: *Arreptitius:* qui arripit, vel arripitur, sicut daemoniacus, et *arreptitia* dicitur daemoniaca.

[8] Vers. 23. Cfr. supra pag. 203, nota 8.

[9] Illud Ps. 140, 7.

[10] Vers. 12.

[11] Vat. addit *et difficultatis*, H legit *adhaerentiae et durationis*, qui etiam subinde pro *unde adiungit* substituit *propter quam* (A C D G *ad quam*).

[12] Vers. 24. — Sequuntur Matth. 17, 18. seq. et Marc. 9, 22. — Inferius pro *Sed econtra* Vat. *Nam dicitur.*

quadragesimo primo[1]: « Ipse est rex super omnes filios superbiae ». — (Iactantia.) Secundo vero *clamat* per *iactantiam;* Isaiae quinto[2]: « Exspectavi, ut faceret iustitiam, et ecce, clamor ». Tales erant Pharisaei, secundum illud Matthaei vigesimo tertio: « Dilatant phylacteria sua, magnificant fimbrias, amant primos accubitus in coenis » etc. — (Invidia.) Tertio vero *elidit* per *invidiam,* secundum illud Iob trigesimo[3]: « Elevasti me, et quasi super ventum ponens », per arrogantiam, « elisisti valide », per invidiam, quia, Iob quinto, « parvulum occidit invidia ». — Quarto vero (Iracundia.) *dissipatur* per *iracundiam,* quae omnes cogitationes conturbat, secundum illud Iob decimo septimo[4]: « Cogitationes meae dissipatae sunt, torquentes cor meum »; et in Psalmo: « Dissipati nec compuncti, frenduerunt super me dentibus suis ». — Quinto (Moestitia.) *dilaniat* per *cordis moestitiam,* qua praecipitat in impatientiam, per quam dilaniatur et conscientia; unde Ecclesiastici trigesimo octavo[5]: « Tristitia cordis flectit cervicem » etc. — (Perfidia.) Et hinc est, quod *vix discedit* propter *perfidiam;* Sapientiae duodecimo: « Nequam est natio illorum, et naturalis malitia eorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio cordis eorum in perpetuum ».

77. (Vers. 41.). *Respondens autem Iesus ait illis*[6] etc. (Potestas efficiens explicatur tripliciter.) Post opportunitatem disponentem explicat secundo Evangelista *potestatem efficientem,* quae describitur hic ut *aequa,* ut *pia* et ut *magna.*

(Ut aequa.) Primo describitur ut *aequa* in argutione cordis increduli, cum dicit: *O generatio infidelis et perversa!* ut *infidelitas* sit in cognitione et *perversitas* in affectione, secundum illud Deuteronomii trigesimo secundo[7]: « Generatio enim perversa est, et infideles filii ». Infidelitas reddebat eos *stultos* et perversitas *duros,* secundum illud Ecclesiastae primo: « Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus »; ideo non solum sunt admonendi, sed etiam fortiter increpandi. — Propterea addit: *Usquequo ero apud vos,* vobis scilicet faciens bona, *et patiar vos?* sustinens scilicet vestra mala; quod non dicit propter impatientiam, cum ipse sit, de quo dicitur Matthaei quinto[8]: « Qui solem suum facit oriri super bonos et malos »; et supra sexto: « Ipse benignus est super ingratos et malos ». Sed hoc dicit, ut per increpationem duram expellat cordis duritiam, secundum illud ad Titum primo: « Increpa eos dure, ut sani sint in fide ».

78. Secundo describitur ut *pia* in advocatione infantis obsessi, cum dicit: *Adduc huc filium tuum,* (Ut pia.) scilicet ad praesentiam Salvatoris, ut iam videatur impletum illud Isaiae quadragesimo nono[9]: « Afferent filios suos in ulnis et filias suas super humeros portabunt ». *Adduc,* inquam, per fidem tuam eum qui non potest venire per fidem suam, sicut illi viri apportaverunt paralyticum, de quibus Matthaei nono[10] dicitur: « Quorum fidem ut vidit Iesus, dixit: Dimittuntur tibi peccata tua ». Unde Marci nono Dominus dixit illi viro: « Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti ». Fides enim illa est, qua mediante quis ducitur ad Christum, quia ipsa est via deveniendi ad lucem; unde Apostolus ad Hebraeos undecimo[11]: « Accedentem oportet credere, quia sine fide impossibile est placere Deo ».

79. (Vers. 42.). Et quia[12] « non est conventio (Invitus venit daemon.) Christi ad Belial nec lucis ad tenebras », ideo addit: *Et cum accederet, elisit illum daemonium et dissipavit;* in quo ostenditur, quod ipse invitus veniebat ad lucem tanquam male agens, secundum illud Ioannis tertio: « Qui male agit odit lucem ». Simul etiam cum hoc ostenditur, quod diabolus maxime adversatur, ne quis ab eo obsessus convertatur ad Christum, secundum quod dicit Beda in Glossa[13]: « Unde puer ad Dominum accedens eliditur, quia conversi ad Dominum plerumque a daemone gravius pulsantur, ut ad vitia revertantur ». Cuius exemplum habemus Exodi decimo quarto de Pharaone, qui persequebatur populum recedentem.

80. (Vers. 43.). Tertio describitur ut *magna* in (Ut magna.) expulsione spiritus immundi, cum additur: *Et increpavit Iesus spiritum immundum,* quasi solo verbo compescens eum, secundum illud supra quarto[14]: « Increpans non sinebat ea loqui »; unde Angelus Domini Zachariae tertio dicebat: « Increpet Dominus in te, satan ». — Et quia illa increpatione eiectum est daemonium, subditur: *Et sanavit puerum.* Unde illa increpatio erat salutaris; propter quod Iob quinto[15]: « Increpationem Domini ne reprobes, quia ipse vulnerat et medetur, percutit, et manus eius

---

[1] Vers. 25. — Superius pro *prima facit* (ita G) A C [D primitus] H *prima fuit,* Val. *primo facit,* D secunda manu *ipsa fuit, qua... extenderat.*

[2] Vers. 7. — Sequitur Matth. 23, 5. seq.

[3] Vers. 22, post quem 5, 2.

[4] Vers. 11. — Sequitur Ps. 34, 16.

[5] Vers. 19. — Subinde allegatur Sap. 12, 10. — Superius post *moestitiam* C D G H prosequuntur *in qua* [H *quam*] *praecipitat* [H addit *se*] *in* [C D H *per*] *impatientiam, per quam dilaniatur et conscientia* [Val. *in conscientia*].

[6] Cfr. supra pag. 239, nota 6. — Inferius pro *disponentem* Val. *disponendam;* vide supra n. 70.

[7] Vers. 20. — Subinde allegatur Eccle. 1, 15.

[8] Vers. 45, post quem Luc. 6, 35. et Tit. 1, 13.

[9] Vers. 22, ubi pro *suos* et *suas* Vulgata et Val. *tuos* et *tuas;* vide supra c. 5. n. 44. in fine.

[10] Vers. 2; cfr. supra 5, 18. seqq. — Sequitur Marc. 9, 22.

[11] Vers. 6. — Superius post *Fides enim* G addit *via,* et subinde pro *quia ipsa* A C H *quia ipse.*

[12] Ut dicitur II. Cor. 6, 15. et 14. — Dein Ioan. 3, 20.

[13] Scilicet *ordinaria:* Dum puer ad Dominum accedit, eliditur... gravius pulsantur, ut vel ad vitia reducantur, vel de sua expulsione diabolus se vindicet (ita etiam H). — Sequitur Exod. 14, 4.

[14] Vers. 1, cui subiungitur Zach. 3, 2.

[15] Vers. 17. et 18. — Superius pro *salutaris* Vat. *salutis.*

sanabunt ». — Et quia hoc meruerat fides patris, ideo additur: *Et reddidit illum patri suo*[1], ad leniendum dolorem suum, ut posset dicere unico suo illud Iacob, Genesis quadragesimo sexto: « Iam laetus moriar, quia vidi faciem tuam et superstitem te relinquo ».

Expositio spiritualis.

81. Hoc autem facto *spiritualiter* eruditur praelatus, qualiter subditum a diabolo per peccatum obsessum reddere debet Regi caelorum, scilicet *increpando* et *sanando: increpando* per iustitiam et *sanando* per clementiam. Debet autem esse rigor iustitiae respectu culpae, sed dulcor clementiae respectu naturae. Unde Augustinus[2]: « Fiat correctio cum dilectione hominum in odio vitiorum»; et Gregorius[3]: « Districtionem debemus vitiis et compassionem naturae ». « Vera namque iustitia compassionem habet, falsa iustitia indignationem ». Unde etiam infra decimo dicitur de Samaritano curante vulneratum, quod plagis eius infudit vinum et oleum, vinum mordicativum et oleum lenitivum, secundum duo, quae dicta sunt.

Utilitas consequens notatur ut duplex.

82. (Vers. 44.). *Stupebant autem omnes* etc. Post opportunitatem disponentem et potestatem efficientem subdit hic Evangelista *utilitatem consequentem.* Et haec fuit duplex: prima *universalis*, secunda *particularis.* Prima fuit *excitatio universorum ad reverentiam maiestatis*, secunda fuit *sollicitatio discipulorum ad intelligentiam veritatis.*

De prima.

Primo igitur quantum ad *excitationem universorum ad maiestatis reverentiam* dicitur: *Stupebant autem omnes in magnitudine Dei*, quia magna erat potentia, quae tam magnum morbum in tam parvo tempore, tam parvo verbo perfecte curavit. Unde decantabant illud Psalmi[4]: « Magnus Dominus noster et magna virtus eius »; et illud Ieremiae decimo: « Magnus es tu, Domine, et magnum nomen tuum, et in universis regnis terrarum nullus est similis »; et Exodi decimo quinto: « Quis similis tui in fortibus, Domine? Terribilis atque laudabilis et faciens mirabilia ».

De secunda.

83. Secundo vero quantum ad *sollicitationem discipulorum ad veritatis intelligentiam* additur: *Omnibus mirantibus in omnibus, quae faciebat*, et etiam dicebat et loquebatur[5]; *dixit ad discipulos suos: Ponite vos in cordibus vestris sermones istos;* quasi dicat eis: aliis recognoscentibus et admirantibus magnitudinem miraculorum, vos cogitate humilitatem futurorum opprobriorum et « pretiosi sanguinis, quo mundus redimendus est, eventum mente recondite, dum ceteri mirantur tantum facta divinae altitudinis[6] ». Unde *ponite*, id est, in memoria habete, secundum illud Canticorum ultimo: « Pone me ut signaculum supra cor tuum ». Ideo autem post ostensionem miraculi adiungit praedictionem futuri supplicii, ne subito veniens passio discipulos omnino concutiat; unde Ecclesiastici undecimo[7]: « In die bonorum ne immemor sis malorum »; et ne aliquis prosperitatis tempore extollatur, secundum illud Proverbiorum vigesimo septimo: « Ne glorieris in crastinum, ignorans, quid superventura pariat dies »; et ideo Ecclesiastici undecimo: « In die honoris tui ne extollaris ». — Ili *sermones*, quos vult ad memoriam reduci, sunt de *passione;* unde addit: *Filius*[8] *hominis futurum est ut tradatur in manus hominum. Tradatur*, inquam, ex *clementia* a Deo Patre; ad Romanos octavo: « Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum » etc. Tradetur ex *obedientia* a se ipso; Isaiae quinquagesimo tertio[9]: « Pro eo, quod tradidit in mortem animam suam ». Tradetur ex *malitia* a Iuda proditore; Matthaei vigesimo sexto: « Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet ». Et in hoc implicat totam passionem.

Praedicitur passio.

Ignorantia discipulorum.

84. (Vers. 45.). Et quoniam hoc erat occultum mysterium, ideo additur: *At illi ignorabant verbum istud, et erat velatum ante eos, ut non sentirent illud;* quia adhuc *rudes* erant et *animales* nec intelligebant praeterita, ideo nec futura; unde Ecclesiastae octavo[10]: « Qui ignorat praeterita nec futura ullo scire potest nuntio ». — Immo et quia

[1] Ita etiam B. Albert.; Vulgata, quam sequuntur Vat. et nonnulli codd., *eius.* — Sequitur Gen. 46, 30.

[2] Card. Hugo in Luc. 9, 43: Augustinus: Unus alium corrigat et iudicet et accuset cum dilectione hominum et odio vitiorum. Ipse August., Regula ad servos Dei, n. 7, loquens de fraterna correctione dicit: « Diligenter et fideliter observetur cum dilectione hominum et odio vitiorum ». Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 9, 43: Non puer vim patiens, sed diabolus vim inferens increpatur, quia qui peccantem vult sanare vitium debet arguere et depellere, sed hominem amando refovere, donec sanatum spiritualibus reddat patribus Ecclesiae. — Pro *correctio* Vat. *correptio.*

[3] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 33. n. 3. et 34. n. 2. — Subinde allegatur Luc. 10, 34. — Inferius pro *mordicativum* B H *mordificativum* (propter abbreviationem plures codd. sunt dubiae lectionis), Vat. *mordens*, et pro *lenitivum* substituit *leniens.*

[4] Psalm. 146, 5, post quem Ier. 10, 6. seq. (cfr. supra c. 8. n. 62. in fine) et Exod. 15, 11.

[5] Ex H addidimus *Omnibus* [Vulgata *Omnibusque*] *mirantibus... loquebatur.* Subinde post *dixit* codd. (H excepto) addunt *autem*, quod Vulgata omittit, et inferius pro *recognoscentibus* C D substituunt *recogitantibus*, G H *cogitantibus.*

[6] Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 9, 44: *Ponite vos*, vos, qui meo discipulatui adhaeretis, quibus arcana mea manifestius aperui, pretiosi etc. — Sequitur Cant. 8, 6.

[7] Vers. 27. — Duo seqq. loci sunt Prov. 27, 1. et Eccli. 11, 4. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 9, 44: Inter magnalia potentiae divinae saepius replicat abiecta passionis humanae, ne subito veniens terreat, sed levius feratur praecogitata.

[8] Vulgata, quam sequuntur H et Vat., addit *enim;* subinde pro *futurum* A C D *futurus.* — Sequitur Rom. 8, 32.

[9] Vers. 12. — Subinde allegatur Matth. 26, 23.

[10] Vers. 7. — Superius post *nec intelligebant* A D omittunt *praeterita, ideo nec*, C omittit *praeterita*, Vat. legit *nec intelligebant praeterita a Deo facta, nec futura.*

adhuc non erant *perfecte eruditi*, ideo additur: *Et timebant eum interrogare de hoc verbo.* Nondum enim audierant ab eo illud Ioannis decimo quinto [1]: « Iam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat dominus eius » etc. — Huius autem ignorantiae triplex erat ratio. Partim enim veniebat ex amore caritatis, partim ex fide Divinitatis, partim ex consueto modo loquendi in parabolis. Et hoc tangit Glossa Bedae [2]: « Haec ignorantia » etc. Licet autem sciret Dominus, eos ignorare, praedixit tamen eis, ut postmodum narravit post resurrectionem, quando eos increpavit, infra ultimo [3]: « O stulti et tardi corde ad credendum »! et quando « aperuit illis sensum ». Unde huius rationem reddit Ioannis decimo quarto: « Hoc dixi vobis, priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis ». Tunc autem dicebat, ut, sicut dictum est [4], in omni nostra exaltatione doceat mortis et humilitatis nostrae habere memoriam; unde Ecclesiastici septimo: « Memorare novissima tua et in aeternum non peccabis ».

Triplex ratio ignorantiae.

**Norma praesidendi tripliciter explicatur.**

85. *Intravit autem cogitatio* etc. Haec est tertia pars huius partis [5], in qua agitur de *missione Apostolorum*, ubi post explicationem formae praedicandi et viae proficiendi explicatur *norma praesidendi.* Apostoli enim gerebant personam *praedicatorum, virorum perfectorum* et *praelatorum.* Quoniam autem *praelatis* ad plebem regendam sunt necessaria tria, scilicet *humilitas animi, aequanimitas zeli* et *perspicacitas iudicii;* ideo pars ista tres habet; in quarum prima informat ad *animi humilitatem;* in secunda, ad *zeli aequanimitatem*, ibi [6]: *Factum est autem, dum complerentur* etc.; in tertia, ad *iudicii perspicacitatem*, ibi: *Factum est autem, ambulantibus illis* etc.

Divisio.

Prima pars habet duas. Primo enim informat *ad humilitatem* respectu *domesticorum;* secundo vero, respectu *extraneorum*, ibi [7]: *Respondens autem Ioannes dixit* etc.

Primo, Apostoli ad humilitatem informantur dupliciter.

In persuasione autem *humilitatis ad domesticos* habendae [8] tria introducuntur ab Evangelista. Primum est *laudandae humilitatis occasio* propter suum contrarium; secundum est *laudativa manuductio* per sensibile exemplum; tertium est *perfectae laudis conclusio* per definitivum indicium.

De humilitate quoad domesticos tanguntur tria.

86. (Vers. 46.). Primo ergo introducitur *laudandae humilitatis occasio*, et hoc propter suum contrarium repellendum, cum dicit: *Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset.* — Et nota, quod Lucas dicit, in eos *cogitationem intrasse;* Marci nono [9] dicuntur *disputasse;* Matthaei decimo octavo dicuntur Dominum *interrogasse.* Nec est contradictio, quia hoc totum potuit esse, ut primo *cogitatio* intraret, deinde sequeretur *disputatio*, et postremo ad Magistrum deferretur *quaestio.* Et quod unus Evangelistarum reticet, alius dicit. — Haec autem *cogitatio* via erat ad superbiam et intraverat in eos ex corruptione antiqua, de qua Genesis octavo [10]: « Sensus et cogitatio humani cordis prona sunt in malum ab adolescentia sua », et maxime ad superbiam; quia, sicut dicitur Tobiae quarto, « superbiam in tuo sensu, aut in verbo nunquam dominari permittas; in ipsa enim initium sumsit omnis perditio ». Ideo viro superbe cogitanti dicitur Iob decimo quinto [11]: « Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans attonitos habes oculos »? Tales erant tunc Apostoli contra consilium Ecclesiastici sexto: « Non te extollas in cogitatione tua velut taurus, ne elidatur virtus tua ». Ista autem superba cogitatio habuit ingressum ex hoc, quod tres discipulos in montem duxerat secum; et tamen soli Petro dixerat: « Tibi dabo claves regni caelorum », ut dicitur Matthaei decimo sexto [12]; ideo quidam volebant Ioannem Petro parificare, alii volebant Petrum praeferre; et hoc est quod dicitur in Glossa: « Quia viderant Petrum » etc.

Primum.

Difficultas solvitur.

Via ad superbiam.

87. (Vers. 47.). Secundo vero adiungitur *laudativa manuductio* per sensibile exemplum, cum additur: *At Iesus videns cogitationes cordis eorum* [13], tanquam verus Deus, secundum illud primi Regum decimo sexto: « Homo videt ea quae patent, Deus

Secundum.

---

[1] Vers. 15.

[2] Scilicet *ordinaria: At illi ignorabant.* Haec ignorantia non tam de tarditate quam de amore nascitur, quia adhuc carnales et mysterii crucis ignari, quem Deum cognoverunt moriturum credere nequeunt, sed sicut per figuras loquentem audire solebant, sic etiam quod de sua traditione loquebatur figuraliter aliud significare putabant.

[3] Vers. 25. et 45. — Sequitur Ioan. 14, 29.

[4] Num. 83. — Subinde allegatur Eccli. 7, 40. — Pro *Tunc autem dicebat* H *Tunc etiam dicebat eis*, Vat. *Tum etiam*, et pro *habere memoriam* H *esse memores.*

[5] Cfr. supra n. 1.

[6] Vers. 51; tertium habetur v. 57.

[7] Vers. 49.

[8] Vat. *habenda.*

[9] Vers. 33. et Matth. 18. 1. — Cfr. Chrysost., Homil. 58. (alias 59.) in Matth. n. 2: Quodsi Marcus non dicat, illos interrogasse, sed secum id cogitasse, id non esse oppositum huic narrationi; nam verisimile est, illos utrumque fecisse, et primum quidem alio tempore semel et bis sic cogitasse; tunc vero et dixisse et secum cogitasse. Vide Euthym. in Luc. 9, 46. seq.

[10] Vers. 21. — Sequitur Tob. 4, 14.

[11] Vers. 12. — Subinde allegatur Eccli. 6, 2. — Pro *superbe cogitanti* Vat. *superba cogitanti.*

[12] Vers. 19. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 9, 46: *Intravit autem cogitatio.* Quia viderant Petrum et Iacobum et Ioannem in montem seorsum ductos, secretumque aliquod eis esse traditum; sed et Petro superius [Matth. 16, 18. seq.] claves regni caelorum esse promissas, Ecclesiamque super eum esse aedificandam, rati sunt; vel istos tres ceteris, vel omnibus Apostolis Petrum esse praelatum; vel quia in tributi solutione Petrum ipsi Domino parificatum viderant [Matth. 17, 26; Hieron.. III. Comment. in Matth. 18, 1. hanc rationem affert], ipsum ceteris praeferendum arbitrabantur. Sed sciendum est, istam quaestionem et ante tributum et post tributum solutum esse factam.

[13] Ita etiam B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 9. n. 10.) et Gorranus; Vulgata et Vat. *illorum.* — Duo seqq. loci sunt I. Reg. 16, 7. (Vulgata *parent)* et Eccli. 23, 28.

autem intuetur cor »; et Ecclesiastici vigesimo tertio: « Oculi Domini multo plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi et hominum corda intuentes ». —

Apponitur remedium.

Et quoniam cogitationem videbat esse viam ad morbum, ideo tanquam sapiens medicus apponit remedium, cum ait: *Apprehendens puerum statuit eum secus se*[1], tanquam sibi conformem et propinquum; unde Matthaei decimo nono dicebat: « Sinite parvulos venire ad me, et nolite prohibere ad me venire, talium enim est regnum caelorum »; et Osee undecimo: « Quia puer Israel, et dilexi eum ». Et propter hoc dicebat Sapiens Sapientiae nono: « Noli me reprobare a pueris tuis, quia servus tuus sum ego et filius ancillae tuae ». *Secus se* igitur parvulum statuit, ut ostendat, parvulum oportere fieri qui vult esse amicus Dei[2].

88. (Vers. 48.). Et hoc notat, cum subdit:

Affectus ad parvulos.

*Et ait illis: Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit;* in quo ostendit, tantum affectum se habere ad parvulos et humiles, ut quod fit eis reputet sibi fieri; unde, Matthaei vigesimo quinto[3], dicet in iudicio: « Quod uni ex minimis meis fecistis mihi fecistis ». Tales enim potissime acceptat, secundum illud Psalmi: « Excelsus Dominus et humilia respicit »; et secundum illud Isaiae sexagesimo sexto: « Ad quem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu » etc. —

Excellentia parvulorum.

Ex hoc autem colligitur magna excellentia esse in parvulo, dum in eo recipitur Christus non solum secundum humilitatem humanam, verum etiam secundum auctoritatem divinam; ad quam insinuandam addit: *Et quicumque me recipit*[4], *recipit eum qui me misit.* Ex hoc colligitur, quod qui honorat et recipit parvulum Christi recipit et honorat Deum; magnus igitur est honor et gloria parvulorum. —

Hortatio.

Ex quo persuadet eis, ne ambiant esse magni, sed studeant esse parvuli. Et ad hoc invitat Apostolus ad Philippenses secundo[5]: « In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes ». « Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Iesu, qui, cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens ». Sic etiam faciebat Apostolus, secundum illud primae ad Corinthios nono[6]: « Cum essem liber ex omnibus, omnium me servum feci »; et primae ad Thessalonicenses secundo: « Facti sumus parvuli in medio vestri, tanquam si nutrix foveat filios suos ».

89. Tertio vero subiungitur *perfectae laudis conclusio* per definitivum iudicium, cum ait: *Nam qui minor est inter vos omnes*, per reputationem et humilitatem, *hic maior est,* secundum divinam acceptionem et veritatem.

Tertium.

Minimus ergo est maximus, et hoc, quia ad magna praemia ordinatus, iuxta illud infra decimo octavo[7]: « Qui se humiliat exaltabitur ». Si haec est per se vera tanquam Dei sententia, qui magis se humiliat, ille maior est, et qui maxime, ille est maximus. —

Notandum.

Ratio 1.

Et ratio huius est, quia quanto sumus humiliores, tanto sumus a tumore superbiae inaniores; et quanto inaniores a tumore superbiae, tanto pleniores dilectione; et quanto hac pleniores, tanto maiores. De ipsa enim scribitur primae ad Corinthios decimo tertio[8]: « Maior autem horum est caritas »; et ideo Ecclesiastici tertio: « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam »; et rursus decimo: « Magnus est iudex et potens in honore, sed non est maior eo qui timet Deum ». —

Ratio 2.

Vel ideo *minor* est maior, quia, quanto quis humilior, tanto Christo similior, et per hoc tanto ei proximior; Christus autem est maximus; sed quanto aliquis maximo propinquior, tanto maior: quanto ergo quis minor, tanto maior; et hoc est quod ipse innuit infra vigesimo secundo[9]: « Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat ». Et ideo dicebat: « Qui maior est in vobis fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator »; et Marci nono: « Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus et omnium minister », quia dicitur Matthaei vigesimo: « Sic

---

[1] Ita etiam Beda, Card. Hugo, B. Albert. et Lyranus; Vulgata et Vat.: *Apprehendit puerum et statuit illum secus se.* — Tres seqq. loci sunt Matth. 19, 14; Osee 11, 1. et Sap. 9, 4. seq. Glossa *interlinearis* (ex Beda) in Luc. 9, 47: *At Iesus videns*, intelligens causas errorum, vult desiderium gloriae humilitatis contentione sanare.

[2] Matth. 18, 3: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli etc. Glossa *ordinaria* (ex Beda in Marc. 9, 34. seq.) in Matth. 18, 2: *Et advocans.* Secundum Marcum puerum Iesus complectitur, significans, humiles dignos suo complexu et dilectione. — Petr. Comestor, Histor. scholast. in Evang. c. 90: Parvulus iste, ut quidam tradunt, fuit Martialis, apostolus Lemovicarum (ita etiam Glossa in C. *Cum venisset* [c. unicum] X. de Sacra unctione, scil. I. Decret. Gregorii tit. 15; Card. Hugo et B. Albert. in Luc. 9, 47.). Baron., Annal. ecclesiast. ad annum Christi 74. n. 15. refert, Martialem illum fuisse puerulum, de quo Andreas olim Domino roganti dixerat [Ioan. 6, 9.]: *Est puer hic habens quinque panes et duos pisces.* Verum cum dicant, ipsum unum fuisse ex *septuaginta duobus discipulis*, opus est, ut affirment, non sic aetate fuisse puerum nominatum, sed more Hebraeorum etc. Cfr. Cornel. a Lapide in Matth. 18, 2. Simeon Metaphrastes, Vitae Sanctor., in vita S. Ignatii (1. Februar.) insinuat, puerulum istum fuisse S. Ignatium, episc. Antioch. Cfr. Migne, Patrol. Graeca, tom. 5. col. 625. et P. Halloix, Vita S. Ignatii.

[3] Vers. 40. — Duo seqq. loci sunt Ps. 137, 6. et Isai. 66, 2.

[4] Ita Ambros. (VII. in Luc. n. 24.), Beda, Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 9. n. 10.) et Lyranus; Vulgata et Vat. *receperit.* — Glossa *ordinaria* (ex Ambros. loc. cit.) in Luc. 9, 48: Qui imitatorem Christi recipit Christum recipit, et qui imaginem Dei recipit Deum recipit. — Superius pro *auctoritatem* D *voluntatem.*

[5] Vers. 3-6.

[6] Vers. 19, post quem I. Thess. 2, 7.

[7] Vers. 14. — August. in I. Epist. Ioan. tr. 1. n. 6: Superbia exstinguit caritatem; humilitas ergo roborat caritatem. — Sequentem rationem idem habet VIII. de Trin. c. 8. n. 12. quoad sententiam et ex aliqua parte etiam verbotenus.

[8] Vers. 13. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 3, 20. et 10, 27.

[9] Vers. 27. et 26. — Subinde allegantur Marc. 9, 34. et Matth. 20, 16. — Aristot., IV. Metaph. text. 18. (III. c. 4. in fine): Quod magis est propinquius est.

erunt primi novissimi, et novissimi primi ». Et Paulus hoc attendens primae ad Corinthios decimo quinto [1] dicebat: « Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus »; et ad Ephesios tertio: « Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec ». — Ergo inter viros spirituales non debet esse contentio de primo loco, sed de postremo, quia ille honorabilior est, sicut dicitur infra decimo quarto: « Cum vocatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco » etc.

Hortatio.

90. (Vers. 49.). *Respondens autem Ioannes* etc. Post doctrinam humilitatis ad domesticos docet humilitatem habendam *ad extraneos;* circa cuius insinuationem tria introducuntur. Primo enim introducitur ex parte *viri extranei operatio virtutis;* secundo vero, ex parte *discipuli prohibitio temeritatis* [2]*;* tertio vero, ex parte *Magistri persuasio humilitatis.*

De humilitate quoad extraneos tanguntur tria.

Primo ergo introducit *operationem virtutis ex parte viri extranei,* cum dicit: *Respondens autem Ioannes dixit: Praeceptor, vidimus quendam in nomine tuo eiicientem daemonia.* Quia enim Dominus persuaserat humilitatem, volens scire Ioannes, utrum documentum ad extraneos se extendat; ideo respondet et hunc extraneum facientem mirabilia introducit. Extranei autem a Christo possunt miracula facere, secundum illud Matthaei septimo [3]: « Multi dicent mihi: Domine, in nomine tuo daemonia eiecimus et in nomine tuo virtutes multas fecimus ». Tunc dicet illis: « Discedite a me, qui operamini iniquitatem ». Hoc autem fit, quando quis habet fidem nominis Christi sine caritatis amore, secundum illud primae ad Corinthios decimo tertio [4]: « Si habuero fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero; nihil sum ». Et hoc est, quia caritas est illa quae facit amicum Christi. In hoc autem apparet virtus nominis Christi, ut magnae sit efficaciae invocatum ab extraneis, ut, secundum illud ad Philippenses secundo [5], « in nomine Iesu omne genuflectatur caelestium, terrestrium et infernorum ». Unde infra decimo: « Domine, in nomine tuo etiam daemonia subiiciuntur nobis ».

Primum.

Notandum.

91. Secundo vero introducit *prohibitionem temeritatis ex parte discipuli,* cum ait: *Et prohibuimus eum,* scilicet ego cum aliis; quod non fuit absque nota praesumtionis, quoniam Proverbiorum tertio [6]: « Noli prohibere, benefacere eum qui potest; si potes, et ipse benefac ». — Quia tamen frequenter quod fit typho superbiae palliatur zelo iustitiae, ideo adiungit: *Quia non sequitur te* [7] *nobiscum;* et ideo non est dignus, ut sit nobis similis in opere miraculorum, qui non est similis in impletione consiliorum. In hoc autem latebat elatio, quasi diceret illud Isaiae sexagesimo quinto [8]: « Qui dicunt: Recede a me, ne appropinques mihi, quia immundus es ». Et apparebat aemulatio illa, de qua Numerorum undecimo dicitur de viris, qui prophetaverunt in castris sine Moyse, quod « dixit Iosue, filius Nun: Domine mi Moyses, prohibe eos. At ille: Quid, inquit, aemularis pro me »? Unde Ioannes, qui erat praecipuus amator Domini et honoris eius aemulator, omnem, qui Dominum non amabat, a praedicatione nominis Christi excludere volebat. Unde Beda in Glossa [9]: « Ioannes, diligens Dominum et a Domino dilectus, excludendum putat a beneficio qui non utatur obsequio ». Verumtamen fallebatur, quia, ad Philippenses primo, « sive per occasionem, sive per veritatem annuntietur Christus, sed in hoc gaudeo et gaudebo ».

Secundum.

Notandum.

92. (Vers. 50.). Tertio quantum ad *persuasionem humilitatis ex parte Magistri* adiungit: *Et ait ad illum Iesus: Nolite prohibere,* sed potius humiliter sustinete licet imperfectum, quia, ad Romanos decimo quinto [10], « debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere et non nobis placere »; et maxime, quando infirmus non est veritatis adversarius. — Propter quod addit: *Qui* [11] *non est adversum vos pro vobis est.* Et ideo iste utilis est nobis et tolerabilis, cum nos non impugnet, sed adiuvet; unde Ecclesiastici undecimo: « De ea re, quae te non molestat, ne certaveris ».

Tertium.

93. Sed huic videtur contrarium illud Matthaei duodecimo [12]: « Qui non est mecum contra me est, et qui non congregat mecum dispergit »; sed iste

Difficultas.

---

[1] Vers. 9, cui subiunguntur Eph. 3, 8. et Luc. 14, 10.

[2] Vat. *prohibitionis temeritas;* cfr. infra n. 91.

[3] Vers. 22. et 23.

[4] Vers. 2.

[5] Vers. 10, post quem Luc. 10, 17. — Superius pro *ut magnae sit efficaciae* Vat. *maximae efficaciae, dum talia operatur,* et post *extraneis, ut* addit *merito.*

[6] Vers. 27.

[7] Vulgata et Vat. omittunt *te,* quod tamen exhibetur etiam a B. Alberto et S. Thoma (Cat. aurea in Luc. 9. n. 10.). — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 2: Sed aliud est, quod agitur typho superbiae, aliud, quod zelo disciplinae. Cfr. I. Homil. in Ezech. homil. 9. n. 13, ubi dicit: Sic vero sub auctoritate superbia et humanus timor sub humilitate se palliat, ut saepe nec ille valeat considerare, quid Deo, nec iste, quid debeat proximo. — Superius pro *palliatur* C D G H *palliat se.* — Inferius post *non est similis* C (D a secunda manu) addunt *etiam.*

[8] Vers. 5. — Subinde allegantur Num. 11, 27-29.

[9] Scilicet *ordinaria,* in cuius fine Vat. et nonnulli codd. *non utitur,* sed textus originalis et C D G *non utatur.* — Sequitur Phil. 1, 18. Cfr. supra c. 8. n. 68. in fine.

[10] Vers. 1. — Glossa *ordinaria* (ex Ambr., VII. in Luc. 9. n. 25.): *Nolite prohibere. Qui enim.* Non reprehenditur Ioannes, quia amore faciebat, sed docetur, ut noverit, infirmorum esse firmorumque distantiam, quia Dominus, etsi remunerat fortiores, non excludit infirmos.

[11] Vulgata, quam sequuntur nonnulli codd. et Vat., *Qui enim.* — Subinde allegatur Eccli. 11, 9, ubi pro *certaveris* Vulgata et Vat. *certeris.*

[12] Vers. 30. Pro *congregat* C D G H *colligit,* quod occurrit Luc. 11, 23.

non erat cum Domino neque sequebatur eum: ergo erat *ei contrarius* et discipulis eius. Quomodo ergo

Tria genera praedicatorum. Pastores.

erat *pro eis?* — Ex quo datur intelligi, quod tria sunt genera praedicatorum. Quidam sunt *pastores veri,* et hi quaerunt solum Dei honorem et subditorum salutem, secundum illud Ioannis decimo [1]: « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis »; et isti sunt *excipiendi et honorandi.* Et hi sunt imitatores Christi, sicut Timotheus Apostoli, ad Philippenses secundo: « Omnes quae sua sunt quaerunt, non quae sunt Iesu Christi. Experimentum autem eius accipite, quoniam sicut patri filius mecum servivit in Evangelio ». —

Mercenarii.

Quidam vero sunt *mercenarii,* qui pro commodo praedicant, tamen vera et bona, de quibus Ioannis decimo [2] dicitur: « Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est »; et isti *tolerandi.* —

Lupi.

Quidam sunt *lupi,* sicut haeretici, qui in doctrina veritatis a Christo discordant; de quibus dicitur Ioannis decimo [3]: « Lupus rapit et dispergit oves »; et Actuum vigesimo: « Intrabunt in vos lupi rapaces, non parcentes gregi »; et isti sunt *arcendi.*

Solutio difficultatis.

Et de *talibus* intelligitur illud Matthaei duodecimo [4]; de secundis tantum loquitur in proposito. Unde Marci nono dicitur: « Nemo est, qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me »; unde Actuum decimo nono habetur de illis filiis Scevae, quod « tentaverunt invocare nomen Domini Iesu »; et subditur, quod « spiritus nequam dixit eis: Iesum novi et Paulum scio; vos autem unde estis? Et praevaluit contra ambos, ita ut nudi et vulnerati exirent domum ».

Secundo, Apostoli ad aequanimitatem zeli informantur dupliciter.

94. *Factum est autem, dum complerentur* etc. Postquam informavit Apostolos, Ecclesiae praelatos, ad humilitatem animi, informat hic secundo *ad aequanimitatem zeli* [5]. Et habet haec pars duas, in quarum prima introducitur *occasio zeli deordinandi;* in secunda vero adiungitur *correptio zeli inordinati,* per quam informentur ad zeli aequanimitatem; et incipit secunda pars ibi [6]: *Cum vidissent autem discipuli eius.*

De occasione zeli deordinandi tanguntur tria.

*Occasio* autem *zeli deordinandi* ex tribus ortum habuit, scilicet ex *Domini necessitate,* qua hospitio indigebat; ex *discipulorum auctoritate,* qua hospitium requirebant; ex *Samaritanorum inhumanitate,* qua hospitium denegabant [7].

Primum.

95. (Vers. 51.). Primo igitur introducitur *necessitas Domini,* qua hospitio indigebat, quia tempus peregrinationis eius advenerat; quod notat, cum dicit: *Factum est autem, dum complerentur dies assumtionis eius,* id est, dum appropinquaret tempus passionis, per quam debebat assumi in caelum post resurrectionem; unde Psalmus de resurrectione [8] inscribitur « de assumtione matutina »; Ioannis decimo tertio: « Sciens Iesus, quia venit hora » etc. — Dum adveniret passionis tempus, conveniens erat accedere ad patiendi locum; et ideo adiungit: *Et ipse faciem suam firmavit, ut iret in Ierusalem,* ad patiendum; quia dicitur infra decimo tertio [9]: « Non capit, Prophetam perire extra Ierusalem »; ideo illuc tanquam ad locum confusionis et improperii volebat accedere.

Domini constantia et patientia.

Propter quod signanter praemittit, quod *faciem firmavit,* scilicet per constantiam et divinam patientiam, secundum illud Ezechielis tertio [10]: « Ecce, dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum et frontem tuam duriorem frontibus eorum, et ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam ». Vere firma erat facies, quae non solum non fugit, sed etiam ad mortis opprobrium non concussa accessit, ita quod oportebat, eum per terram alienigenarum transire, iuxta illud quod dicitur infra decimo septimo [11]: « Dum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam et Galilaeam ». Et ita oportebat, eum mendicare aliena hospitia, iuxta illud Ieremiae decimo quarto: « Quare quasi colonus futurus es in terra et sicut viator declinans ad manendum »?

Secundum.

96. (Vers. 52.). Secundo adiungitur *auctoritas discipulorum,* qua hospitium requirebant, cum ait: *Et misit nuntios ante conspectum suum.* Decet enim magnum Dominum habere nuntios praecursores, iuxta quod dicitur Malachiae tertio [12]: « Ecce, ego mitto Angelum meum », id est nuntium, « qui praeparabit viam ante faciem tuam ». Sic etiam legimus de Iacob Genesis trigesimo secundo, quod « misit nuntios ante se ». — Et quia boni nuntii

---

[1] Vers. 14, post quem Phil. 2, 21. et 22. — Superius vocibus *quod tria* Vat. interserit *in Ecclesia.*

[2] Vers. 13. — Superius loco *pro commodo* A *vel commodo proprio,* C D G *commodo,* H *pro aliquo temporali commodo,* B legit *quoquo modo praedicent, tamen praedicant vera* [H hic addit *et honesta*].

[3] Vers. 12, cui subiungitur Act. 20, 29.

[4] Vers. 30. — Subinde allegantur Marc. 9, 38; Act. 19, 13. et 15. seq.; cfr. supra pag. 202, nota 7. in fine.

[5] Cfr. supra n. 85, ubi etiam ponitur *aequanimitatem zeli,* pro quo Vat. hic et inferius *aequitatem zeli.*

[6] Vers. 54. — Superius pro *correptio* A C G H *correctio,* quod tamen infra n. 98. solum A H exhibent; pro *inordinati* Vat. *deordinati* (vide infra n. 98.).

[7] Cod. B *Domino nostro denegabant.*

[8] Psalm. 21, 1. Vulgata: *In finem pro susceptione matutina Psalmus David.* Auctor Comment. in Ps., qui habetur inter opera Bedae, ait in hunc locum: Quod sic exponitur: Iste Psalmus attribuitur David, non historiali, sed *David in finem,* id est Christo, in quem velut in finem, id est perfectionem, omnia tendunt. Psalmus, dico, dictus vel cantatus ab ipso *pro susceptione matutina:* habent enim [! etiam, autem?] quidam libri *pro assumtione matutina,* quod ad idem redit. *Susceptio* autem vel *assumtio* matutina dicitur resurrectio ipsa; quando enim Dominus assumtus est in aeternam vitam suscipiens carnem quam deposuerat mortalem... *Matutina* vero vocatur haec susceptio, vel quia historialiter *mane prima Sabbatorum* [Marc. 16, 2.] facta est etc. — Subinde allegatur Ioan. 13, 1.

[9] Vers. 33. — Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Et ipse faciem suam firmavit, ut iret in Ierusalem,* obstinata et imperterrita mente locum, quo pati decreverat, petit.

[10] Vers. 8. et 9.

[11] Vers. 11, cui subiungitur Ier. 14, 8.

[12] Vers. 1, ubi Vulgata et Vat. *meam* pro *tuam;* cfr. tamen supra c. 7, 27; Matth. 11, 10. et Marc. 1, 2. — Sequitur Gen. 32, 3.

fideliter et velociter exsequuntur imperium domini, ideo additur: *Et euntes intraverunt in civitatem* De Samaritanis. *Samaritanorum, ut praepararent illi* [1]. Samaritani isti fuerunt coloni positi in civitatibus Samariae pro filiis Israel in Assyrios translatis, sicut dicitur quarti Regum decimo septimo, quod « rex Assyriorum adduxit de civibus Assyriorum viros et collocavit eos in civitatibus Samariae pro filiis Israel; qui possederunt Samariam et habitaverunt in urbibus eius »; et de istis subditur postmodum ibidem, quod « fuerunt timentes Dominum, nihilominus idolis suis servientes ». In horum civitatem intraverunt, non sua voluntate, cum dicatur Ioannis quarto [2], quod « Iudaei non coutuntur Samaritanis », sed vel necessitate compulsi, quae legem non habet, sive de mandato Domini speciali. Nam in missione Apostolorum dicitur Matthaei decimo [3]: « In viam gentium ne abieritis et in civitates Samaritanorum ne intraveritis »; sed illud dicitur ad praedicandum, non autem ad hospitium requirendum. Nam Ioannis quarto de hac civitate dicitur, quod « discipuli abierant in civitatem, ut cibos emerent »; et hoc mandato Domini faciebant, qui ostendebat, nullum hominem contemnendum, sed quemlibet amandum ut proximum, sicut infra decimo dicitur de Samaritano in parabola, quod « proximus fuit illi qui incidit in latrones ».

97. (Vers. 53.). Tertio adiungitur *inhumanitas* Tertium. *Samaritanorum*, qua hospitium denegabant, cum dicitur: *Et non receperunt eum*, cum tamen ipse esset Dominus eorum; ut impleretur illud Ioannis primo [4]: « In propria venit, et sui eum non receperunt ». Similis fuit inhumanitas istorum inhumanitati illorum de Gabaa ad levitam; dicitur Iudicum decimo nono, quod « sedebant in platea civitatis, nullusque voluit eos recipere hospitio ». Isti Samaritani non admittebantur a Iudaeis ad cultum Dei, et ideo euntibus in Ierusalem erant contrarii. — Et propterea subditur: *Quia facies eius erat euntis in Ierusalem*, id est, quia manifeste hoc cognoscebant, quod iret in Ierusalem ad colendum Deum iuxta ritum Iudaicum. Unde mulier Samaritana dixit ei Ioannis quarto [5]: « Domine, patres nostri in monte hoc adoraverunt, vos autem dicitis, quod Ierosolymis est locus, ubi adorare oportet ». Et inter Iudaeos et Samaritanos de loco orationis erat contrarietas; sicut etiam *spiritualiter* nunc contingit, quod viri spirituales et colentes Deum deridentur et despiciuntur Contrarietas contra viros spirituales. et abiiciuntur ab his qui amant mundum. Unde Proverbiorum decimo quarto [6]: « Ambulans recto itinere et timens Dominum despicitur ab eo qui infami graditur via »; et Ecclesiastici decimo tertio: « Sicut communicabit lupus cum agno, sic peccator iusto ». Unde Sapientiae secundo: « Dixerunt impii: Circumveniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris »; et paulo post: « Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatae sunt viae eius ». Qui enim habent dissimilitudinem vitae non de facili habent societatem viae. Et propterea Samaritani, odientes Ierusalem, eunti in Ierusalem nolebant praestare humanitatem.

98. (Vers. 54.). *Cum vidissent autem disci-* Secundo, de correptione zeli deordinati tanguntur tria. *puli* etc. Posita occasione zeli deordinandi, subiungit *correptionem zeli deordinati*. Circa quam tria introducuntur ab Evangelista, scilicet *indignatio reprehensibilis, increpatio rationabilis, informatio rememorabilis* [7]. Primum fuit in discipulorum animo, secundum fuit in Domini verbo, tertium fuit in dominico facto.

Primo igitur quantum ad *indignationem repre-* Primum. *hensibilem* in discipulorum animo dicitur: *Cum vidissent autem discipuli eius, Iacobus et Ioannes; vidissent*, inquam, istius civitatis crudelitatem, ita ut possent dicere illud Psalmi [8]: « Vidi iniquitatem et contradictionem in civitate »; et iterum: « Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns ». Unde indignatione commoti sunt, quia Dominum, cuius maiestatem in monte viderant cum Moyse et Elia, sic videbant despici in terra. — Propter quod additur: *Dixerunt: Domine, vis dicimus, ut ignis descendat de caelo et consumat eos* [9]*?* In quo ostenditur indignationis furor, quo in illos commoti erant, ut vellent perdere de terra. Ideo autem isti duo praecipue hoc dixerunt, quia magni erant honoris Domini zelatores; unde poterat de eis dici illud ad Romanos decimo: « Testimonium illis perhibeo, quia aemulationem quidem Dei habent, sed non secundum scientiam »; sicut duo filii Iacob, zelo iniuriae sibi factae commoti, destruxerunt urbem Sichimorum, sicut dicitur Genesis trigesimo quarto. — Vel Aliter. ideo hoc dicebant, quia ipsi fuerant cum Domino in

---

[1] Ita etiam translat. ex Syriac., B. Albert. et Gorranus; Vulgata et Vat. *pararent illi*, H addit *hospitium, dicit interlinearis* [Glossa]. — Subinde allegantur IV. Reg. 17, 24. et 41.

[2] Vers. 9. Pro *coutuntur* A C D *communicantur*. — De propositione: « necessitas non habet legem », quae adhibetur a Felice Papa IV. (Gratian., C. *Sicut non alii* [c. 11.] de Consecrat. d. 1.), cfr. Beda, I. in Marc. 2, 27.

[3] Vers. 5. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 4, 8. et Luc. 10, 36. Cfr. Comment. in Ioan. c. 4. n. 23. et 25.

[4] Vers. 11. — Sequitur Iudic. 19, 15.

[5] Vers. 19. et 20. Cfr. tom. VI. pag. 295, nota 4, ubi attulimus rationes, ob quas Samaritani in monte Garizim Deum adorarunt.

[6] Vers. 2. — Subinde allegantur Eccli. 13, 21: *Si communicabit lupus agno aliquando* etc.; Sap. 2, 12. et 15.

[7] Vat. *rationalis* et *memorialis*.

[8] Psalm. 54, 10, post quem 72, 3. — Aliquanto inferius codd. omittunt *Moyse et* (cfr. supra v. 30. seqq.), fortasse ea ex causa, quod solus Elias petiit, ut ignis de caelo descenderet; de quo vide paulo inferius.

[9] Vulgata et Vat. *illos*. — Duo seqq. loci sunt Rom. 10, 2. et Gen. 34, 25. seq.: Arreptis, duo filii Iacob, Simeon et Levi, gladiis, ingressi sunt urbem etc. (Vat. post *sicut duo filii Iacob* addit *Simeon et Levi*). Cfr. Hieron., Epist. 121. (alias 151.) ad Algasiam c. sive quaest. 5.

monte, ubi cognoverant eius maiestatem et viderant Eliae societatem; et ideo similem illi ultionem volebant facere, iuxta quod dicitur quarti Regum primo [1], quod « dixit Elias: Si homo Dei sum, descendat ignis de caelo et devoret te et quinquaginta tuos ». Et factum est sic.

99. (Vers. 55.). Secundo vero quantum ad *reprehensionem rationabilem* in Domini verbo subditur: *Et conversus increpavit illos dicens: Nescitis, cuius spiritus estis.* Hoc dicit, quia ipsi credebant, se moveri a spiritu rectitudinis; et ipsi movebantur zelo amaritudinis, quod non debebant, sicut dicit Iacobus tertio [2]: « Quodsi zelum amarum habetis, et contentiones sunt in cordibus vestris; nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem ». Et propterea dicitur primae Ioannis quarto [3]: « Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint ». Spiritus enim Christi est spiritus mansuetudinis, secundum illud Isaiae sexagesimo primo: « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad annuntiandum mansuetis misit me »; et quadragesimo secundo: « Ecce, servus meus, suscipiam eum. Dedi spiritum meum super eum. Calamum quassatum non confringet et linum fumigans non exstinguet ». Et hunc spiritum debebant isti habere tanquam boni discipuli et imitatores Magistri.

Secundum.

De zelo amaro.

100. (Vers. 56.). Et propterea addit: *Filius enim [4] hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare;* quoniam hic adventus non erat iustitiae, sed misericordiae, secundum illud Ioannis tertio [5]: « Non misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum »; unde ab isto fine nomen accepit, ut diceretur *Iesus,* secundum illud Matthaei primo: « Vocabis nomen eius Iesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum »; et Matthaei vigesimo: « Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis ». Et ideo qui spiritum Christi habet non debet expetere vindictam, sed exhibere patientiam, secundum illud Ambrosii in Glossa [6]: « Perfecta, inquit, virtus non habet studium ultionis; nec ulla est iracundia, ubi caritatis est plenitudo ». Ideo dicitur ad Romanos duodecimo: « Non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum irae ».

Finis adventus Christi.

101. Tertio quantum ad *informationem rememorabilem* in Domini facto subditur: *Et abierunt in aliud castellum;* in quo dedit formam discipulis, ut ante fugiant homines, quam cum eis contendant; iuxta quod dedit formam discipulis suis Matthaei decimo [7]: « Cum autem persequentur vos in una civitate, fugite in aliam ». Exemplum autem huius habemus de Abraham et Lot, Genesis decimo tertio, ubi « dixit Abraham: Ne, quaeso, sit iurgium inter me et te; fratres enim sumus. Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo ». In quo docuit perfectam mansuetudinem, quae decet Christi servos, secundum illud secundae ad Timotheum secundo [8]: « Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse »; unde secundum illud Iacobi primo: « Sit omnis homo tardus ad iram. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur ». Si enim noluit Dominus maiestatis irasci tantae inhumanitati, quanto minus nos debemus alicui indignari? Et haec potissime mansuetudo reperiri debet in praepositis Ecclesiae; unde Apostolus secundae ad Timotheum quarto [9]: « Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina »; quoniam in Psalmo dicitur: « Supervenit mansuetudo, et corripiemur ». Et Seneca [10]: « Generosus est animus hominis, et facilius ducitur, quam trahatur »; unde ipse dicit, quod rex apum non habet aculeum.

Tertium.

102. *Factum est autem, ambulantibus* etc. Post informationem Apostolorum ad normam praesidendi quantum ad humilitatem animi et aequanimitatem zeli hic tertio loco informat eos *quantum ad perspicacitatem iudicii* [11]; et hoc per exemplum Iesu Christi. Perspicacitas autem iudicii manifestatur in parte ista tripliciter: primo in *repulsione duplicium;* secundo, *advocatione simplicium,* ibi [12]: *Ait autem ad alterum* etc.; tertio vero, *redargutione mobilium,* ibi: *Et alter ait: Sequar te, Domine* etc.

Tertio, Apostoli informantur ad perspicacitatem iudicii tripliciter.

---

[1] Vers. 10. — Superius post *et ideo similem* Vat. prosequitur *illis volebant ultionem facere, qualem Elias fecisse legitur. Dixit Elias* etc.

[2] Vers. 14. — Post *non debebant* Vat. addit *facere.*

[3] Vers. 1. — Subinde allegantur Isai. 61, 1. et 42, 1. et 3, ubi pro *linum* A C D *lignum* (? lychnium).

[4] Vulgata et Vat. omittunt *enim,* quod tamen exhibetur etiam in translat. ex Syriac. et a Gorrano.

[5] Vers. 17. — Duo seqq. loci sunt Matth. 1, 21. et 20, 28. Cfr. supra pag. 87, nota 9. — Inferius pro *unde ab isto fine* (ita C G; A D omittunt *fine,* pro quo Vat. *suum)* II *unde a salute.*

[6] Scilicet *ordinaria* (ex Ambros., VII. in Luc. n. 28.), cuius finem Vat. sic exhibet: *nec ulla est iracundia caritatis, sed plenitudo.* — Sequitur Rom. 12, 19.

[7] Vers. 23. — Subinde allegatur Gen. 13, 8. seq. — Superius pro *ut ante* Vat. *ut potius.*

[8] Vers. 24, cui subiungitur Iac. 1, 19. seq.

[9] Vers. 2, post quem Ps. 89, 10.

[10] Iam supra pag. 114, nota 5. allegatus (pro *Generosus* A C D H etiam hic *Gloriosus).* Idem I. de Clementia, c. 19: « Rex ipse [apum] sine aculeo est ». Cfr. Aristot., V. de Histor. animal. c. 21: « Reges ducesque [apum] habent [aculeum], sed non utuntur; quocirca eos carere aculeo nonnulli existimant ». Plinius (XI. Histor. natural. c. 17.): « Non constat inter auctores, rex [apum] nullumve solus habeat aculeum, maiestate tantum armatus, an dederit eum quidem natura, sed usum eius illi tantum negaverit. Illud constat, imperatorem aculeo non uti ». In ed. operum Senecae ex recensione F. Ern. Ruhkopf (Augustae Taurin. 1828) praedictis verbis Senecae haec adiungitur nota: « Ceterum iure, an falso id dixerit Seneca, ad rem minime pertinet; nam eadem semper consequentia est. Etiamsi enim aculeo regina apum [a veteribus appellatur *rex apum*] instructa sit, ubi ille aculeus pungere non potest, videtur natura noluisse, imperanti placere saevitiam ultionemque magno constaturam ». Vide etiam Werneri abbatis S. Blasii, II. Defloration. SS. Patrum, Dominica XV. de Apibus.

[11] Cfr. supra n. 85.

[12] Vers. 59; tertium habetur v. 61.

*repulsio duplicium iunguntur duo.*

Circa *repulsionem duplicium* introducuntur duo: primum est *simulatio simplicitatis,* secundum est *detectio* [1] *duplicitatis.*

*Primum.*

103. (Vers. 57.). Primo igitur quantum ad *simplicitatis simulationem* dicit: *Factum est autem, ambulantibus illis in via,* scilicet discipulis ambulantibus cum Domino in via perfectionis, sicut dicitur de Noe Genesis sexto [2]: « Noe vir iustus atque perfectus cum Deo ambulavit »; et similiter Dominus ad Abraham, Genesis decimo septimo: « Ambula coram me, et esto perfectus ». De qua via Isaiae trigesimo: « Audies verbum praeceptoris tui. Haec est via bona; ambulate in ea ». — Et quia in hac via frequenter mali simulatione iungi volunt bonis, ideo additur: *Dixit quidam ad Iesum* [3]*: Sequar te, quocumque ieris.* In quo ostendebat, se habere voluntatem sequendi perfecte, cum tamen aliud in corde haberet, sicut Simon magus, de quo dicitur Actuum octavo, quod « cum baptizabantur viri et mulieres, tunc Simon et ipse credidit et baptizatus est », malo tamen corde et duplici, sicut ex sequentibus patet. Unde Hieronymus [4]: « Iste hac intentione volebat sequi Iesum, qua Simon magus desiderabat habere potestatem miracula faciendi, ut de miraculis divitias lucraretur ». Sed contra Ecclesiastici primo [5]: « Ne accesseris ad illum duplici corde et ne fueris hypocrita in conspectu hominum ». Tales sunt qui magna promittunt et parva faciunt, contra quos Ecclesiastici quarto: « Ne fueris citatus in lingua tua et inutilis et remissus in operibus tuis ».

*Secundum.*

104. (Vers. 58.). Secundo vero quantum ad *duplicitatis detectionem* adiungitur: *Et ait illi* [6] *Iesus: Vulpes foveas habent,* in quibus scilicet latent, *et volucres caeli nidos,* in quibus pernoctant; *Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet;* in quo miram *ostendit inopiam,* quasi dicat, se nolle habere comitem, qui diligat terrena; unde infra decimo quarto [7]: « Qui non renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus », hoc est imitator perfectus. Unde Chrysostomus: « Respondet Dominus ad mentem eius, quasi dicat: Quid me sequeris propter pecunias, qui vides, non tantum mihi diversorium esse, quantum avibus »? — Simul etiam cum hoc notat eum *de simulatione exteriori,* quae intelligitur in *vulpe,* secundum quod infra decimo tertio [8] dicitur de Herode: « Ite, dicite vulpi illi ». Et propterea per *vulpes* intelliguntur haeretici, quoniam tortuosi et subdoli sunt et ignem habent in caudis, sicut dicitur de vulpibus Samsonis Iudicum decimo quinto.

*Simulatio exterior insinuata in vulpe.*

*Item, interior in volucre.*

105. Notat etiam eum *de simulatione interiori in volucre,* quae alta petit; talis est superbus, sicut dicitur Abdiae primo [9]: « Si exaltatus fueris ut aquila et inter sidera posueris nidum tuum; inde detraham te, dicit Dominus ». — Et propter haec duo ostendit Dominus eius consortium repudiandum, quia, primae ad Corinthios primo [10], « ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt, destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius ». — Et propterea in exemplum imitationis factus est mendicus, iuxta illud secundae ad Corinthios octavo: « Factus est pro nobis egenus, ut eius inopia divites essemus »; unde imitatores Christi inopia Christi divites facti sunt. Valde enim dives est qui tantum habet, quantum Rex caeli et terrae. Huiusmodi autem est, qui nihil habet proprietate et totum possidet caritate, sicut illi, secundae ad Corinthios sexto [11], « tanquam nihil habentes et omnia possidentes ». Beatus, qui terrenam foveam commutat in aeternam aulam; « beati autem pauperes spiritu » etc. — Simul etiam cum hoc attende, quod paupertas non est placita nisi *simplex* contra *dolositatem vulpis,* et *humilis* contra *elationem volucris.* Unde Isaiae sexagesimo sexto [12]: « Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu et trementem sermones meos »? ubi iungit paupertatem simplicitati et humilitati. Unde Augustinus [13]: « Quid prodest divitias reliquisse, cum miser homo superbior efficitur divitias contemnendo, quam fuerat possidendo »? Nam pauper superbus odiosus

*Excellentia paupertatis.*

*Duae proprietates ipsius.*

---

[1] Codd. C D H substituunt hoc loco *detestatio,* tamen infra n. 104, D a secunda manu excepto, conveniunt cum aliis.

[2] Vers. 9, post quem allegantur Gen. 17, 1. et Isai. 30, 20. seq.: Erunt oculi tui videntes praeceptorem tuum, et aures tuae audient verbum post tergum monentis: Haec est via; ambulate in ea.

[3] Vulgata, quam sequuntur H et Vat., *ad illum.* — Subinde allegatur Act. 8, 12. seq.; vide ibid. v. 18. seqq.

[4] Libr. I. Comment. in Matth. 8, 19. seq., in quem locum Glossa *interlinearis: Ait illi,* hoc desiderans, quod Simon magus voluit emere, ut de miraculis lucraretur.

[5] Vers. 36. et 37. — Sequitur Eccli. 4, 34.

[6] Ita etiam Beda, Card. Hugo, Gorranus et Lyranus; Vulgata *dixit illi.* Subinde post *caput* codd. (C D exceptis, qui consentiunt cum Vulgata) et Vat. addunt *suum,* quod habent etiam Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. c. 9. n. 12.), Gorranus et Lyranus. Cfr. Matth. 8, 20, ubi Hieron. legit *caput suum,* Vulgata *caput reclinet.*

[7] Vers. 33. — Sententia Chrysost. habetur Homil. 27. (alias 28.) in Matth. n. 2. circa finem. — Inferius pro *hoc est* C D *hic est,* H *et talis est.*

[8] Vers. 32. — Subinde allegatur Iudic. 15, 4. seq. Glossa *ordinaria* (secundum Ambros., VII. in Luc. n. 30. seq.) in Luc. 9, 58: Vulpes, animal fallax, insidiis intentum, rapinas fraudis exercens, etiam inter ipsa hominum hospitia habitans in foveis; ita haereticus, domum fidei non habens, alios in suam fraudem trahit et a fide seducit.

[9] Vers. 4. — Beda, III. in Luc. 9, 58: Intelligitur miraculis Domini commotus, propter inanem iactantiam eum sequi voluisse, quam significant aves.

[10] Vers. 28. seq. et subinde II. Cor. 8, 9.

[11] Vers. 10. (cfr. Bernard., Serm. 21. in Cant. n. 7.), post quem Matth. 5, 3. Cfr. supra c. 2. n. 15. seq. et c. 6. n. 50. cum nota 4.

[12] Vers. 2.

[13] In Regula ad servos Dei, c. 2: Et quid prodest dispergere dando pauperibus et pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur etc. — Subinde allegatur Eccli. 25, 3. seq.

est Deo et hominibus, secundum illud Ecclesiastici vigesimo quinto: « Tres species odivit anima mea »: « Pauperem superbum » etc.

106. (Vers. 59.). *Ait autem ad alterum.* Post **De advocatione simplicium tanguntur duo.** repulsionem duplicium subditur hic *advocatio simplicium,* circa quam duo introducuntur: primum est *vocatio innocentis;* secundum est *eruditio ignorantis.*

Primum igitur quantum ad *innocentis vocationem* **Primum.** dicitur: *Ait autem ad alterum: Sequere me,* sicut *filius patrem;* Ieremiae tertio[1]: « Patrem vocabis me et post me ingredi non cessabis ». Vel sicut *discipulus magistrum,* sicut dixit Dominus adolescenti consilium quaerenti Matthaei decimo nono: « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quae habes, et da pauperibus; et veni et sequere me ». Et hunc discretive vocabat, sicut Petrum, Ioannis ultimo: « Tu me sequere ». — Et signanter *alterum* dicit, quia alterius erat dispositionis; erat autem *simplex* et *humilis;* ad quod designandum adiungit: *Ille autem dixit: Domine, permitte mihi primum ire et* **Simplicitas.** *sepelire patrem meum;* in quo apparet *puritas,* quia non celabat cordis affectum, non refutabat consilium. Unde Isidorus[2]: « Non respuit esse discipulus, sed expleta pietate paterni funeris, vult liberior **Humilitas.** sequi ». Apparet *humilitas,* quia mortuo patri impendere volebat obsequium, iuxta illud Ecclesiastici tertio[3]: « Qui timet Dominum honorat parentes, et quasi dominis serviet his qui se genuerunt, in opere **Tres rationes moventes.** et sermone et omni patientia ». Ad hoc autem movebat eum *obedientia divini praecepti;* Exodi vigesimo[4]: « Honora patrem tuum »; movebat etiam *clementia animi;* sepelire enim mortuum opus est misericordiae, de qua commendatur Tobias, primo: « Cum occideret rex multos de filiis Israel, Tobias sepeliebat corpora eorum »; movebat etiam *consuetudo laudabilis,* secundum illud Ecclesiastici trigesimo octavo: « In mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus, incipe plorare, et secundum iudicium contege corpus illius et non despicias sepulturam illius ». Unde apparet, quod non dixit hoc ex carnalitate, sed ex quadam pietate et humilitate, sicut Eliseus dixit Eliae tertii Regum decimo nono[5]: « Osculer, oro, patrem meum et matrem meam, et sic sequar te ».

107. (Vers. 60.). Secundo vero quantum ad *ignorantis eruditionem* subditur: *Dixitque illi*[6] *Iesus:* **Secundum.** *Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos.* In quo primo erudit eum *peccatorum consortium declinare;* **Eruditio 1.** nam *mortui* vocantur hic peccatores et infideles; unde ad Ephesios secundo: « Vos cum essetis mortui in delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis ». Talium consortium deserendum est viro sancto, secundum illud Ecclesiastici decimo tertio[7]: « Quae communicatio homini sancto ad canem »? id est ad peccatorem et infidelem. Unde quantumcumque sit coniunctus, tamen deserendus, maxime cum impedit bonum. Unde Deuteronomii trigesimo tertio: « Qui dixerit patri suo et matri suae: Nescio vos; et fratribus: Ignoro illos; hi sunt qui custodierunt iudicia tua, o Iacob, et legem tuam, o Israel ».

108. Erudit etiam eum, *minora bona pro maioribus postponenda esse;* **Eruditio 2.** unde Ambrosius[8] docet, « minora bona pro utilitate maiorum esse praetermittenda. Maius est enim animas mortuorum praedicando suscitare, quam corpus mortui in terra abscondere ». — Et propterea subdit: *Tu autem vade et annuntia regnum Dei;* quasi dicat: minus bonum pro maiori intermitte, iuxta quod dicitur primae ad Timotheum quarto[9]: « Exerce temetipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est » etc. **Notandum.** Ex quo apparet, quod opera pietatis spiritualis omnino secundum sententiam Apostoli et Domini sunt corporalibus operibus anteponenda. Quamvis enim pietatis magnum sit opus sepelire mortuum, et hoc patrem proprium; tamen Christus vult, pro praedicationis officio esse dimittendum. Propter quod dicebant Apostoli Actuum sexto[10]: « Non est aequum, nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis ». Quantum enim anima melior est corpore, tantum melius est animam pascere praedicando quam corpus alimenta ministrando; vel maxime, quia plures sunt idonei ad sepulturam praebendam quam ad dandam doctrinam. Unde Apostoli

---

[1] Vers. 19. — Duo seqq. loci sunt Matth. 19, 21. et Ioan. 21, 22. — Inferius pro *discretive* Vat. *distincte.*

[2] Etiam Card. Hugo et Gorranus Isidoro tribuunt hanc sententiam, quam exhibet Glossa *interlinearis* in Matth. 8, 21. et insinuat Glossa *ordinaria* (apud Lyranum) in Luc. 9, 59. Glossae praedictae sumtae sunt ex *Bedae* Commentario in locos allegatos. Cod. H legit *Unde Ambrosius,* qui (VII. in Luc. n. 34. et 41.) tamen non ita expresse, sicut Beda, hanc sententiam proponit. Vat. omittit *Unde Isidorus.*

[3] Vers. 8. et 9.

[4] Vers. 12. — Duo seqq. loci sunt Tob. 1, 21. et Eccli. 38, 16.

[5] Vers. 20. — Ambros., VII. in Luc. n. 33: Qui repudiaverat fraudulentum elegit innocentem dicens: *Sequere me...* Vide igitur, quia Dominus quos miseratur etiam imprudentes advocat et postulanti paternae veniam sepulturae respondit: *Sine, mortui sepeliant* etc. — Superius pro *humilitate* B *humanitate.*

[6] Vulgata, quam H et Vat. sequuntur, *ei.* — Subinde allegatur Eph. 2, 1. seq. Vulgata et Vat. post *mortui* omittunt *in;* cfr. Col. 2, 13.

[7] Vers. 22. Cfr. II. Cor. 6, 14. seq. — Sequitur Deut. 33, 9. 10. — Ambros., VII. in Luc. n. 41: Nec revocatur ab officio patris filius, sed fidelis a perfidi communione secernitur.

[8] Cuius sententia (VII. in Luc. n. 34.) exhibetur secundum Glossam *ordinariam* (ex Beda) apud Lyranum in Luc. 9, 59.

[9] Vers. 7. et 8.

[10] Vers. 2. — Superius pro *Quamvis enim... tamen Christus* (ita A D) alii codd. et Vat. *Quod (Quid,* ita G) *enim pietatis maius* (H *magis) opus, quam sepelire mortuum, et hoc patrem proprium? Et tamen Christus.*

dicebant Actuum sexto[1]: « Considerate viros boni testimonii, quos constituamus super hoc opus. Nos autem orationi et ministerio verbi instantes erimus »; quia dicitur infra decimo: « Maria optimam partem elegit »; et ideo Danielis duodecimo: « Qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellae » etc. — Et nota, quod dicit: *Annuntia regnum Dei,* volentibus scilicet poenitere; iuxta quod dicebat Christus Matthaei quarto[2]: « Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum caelorum ». Sicut ergo est magnum peccatum, cum indigenti dives non dat eleemosynam; sic maius est, cum sciens non communicat doctrinam; unde Proverbiorum undecimo: « Qui abscondit frumenta maledicetur in populis ». Ideo dicit: *Nuntia,* non abscondas.

Notandum.

109. (Vers. 61.). *Et alter ait: Sequar te* etc. Post repulsionem duplicium et advocationem simplicium subiungit hic *redargutionem mobilium,* circa quam duo introducuntur: primum est *vacillatio voluntatis,* secundum est *redargutio mobilitatis.*

De redargutione mobilium tanguntur duo.

Primo igitur quantum ad *voluntatis vacillationem* praemittit: *Et alter ait: Sequar te*[3]*;* ecce, voluntas adhaerendi Deo tanquam magistro. Attendebat enim illud dominicum Ioannis octavo: « Qui sequitur me non ambulat in tenebris »; et Ecclesiastici vigesimo tertio: « Magna gloria est sequi Dominum ». — Sed in hac voluntate fortis non erat; propter quod addit: *Sed primum permitte, me ire et nuntiare his qui domi sunt*[4]. Ex quo apparet, quod adhuc afficiebatur erga suos, contra id quod in Psalmo dicitur: « Obliviscere populum tuum et domum patris tui ». Non erat hic similis Paulo, qui dicebat ad Galatas primo: « Cum placuit ei qui me vocavit per gratiam suam, continuo non acquievi carni et sanguini ». Carnales amici spiritualibus consiliis adversantur, et ideo tanquam adversarii sunt dimittendi. Ideo Matthaei decimo[5] dicitur: « Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni separare hominem adversus patrem »; « et inimici hominis domestici eius ». Et ideo dicitur in persona boni religiosi Ieremiae duodecimo: « Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam ». Non talis iste, quia oculum habebat ad domesticos. Huic similes sunt religiosi curiosi de factis consanguineorum; contra quod Beda in Glossa[6]: « Si discipulus Dominum secuturus arguitur, quod domui renuntiare velit; quid fiet illis qui nulla utilitate saepe visitant domos, quas reliquerant »? Tales non attendunt quod dictum est Abrahae Genesis duodecimo[7]: « Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui et veni in terram, quam monstravero tibi ».

Primum.

Notandum.

110. (Vers. 62.). Secundo vero quantum ad *redargutionem mobilitatis* adiungit: *Ait*[8] *ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum* etc., id est ad divinae perfectionis et praedicationis exercitium, quod recte per *aratrum* designatur propter culturam et fructum, iuxta illud Osee decimo: « Arabit Iudas, et confringet sibi sulcos Iacob ». — *Nemo,* inquam, talis existens, *et aspiciens*[9] *retro,* id est ad mundum, *aptus est regno Dei,* id est ad regnum Dei possidendum; quia, secundum illud secundae ad Timotheum secundo, « nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit ». — Cuius rei figura praecessit in uxore Lot, quae[10], « respiciens post se, versa est in statuam salis »; quia talis homo efficitur inutilis et sterilis. Et ideo dicitur infra decimo septimo: « Qui fuerit in agro non redeat retro. Memores estote uxoris Lot ».

Secundum.

Figura.

111. Talis homo non est aptus ad regnum, sed potius *ad opprobrium;* unde secundae Petri secundo[11]: « Melius est viam veritatis non cognoscere,

Aptus ad opprobrium.

---

[1] Vers. 3. et 4, in cuius fine post *ministerio verbi* C D addunt *Dei.* — Duo seqq. loci sunt Luc. 10, 42. et Dan. 12, 3, ubi pro *erudiunt multos* A C D G *erudierunt plurimos.* — Superius post *ad sepulturam* [in D secunda manus substituit *eleemosynam*] ex A D supplevimus *praebendam.*

[2] Vers. 17. — Subinde allegatur Prov. 11, 26.

[3] Vulgata, quam sequuntur H et Vat., addit *Domine.* — Sequuntur Ioan. 8, 12. et Eccli. 23, 38. — Inferius vocibus *illud dominicum* Vat. praefigit *consilium.*

[4] Vulgata et Vat.: *Sed permitte mihi, primum renuntiare his quae domi sunt.* A nostra lectione S. Thomas (Cat. aurea in Luc. 9. n. 12.) divergit substituendo *permitte mihi, ire et renuntiare* (G H habent etiam *renuntiare)* pro *permitte, me ire et nuntiare.* Lectio nostra ab August., Serm. 100. (alias 7. de Verbis Domini) c. 2. n. 3. sic exhibetur et explicatur: « *Prosequar te, Domine,* ait, *sed vado primum, renuntiare his qui in domo sunt.* Credo hic sensus est: Nuntiem meis, ne forte, quomodo fieri solet, quaerant me ». Pro *nuntiare* translat. ex Syriac. utitur verbo exprimente *valedicere,* quod adhibetur etiam a Basilio (Constitut. monastic. c. 20. n. 3.) et Theophylact. (in Luc. 9, 61., ubi in Graeco habetur: ἀποτάξασθαι τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου). August., II. de Consensu Evangelist. c. 23. n. 54, et Beda, III. in Luc. 9, 61. legunt etiam *qui domi sunt.* — Subinde allegantur Ps. 44, 11; Gal. 1, 15. et 16.

[5] Vers. 34-36. Pro *Veni separare hominem adversus patrem* A C E G *vel* [E *scilicet*] *separationem adversus patrem.* — Sequitur Ier. 12, 7. — Superius vocibus *Carnales amici* Vat. praefigit *Ideo hic est parentibus renuntiandum, quia,* et subinde post *et ideo* prosequitur *caro et sanguis tanquam adversarii non sunt admittendi.*

[6] Scilicet *ordinaria,* in cuius fine textus originalis *domos suorum, quas dereliquerunt* (H: *domus suorum, quas reliquerunt).* Plures codd., ut A C D, initium Glossae omittunt, legentes: *consanguineorum, cum arguitur vel quia domui* [C D *domi*] *renuntiare* etc. Pro *contra quod* [quos?] *Beda in Glossa* H *unde Glossa.*

[7] Vers. 1.

[8] Codd. C D *Ait autem;* Beda *Et ait.* — Subinde allegatur Osee 10, 11.

[9] Ita A C D H et etiam Beda, Card. Hugo, B. Albert. et Lyranus; Vulgata *respiciens.* — Sequitur II. Tim. 2, 4.

[10] Ut dicitur Gen. 19, 26. Codd. C D G H *respiciens retro* [Septuaginta *retrorsum*] *conversa est* etc. — Subinde allegatur Luc. 17. 31. seq.

[11] Vers. 21. et 22, in quo respicitur Prov. 26, 11: Sicut canis, qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam.

quam post agnitam retrorsum converti ab eo, quod illis fuerat traditum sancto mandato. Contingit enim eis illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum» etc.; quod recte intelligi potest de recidivantibus et apostatantibus. Et ideo e contrario suadet Ecclesiasticus, quinto [1]: «Esto firmus in via Domini». Talis erat Apostolus, sicut dicitur ad Philippenses tertio: «Quae retro obliviscens, ad ea vero, quae sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis». Et ideo ipse monebat ad Ephesios tertio [2]: «In caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere» etc. Sciebat enim, a Domino dictum esse Matthaei decimo: «Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit». Ad hoc potissime Scriptura nos invitat; unde per totam Legem et Prophetas [3] prohibet filiis Israel, ne revertantur in Aegyptum, id est, ne de divino servitio convertatur homo ad mundum. Unde et propter illud delictum fere omnes filii Israel a Domino in deserto interfecti fuerunt.

De perseverantia.

## Capitulum X.

**Secundo agitur de missione septuaginta duorum discipulorum quoad tria.**

1. *Post haec* [4] *designavit Dominus* etc. Expedita parte de missione Apostolorum, hic subditur pars de *missione discipulorum* ad modum *minorum praelatorum.* Habet autem haec pars tres, in quarum prima agit de *forma praedicandi;* in secunda vero, de *forma vivendi,* infra eodem [5]: *Et ecce, quidam legisperitus;* in tertia, de *forma orandi,* infra undecimo: *Et factum est, cum esset in quodam loco* etc.

Divisio.

**Prima pars agit de missione discipulorum comitantium tripliciter.**

Prima pars habet tres, in quarum prima praemittitur *missio discipulorum comitantium;* in secunda vero additur *informatio euntium,* ibi [6]: *Nolite portare neque sacculum* etc.; in tertia subditur *consolatio redeuntium,* ibi: *Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio* etc. *Mittuntur* autem discipuli cum auctoritate divini imperii, *informantur* ex veritate divini magisterii, *consolantur* ex familiaritate divini contubernii.

*Mittit* autem discipulos Dominus ad praedicandum hoc ordine: primo *designando* eos secundum debitum numerum; secundo *praemittendo* designatos in omnem civitatem et locum; tertio in *accelerando* praemissos ad salutem electorum; quarto in *confirmando* acceleratos contra rabiem persecutorum.

De missione comitantium tanguntur quatuor.

2. (Vers. 1.). Primo igitur quantum ad *discipulorum designationem* secundum debitum numerum dicit: *Post haec designavit Dominus et alios septuaginta duos* etc.; *designavit* utique, id est, signanter elegit, secundum illud Ioannis decimo quinto [7]: «Ego elegi vos et posui vos, ut eatis» etc. Unde in Glossa: «Sicut in Apostolis forma est episcoporum, sic in septuaginta duobus forma est presbyterorum secundi ordinis». Isti debent a Deo *designari,* id est ad honorem assumi, secundum illud ad Hebraeos quinto [8]: «Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron». In cuius designationis testimonium debent esse signati signaculo ordinis et characteris sacerdotalis, signaculo tonsurae et totius disciplinae et conversationis sanctissimae, ut appareat, illos esse de numero illorum, quibus ad Ephesios quarto dicitur [9]: «Signati estis Spiritu sancto in die redemptionis nostrae». — Designavit autem eos in *numero septuaginta,* secundum quod designati fuerant in veteri testamento, Exodi decimo quinto [10], in *septuaginta palmis,* ubi dicitur, quod «in Elim erant duodecim fontes aquarum» quoad Apostolos, «et septuaginta palmae» quoad discipulos; et Numerorum undecimo, hi signati fuerunt in *septuaginta viris,* quibus dedit Dominus Spiritum sanctum prophetandi, ubi dicitur: «Locutus est Dominus ad Moysen, auferens de spiritu, qui erat in Moyse, et dans septuaginta viris, qui prophetaverunt nec ultra cessaverunt. Remanserant autem duo viri in castris, super quos requievit spiritus. Nam et ipsi

Primum.

Notandum.

De eorum numero.

---

[1] Vers. 12, post quem Phil. 3, 13. seq. — Pro *e contrario* (ita G), quod H omittit, Vat. *e diverso,* A C D (ut videtur) *econtra.*

[2] Vers. 17. et 18. — Subinde allegatur Matth. 10, 22.

[3] Vide Num. 14, 2. seqq.; I. Cor. 10, 10. et Hebr. 3, 17. Cfr. etiam Isai. 30, 1. seqq. et 31, 1. seqq.; Ier. 2, 5. seqq. Ezech. 20, 5. seqq.

[4] Vulgata, quam H et Vat. sequuntur, addit *autem* (idem recurrit infra n. 2.), quod etiam codd. supra c. 9. n. 1. exhibent; ibid. invenitur etiam divisio principalis partium, quae paulo inferius tangitur.

[5] Vers. 25; tertium habetur c. 11, 1. Pro *cum esset* plures codd. *dum esset;* cfr. infra c. 11. n. 1.

[6] Vers. 4, ubi H cum Vulgata omittit *neque* (cfr. infra n. 8.); tertia pars habetur v. 17.

[7] Vers. 16, post quem Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 10, 1, in cuius fine ipse Beda: *presbyterorum, id est secundi ordinis sacerdotum.*

[8] Vers. 4.

[9] Vers. 30. — Superius pro *signaculo tonsurae* (ita C G H et Vat.) A D *signaculo doctrinae.*

[10] Vers. 27. Cfr. Hieron., Epist. 78. (alias 127.) VI. Mansio. — Subinde allegantur Num. 11, 25. et 26, in cuius fine pro *fuerant* C D G H *fuerunt.* — Superius post *in numero septuaginta* Vat. addit *duos,* H affert utramque lectionem.

descripti fuerant »; in quo hi expresse figurati sunt. *Duplex ratio huius numeri.* — Ratio autem, quare isti fuerunt septuaginta duo, *litteralis* fuit, ut, sicut Apostoli praedicantes duodecim tribubus duodecim erant, sic isti septuaginta duo, secundum quod in Glossa [1] dicitur: « Septuaginta duo mittuntur, qui totidem gentibus linguarum Evangelium praedicarent »; secundum *mysticum intellectum*, quia continet in se septies denarium et binarium; in quo designatur septiformis spiritus donatus eorum ministerio ad impletionem decalogi et duorum praeceptorum caritatis [2]. — *Aliter.* Vel, quia septuaginta duo continent horas trium dierum, quia fidem Trinitatis praedicare debebant, sicut dicitur in Glossa [3], secundum triduanum circuitum solis Christi, scilicet incarnationis, passionis, resurrectionis.

3. Secundo quantum ad *designatorum praemissionem* ante suum conspectum subditur: *Secundum.* *Et misit illos binos ante faciem suam. Misit*, inquam, auctoritate divina, quia, sicut dicitur Ioannis vigesimo [4], « sicut me misit Pater, et ego mitto vos ». *Duplex ratio.* *Binos* autem misit *ad litteram*, ut se mutuo custodirent et adiuvarent, secundum illud Ecclesiastae quarto: « Melius est, duos simul esse quam unum; habent enim emolumentum societatis suae »; vel secundum *spiritualem intelligentiam*, ut dicit Beda [5], « per hoc, quod binos mittit, innuit, quod nemo praedicationis officium suscipere debet, qui erga alium caritatem non habet ». In cuius rei designationem dicitur Canticorum quarto: « Dentes tui », id est praedicatores, quorum est masticare cibum parvulis, « sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fetibus, et sterilis non est in eis ». In cuius etiam rei *figuram*, ut dicit Glossa [6], animalia bina fuerunt in arca Noe, sicut dicitur Genesis sexto. — Et quoniam haec missio non erat nisi sicut quaedam praeparatio ad Christum, ideo addit: *In omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus;* unde sicut praecones praecedebant, secundum illud Isaiae quadragesimo [7]: « Parate viam Domini, rectas facite semitas eius ». Unde Glossa: « Ubi verba praedicationis praecurrunt, venit Dominus ad mentis habitaculum ».

4. (Vers. 2.). Tertio quantum ad *praemissorum accelerationem* ad salutem electorum subditur: *Tertium.* *Et dicebat illis: Messis quidem multa*, id est turba ad conversionem parata. Unde Ioannis quarto [8], quando Samaritani crediderunt, Dominus dixit: « Videte regiones, quia albae sunt iam ad messem ». *Notandum.* Haec messis seminata fuit in *lege naturae*, crevit autem in *lege figurae*, sed recollecta est in *tempore gratiae*. Unde dicitur Ioannis quarto: « Ego misi vos metere quod vos non seminastis; alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis ». Huius autem messis duplex est recollectio: *universalis* in tempore ultimo, de qua Apocalypsis decimo quarto [9] dicitur Angelo: « Mitte falcem tuam et mete, quia venit hora, ut metatur, quoniam maturavit messis terrae »; alia est recollectio sive messio *particularis* in praedicatione Evangelii. — *Quare dicantur operarii.* Quia vero pauci sunt boni messores, ideo subdit: *Operarii autem pauci;* signanter dicit *operarii*, quia ad hoc, quod falx praedicationis messem recolligat, necesse est, quod *manus operis* eam teneat, iuxta quod dicit Gregorius super Ezechielem [10]: « Ad hoc, ut servetur veritas praedicandi, necessaria est altitudo vivendi ». Tales, qui faciunt quod ore dicunt, sunt *operarii* et a Domino remunerandi, secundum illud Matthaei vigesimo [11]: « Voca operarios et redde illis mercedem suam ». Sed pauci sunt operarii *studiosi*, plures autem sunt *malitiosi*, secundum illud secundae ad Corinthios undecimo [12]: « Ipsi pseudoapostoli sunt, operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos

---

[1] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 10, 1. Auctor libri de Mirabilibus sacrae Script. (inter opera August.) c. 9. ait: Linguas autem illas septuaginta duas fuisse, plurimi auctores consentiunt, quia in aedificationem turris illius in terra Sennaar, quae nunc est Babylon, tot patres congregatos fuisse dicunt. Unde et Dominus septuaginta duos discipulos, exceptis illis primariis Apostolis, elegisse sermone Evangelii refertur, per quos postea in omnes gentes idem Evangelium praedicaretur. Cfr. Epiphan., I. adversus Haereses, haeres. 39. c. 7, ubi diffusius haec sententia proponitur; Hieron., IV. Comment. in Matth. 26, 53. seq. et auctor operis de Vocatione omnium Gentium (inter opera S. Prosperi) lib. II. c. 14.

[2] B. Albert., in Luc. 10, 1: Septuaginta etiam fuit numerus annorum redemptionis captivitatis [cfr. II. Paralip. 36, 21. seqq.; Ier. 25, 11. seq. et 29, 10.], quibus duo adduntur propter duo mandata dilectionis, ut septem dona S. Spiritus ducantur in decem mandata decalogi, et haec omnia duobus informentur mandatis dilectionis. — Superius lectionem Vat. retinuimus *septies denarium et binarium*, pro quo D a secunda manu *septenarium et denarium*, alii codd. *septenarium et secundinarium* (vel *semidenarium?*).

[3] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 10, 1: Cum Christus se *diem*, Apostolos *horas* huius diei nominet [Ioan. 11, 9; cfr. Bonav. in hunc loc. n. 19. et 30.], per hunc numerum praedicantium signum dat, se fidem sanctae Trinitatis mundo annuntiaturum, sicut sol triduanum suae lucis ambitum per septuaginta duas horas efficere solet. Cfr. August., II. Qq. Evangelior. q. 14.

[4] Vers. 21. — Sequitur Eccle. 4, 9.

[5] Lib. III. in Luc. 10, 1. Cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 17. n. 1. et August., II. Qq. Evangelior. q. 14: Quod autem binos mittit, sacramentum est caritatis, sive quia duo sunt caritatis praecepta. sive quia omnis caritas minus quam inter duos esse non potest. — Subinde allegatur Cant. 4, 2, quem etiam Gregor. (super Cant. Cant.) de praedicatoribus exponit.

[6] Scilicet *ordinaria* ex Ambrosio (VII. in Luc. n. 44.): Bini mittuntur, secundum quod bina animalia missa sunt in arcam etc. Vide Gen. 6, 19. seq.

[7] Vers. 3. — Glossa, quae sequitur, est *interlinearis* ex Gregor. et Beda (locis paulo superius allegatis) in Luc. 10, 1.

[8] Vers. 35, et subinde v. 38.

[9] Vers. 15, ubi pro *maturavit* Vulgata et Vat. *aruit*. — Inferius post *Evangelii* H addit *quando parati ad credendum et ad conversionem falce praedicationis colliguntur et adunantur horreo Ecclesiae*.

[10] Libr. I. homil. 11. n. 7: Ut ergo servetur veritas praedicandi, teneatur necesse est altitudo vivendi.

[11] Vers. 8. — Superius post *Tales* A C D omittunt *qui*.

[12] Vers. 13. — Subinde allegantur Matth. 20, 6. et 23, 3. seq. Cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 17. n. 3.

Christi ». Plurimi autem sunt *desidiosi;* unde Matthaei vigesimo dixit Dominus operariis: « Quid hic statis tota die otiosi »? Sunt plurimi similes illis, de quibus Matthaei vigesimo tertio: « Dicunt et non faciunt. Alligant enim onera gravia et importabilia; digito autem suo nolunt ea movere ». — **Notandum.** Et quoniam messis amittitur, quando boni operarii desunt; ideo addit: *Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam,* praedicatores scilicet bonos, qui gladium divini verbi, quo segetes metuntur, non tantum in ore, sed etiam in manu portent. Unde de bonis praedicatoribus in Psalmo [1]: « Exsultationes Dei in faucibus eorum, et gladii ancipites in manibus eorum ». Unde praedicatio est gladius, qui, nisi manu teneatur, non terret adversarium. Quod bene figuratum est Nehemiae quarto de reaedificantibus Ierusalem, et ibi dicitur, quod « unusquisque manu una faciebat opus, et alia tenebat gladium ». Tales operarii dantur divinitus, secundum quod signatum est Genesis secundo [2], quod « Deus posuit hominem in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum »; et ideo sunt a Domino postulandi, ut eos conducat promittendo, conductos mittat praecipiendo, secundum illud Matthaei vigesimo: « Qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conventione autem facta » etc.

5. (Vers. 3.). **Quartum.** Quarto autem quantum ad *acceleratorum confirmationem* contra rabiem persecutorum subdit: *Ite; ecce, ego* [3] *mitto vos sicut agnos inter lupos. Ite,* scilicet *expedite,* sicut animalia illa Ezechielis primo: « Animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis »; et Proverbiorum sexto: « Discurre, festina, suscita amicum tuum ». Vel *ite,* id est, pro salute ovium *periculis vos exponite,* secundum illud Ioannis decimo [4]: « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem videt lupum venientem et dimittit oves et fugit »; quasi dicat: ite ad *luctum,* ut reportetis gaudium, secundum illud Psalmi [5]: « Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exsultatione » etc.; vel ite ad *proelium,* ut reportetis triumphum, secundum illud Iosue primo [6]: « Ite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu, et pugnate pro eis ».

6. **Fortissima armatura.** Et quia fortissima armatura est mansuetudo et patientia, ideo dicit: *Sicut agnos inter lupos,* id est sicut pios, humiles et mansuetos inter impios, superbos et malignos, ut illos mansuetudine vincatis, sicut et Christus fecit, secundum illud Isaiae quinquagesimo tertio [7]: « Sicut agnus coram tondente se obmutuit et non aperuit os suum ». Sic Apostoli agnina mansuetudine domuerunt lupinam ferocitatem, et impletum est illud Isaiae undecimo [8]: « Lupus et agnus simul morabuntur, et leo quasi bos paleas comedet »; et sexagesimo quinto: « Lupus et agnus pascentur simul ». Unde Christus sua mansuetudine Paulum lupum convertit in agnum, et impletum est in eo illud Genesis penultimo: « Beniamin, lupus rapax, mane comedet praedam et vespere dividet spolia ». Prius enim Christum persecutus est ut lupus, postea pro eo persecutiones passus ut agnus. **Notandum.** Tales debent esse praelati Ecclesiae, secundum illud primae Petri quinto [9]: « Seniores, pascite qui in vobis est gregem, providentes » etc.; et post: « Neque ut dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo »; quasi dicat: non sitis sicut lupi inter agnos, sed magis agni inter agnos et lupos, ut bonos foveatis et malos toleretis. Unde Chrysostomus [10]: « Fortior est Dei gratia quam natura; dum fuerimus oves, vincimus, etsi multi sint lupi; si autem fuerimus lupi, vincimur, et cessat a nobis summi pastoris auxilium ».

7. **De informatione euntium agitur dupliciter.** *Nolite portare* etc. Post missionem discipulorum comitantium subdit *informationem euntium.* Habet autem pars ista duas, in quarum prima praemittitur *communis informatio* respectu omnium; secundo, *specialis* respectu personarum specialium, ibi [11]: *Et in quamcumque civitatem intraveritis.*

**Primo, informatio communis quoad quatuor.** *Generali* autem *informatione* invitat nos ad quatuor, scilicet ad *amplexandam mendicitatem,* ad

---

[1] Psalm. 149, 6. Ita August. (in Ps. 149. n. 11.) et Cassiodor.; Vulgata: *Exaltationes Dei in gutture eorum;* cfr. Hieron., Divina biblioth. Ps. 149, 6. et liber Psalm. iuxta septuaginta interpretes. — Sequitur Nehemiae (II. Esdr.) 4, 17. Cfr. Beda in hunc locum (libr. III. c. 20.) et Gregor., XIX. Moral. c. 30. n. 56. — Superius pro *metuntur* A C D H *metantur.*

[2] Vers. 15. — Subinde allegatur Matth. 20, 1.

[3] Codd. A C D omittunt *ego.* — Duo seqq. loci sunt Ezech. 1, 14. et Prov. 6, 3.

[4] Vers. 11. et 12. — Superius pro *salute ovium* (ita C D H) alii codd. et Vat. *salute omnium.*

[5] Psalm. 125, 6. — Superius pro *ad luctum* D G H *ad lucrum,* et pro *gaudium* D a secunda manu *fructum.*

[6] Vers. 14, ubi pro *omnes fortes manu* A C D G H *forti manu.* — Superius pro *proelium* (ita D) alii codd. et Vat. *periculum.*

[7] Vers. 7. Pro *obmutuit* et *aperuit* (ita etiam translat. ex Hebr.; cfr. Act. 8, 32.) Vulgata et Vat. *obmutescet* et *aperiet.*

[8] Vers. 6. et 7. Vulgata: Habitabit lupus cum agno... vitulus et leo et ovis simul morabuntur etc. — Duo seqq. loci sunt Isai. 65, 25. et Gen. 49, 27, cuius expositionem vide Serm. 189. in Appendice (alias 14. de Sanctis) August. n. 1. seqq., qui habetur in Breviar. Romano pro festo Conversionis S. Pauli (25. Ianuarii).

[9] Vers. 1-3.

[10] Homil. 33. (alias 34.) in Matth. n. 1. Quoad primam propositionem cfr. Homil. 24. in Matth. (Op. imperfect.): « Luporum crudelitas mitescere nescit, nisi *gratia* Christi faceret quod ipsa *natura* fieri negat. Non vestra virtus aut solertia aestimatur aut laudatur in vobis, sed nominis mei potestas intelligatur, ut glorificetur per vos, quia *fortior est gloria Dei quam rerum natura* ». Aliae propositiones inveniuntur in Homil. 33. primo loco allegata.

[11] Vers. 8. — Superius pro *comitantium* D *concomitantium.*

*declinandam loquacitatem, ad exhibendam humanitatem* et *ostendendam maturitatem.*

8. (Vers. 4.). Primo igitur quantum ad *mendicitatem* Primum. *amplectendam* dicit: *Nolite portare sacculum*[1], scilicet ad repositionem pecuniae. Accipitur enim *sacculus* pro bursa pecuniaria, secundum illud Proverbiorum septimo; « Sacculum pecuniae secum tulit ». *Neque peram,* ad reservandos panes, secundum illud Matthaei sexto[2]: « Nolite solliciti esse in crastinum, dicentes: Quid manducabimus » etc. *Neque calceamenta,* scilicet ad cooperiendos pedes; nam Marci sexto dicitur: « Sed tantum calceatos sandaliis ». Sandalia. *Sandalia* enim a laesione pedem protegunt, sed non tegunt, sicut sunt soleae fratrum. Hoc autem voluit Dominus discipulis iniungere, ut non solum *essent* pauperes, verum etiam *apparerent* et ad paupertatem magis exemplis quam verbis vocarent. « Est autem paupertas, ut dicit Seneca[3], odibile bonum »; et ideo, cum appareat turpis et vilis, iunxit ei Dominus maximam *dotem,* ut per illam saltem in coniugium possit assumi, cum dixit Matthaei quinto: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum ».

9. Secundo quantum ad *loquacitatem declinan-* Secundum. *dam* subdit: *Et neminem per viam salutaveritis;* super quo loco dicit Glossa[4], quod hoc dicit, « ne alicuius obvii confabulatione deflecterentur ab iniuncto officio ». Mittebat enim eos festinato, sicut Eliseus puerum suum, quarti Regum quarto: « Si occurrerit tibi vir, non salutes eum; et si salutaverit te Sensus litteralis. quispiam, non respondeas illi ». Hoc autem iniunxit Dominus non ad declinandum affabilitatis indicium, cum ipse fuerit benignissimus et curialissimus; sed ad declinandum multiloquium, de quo dicitur Proverbiorum decimo[5]: « In multiloquio non deerit peccatum »; et ideo Ecclesiastici decimo nono: « Qui odit loquacitatem exstinguit malitiam ». Hoc autem multum consuevit esse in viatoribus et frequenter est occasio contentionum; unde dicitur Marci nono de discipulis[6]: « Siquidem disputaverant in via, quis eorum esset maior ». Propter quod Genesis quadragesimo quinto dicitur, quod « Ioseph fratribus proficiscentibus ait: Ne irascamini in via ».

10. Secundum autem *spiritualem intelligentiam* Sensus spiritualis. prohibet optare salutem, quae est *viae,* non salutem, quae est *patriae;* quod notatur, cum dicit: *Per viam.* Omnibus enim salus est optanda, sicut dicitur primae ad Timotheum secundo[7], quod « vult Deus, omnes homines salvos fieri », et hoc, quia ipse est *salus* et salvator. Sed illa *salus* debet optari, de qua in Psalmo[8]: « Salus autem iustorum a Domino ». Hanc semper optabant Apostoli, et de hac dicitur Ecclesiastici vigesimo secundo: « Amicum salutare non confundaris »; et ad Romanos ultimo: « Salutate invicem in osculo sancto »; et in Psalmo: « Tu es ipse rex meus et Deus meus, qui mandas salutes Iacob ». — Aliter potest exponi, ut dicatur: *Nemi-* Aliter. *nem per viam salutaveritis,* id est, iam salvum dicatis, cum adhuc damnari possit, quamdiu est in via; nam Matthaei decimo[9]: « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit ». Ergo *salus* in fine viae, non in medio aut in capite. — Vel aliter: *Neminem* Aliter. *per viam salutaveritis,* id est propter consortium *viae,* sed propter consortium *vitae.* Ex quo apparet, quod non est salus hominibus propter Sanctorum collocutionem, sed propter ipsorum imitationem; unde Matthaei septimo[10]: « Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est ».

11. (Vers. 5.). Tertio quantum ad *humani-* Tertium. *tatem exhibendam* adiungit: *Et*[11] *in quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui;* ut appareat, vos esse viros pacis amatores et annuntiatores, secundum illud Isaiae quinquagesimo

---

[1] Codd. C D *neque sacculum;* cfr. supra pag. 252, nota 6. — Subinde allegatur Prov. 7, 20. — Inferius pro *bursa* Vat. *crumena.*

[2] Vers. 31. — Sequitur Marc. 6, 9.

[3] Cfr. Epist. 17, ubi ostendit, paupertatem, licet timeatur, esse bonum. Epist. 80. ipse docet, in paupertate nihil mali, sed multa commoda esse. Epist. 123. (alias 124.) dicit, « duo esse genera rerum, quae nos aut invitent, aut fugent. Invitant divitiae... fugat labor... victus adstrictior. Debemus itaque exerceri, ne haec timeamus, ne illa cupiamus... Paupertas nulli malum est nisi repugnanti ». Vide etiam opusc. de Paupertate (inter opera Senecae). Card. Hugo, in Ps. 9, 13, hanc sententiam tribuit *Philosopho.* Aristot., Problem. sect. 29. n. 4. in solutione quaestionis: « Cur paupertas apud homines bonos potius esse quam apud pravos soleat » has adducit rationes: An quia *ab omnibus odio* habetur atque expellitur, ad probos perfugit... An quia homines probos optime se usuros existimat... An libenter se ad viros optimos confert, quia femina est inopsque... An quia mala est, nunquam se malis iungere velit? nam si ita maluerit, omnino malum irremediabile ipsa reddetur. — Subinde allegatur Matth. 5, 3.

[4] Scilicet *ordinaria* (ex Ambros., VII. in Luc. n. 63.) in Luc. 10, 4, in cuius fine H cum textu originali *reflectantur ab iniuncto itinere.* Ambros., allegato exemplo Elisei, qui servum suum Giezi misit eique dixit: *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum* etc. (IV. Reg. 4, 29.), legit: Festinantem enim eum iubebat pergere... ne confabulatione alicuius obvii, mandato reflecteretur a munere. Ergo hic non salutationis sedulitas aufertur, sed obstaculum impediendae devotionis aboletur, ut, quando divina mandantur, paulisper sequestrentur humana etc.

[5] Vers. 19, in quo pro *deerit* A C D G *deest.* — Sequitur Eccli. 19, 5, ubi pro *exstinguit* A C D G *odit.*

[6] Vers. 33, post quem Gen. 45, 24.

[7] Vers. 4. Cfr. supra pag. 87, nota 9. in fine.

[8] Psalm. 36, 39. — Tres seqq. loci sunt Eccli. 22, 31, ubi pro *confundaris* (ita etiam Card. Hugo et Lyranus) Vulgata *confundar;* Rom. 16, 16. et Ps. 43, 5.

[9] Vers. 22. — Superius post *id est* Vat. prosequitur *non salvum dicatis eum, qui adhuc damnari potest* etc., quae etiam inferius post *in capite* addit *est optanda.*

[10] Vers. 21. — Superius pro *collocutionem* H *venerationem.*

[11] Vulgata, quam sequuntur H et Vat., omittit *Et.* — Subinde allegatur Isai. 52, 7. Glossa *interlinearis* (ex Ambros., VII. in Luc. n. 64.): *Primum dicite: Pax* etc., offerte pacem, ut ipse ingressus pacis benedictione celebretur.

secundo: « Quam pulcri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem »! Hanc pacem Dominus *fecit*, secundum illud ad Colossenses primo [1]: « Pacificans per sanguinem crucis eius » etc.; Dominus etiam *reliquit;* Ioannis decimo quarto: « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis »; Dominus *annuntiavit;* Ioannis vigesimo: « Stetit Iesus in medio et dixit eis: Pax vobis »; Dominus *mandavit* et pacem *evangelizavit,* sicut dicitur ad Ephesios secundo: « Veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis qui prope ».

Notandum.

12. (Vers. 6.). Et quia possent timere, ne frustra pacem offerrent; ideo subdit: *Et si fuerit ibi filius pacis; pacis* secundum aeternam praescientiam, de quibus Ioannis undecimo [2] dicitur, quod « Iesus passus est, ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret »; de quibus dicitur secundae ad Timotheum secundo: « Cognovit Dominus qui sunt eius ». Tales sunt filii pacis, quia dicitur Matthaei quinto: « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur ». — In tali habet efficaciam verbum praedicationis; propter quod addit: *Requiescet super illum pax vestra,* id est a vobis annuntiata; unde Isaiae sexagesimo sexto [3] secundum aliam translationem: « Super quem requiescet spiritus meus nisi super humilem et quietum »? Requiescit utique pax Christi annuntiata super praedestinatos a Deo, secundum illud Actuum decimo tertio: « Crediderunt quotquot erant praeordinati ad vitam »; et Ioannis decimo: « Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meae vocem meam audiunt ». — Utile est igitur loqui *praedestinatis* Evangelium pacis; utile est etiam loqui *praescitis;* propterea subdit: *Sin autem, revertetur ad vos,* secundum illud Psalmi [4]: « Oratio mea in sinu meo convertetur »; et hoc, quia opus pietatis et misericordiae semper est utile facienti et ad facientem revertitur, secundum illud Ecclesiastici decimo septimo: « Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso et gratiam hominis quasi pupillam conservabit; et postea resurget et retribuet retributionem unicuique in caput suum ».

Qui sint filii pacis.

Notandum.

13. (Vers. 7.). Quarto vero quantum ad *maturitatem ostendendam* subdit: *In eadem autem domo manete,* tanquam viri maturi, ne forte notemini de instabilitate; unde Ecclesiastici vigesimo primo [5]: « Pes fatui facilis est in domum proximi ». Ideo dicit Beda: « Alienum est a praedicatore per domos cursitare et hospitium mutare ». — Et quia possent credere, hospitium esse mutandum propter cibum; ideo subdit: *Edentes et bibentes quae apud illos sunt,* sine ciborum *discretione,* sicut primae ad Corinthios decimo [6]: « Omne, quod apponitur vobis, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam »; sine ciborum etiam *abiectione,* secundum illud primae ad Timotheum quarto: « Omnis creatura Dei bona est, et nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem »; sine ciborum etiam *requisitione,* secundum illud Ecclesiastici trigesimo primo: « In medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam nec prior poscas bibere ». — Et quia possent credere, quod non liceret pasci de aliena substantia; ideo addit: *Dignus est enim operarius mercede sua,* non solum in patria ad remunerationem, sed etiam in via ad sustentationem. Unde primae ad Corinthios nono [7]: « Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere »; et ad Galatas sexto: « Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis »; unde primae ad Corinthios nono dicitur: « Si nos vobis spiritualia seminavimus, non est magnum, si carnalia vestra metamus ». Et hoc probat ibi [8] Apostolus, quod talis operarius sit dignus, et per auctoritates et per rationes quamplures, sicut ibi patet. Quoniam ergo dignus est refectione, propter illam non oportet, eum hospitium mutare. — Ideo in fine addit: *Nolite transire de domo in domum;* ne videamini vagi, ne sitis similes illi mulieri vagae, de qua dicitur Proverbiorum septimo [9], quod « est garrula, vaga, quietis impatiens, non valens in domo consistere pedibus suis ». Tales sunt haeretici; unde secundae ad Timotheum tertio: « Ex his sunt, qui penetrant domos et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis ». Non tales debent esse praedicatores veritatis; unde Ambrosius [10]: « Non est de domo in domum vaga facilitate

Quartum.

Regula quoad cibum.

Operarius dignus mercede.

Non vagandum.

---

[1] Vers. 20. — Tres seqq. loci sunt Ioan. 14, 27. et 20, 19; Eph. 2, 17.

[2] Vers. 51. et 52. Pro *passus est* Vulgata et Vat. *moriturus erat.* — Subiunguntur II. Tim. 2, 19. et Matth. 5, 9. — Glossa *interlinearis* ex Gregor. (I. Homil. in Evang. homil. 17. n. 6.), quem sequitur Beda (III. in Luc. 10, 5.): *Et si ibi fuerit filius pacis,* praedestinatus ad vitam, sequetur caeleste verbum, quod audit.

[3] Vers. 2. Haec translatio exhibetur ab August., Enarrat. in Ps. 92. n. 6; in Ps. 103. serm. 2. n. 10; in Ps. 131. n. 4; Serm. 279. (alias 24. ex Sirmondian.) n. 6. et de Sancta Virgin. c. 39. n. 40. (Septuaginta: Super quem respiciam nisi super humilem et quietum?). Lectionem Vulgatae vide supra c. 9. n. 105. — Duo seqq. loci sunt Act. 13, 48. et Ioan. 10, 26. seq.

[4] Psalm. 34, 13. — Sequitur Eccli. 17, 18. seq., de quo cfr. supra pag. 140, nota 6. — Glossa *interlinearis* (ex Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 17. n. 6. et ex Beda, III. in Luc. 10, 6.): *Sin autem,* si audire noluerit, *ad vos revertetur,* laboris vestri fructu non privabimini.

[5] Vers. 25. — Sententia Bedae (qui sequitur Ambros., cfr. supra c. 9. n. 8.) habetur III. in Luc. 9, 4.

[6] Vers. 27. — Duo seqq. loci sunt I. Tim. 4, 4. seq. et Eccli. 31, 21.

[7] Vers. 14, cui subiunguntur Gal. 6, 6. et I. Cor. 9, 11: Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Pro *seminavimus* C D G H *seminamus.* — Glossa *ordinaria* (ex Gregor. et Beda locis paulo superius allegatis): Nota, quod uni operi praedicatorum duae mercedes debentur: una in via, quae nos in labore sustentat; alia in patria, quae nos in resurrectione remunerat.

[8] Vers. 4. seqq.

[9] Vers. 10. et 11. — Sequitur II. Tim. 3, 6.

[10] Libr. VII. in Luc. c. 10. n. 64. Sententia Ambrosii exhibetur verbis Glossae *ordinariae* in Luc. 10, 7, ubi pro *in*

demigrandum, ut in hospitali amore servetur constantia, ne coalita amicitiae necessitudo facile dissolvatur ».

14. *Et in quamcumque civitatem intraveritis.* Secundo, informatio specialis quoad quatuor. Post informationem discipulorum communem subiungit hic Evangelista *informationem specialem* secundum audientium diversitates [1]. Et quoniam quidam parati fuerunt ad eos *recipiendum*, ut fideles, quidam autem ad *repellendum*, ut infideles, quorum culpa crescebat ex contemptu divinae gratiae et de- Divisio. spectu auctoritatis apostolicae; ideo pars ista habet quatuor. In quarum prima praemittitur *informatio respectu fidelium*; in secunda vero, *respectu rebellium*, ibi [2]: *In quamcumque civitatem intraveritis, et non receperint*; in tertia subditur *increpatio contemptorum*, ibi: *Vae tibi, Corozain* etc.; in quarta vero subiungitur *authenticatio praedicatorum*, ibi: *Qui vos audit* etc.

Circa informationem respectu fidelium duo in- De informatione respectu fidelium tanguntur duo. troducuntur; quorum primum est *susceptio stipendii temporalis*, secundum est *communicatio beneficii spiritualis*.

15. (Vers. 8.). Primo igitur quantum ad *susce-* De primo. *ptionem temporalis stipendii* informat, cum dicit: *Et in quamcumque civitatem intraveritis*, scilicet ad praedicandum veritatem, sicut dicitur Ionae tertio [3], quod « coepit Ionas introire civitatem itinere diei unius et clamavit ». Sic et isti per divini verbi clamorem debebant in suo ingressu civitatem excitare, iuxta quod dicitur de Philippo discipulo Actuum octavo, quod « descendens in civitatem Samariae, praedicabat illis Iesum. Intendebant autem turbae his quae a Philippo dicebantur ». — Et quoniam fidelium est divinis verbis intendere, ideo subdit: *Et susceperint vos*, scilicet per fidem et dilectionem tanquam nuntios Christi; quoniam, Matthaei decimo octavo [4], « qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, ille me suscipit ». Ille autem suscipit praedicatorem, qui eius doctrinam acceptat cum mansuetudine et patientia, iuxta quod dicitur Iacobi primo: « In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras ». — Et quoniam a suscipientibus spiritualia documenta suscipi possunt corporalia alimenta, ideo subdit: *Manducate quae apponuntur vobis*, scilicet ad relevandam necessitatem, ut fortius laboretis, secundum illud Psalmi [5]: « Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit ». Unde super illud primae ad Corinthios nono: « Dispensatio mihi credita est », Glossa: « Non debemus ideo evangelizare, ut manducemus; sed ideo manducare, ut evangelizemus, ut cibus non sit bonum, quod appetitur, sed necessarium, quod adiicitur ».

16. Et nota, quod dicit: *Quae apponuntur*, et Notandum. hoc cum hilaritate; quia, Proverbiorum decimo quinto [6], « melius est vocari ad olera cum caritate quam ad vitulum saginatum cum odio ». Manducate etiam *quae apponuntur*, non quae vos ipsi paretis; quod dicit propter vitandam gulositatem, de qua Seneca [7]: « In ventrem pretiosa sic congerunt, quasi congesta servaret; quid ad rem, quid recipiat, perditurus omne, quod recipit »? Et ideo dicitur Ecclesiastici secundo [8]: « Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe ». Hoc autem maxime spectat ad pauperes, ut vili sint contenti refectione tanquam esurientes; quia dicitur Proverbiorum vigesimo septimo: « Anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet »; et Iob sexto: « Quae prius nolebat tangere anima mea nunc prae angustia cibi mei sunt ».

17. (Vers. 9.). Secundo vero quantum ad *com-* De secundo. *municationem spiritualis beneficii* subditur: *Et curate infirmos, qui in illa sunt*; et hoc per virtutem vobis a Spiritu sancto collatam, de qua primae ad Corinthios duodecimo [9]: « Alii datur gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum ». Hanc dedit Dominus discipulis minoribus ad confirmationem doctrinae suae; unde Hieronymus: « Quia hominibus rusticanis et absque eloquii venustate nemo crederet pollicentibus regnum caelorum, dat potestatem miracula faciendi ». Huius potestatis donum prius concesserat, sicut et Apostolis supra nono [10]: « Dedit eis potestatem super omnia daemonia, et ut languores

---

[plures codd. omittunt *in*] *hospitali amore* (ita textus originalis) Vat. *hospitii amore*, et pro *coalita* G cum Card. Hug. *collata*.

[1] Cfr. supra n. 7.

[2] Vers. 10, ubi post *In quamcumque* Vulgata addit *autem*, quod omittitur etiam a Beda (A C H *Et in quamcumque)*; tertia pars habetur v. 13. et quarta v. 16. — Inferius pro *authenticatio* G *authentizatio*, Vat. *auctoratio*; cfr. supra pag. 88, nota 12.

[3] Vers. 4, ubi Vulgata post *introire* addit *in*. — Subinde allegatur Act. 8, 5. seq.

[4] Vers. 5. — Sequitur Iac. 1, 21.

[5] Psalm. 127, 2, post quem I. Cor. 9, 17. Glossa est *ordinaria* secundum August., II. de Sermone Domini in monte, c. 16. n. 53. et 54. In fine Glossae A C D addunt *ut illud impleatur*; ita etiam Petr. Lombardus et Lyranus, sed addunt: *ut illud impleatur* [Matth. 6, 33.]: *Quaerite primum regnum Dei, et haec omnia adiicientur vobis.* Vide Qq. disput. de Perfectione evang. q. 2. a. 2. ad 17.

[6] Vers. 17. Pro *vocari ad olera* A C D G *vocari ad domum luctus*; cfr. Eccle. 7, 3: Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii.

[7] Cfr. Epist. 114. (alias 115.) in fine et Epist. 89. (alias 90.) in fine. Pro *congerunt* et *servaret* Vat. *congerimus* et *servemus* (A C D *servarent)*; quae etiam pro *quid recipiat* (A C D *quod recipiet)* substituit *quid quis recipiat.* — Superius pro *paretis*, quod habet Vat. et C, A D *portetis*, E *petitis*, H *portetis vel etiam petatis.*

[8] Vers. 4, ubi pro *applicitum* C D *applicatum*. — Subinde allegantur Prov. 27, 7. et Iob 6, 7. Codd., omisso Prov. 27, 7, legunt: *quia, Iob 6, animae esurienti amara dulcia esse videntur: Quae prius nolebat* etc.

[9] Vers. 9. — Sententia Hieron. habetur I. Comment. in Matth. 10, 7. seq. Pro *dat potestatem* (ita etiam textus originalis) Vat. *dare voluit potestatem.*

[10] Vers. 1. — Sequitur I. Petr. 4, 10. — Superius vocibus *prius concesserat* secunda manus in D praefixit *eis*.

curarent »; sed hic imperat, ut dono accepto utantur, iuxta quod dicitur primae Petri quarto: « Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes » etc. — Et quia curatio corporalis ordinata erat ad illuminationem mentis, ideo subdit: *Et dicite illis: Appropinquabit*[1] *in vos regnum Dei;* in quo simul clauditur *veritas doctrinae, bonitas gratiae* et *sublimitas gloriae,* secundum quod sic expositum fuit[2], et *interlinearis* dicit: « Regnum Dei Christus, vel vita aeterna, vel scientia Scripturarum ». Et ita *appropinquavit,* quando inter eos erat, iuxta quod dicitur infra decimo septimo[3]: « Regnum Dei intra vos est ». Vere appropinquavit, cum ille iam esset praesens, de quo dicitur Apocalypsis decimo nono, quod « habebat in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium ». Et signanter dicit: *In vos,* id est, in eos qui verbum Dei suscipiunt per fidem, de quibus Apocalypsis quinto[4]: « Fecisti nos Deo nostro regnum, et regnabimus super terram »; et per gratiam fidei, secundum illud ad Colossenses primo, « eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii caritatis suae ». — Sic igitur patet, qualiter se debebant habere ad fideles, quia debebant recipere stipendium sustentationis et ministrare beneficium curationis et eruditionis. Qui ergo non ministrant haec beneficia spiritualia minus condigna suscipiunt stipendia corporalia. Unde Gregorius[5]: « Quid ad haec doctores dicimus, qui, Christi adventum praecurrentes, ecclesiasticum officium suscipimus et muti panem comedimus »? Et Bernardus[6]: « Venient ante tribunal iudicis, ubi erit pauperum allegatio dura, accusatio gravis, quorum vixere stipendiis nec diluere peccata ».

Corollarium.

18. (Vers. 10.). *In quamcumque*[7] *civitatem intraveritis.* Post informationem respectu fidelium subditur *informatio respectu rebellium,* circa quam duo introducuntur: primum est *contestatio veritatis Evangelii,* secundum est *comminatio severitatis iudicii.*

De informatione respectu rebellium tanguntur duo.

Primo igitur quantum ad *contestationem veritatis Evangelii* dicitur: *In quamcumque civitatem intraveritis,* ad veritatis praeconium, secundum illud Actuum decimo septimo[8]: « Cum venissent Thessalonicam, ubi erat synagoga Iudaeorum, introivit ad eos Paulus et disserebat eis de Scripturis ». — *Et non receperint*[9] *vos,* per veritatis auditum, qui est praedicatoribus accommodandus, sicut dicitur tertia Canonica Ioannis: « Nos debemus suscipere huiusmodi, ut cooperatores simus veritatis. Scripsissem forsitan Ecclesiae, sed is qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos ». — *Exeuntes in platea eius,* ad veritatis testimonium, propter quod dicitur Matthaei decimo[10]: « Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine, et quod in aure auditis praedicate super tecta ».

De primo.

19. (Vers. 11.). *Dicite*[11]*: Etiam pulverem pedum, qui adhaesit nobis de civitate vestra, extergimus in vos,* propter veritatis contemptum, quod est peccatum valde detestandum, secundum illud Ioannis decimo quinto: « Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent ». Et ideo ad huius delicti detestationem dicit *pulverem abstergendum,* sicut Petrus Simoni Actuum octavo: « Pecunia tua tecum sit in perditionem ». — *Tamen hoc scitote, quia appropinquabit*[12] *regnum Dei,* id est veritas Evangelii, secundum illud Matthaei vigesimo quarto: « Praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus », ut nullus possit se per ignorantiam excusare. Et propterea, ut hoc publice fiat, iubet *in plateis extergere pulverem,* super quo dicit Hieronymus[13], quod hoc iubet « in testimonium, quod praedicatio eorum pervenerit usque ad illam civitatem ». Et ita non habent excusationem de infidelitate.

Quare pulvis pedum extergendus.

20. Secundum *spiritualem* autem *intelligentiam pedes Apostolorum* sunt affectus praedicatorum, quibus triplex pulvis consuevit adhaerere, scilicet *inanis gloriae,* de quo in Psalmo[14]: « Gloriam meam in pulverem deducat »; *indignationis et impatientiae,* de quo Michaeae septimo: « Lingent pulverem sicut serpens »; *cupiditatis et avaritiae,* secundum illud Ecclesiastici vigesimo septimo: « In percussura

Expositio spiritualis. Triplex pulvis.

[1] Ita etiam Card. Hugo, B. Albert., Gorranus et Lyranus; Vulgata, H et Vat. *appropinquavit.*

[2] Cap. 9. n. 3. — Glossam seq. non invenimus; notentur verba B. Albert., in Luc. 10, 9: « Dicit tamen Glossa *interlinearis,* quae *magistralis* est, quod regnum caelorum est vel Christus, vel vita aeterna, vel Scriptura ». Cfr. tamen Glossa *interlinearis* in Matth. 4, 17: *Appropinquavit* [Lyranus *Appropinquabit*] *enim regnum caelorum,* id est Christus qui dat, vel Ecclesia, cui promissum est et paratum. Glossam, in qua regnum Dei dicitur intelligentia Scripturarum, vide supra pag. 192, nota 10.

[3] Vers. 21, post quem Apoc. 19, 16. — Pro *Vere appropinquavit* (ita C D) Vat. *Vere appropinquaverat.*

[4] Vers. 10. — Sequitur Col. 1, 13, in cuius fine Vulgata et Vat. *dilectionis suae.*

[5] Libr. XXII. Moral. c. 22. n. 53: Quid ad haec nos pastores dicimus etc. — Superius pro *minus condigna* H *minus digne, immo indigne,* Vat. *minus iuste et indigne.*

[6] Declamation. (cfr. supra pag. 228, nota 8.) XVI. n. 19: Venient, venient ante tribunal Christi; audietur populorum querela gravis, accusatio dura, quorum etc.

[7] Cfr. supra pag. 257, nota 2.

[8] Vers. 1. et 2. — Superius post *praeconium* Vat. addit *praedicandum.*

[9] Ita etiam Beda, B. Albert. et Gorranus; H et Vat. cum Vulgata *susceperint;* cfr. supra 9, 5. — Subinde allegantur III. Ioan. v. 8. et 9.

[10] Vers. 27. — Superius post *testimonium* Vat. addit *testificandum.*

[11] Verbum *Dicite* in Vulgata pertinet ad v. 10, quae etiam subinde omittit cum H et Vat. *pedum,* quod tamen exhibetur a B. Alberto et S. Thoma (Cat. aurea in Luc. 10. n. 3.); cfr. supra 9, 5. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 15, 22. et Act. 8, 20.

[12] Cfr. supra nota 1. — Sequitur Matth. 24, 14.

[13] Vide supra pag. 219, notam 9.

[14] Psalm. 7, 6. Cfr. supra c. 9. n. 9. in fine. — Duo seqq. loci sunt Mich. 7, 17. et Eccli. 27, 5.

*De pulvere primo.* cribri remanebit pulvis ». — Primus pulvis adhaeret pedibus praedicantium, cum *laudantur;* sed excutitur per *considerationem sui*, secundum illud Matthaei decimo[1]: « Vos non estis, qui loquimini »; et primae ad Corinthios duodecimo: « Nemo dicit: Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto »; et primae ad Corinthios quarto: « Quid habes, quod non accepisti »? Ideo Ecclesiastici decimo: « Quid superbis, terra et cinis »? — *De secundo.* Secundus pulvis adhaeret, cum *non acceptantur;* sed hic excutitur per *rememorationem Christi,* secundum illud Ioannis decimo quinto[2]: « Mementote sermonis mei, quem ego locutus sum vobis: Non est servus maior domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur » etc. — *De tertio.* Tertius pulvis adhaeret, quando *munera offeruntur,* quae excaecant oculos ducum, iuxta illud Baruch sexto[3]: « Oculi eorum pleni sunt pulvere a pedibus introeuntium »; sed hic excutitur per *memoriam mortis nostrae.* Hieronymus[4]: « Facile contemnit omnia qui se semper cogitat moriturum »; et in primae ad Timotheum ultimo: « Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium, quod nec auferre quid possumus ».

21. (Vers. 12.). Secundo vero quantum ad *De secundo.* *comminationem severitatis iudicii* subdit: *Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit quam illi civitati;* ex quo apparet magnitudo *poenae.* Nam dicitur in Canonica Iudae[5], quod « Sodoma et Gomorrha et finitimae civitates factae sunt exemplum, ignis aeterni poenam sustinentes ». Unde et Dominus fuit illis fortissime indignatus, secundum quod dicitur Genesis decimo nono, quod « pluit Dominus super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem et subvertit civitates has et omnem circa regionem ». Apparet etiam ex hoc magnitudo *culpae,* quia maior culpa est contemptio[6] veritatis quam libido carnalitatis. — *Ratio 1.* Ratio autem huius est, quia non fuit eis *oblata tanta gratia;* et secundum quod dicitur infra duodecimo[7], « cui multum datum est, multum quaeretur ab eo ». Unde ad Hebraeos secundo: « Si enim qui per Angelos dictus est sermo factus est firmus; quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quae, cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est »? — *Ratio 2.* Alia ratio est propter *maiorem veritatis notitiam;* unde Gregorius[8]: « Ubi maius est donum scientiae, ibi transgressor maiori subiacet culpae »; quia dicitur Iacobi quarto: « Scienti bonum facere et non facienti peccatum est illi ». — Et quod contemptoribus veritatis maxima debeatur poena, patet ex hoc quod dicitur ad Romanos primo[9] de quibusdam, qui, « cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt », quod « tradidit illos Deus in reprobum sensum ». Et ratio huius redditur, quia « non probaverunt Deum habere in notitia ».

22. (Vers. 13.). *Vae tibi, Corozain* etc. Hic tertio loco subiungitur *increpatio contemptorum,* qui propter duo a Domino increpandi ostenduntur et tanquam damnabiles arguuntur, scilicet propter *duritiam cordis* et propter *excellentiam mentis:* duritia cordis reddebat eos *impoenitentes,* sed excellentia *arrogantes.* *De increpatione contemptorum tanguntur duo.*

Primo igitur, *increpans cordis duritiam,* dicit: *De primo.* *Vae tibi, Corozain! vae tibi, Bethsaida!* quae erant duae civitates Galilaeae, ubi plurima fecerat signa, et tamen adhuc permanebat in eis duritia[10]. — Propter quod subdit: *Quia, si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes, quae in vobis factae sunt,* id est, si Dominus eis tanta miracula ostendisset ante suam subversionem — quam comminatus est Dominus per Ezechielem vigesimo septimo[11]: « Tu fili hominis, assume super Tyrum lamentum », et in fine capituli: « Ad nihilum redacta es et non eris usque in sempiternum » — adhuc non essent subversae, et hoc, quia poenituissent. — Unde addit: *Olim in cilicio et cinere sedentes poeniterent,* sicut fecerunt Ninivitae, de quibus Ionae tertio[12], quod « praedicaverunt ieiunium et vestiti sunt saccis a minore usque ad maiorem ».

23. Et nota, quod tria dicit, in quibus exprimit poenitentiae perfectionem, scilicet *cilicium, cinerem* et *sessionem.* *Tria circa poenitentiam.* In poenitente enim debet esse *dolor* ex consideratione divinae offensae, et hoc in *cilicio; timor,* ex consideratione vindictae, et hoc in

---

[1] Vers. 20, cui subiunguntur I. Cor. 12, 3. et 4, 7; Eccli. 10, 9: *Quid superbit* etc.

[2] Vers. 20. — Superius pro *cum non acceptantur* Vat. *cum contemnuntur.*

[3] Vers. 16.

[4] Epist. 140. (alias 139.) n. 16. et Comment. in Eccle. 11, 8. Cfr. tom. VI. pag. 55, nota 6. et pag. 91, nota 3. — Sequitur I. Tim. 6, 7.

[5] Vers. 7. — Subinde allegatur Gen. 19, 25. seq.

[6] Ita C D, alii codd. et Vat. *contemptus.*

[7] Vers. 48. (A C D H: Cui multum *donatum* est, multum *exigetur* ab eo), post quem Hebr. 2, 2. et 3.

[8] Libr. XVIII. Moral. c. 11. n. 18: « Quibus [hostibus Ecclesiae] aliquando datur ad iudicium suum, ut recte quidem aliqua sciant, sed ex ipsa hac scientia obligatiores ad poenam fiant ». Subinde (c. 12. n. 19.) hac in re allegantur Luc. 12, 47: *Servus, qui cognoscit voluntatem domini sui* etc. et Iac. 4, 17: *Scienti igitur bonum facere* etc. (idem textus allegatur a S. Bonav. paulo inferius). Regul. pastor. p. III. c. 23: Quo enim quisque melius sapit, eo deterius delinquit etc. Cfr. ibid. c. 31.

[9] Vers. 21, post quem v. 24. et 28.

[10] Glossa *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Hieron., II. in Matth. 11, 21.) in Luc. 10, 13: Corozaim, Bethsaida, Capharnaum et Tiberias civitates sunt Galilaeae in littore laci Genesareth. Has plangit Dominus, quia post tanta miracula et virtutes non poenituerant; et sunt peiores gentilibus naturale solummodo ius dissipantibus, quia post descriptae legis contemptum Filium quoque Dei conculcare gratiamque ingrati spernere non timuerunt.

[11] Vers. 2, et subinde v. 36: Ad nihilum deducta es et non eris usque in perpetuum. — Superius post *in vobis factae sunt* D addit *ad vestram maiorem damnationem,* et pro *suam* [Vat. *sui*] *subversionem* H *suam destructionem.*

[12] Vers. 5, in cuius fine Vulgata et Vat. *a maiore usque ad minorem.*

*cinere*, qui praefert mortis imaginem; debet esse *pudor* in consideratione sequelae sive vilitatis suae, et hoc in *sessione*. Ideo dicit Hieronymus[1], quod « cinis et cilicium arma sunt poenitentium ». Et propterea Ieremiae sexto: « Filia populi mei, accingere cilicio et aspergere cinere, luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum ». Et propter pudorem humilitatis, qui debet comitari, dicitur Ieremiae decimo tertio[2]: « Dic regi et dominatrici: Humiliamini, sedete, quoniam descendet de capite vestro corona gloriae vestrae ». Si igitur talem fecissent poenitentiam, non haberent tantam cordis duritiam, ac per hoc nec tam duram sententiam.

Quare remissius agatur cum Tyro et Sidone.

24. (Vers. 14.). Et propterea subiungit: *Verumtamen Tyro et Sidoni remissius erit in iudicio quam vobis;* quia, secundum quod dicitur infra duodecimo[3], « servus sciens voluntatem domini et non faciens vapulavit multis ». Ratio autem huius est nimia duritia contra tanta beneficia; unde ad Romanos secundo dicitur: « An ignoras, quoniam Dei benignitas ad poenitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei »; quia Ecclesiastici tertio dicitur: « Cor durum male habebit in novissimo »; « et peccator adiiciet ad peccandum ».

De secundo.

25. (Vers. 15.). Secundo vero *increpans quoad excellentiam mentis* subdit: *Et tu, Capharnaum, usque in caelum exaltata,* scilicet per arrogantiam, *usque in infernum*[4] *demergeris,* per divinam sententiam. Unde Abdiae primo: « Si exaltatus fueris ut aquila et inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te »; et Iob vigesimo: « Si ascenderit usque in caelum superbia eius, et caput eius nubes tetigerit; quasi sterquilinium in fine perdetur ». Dicitur autem Capharnaum *exaltata* propter plurima miracula, quae facta sunt in ea, de quibus superbivit amplius, quam profecit; unde supra quarto[5] dicitur: « Quanta audivimus a te facta in Capharnaum » etc. Primo ergo exaltata est propter munera divinae gratiae, sed post demersa merito superbiae. Et hoc praedictum fuerat Isaiae nono[6]: « Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephthalim », scilicet per praecedentia miracula, « et novissimo aggravata est via maris », id est depressa in iudicio propter sua peccata, sicut exponit ibidem Glossa. Et ideo divina dona suscipienda sunt cum timore et magna reverentia, sicut dicit Gregorius[7], quod « cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum ». Notandum.

De authenticatione praedicatorum tanguntur duo.

26. (Vers. 16.). *Qui vos audit* etc. Hic quarto loco subditur authenticatio[8] praedicatorum. Ostendit autem eos authenticos tum propter auctoritatem *Christi mediatoris,* tum etiam propter auctoritatem *summi imperatoris.*

De primo.

Primo igitur authenticat eos per *auctoritatem Christi mediatoris,* cum dicit: *Qui vos audit me audit.* Nam ipsi gerebant Christi personam; unde Apostolus secundae ad Corinthios secundo[9]: « Nam et ego, si quid donavi, propter vos in persona Christi »; et decimo tertio: « An experimentum eius quaeritis, qui in me loquitur Christus »? Et ideo dicitur primae ad Thessalonicenses secundo: « Et vos, cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei ». In auditu ergo discipulorum Christi Christus auditur, et similiter in contemptu contemnitur. — Et propterea subdit: *Et qui vos spernit me spernit;* unde Ezechielis tertio[10]: « Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me ». Et hoc innuit Matthaei vigesimo quinto, cum dicit: « Quamdiu uni ex minimis meis non fecistis, nec

---

[1] Comment. in Ioan. 3, 5: Saccus et ieiunium arma sunt poenitentiae, auxilia peccatorum. Cfr. VIII. Comment. in Ezech. 27, 28. seq., ubi dicit, *cinerem* esse signum poenitentiae, et adducit Luc. 10, 13: *Si in Tyro... olim in sacco et cinere egissent poenitentiam.* Idem insinuatur Epist. 130. (alias 8.) n. 10. — De tribus actibus poenitentiae, scil. dolore, timore et pudore (ubi pro *sequelae* Vat. *culpae,* et pro *vilitatis* H *humilitatis),* cfr. supra pag. 183, nota 6, et August., de Correptione et gratia, c. 5. n. 7. — Sequitur Ier. 6, 26.

[2] Vers. 18. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) apud Lyranum in Luc. 10, 13: *In cilicio* aspera peccati pungentis memoria, qua in die iudicii sinistra pars induenda est, significatur. *In cinere* mortis consideratio, per quam tota humani generis massa in pulverem est redigenda, figuratur. *In sessione* humilitas propriae conscientiae, unde Propheta (Ps. 126, 2.): *Surgite, postquam sederitis,* id est [I. Petr. 5, 6.]: *Humiliamini sub potenti manu Dei* etc.

[3] Vers. 47. — Subinde allegantur Rom. 2, 4. seq.; Eccli. 3, 27. et 29.

[4] Vulgata: *usque ad caelum exaltata usque ad infernum;* August., Serm. 101. (alias 42. de Sanctis) c. 7. n. 8, exhibet tam *ad caelum* quam *in caelum* et *in infernum;* Beda et S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 10. n. 4.) *in caelum* et *ad infernum;* B. Albert. *in caelum* et tam *ad infernum* quam *in infernum,* C D *usque infernum.* — Duo seqq. loci sunt Abdiae Vers. 4. et Iob 20, 6. seq., ubi pro *in caelum* (ita etiam Septua-ginta et versio ex Hebr.) Vulgata, H et Vat. *ad caelum.*

[5] Vers. 23. — Superius pro *propter plurima* A C D *super plurima,* et inferius pro *propter munera* A C D G *super munera.*

[6] Vers. 1, ubi Glossa *interlinearis* (ex Hieron.): « *Primo tempore,* dominicae incarnationis, *alleviata est,* onere peccati relevata, *terra Zabulon et Nephthali* [Glossa *ordinaria:* In qua Christus primum praedicavit et miracula fecit; ibi enim aquas in vinum convertit etc.] *et novissimo aggravata est,* plurimis in errore manentibus, graviter afflicta ». Glossa *ordinaria* apud Lyranum in Luc. 10, 15: *Et tu Capharnaum* etc. Vel exaltata es superbe resistendo meae praedicationi; vel exaltata es meo hospitio et meis signis et virtutibus, et ideo maiori plecteris supplicio, quia his credere noluisti.

[7] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 9. n. 1.

[8] Vat. hic, sicut supra (cfr. pag. 257, nota 2.), *auctoratio,* G *authentizatio.* Simile occurrit inferius, ubi pro *authenticat* Vat. *auctorat,* G vel *auctorizat* vel *authentizat.*

[9] Vers. 10, post quem 13, 3. et I. Thess. 2, 13, ubi codd. post *auditus* omittunt *Dei,* et A C D H in fine legunt *sed ut verbum Dei,* omisso *sicut est vere.*

[10] Vers. 7. — Duo seqq. loci sunt Matth. 25, 45. et I. Thess. 5, 19. seq. — Inferius pro *veras praedicationes* Vat. *veros praedicatores.*

mihi fecistis ». Et propterea dicebat Apostolus primae ad Thessalonicenses quinto: « Spiritum nolite exstinguere, prophetias nolite spernere », id est veras praedicationes.

27. Secundo authenticat eos propter *auctoritatem summi imperatoris,* cum subdit: *Qui*[1] *me spernit spernit eum qui me misit,* tum propter *commissam auctoritatem,* tum propter *consubstantialitatem.* Unde Ioannis quinto: « Qui non honorificat Filium non honorificat Patrem, qui misit illum ». Et ideo sequitur, quod si quis spernit Apostolos, spernit Christum; et qui Christum spernit spernit Deum: ergo qui spernit Apostolos spernit Deum; et hoc non est parvum peccatum. Propter quod Isaiae trigesimo tertio[2]: « Vae! qui spernis; nonne et ipse sperneris? Cum fatigatus desieris contemnere, contemneris ». Magna igitur est auctoritas praedicatorum, in quorum receptione Deus recipitur et in contemptu contemnitur. Ipsi enim sunt os Dei verba eius annuntiando, sicut dicitur Ieremiae decimo quinto[3]: « Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris ». Et ideo tanquam os Dei pasci debent et honorari; et ipsi etiam os praecipue custodire et ab edacitate et a loquacitate, ut vere possit dici de eis illud Apocalypsis decimo quarto: « Hi empti sunt ex hominibus, primitiae Deo et Agno, et in ore ipsorum non est inventum mendacium; sine macula enim sunt ante thronum Dei ».

(Margin: ...e secundo. — Praedicatores sunt Dei os.)

28. *Reversi sunt autem* etc. Post missionem concomitantium et informationem euntium subditur hic tertio *consolatio redeuntium*[4]. Habet autem haec pars duas. In quarum prima *reprimit Dominus in discipulis gaudium vanum;* in secunda *invitat eos ad gaudium verum,* ibi[5]: *Gaudete autem, quia nomina vestra* etc.

(Margin: De consolatione redeuntium agitur dupliciter.)

Circa *repressionem gaudii vani* in discipulis quatuor introducit. Primum est vanae exsultationis *expressio;* secundum est vanae exsultationis *repressio;* tertium est vanae exsultationis *occasio;* quartum est vanae exsultationis *prohibitio.*

(Margin: Primo reprimitur vanum gaudium, de quo quatuor.)

29. (Vers. 17.). Primo igitur praemittit *vanae exsultationis expressionem,* cum dicit: *Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio,* quod scilicet non tantum sentiebatur in corde, sed etiam exprimebatur in sermone, ut verificaretur illud Proverbiorum decimo quinto[6]: « Cor gaudens exhilarat faciem ». — Propter quod addit: *Dicentes: Domine, etiam daemonia subiiciuntur nobis in nomine tuo;* in quo exprimebant, se gaudere, quia fortiores daemonibus facti erant. Et ista quidem laetitia veniebat ex latente superbia, sicut et illius Pharisaei, de quo infra decimo octavo[7] dicitur, quod orans dicebat: « Gratias tibi, Deus, ago, quia non sum sicut ceteri hominum » etc.

(Margin: Primum.)

30. Et nota, quod de divinis donis quidam *manifeste efferuntur,* sicut illi qui sibi ea attribuunt; de quibus Deuteronomii trigesimo secundo[8]: « Manus mea excelsa, et non Dominus, fecit haec omnia ». Contra quos Deuteronomii nono: « Ne dicas in corde tuo, cum deleverit Dominus gentes in conspectu tuo: Propter iustitiam meam induxit me Dominus in terram hanc ». — Quidam autem *manifeste humiliantur,* de quibus dicitur infra decimo septimo[9]: « Cum omnia bene feceritis, dicite, quia servi inutiles sumus ». Talis erat Paulus, qui de se ipso primae ad Corinthios decimo quinto: « Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus. Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundavit » etc. — Quidam vero *partim humiliantur* gratias agendo, *partim efferuntur* exsultando inepte, sicut isti discipuli, qui gaudebant de subiectione daemonum, attribuebant tamen hoc non sibi, sed nomini Domini, cum dicunt: *in nomine tuo,* sicut ille Pharisaeus[10]. Unde aliquid habebant *commendabile,* hoc scilicet, quod revertebantur ad fontem gratiarum, gratias ab ipso susceptas recognoscendo et eidem gratias referendo; iuxta quod dicitur Ecclesiastae primo[11]: « Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant »; et Iob trigesimo octavo: « Nunquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi: Adsumus »? Super quo dicit Glossa: « *Vadunt fulgura,* cum praedicatores miraculis coruscant et superna reverentia subditorum corda transfigunt; *revertentia dicunt: Adsumus,* cum non sibi, sed Dei virtutibus tribuunt, quidquid se fortiter egisse cognoscunt ». Tales sunt viri perfecti, in quorum persona dicitur Isaiae vigesimo sexto[12]: « Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine »; et in Psalmo: « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam ». — Aliquid etiam habebant *reprehensibile* in hoc, quod de potestatis altitudine efferebantur; quod

(Margin: Primus modus efferendi se de divinis donis. — Secundus. — Tertius. — Aliquid habebant commendabile. — Aliquid reprehensibile.)

---

[1] Cod. II et Vat. cum Vulgata *Qui autem.* — Subinde allegatur Ioan. 5, 23.

[2] Vers. 1. — Beda, III. in Luc. 10, 16: *Qui autem me spernit* etc., quia procul dubio in discipulo magister auditur, et in filio pater honoratur.

[3] Vers. 19. — Sequitur Apoc. 14, 4. seq.

[4] Cfr. supra n. 1.

[5] Vers. 20, ubi pro *quia* (ita etiam S. Thom., Cat. aurea in Luc. 10. n. 5. et Gorranus) Vulgata *quod;* idem recurrit infra n. 34.

[6] Vers. 13. — Pro *verificaretur* Vat. *verificetur.*

[7] Vers. 11. — Superius vocibus *se gaudere* Vat. interserit *inepte.*

[8] Vers. 27: *Manus nostra* etc., post quem 9, 4.

[9] Vers. 10. — Subinde allegatur I. Cor. 15, 9. seq.

[10] Cfr. supra n. 29. in fine. — Vat. haec verba *sicut ille Pharisaeus* transponit superius post *non sibi.*

[11] Vers. 7, cui subnectitur Iob 38, 35. Glossa in hunc locum inferius allegata est *ordinaria* (secundum Gregor., XXX. Moral. c. 2. n. 6.); in ipsa textus originalis pro *subditorum* substituit *auditorum* (ita et Vat.), et post *transfigunt* plura addit.

[12] Vers. 12, ubi pro *in nobis* Vulgata et Vat. *nobis;* Card. Hugo utramque lectionem exhibet (cfr. Ps. 67, 29.); post quem Ps. 113, 9. (vel 1.).

patet in hoc quod aiunt: *Daemonia subiiciuntur nobis;* contra quod Ecclesiastici undecimo [1]: « In die honoris tui ne extollaris, quoniam mirabilia opera Altissimi solius, et gloriosa et absconsa et invisa opera illius ». Et hoc est quod dicit Beda: « Bene confitentur, sed quia de signorum operatione efferuntur, exemplo terrentur et ad humilitatem revocantur ».

31. (Vers. 18.). Secundo adiungit *vanae exsultationis repressionem,* cum addit: *Et ait illis: Videbam satanam sicut fulgur de caelo cadentem;* quasi dicat Dominus: ne extollamini divinis beneficiis, ne cum superbis angelis corruatis; secundae Petri secundo [2]: « Si Deus peccantibus angelis non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos »; supple: non vobis parcet, si peccaveritis superbiendo. Unde Bernardus [3]: « Superbis angelis non pepercit Dominus; quanto magis nec tibi, putredo et vermis »! — *Cecidit* autem *sicut fulgur,* hoc est velociter, crudeliter et irrevocabiliter. Unde exemplo eius ceteri caveant, ne quaerant alta, propter quae lucifer cecidit in ima, secundum illud Isaiae decimo quarto [4]: « Quomodo cecidisti, lucifer, qui mane oriebaris? Qui dicebas in corde tuo: In caelum conscendam, super astra caeli exaltabo solium meum »; et post: « Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci ». Et ideo ad Romanos undecimo: « Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat ». — Ex hoc exemplo miro modo repressit Dominus in discipulis superbiam, quasi dicat illud Proverbiorum decimo septimo [5]: « Qui altam facit domum suam », scilicet cum lucifero superbiendo, « quaerit ruinam », cum eodem corruendo. Unde Bernardus [6], loquens ambitioso: « Sequere ducem tuum, multiplica praebendas, accelera ad episcopatum, ad archiepiscopatum aspira; paulatim ascendis, sed non paulatim descendes. *Videbam satanam quasi fulgur de caelo cadentem* ». Et ideo econtra dicit Seneca [7]: « Redige te ad parva, a quibus cadere non potes ». Unde Proverbiorum decimo octavo: « Antequam conteratur, exaltatur cor hominis; et antequam glorificetur, humiliatur »; quia sententia est iudicis, infra decimo octavo: « Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et omnis, qui se humiliat, exaltabitur ».

Secundum.

Notandum.

32. (Vers. 19.). Tertio vero subiungit *vanae exsultationis occasionem,* cum addit: *Ecce, dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones,* scilicet quantum ad insidias *corporales,* iuxta quod dicitur serpenti Genesis tertio [8]: « Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius »; *et super omnem virtutem inimici,* quantum ad insidias *spirituales,* de quibus ad Ephesios sexto [9]: « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores » etc.; usque ibi « in caelestibus ». — *Et nihil vobis nocebit,* propter supernas protectiones, secundum illud Marci ultimo [10]: « In nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent. Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit ». Et haec potestas eis collata poterat esse occasio praesumendi; iuxta quod dicitur de Ezechia, ad cuius preces Deus fecit mirabilia, secundi Paralipomenon trigesimo secundo [11]: « Oravit Ezechias Dominum, exaudivitque eum et dedit ei signum; sed non iuxta beneficia, quae acceperat, retribuit, quia elevatum est cor eius, et facta est ira contra eum et contra Iudam et Ierusalem ». — Unde divinorum donorum multitudo multis fuit ruinae occasio, sicut dicitur de lucifero Ezechielis vigesimo octavo [12]: « Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore »; et paulo post: « Elevatum est cor tuum »; et propterea: « Peccasti, et eieci te de monte sancto Dei et perdidi te » etc. Et ideo dicebat quidam sanctus homo, quod magna gratia est non habere gratiam; quia omnes istae gratiae exteriores non sunt nisi tentationes, et quilibet exterius elevatus debet timere illud Iob trigesimo [13]:

Tertium.

Corollarium.

[1] Vers. 4, ubi pro *absconsa* A C D *abscondita.* — Sententia Bedae (III. in Luc. 10, 17. seq.) exhibetur verbis Glossae *ordinariae* in Luc. 10, 17. Textus originalis post *Bene confitentur* prosequitur: deferentes honorem nomini Christi; sed quia infirma adhuc fide gaudent in virtutibus et de signorum etc. Pro *terrentur* nonnulli codd. *curantur.*

[2] Vers. 4. Cfr. Beda, III. in Luc. 10, 18. — Superius vocibus *divinis beneficiis* Vat. praefigit *de,* et inferius pro *supple* substituit *haud dubie.*

[3] Serm. 1. in Adventu Domini, n. 2: Si superbientibus angelis Deus non pepercit, quanto magis tibi etc. Codd. allegant *Bernardus super Cantica,* Vat. *super Missus est.*

[4] Vers. 12. 13. et 15. — Sequitur Rom. 11, 20. seq.

[5] Vers. 16.

[6] Declamation. (cfr. supra pag. 228, nota 8.) XXI. n. 25: Age ergo... sequere regem tuum. *Omne sublime videant* [Iob 41, 25.] oculi tui. Festina multiplicare praebendas; inde ad archidiaconatus evola, demum aspira ad episcopatum, ne ibi quidem requiem habiturus; quoniam *sic itur ad astra* [Virgil., IX. Aeneid. v. 641.]. Quo progrederis miser? An ut ab altiori gradu sit casus gravior? Neque enim sic paulatim decides, sed tanquam fulgur in impetu vehementi, quasi alter satanas subito deiicieris. Cfr. Serm. 2. in Ascens. Domini, n. 6. et 4. n. 3.

[7] Cfr. Epist. 94. (alias 95.) in fine. In tragoedia, cui titulus *Hercules furiens,* Act. 1. v. 199. seqq.:

Humilique loco, sed certa sedet
Sordida parvae fortuna domus
Alte virtus animosa cadit.

— Duo seqq. loci sunt Prov. 18, 12, ubi codd. *Ante ruinam* [Septuaginta: *Ante contritionem*] *exaltatur* etc. [cfr. Prov. 16, 18: *Ante ruinam exaltatur spiritus*]; et Luc. 18, 14, in cuius explicatione codd. legunt: Prov. 18: *Antequam conteratur.*

[8] Vers. 15. Cfr. Beda, III. in Luc. 10, 19.

[9] Vers. 12, ubi pro *principes* A C D *principatus.*

[10] Vers. 17. seq. Cfr. Act. 28, 3. seqq.

[11] Vers. 24. et 25. — Superius pro *praesumendi* D *superbiendi.*

[12] Vers. 12, subinde v. 17. et 16, ubi Vulgata et Vat. omittunt *sancto.*

[13] Vers. 22.

« Elevasti me et quasi super ventum ponens, elisisti me valide ».

33. (Vers. 20.). Quarto vero subiungit *vanae* Quartum. *exsultationis prohibitionem*, cum dicit: *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus subiiciuntur vobis;* quia scilicet tale gaudium est sicut *gaudium superborum* de promotione sua et deiectione aliena, quod non competit veris Sanctis, secundum illud Ecclesiastici octavo[1]: « Noli de mortuo inimico tuo gaudere »; et Iob trigesimo primo: « Si gavisus sum ad ruinam eius qui me oderat ». *Nolite* etiam *gaudere*, quia tale gaudium est *ruinosum*, secundum illud Proverbiorum decimo quarto[2]: « Extrema gaudii luctus occupat ». — Tale est gaudium de bono transitorio, secundum illud Iob vigesimo: « Gaudium hypocritae ad instar puncti »; et rursus vigesimo primo: « Gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, sed in puncto ad inferna descendunt ». Unde non volebat Dominus, quod discipuli gauderent in miraculis, sed potius in tormentis et conviciis, secundum illud Matthaei quinto[3]: « Beati estis, cum maledixerint vobis homines et persecuti vos fuerint » etc.; et post: « Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis ». Sic etiam Apostoli faciebant, secundum illud Actuum quinto: « Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati ». *Nolite ergo in hoc gaudere, quia spiritus subiiciuntur vobis,* licet sit divinitus concessum, ne sit occasio superbiae et per consequens ruinae. Propter quod dicit Augustinus[4], quod « Dominus dicebat discipulis suis: *Discite a me,* non mortuos suscitare, non super aquas ambulare, sed *quia mitis sum et humilis corde* »; quia in miraculis non debebant gaudere, sed in humilitate.

34. *Gaudete autem, quia*[5] *nomina* etc. Postquam Salvator repressit in discipulis gaudium vanum, hic secundo *invitat eos ad gaudium verum.* Et hoc quidem facit proponendo quadruplicem causam sive materiam gaudii. Gaudium namque discipulis fore ostendit de Dei *praescientia infallibili,* de *providentia irreprehensibili,* de *potentia incomprehensibili,* de *praesentia desiderabili.* Et in his quatuor habebant valde magnam materiam exsultandi.

Secundo invitatur ad gaudium verum per 4 rationes.

Primo gaudium erat de Dei *praescientia infallibili;* quantum ad quam dicit: *Gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt,* in libro vitae, *in caelis;* qui *liber vitae* dicitur, quia in ipso scripta *vivunt,* secundum illud Ioannis primo[6]: « Quod factum est in ipso vita erat »; vel quia secundum eius scripturam est homo praedestinatus ad vitam. Unde secundum ipsum fiet finale iudicium, sicut dicitur Apocalypsis vigesimo[7]: « Libri aperti sunt, et alius liber apertus est, qui est liber vitae »; in quo quidem libro mali non invenientur finaliter scripti, secundum quod in Psalmo dicitur: « Deleantur de libro viventium et cum iustis non scribantur ». Quod quidem dicitur, non quia liber iste mutetur, sed quia multi videntur *scripti* secundum praesentem iustitiam, qui apparebunt *non scripti* secundum divinam praescientiam[8]. Quoniam ergo hoc tantum est bonorum finaliter et salvandorum et bonum interminabile et infallibile; ideo merito de hoc gaudendum, non de dono miraculorum, quod est bonorum et malorum. Unde mali non sunt *scripti in caelis,* sed potius *in terra,* secundum illud Ieremiae decimo septimo[9]: « Recedentes a te in terra scribentur ». In cuius rei signum Dominus, confutans perfidiam Pharisaeorum, qui erant alieni a regno caelorum, « digito scribebat in terra », sicut dicitur Ioannis octavo.

Ratio 1.

Liber vitae.

35. Et nota, quod divina cognitio dicitur *liber,* sed cognitio *simplicis notitiae* dicitur *liber simpliciter;* et in hoc omnia scribuntur et omnes, iuxta illud Psalmi[10]: « Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur ». Et est cognitio *approbationis,* et haec dicitur *liber vitae,* et in hoc non scribuntur secundum veritatem nisi finaliter boni; et de hoc Exodi trigesimo secundo[11]: « Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro

Cognitio simplicis notitiae.

Cognitio approbationis.

---

[1] Vers. 8, post quem Iob 31, 29. — Superius pro *deiectione* D H *eiectione,* Vat. *deletione.*

[2] Vers. 13. — Duo seqq. loci sunt Iob 20, 5. et 21, 12. seq.

[3] Vers. 11. et 12. — Subinde allegatur Act. 5, 41.

[4] De sancta Virginitate, c. 35. n. 35: Non dicit: *Discite a me,* mundum fabricare, aut mortuos suscitare, sed *quia mitis sum et humilis corde* [Matth. 11, 29.]. Cfr. Serm. 69. (alias 10. de Verbis Domini) c. 1. n. 2, in Breviar. Romano pro festo S. Mathiae Apost. (24. Febr.). — Pro *Augustinus* (ita D a secunda manu et Vat.) A C G *Hieronymus.* — Inferius pro *sed in humilitate* E *sed inde humiliare.*

[5] Cfr. supra pag. 261, nota 5. — Aliquanto inferius D omittit *fore.*

[6] Vers. 3. et 4. De libro vitae cfr. IV. Sent. d. 43. a. 2. q. 1. seqq.; Qq. disput. de Mysterio Trin. q. 1. a. 2. in corp. et Breviloq. p. VII. c. 1. — Superius pro *Primo gaudium* D *Primum gaudium,* H *Primo ergo gaudendum.*

[7] Vers. 12. — Sequitur Ps. 68, 29. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 10, 20: Si quis caelestia sive terrestria opera gesserit, per haec quasi litteris adnotatus, apud Dei memoriam aeternaliter est affixus.

[8] Cfr. I. Sent. d. 40. a. 2. q. 2. ad 1. et 2; III. Sent. d. 31. dub. 2.

[9] Vers. 13, in cuius explicatione Hieron. ait: *Scribentur in terra,* deleti de libro viventium... Causaque manifesta, cur scribuntur in terra, quia *dereliquerunt* fontem vitae, Dominum, sive *fontem aquarum viventium, Dominum.* — Subinde allegatur Ioan. 8, 6.

[10] Psalm. 138, 16. Cfr. I. Sent. d. 36. dub. 3. et d. 39. a. 1. q. 2. seq.; Breviloq. p. I. c. 8.

[11] Vers. 31. et 32, ubi Glossa *interlinearis* (ex August., Qq. in Exod. q. 147.): Securus quidem hoc dicit, quia non delebitur. Cfr. tom. I. pag. 739, nota 2. Pro *dicebat* (ita D) alii codd. et Vat. *dicit.* August. loc. cit.: Securus quidem hoc *dixit*... ut, quia Deus Moysen non deleret de libro suo, populo peccatum illud remitteret. — Inferius post *iustitiae* Vat. addit *quae deleri potest.*

tuo, quem scripsisti ». Super quo dicit Glossa, quod « securus hoc dicebat, sciens, quod deleri non possit »; loquitur enim de scriptura praescientiae, non praesentis iustitiae.

36. (Vers. 21.). Secundo ostendit, esse gaudendum de *providentia irreprehensibili;* quantum ad quam adiungit: *In ipsa hora exsultavit in*[1] *Spiritu sancto,* scilicet in spirituali gaudio, quod debet esse in Spiritu sancto, non in carne, secundum illud ad Romanos decimo quarto: « Regnum Dei non est esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu sancto »; unde et gloriosa Virgo supra primo: « Exsultavit, inquit, spiritus meus in Deo salutari meo ». — Et in hoc dedit discipulis modum exsultandi et simul cum hoc expressit, unde exsultare debeant, cum addit: *Confiteor*[2] *tibi, Pater, Domine caeli et terrae,* quod scilicet non tantum es creator per potentiam, sed etiam gubernator per providentiam, secundum illud Ieremiae vigesimo tertio: « Caelum et terram ego impleo »; et Isaiae ultimo: « Caelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum ». Huic scilicet generali provisori confitetur confessione, scilicet *laudis. Confessio* enim non tantum est *culpae,* secundum illud Iacobi quinto[3]: « Confitemini alterutrum peccata vestra »; sed etiam *fidei verae,* de qua dicitur ad Romanos decimo: « Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem »; verum etiam *laudis divinae,* secundum illud ad Hebraeos decimo tertio[4]: « Offeramus hostiam laudis, id est fructum labiorum nostrorum confitentium nomini eius »; et in Psalmo: « Confitemini Domino, quoniam bonus » etc. Et hoc modo accipitur hic pro *laude* ipsius Dei gubernatoris.

Ratio 2.

Confessio triplex.

37. Laudat autem eum pro sua *providentia;* propter quam addit: *Quod abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.* Hoc enim fit secundum iudicium divinae providentiae, quod « Deus superbis resistit et humilibus dat gratiam », sicut dicitur Iacobi quarto[5]; et in Psalmo: « Excelsus Dominus et humilia respicit et alta a longe cognoscit ». Ideo *haec,* id est mysteria nostrae redemptionis, *abscondit a sapientibus et prudentibus mundi,* qui reputant, se esse *sapientes* in divinis et *prudentes* in temporalibus, iuxta quod dicitur primae ad Corinthios primo[6]: « Perdam sapientiam sapientium et prudentiam prudentium reprobabo »; et postea subdit: « Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi »; et ideo Isaiae quinto: « Vae! qui sapientes estis in oculis vestris et coram vobismetipsis prudentes ». Talibus enim absconduntur divina sacramenta, sed econtra *parvulis revelantur;* unde in Psalmo[7]: « Declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis ». — Et nota, quod « non dicit *stultis et hebetibus,* sed *parvulis,* id est humilibus, ut ostendat, se non damnare acumen intelligentiae, sed tumorem superbiae », sicut dicit Glossa[8]. Unde Bernardus: « Humilitas est clavis scientiae », secundum illud Proverbiorum undecimo: « Ubi humilitas, ibi sapientia ».

Iudicium divinae providentiae.

Notandum.

38. Et quoniam hoc iudicium providentiae est irreprehensibile, ideo addit: *Etiam, Pater, quoniam sic complacuit ante te;* quasi dicat: iuste, eo quod tibi placeat; quoniam, ut dicit Glossa[9], « iniustum esse non potest quod placuit iusto ». Unde sufficit hanc rationem reddidisse, nec voluit aliam assignare, sive quia ista est *sufficientissima et prima,* secundum illud Exodi trigesimo tertio[10]: « Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit »; et ad Romanos nono: « Cuius vult miseretur » etc. Sive ut *reprimatur curiositas,* ne discutere audeamus superna iudicia; unde Glossa[11]: « Ex hoc accipimus humilitatis exemplum, ne temere discutiamus de supernis consiliis »; dicitur enim Proverbiorum vigesimo quinto: « Perscrutator Maiestatis opprimetur a gloria ». Sive ut *ostendat,* quod divina providentia est *laudanda in omnibus factis suis* et omnino in omnibus irreprehensibilis, secundum illud Psalmi[12]: « Iustus Dominus in omnibus viis suis et sanctus in omnibus operibus suis ». — Gaudendum est igitur et exsultandum de providentia Dei irreprehensibili, non praesumtuosis ratiunculis disceptandum; quia, ut dicit Gregorius[13], « divina iudicia non sunt temere discutienda, sed formidoloso silentio veneranda ».

Hoc iudicium est irreprehensibile.

Rationes tres.

Notandum.

[1] Vulgata omittit *in,* quod tamen exhibent Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 10. n. 6.) et Lyranus. — Duo seqq. loci sunt Rom. 14, 17. et Luc. 1, 47.

[2] Vulgata, quam sequuntur pauci codd. et Vat., *Et dixit: Confiteor.* — Subinde allegatur Ier. 23, 24. et Isai. 66, 1.

[3] Vers. 16. — Sequitur Rom. 10, 10.

[4] Vers. 15, ubi post *laudis* Vulgata et Vat. addunt *semper Deo.* Subiungitur Ps. 105, 1. Cfr. tom. IV. pag. 435, nota 4, ubi Augustini diversos locos de hac confessionis distinctione attulimus.

[5] Vers. 6, post quem Ps. 137, 6.

[6] Vers. 19; subinde v. 20. (cfr. Isai. 29, 14.) et Isai. 5, 21. — Superius post *Ideo* Vat. addit *Deus.*

[7] Psalm. 118, 130.

[8] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 10, 21. — Sententiam, quae paulo inferius *Bernardo* tribuitur, Card. Hugo, in Luc. 11, 52, attribuit *Bedae,* qui (secutus August., II. Qq. Evangeliorum, q. 23.) IV. in Luc. 10, 52. ait: Clavis scientiae humilitas Christi est etc. — Subinde allegatur Prov. 11, 2.

[9] Scilicet *interlinearis* (ex Beda, qui sequitur Gregor., XXV. Moral. c. 14. n. 32.) in Luc. 10, 21. — Superius pro *tibi placeat* D *tibi placet.*

[10] Vers. 19. Plures codd. *Miserebor cui miserebor* (iuxta translat. ex Hebr. et Syriac.; cfr. Rom. 9, 15: *Miserebor cuius misereor et misericordiam praestabo, cuius miserebor).* — Sequitur Rom. 9, 18.

[11] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 10, 21, post quam Prov. 25, 27.

[12] Psalm. 144, 17. — Superius pro *divina providentia* D a secunda manu *divina iustitia,* H *divina bonitas et iustitia.*

[13] Libr. XXXII. Moral. c. 1. n. 1: Divina enim iudicia, cum nesciuntur, non audaci sermone discutienda sunt... veneranda [Vat. et codd. *nominanda*]. — Superius pro *praesumtuosis ratiunculis disceptandum* Vat. *praesumtionis ratiunculis discooperiendum.*

39. (Vers. 22.). Tertio ostendit, esse gaudendum de *potentia incomprehensibili*, cum ait: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*. In hoc namque, quod dicit: *Omnia*, infinite, *tradita*, ostendit, potestatem suam esse *universalem*, secundum illud Ioannis primo [1]: « Omnia per ipsum facta sunt », id est per Verbum; et rursus decimo septimo: « Omnia mea tua sunt, et tua mea sunt ». In hoc quod adiungit: *A Patre meo*, notat, potentiam illam esse *naturalem*, secundum illud Ioannis quinto [2]: « Quaecumque Pater facit, haec omnia Filius similiter facit ». In utrisque simul ostendit *aequalitatem* et *immensitatem*; unde Glossa: « Cum audis *omnia*, omnipotentem agnoscis; cum audis *tradita*, Filium confiteris, cui per naturam unius substantiae omnia iure sunt propria, non dono collata per gratiam ». Et ex hoc apparet, quod potentia Filii est immensa et incomprehensibilis. — Et postea subdit: *Et nemo novit* [3], *quis sit Filius, nisi Pater*, id est, nullus intellectus hoc perfecte comprehendit nisi paternus; et ideo in hoc non excluditur Spiritus sanctus, sed solus intellectus creatus, qui non potest ipsum comprehendere, cum sit immensus. Unde Iob undecimo [4]: « Forsitan vestigia Dei comprehendes et usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior caelo est, et quid facies » etc.

Ratio 3. — Potestas universalis. — Et naturalis. — Aequalis et immensa. — Filius incomprehensibilis.

40. Et quia Filius incomprehensibilis, ideo potest Patrem comprehendere. Propter quod addit: *Et quis sit Pater, nisi Filius*; supple: nemo novit; quia, Ioannis primo [5], « Deum nemo vidit unquam nisi Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit ». — Quoniam ipse solus comprehendit, ideo solus potest revelare; et ideo subdit: *Et cui voluerit Filius revelare*. Filius enim Sapientia et Verbum Patris est, et Dicens manifestat se per Verbum suum; unde Sapientiae nono [6]: « Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam de altissimis »? Unde Chrysostomus: « Philosophi de Deo quaerere contendentes, nihil aliud se invenisse confessi sunt, nisi quod incognoscibilis est Deus, sicut qui innavigabilem oceanum usurpat navigare, cum non potest transire, necesse est, ut per eandem viam revertatur; sic illi ab ignorantia coeperunt et in ignorantiam finierunt ». Et ratio huius est, quia non fuerunt discipuli Iesu Christi, qui est veritas [7], nec habuerunt Spiritum, de quo Ioannis decimo sexto: « Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem ».

Item Pater nisi a Filio.

41. (Vers. 23.). Quarto ostendit, esse gaudendum de *praesentia desiderabili*, quantum ad quam subdit: *Et conversus ad discipulos suos, dixit* [8]: *Beati oculi, qui vident quae vos videtis*; ideo merito gaudere potestis, quia videtis me tam mente quam corpore, cum Abraham gavisus fuerit, qui vidit tantum fide, secundum illud Ioannis octavo: « Abraham, pater vester, exsultavit, ut videret diem meum; et vidit et gavisus est ». — Et ideo in figura huius dicitur tertii Regum decimo [9] ad Salomonem: « Beati viri tui et beati servi tui, hi qui stant coram te semper et audiunt sapientiam tuam ». Hoc dicitur de Salomone sub figura Christi, quia, ut ipse de se dicit Matthaei duodecimo, « ecce, plus quam Salomon hic ». Unde hoc erat donum speciale.

Ratio 4. — Figura.

42. (Vers. 24.). Et propterea subdit: *Dico autem* [10] *vobis, quod multi Prophetae et reges voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt*. Sublimes in scientia et potentia desideraverunt Christi *praesentiam*, secundum illud Aggaei secundo [11]: « Veniet desideratus cunctis gentibus ». Unde propter vehemens desiderium dicitur Isaiae sexagesimo quarto: « Utinam dirumperes caelos et descenderes »! et Numerorum vigesimo quarto: « Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel »; et post: « Heu! quis victurus est, quando ista faciet Dominus »? Nec mirum, quia Esther penultimo [12] dicitur ad Assuerum in persona Christi: « Valde mirabilis es, domine, et facies tua plena gratiarum ». Et ideo desiderabant Christi videre praesentiam. — Desiderabant etiam *audire doctrinam*, et propterea addit: *Et audire quae auditis, et non audierunt*, id est mea verba; quia, sicut dicitur Osee decimo [13], « tempus requirendi Dominum, cum venerit qui doceat vos iustitiam ». Hoc enim erat permaximum beneficium, audire Deum loquentem, non per creaturam subiectam, sed in propria persona et creatura unita. Quod beneficium commemorans, ait Apostolus ad Hebraeos primo [14]: « Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime » etc. *Beatus*, qui audit humiliter et obtemperanter hanc locutionem,

Desiderium videndi Christum. — Item, audiendi doctrinam.

---

[1] Vers. 3, post quem 17, 10. — Superius pro *infinite* II *indeterminate*, et pro *universalem* Vat. *utilem*.

[2] Vers. 19. — Glossa, quae sequitur, est *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Ambros., VII. in Luc. n. 67.) in Luc. 10, 22. Textus originalis post *agnoscis* addit *non decolorem, non degenerem Patris*.

[3] Ita etiam B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 10. n. 6.), Gorranus et translat. ex Syriac.; cfr. Matth. 11, 27; Vulgata et Vat. *scit*. Cfr. I. Sent. d. 21. a. 2. q. 2. ad 2. et dub. 3, ubi haec verba fusius explicantur.

[4] Vers. 7. et 8.

[5] Vers. 18, ubi pro *nisi Unigenitus* Vulgata et Vat. *unigenitus Filius*; vide Comment. in Ioan. c. 1. n. 39. et 40.

[6] Vers. 17. — Sententia Chrysost. habetur in Homil. 28. in Matth. 11, 25. (Op. Imperfect.). Textus originalis plura hinc inde interserit. Post *cum* A C D H addunt *illud* (? *illum*), textus originalis legit *dum non potest eum transire*, qui etiam in fine habet *in ignorantia finierunt*.

[7] Ioan. 14, 6: Ego sum via et veritas etc. — Subinde allegatur Ioan. 16, 13.

[8] Codd. A C D et B. Albert. *ait*. — Sequitur Ioan. 8, 56. — Aliquanto superius pro *gaudendum* Vat. *gaudium*.

[9] Vers. 8, cui subiungitur Matth. 12, 42.

[10] Vulgata, quam H et Vat. sequuntur, *enim*.

[11] Vers. 8, post quem Isai. 64, 1; Num. 24, 17. et 23.

[12] Vers. 17.

[13] Vers. 12, ubi pro *doceat* Vulgata *docebit*; cfr. infra n. 51.

[14] Vers. 1, ubi C G H *Multifarie* etc. — Superius pro *subiectam* A C D *subditam*.

secundum illud infra undecimo [1]: « Beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud ». Unde beati, qui per fidem Christum viderunt et audierunt in via, secundum illud Proverbiorum octavo [2]: « Beatus homo, qui audit me et qui vigilat ad fores meas quotidie et observat ad postes ostii mei ». Sed *beatissimi*, qui videbunt in patria, iuxta illud Apocalypsis decimo nono: « Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt ».

**Secunda pars agit de data discipulis forma vivendi dupliciter.**

43. *Et ecce, quidam legisperitus* etc. Postquam descripsit Evangelista formam praedicandi, hic secundo insinuat *formam vivendi* [3]. Dupliciter autem potest quis informari ad recte vivendum, scilicet Divisio. *verbo* et *exemplo*; ideo Evangelista primo ad informationem praemittit *divinum praeceptum*; secundo vero subiungit *humanum exemplum*, ibi [4]: *Factum est, dum irent, intravit* etc.

**Ad informationem praemittitur divinum praeceptum dupliciter propositum.**

Quoniam autem *informatio praecepti* non valet nisi intelligenti, ideo primo praemittitur *praeceptum regulans* ad vivendum; secundo vero adiungitur *documentum adiuvans* ad intelligendum, ibi [5]: *Suspiciens autem Iesus*. — Circa expressionem autem De praecepto regulante tanguntur quatuor. *praecepti regulativi* quatuor introducuntur, scilicet *inquisitio veritatis* salutiferae, *inventio veritatis* quaesitae, *approbatio veritatis* inventae, *investigatio veritatis* approbatae.

44. (Vers. 25.). Primo ergo quantum ad Primum. *inquisitionem veritatis salutiferae* dicit: *Et ecce, quidam legisperitus surrexit, tentans illum*. Iste peritus *erat* et peritum se *reputabat*; et quia peritum se *reputabat*, ideo non requirebat, ut disceret, sed ut probaret, sicut moris est superbis, secundum illud Ecclesiastici decimo tertio [6] de divite: « Ex multa loquela tentabit te ». Sed rursus, quia peritus *erat*, ideo idonee et recte quaerebat; propter quod addit: *Et dicens: Magister, quid faciendo vitam aeternam possidebo? Magistrum* eum vocat, quia hoc ipso spectat ad eum, ut ad interrogata respondeat, iuxta quod dicitur Matthaei vigesimo secundo [7]: « Magister, scimus, quia verax es et viam Dei in veritate doces ». Unde quia magisterium salutis profitebatur Christus, ideo quaestionem facit de veritate salutari. Similem quaestionem dicitur proposuisse adolescens Matthaei decimo nono [8]: « Magister bone, quid faciam, ut habeam vitam aeternam »? Isti quaerebant studiose, non curiose, quia non de operibus factis, sed faciendis propter meritum salutis, secundum illud Ecclesiastici tertio [9]: « In pluribus operibus eius ne fueris curiosus; sed quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper ». Unde isti quaerunt de via eundi ad vitam, iuxta consilium Ieremiae sexto: « State super vias et videte et interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris ». Haec enim sunt quae Dominus docet Isaiae quadragesimo octavo [10]: « Ego Dominus docens te utilia ».

45. (Vers. 26.). Secundo vero quantum ad *in-* Secundum. *ventionem veritatis quaesitae* subdit: *At ille dixit ad eum: In Lege quid scriptum est? quomodo legis?* Ex quo apparet, quod Magister veritatis erat amicus Legis, iuxta illud Matthaei quinto [11]: « Putatis, quia veni solvere Legem aut Prophetas? Non veni solvere, sed adimplere ». In quo verbo Salva- Notandum. tor *captat benevolentiam* legisperiti in hoc, quod ostendit, se conformari ei in amore Legis; *suscitat* etiam *attentionem*, dum mittit ad Legem sicut ad scripturam authenticam; *praeparat* etiam *docilitatem*, dum tribuit viam ad veritatem inveniendam, et hoc quidem fit legendo legem divinam. Unde Ioan- Scriptura est via veniendi ad veritatem et ad vitam. nis quinto [12] dixit legisperitis: « Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vitam aeternam habere ». Haec enim est via veniendi ad veritatem et per veritatem ad vitam. Unde Baruch quarto: « Hic liber mandatorum Dei et lex, quae est in aeternum; omnes, qui tenent eam, pervenient ad vitam; qui autem dereliquerint eam, in mortem. Convertere, Iacob, et apprehende eam » etc.

46. (Vers. 27.). Et ista via eum ad veritatem Notandum. manuduxit; propter quod additur: *Ille autem* [13]

---

[1] Vers. 28. — Beda, III. in Luc. 10, 24: Quos vero Lucas multos Prophetas et reges dicit, Matthaeus [13, 17.] apertius Prophetas et iustos appellat; ipsi enim sunt reges magni, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo praeesse noverunt.

[2] Vers. 34. — Subinde allegatur Apoc. 19, 9.

[3] Vide supra n. 1.

[4] Vers. 38. Verbo *intravit* Vulgata et Vat. praefigunt *et ipse* (ita etiam codd. infra n. 66.).

[5] Vers. 30. Pro *Suspiciens* (ita etiam Beda, Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. et Lyranus) Vulgata et H (D hic solum, non infra n. 52.) *Suscipiens* (Ὑπολαβών), quod secundum Euthym. idem est ac *Excipiens sermonem*.

[6] Vers. 14. — Glossa *interlinearis* (ex Ambros., VII. in Luc. n. 69.): *Et ecce, quidam legisperitus*, verba Legis tenens, vim Legis ignorans.

[7] Vers. 16. — Inferius pro *salutis* A *veritatis*, et pro *Christus* H *in Christo*, D legit *Unde quia magistrum salutis profitebatur Christum*.

[8] Vers. 16. — Pro *dicitur proposuisse* H *fecit ei*.

[9] Vers. 22. — Subinde allegatur Ier. 6, 16, in quo post *vias* C D G H addunt *vestras*.

[10] Vers. 17. — Glossa *ordinaria* apud Lyranum (ex Beda) in Luc. 10, 25: Legisperitus occasionem tentandi accipit ex verbis Domini, ubi ait [v. 20.]: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in caelis;* sed ipse in sua tentatione monstrat, quam vera sit confessio Domini, qua Patrem laudans dicit [v. 21.]: *Abscondisti haec a sapientibus* etc.

[11] Vers. 17: *Nolite putare, quoniam veni* etc.

[12] Vers. 39. — Sequitur Baruch 4, 1. seq.

[13] Vulgata, quam H et Vat. sequuntur, omittit *autem*. — Duo seqq. loci sunt Deut. 6, 5. et Matth. 22, 40.

*respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omnibus viribus tuis et ex omni mente tua.* Hoc legitur Deuteronomii sexto: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo » etc. In hoc mandato legislator omnia praecepta reduxit ad unum, in quo verbo clauditur tota forma vivendi, iuxta illud quod dicitur Matthaei vigesimo secundo: « In his duobus mandatis universa Lex pendet et Prophetae ».

47. Sed videtur contrarietas, quia hic dicitur, quod *legisperitus* respondit; in Matthaei vigesimo secundo[1] dicitur, quod *Christus;* hic ponuntur *quatuor* conditiones, ibi *tres.* — Sed patet, quod alia fuit ista quaestio, alia illa, sicut innuit Augustinus de Concordia Evangelistarum[2], ubi dicit, quod Christus primo respondit, secundum quod dicit Matthaeus, et deinde legisperitus iterando approbavit, sicut dicit Lucas, et quod utrumque fuerit, narratur Marci duodecimo. Et sic patet, quod Marcus hos duos ducit ad concordiam.

Difficultas 1.

Solutio.

48. Sed tamen adhuc videtur remanere discordia ex parte *conditionum diligendi,* quia Deuteronomii sexto[3] dicitur: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua »; hic autem additur: *Ex omni mente tua,* et in Matthaeo omittitur: *Ex omnibus viribus tuis.*

Difficultas 2.

Ad quod intelligendum, quod ad perfectum modum diligendi Deum requiritur, quod referamus in ipsum omnes *cogitationes,* omnes *affectiones* et omnes *operationes.* Et haec tria tanguntur in Lege[4]. Sed quia *cogitationes* sunt intellectivae cordis et memorativae mentis; ideo hic et in Matthaeo additur: *Ex tota mente,* in quo est explicatio Legis. Et quia qui refert quod interius est, scilicet actum memoriae, intelligentiae et voluntatis, in Deum, per consequens refert opera[5]; ideo in his tribus clauditur relatio *omnium virium.* Lucas autem ad maiorem explicationem addit hoc ipsum, scilicet: *Ex omnibus viribus;* similiter Marcus[6]. — Vel hoc quod est *ex omnibus viribus* est determinatio trium aliarum conditionum, ut secundum Augustinum[7] sit sensus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* scilicet intellectu sine errore; *ex tota anima,* id est voluntate sine contradictione; *ex omni mente,* id est memoria sine oblivione; *et ex omnibus viribus tuis,* id est tota virtute sine fictione. — Vel secundum Bernardum[8]: « *Ex toto corde tuo,* id est sapienter; *ex tota anima,* id est dulciter; *ex tota mente,* id est fortiter »; et in hoc clauditur *ex omnibus viribus.* — Vel sic: *Ex toto corde,* id est vigilanter, secundum illud Canticorum quinto[9]: « Ego dormio, et cor meum vigilat »; *ex tota anima,* id est ardenter, secundum illud Canticorum quinto: « Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est »; *ex omnibus viribus tuis,* id est constanter, secundum illud Canticorum ultimo: « Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio; lampades eius, lampades ignis atque flammarum; aquae multae non potuerunt exstinguere caritatem, nec flumina obruent illam »; *ex omni mente tua,* id est incessanter, secundum illud Deuteronomii octavo[10]: « Observa et cave, ne quando obliviscaris Domini Dei tui »; et Tobiae quarto: « In omnibus diebus vitae tuae in

Solutio.

Aliter.

Aliter.

Aliter.

---

[1] Vers. 37: Ait illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua.

[2] Libr. II. c. 73. n. 141. seq., ubi in fine ait: Unde quia et tentans praedictus est [a Luca], et duo praecepta ipse respondit, et post admonitionem Domini dicentis [v. 28.]: *Hoc fac et vives,* non bonus commendatur, cum dicitur de eo [v. 29.]: *Ille autem volens se iustificare;* iste autem, quem pari ordine Matthaeus Marcusque [12, 28. seqq.] commemorant, tam bene commendatus est, ut ei diceret Dominus [Marc. 12, 34.]: *Non longe es a regno Dei:* probabilius creditur, hunc alium esse, non illum. — Vat. ex hac una ratione duas facit: *Sed patet, quod alia fuit illa quaestio, alia ista. Vel potest responderi, sicut innuit Augustinus* etc. — Notamus, secundam partem huius solutionis respondere iis quae Marcus 12, 29. seqq. proponit.

[3] Vers. 5. — Verba Matthaei vide supra in nota 1.

[4] Deut. 6, 5. supra allegatum. — Explicatio Legis, de qua in seq. propositione agitur, respicit primum membrum Deut. 6, 5. allegatum, scil. *ex toto corde tuo,* quatenus *cor* significat partem animae rationalem, quae complectitur *intellectum* (cor).et *memoriam* (mentem); cfr. inferius sententia Augustini et III. Sent. d. 27. dub. 4. — Superius pro *Ad quod intelligendum,* H *Ad quod dicitur,* Vat. *Pro huius itaque intelligentia eruenda, nota.*

[5] Cod. H: *Et quia qui refert opera, cogitationes et affectiones agit secundum omnes vires animae; ideo* etc.

[6] Cap. 12, 30: *Et ex tota virtute tua.*

[7] Vide quae hac de expositione diximus tom. I. pag. 81, nota 8. et tom. III. pag. 613, nota 7. In operibus, quae August. tunc tribuebantur, in quibus haec explicatio tangitur, scil. Libr. de Spiritu et anima, c. 35; de Diligendo Deo, c. 2. et Serm. 108. in Appendice (alias 53. de Tempore) n. 4, simpliciter dicitur: « Id est ex toto intellectu tuo et ex tota voluntate tua et ex tota memoria tua »; verba, quae adduntur, *sine errore, sine contradictione, sine oblivione,* exhibentur a Petr. Pictaviensi, III. Sent. c. 23, et ab Innocent. III., Serm. 5. in Communi de uno Martyre et in Serm. 20. pro festo B. Petri. Card. Hugo, B. Albert., Gorranus et cod. A in hac Augustini explicatione non exhibent quartum membrum *et ex omnibus viribus tuis, id est tota virtute sine fictione.* Paulus Diaconus, in suo Homiliario, homil. 174. de Tempore pro Dominica XIV. post Pentec., affert homiliam ex Herico monacho Antissiodor., in qua tria prima membra eodem modo explicantur sicut ab Augustino; de quarto membro ait: « *Et ex omnibus viribus tuis,* hoc est ex omni fortitudine ». Glossa *interlinearis* in Matth. 22, 37: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* id est intellectu, ut nullum in confessione Divinitatis relinquas errori locum; *et in tota anima tua,* id est voluntate, ut nihil ei contrarium velis; *et in tota mente tua,* id est in memoria, nil reminiscens, quominus de eo sentias.

[8] Serm. 20. in Cant. n. 4; Serm. 29. de Diversis, n. 1. et 4. seq. et 96. de Diversis (alias 67. ex Parvis) n. 6. Cfr. tom. III. pag. 613, nota 7. et pag. 619, nota 2.

[9] Vers. 2; subinde v. 6. et 8, 6. seq. Cfr. Bernard., Serm. 20. in Cant. n. 4: Ergo amemus *affectuose, circumspecte* et *valide.*

[10] Vers. 11, post quem Tob. 4, 6.

mente habeto Deum ». Et sic patet, quod tertia et quarta conditio sunt valde propinquae, et ideo una clauditur aliquando in alia.

Epilogus. In omnibus autem praedictis conditionibus intelligendum, quod secundum quod dicunt *totalitatem sufficientiae*, sic cadunt sub praecepto et spectant ad statum viae; secundum quod dicunt *totalitatem consummationis*, sic spectant ad statum patriae et magis demonstrant, quo tendendum, quam obligent ad observandum [1]. Per hoc ergo mandatum totus homo secundum se totum ordinatur in Deum, et per consequens ad se ipsum.

Dilectio proximi. 49. Et quia ordinari habet etiam ad proximum, ideo subdit: *Et proximum tuum*, supple: dilige, *sicut te ipsum*. Hoc secundum praeceptum habetur ex Levitici decimo nono [2], ubi dicitur: « Diliges amicum tuum sicut te ipsum », secundum translationem Septuaginta dicitur: Diliges proximum sicut te ipsum, id est *ex quo* te ipsum, scilicet ex caritatis affectu et effectu; vel *in quo* te ipsum, id est in Deo; vel *propter quod* te ipsum, id est propter Deum; vel *ad quod* te ipsum, id est ad gratiam in praesenti et gloriam in futuro; vel *quomodo* te ipsum, id est supra res et corpus proprium et infra Deum. Nam qui sic diligit proximum, ille est verus observator Legis; unde ad Romanos decimo tertio [3]: « Qui diligit proximum Legem implevit ».

Huius dilectionis rationes tres. — Et vere debet diligere proximum quasi se ipsum propter *conformitatem naturae*; unde Ecclesiastici decimo tertio [4]: « Omne animal diligit simile sibi, sic et omnis homo proximum sibi »; propter etiam *unitatem gratiae*, secundum illud ad Ephesios quarto: « Loquimini veritatem, unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra »; propter *unitatem mercedis aeternae*; ad Ephesios quarto: « Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae ». — Ideo ad commendandam hanc dilectionem voluit Deus, quod nasceremur ex uno patre Adam; quod redimeremur eodem sanguine, scilicet sanguine Domini nostri Iesu Christi; quod remuneraremur eadem mercede; Psalmus [5]: « Ierusalem, quae aedificatur ut civitas, cuius participatio eius in idipsum ».

Tertium. 50. (Vers. 28.). Tertio vero quantum ad *approbationem veritatis inventae* subditur: *Dixitque illi: Recte respondisti;* quia verbum rectitudinis protulisti, quod est dilectionis, secundum illud Canticorum primo [6]: « Recti diligunt te »; vel secundum regulam sapientiae dixisti, secundum illud Proverbiorum octavo: « Iusti sunt omnes sermones tui, non est in eis pravum quid neque perversum, recti sunt intelligentibus et aequi invenientibus scientiam ».

Notandum. — Et quia secundum regulam rectitudinis est vivendum, ideo subdit: *Hoc fac, et vives,* quia, secundum illud Iacobi primo [7], « si quis est auditor verbi et non factor » etc.; et ad Romanos secundo: « Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur ». Et vere *vives,* quia ad aeternam vitam pervenies; quia Matthaei decimo nono [8]: « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata »; unde Ioannis decimo tertio: « Si haec scitis, beati eritis, si feceritis ea ».

Quartum. 51. (Vers. 29.). Quarto quantum ad *investigationem veritatis approbatae* subditur: *Ille autem, volens iustificare se ipsum,* id est iustum ostendere, « quia, ut dicit *Interlinearis* [9], putabat non ante Deum, sed ante hominem se stare », secundum illud infra decimo sexto: « Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem novit corda vestra » etc. —

Aliter. Vel, *volens se ipsum iustificare,* id est ad iustitiam praeparare; quod fit per fidem et intelligentiam veritatis, secundum illud ad Romanos tertio [10]: « Arbitramur autem, hominem iustificari per fidem sine operibus Legis »; ideo, ut veritatem traditam intelligat, requirit. — Propter quod subditur: *Dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus?* ut intelligam mandatum, secundum illud Osee decimo [11]: « Tempus requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos iustitiam ».

Sensus quadruplex vocis proximus. Ideo quaerit de *proximo* diligenter, quia in Scriptura dicitur multipliciter, scilicet *cognatione*, secundum illud Psalmi [12]: « Amici mei et proximi mei adversum me appropinquarunt et steterunt »; et rursus: « Quasi proximum et quasi fratrem nostrum, sic complacebam » etc. *Religione;* Ecclesiastici decimo quinto [13]: « Exaltabit illum apud proximos suos ». *Compassione* sive beneficii exhibitione, secundum quod infra eodem: « Quis tibi videtur proximus fuisse ei qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam cum illo ». *Naturali assimilatione,* secundum illud Ecclesiastici

---

[1] De hoc fusius III. Sent. d. 27. a. 2. q. 6.

[2] Vers. 18. — Cfr. III. Sent. d. 29. q. 3. ad 2.

[3] Quinque praedictas expositiones praebet etiam Card. Hugo in Luc. 10, 27. Cfr. Bernard., Serm. 96. de Diversis (alias 67. ex Parvis) n. 5; Serm. 50. in Cant. n. 7. et Tract. de statu virtutum (inter opera Bernardi) p. III. n. 34. seq.; Hug. de S. Vict., Sum. Sentent. tr. 4. c. 7; II. de Sacrament. p. XIII. c. 10; Qq. in Epist. ad Rom. q. 308. et VI. Allegor. in Epist. ad Rom. 13, 9.

[4] Vers. 19. — Duo seqq. loci sunt Eph. 4, 25. et 4, 4. Cfr. III. Sent. d. 28. per totam.

[5] Psalm. 121, 3. Cfr. II. Sent. d. 18. dub. 1. et d. 20. q. 1. ad 3. — Superius vocibus *ad commendandam* fide A C D H praefigimus *Ideo*.

[6] Vers. 3. — Subinde allegatur Prov. 8, 8. seq., ubi pro *sermones tui* Vulgata et Vat. *sermones mei*. — Superius C D H omittunt *rectitudinis*.

[7] Vers. 23, post quem Rom. 2, 13.

[8] Vers. 17, cui subiungitur Ioan. 13, 17.

[9] In Luc. 10, 29; post *se stare* addit: « nec ipsum, quem Magistrum vocat, proximum cognovit ». — Sequitur Luc. 16, 15.

[10] Vers. 28. — Inferius pro *traditam* Vat. *creditam*.

[11] Vers. 12. — Glossa *ordinaria* in Luc. 10, 29: Nemo proximior homini quam Deus... sed omnis incredulus vel tentator nec Deum nec hominem proximum habet.

[12] Psalm. 37, 12, post quem Ps. 34, 14.

[13] Vers. 4. — Duo seqq. loci sunt Luc. 10, 36. seq. (codd. omittunt *At ille dixit*) et Eccli. 13, 19.

decimo tertio: « Omne animal diligit simile sibi, sic et omnis homo proximum sibi ». Et Augustinus[1]: « Nomine *proximi* intelligitur omnis homo ». — Et ideo, quia dubium erat, et multiplex erat proximi intelligentia, propterea indagandum erat et requirendum non solum propter illum legisperitum, sed propter utilitatem fidelium, a quibus implendum erat praemissum mandatum, quod est consummatio mandatorum[2].

De documento adiuvante per dictum parabolicum tanguntur quatuor.

52. *Suspiciens*[3] *autem Iesus, dixit.* Post praeceptum regulans ad vivendum subditur *documentum excitans ad intelligendum,* et hoc per dictum parabolicum; et hoc notat, cum dicit: *Suspiciens autem Iesus;* in quo ostendit, quod qui vult intelligere veritatem debet sursum aspicere, unde micat verum lumen; Isaiae sexagesimo[4]: « Surge, illuminare, Ierusalem » etc.; quia, Ecclesiastici primo, « fons sapientiae verbum Dei in excelsis ».

Divisio.

In hoc autem dicto parabolico quatuor introducuntur. Primum est *persona indigens ex miseria;* secundum est *persona despiciens ex duritia,* ibi[5]: *Accidit autem, ut sacerdos* etc.; tertium est *persona subveniens ex clementia,* ibi: *Samaritanus autem* etc.; quartum est *doctrina subsequens ex parabola,* ibi: *Quis horum trium videtur* etc.

De persona indigente dicuntur duo.

Circa *personam indigentem ex miseria* duo introducuntur ab Evangelista: primum est *subtractio boni,* secundum est *inflictio mali.*

Primum.

53. (Vers. 30.). Primo igitur quantum ad *boni subtractionem* dicit: *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum.* Ideo fortassis hoc fecerunt, quia *solus erat;* quod notat in hoc quod dicit: *Homo quidam,* ut verum appareat illud Ecclesiastae quarto[6]: « Vae soli! quia, cum ceciderit, non habet *sublevantem* », immo potius talis habet *depraedantes.* Unde iste homo poterat dicere illud Iob decimo nono: « Spoliavit me gloria mea et abstulit coronam de capite meo ». « Simul venerunt latrones et fecerunt sibi viam per me ». In hos latrones incidit fortassis propter *solitudinem viae,* ubi consueverunt latrones latere, secundum illud Ieremiae tertio[7]: « In viis sedebas, exspectans eos quasi latro in solitudine ».

Secundum.

54. Secundo quantum ad *mali inflictionem* subdit: *Et plagis impositis, abierunt, semivivo relicto;* quasi dicat, quod usque ad mortem eum *vulneraverunt,* secundum quod de latronibus dicitur Proverbiorum primo[8]: « Pedes eorum ad malum currunt et festinant, ut effundant sanguinem »; et in Psalmo: « Quorum os maledictione et amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem ». Non solum *verberaverunt,* ne forte proderet eos, sicut dicitur de Ismael Ieremiae quadragesimo primo[9], quod « viros venientes ad Godoliam interfecit Ismael, filius Nathaniae, ipse et viri, qui erant cum eo circa medium laci »; et hoc, ne proderent eum, sicut et hic.

De duplici persona despiciente.

55. (Vers. 31.). *Accidit autem, ut sacerdos* etc. Post personam indigentem ex duplici miseria subditur hic *persona despiciens ex duritia.* Introducitur autem hic duplex persona, *superior* scilicet et *inferior* in dignitate ecclesiastica.

Persona superior.

— Primo igitur quantum ad *personam superiorem* dicit: *Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem via,* cuius erat legem Dei docere et facere, secundum illud Malachiae secundo[10]: « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent de ore eius ». Ipsi autem debebant esse sancti, secundum illud Levitici decimo: « Sanctificabor in his qui appropinquant mihi, et in conspectu omnis populi glorificabor ». Unde sacerdotum erat potissime legem Dei servare et maxime quoad misericordiam; sed tamen hic non servavit propter duritiam. — Unde subdit: *Et viso illo, praeterivit,* non attendens illud Deuteronomii vigesimo secundo[11]: « Si videris, *asinum fratris* tui aut bovem cecidisse in via, non despicias, sed sublevabis cum eo ». Iste *despexit* istum *fratrem* propter avaritiam. Iam verificatum erat illud Ieremiae sexto[12]: « A minori usque ad maiorem omnes avaritiae student, et a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum »; et similiter illud Isaiae primo: « Principes tui infideles, socii furum » etc.

Persona inferior.

56. (Vers. 32.). Secundo quantum ad *personam inferiorem* subdit: *Similiter et levita, cum esset secus locum et videret eum, pertransiit;* et hic non attendebat illud Ecclesiastici septimo[13]: « Non desis

---

[1] Serm. 90. (alias 14. ex editis a Sirmondo) n. 7: Omnis homo proximus tuus est. Enarrat. in Ps. 118. serm. 8. n. 2: Omnis quippe homo est omni homini proximus, nec ulla cogitanda est longinquitas generis, ubi est natura communis. Cfr. Enarrat. in Ps. 14. n. 3. et in Ps. 25. enarrat. 2. n. 2. Vide III. Sent. d. XXVIII. lit. Magistri, c. 3, ubi allegatur l. de Doctr. christ. c. 30. n. 32; ibid. c. 4. proponuntur diversi modi, quibus dicitur *proximus.*

[2] Rom. 13, 9: Et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.

[3] Cfr. supra pag. 266, nota 4.

[4] Vers. 1, cui subnectitur Eccli. 1, 5. — Superius post *Iesus* Vat. addit *id est sursum aspiciens,* et pro *verum lumen* abbreviatione, quam exhibet A, substitui videtur *Spiritus sancti lumen* (abbreviatio in C et D aliqua ex parte est diversa ab abbreviatione in A). Cod. H, qui pro *Suspiciens* cum Vulgata habet *Suscipiens,* plura omittit.

[5] Vers. 31; tertium est v. 33. et quartum v. 36.

[6] Vers. 10. — Subinde allegantur Iob 19, 9. et 12.

[7] Vers. 2. — Hieron., Epist. 108. (alias 27. sive Epitaphium Paulae) n. 12: Rectoque itinere descendebat [Paula] Iericho, recogitans illum de Evangelio vulneratum... Et locum *Adomim,* quod interpretatur *sanguinum,* quia multus in eo sanguis crebris latronum fundebatur incursibus. Cfr. III. in Matth. 20, 19.

[8] Vers. 16, post quem Ps. 13, 3.

[9] Vers. 7. Cfr. Gregor., I. Moral. c. 36. n. 52.

[10] Vers. 7. — Subinde allegatur Lev. 10, 3.

[11] Vers. 4. — Superius Vat. omittit *propter duritiam,* et inferius ipsa pro *istum fratrem* substituit *fratrem suum,* H *fratrem suum eiusdem gentis.*

[12] Vers. 13, cui subiungitur Isai. 1, 23.

[13] Vers. 38. et 39.

plorantibus in consolatione et cum lugentibus ambula; non te pigeat visitare infirmum». Hunc piguit, quia, cum esset secus locum et videret, noluit visitare. Iste non erat similis illi Tobiae, quarto [1], docenti filium suum: «Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere». Hic autem a paupere nudo, vulneràto et de populo suo avertit oculos suos. Et hoc erat magis reprehensibile in sacerdotibus et levitis quam in aliis personis; propter quod dicitur Osee sexto [2]: «Misericordiam volui et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta»; unde iste legisperitus dicitur dixisse Marci duodecimo: «Diligere proximum tanquam se ipsum maius est omnibus holocautomatibus et sacrificiis».

57. (Vers. 33.). *Samaritanus autem* etc. Hic tertio loco subditur *persona subveniens ex clementia.* Circa quam duplex effectus misericordiae ostenditur, scilicet *supportatio infirmitatis* et *relevatio mendicitatis.*

De persona subveniente dicuntur duo.

Primo igitur quantum ad *misericordiam supportantem infirmitatem* dicit: *Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus eum* [3] *et,* oculo suae benignitatis ac opere maximae pietatis, *videns eum, misericordia motus est,* ita ut posset dicere illud Iob trigesimo. «Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi»; et rursus trigesimo primo: «Ab infantia mea crevit mecum miseratio».

Primum.

Oculus pietatis.

58. (Vers. 34.). Et quia vera misericordia apparet in opere, ideo subdit: *Et appropinquans,* per effectum, cui erat proximus per affectum, revocans ad unitatem [4], *alligavit vulnera eius, infundens oleum et vinum,* ut *oleum* leniret dolorem, et *vinum* purgaret, et *alligatio* conservaret. Et hoc opus erat medici boni, secundum illud Ecclesiastici trigesimo octavo [5]: «In his curans mitigabit dolorem, et unguentarius faciet pigmenta suavitatis et unctiones conficiet sanitatis»; Proverbiorum vigesimo primo: «Thesaurus desiderabilis et oleum in habitaculo iusti». — Et quia non solum indigebat medicamento, verum etiam vehiculo et hospitio et cibo; ideo subdit: *Et imponens illum in iumentum suum,* quantum ad vehiculum, *duxit in stabulum,* quantum ad hospitium, *et curam eius egit,* quantum ad cibum. Et sic implevit illud Isaiae quinquagesimo octavo [6]: «Frange esurienti panem tuum et egenos vagosque induc in domum tuam» etc.

Opus pietatis.

59. (Vers. 35.). Secundo quantum ad *misericordiam relevantem mendicitatem* subdit: *Et altera die protulit duos denarios et dedit stabulario.* Parvam pecuniam protulit, quia fortassis parvam habebat, secundum illud Tobiae quarto [7]: «Quomodo potueris, esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si autem exiguum, etiam exiguum libenter impertiri stude». — Et quia, quamvis modica esset pecunia, magna erat subveniendi voluntas; ideo subdit: *Et ait: Curam illius habe, et quodcumque supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi.* Ex quo apparet, quod misericordia eius erat integra, non sicut illorum, de quibus Osee sexto [8] dicitur: «Misericordia vestra sicut nubes matutina et sicut ros mane pertransiens». De isto autem poterat vere dici illud Psalmi: «Tota die miseretur et commodat, et semen illius in benedictione erit», et vere, quia, secundum quod dicitur Proverbiorum decimo nono, «foeneratur Domino qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei».

Secundum.

60. (Vers. 36. 37.). *Quis horum trium videtur* etc. Hic quarto loco subiungitur *doctrina subsequens ex parabola,* et hoc quantum ad duo: primo quantum ad *eruditionem intellectus,* secundo vero quantum ad *exhortationem affectus.*

De doctrina subsequente dicuntur duo.

Primo igitur quantum ad *eruditionem intellectus* dicitur: *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones?* Hoc ab eo quaerit, ut ex ore eius eliciat veram sententiam; quod et fecit. — Unde sequitur: *At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum.* Sed illi duo erant eiusdem gentis, iste alienigena; ergo *proximi* nomen non solum extenditur ad propinquos, verum etiam ad extraneos. Unde Beda [9]: «Iuxta litteram patet, quod alienigena Ierosolymitae, cui misericordiam impendit, proximior fuit quam sacerdos et levita gentis eiusdem». Patet etiam, quod *proximitas* magis attenditur penes naturalem dilectionem et compassionem quam penes carnalem cognationem. Unde Ambrosius [10]: «Cognatio non facit proximum, sed misericordia, quae misericordia secundum naturam est. Nihil enim tam secundum naturam est quam naturae iuvare consortem». Patet etiam ex hoc, quod «nomine *proximi* intelligitur omnis, qui misericordia indiget, vel qui misericordiam impendere potest», et per hoc «omnis homo [11]». Et ita illuminatus est intellectus legisperiti mirabili manuductione. Si

Eruditio intellectus quoad tria.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Notandum.

---

[1] Vers. 7. — Inferius pro *nudo, vulnerato et de populo suo* Vat. *nudo, vulnera, et a proprio suo fratre.*

[2] Vers. 6. — Sequitur Marc. 12, 33.

[3] Codd. A C D *secus viam;* ita etiam B. Albert. Immediate post ex A D addidimus *oculo suae benignitatis ac opere maximae pietatis.* — Subinde allegantur Iob 30, 25. et 31, 18.

[4] Ex A supplevimus *per effectum... ad unitatem;* idem exhibet D, sed incongruo loco, scil. paulo superius post *ideo subdit.*

[5] Vers. 7, post quem Prov. 21, 20.

[6] Vers. 7. — Superius pro *medicamento* C D H *medico.*

[7] Vers. 8. et 9.

[8] Vers. 4. — Duo seqq. loci sunt Ps. 36, 26. et Prov. 19, 17. — Superius post *magna* Vat. addit *tamen.*

[9] Libr. III. in Luc. 10, 36. seq., ubi eadem sententia, licet aliis verbis, profertur; verbotenus invenitur in Glossa *ordinaria* in Luc. 10, 36.

[10] Libr. VII. in Luc. n. 84, ubi pro *quae misericordia* textus originalis *quia misericordia.*

[11] Secundum August., l. de Doctr. christ. c. 30. n. 31. seq.; cfr. supra pag. 269, nota 1.

enim hoc Dominus dixisset absoluta responsione, ille minime credidisset. Ideo Dominus sagacissime ex ore ipsius veritatem extorsit et eum ad veritatem informavit magis per modum interrogandi quam per modum sententiandi. In quo dat formam, qualiter superbis debeat satisfieri.

61. Secundo vero quantum ad *exhortationem affectus* subditur: *Et ait illi Iesus: Vade et tu fac similiter*, ut omni homini misericordiam impendas, si vis esse vere misericors, quia, Ecclesiastici decimo octavo[1], « misericordia Dei super omnem carnem », id est misericordia, quae ex Deo procedit. Dei namque misericordia ad omnes se extendit; unde supra sexto: « Eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos. Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester caelestis misericors est ». — Vera etiam misericordia non est tantum in affectu, verum etiam in *effectu;* ideo dicit: *Et tu fac similiter*. Unde ad Galatas sexto[2]: « Bonum facientes, non deficiamus; tempore enim suo metemus, non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes ». Et in hoc adimpletur lex Dei, quando non solum verbo et animo, verum etiam facto proximus quicumque indigens supportatur, secundum illud ad Galatas sexto[3]: « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi », quae consistit in dilectione proximi; et « qui diligit proximum legem implevit », ad Romanos decimo tertio. — Sic igitur patet secundum sensum *litteralem* doctrina elicita ex parabola.

Exhortatio affectus ad misericordiam impendendam.

Etiam in effectu.

62. Alia etiam potest elici secundum *sensum spiritualem*, ut *persona indigens* ex miseria intelligatur *genus humanum*, quod in Adam peccante *descendit ab Ierusalem in Iericho*, id est a paradiso in mundum, et *incidit in latrones*, id est in potestatem daemonum, qui *spoliaverunt* eum gratuitis et *vulneraverunt* in naturalibus. Et *reliquerunt semivivum*, quia, subtracta *similitudine*, remansit sola *imago;* ut vere possit dici illud Psalmi[4]: « Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus » etc.; et rursus: « Verumtamen in imagine pertransit homo ». Illa tamen *imago* est *exspoliata* propter aversionem et *vulnerata* propter conversionem, secundum illud Ieremiae secundo[5]: « Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquae vivae et foderunt sibi cisternas dissipatas ». Ideo *spoliatur* et *vulneratur*, secundum illud Threnorum ultimo: « Cecidit corona capitis nostri; vae nobis! quia peccavimus. Propterea moestum factum est cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri ».

Alia eruditio secundum sensum spiritualem, primo quoad personam indigentem.

63. *Persona* autem *pertransiens cum duritia* fuit *legalis iustitia*, quae nec misericordiam nec medicinam praestabat. Quod bene signatum est Exodi decimo septimo[6], ubi dicitur, quod « manus Moysi erant graves »; unde in Glossa Bedae: « *Sacerdos* legem Dei annuntiat; descendit quidem Lex in mundum per Moysen et nullam sanitatem contulit homini. Descendit *levita*, qui typum ostendit Prophetarum, sed et hic nullum sanat, quia Lex peccata arguit, sed pertransit, quia indulgentiam non largitur ». Et illud bene designatum fuit quarti Regum quarto[7] in baculo Elisei, quem misit ad suscitandum puerum, « et tamen non fuit vox neque sensus »; unde potius erat baculus castigans quam sanans. Unde dicitur ad Hebraeos decimo: « Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur ».

Secundo, quoad personam transeuntem.

64. *Persona* autem *subveniens ex misericordia* recte intelligitur Christus Dominus, quia *Samaritanus* interpretatur custos[8]; ipse autem est, de quo in Psalmo: « Nisi Dominus custodierit civitatem » etc.; et Isaiae vigesimo primo: « Custos, quid de nocte »? quia « ecce, non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel ». — Hic *venit secus vulneratum*, quia « in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo », ad Philippenses secundo[9]. Venit, inquam, « in similitudinem carnis peccati », sicut dicitur ad Romanos octavo. — Et veniens tria facit homini vulnerato: adhibuit *medicamentum*, et hoc per *gratiam Sacramentorum*, in quibus fiunt illinitiones et inunctiones sanantes vulnera peccatorum,

Tertio, quoad personam subvenientem.

Beneficium primum.

---

[1] Vers. 12. — Subinde allegatur Luc. 6, 35. seq.

[2] Vers. 9. et 10.

[3] Vers. 2, post quem Rom. 13, 8. — Superius pro *quando* (ita G) Vat. cum II *qua* (A C D *quarum?*), et pro *supportatur* Vat. *sublevatur*. Cfr. Du Cange, Glossarium etc.: *Supportare aliquem*, Adiuvare, commodare operam.

[4] Psalm. 48, 21. et dein 38, 7. — De hoc sensu spirituali parabolae cfr. Origen., Homil. 34. in Luc. ab Hieronymo translata; Ambros., VII. in Luc. n. 73; August., II. Qq. Evangelior. q. 19; Beda, III. in Luc. 10, 30. et Glossa *ordinaria* in eundem locum. — Superius post *subtracta similitudine* (quae attenditur in donis gratuitis; cfr. II. Sent. d. 16. a. 2. q. 3. et Breviloq. p. II. c. 12.) Vat. addit *Dei, ad quam creatus est homo.*

[5] Vers. 13. — Sequitur Thren. 5, 16. seq.

[6] Vers. 12. — Glossa subinde allegata est *ordinaria*, in qua pro *homini* textus originalis *huiusmodi*. De ipsa vide Bedam (III. in Luc. 10, 31. seq.), qui sequitur August., II. Qq. Evangelior. q. 19, dicentem: « *Sacerdos* autem et *levita*, qui, eo viso, praeterierunt, sacerdotium et ministerium veteris testamenti significant, quae non poterant prodesse ad salutem ». Fusius haec sententia proponitur III. Hypognostic. (inter opera August.) c. 8, et a Theophylact., in Luc. 10, 31. seq.

[7] Vers. 29: Et ille ait ad Giezi: Accinge lumbos tuos et tolle baculum meum etc.; et v. 31: Posuerat baculum super faciem pueri, et non erat vox etc. — Subinde allegatur Hebr. 10, 28.

[8] Origen., Homil. 34. in Luc. ab Hieronymo translata, ubi de seq. quoque expositione, de qua vide etiam (praeter auctores in praecedentibus notis allegatos) August., Serm. 131. (alias 2. de Verbis Apostoli) c. 6. n. 6; Serm. 171. (alias 37. de Verbis Domini) c. 2. n. 2. seq. et Serm. 366. (alias 9. ex Sirmondianis) n. 2. — Tres seqq. loci sunt Ps. 126, 1; Isai. 21, 11. et Ps. 120, 4. — Superius pro *interpretatur* C D *intelligitur*.

[9] Vers. 7, cui subiungitur Rom. 8, 3.

quod non fiebat ante Salvatoris adventum, secundum illud Isaiae primo[1]: « Vulnus et livor et plaga tumens non est circumligata nec curata medicamine neque fota oleo ». Sed hoc factum est post Christi adventum; unde primae Petri secundo: « Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, in livore eius sanati sumus ». — Adhibuit etiam *vehiculum*, et hoc per *gratiam virtutum et donorum*, per quam vehimur in *stabulum* Ecclesiae, secundum illud Psalmi[2]: « Beatus vir, cuius est auxilium abs te; ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum »; et post: « Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem ». Et hoc quidem fit in *stabulo* Ecclesiae; unde subditur: « Elegi abiectus esse in domo Dei » etc.; et post: « Quia misericordiam et veritatem diligit Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus ». — Adhibuit *nutrimentum*, quod fit per *doctrinam duorum testamentorum*, quae intelligitur in prolatione *duorum denariorum*, quos *dedit stabulario*, id est praelato, cuius est doctrinam Christi ministrare et explanando *supererogare;* unde Ecclesiastici quadragesimo quinto[3]: « Dedit Moysi Dominus cor ad praecepta et legem vitae et disciplinae, docere Iacob testamentum suum et iudicia sua Israel ». Iis Dominus *reddet*, cum redierit in die iudicii, *omnia supererogata;* quoniam, secundum quod dicitur Danielis duodecimo, « qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates »; Matthaei vigesimo quinto: « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam » etc.

Secundum.

Tertium.

**Ad informationem discipulorum subiungitur humanum exemplum dupliciter propositum.**

65. *Factum est autem, dum irent* etc. Postquam tradidit formam vivendi per divinum praeceptum, hic secundo tradit per *humanum exemplum.* Unde Glossa Bedae[4]: « Habito sermone de dilectione Dei et proximi, supponit exemplum utriusque ». Introducitur enim hic ad litteram *exemplum perfectionis*, exemplum vitae activae et contemplativae, et *comparationis utriusque.* Unde haec pars habet duas partes: in quarum prima praemittitur *comparatio rationalis;* in secunda vero subditur *definitio iudicialis*, ibi[5]: *Et respondens dixit illi Dominus.*

Divisio.

Circa *rationalem* autem *comparationem* quatuor introducuntur: primum est *consortium divinae praesentiae*, secundum est *otium contemplativae*, tertium est *exercitium operativae*, quartum est *litigium inter utrumque.*

Quoad comparationem rationalem tanguntur quatuor.

66. (Vers. 38.). Primo igitur quantum ad *consortium divinae praesentiae* dicitur: *Factum est autem, dum irent, et ipse intravit in quoddam castellum*, sive propter *regnum Dei evangelizandum*, secundum quod dicitur supra octavo[6]: « Ipse iter faciebat per civitates et castella, praedicans et evangelizans regnum Dei »; sive propter *hospitium quaerendum*, secundum quod dicitur supra nono, quod cum Samaritani nollent eum et discipulos hospitio recipere, quod « abierunt in aliud castellum ». De hoc castello dicitur expressius Ioannis undecimo[7]: « Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariae et Marthae, sororum eius ». In hoc, inquam, castello invenit hospitium. — Propter quod subditur: *Et mulier quaedam, Martha nomine, excepit*[8] *illum in domum suam*, tanquam scilicet pauperem et egenum. Unde talibus dicet illud in iudicio Matthaei vigesimo quinto: « Hospes eram, et collegistis me », similibus scilicet Marthae, qualis erat Iob, de quo trigesimo primo: « Foris non mansit peregrinus, et ostium meum viatori patuit ». Et in illo hospitio praesens erat *corporaliter*, sicut activis et contemplativis praesens est *spiritualiter*, secundum illud Apocalypsis tertio[9]: « Ego sto ad ostium et pulso; si quis aperuerit mihi, introibo ad illum et coenabo cum illo »; quia Proverbiorum octavo dicitur: « Deliciae meae esse cum filiis hominum »; et e converso, unde Sapientiae octavo: « Intrans in domum meam, conquiescam cum illa; non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius ».

Primum.

67. (Vers. 39.). Secundo vero quantum ad *otium contemplativae* subdit: *Et huic erat soror, nomine Maria*, quae scilicet erat in otio contemplationis perfecta; unde subditur: *Quae etiam, sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Hoc quidem erat istius mulieris otium: *Domino intendere, vacare, sedere* et *tacere.* Unde dicitur Ioannis undecimo[10], quod « Maria domi *sedebat* », et hoc *secus pedes eius;* quia, Deuteronomii trigesimo tertio, « qui

Secundum.

Quatuor in otio contemplativae.

---

[1] Vers. 6. — Subinde allegatur I. Petr. 2, 24. — Superius pro *illinitiones* codd. *alligationes.*

[2] Psalm. 83, 6-8. et dein v. 11. et 12.

[3] Vers. 6. — Duo seqq. loci sunt Dan. 12, 3. et Matth. 25, 21.

[4] Scilicet *ordinaria* in Luc. 10, 38. Pro *supponit* Vat. cum textu originali *supponitur.* — De praecedente propositione cfr. supra n. 43.

[5] Vers. 41. — De seqq. cfr. August., Serm. 103. et 104. (alias 26. et 27. de Verbis Domini).

[6] Vers. 1. — Sequuntur Luc. 9, 53. (Et non receperunt eum) et 56: Et abierunt etc.

[7] Vers. 1, ubi Vulgata *sororis* (τῆς ἀδελφῆς) pro *sororum*, quod habent etiam Card. Hugo, B. Albert. et Lyranus.

[8] Plures codd., ut A C H (D primitus), *accepit.* — Duo seqq. loci sunt Matth. 25, 35. et Iob 31, 32, ubi pro *ostium* A C D *hospitium.* — Inferius pro *similibus scilicet Marthae, qualis erat Iob* Vat. *Similis quoque Marthae erat Iob.*

[9] Vers. 20, post quem Prov. 8, 31. et Sap. 8, 16. — Glossa *ordinaria* (ex August., Serm. 104. alias 27. de Verbis Domini, c. 3. n. 4.) in Luc. 10, 38: Intrante Iesu in domum, vita iniqua, etsi aliquando fuerat, aufugit; remanent duae vitae innocentes, laboriosa et otiosa, inter eas medius est ipse fons vitae.

[10] Vers. 20. Vat. allegat v. 32. (paulo inferius cit.), ubi dicitur, quod Maria « cecidit ad pedes eius ». — Sequitur Deut. 33, 3. — Superius pro *perfecta* Vat. *perfectae.*

appropinquant pedibus eius accipient de doctrina illius ». Per *sessionem secus pedes eius* intelligitur humilitas, quae debet esse in viris contemplativis ad hoc, quod abundent fructibus devotionis, secundum illud Psalmi[1]: « Qui emittis fontes in convallibus » etc. Qui autem sic sedet sicut humilis irrigatur fletibus compunctionis, secundum illud Ieremiae decimo quinto[2]: « Solus sedebam, quoniam amaritudine replesti me »; et illud est officium animae contemplativae, vacare scilicet lacrymis compunctionis et devotionis. Unde haec Maria, exemplum contemplationis, semper quasi describitur plorans, supra scilicet septimo[3], ubi dicitur, quod « stans retro secus pedes Domini, lacrymis coepit rigare pedes eius » etc.; et Ioannis undecimo, ubi dicitur, quod « Maria, cum venisset, ubi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius. Iesus ergo, cum vidisset eam plorantem, infremuit spiritu »; et Ioannis vigesimo: « Maria stabat ad monumentum foris, plorans ». Et primae sunt lacrymae *compunctionis;* secundae, *compassionis;* tertiae, *devotionis*, quas debent habere contemplativi, sedendo secus pedes Domini[4]. Notandum.

68. (Vers. 40.). Tertio quantum ad *exercitium operativae* subditur: *Martha autem satagebat circa frequens ministerium;* et hoc tanquam bona activa, declinans otium, secundum consilium Sapientis, Ecclesiastae nono[5]: « Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus nec ratio nec sapientia nec scientia erit apud inferos, quo tu properas ». Hoc semper faciebat Martha; unde dicitur Ioannis duodecimo[6], quod « Iesus venit in Bethaniam; fecerunt autem ibi coenam ei, et Martha ministrabat ». — Et nota, quod dicit, quod *satagebat*, id est, satis agebat, *circa frequens ministerium*, ut ostendat, simul in eius opere fuisse perfectionem et modum debitum, secundum beati Petri consilium, secundae Petri primo[7]: « Fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis ». Opus enim ministerii est illud quod maxime Domino placet, et in quo maxime quis imitatur Christum, sicut dicitur infra vigesimo secundo[8]: « Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat »; et iterum Matthaei vigesimo: « Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare ». Unde tale ministerium est placens et honorabile apud Deum et remuneratione dignum, secundum illud Ioannis duodecimo: « Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus » etc. Tertium. Notandum.

69. Quarto quantum ad *litigium inter utrumque*[9] subiungit: *Quae stetit et ait: Domine, non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solam ministrare?* ubi Martha laboriosa conqueritur de Maria otiosa, quasi non possit sola pondus laboris portare, secundum quod conquestus est Moyses Domino Numerorum undecimo[10]: « Non possum solus sustinere omnem populum hunc, quia gravis est mihi ». Sic etiam Martha propter oneris gravitatem quaerebat auxilium Mariae, sciens, pertinere ad legem Christi illud ad Galatas sexto: « Alter alterius onera portate ». Ideo secure requirebat Christi iudicium, ut sororis impetraret auxilium. — Propter quod addit: *Dic ergo illi, ut me adiuvet*, ut faciat secundum consilium Apostoli ad Galatas quinto[11]: « Per caritatem Spiritus servite invicem »; et ad Ephesios quarto: « Supportantes invicem in caritate ». — In hac contentione tacet Maria; et rationem huius reddit Gregorius[12]: « Maria non respondet, sed causam suam tanquam otiosa iudici committit. Si enim pararet respondendi sermonem, remitteret audiendi intentionem ». Contemplativorum namque non est contendere, sed potius tacere et audire et meditari, secundum illud Threnorum tertio[13]: « Sedebit solitarius et tacebit »; unde Iob quarto: « Porro ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepi venas susurri eius ». Nihil autem perdit Maria tacendo, quia Dominus causam eius assumit defendendo. Unde Bernardus[14]: « Ubique Dominus pro Maria respondet, sive cum improbatur a Pharisaeo, supra septimo, sive cum arguitur a sorore, ut hic, sive cum a discipulis, sicut dicitur Matthaei vigesimo sexto ». Quartum. Maria tacet.

70. Conqueritur autem Martha aliquando, aliis *suum officium praeponendo*, et tunc est reprehensibile. Varius modus conquerendi.

---

[1] Psalm. 103, 10. Pro *emittis* codd. et Vat. *emittit.*

[2] Vers. 17. — August., Serm. 104. (alias 27. de Verbis Domini) c. 2. n. 3: Sedebat ad pedes capitis nostri. Quanto humilius sedebat, tanto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis. — Inferius pro *animae contemplativae* Vat. *verae contemplativae.*

[3] Vers. 38. — Subinde allegantur Ioan. 11, 32. seq. et 20, 11.

[4] Cfr. supra c. 7. n. 70.

[5] Vers. 10. Plures codd. omittunt *facere* et *nec scientia.*

[6] Vers. 1. et 2.

[7] Vers. 10. — De etymologia verbi *satagebat* cfr. Forcellini, Lexicon etc., ubi plura afferuntur, ex quibus patet, *satagere* idem esse ac *satis agere.*

[8] Vers. 27, post quem Matth. 20, 28. et Ioan. 12, 26.

[9] Scilicet otium contemplativae et exercitium operativae; cfr. supra n. 65. in fine. — Vat. cum nonnullis codd. *utramque.*

[10] Vers. 14. — Subinde allegatur Gal. 6, 2, post quem locum pro *Ideo secure* A C D H *Ideo serviens*, et pro *ut sororis* (H omittit *sororis*) C D *ut fortius.*

[11] Vers. 13, cui subiungitur Eph. 4, 2. — Superius pro *ut faciat*, quod H omittit, G *cum non faciat*, Vat. *quia non faciebat.*

[12] Ita Glossa *ordinaria* in Luc. 10, 41, quae sumta est ex August., Serm. 103. (alias 26. de Verbis Domini) c. 2. n. 3.

[13] Vers. 28. et dein Iob 4, 12, ubi pro *suscepi* Vulgata et Vat. *suscepit auris mea.*

[14] Serm. 3. in Assumt. B. Mariae Virg. n. 2: « Vide praerogativam Mariae, quem in omni causa habeat advocatum. Indignatur siquidem Pharisaeus [Luc. 7, 39. seq.], conqueritur soror [Luc. 10, 40. seq.], etiam discipuli murmurant [Matth. 26, 8. seqq.]; ubique Maria tacet, et pro ea loquitur Christus ». Pro *improbatur* (ita A C D) H *reprobatur*, Vat. *improperatur*, quae etiam post *discipulis* addit *increpatur.*

Unde Glossa[1]: « Ex illorum persona loquitur Martha, qui, adhuc divinae contemplationis ignari, solum, quod didicere, fraternae dilectionis opus Deo placere dicunt, ideoque cunctos, qui Christo devoti esse volunt, huic operi mancipandos autumant ». — Aliquando conqueritur, *otium Mariae praeoptando.* Unde Bernardus[2]: « Putas, in domo, in qua Christus suscipitur, vox murmuris audiatur »? Et addit: « Felix domus et congregatio beata, in qua de Maria Martha conqueritur ». Et ratio huius est, quia *contemplativa* per se est eligenda sine querimonia, Martha vero, id est *activa,* necessitate sustinenda. Unde Iacob elegit Rachel, sed secundum quod necesse fuit, prius suscepit Liam, sicut dicitur Genesis vigesimo nono[3]. — Notandum. Licet ergo, conqueri Martham, *ut sit sicut* Maria, quia humilitatis est; si autem conqueritur de hoc, quod *non adiuvatur,* hoc est infirmitatis; si vero conqueritur de hoc, quod aliquando Maria invare velit, et *ipsa nolit,* hoc est impietatis, quia talis conquestio legem impedit caritatis[4].

71. (Vers. 41.). *Et respondens dixit illi Dominus.* Quoad definitionem iudicialem tanguntur quatuor. Post comparationem rationalem subiungit Evangelista *definitionem iudicialem;* circa quam introducuntur quatuor, scilicet *humiliatio vitae activae, commendatio contemplativae, promulgatio sententiae* et *assignatio causae.*

Primo ergo quantum ad *humiliationem vitae activae* dicit: Primum. *Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima.* Ideo nomen *Marthae* ingeminat, ut eam excitet ad considerandum defectum proprium, et hoc cum divini verbi attentione; sicut de Moyse dicitur Exodi tertio[5], quod « cernens Dominus, quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi et ait: Moyses, Moyses ».; et Dominus, volens excitare peccatores ad attentionem, iterat vocationem Ieremiae vigesimo secundo: « Terra, terra, audi sermonem Domini ». Et sic nunc excitat Martham, ostendens, in ea esse triplicem defectum, scilicet *sollicitudinis* in cogitatu, *turbationis* in affectu et *divisionis* in actu. Triplex in Martha defectus. Et ista omnia impediunt nos, ne totaliter tendamus in Deum. — Unde nimia *sollicitudo* est vitanda, secundum illud ad Philippenses ultimo[6]: Vitanda nimia sollicitudo. « Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione petitiones vestrae innotescant apud Deum »; et primae Petri ultimo: « Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis ». — Vitanda est etiam *turbatio;* unde Ioannis decimo quarto[7]: Item, turbatio. « Non turbetur cor vestrum neque formidet. Creditis in Deum, et in me credite ». Unde et de Christo Isaiae quadragesimo secundo: « Non erit tristis neque turbulentus ». Oculus enim turbatus non est ad videndum idoneus. — Vitanda est etiam *divisio;* Item, divisio. unde Ecclesiastici undecimo[8]: « Fili, ne in multis sint actus tui ». — Et haec incommoda habet vita activa, non contemplativa; unde primae ad Corinthios septimo: « Qui cum uxore est sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu; quae autem nupta est cogitat quae sunt mundi ». — Sic ergo humiliata est actionis[9] importunitas per ostensionem sui incommodi ac defectus.

72. (Vers. 42.). Secundo vero quantum ad *contemplativae commendationem* subdit: Secundum. *Porro unum est necessarium;* hoc scilicet est regnum Dei, quo habito, nihil deest; unde Matthaei sexto[10]: « Quaerite primum regnum Dei, et haec omnia adiicientur vobis »; et in Psalmo: « Unam petii a Domino, hanc requiram »; ista tamen est vita beata, quae est in Dei adhaerentia, cui vacat contemplativa; in cuius persona dicitur in Psalmo[11]: « Mihi autem adhaerere Deo bonum est ». Et hoc est illud unum, quod est necessarium; quia « qui adhaeret Domino unus spiritus est », sicut dicitur primae ad Corinthios sexto. Hoc unum qui habet habet omne bonum; unde in figura huius dicitur Tobiae decimo[12]: « Omnia in te uno simul habentes, te non debuimus dimittere ire a nobis »; et Sapientiae septimo: « Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa » etc. Et ideo dixit Dominus Moysi in persona viri contemplativi Exodi trigesimo tertio: « Ego ostendam tibi omne bonum ».

---

[1] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 10, 40; textus originalis pro *placere* substituit *placitum* (ita etiam Vat., G et H), *velint* pro *volunt* (ita et H) et omittit *operi.* — Superius pro *et tunc* Vat. *et hoc.*

[2] Loc. cit., ubi pro *murmuris audiatur* textus originalis *murmurationis audietur*, et pro *suscipitur* C D G H *ingreditur.* Ibidem habetur etiam seq. sententia. — Inferius pro *necessitate sustinenda* (ita C D) alii codd. *propter necessitatem sustinenda* (Vat. *suscipienda).*

[3] Vers. 17. seqq. Cfr. Gregor., VI. Moral. c. 37. n. 61. et II. Homil. in Ezech. homil. 2. n. 9. seqq.

[4] Bernard., loc. cit.: Nam Mariae Martham aemulari prorsus indignum, prorsus illicitum est. Alioquin ubi legis Mariam causantem: Quia soror mea reliquit me solam vacare? Absit, absit, ut qui Deo vacat ad tumultuosam aspiret fratrum officialium vitam! Martha semper insufficiens sibi et minus idonea videatur, aliisque magis id operis, quod administrat, optet imponi. Cfr. ibid. n. 3 — Superius pro *aliquando* Vat. *illam.*

[5] Vers. 4, cui subiungitur Ier. 22, 29. — Glossa *ordinaria* (ex August., Serm. 103. alias 26. de Verbis Domini, c. 2. n. 3.): *Martha, Martha,* repetitio nominis indicium est dilectionis, aut forte movendae intentionis, ut audiret attentius. — Inferius pro *turbationis* Vat. *tribulationis.*

[6] Vers. 6. — Sequitur I. Petr. 5, 7.

[7] Vers. 1, post quem Isai. 42, 4, ubi pro *turbulentus* A C D *turbatus.*

[8] Vers. 10. — Subinde allegatur I. Cor. 7, 33. seq. Pro *ut sit sancta* C D G H *quomodo sit sancta.*

[9] Codd. C D H *questionis.*

[10] Vers. 33, cui subnectitur Ps. 26, 4.

[11] Psalm. 72, 28. — Sequitur I. Cor. 6, 17. — Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Porro unum est necessarium,* Deo iugiter inhaerere. — Superius pro *ista tamen* (ita C D G), H *ista ergo*, Vat. *ista tantum.*

[12] Vers. 5. — Duo seqq. loci sunt Sap. 7, 11. et Exod. 33, 19.

73. Tertio vero quantum ad *promulgationem* Tertium. *sententiae* subditur: *Maria optimam partem elegit*; quia scilicet praeelegit unum. « Praeponitur autem *unum* multis », sicut dicit Augustinus [1], quia « non *unum* a multis, sed *multa* ab uno. Multa sunt, quae facta sunt; unus, qui fecit; bona valde quae fecit, quanto melior ille qui fecit »; immo simpliciter optimus. Et haec pars animae contemplativae; unde Threnorum tertio [2]: « Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea exspectabo eum. Bonus Dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum »; et in Psalmo: « Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde »! *Valde*, inquam, *bonus* et optimus; ideo dicit anima contemplativa in Psalmo [3]: « Clamavi ad te, Domine, dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium », scilicet cum Maria; quam scilicet iam contemplativi elegerunt, ipsam contemplando et desiderando. Unde in persona contemplativi Deuteronomii tertio [4] dicitur: « Transibo et videbo terram hanc optimam et montem istum egregium et Libanum ». Et propter istius amorem nihil voluit possidere in terra nisi solam inopiam, secundum illud Psalmi: « Quoniam melior est dies una in atriis tuis super millia. Elegi abiectus esse in domo Dei mei »; quia, sicut dicitur Matthaei decimo tertio, « simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit » etc.

74. Quarto quantum ad *assignationem causae* Quartum. subdit: *Quae non auferetur ab ea*. Glossa [5]: « Non reprehenditur pars Marthae, quia et ipsa bona, sed laudatur pars Mariae, quae quare sit optima, subinfertur: *Quae non auferetur ab ea* ». « Ex opposito intellige, quod a Martha auferetur pars, quam elegit, quia transit labor multitudinis, et remanet Notandum. caritas unitatis [6] ». Et haec est causa, quare pars Mariae simpliciter melior et eligibilior, quia contemplativa hic incipit et in futuro finitur. Quod designatur in figura Ioannis, secundum quod dicitur Ioannis ultimo [7]: « Sic eum volo manere », quasi inchoata contemplatio maneat, « donec veniam », perficienda, cum venero. Et quia manentior, ideo melior, sicut Apostolus de caritate dicit primae ad Corinthios decimo tertio [8]: « Caritas nunquam excidit »; et ex hoc concludit, quod maior est caritas. Sic et de vita contemplativa; unde Beda in Glossa: « Qui hic ardere inchoat, cum ipsum quem amat, viderit, in amore amplius ignescit »; Isaiae trigesimo primo [9]: « Cuius ignis est in Sion et caminus eius in Ierusalem ». Unde quantum est de se, est praeeligenda, secundum illud secundae ad Corinthios quarto: « Non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur temporalia sunt, quae autem non videntur aeterna sunt ».

75. Propter hoc simpliciter vita *contemplativa* Iudicium de utraque vita. magis est desideranda tanquam ea quae melior et de se praeeligenda, tum quia securior [10], tum quia suavior, tum quia stabilior; non tamen despicienda *activa*, sed pro loco et tempore ad tempus praeeligenda, tum quia anterior, tum quia poenalior, tum quia fecundior; valet enim sibi et aliis. — Et hoc bene Figura. designatum est in duabus uxoribus Iacob, Rachel scilicet et Lia, quarum una designat vitam activam, altera contemplativam [11]. Unde sponsus compellit sponsam aliquando ad actionem egredi, secundum quod dicitur Canticorum secundo: « Sonet vox tua in auribus meis » etc. Unde si de *melioritate* fiat quaestio Quaestio de melioritate. *simpliciter* contemplativa est melior, secundum quod dicit Gregorius Moralium libro sexto [12]: « Magna sunt activae merita, sed contemplativae potiora ». *Maria* enim *optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea*. — Si autem fiat quaestio de *eligibilitate*, ali- Item, de eligibilitate. quando *praeeligenda est activa*, scilicet viro imperfecto, qui prius debet se exercere in actionis campo, vel cum quis obligatur ad activae opera ex praecepto sive ex officio; et ideo aliquando accidit dubium in praeelectione, secundum illud ad Philippenses primo [13]: « Mihi vivere Christus est et mori lucrum. Quodsi vivere in carne, hic mihi fructus operis est, et quid eligam, ignoro. Coarctor autem e duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo magis melius est; permanere in carne necessarium est propter vos ». — Ideo viros spirituales Conclusio.

---

[1] Serm. 104. (alias 27. de Verbis Domini) c. 2. n. 3. Post *unus, qui fecit* textus originalis plura addit. Respicitur Gen. 1, 31: Viditque Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona.

[2] Vers. 24. et 25, quibus subiungitur Ps. 72, 1.

[3] Psalm. 141, 6, post quem Vat. prosequitur *quam utique portionem cum Maria iam contemplativi* etc.

[4] Vers. 25. — Duo seqq. loci sunt Ps. 83, 11. et Matth. 13, 44.

[5] Scilicet *ordinaria* ex Beda, qui sequitur Ambros., VII. in Luc. n. 86, et Gregor., II. Homil. in Ezech. homil. 2. n. 9.

[6] Cod. H addit *ut dicit Glossa*, nempe *ordinaria* apud Lyranum, secundum August., Serm. 104. (alias 27. de Verbis Domini) c. 2. n. 3. — Beda, III. in Luc. 10, 42. (ex Gregor., loc. in praecedenti nota cit.): Cum praesenti ergo saeculo vita aufertur activa; contemplativa autem hic incipitur, ut in caelesti patria perficiatur.

[7] Vers. 22. — Superius pro *finitur*, id est *completur* [cfr. I. Sent. d. 43. a. 1. q. 2. passim], quod habent A C D G Vat. *permanet*, H *perficitur*.

[8] Vers. 8. — Glossa Bedae (III. in Luc. 10, 42.) est *ordinaria* apud Lyranum; idem dicit Gregor., II. Homil. in Ezech. homil. 2. n. 9.

[9] Vers. 9. — Sequitur II. Cor. 4, 18.

[10] Nonnulli codd., ut A C, hoc membrum omittunt; cfr. Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 3. n. 13: Quia itaque contemplativa vita ad superiora evolat et activae vitae longe superest quadam, ut ita dicam, dignitate securitatis suae, apte nunc dicitur: *Et manus hominis sub pennis eorum* [Ezech. 1, 8.].

[11] Respicitur Gen. 29, 18. seqq. — Subinde allegatur Cant. 2, 14. — Cfr. Gregor., VI. Moral. c. 37. n. 56-61. et I. Homil. in Ezech. homil. 3. n. 9. seqq. et II. homil. 2. n. 10. seqq., ubi et tanguntur ea quae superius dicta sunt et paulo inferius dicentur de vita activa et contemplativa.

[12] Cap. 37. n. 61. — Superius pro *melioritate* Vat. *praeeminentia*, et inferius *electione* pro *eligibilitate*.

[13] Vers. 21. et 22. Pro *hic* C D *hoc* [τοῦτο].

aliquando oportet egredi, aliquando ingredi, aliquando ascendere, aliquando descendere, sicut vidit Iacob, Genesis vigesimo octavo [1].

Applicatio ad B. V. Mariam. Ratio prima.

76. Istud autem Evangelium consuevit legi in Assumtione Virginis, sive [2] quia finis eius Mariae optime congruit, cum dicitur: *Optimam partem elegit sibi Maria, quae non auferetur ab ea.* Quamvis enim hoc ad litteram dictum fuerit de Maria Magdalene, verius tamen est de beata Virgine Maria. Unde Bernardus [3]: « *Optimam partem elegit sibi Maria. Optimam* plane; bona fecunditas coniugalis, melior autem castitas virginalis, prorsus autem optima est fecunditas virginea, seu fecunda virginitas; Mariae privilegium est, non dabitur alteri, quia *non auferetur ab ea* ». — Sive etiam, quia in hoc Evangelio describitur in duabus sororibus perfectio activae et contemplativae, quarum utraque fuit in Virgine perfectissime. Quod enim datum fuit istis duabus sororibus per partes, Mariae totum datum fuit et integre. Unde Hieronymus [4]: « Ceteris datum est per partes, Mariae autem se totam simul infudit plenitudo gratiae ». — Sive, quia hic agitur de duplici Christi susceptione: *corporali* et *spirituali: corporali* a Martha in hospitio domus exterioris; *spirituali* a Maria in hospitio domus interioris. Et haec duplex susceptio [5] perfectissime fuit in Maria, quae ipsum suscepit in *thalamo corporis,* aluit et nutrivit et educavit et sedulo ministravit; suscepit etiam in *thalamo cordis,* ipsum videndo, credendo, amando, imitando. Et ex *utroque* horum beata fuit; unde infra undecimo [6]: « Beatus venter, qui te portavit »; « Beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud ». Unde Augustinus [7]: « Beatior fuit Maria percipiendo fidem Christi quam concipiendo carnem Christi. Materna namque propinquitas nihil Mariae profuisset, nisi felicius ipsum mente quam carne gestasset ».

Secunda. Tertia.

Quarta.

77. Sive etiam, quia hic tria determinantur, scilicet divinum *hospitium,* divinum *ministerium,* divinum *contubernium;* quae tria fuerunt perfectissime in Virgine Maria: *hospitium* in castello, *ministerium* in Martha et *contubernium* in Maria.

Maria fuit castellum turribus munitum.

Recte Virgo Maria in suscipiendo Christum fuit *castellum turribus virtutum munitum* et elevatum; cuius prima turris fuit *fortitudo districtionis,* de qua Canticorum quarto [8]: « Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea », quia Virgo Maria nullo vitio potuit superari. — Secunda turris *rectitudo discretionis,* de qua Canticorum septimo: « Nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit contra Damascum »; ubi intelligitur discretio boni a malo. — Tertia turris fuit *multitudo devotionis,* de qua Canticorum ultimo: « Ego murus, et ubera mea sicut turris », propter dulcedinem devotionis, in qua excellebat. Unde istae tres turres aedificatae fuerunt a Spiritu sancto per gratiam super tres potentias animae: prima super *irascibilem,* secunda super *rationalem* et tertia super *concupiscibilem.* — Et ex his Virgo fuit castrum idoneum ad suscipiendum Filium Patris dilectum, qui erat virtus et sapientia Patris [9], quia Virgo *fortissima, prudentissima* et *devotissima.*

Turris prima. Secunda. Tertia.

Item, in ministrando fuit Martha.

78. Recte etiam in *ministrando* fuit *Martha,* quae Domino ministravit *fideliter* et *humiliter* et *viriliter.* Sic et Maria, cum esset Mater, fecit se ancillam et ministram, secundum illud supra primo [10]: « Ecce, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum ». Unde designata fuit per illam bonam mulierem Abigail, quae, cum a David peteretur in coniugium, obtulit se ad ministerium; primi Regum vigesimo quinto [11]: « Ecce, famula tua sit ancilla, ut lavet pedes servorum tuorum ». Talis fuit Virgo Maria prae nimia humilitate; unde de se ipsa dicebat: « Respexit humilitatem ancillae suae ». Et hoc est quod dicit Augustinus [12]: « Mariam operis exhibitione et fidei rigidissima veritate ministram Christi fuisse, omnis, qui sane sapit, intelligit. Absque dubio enim ministratrix ei exstitit, quae hunc in utero gessit partuque profusum aluit et fovit, atque, ut Evangelium ait, *in praesepio reclinavit* et a facie Herodis fugiens in Aegyptum accessit et omnem infantiam eius pio matris affectu est prosecuta ».

Item, in cohabitando fuit Maria.

79. Recte etiam in *cohabitando* sive in *contemplando* fuit *Maria.* Nam ipsa, sicut altera Maria, iuxta Christum stabat, secundum illud Ioannis decimo nono [13]: « Stabant iuxta crucem Iesu Mater eius et soror Matris eius, Maria Cleophae, et Maria Magdalene ». Ipsa namque Virgo fuit, quae *maxime ei*

---

[1] Vers. 12. — Ioan. 10, 9: Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur et *ingredietur* et *egredietur* et pascua inveniet. Cfr. Gregor., Regul. pastoral. p. II. c. 5; Bernard., Serm. 51. in Cant. n. 2. et Serm. 57. n. 9. seqq.

[2] Pro *sive* B substituit *propter quatuor. Primo.*

[3] Serm. 4. in Assumt. B. Mariae Virg. n. 5. Post *Optimam plane* textus originalis addit *quia,* II vero post *bona* addit *equidem.*

[4] Epist. 9. ad Paulam et Eustochium, de Assumtione B. Mariae Virg. (inter opera Hieron.) c. 5, ubi pro *datum est* et pro *se totam* II cum textu originali *praestatur* et *se tota.*

[5] Cod. G omittit *susceptio,* A C D legunt *Et hoc dupliciter.*

[6] Vers. 27. et 28.

[7] Libr. de Sancta Virginitate, c. 3. n. 3. Post *carnem Christi* textus originalis plura addit.

[8] Vers. 4. — Duo seqq. loci habentur Cant. 7, 4. et 8, 10.

[9] Cfr. I. Cor. 1, 24. supra pag. 96, nota 4. allegatus.

[10] Vers. 38. — Superius voci *Mater* Vat. praefigit *Dei.*

[11] Vers. 41. — Sequitur Luc. 1, 48.

[12] Libr. de Assumtione B. Mariae Virg. (inter opera August.) c. 7, ubi textus originalis pro *sane* substituit *sanum* et *opere ministratrix* pro *ministratrix ei* (A C D G *quod ei ministratrix);* circa finem ipse ponit *abscondit* pro *accessit* et omittit *pio.* Allegatur Luc. 2, 7. et respicitur Matth. 2, 13. seqq. (de fuga in Aegyptum).

[13] Vers. 25. — Superius pro *in cohabitando* Vat. *in cohaerendo,* et ponit *iuxta crucem stabat* pro *iuxta Christum stabat.*

*appropinquavit*, ideo maxime verba eius suscepit et aliis reservavit. Nam supra secundo [1] dicitur: « Maria conservabat omnia verba haec ». Unde recte designata fuit per *arcam foederis Domini*, de qua ad Hebraeos nono: « In qua erat urna aurea habens manna », per multam *devotionem caritatis;* « et virga Aaron », per multam *rectitudinem virtutis;* « et tabulae testimonii », per multam *cognitionem contemplationis veritatis.* — Et ipsa etiam fuit maxime contemplativa. Unde Bernardus [2]: « Beata Maria profundissimam divinae sapientiae, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum, ut quantum sine personali unione creaturae conditio patitur, illi luci inaccessibili videatur immersa ». Et Beda [3]: « Quid de Deo non sapiebat, in qua sapientia Dei latebat et cuius uteri corpus sibi aptabat »?

Figura.

80. Et sic patet, quomodo istud Evangelium non per humanam inventionem, sed per divinam inspirationem [4] fuit Assumtioni Virginis appropriatum, quia Spiritus sanctus clausit in eo Virginis commendationem quoad multitudinem praerogativarum; ad quarum conservationem subiungit in fine: *Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea.* Elegit enim optimam partem Maria et in gratia et in gloria; in qua clauditur Virginis laus perfecta et propria; sicut enim dicit Hieronymus [5]: « Sicut comparatione Dei nemo bonus, sic comparatione Matris Domini nulla invenitur perfecta, quantumcumque virtutibus eximia comprobetur ». Ideo inter mulieres ipsa sola est *optima* per omnimodam superabundantiam, ratione cuius [6] « nec primam similem visa est nec habere sequentem ».

Notandum.

## Capitulum XI.

**Tertia pars agit de forma orandi tripliciter.**

1. *Et factum est, cum esset in quodam loco* etc. Postquam tradidit discipulis formam docendi et formam vivendi, in hac parte tribuit *formam orandi* [7], per quam impetratur gratia cognoscendi et recte vivendi. Habet autem haec pars partes tres; in quarum prima praemittitur orationis *exemplum*; in secunda vero additur *documentum*, ibi [8]: *Et ait illis: Cum oratis* etc.; in tertia subiungitur orationis *incitamentum*, ibi: *Et ait ad illos: Quis vestrum* etc.

Divisio.

Circa *orationis exemplum* duo introducuntur: primum est *sollicitudo Domini ad orandum*, secundum est *promptitudo* [9] *discipulorum ad imitandum.*

De orationis exemplo tanguntur duo.

2. (Vers. 1.). Primo igitur quantum ad *sollicitudinem Domini in orando* dicitur: *Et factum est, dum* [10] *esset in quodam loco orans; quodam*, id est solitario et secreto, quia talia loca sunt orationi apta, secundum illud Matthaei sexto: « Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito ». Orat autem Dominus in *argumentum verae humanitatis*, iuxta quod dicitur infra vigesimo secundo [11]: « Factus in agonia, prolixius orabat ». In *adiumentum nostrae infirmitatis*, secundum illud ad Hebraeos quinto: « Exauditus est in omnibus pro sua reverentia »; et ad Romanos octavo: « Quid oremus, secundum quod oportet, nescimus; sed ipse Spiritus », scilicet Domini Iesu, « adiuvat infirmitatem nostram ». In *exemplum perfectae virtutis;* unde dicitur Matthaei vigesimo sexto [12]: Postquam oravit, ipsis discipulis ait: « Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem ». Ob hanc etiam causam orationi *frequenter* instabat, ut doceret, semper orandum, secundum illud primae ad Thessalonicenses quinto [13]: « Sine intermissione orate ». Et *prolixe* etiam orabat, sicut dicitur supra sexto: « Factum est »; « et ipse erat pernoctans in oratione ». Et ideo fortasse tangitur hic *locus quidam*, ut ostendatur, quod orantibus

Primum.

Rationes tres, cur Christus oret.

---

[1] Vers. 19. — Subinde allegatur Hebr. 9, 4.

[2] Serm. in Dominica infra Octavam Assumt. B. V. Mariae, n. 3. Respicitur I. Tim. 6, 16: Lucem inhabitat inaccessibilem. — Superius pro *Et ipsa etiam fuit maxime* [C D *maxima*] Vat. cum H *Ipsa enim fuit maxime* [H *maxima*].

[3] Card. Hugo (hoc loco in Luc.) allegat *Gregorium;* habetur tamen in Anselm., Homil. 9. in Luc. 10, 38. seqq., quae invenitur etiam in Homiliario (Hom. 48. de Sanctis) Pauli Diaconi (Migne, Patrolog. Lat. tom. 95. c. 1505 seqq.), qui tempore Caroli Magni vixit. Quomodo haec homilia, si est Anselmi, in hoc Homiliario locum invenit? Vel e converso, si est Pauli Diaconi, non est Anselmi.

[4] Codd. A C D H omittunt *inspirationem.*

[5] Epist. 9. ad Paulam et Eustochium, de Assumtione B. Mariae Virg. (inter opera Hieron.) c. 16: *Sicut in comparatione Dei... ita et in comparatione... quamvis virtutibus eximiis.*

[6] Beda, IV. in Luc. 11, 27, qui citat Sedulium, II. Carm. pasch. V. 68.

[7] Cfr. supra c. 10. n. 1. — Inferius pro *et recte vivendi,* quod H omittit, Vat. *et recte iudicandi.* Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 10, 1: Ipsarum perfectio vitarum [activae et contemplativae] non nostris viribus, sed precibus est obtinenda.

[8] Vers. 2; tertia pars habetur v. 5.

[9] Cod. H (D a secunda manu) *sollicitudo*, quod infra n. 3. etiam alii codd. exhibent; G superius et paulo inferius pro *sollicitudo Domini* substituit *solitudo Domini.*

[10] Pro *dum* Vulgata *cum;* cfr. n. 1. et supra pag. 252, nota 5. — Subinde allegatur Matth. 6, 6. Vide supra c. 9. n. 46.

[11] Vers. 43. — Duo seqq. loci sunt Hebr. 5, 7. et Rom. 8, 26. — Cfr. III. Sent. d. 17. a. 2. q. 1, ubi quatuor rationes pro condecentia orationis Christi afferuntur, scil. meritum, virtutis exemplum, veritatis [humanae naturae] argumentum et officium explendum. — Superius pro *verae humanitatis,* quod habent B H, in aliis et Vat. *verae humilitatis.*

[12] Vers. 41. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 10, 1: Ideo saepe Salvator orans inducitur, ut discipulos ad orationis studium inducat.

[13] Vers. 17. — Subinde allegatur Luc. 6, 12.

requirendus est locus secretus; sed *tempus* tacetur, ut ostendatur, quod omni tempore indifferenter est orandum, secundum quod dicitur infra decimo octavo [1]: « Oportet orare semper et non deficere »; et Ecclesiastici decimo octavo: « Ne impediaris orare semper ».

Secundum.

3. Secundo quantum ad *promptitudinem discipulorum in imitando* subditur: *Ut cessavit, dixit unus ex discipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare.* Recte a Domino petebant discipuli, qualiter et ipsi orare deberent, ne forte aliquid peterent contra eius voluntatem; unde Sapientiae nono [2]: « Quis hominum poterit scire consilium Dei; aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidae, et incertae providentiae nostrae ». Ideo *doce nos orare,* cum sis Dominus noster; unde Isaiae quadragesimo octavo [3]: « Ego Dominus, docens te utilia ». — Et quod debeat audiri, ostendit per simile, cum addit: *Sicut et Ioannes discipulos suos docuit.* Scire namque orare Deum pertinet ad doctrinam pietatis, quoniam in oratione praecipue colitur Deus. Unde dicebat Propheta in Psalmo [4]: « Introibo in domum tuam, adorabo » etc.; et Chrysostomus: « Solam orationem quasi spirituale tributum anima offert de suis visceribus. Magna quippe dignitas orationis. Mox ut ab ore processit, suscipiunt eam Angeli manibus suis et offerunt ante Deum, sicut ait Angelus Tobiae duodecimo: *Ego obtuli orationem tuam ante Deum* » etc. Ideo ergo sic sollicite docetur et requiritur propter sui *excellentiam;* nec solum propter hoc, sed etiam propter *efficaciam,* secundum illud Marci undecimo [5]: « Quaecumque orantes petitis, credite, quod accipietis, et evenient vobis »; et Iacobi ultimo: « Orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio iusti assidua. Elias homo

Notandum.

erat » etc. — Unde per hoc innuitur nobis oratio multum amanda, quia per ipsam impetratur obtentio omnis boni et amotio omnis mali; unde Tobiae duodecimo [6]: « Bona est oratio cum ieiunio, et eleemosyna magis quam thesauros recondere. Quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata et facit invenire misericordiam et vitam aeternam ».

De orationis documento tanguntur duo.

4. (Vers. 2.). *Et ait illis: Cum oratis* etc. Post orationis exemplum subiungit *orationis documentum;* in quo primo traditur *forma invocandi;* secundo vero, *forma postulandi,* ibi [7]: *Sanctificetur nomen tuum.*

Forma invocandi.

Quantum autem ad *formam invocandi* dicit: *Et ait illis: Cum oratis, dicite: Pater,* id est, primo invocate Patrem; *dicite,* inquam, non voce tantum, sed etiam corde, ne forte dicatur vobis illud Isaiae vigesimo nono [8]: « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me ». *Dicite,* non tantum corde, verum etiam ore, quia vocalis oratio accepta est Deo, secundum illud Psalmi [9]: « Confitebor Domino nimis in ore meo »; et hoc, tum quia valet ad *memoriam suscitandam,* ad *somnolentiam excitandam,* ad *desiderium accendendum,* ad *obsequium impendendum,* ad *gaudium exprimendum* et ad *exemplum demonstrandum.* — Invocamus autem nomen *patris.* Ipse enim est *pater* ratione *conditionis naturae,* secundum illud ad Ephesios tertio [10]: « Ex quo omnis paternitas in caelo et in terra nominatur ». Unde Malachiae secundo: « Nunquid non pater unus omnium nostrum »? Est etiam *pater* ratione *collationis gratiae;* ad Romanos octavo [11]: « Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater »; et ad Galatas quarto: « Quoniam estis filii Dei, misit Deus spiritum Filii sui clamantem: Abba, Pater ». Est etiam *pater* ratione *consummationis gloriae,* secundum illud Ieremiae tertio [12]: « Patrem vocabis me et post me ingredi non cessabis ». Quoniam igitur in nomine *patris* intelligitur Deus ut conditor naturae, largitor gratiae, consummator gloriae; hoc ipso datur intelligi, quod ipse est, a quo solo debemus petere.

Ratio triplex.

Differentia inter Lucam et Matthaeum.

5. Sed quoniam Matthaeus [13] orationem describit ut enarratam *Apostolis,* quibus Dominus cetera explicabat, ideo explicite tangit ista tria, dicens: *Pater,* ratione naturae; *noster,* ratione gratiae; *qui es in caelis,* ratione gloriae. Lucas vero exprimit ut *minoribus discipulis* traditam, ideo tradit formam magis implicitam. Uterque tamen concordat in invocatione nominis *patris,* ut in hoc uno nomine excitetur homo ad *reverentiam* et *confidentiam,* sine quibus duabus alis oratio non habet efficaciam. Habetur autem *reverentia* ex nomine *patris;* unde Malachiae primo [14]: « Si ego pater, ubi est honor meus »? et Ecclesiastici tertio: « Gloria hominis ex honore patris sui ». Habetur etiam et *confidentia,* secundum

Notandum

[1] Vers. 1, post quem Eccli. 18, 22. — Superius pro *tangitur hic locus quidam* Vat. *dicitur hic: in quodam loco.*

[2] Vers. 13. et 14. — Superius pro *promptitudinem* A C D G H *sollicitudinem;* cfr. supra pag. 277, nota 9.

[3] Vers. 17.

[4] Psalm. 5, 8. — Sententia Chrysost. habetur Homil. 13. in Matth. 6, 5. (Op. imperfect.), ubi post *visceribus* textus originalis plura addit; in fine allegatur Tob. 12, 12, in quo pro *ante Deum* Vulgata et Vat. *Domino.*

[5] Vers. 24, post quem Iac. 5, 16. seq.

[6] Vers. 8. et 9.

[7] Eodem v. 2.

[8] Vers. 13: Populus iste ore suo et labiis suis glorificat me, cor etc. Cfr. Matth. 15, 8. et Marc. 7, 6. — Pro *ne forte* Vat. *ne quando.*

[9] Psalm. 108, 30. — De oratione vocali cfr. IV. Sent. d. 15. p. II. a. 2. q. 3. et Breviloq. p. V. c. 10. Vide etiam III. Sent. d. 9. a. 1. q. 2. in corp., ubi simile de institutione imaginum.

[10] Vers. 15, cui subiungitur Malach. 2, 10. Cfr. Matth. 23, 9. et Eph. 4, 6.

[11] Vers. 15, post quem Gal. 4, 6.

[12] Vers. 19.

[13] Cap. 6, 9. seqq. Cfr. Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. tr. de Officio missae, p. II. § 4. — Pro *cetera explicabat* substituendum videtur *cuncta explicabat.*

[14] Vers. 6, quem sequitur Eccli. 3, 13.

illud Isaiae quadragesimo nono[1]: « Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui » etc.; et infra eodem: « Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris » etc. Et Bernardus[2]: « Oratio, quae paterno dulcescit nomine, omnium petitionum mearum impetrandarum mihi fiduciam praestat ».

Forma postulandi tria.

6. *Sanctificetur nomen tuum.* Post invocationem adiungit *petitionem.* Petit autem tria principaliter in hac oratione. Et in hoc concordant Matthaeus et Lucas, sed differunt in explicatione, quia propter causam praeassignatam[3] Matthaeus assignat petitiones magis explicitas; unde Matthaeus ponit septem, Lucas quinque, sed in his quinque septem illae sunt implicite.

Petitionum distinctio, ordo et sufficientia.

7. Harum autem *distinctio, ordo* et *sufficientia* patet sic. A Deo enim Patre tria sunt postulanda: primum et principale est *consummatio gloriae,* secundum est *conservatio*[4] *gratiae,* tertium est *condonatio veniae.* Et ista tria ordinata sunt secundum gradum et ordinem maioris dignitatis. — Ad *consummationem gloriae* autem duo concurrunt, scilicet perfecta *notitia* et perfecta *reverentia,* et secundum haec sunt duae primae petitiones. — Ad *conservationem* autem *gratiae*[5] sufficit continua subministratio caelestis alimoniae, et haec petitur in tertia petitione. — Ad *condonationem veniae* duo concurrunt, scilicet *remissio culpae* et *remotio poenae,* et haec petuntur duabus ultimis petitionibus[6].

Sed quoniam *perfectio reverentiae* non tantum attenditur in affectu, sed etiam in effectu; ideo duabus primis petitionibus Matthaeus adiungit tertiam, scilicet « Fiat voluntas tua ». — Rursus, quia *remotio poenae* attenditur non solum quantum ad repulsionem tentationum, sed etiam quantum ad remotionem afflictionum et tribulationum; ideo duabus ultimis petitionibus Matthaeus adiungit septimam: « Sed libera nos a malo[7] ». — Et sic patet *sufficientia* petitionum secundum utrumque Evangelistam.

Huius orationis nobilitas.

8. Patet etiam huius orationis *nobilitas.* Quamquam sit brevissima, continet in se omnem orationem et omnia postulanda: quoniam petens aut petit *amotionem mali,* aut *collationem boni*[8]. Si *mali,* aut mali *culpae,* aut mali *poenae:* aut mali, quod *patimur,* aut mali, quod *agimus*[9]; et sic sunt duae petitiones. Sed malum *poenae* potest subdividi: quia quoddam est *occasio culpae,* et sic est *tentatio;* quoddam mere tenet *rationem poenae,* et sic *tribulatio;* et sic ex illa petitione eliciuntur duae ultimae. Si autem petimus *bonum:* aut *aeternum,* aut *temporale.* Si *aeternum,* aut ex parte *intellectus,* aut ex parte *affectus,* et sic duae petitiones. Sed *affectus* habet ordinari respectu *maiestatis* et respectu *bonitatis;* et sic illa petitio prima divisione geminatur, sed subdivisione triplicatur. Si vero petitur bonum *temporale,* aut ratione *mentis,* aut ratione *corporis.* Sed quia *corporale* bonum non debet desiderari nisi propter *spirituale;* ideo tam secundum Lucam quam Matthaeum una fit petitio de utroque. — Et sic patet *sufficientia* divisionum per membra opposita et immediata, et patet *concordia* inter Evangelistas, et patet diversitatis *congruitas*[10].

Ordo petitionum.

9. Sunt igitur quinque petitiones secundum Lucam, *ordinatae* secundum nobilitatem maiorem et minorem. In prima petitur perfecta *notitia* sive sapientia in intellectu; in secunda, perfecta *reverentia* in affectu; in tertia, *sufficientia* in victu; in quarta, *indulgentia* in reatu; in quinta, *victoria* in conflictu. — Et in his quinque implicantur septem petitiones, ac per hoc septem virtutes, septem dona, septem beatitudines et *omnes* petitiones. Unde Glossa dicit super illud Matthaei sexto[11]: *Libera nos a malo:* « Nihil deest, quod in his septem petionibus non contineatur, sive ad praesentem, sive ad futuram pertineat vitam ».

Notandum.

Petitio prima.

10. Primo igitur quantum ad *notitiam* sive sapientiam *in intellectu* dicit: *Sanctificetur nomen tuum,* id est sanctum appareat *nomen tuum,* hoc est tua notitia; unde in Psalmo[12]: « Notus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius ». Et haec notitia incipit in gratia, sed consummatur in gloria; de quo Malachiae primo: « Ab ortu solis usque ad

---

[1] Vers. 15. et dein Luc. 11, 13.

[2] Serm. 15. in Cant. n. 2: Mihi dictatur oratio, cuius principium nomine dulce paterno sequentium obtinendarum petitionum praebet fiduciam. — Vat. *Beda.*

[3] Num. 5. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) apud Lyranum in Luc. 11, 2: Lucas non septem, sed quinque ponit, et hoc causa brevitatis. In quinque, quae ponit, septem illa intelligit contineri. Idem dicit August., Enchirid. c. 116. n. 30. — Superius A C D omittunt *Et in hoc* (in D secunda manus addidit *Et).*

[4] Vat. cum nonnullis codd. *consummatio;* idem recurrit aliquanto inferius.

[5] Codd. *gratuitam.* Subinde pro *subministratio* G *ministratio,* Vat. *subventio.*

[6] Cod. D addit: *Dimitte nobis peccata nostra; et ne nos inducas.*

[7] Cfr. Glossa *ordinaria* apud Lyranum in Luc. 11, 2. (ex Beda, qui sequitur August., Enchirid. c. 115. seq. n. 30.).

[8] Cfr. Breviloq. p. V. c. 10. — Glossa *interlinearis* in Matth. 6, 9: *Sic ergo vos orabitis,* de malis removendis et bonis acquirendis. — Superius pro *Quamquam* pauci codd. *Quoniam etsi.*

[9] August., I. de Lib. Arb. c. 1. n. 1: Duobus enim modis appellare solemus malum: uno, cum male quemque fecisse dicimus; alio, cum mali aliquid esse perpessum.

[10] Cfr. Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. tr. de Officio missae, p. II. § 4, ubi quae hic praecedunt et sequuntur diffusius proponuntur, simulque loci doctorum indicantur, qui de Oratione dominica tractaverunt.

[11] Vers. 13. Glossa est *ordinaria* apud Lyranum; cfr. ibid. Glossa *ordinaria* in v. 9. Vide August., Epist. 130. (alias 121.) c. 12. n. 22. seq.; II. de Serm. Domini in monte, c. 10. n. 36. et Serm. 56-59. (alias 48. et 9. de Diversis; 42. inter Homilias 50. et 135. de Tempore). — Superius pro *omnes petitiones* A C D *septem petitiones.*

[12] Psalm. 75, 2. — Sequitur Malach. 1, 11.

occasum magnum est nomen meum in gentibus; in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda ». Hoc autem verificabitur in gloria, quando, secundum illud Ieremiae trigesimo primo [1], « non docebit vir ultra proximum suum, et vir fratrem suum, dicens: Cognoscite Dominum; omnes enim cognoscent me, a minore eorum usque ad maximum, dicit Dominus ».

11. Et nota, quod triplici notitia sanctificatur nomen Dei *in nobis*, cum *in se* semper sit sanctum.

Nomen Dei sanctificatur in nobis tripliciter.

Prima est notitia, qua cognoscitur per fidem, secundum illud ad Hebraeos undecimo [2]: « Accedentem oportet credere, *quia est* ». — Secunda, qua cognoscitur, *quid non est;* de qua Augustinus: « Multum comprehendis, si comprehendis, quid non sit Deus ». — Tertia est, qua cognoscitur, *sicuti est;* de qua primae ad Corinthios decimo tertio [3]: « Nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam, sicut et cognitus sum ». — Prima notitia liberat ab *insipientia,* de qua in Psalmo: « Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus ». — Secunda, ab *idololatria,* qua colitur quod non est Deus; de qua primae ad Corinthios octavo: « De his quae immolantur idolis, scimus, quia idolum nihil est in mundo, et quia nullus Deus nisi unus. Nam etsi sint qui dicantur dii, sive in caelo, sive in terra, siquidem sunt dii multi et domini multi, nobis tamen unus est Deus Pater, ex quo omnia » etc. — Tertia liberat ab *omni miseria;* et haec erit in patria, quando complebitur donum sapientiae et pacis, per quam vocamur filii Dei. Et tunc nomen Dei sanctum erit in nobis; unde primae Ioannis tertio [4]: « Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est ». Perfecta igitur *notitia* facit nos similes, et perfecta *similitudo* filios, et perfecta *filiatio* facit sanctificatione divini nominis dignos. Unde Chrysostomus [5]: « Sanctificatur in nobis nomen Dei, quando, scientes eum sanctum, timemus et sollicite vigilamus, ne forte violemus sanctitatem nominis eius in nobis ». Hoc autem erit, quando totaliter ei vacabimus, et per nullam distractionem inficientur mentes nostrae; quod erit in gloria, secundum illud Psalmi [6]: « In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum et confitebor nomini tuo, super misericordia tua et veritate tua, quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum ».

Horum effectus.

Notandum.

12. Secundo quantum ad perfectam *reverentiam in affectu* subdit: *Adveniat regnum tuum.* Tunc enim Deus perfecte *regnat* in nobis, quando nos sumus omnino ei subiecti, quod erit in fine, secundum illud primae ad Corinthios decimo quinto [7]: « Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri ». « Oportet autem eum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus eius »; et post: « Cum subiecta fuerint ei omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus ». Hoc autem regnum, quo Deus regnat in Sanctis, facit etiam ipsos *Sanctos* regnare et esse reges, secundum illud Apocalypsis quinto [8]: « Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram ». Hoc est regnum petendum et desiderandum; de quo in Psalmo [9]: « Regnum tuum, regnum omnium saeculorum »; et Apocalypsis undecimo: « Factae sunt voces magnae in caelo dicentes: Factum est regnum huius mundi Domini nostri et Christi, Filii eius, et regnabunt in saecula saeculorum, Amen ». — Per huius regni adventum non accrescit Deo potentia, sed in hominibus perfecta obedientia. Et ideo addit Matthaeus [10] post hanc petitionem: « Fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra ». Terreni enim non perfecte Deo obediunt, ut caelestes; et hoc insinuabat Dominus Ioannis decimo octavo: « Regnum meum non est de hoc mundo »; et hoc, quia diabolus regnat in illis qui obediunt ei, secundum illud ad Ephesios sexto: « Mundi rectores tenebrarum harum ». Sed in finali iudicio tolletur eius potestas, quando subditus erit omnis mundus Deo, secundum illud Danielis septimo [11]: « Dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient ».

Petitio secunda.

Effectus huius adventus.

13. (Vers. 3.). Tertio vero quantum ad *sufficientiam in victu* subdit: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie;* ubi petitur principaliter panis alimoniae *spiritualis;* unde Matthaei sexto [12]:

Petitio tertia.

---

[1] Vers. 34.

[2] Vers. 6. — August., VIII. de Trin. c. 2. n. 3: Non enim parvae notitiae pars est, cum de profundo isto in illam summitatem respiramus, si, antequam scire possimus, quid sit Deus, possumus iam scire, quid non sit. Cfr. Epist. 120. (alias 122.) c. 3. n. 13. et in Ioan. Evang. tr. 23. n. 9. — Triplicem hanc notitiam ponit etiam Card. Hugo, in Luc. 11, 2.

[3] Vers. 12. — Duo seqq. loci sunt Ps. 13, 1. et I. Cor. 8, 4. seqq.

[4] Vers. 2. — Matth. 5, 9: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.

[5] Homil. 14. in Matth. 6, 9. (Op. imperfect.); in fine textus originalis addit *per opera nostra mala.* Pro *quando, scientes* Vat. cum pluribus codd. *quoniam scientes.*

[6] Psalm. 137, 1. et 2. — August., XXII. de Civ. Dei, c. 30. n. 4: Hoc perfecte tunc sciemus, quando perfecte vacabimus et perfecte videbimus, quia ipse est Deus [Ps. 45, 11: *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus*]; cfr. etiam Gen. 2, 2. et 3, ubi Dominus in die septimo sive Sabbato ab operibus requievit ipsumque sanctificavit.

[7] Vers. 24. 25. et 28.

[8] Vers. 9. et 10.

[9] Psalm. 144, 13. et dein Apoc. 11, 15.

[10] Cap. 6, 10. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 18, 36. et Eph. 6, 12. — Inferius pro *insinuabat* D II *insinuat.*

[11] Vers. 14.

[12] Vers. 11. — Petr. Comestor, Histor. scholast. in Evang. c. 49, insinuat, vocem *supersubstantialem* duobus modis intelligi posse, vel ut est una dictio; tunc significat « Christum, qui est supersubstantialis, id est super omnes substantias, et est panis noster in altari; vel sunt duae dictiones: *super substantialem...* id est Christum, qui proprius est fidelium, et hoc super panem, id est praeter panem... necessarium » etc.

« Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie ». Sed quia non tantum hoc petitur, sed omne, quod necessarium est praesenti vitae; ideo, cum Ecclesia frequentet orationem dominicam secundum ipsum, non dicit *supersubstantialem* secundum ipsum, sed addit *quotidianum* secundum Lucam, ut ostendat, se petere quidquid est necessarium alimoniae huius vitae, quae per *hodie* intelligitur. Unde quemadmodum Hieronymus [1] dicit, sive dicatur *quotidianum*, sive *supersubstantialem*, utrumque consonat Hebraicae veritati. In Hebraica enim lingua unum vocabulum, id est *sogolla*, comprehendit utrumque intellectum. Sic et apud nos *quotidianum* utrumque panem comprehendit, scilicet spiritualem et corporalem, quia uterque nobis quotidie est necessarius et quotidie a Domino percipiendus, et ideo quotidie postulandus. Et hoc est quod dicit Beda in Glossa [2]: « Panis *quotidianus* dicitur, quia est hic necessarius, quantum animae carnique est tribuendum, sive spiritualiter, sive corporaliter, sive utroque modo accipiatur ».

Notandum.

14. Unde nota, quod quintuplex panis hic petitur. Primus est *alimonia praesentis vitae*, de quo dicitur Ecclesiastici vigesimo nono [3]: « Initium vitae hominis, aqua et panis et vestimentum ». — Secundus est *intelligentia sacrae Scripturae*, de quo Threnorum quarto: « Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis ». — Tertius panis est *Sacramentum eucharistiae*, de quo Sapientiae decimo sexto [4]: « Praeparatum panem de caelo praestitisti eis, habentem in se omne delectamentum et omnem saporis suavitatem »; et Ioannis sexto: « Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita ». — Quartus est *adiutorium gratiae*, de quo in Psalmo [5]: « Panem Angelorum manducavit homo »; et infra decimo quarto: « Beatus, qui manducabit panem in regno Dei ». — Quintus est *obsequium obedientiae*, de quo dicitur Ioannis quarto [6]: « Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui est in caelis »; et de hoc tertii Regum decimo nono: « Respexit Elias, et ecce, ad caput eius panis subcinericius », in cuius fortitudine ambulavit et pervenit « usque ad montem Dei Horeb ». — His panibus nos reficit Dominus; quod designatum fuit Ioannis sexto [7], ubi dicitur, quod de quinque panibus satiavit quinque millia hominum. Et ideo quilibet istorum semper est petendus, secundum illud ibidem: « Domine, semper da nobis panem hunc ».

Quintuplex panis.

Figura.

15. (Vers. 4.). Quarto quantum ad *indulgentiam in reatu* subdit: *Et dimitte nobis peccata nostra*, et hoc quoad *reatum obligationis*; unde Matthaei sexto [8] dicuntur *debita*. Peccata enim nos faciunt debitores eorum quae non possumus solvere; unde in Psalmo: « Mutuabitur peccator et non solvet » etc. Haec sunt *debita*, quibus obligata erat mulier Sunamitis, quarti Regum quarto [9], quae non poterat solvere, quousque Eliseus multiplicavit oleum. Per *oleum* misericordiae Christi peccata nostra solvuntur et dimittuntur. — Sed quia « iudicium sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam », secundum quod dicitur Iacobi secundo [10]; ideo subdit conditionem: *Siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis*. Haec quidem conditio necessaria est ad impetrandum peccatorum veniam; unde Ecclesiastici vigesimo octavo [11]: « Relinque proximo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini servat iram, et a Deo quaerit medelam »? quasi dicat: frustra quaerit. Unde Matthaei sexto: « Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis et Pater vester caelestis peccata vestra; si autem non dimiseritis, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra ». Unde et Matthaei decimo octavo [12] proponit parabolam de servo nequam, in cuius fine subiungit: « Sic Pater vester caelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris ». Et hoc recte, quia qui refugit legem clementiae cadit in legem iustitiae, de quo supra sexto: « Dimittite, et dimittemini »; « eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis ». Hanc conditionem apposuit hic Dominus, ut ostendat, illud esse verum,

Petitio quarta.

Notandum.

---

[1] Libr. I. Comment. in Matth. 6, 11: Quod nos *supersubstantialem* expressimus in Graeco habetur ἐπιούσιον, quod verbum Septuaginta interpretes περιούσιον frequentissime transferunt. Consideravimus ergo in Hebraeo, et ubicumque illi περιούσιον expresserunt, nos invenimus Sgolla [mss. Sogolla], quod Symmachus ἐξαίρετον, id est *praecipuum* vel *egregium* transtulit, licet in quodam loco *peculiare* interpretatus sit. Cfr. Card. Hugo, in Luc. 11, 2: « Hieron... Utrumlibet enim dicamus, congruit Hebraicae veritati. Ubi enim Matthaeus dicit *supersubstantialem*, Lucas *quotidianum*; Hebraica veritas habet *sogolla*, quod interpretatur *egregius*, vel *peculiaris*, id est domesticus. Matthaeus ad alteram respexit interpretationem, dicens *supersubstantialem*, quasi dicat panem nostrum egregium; Lucas alteram, dicens *quotidianum*, ac si diceret panem nostrum peculiarem ». Simili modo explicant Petr. Comestor (Histor. scholast. in Evang. c. 49.) et Innocent. III., de Sacro altaris Mysterio, lib. V. c. 23.

[2] Scilicet *ordinaria* apud Lyranum. Beda (III. in Luc. 11, 2. seqq.): Panis vero quotidianus ideo dictus est, quia hic est necessarius, *quantus animae carnique tribuendus est* [ita etiam Glossa, Vat. et pauci codd.], sive etc.

[3] Vers. 28. — Subinde allegatur Thren. 4, 4.

[4] Vers. 20, post quem Ioan. 6, 52.

[5] Psalm. 77, 25; Vat., refragantibus codd., addit verba Psalm. 103, 15. Sequitur Luc. 14, 15.

[6] Vers. 34, ubi pro *Patris mei, qui est in caelis* (cfr. Matth. 7, 21. et 12, 50.) Vulgata et Vat. *eius qui misit me*. — Sequuntur III. Reg. 19, 6. et 8.

[7] Vers. 9. seq. et subinde v. 34.

[8] Vers. 12. — Subinde allegatur Ps. 36, 21.

[9] Vers. 1. seqq. — Pro *Sunamitis* Vat. cum Vulgata *de uxoribus Prophetarum*.

[10] Vers. 13. — Inferius post *debenti nobis* D addit *quia aliter non dimittitur nobis*.

[11] Vers. 2. et 3. — Sequitur Matth. 6, 14. seq.

[12] Vers. 23-35, qui inferius allegantur. — Subinde citatur Luc. 6, 37. seq. — Infra pro *de quo* C D F H *de qua*.

quod dicitur Iudith nono[1]: « Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio », superborum autem et calumniatorum nunquam. Unde Isaiae primo: « Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestrae sanguine plenae sunt ». Unde Chrysostomus[2]: « Si is qui laesus est, frustra orat, nisi indulserit; quomodo, putas, orat is qui laesus non est, si ipse per iniustitiam alios laedit et gravat? Qui autem non sic orat, ut Christus docuit, non est discipulus; nec Pater exaudit orationem, quam Filius non docuit. Cognoscit enim Pater Filii sui sensum et verba, non suscipit quae usurpatio humana excogitavit, sed quae sapientia Christi exposuit ».

Petitio quinta. 16. Quinto vero quantum ad *victoriam in conflictu* subiungit: *Et ne nos inducas in tentationem,* id est, non permittas *induci*, id est superari; quia, sicut dicitur Iacobi primo[3], « Deus intentator malorum est; sed unusquisque tentatur, a concupiscentia sua abstractus et illectus ». — Et nota, quod non petit *non tentari,* quia tentatio hominem probat, secundum illud Psalmi[4]: « Proba me, Domine, et tenta me »; et Ecclesiastici trigesimo quarto: « Qui non est tentatus pauca recognoscit ». Sed petit *a tentatione non superari* nec vinci, sed vincere et triumphare. Hoc quippe petendum est propter *divini auxilii fidelitatem,* de qua primae ad Corinthios decimo[5]: « Fidelis est Deus, qui non permittet, vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere ». Petendum est etiam propter *recognoscendam nostram infirmitatem,* secundum illud secundi Paralipomenon vigesimo[6]: « In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quae irruit super nos. Sed cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te ». Unde Chrysostomus[7]: « Cognoscant, se esse infirmos, et cognitio infirmitatis glorificationis causam exstinguet », quia, secundum quod dicitur primi Machabaeorum tertio, « non in multitudine exercitus victoria belli, sed de caelo fortitudo est ».

(Margin: Notandum. — Duplex ratio.)

17. Quoniam ergo *tribulatio* est tentatio, secundum illud Iacobi primo[8]: « Beatus vir, qui suffert tentationem » etc.; ideo qui eripitur ab omni malo *tentationis* eripitur per consequens a malo *tribulationis;* et ideo non oportet ultra addi: *Libera nos a malo,* quasi petitio omnino diversa, sed explicari quasi in hac inclusa. Et hoc est quod dicit Beda in Glossa[9]: « Sciat unusquisque, in eo se liberari a malo, quod non infertur in tentationem ». — Finit ergo Lucas orationem in *tentatione,* in qua dubium est de statu, vel lapsu; et ideo non addit *Amen,* quod est indicium certitudinis orationis exauditae; Matthaeus vero in *liberatione ab omni malo* poenae, ac per hoc a morte; de qua primae ad Corinthios decimo quinto[10]: « Novissime autem destruetur inimica mors », et post haec est certitudo salutis; ideo finit dicendo *Amen,* quod est indicium certitudinis pro illo tempore. — Sed quia, quamdiu hic sumus, ad hanc certitudinem non pervenimus; ideo tacite dicitur et submisse a sacerdote, cum cetera in Missa dicantur elevata voce[11]. — Sunt et aliae rationes congruentiae; sed haec sufficiat ad praesens.

(Margin: In hac petitione includitur alia. — Non hic additur Amen. — Sed apud Matthaeum. — In Missa dicitur submisse. — Nota.)

18. *Et ait ad illos: Quis vestrum* etc. Post exemplum et documentum subiungit hic tertio *orandi incitamentum*[12], per quod invitamur ad orandum frequenter et fiducialiter. Et habet haec pars duas: in prima proponitur incitamentum ad *orationis frequentiam;* in secunda vero, ad *orandi fiduciam,* ibi[13]: *Quis autem ex vobis patrem petit* etc. Ista enim duo sunt, quae maxime orationis fructum evacuant, scilicet *negligentia* et *diffidentia.*

(Margin: De orationis incitamento dicuntur duo. — Divisio.)

Circa *incitamentum frequentiae* duo insinuantur. Primum est *similitudo incitativa;* secundum est *eruditio informativa,* ibi[14]: *Et ego dico vobis: Petite, et dabitur vobis.*

(Margin: Pro incitamento ad frequenter orandum insinuantur duo.)

Quantum autem ad *similitudinem incitativam* ad orationis frequentiam introducuntur tria. Primum est *opportunitas postulans;* secundum est *difficultas recusans;* tertium est *importunitas impetrans,* ut ex hoc ostendatur, quantae efficaciae sit oratio importuna et continua.

(Margin: Primo, de similitudine incitativa afferuntur tria.)

---

[1] Vers. 16: Nec superbi ab initio placuerunt tibi, sed humilium etc., post quem Isai. 1, 15.

[2] Homil. 14. in Matth. 6, 12. (Op. imperfect.). Post *gravat* textus originalis plura addit, et pro *et verba, non suscipit quae* legit *et verba, nec suscipit quae.*

[3] Vers. 13. et 14. — Glossa *interlinearis* (cfr. August., II. de Serm. Domini in monte, c. 9. n. 30. seqq.) in Matth. 6, 13: In tentationem inducitur qui tentatione frangitur.

[4] Psalm. 25, 2, post quem Eccli. 34, 9. seq.: Qui non est tentatus quid scit?... Qui non est expertus pauca recognoscit.

[5] Vers. 13. Cfr. II. Sent. d. 23. a. 1. q. 3. Vide etiam ibid. d. 21. a. 2. per totum et dub. 3. seq.

[6] Vers. 12.

[7] Homil. 14. in Matth. 6, 13. (Op. imperfect.): Nunc additur humilitatis doctrina, ut, dum dicunt: *Ne nos inducas in tentationem,* cognoscant, se esse infirmos, et consideratio infirmitatis causam gloriationis exstinguat. — Sequitur I. Machab. 3, 19.

[8] Vers. 12.

[9] Scilicet *ordinaria* (ex August., Enchirid. c. 116. n. 30, quem sequitur Beda, III. in Luc. 11, 2. seqq.) apud Lyranum in Luc. 11, 2. seqq.: Ideo enim Matthaeus non ait: *Et libera nos a malo,* tanquam diversam petitionem poneret, sed ait: *Sed libera nos a malo,* unam petitionem esse demonstrans, ut sciat unusquisque, in eo se a malo liberari etc. Pro *quod non* secunda manus in D substituit *qui non.*

[10] Vers. 26: *Novissima autem* etc. — De voce *Amen* cfr. Hieron. et Beda, in Matth. 6, 13.

[11] Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. tr. de Officio missae, § 4. in fine: Duplex est ratio, quare [*Amen*] dicitur submisse: una est latentia beneficii exauditionis, alia est ablatio iudicii ostentationis etc.

[12] Cfr. supra n. 1.

[13] Vers. 11. Codd. ACDFG *Quis ergo ex vobis* etc.; idem recurrit infra n. 29, ubi H exhibet *autem,* quod hic omittit.

[14] Vers. 9.

19. (Vers. 5.). Primo igitur quantum ad *oppor-*

**Primum.**

*tunitatem postulantem* dicit: *Quis vestrum habebit amicum* etc. Hic legitur *interrogative,* sed Glossa[1] vult, quod legatur *remissive:* « *Quis,* hoc est *aliquis,* vel *si quis* ». Hoc tamen dicitur, ut ostendatur veri amici pretiositas, secundum illud Ecclesiastici sexto[2]: « Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius »; et iterum: « Amicus fidelis, medicamentum vitae et immortalitatis; et qui metuit Dominum inveniet illum ». — Ad istum ergo fiducialiter recurritur, et ideo additur: *Et ibit ad illum media nocte,* quia, sicut dicitur Proverbiorum decimo septimo[3], « omni tempore diligit qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur ». — Et tali fiducialiter necessitas exponitur; propter quod additur: *Et dicet illi: Amice, commoda mihi tres pa-*

**Ratio 1.**

*nes;* et hoc lege *pietatis et caritatis communis,* de qua dicitur Isaiae quinquagesimo octavo[4]: « Frange esurienti panem tuum »; et Ecclesiastae undecimo: « Mitte panem tuum super transeuntes aquas ».

20. (Vers. 6.). Lege etiam *fidelitatis et amici-*

**Ratio 2.**

*tiae specialis;* propter quod addit: *Quia*[5] *amicus meus venit ad me de via, et non habeo quod ponam ante eum;* et ita fidelitate amicitiae teneor illi, ac per hoc et tu mihi; unde Ecclesiastici vigesimo secundo: « Fidem posside cum amico in paupertate illius, ut in bonis illius laeteris. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, ut in hereditate illius coheres sis ».

21. (Vers. 7.). Secundo quantum ad *difficulta-*

**Secundum.**

*tem recusantem* subdit: *Et ille de intus respondens dicat: Noli mihi molestus esse,* inquietando scilicet quiescentem et a somno excitando, sicut dixit Abner David primi Regum vigesimo sexto[6]: « Quis es tu, qui clamas et inquietas regem »? — Et quod magna sit molestia, ostenditur ex difficultate adiuncta: *Iam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili,* id est filii, qui tenero amore debent amari; unde Isaiae octavo[7]: « Ecce, ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus », id est filii, quorum amor non potest negligi, secundum illud Isaiae quadragesimo nono: « Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui »? — Ideo subdit: *Non possum surgere et dare tibi.* Et hoc non tollit omnino potestatem, sed ponit difficultatem, quasi dicat illud quod dixit Elias Eliseo quarti Regum secundo[8]: « Rem difficilem postulasti ». Et propterea dicit: *Non possum,* id est, non commode nec faciliter possum; sicut rex Israel respondit regi Syriae tertii Regum vigesimo: « Omnia, propter quae misisti servum tuum in initio, faciam; hanc autem rem facere non possum ».

22. (Vers. 8.). Tertio quantum ad *importuni-*

**Tertium.**

*tatem impetrantem* subdit: *Et si ille perseveraverit pulsans,* precibus, non pudore victus nec taedio fatigatus nec desperatione fractus, tanquam verus amicus, secundum illud Ecclesiastici vigesimo secundo[9]: « Ad amicum si produxeris gladium, non desperes; est enim regressus ad amicum, et si aperueris os triste, non metuas ». — Et quia[10] « labor improbus omnia vincit », ideo subdit: *Dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit,* id est, motus veritate dilectionis, quae interdum tepescit in amicis. Propter quod dicitur primae Ioannis tertio[11]: « Filioli, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate ». Si ergo non vincitur abundantia caritatis, vincitur tamen instantia importunitatis. — Propter quod addit: *Propter improbitatem tamen eius surget et dabit illi quotquot habet necessarios.* Huius exemplum proponitur infra de-

**Exemplum.**

cimo octavo[12] de iudice et vidua, quae illum infestabat; unde ibi dicitur, quod « iudex nolebat eam audire per multum tempus. Post haec autem dixit intra se: Etsi Deum non timeo nec hominem revereor, tamen, quia molesta est mihi, vindicabo illam, ne in novissimo veniens sugillet me ». Huius etiam exemplum habetur Iudicum decimo quarto[13] de Samsone et eius uxore, a quo cum peteret quod prius nolebat indicare, subditur, quod « septem diebus convivii flebat apud eum, tandemque septimo die, cum ei esset molesta, exposuit ».

23. Secundum *spiritualem* autem *intellectum*

**Expositio spiritualis. De amico.**

per *amicum* istum intelligitur Christus, de quo Ecclesiastici sexto[14]: « Amicus fidelis, fortis protectio; qui autem invenit illum invenit thesaurum ». De hoc Ioannis decimo quinto: « Iam non dicam vos servos, vos autem dixi amicos »; et iterum: « Vos

---

[1] Scilicet *interlinearis.* De vocibus *remissive* (vel assertive) et *interrogative* cfr. tom. VI. pag. 266, nota 9.

[2] Vers. 15. seq. et subinde v. 16. — Superius pro *pretiositas* Vat. *pretium.*

[3] Vers. 17.

[4] Vers. 7, post quem Eccle. 11, 1.

[5] Vulgata et Vat. *Quoniam,* et subinde *ante illum* pro *ante eum;* pro *quod ponam* codd. *quid ponam.* — Sequitur Eccli. 22, 28. seq. — Inferius pro *fidelitate* Vat. *fideliter.*

[6] Vers. 14. — Glossa *interlinearis: Noli mihi molestus esse,* non debeo precibus tuis inquietari, quia *iam ostium clausum* etc.

[7] Vers. 18. et subinde 49, 15. B. Albert., In Luc. 11, 7: Dicuntur autem *pueri* a *puritate* [Isidor., XI. Etymolog. c. 2. n. 10.], qui sunt cum Domino; Isai. 8: *Ecce, ego et pueri mei* etc. — Superius pro *id est filii* Vat. *id est pueri.*

[8] Vers. 10. et dein III. Reg. 20, 9. — Aristot., I. de Caelo, text. 111. (c. 11.): Impossibile autem dicitur dupliciter: aut enim *simpliciter*... aut quia *non facile* neque cito aut bene.

[9] Vers. 26. seq. — Glossa *interlinearis: Et si ille perseveraverit pulsans,* non pudore perterritus, sed necessitate coactus. — Superius pro *nec taedio fatigatus* B D F *nec taedio, nec fatigatione.*

[10] Ut dicit Virgil., I. Georg. v. 145.

[11] Vers. 18. — Superius pro *tepescit* Vat. *torpescit.*

[12] Vers. 2. seqq., ex quibus allegantur v. 4. 5.

[13] Vers. 16. et 17.

[14] Vers. 14, post quem Ioan. 15, 15. et 14.

Nocte ad Christum eundum.

amici mei estis » etc. — Ad istum amicum *eundum est nocte*, id est *nocturno silentio*, sicut Nicodemus venit, de quo Ioannis tertio [1] dicitur, quod « venit ad Iesum nocte » primum, quia in secreto noctis silentio est per orationem pulsandus, secundum illud Isaiae vigesimo sexto: « Anima mea desideravit te in nocte »; et Threnorum secundo: « Consurge in nocte, in principio vigiliarum; effunde sicut aquam cor tuum » etc. Vel *in nocte*, id est *in tribulatione*, secundum illud Osee sexto [2]: « In tribulatione sua mane consurgent ad me »; et in Psalmo: « Invoca me in die tribulationis, et eruam te » etc. — « *Amicus* autem, *qui venit de via*, animus noster est, secundum quod dicitur in Glossa [3], qui, quoties ad temporalia petenda vagatur, toties a nobis recedit ». Hunc amicum evagari facit delectatio, sed reducit tribulatio, secundum quod dicitur de filio prodigo infra decimo quinto [4], qui propter luxuriam recessit, sed propter inediam rediit. Unde Osee secundo: « Ego sepiam viam tuam spinis et sepiam eam maceria »; et post subditur: « Et dices: Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia melius erat mihi tunc, magis quam nunc ». — Iste *revertitur*, quando ad interiora recurrit, secundum illud Isaiae quadragesimo sexto [5]: « Redite praevaricatores ad cor », sed invenit ipsum vacuum a solatio spiritualium refectionum. Unde de peccatoribus dicitur Threnorum secundo [6]: « Matribus suis dixerunt: Ubi est triticum et vinum, cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis; cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum ». « Et defecit gaudium cordis nostri. Vae nobis! quia peccavimus ».

Amicus, qui venit de via.

Iste revertitur.

24. Pro hoc igitur amico famelico *petendi sunt a vero amico tres panes*, id est, secundum quod dicit Beda et Augustinus [7], intelligentia Trinitatis sive trium personarum nomina, ut in solius Dei cognitione inveniat refectionem; unde Exodi vigesimo quarto: « Viderunt Dominum et comederunt et biberunt »; et Ecclesiastici decimo quinto: « Cibabit illum pane vitae et intellectus et aqua sapientiae salutaris potabit illum ». — Vel *tres panes* sunt fides, spes, caritas, quibus reficitur triplex virtus in anima; de quibus infra decimo quinto [8]: « Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus » etc. De his primi Regum decimo: « Cum veneris ad quercum Thabor, invenient te tres viri ascendentes ad Dominum in Bethel: unus portans tres haedos, alius tres tortas panis, et alius portans lagenam vini »; ut in his intelligatur unitas gratiae et trinitas virtutum, per quas reformatur imago Dei in anima. — Sed haec petitio *non statim exauditur* a Christo, sed oportet cum multa instantia requirere; quia ad tam magna dona est *anima peccatrix* minus idonea, unde Matthaei decimo quinto [9]: « Non est bonum sumere panem filiorum et dare canibus »; verum etiam, si iam *filius* est, ne panis ille vilescat, cum semper ipsum oporteat esurire, secundum illud Ecclesiastici vigesimo quarto: « Qui edunt me adhuc esurient »; sive ut petendo magis mereamur et disponamur. Unde Augustinus ad Probam de Orando Deo [10]: « Exerceri vult in orationibus desiderium nostrum, quo possumus capere illud quod praeparat dare ».

Petendi tres panes.

Aliter.

Exauditio differtur.

25. (Vers. 9.). *Et ego dico vobis.* Post similitudinem incitativam subdit *eruditionem informativam* ad orationis frequentiam, quam elicit ex similitudine praehabita; ubi primo hortatur [11] *discipulos*, secundo vero *generaliter omnes*.

Secundo, d eruditione informativa afferuntur duo.

Ideo quantum ad *exhortationem respectu discipulorum* dicit: *Et ego vobis dico*, qui scilicet non mentior, quia, Numerorum vigesimo tertio [12], « non est Deus ut homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur; dixit ergo, et non faciet »? Unde Glossa dicit: « Magnam spem tribuit qui promittendo non decipit ». — Monet ergo ad orationis instantiam et frequentiam, cum dicit: *Petite, et dabitur vobis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis.*

Primo, hor tatio disci pulorum.

---

[1] Vers. 2. — Duo seqq. loci sunt Isai. 26, 9. et Thren. 2, 19. — Inferius Vat. omittit *primum*.

[2] Vers. 1, cui subiungitur Ps. 49, 15. — Beda, III. in Luc. 11, 5. seq.: « Amicus ergo, ad quem media nocte venitur, ipse Deus intelligitur, cui in media tribulatione supplicare et tres panes, id est intelligentiam Trinitatis, qua praesentis vitae consolentur labores, efflagitare debemus ». Idem dicit August., II. Qq. Evangelior. q. 21.

[3] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) apud Lyranum in Luc. 11, 5. seq. Cfr. August., II. Qq. Evangelior. q. 21.

[4] Vers. 11. seqq. — Subinde allegantur Osee 2, 6. et 7, ubi pro *viam tuam* A C D F *vias tuas*, et pro *melius erat mihi* Vulgata et Vat. *bene mihi erat*.

[5] Vers. 8. — Beda, III. in Luc. 11, 5. seq.: Redit vero caelestique alimonia refici desiderat, cum, in se reversus, superna coeperit ac spiritualia meditari. Cfr. August., II. Qq. Evangelior. q. 21.

[6] Vers. 12, post quem 5, 15. et 16.

[7] Cfr. supra nota 2. Vide etiam August., Serm. 105. (alias 29. de Verbis Domini) c. 3. n. 4; Epist. 130. (alias 121.) c. 8. n. 15. — Duo seqq. loci sunt Exod. 24, 11. et Eccli. 15, 3.

[8] Vers. 17, cui subiungitur I. Reg. 10, 3, ubi codd. omittunt *alius portans*. — Cfr. August., Serm. 105. (alias 29. de Verbis Domini) c. 4. n. 5, ubi insinuat, tres panes significare fidem, spem et caritatem. Bernard., Serm. in Rogationibus, n. 2. credit, « petendos nobis esse tres panes: veritatis, caritatis et fortitudinis. His tribus egere me fateor, veniente ad me amico de via... Deficit quippe ratio mea... prae ignorantia veritatis, languet et voluntas prae inedia affectionis, infirmatur caro prae inopia fortitudinis... *Commoda* ergo *mihi, amice, tres panes*, ut intelligam, ut diligam, ut faciam voluntatem tuam ». — De reformatione imaginis Dei in anima per tres virtutes cfr. I. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 1. ad 4; II. Sent. d. 16. a. 2. q. 3. in corp.; d. 26. q. 5. et d. 27. a. 1. q. 1.; Breviloq. p. V. c. 4.

[9] Vers. 26. — Subinde allegatur Eccli. 24, 29. — Inferius post *verum* Vat. prosequitur *etsi iam filius est, adhuc oportet cum magna instantia requirere, ne panis* etc.

[10] Epist. 130. (alias 121.) c. 8. n. 17.

[11] Cod. H addit *specialiter*, Vat. *spiritualiter*.

[12] Vers. 19. — Glossa, quae sequitur, est *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 11, 9.

Simile habetur Matthaei septimo[1]; super quo loco dicit Augustinus: « Operose quidem, quid ista tria inter se differant, distinguendum putavi, sed longe melius ad instantissimam petitionem omnia referuntur. Hoc quippe ostendit, ubi eodem verbo cuncta conclusit: *Quanto magis Pater vester dabit spiritum bonum petentibus se* »? Unde vult Dominus dicere illud quod simpliciter dicitur primae ad Thessalonicenses quinto[2]: « Sine intermissione orate »; et ad Colossenses quarto: « Orationi instate ».

Trium verborum distinctio prima.

26. Possunt tamen multipliciter distingui, ut *petere* respiciat actum oris; *quaerere*, actum cordis; *pulsare*, operis. *Petite* ergo ore, *et dabitur vobis;* Isaiae sexagesimo secundo[3]: « Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, donec stabiliat et ponat Ierusalem laudem in terra »; et Isaiae trigesimo: « Ad vocem clamoris tui statim, ut audierit, respondebit tibi, et dabit vobis Dominus panem » etc.; et sexagesimo quinto: « Eritque, antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ». — *Quaerite* etiam corde, *et invenietis;* unde Ieremiae vigesimo nono[4]: « Quaeretis me, et invenietis, cum quaesieritis me in toto corde vestro »; et Sapientiae primo: « In simplicitate cordis quaerite illum; quoniam invenitur ab his qui non tentant illum ». — *Pulsate,* in opere; qui enim pulsat manu tangit et excitat; unde in Psalmo[5]: « In noctibus extollite manus vestras in sancta »; et iterum: « In die tribulationis meae Deum exquisivi manibus meis et non sum deceptus ».

27. Aliter etiam possunt distingui ratione *petiti.*

Secunda.

*Petite,* scilicet veniam; *quaerite,* gratiam; *pulsate,* ad *gloriam,* secundum illud Zachariae decimo[6]: « Petite pluviam a Domino in tempore serotino, et Dominus faciet nives et pluviam imbris et dabit eis singulis herbam in agro ». *Nives dabit* ad exstinguendas malas herbas per veniam; et *pluviam imbris,* ad fecundandam terram per gratiam; et *dabit eis singulis herbam in agro,* decorando et vestiendo per gloriam. — Aliter ex parte *petentium. Petite,* incipientes, quorum est accipere; *quaerite,* proficientes, quorum est invenire; *pulsate,* perfecti, quorum est intrare. Unde *incipientibus* dicitur ad Philippenses quarto[7]: « Petitiones vestrae innotescant apud Deum ». *Proficientibus* dicitur illud Psalmi: « Quaerite Dominum, et confirmamini; quaerite faciem eius semper ». *Perfectis* dicitur Isaiae vigesimo sexto: « Aperite portas, et ingrediettur gens iusta ».

Tertia.

— Vel penes *modos perveniendi ad sapientiam,* sicut distinguit Augustinus[8]: « Ad sapientiam non venitur nisi, quemadmodum Dominus docet, petendo, quaerendo, pulsando, id est orando, legendo, plangendo ». *Petite* ergo orando; Iacobi primo[9]: « Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, et dabitur ei ». *Quaerite* legendo in libro Scripturae et creaturae; Canticorum tertio: « Per vicos et plateas quaeram quem diligit anima mea ». *Pulsate* plangendo, sicut Ioannes Apocalypsis quinto, ubi dicit: « Ego flebam multum, quoniam nemo inventus est dignus aperire librum »; et subditur postea, quod vidit, librum aperiri per Agnum occisum.

Quarta.

— Vel, sicut dicit Glossa[10], ex parte *modorum veniendi ad gloriam:* « *Petite,* orando; *quaerite,* recte vivendo; *pulsate,* perseverando ».

Quinta.

— Vel, sicut dicit Glossa super Matthaei septimum[11], « *petimus* fide, per eam ad Christum euntes; *quaerimus* spe, qua attingimus usque ad interiora; *pulsamus* caritate, dum laboribus insudamus, ut quod petimus et quaerimus consequamur. Primum petere debes, ut *habeas;* post quaerere, ut *invenias;* inventa observare, ut *introeas* ».

Sexta.

Secundo, hortatio generalis omnium.

28. (Vers. 10.). Secundo quantum ad *exhortationem respectu omnium* subdit: *Omnis enim, qui petit, accipit,* si *pie* petat. Unde hoc insinuat Dominus Ioannis decimo quinto[12]: « Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis », id est pro salute vestra; alioquin non dat; unde Iacobi quarto: « Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis ». Unde Chrysostomus[13]: « Si temporalia petas, quomodo ille praestat, quae si habes, praecepit, ut contemnas »? —

---

[1] Vers. 7. — Sententia August. habetur I. Retract. c. 19. n. 9; in fine August. allegat Matth. 7, 11: *Quanto magis Pater vester, qui in caelis est, dabit bona petentibus se?* (codd. et nostra ed. allegant Luc. 11, 13.).

[2] Vers. 17, post quem Col. 4, 2.

[3] Vers. 6. et 7; subinde 30, 19. seq. et 65, 24.

[4] Vers. 13, post quem Sap. 1, 1. seq.

[5] Psalm. 133, 2. et dein 76, 3. Chrysost., Homil. 18. in Matth. 7, 7. (Op. imperfect.): *Petite* precibus... *Quaerite* studio et labore, legentes Scripturas... *Pulsate et aperietur vobis.* Pulsat enim Deum qui facit bona opera ante Deum... Sicut enim qui pulsat ostium non tantum voce clamat, sed et manu; sic qui bona opera facit quasi manu pulsat Deum operibus suis. Cfr. Tract. de Oratione et eleemosyna (inter opera August.): Certe, quando pulsas ad aliquem, manibus agis... Si ergo non egeris, non dico: frustra pulsas, sed dico: non pulsas, ideo non mereberis... Omnia dicta sunt: pete, quaere, pulsa: *petis* orando, *quaeris* disputando, *pulsas* erogando.

[6] Vers. 1. — Hilar., Comment. in Matth. c. 6. n. 2: Orandum est, quaerendum est, pulsandum est: *oratione* misericordiam, *inquisitione* profectum, *tentamento* aditum reperturi.

[7] Vers. 6. — Duo seqq. loci sunt Ps. 104, 4. et Isai. 26, 2.

[8] Epist. 21. (alias 148.) n. 4. Cfr. l. de Moribus Eccles. cath. c. 17. n. 31.

[9] Vers. 5. — Subinde allegantur Cant. 3, 2; Apoc. 5, 4. et 6-8.

[10] Scilicet *interlinearis* in Luc. 11, 9. S. Thom., Cat. aurea in Matth. 7. n. 4. hanc expositionem attribuit *Remigio;* insinuatur a Beda, II. Homil. sect. 1. homil. 8. in Litania maiore.

[11] Vers. 7; Glossa est *ordinaria* apud Lyranum, a quo tribuitur Augustino; cfr. Paschas. Radbert., IV. in Matth. 7, 7.

[12] Vers. 16. — Sequitur Iac. 4, 3. — Glossa *interlinearis* in Matth. 7, 8: *Omnis enim, qui petit,* pie et perseveranter, *accipit;* qui non accipit, constat, eum non bene petere.

[13] Homil. 43. (alias 42.) in Ioan. n. 2: Non principatum, non divitias, non gloriam, non potentiam, sed omnia, quae ad utilitatem animae conferebant, in oratione [dominica] posuit; nihil terrenum, sed omnia caelestia. Si ergo iubemur abstinere

*Et qui quaerit invenit*, si tamen *debite et diligenter* quaerat, secundum illud Deuteronomii quarto[1]: « Cum quaesieris Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde quaesieris eum et tota tribulatione animae tuae »; et primi Paralipomenon vigesimo octavo: « Si quaesieris Deum, invenies; si autem dereliqueris, proiiciet te in aeternum ». Sed aliqui aliquando non debite quaerunt, et ideo non inveniunt; unde Osee quinto[2]: « In gregibus suis et in armentis vadent ad quaerendum Dominum et non invenient »; et hoc est, quia *in armentis* quaerebant ipsum; Ioannis septimo: « Quaeretis me, et non invenietis », quia mala intentione quaerebant, ut perderent. — *Et pulsanti aperietur*, si pulset *incessanter usque in finem*, secundum illud Matthaei decimo[3]: « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit ». Tali aperitur ostium gloriae, de qua Apocalypsis undecimo: « Apertum est templum Dei in caelo »; et Apocalypsis quarto: « Ecce, ostium apertum est in caelo ». Hoc aperietur, quando dicetur illud Matthaei vigesimo quinto: « Venite, benedicti, possidete » etc.

Pro incitamento ad orandi fiduciam insinuantur duo.

29. *Quis autem*[4] *ex vobis* etc. Post incitamentum ad orationis frequentiam subdit hic *incitamentum ad orationis fiduciam*, et hoc ostendendo ostendit *liberalitatem* in Deo Patre nos exaudiente. In hac ergo parte primo proponit liberalitatem *patris carnalis* respectu filii; secundo concludit liberalitatem *Patris caelestis* respectu nostri, ibi[5]: *Si ergo vos, cum sitis mali* etc.

Primo, de liberalitate patris carnalis tria.

*Liberalitatem* autem *patris carnalis* ostendit in communicatione cibi cum cautela contrarii, et hoc secundum triplicem differentiam nutrimenti: aut naturae *terreae*, aut *aqueae*, aut *aëreae*. Primum spectat ad vegetabilia; secundum, ad natatilia; tertium, ad volatilia.

Primum.

30. (Vers. 11. et 12.). Quantum igitur ad *petitionem fructus vegetabilium* dicit: *Quis ex vobis patrem petit panem*, ad refectionem; *nunquid lapidem dabit illi?* scilicet ad laesionem. Homines enim panibus sustentantur, secundum illud Psalmi[6]: « Panis cor hominis confirmat »; sed lapidibus obruuntur, secundum illud Matthaei vigesimo primo: « Qui ceciderit super lapidem istum confringetur, super quem autem ceciderit, conteret eum ». — Quantum ad *petitionem natatilium* subdit: *Aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi?* Homines piscibus reficiuntur; unde infra ultimo[7]: « Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis »; sed serpentibus occiduntur; unde Numerorum vigesimo primo: « Immisit Dominus in populum ignitos serpentes », quorum scilicet morsibus moriebantur. — Quantum ad *petitionem fructus volatilium* subditur: *Aut si petierit ovum*, scilicet in cibum; *nunquid porriget illi scorpionem?* in[8] venenum. Ova enim sustentant, sed scorpiones necant, sicut manifeste probat experientia. Haec quidem ad litteram sunt plana et similitudo ex his assumta.

Secundum.

Tertium.

Expositio spiritualis.

31. Secundum *spiritualem* autem *intelligentiam* datur intelligi hic, *quid* petendum. Unde Augustinus ad Probam de Orando Deo[9] dicit, quod in *pisce* fides, in *ovo* spes, in *pane* autem caritas designatur. — Recte namque petitione *panis* intelligitur petitio *caritatis*; unde Augustinus[10]: « Caritas in *pane*; maior enim omnium bonorum est caritas, et in cibis vincit cetera panis utilitas ». Vel, quia caritas ad modum panis nutrit et confirmat; unde Canticorum ultimo[11]: « Fortis est ut mors dilectio »; unde Sacramentum caritatis traditur in specie panis. Vel, quia sine pane est omnis mensa vacua; sic et omne cor absque caritate; unde primae ad Corinthios decimo tertio[12]: « Si caritatem non habeam, nihil sum, et nihil mihi prodest ». « Huic, ut dicit Augustinus[13], opponitur *lapis*, quia corda dura respuunt caritatem ». Unde in lapide *duritia* designatur, secundum illud Ezechielis trigesimo sexto: « Auferam cor lapideum de carne vestra et dabo vobis » etc.; et Lucae tertio: « Potens est Deus de lapidibus istis » etc.

Per panem intelligitur caritas ob triplicem rationem.

In lapide vero duritia.

a praesentibus huius vitae rebus, quam miseri erimus, si illa petamus a Deo, quae si habeamus, ille iussit abiicere, ut nos a curis eximat; et si quae ille petere iussit, nullo modo curemus, immo ne cupiamus quidem? — Pro *praestat* G *praestabit*, et pro *praecepit* G H *praecipit*.

[1] Vers. 29, post quem I. Paralip. 28, 9; (cfr. II. 15, 2.).

[2] Vers. 6. et deinde Ioan. 7, 34. — Superius vocibus *non inveniunt* A C D E G interserunt *debite*, Vat. *debita* (F H omittunt *debite*).

[3] Vers. 22. — Tres seqq. loci sunt Apoc. 11, 19. et 4, 1; Matth. 25, 34. Glossa *ordinaria* in Matth. 7, 8: Ut praebeat constantiam perseverandi, diligentiam quaerendi, fiduciam impetrandi; addit: *Omnis enim, qui petit, accipit* etc. Supra docuit, quid petamus, regnum scilicet; hic confidentiam, ut nihil haesitantes petamus. Non denegat se petentibus, qui sponte obtulit se non petentibus; et quaerentes invenient eum qui non quaerentibus dedit, ut invenirent, et pulsantibus aperiet qui clamat [Apoc. 3, 20.]: *Ecce, ego sto ad ostium et pulso.*

[4] Cfr. supra pag. 282, nota 13. — Inferius pro *ostendendo ostendit* (ita A D) C F G H *ostendendo*, Vat. *ostendit*, et pro *nos exaudiente* A D G *nos exaudiendo*, C F *nos exaudiendos*, H *circa exaudiendos*.

[5] Vers. 13.

[6] Psalm. 103, 15, cui subiungitur Matth. 21, 44.

[7] Vers. 41. et 42. — Subinde allegatur Num. 21, 6. — Superius Vat. ante *natatilium* addit *fructus*, refragantibus recte codd.

[8] Pro *in* Vat. *id est*, E *id est in*.

[9] Epist. 130. (alias 121.) c. 8. n. 16.

[10] Loc. cit. — Epist. I. Cor. 13, 13: Maior autem horum est caritas.

[11] Vers. 6.

[12] Vers. 2. et 3. — August., II. Qq. Evangelior. q. 22: Intelligitur *panis* caritas propter maiorem appetitum et tam necessarium, ut sine illa cetera nihil sint, sicut sine pane mensa inops; cui contraria est cordis duritia, quam lapidi comparavit. — Superius vocibus *sine pane* H et Vat. praefigunt *sicut*.

[13] Epist. 130. (alias 121.) c. 8. n. 16. — Duo seqq. loci sunt Ezech. 36, 26. et Luc. 3, 8.

*Per piscem fides, per serpentem infidelitas.*

32. Recte etiam « per *piscem* intelligitur *fides*, sicut dicit Augustinus [1], vel propter aquam baptismi, quia in huius saeculi fluctibus fides integra est »; primae Ioannis quinto: « Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra »; et ad Hebraeos undecimo: « Per fidem vicerunt regna ». Vel, ut dicit Beda [2], « quia piscis sub tegumento aquarum nascitur, vivit et alitur; sic fides trahitur de occultis Scripturis et de occultis est et occulta »; unde ad Hebraeos undecimo: « Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium ». — « Huic, sicut dicit Augustinus [3], contrarius est *serpens*, qui, ut non crederetur Deo, venenosa fraude persuasit »; unde Ecclesiastae decimo: « Qui dissipat sepem », id est defensionem sacrae Scripturae, « mordebit eum coluber », id est infidelitas erroris diabolici.

*Per ovum spes, per scorpionem desperatio.*

33. Recte etiam per *ovum* intelligitur *spes*; unde Augustinus [4]: « *Spes* in *ovo*, quia vita pulli nondum est, sed futura est, nec iam videtur, sed adhuc speratur. *Spes enim, quae videtur, non est spes* », sicut dicitur ad Romanos octavo; et quia in ovo pullus est imperfecte, qui dum perficitur, testa ovi frangitur; sic spei succedit beatitudinis perfectio; unde primae ad Corinthios decimo tertio [5]: « Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est ». — « Huic, ut dicit Augustinus [6], contrarius est *scorpio* », id est *desperatio*, quae facit retrorsum respicere et ex illa parte nocet. « Scorpio enim ex ea parte cavendus est, quam venenatam et aculeatam retrorsum habet »; unde qui nititur a spe vitae subvertere scorpius est; unde Ezechielis secundo [7]: « Subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas ». — Est igitur *sensus* verbi propositi *spiritualis*, quod si quis petat panem *caritatis* Spiritus sancti, piscem *fidei* et ovum *spei*, non dabit ei Deus, immo removebit ab eo, lapidem *obdurationis*, serpentem *infidelitatis* et scorpium *desperationis*; quae per divinum adiutorium elongantur a viris sanctis.

*Notandum.*

*Secundo, de liberalitate Patris spiritualis.*

34. (Vers. 13.). *Si ergo vos, cum sitis mali* etc. Postquam proposuit liberalitatem in patre carnali, concludit *a minori* in *Patre spirituali.* Si enim bonum est communicativum [8], magis bonum magis communicativum, et maxime bonum maxime communicativum. Si ergo carnalis pater bonum communicat filio petenti, multo fortius caelestis homini supplicanti. Et hoc est quod dicit: *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris.* Beda [9]: « *Malos* vocat *saeculi amatores* »; hi autem dupliciter mali sunt malitia culpae; quia Ecclesiastici undecimo [10]: « Si dives fueris, non eris immunis a delicto »; et Augustinus: « Omnis dives aut est iniquus, aut heres iniqui ». — Vel, *malos* vocat ipsos *Apostolos*, qui comparatione divinae bonitatis *mali* dicuntur; unde Marci decimo [11]: « Nemo bonus nisi solus Deus »; et Isaiae sexagesimo quarto: « Facti sumus ut immundus omnes nos, iustitiae nostrae sicut pannus menstruatae »; et Iob vigesimo quinto: « Stellae non sunt mundae in conspectu eius, quanto magis homo » etc. Unde Gregorius [12]: « Saepe iustitia nostra, ad examen divinae iustitiae deducta, iniustitia est, et sordet in districtione iudicis quod in oculis fulget operantis ». — Vel, *mali* erant propter *peccata venialia*, sine quibus non ducitur praesens vita; unde dicitur ad Ephesios quinto [13]: « Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt »; quia, secundum quod

*Mali intelligi possunt tripliciter.*

---

[1] Loc. cit. Textus originalis (et Vat.) voci *quia* praefigit *vel,* et omittit cum codd. *fides*. Cfr. II. Qq. Evangelior. q. 22. Serm. 105. (alias 29. de Verbis Domini) c. 4. n. 6: Dixit quidam Sanctus, et nos dicere delectat: Piscis bonus pia est fides. Vivit inter fluctus nec frangitur aut solvitur fluctibus. Vivit inter tentationes tempestatesque huius saeculi pia fides; saevit mundus, et integra est. — Subinde allegantur I. Ioan. 5, 4. et Hebr. 11, 33.

[2] Libr. II. Homil. sect. 1. homil. 8. in Litania maiore: Quomodo enim piscis sub tegmento aquarum nascitur, vivit et alitur, sic et fides, quae in Deum est, quae alterius vitae gaudia per lamenta praesentia fletusque requirit, invisibiliter in corde gignitur, invisibili gratia Spiritus per aquam baptismatis consecratur etc. Cfr. III. in Luc. 11, 11: Piscis est fides invisibilium... vel quia de invisibilibus locis capitur. Glossa *interlinearis* in Matth. 7, 10: *Aut si piscem,* invisibilem fidem intra aquas Scripturae latitantem. — Sequitur Hebr. 11, 1. — Superius post *quia* Vat. addit *sicut*

[3] Epist. 130. (alias 121.) c. 8. n. 16. — Subinde allegatur Eccle. 10, 8.

[4] Loc. cit. In fine huius sententiae allegatur Rom. 8, 24, ubi post *non est* A C D F G omittunt *spes.*

[5] Vers. 10. — August., II. Qq. Evangelior. q. 22: In ovo intelligitur spes; ovum enim nondum est fetus perfectus, sed fovendo speratur.

[6] Epist. 130. (alias 121.) c. 8. n. 16: Cui contrarius est scorpius, quoniam qui sperat aeternam vitam *quae retro sunt obliviscitur et in anteriora se extendit* [Phil. 3, 13.]; cui noxium est retro respicere, scorpius autem ex ea parte cavendus etc.

[7] Vers. 6. — Inferius Vat. omittit *Spiritus sancti,* et pro *non dabit ei Deus, immo removebit* ponit *dabit ei Deus et removebit,* B *dabit ei Deus, et non solum hoc, immo removebit.*

[8] Cfr. Dionys., de Caelesti Hierarch. c. 4. § 1. et de Div. Nom. c. 4. § 1. seq. — Inferius vocibus *multo fortius* A C D F G praefigunt *et.*

[9] Libr. III. in Luc. 11, 13: Quomodo mali dant bona? Sed malos appellavit dilectores adhuc saeculi huius et peccatores (ex August., II. de Serm. Domini in monte, c. 21. n. 73.).

[10] Vers. 10. — De sententia August. cfr. Enarrat. in Ps. 48. serm. 1. n. 12: Fac tibi *amicos de mammona iniquitatis* [Luc. 16, 9.]. Fortasse ea quae acquisisti de iniquitate acquisisti; aut fortasse ea ipsa est iniquitas, quia tu habes, et alter non habet, tu abundas, et alter eget etc. Verbotenus haec sententia occurrit in Hieron., Epist. 120. (alias 150.) cap. sive quaest. 1: Unde et illa vulgata sententia mihi videtur esse verissima: Dives autem iniquus, aut heres iniqui.

[11] Vers. 18, post quem Isai. 64, 6. et Iob 25, 5. seq. — Hanc expositionem insinuat Hieron., I. Comment. in Matth. 7, 11. seq., quem sequitur Beda, in Matth. 7, 11, et in Luc. 11, 13. nec non in Homil. 8. (superius iam allegata) in Litania maiore.

[12] Libr. V. Moral. c. 11. n. 21.

[13] Vers. 16. — Duo seqq. loci sunt Gen. 47, 9. et I. Ioan. 1, 8, ubi pro *mendaces sumus* (cfr. v. 10. et 2, 4.) Vulgata et Vat. *ipsi nos seducimus.* — Hanc expositionem insinuat Beda in praeallegata homilia.

dicitur Genesis quadragesimo septimo, « dies peregrinationis vitae meae pauci et mali sunt »; quia, secundum quod dicitur primae Ioannis primo, « si dixerimus, quia peccatum non habemus, mendaces sumus, et veritas in nobis non est ». Minus ergo videtur, quod a malo bonum, quam a bono bonum.

Conclusio ex parabola.

35. Et ideo concludit: *Quanto magis Pater vester de caelo dabit spiritum bonum petentibus se?* Immo certe dabit, quia Iacobi primo[1]: « Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est ». Iste *spiritus bonus* est Spiritus sanctus, in quo omnia dona donantur; de quo Sapientiae septimo[2]: « Invocavi, et venit in me spiritus sapientiae »; et post: « Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa »; et primae ad Corinthios duodecimo: « Alii datur per Spiritum » etc.; et post: « Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult ». Iste Spiritus datur *petentibus* et desiderantibus, secundum illud Psalmi[3]: « Os meum aperui et attraxi spiritum »; Ieremiae secundo: « Onager assuetus in solitudine in desiderio animae suae attraxit ventum amoris sui ». Ad hunc enim Spiritum Domini suspirat Sanctorum spiritus; ad Romanos octavo: « Spiritus est qui postulat » etc.

Divisiones praecedentes.

36. *Et erat Iesus*[4] *eiiciens daemonium* etc. Sicut habitum fuit in principio libri, liber iste habet quatuor partes; quarum prima est de Christi *natura;* secunda vero, de Christi *doctrina;* et haec incepit supra quarto capitulo[5], et habet partes duas secundum duo opera sapientis, « quorum primum est non mentiri; secundum, mentientem manifestare posse ». Prima igitur pars est de veritate declaranda ad discipulorum informationem; secunda, de falsitate confutanda per Iudaeorum adversantium confutationem.

### *Secundo confutatur falsitas Iudaeorum adversantium quadrupliciter.*

Prima parte terminata, hic incipit secunda. Dividitur autem haec pars in quatuor. In quarum prima parte confutat Iudaeorum *dolositatem;* in secunda, *impietatem; Erant appropinquantes,* infra decimo quinto[6]; in tertia *curiositatem,* infra decimo septimo: *Interrogatus autem a Pharisaeis* etc.; in quarta, *incredulitatem,* infra decimo nono: *Et factum est, cum appropinquasset Iesus* etc.

### Dolositas Iudaeorum calumniantium miracula confutatur dupliciter.

In confutando autem *dolositatem Iudaeorum* primo confutat dolositatem calumniantium miracula ex parte causae *efficientis;* in secunda vero, ex parte *temporis,* infra decimo tertio[7]: *Erat autem docens in synagogis eorum Sabbatis.*

#### Primo confutantur Iudaei calumniantes miracula ex parte causae efficientis, deinde discipuli informantur.

Prima in duas dividitur. In quarum prima *confutat Iudaeorum dolositatem et fallaciam;* in secunda *informat discipulos suos ad illam vitandam,* infra duodecimo[8]: *Multis autem turbis* etc.

#### Primo, de Iudaeorum dolositate et triplici fallacia.

Prima pars, quae continet praesens capitulum, dividitur in partes tres. In quarum prima confutat fallaciam *blasphemantium;* in secunda, fallaciam *tentantium* sive discredentium, infra[9]: *Turbis autem concurrentibus;* in tertia vero, fallaciam *simulantium,* ibi: *Nemo accendit lucernam.* Primum istorum est in *verbo,* secundum autem est in *animo,* tertium autem consistit in *quocumque signo.*

#### Confutatur fallacia blasphemantium per tria.

Ad confutandam autem *fallaciam blasphemantium* tria introducuntur. Primo enim fit *expressio fraudis Iudaicae;* secundo vero, *improbatio fraudis expressae,* ibi[10]: *Ipse autem, ut vidit cogitationes eorum* etc.; tertio vero, *commendatio veritatis ostensae,* ibi: *Factum est autem, dum haec diceret* etc. — Circa *expressionem Iudaicae fraudis* tria explicat Evangelista: primum est *materia laudis divinae,* secundum est *blasphemia fraudis humanae,* tertium est *controversia litis adiunctae.*

Primum explicatur tripliciter.

Quoad materiam laudis.

37. (Vers. 14.). Primo igitur quantum ad *materiam laudis divinae* dicit: *Et erat Iesus eiiciens daemonium, et illud erat mutum;* in quo simul tanguntur duo miracula, immo etiam tria. Unde Beda in Glossa[11]: « Matthaeus hunc daemoniacum etiam caecum fuisse dicit, in quo tria miracula a Domino

[1] Vers. 17.

[2] Vers. 7. et 11. — Subinde allegantur I. Cor. 12, 8. et 11. Cfr. Beda, III. in Luc. 11, 13, et I. Sent. d. 18. q. 1, ubi ostenditur, Spiritum S. esse donum, in quo omnia dona donantur. Hic plures codd. *bona donantur.*

[3] Psalm. 118, 131, cui subiunguntur Ier. 2, 24. et Rom. 8, 26.

[4] Vulgata omittit *Iesus,* quod tamen iam Beda exhibet. — De seqq. cfr. Prooem. n. 23. et in ipso Comment. c. 1. n. 7.

[5] Num. 1, ubi etiam verba Aristot. de duobus operibus sapientis allegata sunt.

[6] Vers. 1: *Erant autem appropinquantes* (ita etiam codd. inferius legunt); tertia pars habetur 17, 20. et quarta 19, 29, ubi Vulgata et Vat. omittunt *Iesus.*

[7] Vers. 10, ubi Vulgata et Vat. pro *in synagogis* substituunt *in synagoga,* cum qua lectione etiam codd. inferius conveniunt.

[8] Vers. 1. [9] Vers. 29; tertia pars incipit v. 33.

[10] Vers. 17; tertium habetur v. 27, ubi pro *dum haec* Vulgata et Vat. *cum haec.* — Supra pro *blasphemantium* CDF *blasphematorum,* quod infra n. 64. etiam plures codd. et Vat. habent.

[11] Scilicet *ordinaria* in Luc. 11, 14 (Beda sequitur Hieron., II. Comment. in Matth. 12, 22.), in qua plures codd. pro *Matthaeus* [12, 22.] perperam *Marcus,* et pro *daemone* CDF *daemonio.*

fiunt: quia *caecus* videt, *mutus* loquitur, *possessus* a daemone liberatur ». Et in hoc erat *materia laudis divinae* tam ex parte curati quam assistentium. Propter quod dicit: *Et cum eiecisset daemonium, locutus est mutus, et admiratae sunt turbae;* et sic impletum est illud Isaiae trigesimo quinto [1]: « Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum ». Tanta autem miracula simul facta sunt *admirationis* et *laudis* causa, secundum illud Ecclesiastici quadragesimo tertio [2]: « Terribilis Dominus et magnus vehementer, et mirabilis potentia eius »; et post: « Glorificantes Dominum, quantumcumque potueritis, supervalebit adhuc, et admirabilis magnificentia eius ». Unde vere poterant isti dicere illud Marci septimo: « Bene omnia fecit, et surdos fecit audire et mutos loqui ».

Expositio spiritualis. Peccati effectus triplex.

38. Secundum autem *spiritualem intelligentiam daemonium* est peccatum, quod facit *surdum* ad veritatem audiendam, *caecum* ad videndam et *mutum* ad confitendam. Unde Chrysostomus [3]: « O nequitia daemonis! Alterutrum ingressum, per quem crediturus erat homo, oppilavit: *auditum* et *visum* », et tertium, id est *linguam*, ne confiteatur. Unde dicitur Isaiae quadragesimo primo [4]: « Non est annuntians et non est praedicans neque audiens sermones meos »; et iterum quadragesimo secundo: « *Surdi* audite, et *caeci* intuemini ad videndum. Quis caecus nisi servus meus? Et quis surdus, nisi ad quem nuntios meos misi »? Talis etiam *mutus* est ad confitendum; unde Ecclesiastici decimo quinto: « Non est speciosa laus in ore peccatoris ».

Triplex finis loquelae aufertur per triplex daemonium.

39. Et nota, quod cum ad tria sit data homini loquela, scilicet ad *laudandum Deum*, ad *aedificandum proximum* et ad *accusandum se ipsum;* haec triplex loquela aufertur per triplex daemonium. Primam aufert spiritus *luxuriae*, secundum illud Isaiae primo [5]: « Cum multiplicaveritis orationes vestras, non exaudiam. Manus enim vestrae sanguine plenae sunt ». — Secundam aufert spiritus *avaritiae*, qui facit sibi soli intendere, secundum illud Matthaei vigesimo quinto: « Qui unum talentum acceperat abiens fodit in terram ». — Tertiam aufert spiritus *superbiae*, qui non permittit, quod homo accuset se, secundum illud Psalmi [6]: « Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea »; et Ieremiae secundo: « Ecce, ego iudicio contendam tecum, pro eo quod dixeris: Non peccavi ». — De hoc triplici daemonio dicitur Apocalypsis decimo sexto: « Vidi, de ore bestiae et de ore draconis et de ore pseudoprophetae exire tres spiritus immundos in modum ranarum ». — Primum daemonium eiicitur per *ieiunium*, secundum illud Matthaei decimo septimo [7]: « Hoc genus daemoniorum non eiicitur nisi per ieiunium ». Secundum eiicitur per *memoriam passionis dominicae*, secundum illud Tobiae sexto [8]: « De corde piscis si particulam super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus daemoniorum » etc. Tertium per *orationem;* primi Regum decimo sexto: « Tollebat David citharam et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul et levius habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus ».

Horum eiectio per tria

Quoad blasphemiam fraudis humanae.

40. (Vers. 15.). Secundo quantum ad *blasphemiam fraudis humanae* subditur: *Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub, principe daemoniorum, eiicit daemonia.* Et haec erat magna blasphemia, quia quod fiebat a Spiritu sancto attribuebant spiritui maligno; unde Matthaei duodecimo [9] statim post hoc dicitur: « Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiae non remittetur ». In hanc blasphemiam prorumpebant ex invidia; unde Chrysostomus [10]: « Non quando magna dicebat, sed quando faciebat salutes hominum, tunc instituerunt Pharisaei ». « Invidia enim non quaerit, quid dicat, sed solum, ut dicat ». « Aemulatione namque non est aliqua malitia deterior. Adulter enim brevi complet peccatum suum, aemulator nunquam quiescit ». — Et quia blasphemia ista ex malitia et invidia procedebat, pro tanto hoc Evangelium legitur, quando cantatur historia Ioseph [11] in tertia Dominica Quadragesimae. Sicut enim fratres Ioseph ex invidia vocabant eum *inventorem somniorum*, sic et isti dicebant Christum *invocatorem daemonum.* Et maxime exprimunt *Beelzebub*, tum quia istud idolum erat famosum; unde

Notandum.

[1] Vers. 5. et 6.

[2] Vers. 31. et 32, ubi pro *potueritis* A C D F *poteritis.* — Subinde allegatur Marc. 7, 37.

[3] Homil. 40. (alias 41.) in Matth. n. 3. Pro *O nequitia daemonis* (Ὦ πονηρία δαίμονος) A C D F G *O de nequitia daemonis*, B *O dira nequitia daemonis;* Card. Hugo, in Luc. 11, 14. legit: *Odit nequitia daemonis alterutrum* etc. Subinde C D F H omittunt *homo* (pro quo textus originalis ἐκεῖνος, id est *ille*). — Inferius post *linguam* Vat. addit *colligavit.* — De hoc spirituali sensu cfr. Hieron., II. in Matth. 12, 22, et August., I. Qq. Evangelior. q. 4.

[4] Vers. 26, post quem 42, 18. et Eccli. 15, 9.

[5] Vers. 15. — Subindo allegatur Matth. 25, 18.

[6] Psalm. 31, 3, ubi pro *ossa mea* C D F *omnia ossa.* — Duo seqq. loci sunt Ier. 2, 35. et Apoc. 16, 13.

[7] Vers. 20, in cuius fine Vulgata et Vat. *nisi per orationem et ieiunium;* cfr. infra n. 52.

[8] Vers. 8. — Sequitur I. Reg. 16, 23, ubi pro *levius*, D *mitius*, F *lenius*, G *melius*, et pro *enim* codd. *autem.* — Quae hic de triplici usu loquelae, triplici daemonio atque triplici remedio proponuntur, quoad substantiam profert etiam Card. Hugo, in Luc. 11, 14.

[9] Vers. 31.

[10] Homil. 40. (alias 41.) in Matth. n. 3: Atqui quid magni turbae dixerant? Attamen id Pharisaei non tulerunt; sic illi, ut supra dixi, semper ex beneficiis proximo collatis mordentur, nihil ita illis dolorem parit ut hominum salus. Homil. 41. (alias 42.) n. 1: Nam, ut dixi, invidia non explorat, quid dicat, sed temere loquitur (ἀλλ' ἵνα εἴπῃ μόνον). Homil. 40. (alias 41.) n. 3: Huiusmodi res est invidia, cui nullum par malum (ἧς οὐκ ἂν γένοιτο κακία χείρων). Nam moechus... brevi tempore peccatum suum perficit etc.

[11] Gen. 37, 3. seqq.

quarti Regum primo[1] dicitur, quod « Ochozias misit nuntios suos dicens: Ite et consulite Beelzebub, deum Accaron »; et Beda in Glossa: « Asserebant Iudaei, in hoc simulacro principem daemoniorum habitare. Per eius potestatem dicebant Iesum daemonia eiicere »; et ideo in textu dicitur: *In principe daemoniorum;* sive quia nomen huius idoli erat ridiculosum; unde tantum sonat *Beelzebub*, quantum *vir muscarum;* quo nomine vocabant eum Iudaei irrisorie, sicut dicitur in Glossa[2], « propter sordes cruoris, qui in templo eius immolabatur ». Unde sic blasphemiam proferebant, sicut Ioannis octavo, ubi dicitur: « Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu et daemonium habes »?

Quoad controversiam litis adiunctae.

41. (Vers. 16.). Tertio vero quantum ad *controversiam litis adiunctae* subdit: *Et alii tentantes signum de caelo quaerebant ab eo.* Non quaerebant huiusmodi signum ad credendum ut fideles, sed ut rebelles ad impugnandum, secundum illud Salvatoris Matthaei vigesimo secundo[3]: « Quid me tentatis, hypocritae »? et in Psalmo: « Tentaverunt me patres vestri » etc. Et hoc malum, sicut dicitur primae ad Corinthios decimo: « Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt et a serpentibus perierunt ». Petebant autem *signum de caelo*, sicut *tonitruum* tempore Samuelis, primi Regum duodecimo[4]; aut *emissionem ignis* tempore Eliae, tertii Regum decimo octavo et quarti Regum primo; aut sicut *retrocessionem solis* tempore Ezechiae, quarti Regum vigesimo. — Hoc autem erat Iudaeis proprium, sive per *assuefactionem;* unde primae ad Corinthios primo[5]: « Iudaei signa quaerunt, et Graeci sapientiam »; et ideo Petrus potens in signis fuit Apostolus ad Iudaeos, sed Paulus in sapientia, ad gentes; sive etiam propter *incredulitatem* et *duritiam*, secundum quod dixit Stephanus Actuum septimo[6]: « Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis ». Unde Chrysostomus[7]: « Semper *discere* signum est nunquam posse proficere; sic semper *testimonium quaerere* signum est nunquam velle credere ». Et hoc quidem verum est; quando enim sufficientia testimonia habebant in terris, non oportebat quaerere signa de caelis; unde Ioannis decimo[8]: « Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonia perhibent de me ».

Notandum.

Expositio spiritualis.

42. *Spiritualiter* autem Dominus dedit *signa in terris,* scilicet signa *humilitatis et paupertatis,* secundum illud supra secundo[9]: « Hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum ». Sed multi huic signo non credunt, ut superbi et ambitiosi, qui quaerunt Christum non in humilitate crucis, sed in appetitu honoris et laudis. Et tamen dicitur Matthaei vigesimo quarto: « Tunc apparebit signum Filii hominis in caelo » etc. Huic autem contradicunt superbi, secundum illud supra secundo[10]: « Positus est hic in signum, cui contradicetur », quia non placet eis status humilitatis, sed dignitatis. Unde in Psalmo: « Posuerunt signa sua signa », scilicet superbiae et lasciviae, secundum illud Sapientiae secundo: « Relinquamus ubique signa laetitiae nostrae », sine quibus signis nolunt sequi; unde in Psalmo: « Signa nostra non vidimus » etc.

Secundum, sive improbatio fraudis expressae explicatur tripliciter.

43. *Ipse autem, ut vidit cogitationes eorum, dixit eis.* Post expressionem fraudis Iudaicae subditur hic *improbatio fraudis expressae*[11]. Habet autem pars ista tres. In quarum prima ponitur *improbatio falsitatis;* in secunda vero, *comprobatio veritatis*, ibi[12]: *Cum fortis armatus custodit* etc.; in tertia, *reprobatio dolositatis*, ibi: *Cum immundus spiritus exierit ab homine* etc.

Improbatio falsitatis per tria.

In *improbando falsitatem* procedit hoc ordine: primo deducit ad *manifestum impossibile,* secundo perducit ad *falsum improbabile,* tertio reducit ad *verum infallibile.*

Primum.

44. (Vers. 17. 18.). Primo igitur deducit ad *manifestum impossibile,* cum dicit: *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur;* in quo intendit tale argumentum facere: omne regnum divisum hoc ipso, quod dividitur in se, destruitur; sed si unus daemon eiicit alium, satanas in se ipsum divisus est: ergo non stat eius regnum. Sequitur igitur, quod satanas ipse destruat suum regnum et auferat sibi

---

[1] Vers. 2. — Sequens Glossa est *ordinaria* in Luc. 11, 15.

[2] Nempe *ordinaria* in Luc. 11, 15: Ninus rex, conditor Ninive, Belo patri suo statuam consecravit eique divinos honores instituit, cuius simulacri similitudinem suscipientes Chaldaei *Bel* vocabant, Palaestini suscipientes *Baal* dicebant, Moabitae *Beelphegor*, Iudaei autem, unius Dei cultores, propter derisionem gentilium *Beelzebub* appellabant... id est vir muscarum, sive habens muscas, propter sordes cruoris etc. Cfr. Hieron., VII. in Ezech. 23, 11. seqq. et I. Comment. in Matth. 10, 25. Vide etiam Isidor., VIII. Etymolog. c. 11. n. 23. seqq., et Bedam, IV. in Luc. 11, 15. — Subinde allegatur Ioan. 8, 48.

[3] Vers. 18. — Duo seqq. loci sunt Ps. 94, 9. et I. Cor. 10, 9.

[4] Vers. 18. — Sequuntur III. Reg. 18, 38. (cfr. v. 24.) et IV. Reg. 1, 10. (cfr. v. 12. et 14.); IV. Reg. 20, 10. seq.; cfr. Hieron., II. Comment. in Matth. 12, 38.

[5] Vers. 22. Lectionem Vulgatae vide supra pag. 17, nota 9. — Inferius pro *potens in signis* Vat. *insignis*, quae etiam post *Paulus* addit *valens.*

[6] Vers. 51, ubi pro *cordibus* A C D F H *corde* (C legit *incircumcisi corde*), et pro *restitistis* Vulgata *resistitis.*

[7] Homil. 30. in Matth. 12, 31. (Op. imperfect.): Nam sicut semper *discere* signum est nihil posse proficere [cfr. II. Tim. 3, 7: *Semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes*], sic *signum* semper petere, testimonium est nunquam velle credere. Pro *Semper discere* (ita etiam Card. Hugo) codd. et Vat. *Semper discredere.*

[8] Vers. 25, ubi pro *ipsa testimonia* Vulgata *haec testimonium.*

[9] Vers. 12. Cfr. supra c. 2. n. 26. — Subinde allegatur Matth. 24, 30.

[10] Vers. 34. — Tres seqq. loci sunt Ps. 73, 4; Sap. 2, 9. et Ps. 73, 9.

[11] Cfr. supra n. 36.

[12] Vers. 21; tertia pars incipit v. 24, ubi Vulgata *de homine* pro *ab homine* (ita etiam Card. Hugo, B. Albert. et S. Thom., Cat. aurea in Luc. c. 11. n. 7.).

*posse* et dominium. Sed hoc est impossibile manifestum; et sequitur ex dicto Pharisaeorum: ergo illud fuit manifeste falsum. Huius igitur rationis *maiorem* Argumentationis maior. praemittit, cum dicit: *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.* Et hoc quidem est per se notum et verum est, quia divisio est causa ruinae; unde causa praedicati est in subiecto. Et hoc est quod dicit Hieronymus[1]: « Concordia parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur ». Unitas enim est causa salvationis, et divisio interitus, secundum illud Osee decimo[2]: « Divisum est cor eorum, nunc interibunt »; et Proverbiorum vigesimo octavo: « Propter peccata terrae Exemplum. multi principes eius ». Exemplum huius est Genesis undecimo de aedificantibus turrem, cum essent « labii unius », ubi subditur: « Divisit eos Dominus ex eo loco in universas terras, et cessaverunt aedificare ». Unde in finali statu mundi de unitatis eius destructione dicitur infra vigesimo primo[3]: « Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum, et terrae-Minor. motus magni » etc. — Deinde adiungit *minorem*, cum dicit: *Si autem*[4] *satanas in se ipsum divisus est,* id est, contra se ipsum pugnat; quod dicit *sub conditione,* quia hoc sequitur ex verbo praedictorum scribarum et Pharisaeorum; tamen in se non est verum; satanas enim satanae concordat in malo. Unde Iob quadragesimo primo[5]: « Corpus illius quasi scuta fusilia et compactum squamis se prementibus; una uni coniungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas; una alteri adhaerebit, et tenentes se nequaquam separabuntur »; unde in Psalmo: « Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Conclusio. Dominum » etc. — Post haec subiungit *conclusionem,* cum subdit: *Quomodo stabit regnum eius?* Quod dicit *interrogative,* tanquam impossibile sit hoc sustinere, quod satanas ipse de regno eiiciat se. Regnum enim satanae est in malis et peccatoribus; Iob quadragesimo primo[6]: « Ipse est rex super omnes filios superbiae »; et ideo dicebat Apostolus ad Romanos sexto: « Non regnet peccatum in vestro mor-Probatio minoris. tali corpore ». — Postremo subinfert *minoris probationem ex dicto ipsorum,* quoniam haec erat causa totius illationis[7] falsi. Et ideo addit: *Quia dicitis: In Beelzebub eiicere me daemonia.* Si enim verum est quod dicitis, ut satanas satanam eiiciat; ergo divisum est eius imperium, ac per hoc tendit ad interitum. Et hoc modo formatur argumentum Matthaei duodecimo[8]: « Si satanas satanam eiicit, adversus se ipsum divisus est; quomodo ergo stabit regnum eius »? — Sic ergo patet, quomodo ex dicto eorum deducit ad manifestum impossibile.

45. (Vers. 19.). Secundo vero perducit ad *fal-* Secundum. *sum improbabile,* cum subdit: *Si autem ego in Beelzebub eiicio daemonia;* in quo intendit formare talem rationem: si ego eiicio daemonia per daemonum potentiam; et ego dedi potestatem filiis vestris eiiciendi daemonia — hanc supponit et tacet — ergo ipsi in principe daemoniorum eiiciunt daemonia. Sed hoc est falsum et improbabile[9] et secundum ipsorum opinionem et secundum ipsorum Apostolorum testificationem. Falsum est igitur quod Pharisaei sentiunt, et verum quod Apostoli testantur; igitur *ipsi erunt iudices eorum.* — In hac autem ratione Propositio. praemittitur *propositio,* quam asserunt, cum dicitur: *Si autem ego in Beelzebub eiicio daemonia,* secundum vestram scilicet assertionem; supra eodem[10]: « In Beelzebub eiicit daemonia ». — Subditur *conclu-* Conclusio. *sio,* quam non concedunt, cum dicitur: *Filii vestri in quo eiiciunt?* quasi diceret: sequitur, quod eiiciunt in Beelzebub; quod tamen ipsi non concedunt. Unde Beda[11]: « *Filios* Iudaeorum vocat Apostolos, qui inter alia munera, quae a Domino acceperant, etiam daemonia pellebant, quam expulsionem non diabolo, sed Deo assignabant ». — Subinfertur autem Redargutio. *redargutio,* quam incurrunt, cum dicitur: *Ideo ipsi iudices vestri erunt;* quia quod vos blasphematis ut falsum ipsi testificantur esse verum, secundum illud Isaiae quadragesimo tertio[12]: « Vere vos testes mei, dicit Dominus ». Et non tantum *testes* propter veritatis assertionem, sed etiam *iudices* propter veritatis perfectionem, secundum illud Matthaei decimo nono: « Vos, qui reliquistis omnia et secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel ». Ipsi namque sunt, de quibus Isaiae tertio[13]: « Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui ». *Seniores* vocat perfectiores, secundum illud Sapientiae quarto: « Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero

---

[1] Libr. II. Comment. in Matth. 12, 26; ex Sallust., Iugurtha, c. 10. Cfr. tom. V. pag. 195, nota 3, ubi alios auctores allegavimus. De propositione per se nota cfr. I. Sent. d. 8. p. I. a. 1. q. 2. in corp.

[2] Vers. 2, in quo post *nunc* C D G addunt *autem.* — Subinde allegantur Prov. 28, 2; Gen. 11, 1. et 8.

[3] Vers. 10. — Superius pro *de unitatis* [A C D F G *in unitate*] *eius destructione* Vat. *de ipsius unitatis dissipatione,* H *erit unitatis destructio,* omisso *dicitur.*

[4] Vulgata et H *Si autem et.*

[5] Vers. 6-8, post quos Ps. 2, 2. — Superius pro *tamen in se non est verum* Vat. *cum in se non sit verum.*

[6] Vers. 25, cui subiungitur Rom. 6, 12. — Superius pro *eiiciat se* Vat. *eiiciatur.*

[7] Vat. *elucidationis;* immediate post pro *falsi* H *falsae.*

[8] Vers. 26. — Superius post *satanam eiiciat* Vat. addit *adversus se ipsum divisus est.*

[9] Plures codd., ut A C D H, *impossibile.*

[10] Vers. 15. — Superius pro *propositio* A C D F H *probatio,* et pro *asserunt* Vat. *osseruerunt.*

[11] Libr. IV. in Luc. 11, 19; verba sunt Glossae *ordinariae* in eundem locum.

[12] Vers. 9. et 10. — Sequitur Matth. 19, 28. Ita etiam Haymo, Card. Hugo et Lyranus; Vat. *Vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos.*

[13] Vers. 14. — Subinde allegatur Sap. 4, 8, ubi A C D F *Senectus venerabilis non est diuturna* etc., et pro *Cani enim* Vulgata et Vat. *Cani autem.*

computata. Cani enim sunt sensus hominis et aetas senectutis, vita immaculata ».

46. (Vers. 20.). Tertio vero *reducit ad verum infallibile*, cum adiungit: *Porro, si in digito Dei eiicio daemonia. Porro*, hoc est certe; *si*, id est quia; *in digito Dei*, hoc est in Spiritu sancto; unde Matthaei duodecimo [1] dicitur: « Si in Spiritu Dei eiicio daemonia ». Spiritus sanctus namque dicitur *digitus Dei*, sicut dicitur Exodi octavo: « Digitus Dei est hic ». Ratio autem huius est, quia Filius dicitur *brachium* Patris, secundum illud Isaiae quinquagesimo tertio [2]: « Brachium Domini cui revelatum est »? Dicitur etiam *manus*, secundum illud Psalmi: « Emitte manum tuam de alto ». Et ratio huius est, quia, sicut qui operatur brachio et manu facit, sic Pater omnia facit per Filium, sicut Ioannis primo dicitur: « Omnia per ipsum facta sunt ». Spiritus autem sanctus procedit a Patre et Filio, sicut digitus a corpore et brachio, et est illi connaturalis et consubstantialis, et ideo merito dicitur *digitus* in Scripturis [3]. Vel, quia, sicut *una* est manus, et per digitos fit *distinctio*, sic per unum Spiritum fit distinctio donorum, sicut dicitur primae ad Corinthios duodecimo [4]: « Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult ». — Quia ergo in hoc Spiritu eiicio daemonia, *profecto pervenit in vos regnum Dei*, id est potestas regia, quae protegit nos, expulso diabolo, secundum illud Ioannis duodecimo [5]: « Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras ». — Et nota, quod dicit: *pervenit in vos regnum Dei*, quia regnum Dei in nos *pervenit* per *gratiam*, secundum illud infra decimo septimo [6]: « Regnum Dei intra vos est ». Sed tunc *perveniemus* in illud per *gloriam*, quando dicetur nobis: « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum » etc.

Tertium. — igitus Dei. — rachium et manus.

47. Et nota, quod ista consequentia est necessaria; quia, si nihil est medium, quin homo sit sub potestate Dei, vel diaboli: ergo si expellitur potestas diaboli ab homine, sequitur, quod introducatur potestas divina. — Triplex autem spiritus nequam, de quo habitum est supra [7], expellitur spiritu divino dato ad tria, scilicet spiritu *sanctitatis*, de quo Sapientiae primo [8]: « Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum »; spiritu *paupertatis*, de quo Matthaei quinto: « Beati pauperes spiritu »; et spiritu *humilitatis*, de quo Isaiae ultimo: « Ad quem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu »? — Hunc triplicem spiritum petebat Propheta in Psalmo [9]: « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum *rectum* innova etc. Et Spiritum *sanctum* tuum ne auferas a me. Et spiritu *principali* confirma me »; ut tangatur hic triplex spiritus: *rectus*, id est paupertatis; *sanctus*, id est puritatis; et *principalis*, id est humilis [10]; quem spiritum qui habet habet iustitiam ad *se* et *proximum* et *Deum*, sive *intra*, *extra*, *supra* habet, ac per hoc habet pacem et gaudium, et ita intra se regnum Dei. Nam, secundum illud ad Romanos decimo quarto [11], « regnum Dei non est esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu sancto ».

Notandum. — Expulsio triplicis spiritus nequam. — Triplex spiritus bonus.

48. (Vers. 21.). *Cum fortis armatus custodit atrium suum*. Postquam improbavit falsitatem, hic secundo *approbat veritatem* [12]; in cuius approbatione procedit hoc ordine: primo praemittit veritatem *praeambulam*, secundo subdit veritatem *intentam*, tertio subnectit veritatem *annexam*.

Comprobatio veritatis per tria.

Primo igitur, *praemittens veritatem praeambulam*, dicit: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia* [13], *quae possidet*. Hoc per se manifestum est. Quieta enim possessio venit ex fortitudine possidentis, quae non permittit, impugnari a minus potente. *Fortis* enim est iste diabolus, de quo dicitur Iob quadragesimo primo [14]: « Non est potestas super terram, quae possit ei comparari, qui factus est, ut nullum timeret »; et Habacuc primo: « Domine, in iudicium posuisti eum, et fortem, ut corriperes, fundasti eum ». Iste est *armatus*, secundum quod dicitur Iob quadragesimo primo [15]: « Corpus eius ut scuta fusilia ». Et quia tantam habet potentiam et armaturam, ideo non potest sibi ab homine infirmo fieri violentia; immo *in pace*

Primum.

---

[1] Vers. 27. — Sequitur Exod. 8, 19. Cfr. I. Sent. lit. Magistri, d. III. c. 1. in fine et ibid. Comment. p. I. q. 4. arg. 2. ad opposit.

[2] Vers. 1. — Duo seqq. loci sunt Ps. 143, 7. et Ioan. 1, 3.

[3] Haec explicatio insinuatur ab Hieron., II. Comment. in Matth. 12, 28, quem sequitur Beda, IV. in Luc. 11, 20; cfr. etiam Ambros., VII. in Luc. n. 92.

[4] Vers. 11. — Vide Bedam, loc. cit.

[5] Vers. 31. — Cfr. Ambros., VII. in Luc. n. 94; Hieron., II. Comment. in Matth. 12, 28. (ubi triplicem expositionem *regni Dei* exhibet), et August., I. Qq. Evangelior. q. 5, quem sequitur Beda, IV. in Luc. 11, 20. — Pro *quae protegit* (ita A C) Vat. cum aliis codd. *quae regit*, et pro *nos* (ita A C, D a prima manu) Vat., D a secunda manu et G *vos*; H legit *quae reget, vos liberans a diabolo* etc.

[6] Vers. 21. — Sequitur Matth. 25, 34. — Superius pro *in nos pervenit* plures codd. *in vos pervenit*.

[7] Num. 39.

[8] Vers. 5. — Duo seqq. loci sunt Matth. 5, 3. et Isai. 66, 2.

[9] Psalm. 50, 12. et 13. Retinuimus claritatis causa cum Vat. hos duos versus; codd. legunt: *Cor mundum crea in me, Deus* etc.

[10] Vat. *humilitatis*, quae etiam inferius post *sive* prosequitur *etiam intra se, extra se et infra se, ac per hoc* etc. Etiam codd. habent *infra*, pro quo substituimus secundum contextum *supra*.

[11] Vers. 17.

[12] Cfr. supra n. 43.

[13] Ita etiam Gorranus; B. Albert. *omnia ea*, Vulgata et H *ea*. Immediate post A D omittunt *Hoc per se manifestum* [Vat. *notum*, H *notum et verum*] *est*, et subinde pro *permittit* B *permittitur*, H verbo *impugnari* praefigit *se;* demum fide B et H posuimus *a minus potente* (confirmatur ex falsa lectione C D F *animus potentis)* pro *atrium suum* (Vat.).

[14] Vers. 24, post quem Habac. 1, 12.

[15] Vers. 6; cfr. supra n. 44. — Inferius pro *fieri* B *inferri*.

Notandum. *possidet*, quoniam non timet amittere, secundum illud Gregorii[1]: « Illos pulsare negligit, quos quieto iure possidere se sentit ». Et haec *pax peccatorum*, de qua in Psalmo: « Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns »; et Matthaei decimo: « Non veni pacem mittere, sed gladium ». Vult igitur in hoc dicere, quod fortis non expellitur a minus forti. Si ergo super potestatem diaboli nulla praevalet potestas terrestris, sed tantum caelestis potentia: ergo quae expellit daemones non est de terris, sed de caelis, non humana, sed divina.

49. (Vers. 22.). Secundo, adiungens *veritatem* Secundum. *intentam* et *iam persuasam*, dicit: *Si autem fortior illo*[2] *superveniens vicerit eum. Fortior* est diabolo divina fortitudo, scilicet Christus noster; primae ad Corinthios primo: « Christum dicimus Dei virtutem et Dei sapientiam »; et rursum: « Quod infirmum est Dei fortius est hominibus »; et ideo Iob nono: « Si fortitudo quaeritur, robustissimus est ». Et propterea dicitur Isaiae nono: « Vocabitur admi- Christus supervenit. rabilis, consiliarius, Deus, fortis ». Iste *supervenit*, id est, de supernis venit, secundum illud Ioannis tertio[3]: « Qui de caelo venit super omnes est ». Hic Et vicit in passione. autem *vicit* diabolum tanquam minus fortem, iuxta quod dicitur Ioannis decimo sexto[4]: « Confidite, ego vici mundum »; unde licet victus videatur, tamen vicit, quia moriendo revixit. Et hoc designatur Ieremiae quadragesimo sexto: « Fortis impegit in fortem, et ambo pariter corruerunt »; quia Christus corporaliter, temporaliter et visibiliter, diabolus vero sempiternaliter, totaliter et irrecuperabiliter. Unde dicitur Apocalypsis quinto[5]: « Ecce, vicit leo de tribu Iuda, radix David, aperire librum ». « Et vidi in medio throni et quatuor animalium Agnum stantem tanquam occisum »; qui ideo vicit, quia occisus est. Unde potest dici diabolo illud primae ad Corinthios decimo quinto[6]: « Ubi est mors victoria tua? Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Dominum nostrum ».

50. Et quia vicit ipsum in *passione*, ideo spo- Spoliavit in resurrectione. liavit in *resurrectione*; ideo subdit: *Universa arma eius auferet, in quibus confidebat*. Et hoc fecit, quando portas infernales confregit, secundum illud Psalmi[7]: « Quia contrivit portas aereas et vectes ferreos confregit »; et rursus in Psalmo: « Arcum conteret et confringet arma et scuta comburet igni ». Haec *arma* facit sibi diabolus de hominibus per consensum, secundum illud ad Romanos sexto[8]: « Non exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato ». — Vel *arma* diabolica sunt diversa tentatorum machi- Aliter. namenta, quibus hominibus praevalebant. Et his *privatus* est per Christi victoriam in resurrectione, et *spoliatus* est in ascensione. — Ideo subdit: *Et spo-* Distribuit spolia in ascensione. *lia eius distribuet*. Et hoc quidem fecit, quando de *vasis contumeliae* fecit *vasa misericordiae*[9]; et hoc est in *ascensione* factum, secundum illud ad Ephesios quarto: « Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus ». Hoc autem fecit noster Emmanuel; Isaiae octavo: « Voca nomen eius: Accelera, spolia detrahe, festina praedari ». *Praedatus* est autem fortiter diabolum, secundum illud Isaiae quadragesimo nono[10]: « Nunquid tolletur a forti praeda? Aut quod captum fuerit a robusto salvum esse poterit? Quia haec dicit Dominus: Equidem et captivitas a forti tolletur »; et Osee decimo tertio: « Diripiet Dominus thesaurum omnis vasis desiderabilis ». — Huius figura praecessit, primi Figura. Regum trigesimo[11], in David, de quo dicitur, quod regressus a caede Amalech, exspoliatis Amalechitis, spolia distribuit et « misit dona senioribus Iuda et proximis suis ». — Et nota, quod Christus dicitur Notandum. *spolia diaboli distribuere*, quia, licet ipse omnes liberaverit, tamen etiam partem huius gloriae diversis praedicatoribus committit, qui et ipsi sunt *spoliatores Aegypti*, Exodi duodecimo[12]. — Ex hoc igitur apparet, quod expulsio daemonum fiebat a Christo non virtute diabolica nec humana, sed per Spiritum sanctum. Et haec est veritas intenta.

51. (Vers. 23.). Tertio vero, annectens *verita-* Tertium. *tem adiunctam*, subdit: *Qui non est mecum contra me est*; ac per hoc homines, quos diabolus possidet, Christo repugnant, et secundum illud secundae ad Corinthios sexto[13]: « Quae conventio Christi ad Belial »? — Et quia nullus fortitudini eius potest resistere, ideo subdit: *Qui*[14] *non colligit mecum dispergit*; quia, sicut dicitur Iob nono, « quis restitit ei, et pacem habuit »? Officium namque Christi est congregare, secundum illud Ioannis undecimo[15]:

---

[1] Libr. XXIV. Moral. c. 11. n. 27. — Duo seqq. loci sunt Ps. 72, 3. et Matth. 10, 34.

[2] Ita etiam Beda et Card. Hugo; Vulgata *eo*. — Subinde allegantur I. Cor. 1, 23. seq. et 25; Iob 9, 19. et Isai. 9, 6.

[3] Vers. 31. — Card. Hugo: « *Superveniens*, id est de supernis veniens »; Gorranus: *Superveniens*, Id est desuper veniens.

[4] Vers. 33. — Sequitur Ier. 46, 12.

[5] Vers. 5. et 6.

[6] Vers. 55. et 57.

[7] Psalm. 106, 16. et dein Ps. 45, 10.

[8] Vers. 13. — Beda, IV. in Luc. 11, 22: *Arma*, in quibus male fortis ille confidebat, astutiae dolique sunt nequitiae spiritualis. *Spolia* vero eius ipsi homines sunt ab eo decepti; quae victor Christus distribuit, quod est insigne triumphantis, quia [Eph. 4, 8.] *captivam ducens captivitatem dona dedit hominibus* etc. Cfr. Hieron., II. Comment. in Matth. 12, 29.

[9] Respicitur Rom. 9, 22. seq. — Duo seqq. loci sunt Eph. 4, 8. et Isai. 8, 3.

[10] Vers. 24. et 25, post quos Osee 13, 15, ubi pro *vasis* C D F G *vallis*.

[11] Vers. 26. Post *Iuda* Vulgata et Vat. omittunt *et*.

[12] Vers. 36: Dominus autem dedit gratiam populo coram Aegyptiis, ut commodarent eis; et spoliaverunt Aegyptios. Cfr. ibid. 3, 21. seq.

[13] Vers. 15. — Superius pro *ac per hoc homines... Christo repugnant* F *ac per hoc omnes... Christum impugnant.*

[14] Vulgata, quam sequitur Vat. cum nonnullis codd., *Et qui*. — Sequitur Iob 9, 4.

[15] Vers. 51. et 52. Pro *Moriturus erat* A C D F G *Passus*. — Duo seqq. loci sunt Isai. 11, 12. et Ps. 146, 2.

« Moriturus erat, ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum »; et Isaiae undecimo: « Congregabit profugos Israel et dispersos Iuda colliget a quatuor plagis terrae »; Psalmus: « Dispersiones Israelis congregabit ». Officium autem diaboli est dispergere, secundum illud Ioannis decimo[1]: « Lupus rapit et dispergit oves ». Ideo optimum est introire in ovile Domini, qui non potest superari a fortiori, sicut dicitur Ioannis decimo: « Pater, quod dedit mihi, his omnibus plus est » etc.

52. (Vers. 24.). *Cum immundus spiritus* etc. Post improbationem falsitatis et approbationem veritatis subdit hic Evangelista *reprobationem dolositatis,* cuius origo est a spiritu maligno, secundum illud Ioannis octavo[2]: « Ipse est mendax et pater eius », id est mendacii et simulationis. Reprobat ergo Salvator dolositatem Pharisaeorum, cuius *originem, progressum* et *consummationem* ostendit in eis fieri per spiritum malignum, et hoc quantum ad maligni spiritus *egressum, regressum* et *ingressum. Egreditur* namque per detestationem immunditiae[3], *regreditur* per simulationem iustitiae, sed *ingreditur* per profundationem nequitiae.

Reprobatio dolositatis per tria.

Primo igitur quantum ad *egressum* spiritus immundi per *detestationem immunditiae* dicit: *Cum immundus spiritus exierit ab homine*[4], scilicet per veram poenitentiam, secundum illud Zachariae decimo tertio: « Pseudoprophetas et spiritum immundum auferam de terra ». Ad hoc autem necessaria est abstinentia et orationis instantia, per quae mundamur intus et extra; et tunc exit spiritus immundus, secundum illud Matthaei decimo septimo[5]: « Hoc genus daemonii non eiicitur nisi per orationem et ieiunium ». — Et quoniam diaboli desiderium semper est ad seductionem bonorum, quantumcumque ab aliis expellatur; ideo subdit: *Ambulat per loca arida et*[6] *inaquosa, quaerens requiem.* Loca *arida et inaquosa* sunt loca, in quibus non viget carnalitas nec concupiscentia, secundum illud Psalmi[7]: « In terra deserta et invia et inaquosa, sic in sancto apparui tibi », secundum quod Hieronymus exponit. Et propterea Virgo Maria, quia omnino habuit exstinctam concupiscentiam, dicitur *petra deserti;* Isaiae decimo sexto[8]: « Emitte Agnum, Domine, dominatorem terrae, de petra deserti ad montem filiae Sion ». Circa haec loca *ambulat* diabolus, *quaerens requiem,* id est, volens in illis umbram negligentiae et fontem contumeliae fabricare, ut ibi possit requiescere. In tali autem loco *requiescit,* secundum illud Iob quadragesimo[9]: « Sub umbra dormit in secreto calami in locis humentibus »; et Ezechielis vigesimo nono: « Ecce, ego ad te, draco magne, qui cubas in medio fluminum ». Non autem quiescit diabolus nisi in eis, in quibus invenit defluxus concupiscentiarum, quos quia non potest reperire in sanctis viris afflictis et maceratis, ideo in eis non requiescit, sed fugit, iuxta illud Iacobi quarto[10]: « Resistite diabolo, et fugiet a vobis ».

Primo, quoad egressum maligni spiritus.

Notandum.

53. Secundo vero quantum ad *regressum* per *simulationem iustitiae* subdit: *Et non inveniens,* scilicet requiem, *dicit: Revertar in domum meam, de qua*[11] *exivi. Suam* vocat domum, quia nondum plene ab ea expulsus fuerat; et ad talem diabolus redit; in cuius figura Isaiae trigesimo septimo: « Per viam, qua venit Sennacherib », id est satanas, « per eam revertetur ». Recte autem peccatorem *domum suam* vocat, quia peccator, « qui fecit peccatum, servus est peccati », sicut dicitur Ioannis octavo[12]; ac per hoc non est iuris sui, sed servus diaboli. Ideo Proverbiorum quinto: « Ne des alienis honorem tuum et annos tuos crudeli, ne forte impleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena ».

Secundo, quoad regressum ipsius.

54. (Vers. 25.). Ad hanc autem domum reducit diabolum expulsum simulatio bonitatis et iustitiae; et propterea addit: *Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam et ornatam,* non *intra,* sicut dicit Propheta in Psalmo[13]: « Exercitabam et scopebam spiritum meum »; et rursus: « Omnis gloria filiae

Simulatio reducit ipsum.

---

[1] Vers. 12. — Subinde allegatur Ioan. 10, 29.

[2] Vers. 44. — Cfr. supra n. 43, ubi de tribus membris huius partis.

[3] Ita B H (D a secunda manu), Vat. cum aliis codd. *inimicitiae;* idem recurrit paulo inferius.

[4] Cfr. supra pag. 290, nota 12. — Sequitur Zach. 13, 2.

[5] Vers. 20, ubi pro *daemonii,* quod Vulgata omittit, Vat. *daemoniorum.*

[6] Vulgata et Vat. omittunt *arida et;* cfr. Matth. 12, 43: *Ambulat per loca arida.*

[7] Psalm. 62, 3, quem Hieron. (Breviar. in Psalmos, inter opera Hieron.) exponens, per *desertum* intelligit mundum propter peccatores; II. Comment. in Matth. 12, 43. autem per *loca arida* intelligit gentes, in quibus, postquam ad fidem conversae sunt, diabolus *non invenit requiem et revertitur* ad Iudaeos. Cfr. Gregor., XXXIII. Moral. c. 3. n. 8, ubi eundem textum Matth. 12, 43. seq. exponit et dicit: Quia enim fluxa fit terra, quae infunditur, *loca arentia atque inaquosa* sunt corda iustorum, quae per disciplinae fortitudinem ab omni carnalis concupiscentiae humore siccantur.

[8] Vers. 1. Cfr. III. Sent. d. 3. p. I. a. 2. q. 3. ad 3, ubi expositio huius loci secundum Hieron. affertur, in qua scilicet per *petram deserti* intelligitur *Ruth,* cui adiungit Haymo (in eundem loc.) B. Mariam Virg.

[9] Vers. 16, post quem Ezech. 29, 3.

[10] Vers. 7. Beda, IV. Luc. 11, 24: *Quaerens requiem et non inveniens,* quia castas mentes effugiens, in solo diabolus corde pravorum gratam sibi potest invenire quietem. Unde de illo Dominus: *Sub umbra* (inquit) *dormit in secreto calami, et locis humentibus* (Iob 40, 16.). In *umbra,* videlicet tenebrosas conscientias; in *calamo,* qui foris nitidus, intus est vacuus, simulatrices; in *locis humentibus,* lascivas mollesque mentes insinuans.

[11] Vulgata, quam H et Vat. sequuntur, *unde.* — Subinde allegatur Isai. 37, 34: *In via, qua venit, per eam revertetur.* Pro *Sennacherib* (ita A), quod D omittit, C *satanas,* G *satanae,* Vat. legit *rex Assyriorum, id est satanas.*

[12] Vers. 34. — Sequitur Prov. 5, 9. seq.

[13] Psalm. 76, 7, ubi cum Vulgata habemus *Exercitabam,* Vat. *Exercebar;* August., Enarrat. in Ps. 76. n. 9. legit: *Garriebam et scrutabar spiritum meum.* — Subinde allegatur Ps. 44, 14, in quo pro *regis* C D F H *eius.*

regis ab intus »; non sic invenit *scopatam et ornatam*, sed *extra*, sicut infra eodem[1]: « Nunc, vos Pharisaei, mundatis quod deforis est calicis et catini; quod autem intus est plenum est rapina et iniquitate »; et Matthaei vigesimo tertio: « Vae vobis! qui similes estis sepulcris dealbatis » etc. Talis munditia non sufficit Spiritui sancto, qui non tantum quaerit habitare in corpore mundo, sed in animo sancto; unde Sapientiae primo[2]: « In malevolam animam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis ». Et ideo ad utrumque invitamur; Isaiae primo: « Lavamini, mundi estote » etc. Illa autem munditia, quae tantum est *extra*, relinquit domum vacuam a gratia Spiritus sancti, et per hoc occupabilem a praesentia diaboli. Unde hoc notans Matthaeus duodecimo[3] dicit: « Invenit eam *vacantem*, scopis mundatam et ornatam », *vacantem* scilicet a gratia et virtute. Unde Chrysostomus: « A virtute desolati daemonum actionibus facile erunt occupabiles »; et ideo Hieronymus[4]: « Semper aliquid boni facito, ut te diabolus inveniat occupatum ».

55. (Vers. 26.). Tertio vero quantum ad *ingressum* per *profundationem nequitiae* subdit: *Et*[5] *tunc vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi.* Hi *septem spiritus* sunt septem assimulationes, quae virtutes specie esse se simulant et mentiuntur; qui ideo sunt nequiores vitiis apertis, quia maiorem habent malitiae perversitatem, sicut dicit Augustinus[6]: « Simulata aequitas non est aequitas, sed duplex iniquitas ».

[Margin: ertio, quoad ingressum ipsius.]

56. Unde nota *tres* septenarios spirituum. Primus *bonus* est, qui continet septem dona, de quibus Isaiae undecimo[7]: « Requiescet super eum spiritus sapientiae et intellectus » etc. — Secundus est *malus* et continet septem spiritus nequitiae, id est septem vitia capitalia, septem donis opposita. Opponitur enim *sapientiae* luxuria, *intellectui* gula, *consilio* avaritia, *fortitudini* accidia, *scientiae* ira, *pietati* invidia, *timori* superbia. Et de his Marci decimo sexto[8] dicitur, quod de Maria Magdalene eiecta fuerant septem daemonia. — Tertius septenarius continet septem simulationes, quas Dominus vocat *spiritus nequiores*, quia sub specie sanctitatis decipiunt innocentes; de quibus Proverbiorum vigesimo sexto[9]: « Septem nequitiae sunt in corde eius ». Has omnes inducit hypocrisis, quae est donorum Spiritus sancti simulatrix. In cuius rei signum Dominus Matthaei vigesimo tertio[10] septem facit exclamationes ad hypocritas, comminans eis *vae;* octavo additur *vae*, nec ponitur ibi *hypocritae*. Hi ergo *spiritus nequiores* secure habitant, quia, quanto malitia minus apparet, tanto minus arguitur et tanto requiescit securius; Isaiae decimo tertio[11]: « Requiescent ibi bestiae, et replebuntur domus eorum draconibus, et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi », ubi tanguntur monstra vitiorum.

[Margin: Tres septenarii spirituum; primus. — Secundus. — Tertius. — Notandum.]

57. Et quoniam, quanto diabolus securius habitat in homine, tanto peius est homini, quia magis est servus; ideo subditur: *Et sunt*[12] *novissima hominis illius peiora prioribus*, sive propter *recidivationem*, ob quam Ioannis quinto: « Ecce, sanus factus es, iam amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat »; et secundae Petri secundo: « Melius erat viam veritatis non cognoscere » etc.; unde Chrysostomus[13]: « Difficilior est poena posteriorum vitiorum »; sive propter *iniquitatis duplicationem*, quae fit propter simulationem, secundum illud Ecclesiastici septimo[14]: « Ne semines iniquitatem in sulcis iniustitiae et non metes ea in septuplum ». Ex quo apparet, quod Pharisaei non tantum sunt convicti de *falsitate*, sed etiam redarguti de *dolositate*.

[Margin: Quod novissima peiora sint ob duas rationes.]

Possunt autem *allegorice* exponi de populo Iudaico et gentili, secundum quod Beda exponit satis bene in Glossa[15]: *Exiit a Iudaeis* etc.

[Margin: Notandum.]

58. (Vers. 27.). *Factum est autem* etc. Post expressionem fraudis Iudaicae et reprobationem fraudis expressae subdit hic Evangelista *commendationem veritatis apertae*[16]. Et hoc quidem conveniens erat, ut, manifestata veritate, Veritas ipsa se ipsam manifestans laudaretur manifeste coram tota multitudine. In descriptione autem huius commendationis tria introducuntur: primum est *conditio laudantis personae*, secundum est *expressio laudis divinae*, tertium est *approbatio laudis expressae.*

[Margin: Tertium, sive commendatio veritatis ostensae describitur tripliciter.]

---

[1] Vers. 39, post quem Matth. 23, 27.

[2] Vers. 4. — Subinde allegatur Isai. 1, 16.

[3] Vers. 44. — Sententia Chrysost. habetur Homil. 43. (alias 44.) in Matth. n. 3: Neque id solum hoc exemplo significabatur, sed etiam fore ipsos omni virtute vacuos, et a daemonibus facilius quam ante invadendos.

[4] Epist. 125. (alias 4.) n. 11: Facito aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum (H cum Vat. *ne te diabolus inveniat otiosum).*

[5] Vulgata et Vat. omittunt *Et;* subinde post *spiritus* Vulgata et H addunt *secum;* nostra lectio praebetur iam a Beda. — Inferius pro *assimulationes* Vat. cum pluribus codd. *simulationes.*

[6] Enarrat. in Ps. 63. n. 11.

[7] Vers. 2.

[8] Vers. 9. Cfr. Chrysost., Homil. 30. in Matth. 12, 45. (Op. imperfect.). Vide etiam III. Sent. d. 34. p. I. a. 2. q. 1. in corp.

[9] Vers. 25. Cfr. Beda, IV. in Luc. 11, 26. — Etiam Card. Hugo hoc loco de triplici septenario spirituum agit, addens: Hae ergo sunt: Simulatio sapientiae, simulatio intelligentiae etc. — Superius post *Tertius septenarius* B addit *pessimus.*

[10] Vers. 13-29. Exclamatio, in qua ponitur *vae,* sed non additur *hypocritae*, habetur v. 16.

[11] Vers. 21. — Inferius pro *tanguntur* Vat. *strangulantur.*

[12] Ita etiam Beda; Vulgata, H et Vat. *fiunt.* — Duo seqq. loci sunt Ioan. 5, 14. et II. Petr. 2, 21.

[13] Homil. 43. (alias 44.) in Matth. n. 4.

[14] Vers. 3: *Non semines mala* etc.

[15] Scilicet *ordinaria* in Luc. 11, 24; Beda, IV. in Luc. 11, 26. Cfr. Hieron., II. Comment. in Matth. 12, 43. supra pag. 297, nota 7. allegatus.

[16] Vide supra n. 36. — Inferius post *commendationis* Vat. addit *laudativae.*

Conditio duplex laudantis personae.

Primo igitur quantum ad *conditionem laudantis personae* dicit: *Factum est autem, dum*[1] *haec diceret*, scilicet ad confutationem falsitatis; *extollens vocem quaedam mulier de turba dixit illi*, ad veritatis commendationem et Pharisaeorum confutationem; in quo duplex notatur conditio in persona laudante, scilicet *virilitas* et *modicitas*. *Virilitas* notatur in hoc, quod *vocem extollebat*, secundum illud Isaiae quadragesimo[2]: « Exalta in fortitudine vocem tuam, exalta, noli timere »; *modicitas* in hoc, quod *quaedam mulier*, non nominata nec nobilis, sed de turba, ut impleretur illud Psalmi: « Pauper et inops laudabunt nomen tuum ». Ex quo apparet, quod laudator divini nominis non debet esse timidus, ut laudare non audeat, nec tumidus[3], ut laudare erubescat, sed virilis et humilis. Unde cum quidam *tacerent* ex *timore*, quidam *blasphemarent* ex *superbia et tumore;* haec mulier humilis et virilis nec *tacuit* cum timidis nec *vituperavit* cum blasphemis; unde in Glossa[4]: « Magna fiducia inter blasphemos confitetur Dei Filium ». Ideo poterant sibi dicere illud Matthaei decimo quinto[5]: « O mulier, magna est fides tua », quae scilicet tantum te fortificavit, cum dicatur Proverbiorum ultimo: « Mulierem fortem quis inveniet »? In te verificatum est illud Ecclesiastici vigesimo sexto: « Fundamenta aeterna supra petram solidam, et mandata Dei in corde mulieris sanctae ».

Admonitio.

Expressio laudis divinae.

59. Secundo vero quantum ad *expressionem laudis divinae* subditur: *Beatus venter, qui te portavit;* in quo laudat Christum Dei Filium, extollens laudis eius praeconium ex beatitudine Matris; quasi dicat: beata mulier, quae portavit tam bonum filium. Et recte, quia decebat sexum femineum sic laudare, nec tantum feminas, immo etiam viros. Nam supra primo[6] dixit Virgo: « Ex hoc beatam me dicent omnes generationes ».

Tria privilegia B. V. Mariae.

60. Et nota, quod beatificat Virginis ventrem, et hoc, quia portavit Dei Filium novem mensibus et sex diebus, qui pro uno mense accipiuntur; Sapientiae septimo[7]: « In ventre matris meae factus sum caro decem mensium tempore ». Unde in laude Virginis dicitur Canticorum septimo: « Venter tuus sicut acervus tritici », quia Christus erat *granum frumenti*, secundum quod dicitur Ioannis duodecimo; et hoc tritico fuit venter eius impletus, et ideo *beatus* propter *tria privilegia:* quia, ut dicit Bernardus[8], « fuit sine corruptione fecundata, sine gravedine gravida, sine dolore puerpera »; Isaiae ultimo: « Quis audivit unquam tale? Et quis vidit huic simile »? — Sive propter *tria miracula*. Primum est coniunctio infinite distantium. Deus enim ibi factus est homo; Creator, creatura; immensus, parvus; Verbum, infans; aeternus, temporalis, secundum illud Ioannis primo[9]: « Et Verbum caro factum est »; et Ieremiae trigesimo primo: « Novum faciet Dominus super terram: femina circumdabit virum ». — Secundum miraculum est, quia qui fecit ventrem factus est in ventre; unde in Psalmo[10]: « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei »; et post: « Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus ». De hoc potest exponi illud Ecclesiastici quadragesimo tertio: « Vas admirabile opus Excelsi ». — Tertium miraculum, quia qui continet omnia continetur in ventre isto; ille ibi capitur, « quem totus non capit orbis[11] ». Unde cantat Ecclesia: « Quia quem caeli capere non poterant tuo gremio contulisti »; unde Isaiae quadragesimo quinto: « Vere tu es Deus absconditus ».

Tria in ea miracula; primum.

Secundum.

Tertium.

Alia beatificatio.

61. Nec tantum beatificat Virginem propter portationem, sed *ubera* propter lactationem, cum subdit: *Et ubera, quae suxisti*, beata scilicet; ex quo datur intelligi, quod a solis uberibus Virginis beatissimae lactatus fuit. Quod designatum fuit in Moyse, qui

---

[1] Cfr. supra pag. 288, nota 10.

[2] Vers. 9. — Sequitur Ps. 73, 21. — Cod. H insinuat, quod mulier *ista fuit ancilla Marthae;* idem refert B. Albert. in Luc. 11, 27: Ad litteram enim fertur ab antiquis haec fuisse ancilla beatae Marthae, *Stella* nomine, quae post passionem et ascensionem Domini cum beata Maria Magdalena et Lazaro et Martha et beato Maximino mare transiens in Massiliam pervenit. Cfr. Cornel. a Lapide, secundum quem, ut nonnulli suspicantur, mulier illa fuit Martha vel potius ancilla Marthae, *S. Marcella,* de qua Raban., Vita B. Mariae Magdalene, c. 37. — Inferius vocibus *nec nobilis* A C D F G praefigunt *sed.*

[3] Ita G H (D a secunda manu), alii codd. et Vat. *timidus,* sed contra subnexa.

[4] Scilicet *interlinearis* (secundum Bedam) in Luc. 11, 27, in qua pro *confitetur* H cum textu originali *confiteri.*

[5] Vers. 28. — Duo seqq. loci sunt Prov. 31, 10. et Eccli. 26, 24.

[6] Vers. 48.

[7] Vers. 1. seq.: In ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum etc. Cfr. supra pag. 20, nota 9. in fine. — Subinde allegantur Cant. 7, 2. et Ioan. 12, 24.

[8] Serm. in Dominica infra Octavam Assumt. B. Mariae Virg. n. 7, ubi Vat. et H cum textu originali *fecunda* pro *fecundata.* — Sequitur Isai. 66, 8.

[9] Vers. 14, post quem Ier. 31, 22. Cfr. Bernard., Homil. 2. super *Missus est,* n. 8. seq. et Serm. 2. in Nativitate Domini, n. 4.

[10] Psalm. 86, 3. et 5, in quo pro *natus* C D F G *factus.* — Sequitur Eccli. 43, 2. Cfr. August., Serm. 291. (alias 4. ex Vignerianis) n. 6: Fit in te qui fecit te, fit in te per quem facta es etc.

[11] Missal. Roman., Gradual. in festo Visitat. B. Mariae Virg. et in Missa Vot. *Salve* (a Pentec. usque ad Adv.): « Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo ». Breviar. Roman., in festo Nativit. Domini II. Noct. Resp. ad 6. Lect. occurrit seq. sententia: « Quia quem caeli » etc. Cfr. Libr. Responsal. (inter opera Gregor.), in Vigilia Natalis Domini (sive in Natali Domini), III. Noct., ubi duae hae sententiae habentur. — Subinde allegatur Isai. 45, 15. Cfr. Serm. 128. in appendice August. (alias 13. de Tempore) n. 2: Deus, qui est et qui erat, fit, Creator, creatura. Qui immensus est capitur... comprehenditur incomprehensibilis. — Etiam Card. Hugo haec tria miracula exhibet.

lactari, ut dicitur, noluit a muliere Aegyptiaca; et ideo quaesita fuit mulier Hebraea, scilicet mater propria, sicut dicitur Exodi secundo [1]. Haec autem designat Virginem Mariam, cuius ubera suxit Christus, secundum illud Canticorum octavo: « Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae » etc.

otandum. Ideo autem iunxit ista duo, ut ostenderetur Virgo Maria fuisse mater Christi vera et perfecta, quia non solum genuit, sed etiam educavit; et sicut vere educavit, ita vere genuit; et in hoc arguitur, ut dicitur in Glossa [2], impietas Manichaei et aliorum, qui dicunt, ipsum attulisse corpus aethereum. Unde Beda: « Ex eodem fonte et lac nutriendis et semen procreandis pueris manat. Ergo de semine Virginis, secundum physicos, potuit concipi qui de lacte eius potuit nutriri ».

pprobatio laudis xpressae.

62. (Vers. 28.). Tertio vero quantum ad *approbationem laudis expressae* subdit: *At ille dixit: Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei.* Hoc non dicit adversando, sed potius superaddendo, quasi dicat: non solum *beatus* venter, qui portavit me, Verbum caro factum, verum etiam *beatior* qui suscipit verbum a me prolatum. Unde et Maria non tantum *beata* fuit, quia Christum gestavit in carne, verum etiam *beatior*, quia perfectissime gestavit in mente, secundum quod dicit Augustinus [3]: « Beatior fuit Maria concipiendo fidem Christi quam carnem Christi ». Beatus est enim omnis, qui audit et obedit, secundum illud Ioannis decimo tertio: « Si haec scitis, beati eritis, si feceritis ea ». — Et ideo subdit: *Et custodiunt illud;* et ideo Iacobi primo [4]: « Estote factores verbi et non auditores tantum ». In quo verbo Christus noluit, laudari mere cognationem *carnalem* per se; nam ita dicitur Iudaeis supra tertio: « Nolite dicere: Patrem habemus Abraham » etc.; sed *spiritualem*, quia sanctior est copula mentium quam corporum. Et ideo, cum quaererent eum mater et fratres, Matthaei duodecimo [5] dixit: « Qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ille frater meus, soror et mater est ». Et propter hoc Virgo Maria fuit laudabilis in concipiendo, quia *fide* concepit; et ideo dixit ei Elisabeth supra primo: « Beata, quae credidisti, quoniam perficientur quae dicta sunt tibi a Domino ». — Ex quo apparet mira commendatio veritatis, quae omnes sibi adhaerentes beatos efficit, non solum adhaerentes *carnali cognatione*, ut Virgo Maria, verum etiam *spirituali dilectione*, sicut quaelibet anima sancta. Ut enim dicit Augustinus [6]: « Beatitudo est gaudium de veritate »; ad quod gaudium venient qui veritatem audiunt, diligunt et faciunt, secundum illud Ecclesiastici vigesimo quarto: « Qui audiunt me non confundentur, et qui operantur in me non peccabunt, et qui elucidant me vitam aeternam habebunt ».

Quid beatitudo.

Expositio spiritualis.

63. *Spiritualiter* autem hic notandum est, quod *mulier de turba* typum gerit Legis, quae *generationem* commendat *carnalem*, secundum quod facta est repromissio Abrahae, Genesis decimo quinto [7]: « Suspice caelum » etc.; et David, unde in Psalmo: « De fructu » etc.; unde ad Romanos nono: « Ex quibus est Christus secundum carnem » etc. Sed *Christus* typum gerit gratiae et spiritus, qui quidem *generationem* commendat *spiritualem*, secundum illud Matthaei duodecimo [8]: « Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei »? — Huius generationis *spiritualis conceptio* primo fit *in fide*, quasi in unitate Ecclesiae; Ioannis septimo [9]: « Qui credit in me, sicut dicit Scriptura » etc. In cuius etiam rei signum Virgo Maria per fidem concepit; Lucae primo: « Beata, quae credidisti ». — *Partus* autem fit *per operationem;* Ecclesiastici vigesimo quarto [10]: « Dixi, rigabo hortum plantationum » etc. Sed illi qui credunt et non operantur, sunt sicut illi, de quibus Isaiae trigesimo septimo: « Venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi ». — *Lactatio* fit *in dilectione et contemplatione;* Canticorum primo [11]: « Osculetur me osculo, quia meliora sunt ubera tua vino » etc.; et Proverbiorum quinto: « Cerva carissima et gratissimus hinnulus » etc. — Et sic in his tribus insinuantur *susceptio gratiae, exercitatio activae* et *consolatio contemplativae.* Et hoc totum clauditur in « fide, quae per dilectionem operatur [12] », quam soli qui habent erunt beati.

Spiritualis conceptio.

Partus.

Lactatio.

Notandum.

[1] Vers. 8, cuius explicatio fundatur iis quae Ioseph. Flav., II. Antiq. Iud. c. 9. (alias 5.) n. 5. (ed. Firmin-Didot) refert. — Sequitur Cant. 8, 1.

[2] Scilicet *ordinaria* (secundum Bedam) in Luc. 11, 27: Hic Maria laudatur, quae Dominum portavit; et pravitas tam praesentium Iudaeorum quam futurorum haereticorum, qui veram Christi humanitatem negant, confutatur, quia verum Dei Filium adversus blasphemos Iudaeos confitetur, et verum hominis filium testatur, matri consubstantialem. Nisi enim esset una caro cum matre, frustra venter ille Virginis et ubera beatificarentur. Ibid. habetur etiam sententia Bedae.

[3] Lib. de Sancta Virginitate, c. 3. n. 3. — Subinde allegatur Ioan. 13, 17. — Superius voci *perfectissime* B praefigit *susceptum*, Vat. *ipsum*.

[4] Vers. 22. — Inferius pro *noluit laudari mere* Vat. *noluit laudare matris*. — Sequitur Luc. 3, 8, et subinde respicitur sententia Ambros., VI. in Luc. 8, 21. n. 36: Neque tamen iniuriose refutantur parentes, sed religiosiores copulae mentium docentur esse quam corporum. Cfr. supra pag. 197, nota 10.

[5] Vers. 50. — Infra pro *fide concepit* Vat. *fidem concepit*. — Sequitur Luc. 1, 45.

[6] Libr. X. Confess. c. 23. n. 33: Beata quippe vita est gaudium de veritate. — Sequitur Eccli. 24, 30. seq.

[7] Vers. 5. — Duo seqq. loci sunt Ps. 131, 11. et Rom. 9, 5. — Superius pro *mulier de turba* A D *mulier praedicta*.

[8] Vers. 48.

[9] Vers. 38, cui subiungitur Luc. 1, 45.

[10] Vers. 42. — Sequitur Isai. 37, 3.

[11] Vers. 1, post quem Prov. 5, 19. — Superius pro *Lactatio fit in dilectione et contemplatione* Vat.: Sed illi, qui credunt et operantur, sunt illi, de quibus Petrus [I. Petr. 2, 2.]: *Sicut modo geniti infantes, rationabile et sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem*, scilicet per dilectionem et contemplationem.

[12] Gal. 5, 6.

**Confutatur fallacia tentantium sive incredulorum triplici via.**

64. (Vers. 29.). *Turbis autem concurrentibus* etc. Postquam Salvator confutavit fallaciam blasphematorum sive obtrectatorum, hic secundo confutat *fallaciam incredulorum,* qui sub specie studiositatis quaerebant signa curiositatis [1]. Confutatur autem haec fallacia incredulitatis Iudaeorum, et hoc triplici via. Primo enim gens illa arguitur, quia *dubia ad credendum;* secundo, quia *tepida ad discendum;* tertio, quia *frigida ad poenitendum.*

Divisio.

Primo igitur arguitur gens fallax et incredula, quia *dubia ad credendum,* cum dicitur: *Turbis autem concurrentibus coepit dicere: Generatio haec generatio nequam est. Turbae* namque *concurrebant,* id est, ex diversis causis ad ipsum currebant: quidam ad audiendum documenta, quidam ad videndum miracula, quidam causa famis pellendae, quidam causa sanitatis recuperandae, quidam ad insidiandum, alii ad obsequendum, secundum diversa genera personarum, quae in Evangelio exprimuntur. Hi autem, sicut dicit Glossa [2], currebant « ad videnda mirabilia, quae ab eo fieri audiebant », quae volebant videre non ex zelo fidei, sed potius ex dolo et curiositate et fraudulentia. Et propterea dicit: *Generatio haec generatio nequam est;* et Matthaei duodecimo [3] dicitur: « Generatio mala et adultera signum quaerit »; *nequam* enim et *adultera* est propter infidelitatem et idololatriam. Unde competit ei illud Proverbiorum trigesimo: « Generatio, quae patri suo maledicit et quae matri suae non benedicit »; et illud Deuteronomii trigesimo secundo: « Generatio perversa est, et infideles filii ». Eorum enim infidelitas apparet ex quaestione curiositatis; propter quod subdit: *Signum quaerit,* scilicet de caelo; Glossa [4]: « Quasi illa quae viderant, non fuerint signa ». — Et quia huiusmodi propter incredulitatem non erant caelestes, sed terreni, non spirituales, sed potius animales; ideo denegantur eis signa *caelestia,* sed conceduntur *terrestria;* ideo dicit: *Et signum non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae.* Hoc quidem dicit, non quia alia signa non dederit — unde Lazarum suscitavit quatriduanum, sicut dicitur Ioannis undecimo [5]; « et vox de caelo ad eum facta est », Ioannis duodecimo; « et multa alia fecit signa in conspectu omnium », de quibus dicitur Ioannis vigesimo, quod « non sunt scripta in libro suo »; et rursus: « Sol obscuratus est » in morte, infra vigesimo tertio — sed quia omnia alia signa non valent nisi credenti, Deum passum tertia die resurrexisse; cuius figura praecessit in Iona propheta; et ideo Ioannis secundo [6] Pharisaeis quaerentibus: « Quod signum ostendis nobis, quia haec facis »? dixit: « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud ». « Ille autem dicebat de templo corporis sui ». — Et huius figura praecessit in *Iona,* quem tertia die evomuit piscis [7]; et ideo creditum fuit ei a Ninivitis.

Via prima.

Notandum.

Figura.

65. (Vers. 30.). Propter quod subdit: *Nam, sicut fuit Ionas signum Ninivitis, sic erit* [8] *Filius hominis generationi isti.* Ionas enim fuit Ninivitis signum non tantum verbo, sed etiam miraculi facto, quia, in mare proiectus et a pisce absorptus, die tertia est ad superna regressus; per quod designavit Christum passum, mortuum et suscitatum. Unde Matthaei duodecimo [9] aptatur huiusmodi signum: « Nam sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae ». Qui ergo huic signo non credit durior est Ninivitis, nec alia signa Domini in aliquo prosunt ei.

Adaptatio figurae.

66. (Vers. 31.). Secundo arguitur Iudaeorum generatio, quia *tepida ad discendum,* cum subditur: *Regina austri surget in iudicio cum viris generationis huius.* Ex quo apparet, quod resurrectio erit universalis, non tantum bonorum, sed etiam malorum. Sed resurrectio erit ad iudicium, secundum illud Ioannis quinto [10]: « Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei et procedent » etc. — Sed quia mali condemnabuntur comparatione meliorum, ideo subdit: *Et condemnabit illos;* Beda [11]: « Non potestate iudicii, sed comparatione melioris facti ». — Quod factum ostendit in hoc quod ait: *Quia venit a finibus terrae audire sapientiam*

Via secunda.

---

[1] Cfr. supra n. 36. — Inferius pro *haec* nonnulli codd. *hic.*

[2] Scilicet *interlinearis.* Cfr. Glossa *ordinaria* (ex Rabano, qui allegat August.) in Matth. 4, 25: Quadripartitae turbae, scilicet alii propter caeleste mysterium, ut discipuli; alii ob curationem infirmitatum; alii sola fama et curiositate, experiri volentes, si verum esset quod dicebatur; alii per invidiam, volentes eum accusare et in aliquo capere. — Inferius post *fraudulentia* Vat. cum nonnullis codd. addit *veri.*

[3] Vers. 39. — Duo seqq. loci sunt Prov. 30, 11. et Deut. 32, 20.

[4] Nempe *interlinearis* (ex Hieron., II. Comment. in Matth. 12, 38.).

[5] Vers. 39. seqq., post quem 12, 28: Venit ergo vox de caelo (cfr. Marc. 1, 11: Et vox facta est de caelis). Deinde Ioan. 20, 30, ubi pro *in conspectu omnium* Vulgata *in conspectu discipulorum suorum;* Luc. 23, 45, pro quo codd. *Matth.* 27, ubi tamen v. 45. dicitur: Tenebrae factae sunt super universam terram.

[6] Vers. 18. 19. et 21.

[7] Ion. 2, 1. et 11; ibid. 3, 5: Et crediderunt viri Ninivitae in Deum etc.

[8] Vulgata *ita erit et,* Vat. *ita et erit,* H *sic erit et.*

[9] Vers. 40. — Post *huiusmodi* [H *hoc*] *signum* Vat. addit *propositum hoc modo.*

[10] Vers. 28. Cfr. Beda, IV. in Luc. 11, 31; IV. Sent. d. 43. a. 1. q. 2. et Breviloq. p. VII. c. 5.

[11] Libr. IV. in Luc. 11, 31, quibus verbis Glossa ordinaria (ex Beda) addit: Quia, relicto imperio, venit in Iudaeam audire hominem sapientia famosum, sed Iudaei veram Dei sapientiam cum ipsa conversantem non audiunt, sed blasphemant. Cfr. IV. Sent. lit. Magistri, d. XLVII. c. 2. et ibid. Comment. a. 1. q. 1. fundam. 2.

*Salomonis*, secundum quod dicitur secundi Paralipomenon nono[1]: « Regina Saba, cum audisset famam Salomonis, venit, ut tentaret eum in Ierusalem »; simile dicitur tertii Regum decimo. Unde in tribus fuit *laudabilis*: et primo, quia mota fuit *fama* Salomonis; secundo vero, quia venit de *remotis partibus;* tertio, quia venit ad hominem *paris conditionis.* — Et econtra hic populus tripliciter erat *vituperabilis;* quod notat, cum subdit: *Et ecce, plus quam Salomon hic.* In hoc enim, quod dicitur *ecce,* notat se *cognitum* non tantum per auditum, sed etiam per visum, secundum illud Baruch tertio[2]: « Post haec in terris visus est » etc. In hoc quod addit *hic*, ostendit, quod non erat absens, sed *praesens*, ut possit eis merito dici illud Deuteronomii trigesimo: « Mandatum, quod ego praecipio tibi hodie, non est procul situm » etc. In hoc vero quod dicit *plus quam Salomon*, ostendit, quod non tantum credendum est ei sicut viro sapienti, sed sicut *principio et fonti totius sapientiae*, secundum illud Ioannis octavo[3]: « Ego principium, qui et loquor vobis ».

egina Saba laudabilis ripliciter.

udaei vituperabiles tripliciter.

67. Maior erat namque Christus Salomone ratione *potentiae*, ratione *scientiae* et ratione *iustitiae.* Unde sibi competit praecipue Psalmus ille[4]: « Deus, iudicium tuum regi da », qui in laudem Salomonis creditur a Iudaeis factus, cum ibi dicatur: « Dominabitur a mari usque ad mare »; et iterum: « Ante solem permanet nomen eius »; et iterum: « Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae » etc. Ille Salomon pacificus fuit *ad tempus*, sed iste *aeternaliter;* Isaiae nono[5]: « Multiplicabitur eius imperium ». Ille *sapiens*, sed iste *sapientia;* primae ad Corinthios primo: « Christum Dei virtutem et sapientiam »; et ad Colossenses secundo: « In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi ». Ille *faciens iustitiam*, sed iste *ipsa iustitia;* primae ad Corinthios primo: « Qui factus est nobis a Deo iustitia » etc.

hristus maior Salomone tripliciter.

Ideo secundum septem praeeminentias regina illa austri comparatione iudicabit[6] Iudaeos incredulos; regina: *sexus fragilis, de remotis, cum difficultate, relicto imperio, cum muneribus, ad purum hominem, sola fama cognitum* venit, sicut expresse colligitur ex tertii Regum decimo[7]. Sed Iudaei: *viri, Christum praesentem, gratis oblatum, sui generis, beneficum, Deum et hominem, miraculis probatum* contemnunt et despiciunt.

eptem illius reginae raeeminentiae.

68. (Vers. 32.). Tertio arguitur Iudaeorum generatio, quia *frigida ad poenitendum*, cum subdit: *Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione hac et condemnabunt illam;* et hoc propter ipsorum poenitentiam et Iudaeorum impoenitentiam. Ex comparatione enim meliorum arguuntur minus boni. — Propter quod subdit: *Quia poenitentiam egerunt in praedicatione*[8] *Ionae;* Ionae tertio: « Crediderunt viri Ninivitae Domino et praedicaverunt ieiunium et vestiti sunt saccis ». Et tamen Ionas erat ignotus praedicavitque paucis diebus, erat etiam homo purus, nullum etiam fecit miraculum. — Sed maiora his ostendit Christus Iudaeis; ideo subdit: *Et ecce, plus quam Ionas hic;* quia Christus non tantum erat homo, verum etiam Deus; quod ostendebat magnitudine miraculorum; non praedicavit paucis diebus, sed etiam tribus annis. Ideo magis condemnatur duritia incredulitatis in Iudaeis; unde Chrysostomus[9]: « Ninivitae inter tres dies facti sunt populus Dei, qui tamen Prophetas non habuerunt; Iudaei intra tres dies crucifixionis facti sunt populus diaboli; illi evaserunt vindictam imminentem, isti pertulerunt atrocissimam ».

Via tertia.

Notandum.

69. Sic patet, quomodo fraudulentia Iudaeorum, qui quaerebant signa, ut tentarent, per exempla convicta sit, ut in[10] infidelitatis duritia non permaneret. Sicut autem Iudaei, qui audiebant Legem et Prophetas et Christum videbant et non credebant, arguuntur comparatione reginae Saba et Ninivitarum; sic clerici et litterati argui possunt comparatione mulierum et laicorum. Nam clerici Christum in Scripturis agnoscunt et manibus contrectant in Sacramentis, et tamen minus credunt et venerantur quam mulieres et laici; unde nunc possumus dicere illud Matthaei vigesimo primo[11]: « Publicani et meretrices praecedent vos » etc.; et rursus Augustinus in libro Confessionum: « Idiotae rapiunt caelum, et nos cum litteris nostris ad inferna demergimur ». — Possunt etiam his exemplis argui omnes Christiani, qui tardi sunt ad audiendum verbum Dei et ad faciendam

Applicatio ad clericos.

Ad omnes Christianos.

---

[1] Vers. 1, post quem III. Reg. 10, 1. seqq. — Inferius vocibus *fama Salomonis* Vat. interserit *sapientiae.*

[2] Vers. 38. — Subinde allegatur Deut. 30, 11.

[3] Vers. 25.

[4] Psalm. 71, cuius titulus: *In Salomonem;* ex ipso subinde allegantur v. 8. et 17.

[5] Vers. 7. — Tres seqq. loci sunt I. Cor. 1, 24; Coloss. 2, 3. et I. Cor. 1, 30.

[6] Superius pro *secundum septem* secunda manus in D substituit *secundum tres*, alii codd. et etiam D primitus *hic septem*, qui etiam post *praeeminentias* addunt *quaerit* (!); Vat. legit: *Ideo hic septem praeeminentias meretur regina illa austri comparatione ad Iudaeos* etc.

[7] Vers. 1. seqq. — Card. Hugo (in Matth. 12, 42. et in Luc. 11, 31.) easdem proponit septem praeeminentias. Cfr. Chrysost., Homil. 30. in Matth. 12, 42. (Op. imperfect.).

[8] Ita etiam Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. c. 11. n. 9.) et Lyranus; Vulgata, H et Vat. *ad praedicationem.* — Sequitur Ion. 3, 5. Cfr. Hieron., II. Comment. in Matth. 12, 41. — Inferius Vat. substituit *et nullum* pro *nullum etiam.*

[9] Homil. 30. in Matth. 12, 41. (Op. imperfect.).

[10] Cod. A omittit *in.*

[11] Vers. 31. — August., VIII. Confess. c. 8. n. 19: Surgunt indocti et caelum rapiunt, et nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce, ubi volutamur in carne et sanguine? — Superius ex B supplevimus *agnoscunt.*

poenitentiam de peccatis; qui ad sui excusationem quaerunt signa miraculorum, cum tamen ante oculos habeant Christum crucifixum, ita ut possit eis dici illud ad Galatas tertio[1]: « O insensati Galatae! quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Christus praescriptus est in vobis et crucifixus »? — Habentes igitur et videntes signum crucis Christi, non debemus cum Iudaeis esse nec *dubii* ad credendum nec *tepidi* ad audiendum nec *frigidi* ad poenitendum et operandum in comparatione reginae austri et Ninivitarum, ne a Domino condemnemur.

**Confutatur fallacia simulantium per duo.**

70. *Nemo accendit lucernam* etc. Postquam Salvator confutavit fallaciam blasphematorum et incredulorum sive tentatorum, in hac parte confutat *fallaciam simulatorum*[2]. Habet autem pars ista duas partes, in quarum prima *commendat simplicitatem intentionis rectae;* in secunda vero *confutat dolositatem simulationis malignae,* ibi[3]: *Et cum loqueretur, rogavit eum* etc.

Divisio.

Ad *commendandam* igitur *simplicitatem rectae intentionis* primo tria introducuntur, scilicet *similitudo rationalis, adaptatio similitudinis* et *informatio commendabilis.*

Primo commendatur simplicitas rectae intentionis per tria.

71. (Vers. 33.). Primo igitur introducitur *similitudo rationalis,* cum dicitur: *Nemo lucernam accendit et in abscondito ponit neque sub modio*[4]. *Lucerna* dicitur vehiculum luminis sive vas luminis contentivum, quae sive materialis sit, sive spiritualis, non est abscondenda. Lucerna enim materialis abscondita lumen non tribuit, sed est prorsus inutilis, similiter nec spiritualis; unde Ecclesiastici vigesimo[5]: « Sapientia abscondita et thesaurus invisus, quae utilitas in utrisque? Melior est vir, qui celat insipientiam suam, quam qui abscondit sapientiam suam ». Et ideo haec lucerna non debet abscondi, sed manifestari. — Unde subdit: *Sed supra candelabrum,* scilicet ponit, *ut qui ingrediuntur lumen videant.* Quanto autem lucernae altius ponuntur, tanto clarius resplendent; et ideo *supra candelabrum* sicut supra locum excelsum debent poni, iuxta visionem Zachariae quarto[6]: « Vidi, et ecce, candelabrum aureum et septem lucernae eius super illud ».

Primum.

72. (Vers. 34.). Secundo vero adiungitur *adaptatio similitudinis,* cum dicitur: *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Corporis* namque *materialis* oculus corporalis est lucerna, quia totum corpus regit, dirigit et illuminat; *corporis* vero *spiritualis,* id est congeriei bonorum operum, lucerna est oculus spiritualis, id est intentio[7]. Intentio namque dicitur *oculus* et *lucerna: oculus,* in quantum illuminatur a Deo ad totius hominis directionem; *lucerna* vero, in quantum omnem actionem, cogitationem et affectionem dirigit; quasi gressus hominis « dirigit in viam pacis », secundum illud supra primo[8]: « Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent » etc. — Lucernae enim est illuminare, et propterea *verbum Dei* dicitur *lucerna,* secundum illud Psalmi[9]: « Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis », quantum ad *credenda;* secundae Petri primo: « Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes sicut lucernae lucenti in caliginoso loco »; et quantum ad *agenda* per mandata; Proverbiorum sexto: « Mandatum lucerna est, et lex lux ». *Lucerna* dicitur *praedicator;* Ioannis quinto[10]: « Ipse erat lucerna ardens et lucens »; et ad Philippenses secundo: « Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo ». Dicitur *donum Spiritus sancti;* Exodi vigesimo quinto[11]: « Facies et lucernas septem et pones eas super candelabrum », id est dona septem Spiritus sancti super Christum. Dicitur etiam *opus;* infra duodecimo[12]: « Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris ». Dicitur etiam *intentio,* quae, si est *ficta,* exstinguitur, secundum illud Iob decimo octavo[13]: « Lux obtenebrescet in tabernaculo eius, et lucerna, quae super eum est, exstinguetur »; si autem *recta* est, totum illuminat

Secundum. — Intentio dicitur oculus et lucerna. — Verbum Dei dicitur lucerna. — Item, praedicator. — Item, donum Spiritus S. — Item, opus. — Item, intentio.

---

[1] Vers. 1, in cuius fine Vulgata *praescriptus est, in vobis crucifixus.*

[2] Cfr. supra n. 36. — Superius pro *blasphematorum* nonnulli codd. *blasphemorum.*

[3] Vers. 37, ubi pro *eum* Vulgata *illum;* codd. post *Et cum* addunt vel *haec,* vel *hoc,* quod tamen inferius n. 77. et 78. omittunt.

[4] Plures codd. omittunt *neque sub modio.*

[5] Vers. 32. et 33. Cfr. supra pag. 196, nota 3.

[6] Vers. 2, ubi post *aureum* Vulgata et Vat. addunt *et lampas eius super caput ipsius.* — Vide supra c. 8. n. 23. seq.

[7] Glossa *interlinearis: Lucerna corporis tui,* id est totius tuae operationis, *est oculus tuus,* id est mentis intentio. Vide etiam *Interlinearem* in Matth. 6, 22, in qua *totum corpus* vocatur « congeries virtutum vel actio tota ». Cfr. August., II. de Serm. Domini in monte, c. 13. n. 45. seq.; Gregor., XXVIII. Moral. c. 11. n. 30. et I. Homil. in Ezech. homil. 7. n. 2. Vide etiam II. Sent. lit. Magistri, d. XL, et ibid. Comment. a. 1. q. 1. seqq.

[8] Vers. 79. — Superius voci *quasi* in D secunda manus praefixit *unde;* Vat. post *lucerna vero, in quantum* prosequitur *omnium actionum, cogitationum et affectionum congeriem dirigit, quasi gressus hominis in viam* etc. Sed H clarius *affectionem dirigit, sicut lucerna dirigit gressus hominis ad ambulandum. Bernardus: Suam vas et secretum conscientia* etc. Cfr. Card. Hugo ibid. Fortasse in ACDFG, qui habent nostram lectionem, pauca exciderunt; H passim addit, mutat et omittit.

[9] Psalm. 118, 105. — Duo seqq. loci sunt II. Petr. 1, 19. et Prov. 6, 23. — Inferius pro *per mandata* Vat. *dicitur mandatum.*

[10] Vers. 35, post quem Phil. 2, 15. — Gregor., XXX. Moral. c. 25. n. 77: In lucerna autem lux praedicationis accipitur. — Superius vocibus *dicitur praedicator* ex G praefiximus *Lucerna.*

[11] Vers. 37. Hanc explicationem insinuat Ambros., VII. in Luc. n. 98. — Superius voci *Dicitur* G praefigit *Lucerna.*

[12] Vers. 35. Cfr. Gregor., XXVIII. Moral. c. 3. n. 12. et I. Homil. in Evang. homil. 13. n. 1.

[13] Vers. 6, de quo vide Gregor., XIV. Moral. c. 8. n. 10.

Notandum. bonorum operum corpus. — Unde *lucerna* primo competit *verbo Dei* et *dono Spiritus sancti,* et per hoc competit *intentioni cordis,* et inde descendit in [1] *eloquium* praedicationis verae et in *opus* conversationis sanctae; unde dicitur de his secundum quoddam genus analogiae. Est ergo *lucerna intentionis rectae* quasi media, suscipiens a superiori et redundans in totam congeriem operum.

73. Propter quod subdit: *Si oculus tuus fuerit simplex,* id est intentio recta, *totum corpus tuum lucidum erit.* Ut enim dicit Ambrosius [2]: « Intentio operi tuo nomen imponit »; ex quo apparet, quod de *oculo cordis* intelligit, cuius optima dispositio est *simplicitas,* secundum illud primi Paralipomenon ultimo: « Scio, Domine, quod probas corda et simplicitatem diligis ». Dicitur autem oculus *simplex,* qui unicum bonum et summum, quod indivisibile est, intendit; et talis solus est *rectus,* qui tendit ad illud. Unde de Iob dicitur, primo [3], quod « erat vir ille simplex et rectus »; et talis diligit Deum, secundum illud Canticorum primo: « Recti diligunt te »; et Canticorum quarto: « Vulnerasti cor meum, soror, sponsa, in uno oculorum tuorum et in uno crine colli tui », id est in unitate et simplicitate intentionis rectae, quae sola Deo placet. Et quia tales, quidquid faciunt, *ex caritate faciunt;* ideo totum rectum est et bonum et lucidum, secundum illud ad Ephesios quinto [4]: « Ut filii lucis ambulate. Fructus autem lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate »; et quoniam de corde sic illuminato *non procedunt nisi opera lucis,* sicut « non potest arbor bona fructus malos facere », nec lucida obscuros, nec econtra arbor mala fructus bonos.

(De oculo simplici. — Notandum.)

74. Et ideo subditur: *Si autem nequam fuerit* [5], *etiam totum corpus tuum tenebrosum erit.* Oculus enim nequam depravat voluntatem et facit eam iniquam; illa autem depravata, depravatur et opus. Unde Ecclesiastici decimo quarto [6]: « Nequam est oculus lividi et avertens faciem », scilicet a Deo, « et despiciens animam suam »; et paulo post: « Oculus malus ad mala »; unde cum depravatur intentio, deviat a via lucis et incedit per tenebras, secundum illud Ecclesiastici undecimo: « Error et tenebrae peccatoribus concreatae sunt ». Cum autem obtenebratur intentio et deformatur, obtenebratur et deformatur opus. Unde in Glossa [7]: « Si perversa intentio praecessit, pravum opus sequitur, etiam si iustum videatur ». Et ideo dicitur *corpus tenebrosum,* quod quidem dicitur peccati opus, de quali habetur ad Romanos decimo tertio: « Abiiciamus opera tenebrarum ». — In hoc igitur aptatur similitudo lucernae, ut, sicut lucerna super candelabrum est luminosa, sub modio tenebrosa; et ideo nullus eam accendens « ponit sub modio, sed super candelabrum »: sic intentio simplex et sursum directa est lucida, deorsum est curva, nequam et obscura. Non ergo debet quis in suis operibus procedere cum duplicitate et simulatione hypocrisis, sed magis cum luce et simplicitate intentionis. Nam Proverbiorum undecimo [8]: « Iustitia simplicis diriget viam eius, et in impietate sua corruet impius ».

(De oculo nequam. — Notandum.)

75. (Vers. 35.). Tertio subditur *informatio commendabilis,* cum dicit: *Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebrae sint,* id est, ne intentio, per quam debes esse lux, vitiorum tenebris obscuretur. Loquitur autem conversis ad se, de quibus ait Apostolus ad Ephesios quinto [9]: « Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate », ut sitis *filii illius lucis,* « quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum », Ioannis primo; non *filii hominis,* de quibus Ioannis tertio: « Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim mala opera eorum ». Quoniam ergo prava intentio totum opus depravat, ideo docet, eam praecipue esse cavendam, cum dicit: *Vide* etc.

(Tertium.)

76. (Vers. 36.). Sed rursus, quia *intentio* non potest esse lucida [10], nisi adsit *operatio* bona; ideo subdit: *Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum,* ut videlicet non sit pravitas in intentione nec cogitatione nec affectione nec locutione nec operatione, quae

(Ad lucidam intentionem requiritur operatio bona.)

---

[1] Codd. C D F G omittunt *in,* sed contra subnexa.

[2] Libr. I. de Officiis, c. 30. n. 147. Cfr. II. Sent. d. 40. dub. 1. — Subinde allegatur I. Paralip. 29, 17.

[3] Vers. 1, post quem Cant. 1, 3. et 4, 9. Cfr. Bernard., de Praecepto et dispensat. c. 14. n. 36. seqq. et Serm. 40. in Cant. n. 2. seq. Hieron., I. in Matth. 6, 22. seq.: Lippientes [oculi] solent lucernas videre numerosas, simplex oculus et purus simplicia intuetur et pura.

[4] Vers. 8. et 9. — Subinde allegatur Matth. 7, 18. (cfr. Luc. 6, 43.), post quem Vat. prosequitur: *ita ex corde tenebroso non procedunt opera nisi tenebrarum; sicut nec arbor mala fructus facit nisi malos.* Cod. H legit: *Quoniam igitur de corde sic illuminato non procedunt nisi lucida, sic a tenebroso nisi obscura, sicut non potest arbor bona fructus malos facere, nec mala fructus bonos.* In nostro textu ante *quoniam* supple: etiam totum rectum est.

[5] Codd. omittunt *fuerit,* et subinde Vulgata et Vat. omittunt *totum* (cfr. Matth. 6, 23: *Totum corpus tuum* etc.

[6] Vers. 8. et 10. — Sequitur Eccli. 11, 16. — Inferius pro *deviat* Vat. *derivatur,* D a secunda manu *deviatur.* Cfr. Du Cange, Glossarium etc.: *Deviare,* exorbitare, extra viam ire... *Deviare,* a via sua aliquem per vim abducere.

[7] Scilicet *interlinearis* (ex Beda) in Luc. 11, 34: « Si perversa intentio praecesserit, pravum opus sequetur, etsi aliquando iustum videatur ». Ita etiam H, sed alii codd. pro *Si* perperam *Semper;* saltem legendum esset *Semper si.* — Subinde allegatur Rom. 13, 12.

[8] Vers. 5. — Superius Vat. omittit *est luminosa... candelabrum.*

[9] Vers. 8. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 1, 9. et 3, 19. — Glossa *interlinearis* (ex Beda) in Luc. 11, 35: *Vide ergo, ne lumen* etc.; ipsa intentio, quae animae lumen est, vitiorum tenebris fuscetur. Cfr. August., II. de Serm. Domini in monte, c. 13. n. 46.

[10] Codd. B F *pura et lucida.*

sunt partes totalitatis nostrae et operationis meritoriae sive demeritoriae. — Si igitur in his non fuerit ex aliqua parte impuritas[1], erit verum illud quod sequitur: *Erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te,* id est *conscientiam tuam,* secundum petitionem propheticam: « Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine; Deus meus, illumina tenebras meas », secundum quod habetur in Psalmo[2]. Illuminabit etiam te *ad aedificandum Christi Ecclesiam,* secundum illud mandatum Domini Matthaei quinto: « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est ». Illuminabit etiam te *ad confutandam pravitatem alienam,* secundum illud ad Philippenses secundo[3]: « Sitis sinceres in medio nationis pravae et perversae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes ». Illuminabit etiam te *ad habendam divinam notitiam,* secundum illud Ecclesiastici secundo[4]: « Qui timetis Dominum diligite illum, et illuminabuntur corda vestra ». Illuminabit etiam te *ad videndam claritatem divinam;* Tobiae decimo tertio: « Luce splendida fulgebis » etc.

Illuminatio quintuplex.

77. *Et cum loqueretur, rogavit eum*[5] etc. Postquam Evangelista commendavit simplicitatem intentionis rectae, in hac parte *confutat dolositatem simulationis malignae.* Habet autem pars ista partes duas. In quarum prima praemittitur *increpatio duplicitatis;* in secunda subditur *comminatio calamitatis,* ibi[6]: *Sed vae vobis Pharisaeis* etc. — Circa *increpationem duplicitatis* introducuntur tria: primum est *Iudaicae simulationis malignitas,* secundum est *increpationis severitas,* tertium vero *caritativae admonitionis suavitas.*

Secundo confutatur dolositas simulationis malignae dupliciter.

Divisio.

In increpatione duplicitatis tanguntur tria.

78. (Vers. 37.). Primo igitur quantum ad *simulationis malignitatem* ex parte Pharisaei dicit: *Et cum loqueretur, rogavit eum quidam Pharisaeus, ut pranderet apud se.* In quo facto exterius praetendebat pietatem ad relevandam Christi indigentiam, de qua ipse dicit in Psalmo[7]: « Ego autem mendicus sum et pauper »; ad quam relevandam Christus eleemosynas accepit, nec tantum accepit, sed etiam mendicavit, cum adhuc esset duodennis, sicut dicit Bernardus in quodam Sermone[8]: « Cum factus esset Iesus » etc.; ubi quaerit, quis eum in illo triduo cibaverit, et dicit sic: « Ut te per omnia nostrae conformares paupertati et omnes vitae humanae calamitates susciperes, quasi unus ex turba pauperum stipem per ostia mendicabas. Quis dabit, me buccellarum illarum mendicatarum participem fieri, vel illius divini edulii reliquiis saginari »? Unde Glossa super illud secundae ad Corinthios octavo[9]: « Pro vobis egenus factus est » etc.: « Non erubescas cum tua mendicitate ad illum accedere, qui pro nobis factus est pauper ». Unde ad suam indigentiam relevandam non solum a bonis, sed etiam a malis accipiebat eleemosynam; unde subditur: *Et ingressus recubuit.* — In quo dat nobis formam, quod peccatores occulti non sunt vitandi; et quod a malis eleemosynae licite accipi possunt, ut fiant boni, dummodo non dent de alienis vel male acquisitis[10]; et quod peccatores sunt per benevolentiam attrahendi; et quod inimicis et detractoribus nostris debemus esse benevoli, sicut ille qui cum illo recubuit, a quo sciebat in corde se despici et iudicari.

Primum.

Applicatio.

79. (Vers. 38.). Propter quod subditur: *Pharisaeus autem coepit, intra se reputans, dicere,* id est, rationem et causam inquirere, scilicet, *quare non esset baptizatus,* id est lavatus more Iudaeorum, *ante prandium,* ac per hoc ipsum iudicare tanquam immundum et contemptorem paternarum traditionum. Unde similiter leguntur Pharisaei Domino et eius discipulis obiecisse Matthaei decimo quinto[11]: « Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Non enim lavant manus suas, cum manducant ». Hoc autem erat apud Iudaeos praecipuum; unde dicitur Marci septimo[12]: « Pharisaei autem et omnes Iudaei crebro lavant manus, cum manducant, tenentes traditionem seniorum, et a foro, nisi baptizentur, non comedunt ». Et ratio huius erat, quia maximam vim faciebant in servanda munditia corporum. Unde duplex ostenditur ex hoc simulatio in Pharisaeo: primo, quia eum quem pie reficiebat exterius, impie iudicabat interius; secundo, quoniam zelabat munditiam

Pharisaei iudicium.

Duplex ipsius simulatio.

---

[1] Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Si ergo corpus tuum* etc., si bonum bona intentione facis, non habens in tua conscientia aliquam partem malae cogitationis.

[2] Psalm. 17, 29. Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Illuminabit te,* et hic et in futuro gratia lucis donaberis. — Sequitur Matth. 5, 16.

[3] Vers. 15. seq., ubi pro *sinceres* Vulgata *sine reprehensione,* H *simplices;* cfr. supra pag. 234, nota 8.

[4] Vers. 10. — Sequitur Tob. 13, 13.

[5] Cfr. supra pag. 300, nota 3.

[6] Vers. 42.

[7] Psalm. 39, 18. — Superius post *pietatem* Vat. cum nonnullis codd. prosequitur *in relevanda Christi indigentia, de qua* etc.

[8] Sive Tract. de Puero Iesu duodenni (inter opera Bernard.; cfr. supra pag. 69, nota 7.), ubi n. 5. incipit expositio verborum Luc. 2, 42: *Cum ergo factus esset Iesus annorum duodecim* etc., et n. 6. sententia hic allegata occurrit: *An* ut te... et omnes in te humanae *naturae* calamitates susciperes... mendicabas? Quis dabit, me buccellarum illarum sic mendicatarum etc.

[9] Vers. 9: *Propter vos* etc. Nonnulli codd. *Pro nobis* etc. Glossa est *ordinaria:* Non ergo expavescas cum tua mendicitate ad illum accedere, qui indutus nostra paupertate, ubi se pauperavit, nos ditavit. Cfr. August., Serm. 36. (alias 212. de Tempore) c. 2. n. 3. seq.

[10] Cfr. IV. Sent. d. 15. p. II. a. 2. q. 1. — Etiam Card. Hugo tres priores adducit rationes. — Inferius pro *detractoribus* (ita B) alii codd. et Vat. *seductoribus.*

[11] Vers. 2, ubi C D H: *Quare discipuli tui non servant traditiones seniorum* etc. — Superius pro *similiter* Vat. *simile,* H *similia.*

[12] Vers. 3. et 4. Pro *crebro lavant manus, cum manducant* Vulgata et Vat. *nisi crebro laverint, non manducant,* et pro *nisi baptizentur* C D G *nisi baptizati.*

corporalem nec attendebat spiritualem. Et ideo hypocrita erat tam in conspectu hominum quam Dei, contra illud Ecclesiastici primo[1]: « Ne accesseris ad illum duplici corde, et ne fueris hypocrita in conspectu hominum ».

Secundum. 80. (Vers. 39.). Secundo quantum ad *increpationis severitatem* ex parte Magistri subdit: *Et ait Dominus ad illum: Nunc vos, Pharisaei, quod deforis est calicis et catini mundatis. Calix* est vas ad bibendum, *catinum* ad manducandum; et haec vasa maxime mundabant Pharisaei et Iudaei, quia se putabant inquinari per immunditiam vasorum. Unde Marci septimo[2] dicitur, quod « multa sunt illis tradita servare: baptismata calicum et urceorum et aeramentorum ». Quia vero, ut dicit Ambrosius[3], « calix est vas vitreum, et catinum vas fictile »; et quia utrumque fragile, recte designat fragilitatem humani corporis, circa quam Pharisaei erant potissime intenti, neglecta munditia conscientiae; et hoc erat reprehensibile. Nam dicitur Isaiae primo[4]: « Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis »; et Ieremiae quarto: « Lava a malitia cor tuum, Ierusalem, ut salva fias »; quod Pharisaei non observabant. — Propter quod addit: *Quod autem intus est vestrum plenum est rapina et iniquitate*, ac per hoc immundum et abominabile. Unde de eis poterat dici illud Michaeae sexto[5]: « Divites eius repleti sunt iniquitate, et habitantes in ea loquebantur mendacium »; Ecclesiastici primo: « Accessisti maligne ad Dominum, et cor tuum plenum est dolo et fallacia »; quia non habet intra quod simulat extra. Et ista erat non tantum *malitia*, sed etiam *stultitia*, quia, neglecto meliori, de peiore tantum curabant.

81. (Vers. 40.). Unde subditur: *Stulti, nonne qui fecit quod de foris est*, scilicet corpus, *etiam*[6] *quod de intus est fecit?* scilicet spiritum. In quo simul damnatur *haeresis Manichaeorum*, qui Deo auctori tribuunt spiritum et diabolo corpus; cum tamen dicatur Genesis secundo, quod « formavit Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae ». Confutatur etiam *hypocrisis Pharisaeorum*, qui Deo satagebant placere solius corporis purificatione, cum tamen Dominus fecerit utrumque, et maxime sit conditor animae, secundum illud Ecclesiastae ultimo[7]: « Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum »; et Dominus praecipue se vocat *Deum animarum;* Ezechielis decimo octavo: « Meae sunt omnes animae, dicit Dominus, ut anima patris, ita et anima filii ». Et propter hoc maxime vult animarum munditiam; et tali promittit suam praesentiam, secundum illud Matthaei quinto: « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt »; et ideo Pharisaei, qui de hac non curabant, ut stulti erant. Unde Chrysostomus[8]: « Deus neque corporum munditiam laudat neque sordes condemnat. Pone tamen, quod sordes odit vasorum, quanto magis conscientiae sordes odit »? Unde de hac praecipue curandum, quia sine munditia conscientiae nihil est mundum; ad Titum primo[9]: « Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatae sunt eorum mens et conscientia ».

(Damnatur haeresis Manichaeorum. — Et hypocrisis Pharisaeorum.)

82. (Vers. 41.). Tertio quantum ad *admonitionis suavitatem* ex parte medici subiungit: *Verumtamen, quod superest, date eleemosynam; quod superest*, hoc est, remedium, quod restat, est, ut per *eleemosynam purgetis nequitiam*. « Secunda enim tabula, quae restat post naufragium, est poenitentia[10] ». — Et hoc modo accipitur hic *eleemosyna;* quod patet in hoc quod sequitur: *Et*[11] *omnia munda sunt vobis.* Impossibile est, omnia mundari per solius *exterioris eleemosynae* erogationem; sed vocatur hic donatio eleemosynae *quodlibet opus misericordiae ordinatae*, quae primo incipit a se, secundum illud Ecclesiastici trigesimo[12]: « Miserere animae tuae, placens Deo ». Hanc misericordiam sibi impendit, cum se per poenitentiam purgat a vitiis; nam aliter crudelis est sibi, secundum illud Psalmi: « Qui diligit

(Tertium. — Expositio 1.)

---

[1] Vers. 36. et 37.

[2] Vers. 4. — Superius pro *quia se putabant* C D *qui se putabant.*

[3] Glossa *ordinaria* (cfr. Ambros., VII. in Luc. c. 11. n. 100.): « *Calix,* vas vitreum; *catinus*, fictile de terra; per hoc figuratur fragilitas humani corporis, in quo exterius praetendunt sanctitatem et simulant iustitiam; quod foris erat lavabant, intus nequissimi ». Pro *catinum* etiam C D *catinus;* cfr. Isidor., XX. Etymolog. c. 6. n. 5. *Catinum* vas fictile, quod melius neutro genere dicitur quam masculino, sicut et *salinum* dicitur vas aptum *salibus.* — Subinde pro *et quia utrumque* C D H *et ita utrumque.*

[4] Vers. 16, post quem Ier. 4, 14.

[5] Vers. 12, cui subiungitur Eccli. 1, 40. Glossa *interlinearis* (cfr. Beda): *Nunc vos, Pharisaei, quod de foris est* etc., munditiam carnis exterius observatis, *quod autem intus est* etc., animae turpitudinem retinetis. — Aliquanto inferius pro *de peiore tantum* [A C D G omittunt *tantum*] Vat. *de corpore tantum.*

[6] Vulgata et H *etiam id*, C D *illud.* — Subinde allegatur Gen. 2, 7, in quo pro *in faciem eius* G *in eum*, A C D *in eo.* — Beda, IV. in Luc. 11, 40: Qui, inquit, utramque hominis naturam fecit utramque mundari desiderat. Hoc contra Manichaeos, qui animam tantum a Deo, carnem vero putant a diabolo creatam.

[7] Vers. 7. — Duo seqq. loci sunt Ezech. 18, 4. et Matth. 5, 8.

[8] Homil. 44. in Matth. 23, 25. (Op. imperfect.), ubi post *Pone tamen* textus originalis prosequitur *quia Deus odit sordes corporum et rerum et vasorum. Si ergo rerum sordes odit... quanto magis Deus sordes conscientiae horret* etc. Pro *quod sordes* C D G H *si sordes.*

[9] Vers. 15.

[10] Ut dicit Hieron., Epist. 130. (alias 8.) n. 9. Cfr. IV. Sent. lit. Magistri, d. XIV. c. 1. et d. 22. a. 3. q. 2. — Codd. A C D H post verba *quod restat* omittunt *est, ut per eleemosynam purgetis nequitiam. Secunda enim tabula, quae restat.*

[11] Vulgata et Vat. addunt *ecce.* Subinde vocibus *omnia mundari* Vat. interserit *posse.*

[12] Vers. 24. — Sequitur Ps. 10, 6. Cfr. August., Serm. 106. (alias 30, de Verbis Domini) c. 3. n. 4; et IV. Sent. lit. Magistri, d. XV. c. 5.

Expositio 2.

iniquitatem odit animam suam ». — Aliter potest exponi de eleemosyna *proprie dicta*, ut sit sensus: *Quod superest date eleemosynam*, id est, de eo quod superest, ut sic tangatur eleemosynae *forma*, secundum illud secundae ad Corinthios octavo[1]: « Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio ». Et post formam subditur *efficacia*, cum ait: *Et*[2] *omnia munda sunt vobis;* quia eleemosyna disponit ad gratiam, per quam mundatur anima tota; et propter hoc dicitur primae ad Timotheum quarto: « Pietas valet ad omnia, promissionem habens vitae, quae nunc est et futurae ».

Eleemosynae effectus septem.

83. Licet autem *eleemosyna* dicatur *valere ad tria* principaliter, tamen *septiformis* ostenditur eius efficacia in Scriptura. Prima est, quia animam *mundat a culpa*, sicut hic habetur; et Ecclesiastici tertio[3]: « Eleemosyna patris non erit in oblivione »; et paulo post: « Et sicut in sereno glacies, solventur peccata tua ». — Secunda est, quia *liberat a poena aeterna;* Tobiae quarto[4]: « Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat et non patitur, animam ire in tenebras ». — Tertia, quia *defendit a poena transitoria;* Danielis quarto: « Peccata tua eleemosynis redime » etc. — Quarta, quia *mitigat fomitis concupiscentiam;* Ecclesiastici tertio[5]: « Ignem ardentem exstinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis ». — Quinta, quia *dat de hoste victoriam;* Ecclesiastici vigesimo nono: « Conclude eleemosynam in corde pauperis, et haec pro te exorabit »; et paulo post: « Super scutum potentis et super lanceam adversus inimicum tuum pugnabit ». — Sexta, quia *conservat gratiam*, secundum illud Ecclesiastici decimo septimo[6]: « Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit ». — Septima, quia *dat fiduciam perveniendi ad gloriam;* Tobiae quarto[7]: « Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna facientibus ipsam ».

Notandum.

— Hi septem effectus sunt ipsius eleemosynae, quae tam *corporaliter* quam *spiritualiter* exhibetur.

Opera misericordiae corporalis.

84. Opera *misericordiae corporalis* hoc versu designantur:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

De quibus, praeterquam de ultimo, Matthaei vigesimo quinto[8], disceptatur in iudicio; de ultimo vero dicitur Tobiae secundo. — Ad hoc autem, quod eleemosyna habeat has efficacias, necessaria est primo *simplicitas in corde;* unde Matthaei sexto[9]: « Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua » etc. — Secundo vero, *discretio in electione*, secundum illud Ecclesiastici duodecimo: « Si benefeceris, scito, cui benefeceris ». — Tertio vero, *compassio in affectione;* Isaiae quinquagesimo octavo[10]: « Cum effuderis esurienti animam tuam, tunc orietur in tenebris lux tua »; et Iob trigesimo: « Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi ». — Quarto vero, *dulcedo in sermone;* Ecclesiastici decimo octavo[11]: « Nonne ardorem refrigerabit ros? Sic et verbum melius quam datum ». — Quinto vero, *hilaritas in facie;* Ecclesiastici trigesimo quinto: « In omni dato hilarem fac vultum tuum »; Psalmus: « Iucundus homo, qui miseretur » etc. — Sexto vero, *debita quantitas in munere;* Tobiae quarto[12]: « Quomodo potueris, esto misericors; si multum tibi fuerit » etc. — Septimo vero, *celeritas in opere* et exhibitione; Proverbiorum tertio: « Ne dicas amico tuo: Vade et revertere » etc. — Et tunc fit eleemosyna ex toto homine, ac per hoc est Deo accepta et placens.

Eiusdem conditiones septem.

De comminatione calamitatis agitur dupliciter.

85. *Sed vae vobis Pharisaeis* etc. — Post increpationem duplicitatis subditur hic duplicibus et hypocritis *comminatio calamitatis;* unde Matthaei vigesimo tertio[13] quasi superadditur ista determinatio: « Vae vobis, scribae et Pharisaei, hypocritae »! Et quoniam haec duo genera personarum, scilicet Pharisaeorum et scribarum, simulabant maxime religionem; ideo contra has duas personas facit suam invectionem, sed in Matthaeo simul, hic autem distincte. Ideo pars ista habet duas. In prima comminatur *vae* ipsis *Pharisaeis;* in secunda vero, *scribis* sive legisperitis, ibi[14]: *Respondens autem quidam ex legisperitis* etc.

Divisio.

*Comminatio* autem damnationis aeternae tertio replicatur contra *Pharisaeos* propter triplicem causam, scilicet propter *negligentiam*, propter *arrogantiam* et propter *fraudulentiam*, ut sit *negligentia* in omissione boni, *arrogantia* in commissione mali, *fraudulentia* in occultatione mali et ostentatione boni.

Primo, contra Pharisaeos propter tria vitia.

86. (Vers. 42.). Primo igitur comminatur *Pharisaeis* poenam aeternam propter *negligentiam*, qua

De primo.

---

[1] Vers. 13. Cfr. Beda, IV. in Luc. 11, 41.

[2] Vulgata et H *Et ecce;* cfr. supra pag. 303, nota 11. — Subinde allegatur I. Tim. 4, 8.

[3] Vers. 15. et 17.

[4] Vers. 11, ubi pro *patitur* Vulgata et Vat. *patietur*, et pro *animam* C D G *animas*. — Sequitur Dan. 4, 24, ubi codd. legunt: *Peccata tua redime eleemosynis pauperum;* Vulgata: *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum* etc.

[5] Vers. 33. — Subinde allegantur Eccli. 29, 15. et 16, ubi pro *in corde* C D G *in sinu*.

[6] Vers. 18; lectionem Vulgatae *signaculum* pro *sacculum* vide supra pag. 140, nota 6.

[7] Vers. 12. — Inferius pro *quae... exhibetur* C D G *qui... exhibentur*.

[8] Vers. 31. seqq. — De ultimo vide Tob. 2, 4. 7. et 9: cfr. ibid. 1, 21. — Plura de operibus misericordiae vide IV. Sent. d. 15. p. II. dub. 2.

[9] Vers. 3, et dein Eccli. 12, 1.

[10] Vers. 10, post quem Iob 30, 25.

[11] Vers. 16. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 35, 11. et Ps. 111, 5.

[12] Vers. 8. et 9. — Sequitur Prov. 3, 28. — Similia exhibet Card. Hugo.

[13] Vers. 13. seqq.; cfr. supra pag. 295, nota 10.

[14] Vers. 45.

minimis intenti, omittebant maxima. Et hoc, cum dicit: *Sed vae vobis Pharisaeis! qui*[1] *decimatis mentham et rutam et omne olus*, quasi multum sitis intenti ad impletionem divinorum mandatorum; unde infra decimo octavo se iactabat Pharisaeus: « Decimas do omnium, quae possideo ». Sed tamen per hoc non iustificabantur propter omissionem optimorum; unde addit: *Et praeteritis omne*[2] *iudicium et caritatem Dei*, id est iustitiam et misericordiam. Et hoc est quod maxime reqnirit Deus, secundum illud Michaeae sexto: « Indicabo tibi, o homo, quidquid sit bonum, et Dominus requirat a te; utique facere iudicium et diligere misericordiam ». Et hanc vocat *caritatem*; Zachariae septimo: « Iudicium verum iudicate et misericordiam et miserationes facite, unusquisque cum proximo suo »; ita quod sit *iudicium* respectu sui, et *caritas* sive misericordia respectu proximi. — Vel, per *iudicium* intelligatur divinum *praeceptum*, secundum illud Psalmi[3]: « Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa » etc.; *caritas* autem dicitur *praecepti finis* et complementum; primae ad Timotheum primo: « Finis praecepti est caritas » etc. — Vel, per *iudicium* intelligantur *praecepta iudicialia*, secundum illud Exodi vigesimo primo[4]: « Haec sunt iudicia, quae propones eis: Si emeris servum » etc.; per *caritatem*, *moralia*; unde ad Romanos decimo tertio: « Qui diligit proximum Legem implevit. Nam Non occides » etc. Arguit igitur eos, quia propter *caeremonialia* dimittebant *iudicialia* et *moralia*, quae magis erant sollicite facienda. — Et propterea addit: *Haec autem oportuit facere*, scilicet iudicium et caritatem primo et principaliter; unde Osee sexto[5]: « Misericordiam volo et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocaustum ». — *Et illa non omittere*, quia, Ecclesiastici decimo nono, « qui spernit modica paulatim decidet »; et Ecclesiastae septimo: « Qui timet Deum nihil negligit ».

Quid iudicium et caritas. — Aliter. — Aliter.

87. (Vers. 43.). Secundo hanc *comminationem iterat* propter *arrogantiam*, cum subdit: *Vae vobis Pharisaeis! quia*[6] *diligitis primas cathedras in synagogis*, quantum ad *ambitionem dignitatum*. Unde Glossa: « Arrogantiam redarguit, quia primatus appetebant ». Haec autem non est appetenda; unde Ecclesiastici septimo[7]: « Noli quaerere ab homine ducatum neque a rege cathedram honoris ». Nam talis cathedra non est verae *excellentiae*, sed magis *pestilentiae*, secundum illud Psalmi: « Beatus vir, qui in cathedra pestilentiae non sedit »; super quam tamen sedebant scribae et Pharisaei; verumtamen ut indigni, quia verba habebant et non facta idonea. Unde dicitur Matthaei vigesimo tertio[8]: « Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei; quae dicunt facite, secundum opera eorum nolite facere ». — Et quia ad ambitionem dignitatis sequitur *appetitus laudis*, propterea subdit: *Et salutationes in foro*, id est laudes in conspectu multorum, ut ceteris honorabiliores viderentur; unde Matthaei vigesimo tertio[9]: « Amant salutationes in foro et vocari ab hominibus *rabbi* ». Unde hic arguuntur, quia vanam gloriam quaerebant, propter quam etiam veritatem cognitam confiteri non audebant, secundum illud Ioannis duodecimo: « Ex principibus autem multi crediderunt in eum, sed propter Pharisaeos non confitebantur, ut de synagoga non eiicerentur. Dilexerunt enim magis gloriam hominum quam gloriam Dei ». — Ex quo apparet, quod laudes et honores secundum *divinam formam* omnino debemus contemnere, non secundum *Pharisaeos* appetere. Qui enim haec amat, ut dicit Hieronymus[10], non est Christi discipulus, sed scriba et Pharisaeus. Christus enim, cum petebatur ad regnum, « fugit in montem », Ioannis sexto; cum laudaretur, secedebat in desertum ad orandum, supra quinto.

De secundo. — Appetitus laudis. — Corollarium.

88. (Vers. 44.). Tertio hanc *comminationem replicat* propter *fraudulentiam*, cum subdit: *Vae vobis! qui*[11] *estis ut monumenta, quae non apparent*, scilicet qualia sunt intus, quia foetida et immunda sunt intus, sed extra sunt pulcra; unde addit: *Et homines ambulantes supra nesciunt*. Tales sunt hypocritae, qui cum intra sint mali, extra videntur perfecti; unde merito dicuntur *sepulcra*, secundum illud Psalmi[12]: « Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis » etc. Et ideo non sunt *filii Sponsi*, immo omnino oppositi. Nam Canticorum

De tertio.

---

[1] Ita hic et infra pluries A C D H, Card. Hugo, Gorranus et Lyranus, Vulgata et Vat. *quia*. — Subinde allegatur Luc. 18, 12. — Inferius pro *iustificabantur* C D *iustificabatur*.

[2] Vulgata et H omittunt *omne*, quod etiam B. Albert. exhibet. — Duo seqq. loci sunt Mich. 6, 8. et Zach. 7, 9, in cuius fine Vulgata et Vat. *cum fratre suo*.

[3] Psalm. 18, 10, cui subiungitur I. Tim. 1, 5. — Superius pro *per iudicium* A C D *iudicium*.

[4] Vers. 1. — Sequitur Rom. 13, 8. seq.

[5] Vers. 6. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 19, 1. et Eccle. 7, 19.

[6] Codd. A C D *qui*, quod etiam Beda, Card. Hugo, Gorranus et Lyranus exhibent. — Glossa, quae sequitur, est *interlinearis* (ex Ambros., VII. In Luc. n. 105.): « Arrogantiam redarguit, quia primatus appetunt ». Sola Vat. post *primatus* addit *dignitatem*.

[7] Vers. 4. — Subinde allegatur Ps. 1, 1.

[8] Vers. 2. et 3.

[9] Vers. 6. et 7. — Sequitur Ioan. 12, 42. seq.

[10] Libr. IV. Comment. in Matth. 23, 5: Quicumque igitur ita facit quodlibet, ut videatur ab hominibus, scriba et Pharisaeus est. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 6, 15. et Luc. 5, 16. — Superius pro *divinam formam* H *divinum magistrum*, Vat. *divinam informationem*.

[11] Cod. H *qui*; ita etiam Beda, Card. Hugo et Lyranus. — Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Vae vobis!* arguit de hypocrisi, *qui estis ut monumenta* etc., quia superficiem terrae communis ostendunt.

[12] Psalm. 5, 11. — Duo seqq. loci sunt Cant. 1, 4. et Matth. 23, 27, ubi pro *quia similes* C D *qui similes*. — Superius voci *perfecti* Vat. praefigit *boni et*; subinde post *sepulcra* addit *id est semipulcra*.

primo: « Nigra sum, sed formosa », isti autem albi sunt, sed foetidi; ideo merito dicuntur *monumenta;* unde Matthaei vigesimo tertio: « Vae vobis, scribae et Pharisaei hypocritae! quia similes estis sepulcris dealbatis, quae a foris parent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia ». Unde Chrysostomus [1]: « Iustorum corpora *templa* dicuntur, corpora vero peccatorum *sepulcra,* quia intus est anima mortua; nec enim viva putanda est quae nihil vivum, id est spirituale, egit in corpore ». Et post: « Dic, hypocrita, si bonum est bonum esse, cur non vis *esse* quod vis *apparere?* Quod autem turpe est *apparere* turpius est *esse.* Aut ergo esto quod appares, aut appare quod es ».

Notandum.

Ex his Domini verbis potest colligi, qui sint [2] illi qui debent *hypocritae* iudicari, scilicet in quibus regnat *negligentia, arrogantia, fraudulentia.* Hi autem sunt qui minima praeferunt maximis, transitoria aeternis, apparentia veris. De his autem iudicare non est hominis cuiuslibet, sed Christi, qui cor aspicit, secundum illud primae ad Corinthios quarto [3]: « Nolite ante tempus iudicare, quousque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum » etc. Nam Dominus non reprehendit bonitatem apparentem et evidentem, sed sophisticam et non existentem.

Corollarium.

89. *Respondens autem quidam ex legisperitis* [4] etc. Postquam comminatus est vae Pharisaeis, hic secundo comminatur *legisperitis,* et hoc tribus de causis: primo, propter *desidiam* contra veritatem vitae; secundo, propter *perfidiam* contra veritatem iustitiae, ibi [5]: *Vae vobis! qui aedificatis monumenta;* tertio, propter *fallaciam* contra veritatem doctrinae, ibi: *Vae vobis legisperitis! qui tulistis clavem* etc. Haec enim triplex veritas maxime debet esse in doctoribus Legis, sed in legisperitis nihil erat nisi hypocrisis.

Secundo, contra legisperitos propter tria vitia.

In comminando igitur gehennam propter *desidiam* primo praemittitur *ostentatio auctoritatis,* secundo adiungitur *comminatio calamitatis.*

Quoad desidiam tanguntur duo.

90. (Vers. 45.). Primo igitur quantum ad *ostentationem auctoritatis* ex parte legisperiti dicitur: *Respondens autem quidam* [6] *ex legisperitis,* qui scilicet sibi peritus esse videbatur, secundum illud Isaiae quinto: « Vae! qui estis sapientes in oculis vestris et coram vobismetipsis prudentes ». Et quia tales videntur sibi docti et magni, ideo contumeliosum putant ab aliquo argui. Propter quod addit: *Ait illi: Magister, haec dicens etiam nobis contumeliam facis;* quod non diceret, nisi ex conscientia sentiret, se similiter transgredi, et ex superbia nollet reprehendi; unde poterat sibi dici illud ad Romanos secundo [7]: « Confidis, te ipsum esse ducem caecorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium ». « Qui ergo alium doces te ipsum non doces ». Doctrinam sanam putant *contumeliam,* quia, ut dicitur Proverbiorum decimo octavo [8], « non recipit stultus verba prudentiae, nisi ea dixeris, quae versantur in corde suo ». Et vere talis erat stultus, qui reputabat se eruditum, quoniam Proverbiorum vigesimo sexto: « Vidisti hominem sapientem sibi videri? Magis illo spem habebit stultus ».

De primo.

91. (Vers. 46.). Secundo vero quantum ad *comminationem calamitatis* propter desidiam bene agendi dicitur: *At ille ait: Et vobis legisperitis vae!* scilicet damnationis aeternae. Et ratio huius est, quia multa dicebant et pauca faciebant. — Ideo subdit: *Quia oneratis homines oneribus, quae portare non possunt,* id est praeceptis et traditionibus superstitiosis et inutilibus, ut merito dicatur illud Actuum decimo quinto [9]: Hoc est onus, « quod neque nos neque patres nostri portare potuimus ». Unde Matthaei vigesimo tertio: « Alligant onera gravia et importabilia et imponunt in humeros hominum »; ad quae scilicet aliquis non tenetur, et ipsi dicunt teneri. — Et quia haec onera imponebant, *docebant* [10], sed non *portabant* faciendo; addit: *Et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas.*

De secundo.

92. Nota signanter quod dicit: *Uno digito non tangitis;* non dicit: *non portatis,* quia posset esse excusatio de impotentia. Frequenter doctor docet quod facere *non potest;* verumtamen non est doctrina eius contemnenda, si facere *vult,* quia voluntas ei computatur pro facto. Unde primi Regum trigesimo [11]: « Aequa pars erit descendentis ad proelium et remanentis ad sarcinas, et similiter divident »; et hoc dicitur pro viris, qui lassi substiterant; sed qui non vult digitum ad sarcinas apponere, manifestum, quod nihil laboris vult sustinere. Et talis, sive imponat per modum magistri, sive per modum praelati, omnino est reprehensibilis nec est imitator Christi, de quo dicitur Actuum primo [12]: « Coepit Iesus facere et docere ».

Notandum.

---

[1] Homil. 45. in Matth. 23, 27. (Op. imperfect). Ibid. est etiam seq. sententia, in qua, sicut et in prima, textus originalis hinc inde plura interserit.

[2] Codd. C D G H *sunt,* qui etiam inferius pro *aeternis* substituunt *perpetuis.*

[3] Vers. 5.

[4] Codd. C D G H *quidam legisperitus;* sed superius n. 85. et inferius n. 90. conveniunt cum Vulgata.

[5] Vers. 47; tertium habetur v. 52, ubi pro *qui tulistis* (ita etiam Card. Hugo, S. Thomas, Cat. aurea in Luc. c. 11. n. 12, Gorranus et Lyranus) Vulgata *quia tulistis.* Inferius pro *nisi hypocrisis* C D G *sed hypocrisis.*

[6] Codd. C D G H *Et respondens quidam;* cfr. tamen supra n. 89. — Subinde allegatur Isai. 5, 21.

[7] Vers. 19. seq. et dein v. 21.

[8] Vers. 2, cui subiungitur 26, 12.

[9] Vers. 10, post quem Matth. 23, 4.

[10] Cod. H *docendo,* Vat. *dicendo.*

[11] Vers. 24, in quo pro *similiter* A C D *simul.* — Superius Vat. omittit *quia potest esse excusatio de impotentia* (H *impossibilitate*). Cfr. II. Sent. d. 40. a. 1. q. 3. et a. 2. per totum.

[12] Vers. 1, cui subiunguntur Deut. 25, 13. et Prov. 20, 10, ubi pro *utrumque abominabile* C D G *abominatio.* — Superius pro *reprehensibilis* C D *duplex.*

Unde contra istos Deuteronomii vigesimo quinto: « Non habebis in sacculo diversa pondera »; et Proverbiorum vigesimo: « Pondus et pondus, mensura et mensura; utrumque abominabile est apud Deum ». Hoc autem est, cum homo sibi est misericors et proximo vel subdito durus; cum nihil portat, sed totum aliis portandum imponit. Unde Chrysostomus[1]: « Vis apparere et esse sanctus? Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus. Audiant te homines parva mandantem et gravia facientem ».

93. (Vers. 47.). *Vae vobis! qui aedificatis* etc.

Quoad perfidiam tangunlur duo.

Postquam comminatus est eis *vae* pro culpa desidiae ex defectu veritatis vitae, hic secundo replicat idem *pro culpa perfidiae contra veritatem iustitiae,* quae quidem erat in impia iustorum persecutione. Circa quam primo *exaggeratur ipsa culpa*, deinde *aggravatur vindicta.*

De primo.

Primo igitur quantum ad *exaggerationem culpae* dicit: *Vae vobis! qui aedificatis monumenta Prophetarum,* praetendentes pietatem in facto, sed gerentes impietatem in animo, sicut et patres eorum. — Propter quod subdit: *Patres autem vestri occiderunt eos*[2], scilicet tanquam impii iustos. Unde Actuum septimo dixit beatus Stephanus: « Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prophetabant de adventu iusti ». Sed et isti, licet aliud simularent, tamen erant imitatores eorum.

Iudaei sunt imitatores nequitiae suorum patrum.

94. (Vers. 48.). Propter quod ait: *Sed profecto testificamini, quod consentitis operibus patrum vestrorum,* id est, consentitis, haec fuisse opera patrum vestrorum; unde Matthaei vigesimo tertio[3]: « Testimonio estis vobismetipsis, quod estis filii eorum qui occiderunt Prophetas ». — Ideo addit: *Quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem aedificatis eorum sepulcra;* et sic signo et verbo testes erant, quod patres eorum ipsos occiderant. Et hoc quidem *simulabant* se verbo et signo reprobare; unde Matthaei vigesimo tertio[4]: « Ornatis monumenta iustorum et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non fuissemus socii eorum »; sed *approbabant* consimili facto et voto, quod ipsi, ut patres eorum, erant persecutores bonorum; et ex hoc testes erant, se consentire operibus patrum. Unde Hieronymus[5]: « Contra vosmetipsos testes estis; opere enim vos esse imitatores patrum testificamini, quorum facinora detestamini verbo ». Unde Actuum septimo[6]: « Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri, ita et vos ».

Dispositio Dei aeterna.

95. (Vers. 49.). Et quia malitia, quam gerebant in corde, permissione Dei propalanda erat in opere, ideo subdit: *Propterea et sapientia Dei dixit,* « id est, ab aeterno disposuit[7] », vel ipse Christus disposuit vel praevidit, qui est « Dei virtus et Dei sapientia ». Vel *dixit*, id est, praedixit voce prophetica. — *Mittam ad illos Prophetas et Apostolos, et ex illis occident et persequentur,* secundum illud Ieremiae septimo[8]: « Misi ad vos omnes servos meos Prophetas per diem, consurgens diluculo et mittens; non audierunt me, sed nec inclinaverunt aurem suam et obduraverunt suam cervicem et peius operati sunt quam patres eorum ». Hoc verificatum est in istis, qui non tantum Prophetas, sed etiam *Dominum proprium interfecerunt.* Unde Actuum tertio[9] dicit eis Petrus: « Vos autem iustum et sanctum negastis et petistis, virum homicidam donari vobis; auctorem vero vitae interemistis ». Occiderunt etiam et persecuti sunt omnes *testes ipsius.* Nam Iacobus occisus est, et Petrus comprehensus, Actuum duodecimo[10]. Persecuti sunt etiam ipsi Paulum et Barnabam, ut transmigrarent ad gentes, Actuum decimo tertio et decimo quarto; et omnes etiam discipuli flagellati, Actuum quinto.

De secundo.

96. (Vers. 50.). Secundo vero quantum ad *aggravationem vindictae* dicit: *Ut inquiratur sanguis omnium Prophetarum. Inquiritur* namque per vindictam; unde in Psalmo[11]: « Quoniam requirens sanguinem eorum, recordatus est » etc.; et Genesis nono: « De manu viri et fratris eius requiram animam hominis. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius ». — *Inquiretur* igitur *sanguis,* id est vindicta effusionis sanguinis; propter

---

[1] Homil. 43. in Matth. 23, 4. (Op. imperfect.), ubi pro *Contra vitam* (ita Vat. et plures codd.) posuimus cum G H, Card. Hug. et textu originali *Circa vitam,* subinde pro *gravia* (ita etiam Card. Hugo) G *magna,* textus originalis *grandia.*

[2] Vulgata, quam sequuntur H et Vat., *illos.* — Sequitur Act. 7, 52.

[3] Vers. 31. — Supra pro *haec fuisse opera* nonnulli codd., ut D G, *hoc fuisse operum.*

[4] Vers. 29. seq.

[5] Libr. IV. Comment. in Matth. 23, 29. seq.: Prudentissimo syllogismo coarguit, eos filios esse homicidarum, dum ipsi opinione bonitatis et gloriae in populos sepulcra aedificant Prophetarum, quos maiores eorum interfecerunt, et dicunt: Si fuissemus tempore illo, non fecissemus ea quae fecerunt patres nostri. Hoc autem etiamsi sermone non dicant, opere loquuntur, ex eo quod ambitiose et magnifice aedificent memorias occisorum, quos a patribus suis esse iugulatos non negant.

[6] Vers. 51; cfr. supra pag. 290, nota 6.

[7] Ita Glossa *interlinearis;* cfr. Glossa *ordinaria* (ex August.) in Ps. 61, 12, de qua vide tom. V. pag. 323, notam 3. — Beda, IV. in Luc. 11, 49: *Sapientiam Dei* se ipsum dicit, ipse est enim *Dei virtus et Dei sapientia,* sicut Apostolus docet [I. Cor. 1, 24; cfr. supra pag. 96, nota 4.]. Ambros., VIII. in Luc. n. 107: Quis est Sapientia nisi Christus? Denique in Matthaeo [23, 34.] habes: *Ecce, ego mitto ad vos Prophetas et sapientes.* — Pro *qui est Dei virtus* C D F G *qui erat Dei virtus.*

[8] Vers. 25. et 26. Pro *Misi ad vos* codd. *Misi ad eos;* idem recurrit infra in expositione 20, 12.

[9] Vers. 14. et 15. — Superius pro *Dominum proprium* Vat. *Dominum Prophetarum.*

[10] Vers. 2. et 3. — Subinde allegantur Act. 13, 50. et 14, 5. seq., demum 5, 40.

[11] Psalm. 9, 13, post quem Gen. 9, 5. seq., ubi vocibus *et fratris* C D F G interserunt *de manu.*

quod addit: *Qui effusus est a constitutione mundi,* id est ab initio usque in finem. *Inquiretur,* inquam, *a generatione ista,* quasi dicat, quod vindicta omnis sanguinis sancti viri effusi erit super generationem Iudaeorum, quia ipsi effuderunt sanguinem illius qui erat « Sanctus Sanctorum », scilicet Christus, Danielis nono [1]; et post: « Occidetur Christus, et non erit eius populus, qui eum negaturus est ». Unde ipsi dixerunt Ioannis decimo nono: « Non habemus regem nisi caesarem »; et Matthaei vigesimo septimo: « Sanguis eius super nos et super filios nostros ». —

Aliter.

Vel hoc dicitur, ut ipsi puniantur in exemplum aliorum, quia, cum viderent, malum in aliis puniri, se non correxerunt. Unde Chrysostomus [2]: « Quid aliorum peccata vindicat Deus in istis, si soli sunt passi talia, cum non soli peccassent? Sicut, multis servis peccantibus, castigatur unus pro suo peccato, et tamen pro omnibus flagellatus pertulit solus, quod omnibus est promissum ». Ratio autem, quare magis ad istos poena pervenit, redditur ab eodem Ioanne Chrysostomo [3]: « Quia, inquit, vos audistis de Cain et de ceteris malis vindictam factam, et si non estis per eorum exempla correcti, graviori poena feriemini, et venient super vos exempla priorum ».

Probatur per exempla.

97. (Vers. 51.). Et propterea exemplificat secundum testimonia scripta, cum subdit: *A sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariae. Abel* namque primus fuit iustus a fratre occisus, secundum quod dicitur Genesis quarto [4]. *Zacharias* autem iste fuit filius Ioiadae, qui occisus fuit a rege Ioas, qui multa bona acceperat ab eius patre, secundum quod historia narrat secundi Paralipomenon vigesimo quarto. Verumtamen iste non fuit interfectus ultimo, sed ideo magis coniungitur cum primo, « quia [5] Abel pastor ovium fuit et necatus in agro, Zacharias vero sacerdos et necatus in atrio templi; qui duos ordines Martyrum designant, scilicet laicos, et eos qui altaris officio mancipantur ». — Ideo locum mortis huius totum designat, cum subdit: *Qui periit inter altare et aedem,* id est, occisus fuit inter templum et altare holocausti. « Duo namque altaria erant in templo: unum interius, scilicet incensi; aliud exterius, scilicet holocausti [6] »; secundum quod legitur Exodi trigesimo quinto. Et inter hoc et templum Zacharias a Iudaeis fuit occisus, secundum quod scribitur secundi Paralipomenon vigesimo quarto: « Congregati adversus eum, miserunt lapides iuxta regis imperium in atrio domus Dei ». « Qui, cum moreretur, ait: Videat Dominus et requirat ». Hoc dixit attendens aequitatem divinae iustitiae, quae nihil dimittit inultum.

Iterat vindictam futuram.

98. Ad cuius infallibilitatem notandam iterat futuram vindictam, cum subdit: *Ita, dico vobis, requiretur ab hac generatione;* ita ut per pronomen fiat demonstratio generationis malignae. Dicit enim Glossa Bedae [7]: « Omnes maligni una generatio sunt, una civitas, unum corpus diaboli, sicut omnes boni unum corpus, una generatio sunt Dei ». Unde de hac generatione iniqua intelligi potest illud Proverbiorum trigesimo [8]: « Generatio, quae pro dentibus gladios habet et commandit molaribus suis, ut perdat inopes de terra et pauperes ex hominibus ». Haec est generatio, a qua requiretur vindicta; sed in hac specialiter a gente Iudaica, quia consummata fuit in eis perfidia. Unde Chrysostomus [9]: « Sicut *bonis* per multas generationes promisit Deus Christum venturum, praestitit autem novissimis Sanctis; ita per singulas generationes comminatus est *malis,* reddet autem generationi novissimae. Nunquam enim talis *gratia* data est hominibus, qualis in Christo, aut talis *interitus* venit super impios, sicut super Iudaeos ». Unde possunt ipsi dicere optime illud Genesis quadragesimo secundo [10]: « Merito haec patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum. En, sanguis eius exquiritur ».

Notandum.

Quoad fraudulentiam contra veritatem doctrinae tanguntur duo.

99. (Vers. 52.). *Vae vobis legisperitis* etc. Hic tertio replicat *vae* propter *fraudulentiam contra veritatem doctrinae.* Et quia mali et seductores

---

[1] Vers. 24. (Sanctus Sanctorum) et 26. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 19, 15. et Matth. 27, 25. — Pro *scilicet Christus* Vat. *scilicet Christi.*

[2] Homil. 46. in Matth. 23, 35. (Op. imperfect.): Quid ergo? Iniustus est Deus, qui aliorum peccata vindicavit in istis? Absit. Sed quoniam quae illi merebantur isti sunt passi, et soli passi sunt talia, cum non soli peccassent: propterea quae aliorum erant dicuntur isti perpessi. Res enim ista moralis est, et sic omnes homines quotidie facimus. Ecce enim, cum servi tui peccant, exspolias unum et iterum parcis ei, dicens: Nisi observaveris, hoc passurus es; similiter facis et alteri. Non meliorantibus vero eis, si incurrerit unus, castigatur secundum suum peccatum, et videtur quidem pro omnibus ille solus castigatus, quia quod aliis est promissum illi est redditum. — Pro *promissum* Vat. *commissum.*

[3] Homil. 74. (alias 75.) in Matth. n. 2, ubi quod hic exhibetur sententialiter diffusius proponitur. — Pro *feriemini* (ita etiam Card. Hugo) C D F G H *ferimini.*

[4] Vers. 8. — Sequitur II. Paralip. 24, 22.

[5] Ut dicit Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 11, 51.

[6] Ita Glossa *ordinaria* (cfr. Beda, II. Homil. sect. 1. homil. 13. in Vigilia S. Ioan. Bapt.; in verba: *Stans a dextris altaris incensi)* apud Lyranum. — Subinde allegantur Exod. 35, 15. seq. (codd. allegant 27, 1. et 9, ubi de utroque altari; cfr. 40, 5. seq.) et II. Paralip. 24, 21. et 22, in quo pro *Videat* codd. *Iudicet* (Septuaginta: *Videat Dominus et iudicet).*

[7] Scilicet *ordinaria;* Beda sequitur Hieron., IV. Comment. in Matth. 23, 35. seq. circa finem. Pro *sunt Dei* Strab. et Lyranus *sunt dicti.* — Superius pro *per pronomen* A C (D primitus) *per nomen,* G *pronomine,* H *per pronomen istud, scilicet ab hac.*

[8] Vers. 14, ubi pro *perdat* Vulgata et Vat. *comedat.*

[9] Homil. 46. in Matth. 23, 35. Textus originalis hinc inde plura interserit. Post *ita* A C (D primitus) F G addunt *quod* (textus originalis: *per singulas generationes peccantibus mala promittens Deus ad terrorem eorum hunc eis prophetice minabatur interitum... ergo minatus est omnibus, non autem reddidit, sed reddidit generationi novissimae).*

[10] Vers. 21. et 22.

proficiunt in peius, ideo primo praemittitur *comminatio gehennae;* secundo vero adiungitur *obduratio nequitiae.*

De primo. Primo igitur quantum ad *comminationem poenae* propter defectum veritatis doctrinae dicit: *Vae vobis legisperitis! qui*[1] *tulistis clavem scientiae,* scilicet quantum ad officium dispensationis doctrinae. Haec autem clavis principaliter est Christi tanquam summi doctoris: « Unus est enim magister vester, Christus », secundum quod dicitur Matthaei vigesimo tertio[2]. Et de hac Isaiae vigesimo secundo: « Dabo clavem domus David super humerum eius, et aperiet » etc. Hanc tulerant scribae, simulantes, se recte docere; sed tamen non recte docebant, quia negligebant se ipsos et impediebant alios.

Duplex malum. 100. Propter quod subdit: *Ipsi non introistis et eos qui introibant, prohibuistis.* Ipsi namque *non introibant,* quia, licet haberent verba, non habebant facta; unde poterat eis dici illud ad Romanos secundo[3]: « Qui alios doces te ipsum non doces; qui praedicas non furandum furaris ». Et quia sola verba habebant, *intrare non poterant;* Matthaei septimo[4]: « Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum » etc.; ideo non per sola verba intrabant; et *alios etiam impediebant* per mala exempla; unde verificatum est illud Ieremiae quinquagesimo[5]: « Grex perditus factus est populus meus; pastores seduxerunt eos », scilicet a recta via, vel *malis exemplis,* vel *falsis doctrinis,* secundum illud Threnorum secundo: « Prophetae tui viderunt falsa tibi et stulta nec aperiebant iniquitatem tuam tibi, ut te ad poenitentiam provocarent; viderunt autem tibi assumtiones falsas et eiectiones »; quia ex falsis assumtionibus fere omnes conscientiae distortae formantur, per quas homines a regno Dei eiiciuntur et in illud intrare prohibentur. Unde Chrysostomus[6]: « Lex et Prophetae Christi adventum manifeste praedicabant, sed hanc ianuam intellectus pravis expositionibus claudebant »; et ideo prohibebant intrare, revocando a via veritatis exemplo et verbo. Quocontra Proverbiorum tertio: « Noli prohibere eum benefacere qui potest; si potes, et ipse benefac ».

101. (Vers. 53.). Secundo quantum ad *obdurationem nequitiae* subditur: *Cum autem haec ad illos diceret, coeperunt Pharisaei et legisperiti graviter insistere;* in quo ostendunt, cor suum esse *obduratum et aggravatum,* audiendo verbum divinum; ut ostendatur, in eis esse verificatum illud Isaiae sexto[7]: « Excaeca cor populi huius et oculos eius claude et aures eius aggrava »; et Matthaei decimo tertio: « Incrassatum est cor populi huius, et auribus graviter audierunt ». — Nec tantum erat in eis obduratio, sed *veritatis impugnatio;* unde subdit: *Et os eius opprimere de multis,* quasi os illud mundissimum locutum esset malum vel falsum. Unde verificatum est illud Amos quinto[8]: « Odio habuerunt corripientem in porta et loquentem perfecte abominati sunt »; et ideo Proverbiorum nono: « Qui erudit derisorem, ipse sibi iniuriam facit »; quia convertitur ad convicia propter veritatem auditam. De secundo. Cordis obduratio. Et veritatis impugnatio.

102. (Vers. 54.). Et quia non sufficit obstinatae malitiae conviciari quem odit, sed etiam nititur machinari ad mortis interitum; propterea subdit: *Insidiantes ei et quaerentes aliquid capere ex ore*[9] *eius, ut accusarent illum.* Non enim audebant aperte ipsum occidere propter timorem turbarum, sed volebant occulte occidere propter odium veritatis auditae. Unde Ioannis octavo[10]: « Quid me quaeritis interficere, hominem, qui veritatem locutus sum vobis »? quod quaerebant caute et malitiose; unde Matthaei vigesimo secundo: « Abeuntes Pharisaei, consilium inierunt, ut Iesum caperent in sermone ». Machinatio mortis Christi.

## Capitulum XII.

**Secundo informat ad fallaciam confutatam vitandam duplici modo.**

1. *Multis autem turbis circumstantibus* etc. Postquam Dominus in Pharisaeis redarguit dolositatem simulationis malignae, hic discipulos *invitat ad cautelam simulationis redargutae*[11]. Et quoniam huiusmodi duplicitatem causat *timor* male humilians, vel *amor* male accendens; ideo pars ista dividitur in duas. In quarum prima monet ad cavendam Divisio.

---

[1] Vulgata *quia;* etiam Card. Hugo, S. Thom. (Cat. aurea in Luc. c. 11. n. 13.), Gorranus et Lyranus *qui.*

[2] Vers. 10, post quem Isai. 22, 22. — Inferius pro *impediebant* Vat. *increpabant.*

[3] Vers. 21: *Qui ergo alium* etc. (A C D *Quid alios* etc.).

[4] Vers. 21. Beda, IV. in Luc. 11, 52: *Clavis scientiae* est humilitas Christi [cfr. supra c. 10. n. 37. in fine]; quam legisperiti nec ipsi in Lege et Prophetis intelligere nec ab aliis intelligi volebant. *Intrare* est enim non esse contentum superficie litterae, sed usque ad intelligentiae sacratioris arcana penetrare. Aliter: Omnis doctor, qui auditores, quos verbo aedificat, exemplo scandalizat, nec ipse regnum Dei intrat nec eos qui poterant, intrare permittit.

[5] Vers. 6. — Sequitur Thren. 2, 14. — Superius pro *ideo non per sola verba intrabant, et alios* Vat. *iam non solum per sola verba non intrabant, sed alios.*

[6] Homil. 44. in Matth. 23, 14. (Op. imperfect.). — Subinde allegatur Prov. 3, 27.

[7] Vers. 10, cui subiungitur Matth. 13, 15, ubi pro *Incrassatum* codd. *Excaecatum.*

[8] Vers. 10. (Vat. subiungit Ioan. 7, 7: *Non potest mundus odisse vos* etc.), post quem Prov. 9, 7.

[9] Ita etiam Card. Hugo, B. Albert. et Lyranus; Vulgata *de ore,* quae etiam subinde pro *illum* substituit *eum* (ita et H).

[10] Vers. 40. — Sequitur Matth. 22, 15.

[11] Cfr. supra c. 11. n. 36. — De duobus motivis duplicitatis, scil. *timore et amore* (secundum August., Enarrat. in Ps. 79. n. 13.), cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XLII. c. 4.

*duplicitatem ex timiditate venientem;* in secunda vero, *cupiditatem,* infra eodem capitulo [1]: *Ait autem ei quidam de turba* etc.

**Primo ad cavendam duplicitatem venientem ex timiditate monet quadrupliciter.**

Subdivisio. Prima autem pars habet quatuor partes, in quarum prima *informat ad cavendam dolositatem;* in secunda *confortat ad repellendam timiditatem,* ibi [2]: *Dico autem vobis amicis* etc.; in tertia vero *invitat ad conservandam veracitatem,* ibi: *Dico autem vobis: Omnis, quicumque confessus* etc.; in quarta vero *animat ad habendam securitatem,* ibi: *Cum autem inducent vos in synagogas.* Et sunt istae partes sibi correspondentes, quia duae postremae correspondent duabus primis.

**Informatio duplex ad cavendam dolositatem.**

Informat autem discipulos ad *cavendam dolositatem* informatione *celebri* et informatione *credibili: celebri,* inquam, propter *multitudinem turbae* [3]; *credibili,* propter *certitudinem causae.*

De informatione prima. 2. (Vers. 1.). Primo igitur quantum ad *multitudinem turbae reddentis admonitionem celebrem* dicitur: *Multis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent;* et hoc, quia unusquisque volebat ei appropinquare, sive propter *salutem habendam,* sicut supra sexto [4]: « Omnis turba quaerebat eum tangere » etc.; sive propter *doctrinam suscipiendam,* sicut infra decimo quinto: « Erant appropinquantes ad Iesum publicani » etc.; sive propter ipsius Christi *videndam benignitatem,* sicut in figura dicitur Iob vigesimo nono: « Cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen moerentium consolator ». In tanta multitudinis praesentia celebris erat doctrina. — Propter quod subdit: *Coepit dicere ad discipulos suos,* in aperto, quia veritas non requirit latebras, secundum illud Ioannis decimo octavo [5]: « Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagogis et in templo » etc. Et talem decebat esse doctrinam ad confutandam Pharisaeorum malitiam, quae semper quaerit latebram, quia « contraria contrariis curantur [6] », et tenebra per lumen expellitur.

Contra hypocrisim. 3. Propter quod additur: *Attendite a fermento Pharisaeorum, quod est hypocrisis,* id est cavete, ne sitis hypocritae, sicut Pharisaei, quorum vita et doctrina propter malitiam et fallaciam *fermentum* dicitur, quia corrumpit *imperceptibiliter;* Osee septimo [7]: « Quievit paululum civitas a fermento, donec fermentaretur totum ». Corrumpit etiam *universaliter,* sicut dicitur primae ad Corinthios quinto [8]: « Modicum fermenti corrumpit totam massam »; et ideo subditur: « Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio ». Hoc autem est *vetus fermentum,* quod consistit in *fraudulentia doctrinae* et *malitia vitae.* Unde ibidem subditur: « Neque in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis ». Ab hoc fermento revocat in hoc loco; et de hoc in figura dicitur Deuteronomii decimo sexto [9]: « Non apparebit fermentatum in omnibus finibus tuis », quia haec simulatio et hypocrisis debet elongari a cunctis operibus nostris, et maxime a *devotione spirituali;* Levitici secundo [10]: « Omnis oblatio, quae offeretur Domino, absque fermento fiet »; ab *afflictione corporali;* Deuteronomii decimo sexto: « Septem diebus comedes afflictionis panem absque fermento »; a *praedicatione divini verbi;* Exodi vigesimo tertio: « Non immolabis super fermentum sanguinem hostiae ». — Duplex fermentum. — Notandum.

Hypocrisis est corruptiva. 4. Unde Scriptura docet, hoc vitium esse vitandum tanquam maxime corruptivum. Licet autem sit maxime corruptivum, non tamen est capitale peccatum, quia eius corruptio aliunde causatur. Nam *hypocrisis* originem trahit a vana gloria, et haec a superbia; et ideo merito comparatur hypocrisis *fermento.* Nam sicut fermentum inflat et inflando vanum facit et sic corrumpit, sic superbia inflando introducit vanitatem gloriae, et haec vanitas introducit falsitatem corrumpentem. Unde hoc fermentum cavetur per veritatem *humiliationis voluntariae, gloriationis internae, signationis extrinsecae,* secundum illud secundae ad Corinthios primo [11]: « Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae, quod in — Eius origo. — Et remedium triplex.

[1] Vers. 13. — Post *cupiditatem* H addit *ex timore* [*! amore?*] *male accendente procedentem.*
[2] Vers. 4; tertia pars incipit v. 8, quarta v. 11.
[3] Codd. A C D F H, omissis quae sequuntur: *credibili, propter certitudinem causae. Primo igitur quantum ad multitudinem turbae,* legunt *Celebri, inquam, propter multitudinem turbae reddentis admonitionem* (Vat. *informationem).*
[4] Vers. 19, post quem Luc. 15, 1. et Iob 29, 25.
[5] Vers. 20. — Superius pro *requirit* Vat. *quaerit.*
[6] Secundum Gregor., XXIV. Moral. c. 2. n. 2; cfr. II. Homil. in Evang. homil. 32. n. 1; Aristot., II. Ethic. c. 3: Medicationes per contraria fieri consueverunt. — Ambros., VII. in Luc. c. 12. n. 109: Pulcherrimum locum tenendae simplicitatis et aemulandae fidei Salvator intexuit... Quae enim maior est simplicitatis illecebra, quam ut unusquisque cognoscat, *latebram fraudis* esse non posse? — Pro *quaerit latebram* C D F G *quaerit latentiam* [H *latentia*].
[7] Vers. 4, ubi A C D F G omittunt *paululum,* et Vulgata, quam sequitur Vat., substituit *a commistione fermenti* pro *a fermento.*
[8] Vers. 6, post quem v. 7. et subinde v. 8. Codd. A C D G de v. 7. afferunt haec solum verba *Expurgate vetus fermentum,* et dein, pluribus omissis, prosequuntur *quod consistit in fraudulentia* etc.
[9] Vers. 4, ubi Vulgata *fermentum* pro *fermentatum* et *terminis* pro *finibus.*
[10] Vers. 11. — Duo seqq. loci sunt Deut. 16, 3. et Exod. 23. 18, in cuius fine Vulgata et Vat. *super fermento sanguinem victimae meae.*
[11] Vers. 12.

simplicitate cordis et sinceritate Dei et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo ».

le informatione secunda.

5. (Vers. 2.). Secundo vero quantum ad *certitudinem causae reddentis informationem credibilem* subdit: *Nihil autem opertum est, quod non reveletur, neque absconditum, quod non sciatur;* ut per *opertum* intelligatur *cognitio* latens in intellectu, et per *absconditum, delectatio* latitans in affectu; quorum utrumque manifestum est Deo, secundum illud Ieremiae decimo septimo [1]: « Ego Dominus scrutans corda et renes, qui do unicuique » etc.; in Psalmo: « Scrutans corda et renes Deus ». Et ideo, quia ipsius erit omnia abscondita manifestare et revelare in iudicio, secundum illud Sapientiae sexto [2]: « Data est vobis potestas a Domino et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra et cogitationes scrutabitur »; et primae ad Corinthios quarto: « Veniet Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium » etc.: et sic vitanda sunt omnia mala, quantumcumque occulta, quia omnia fient manifesta in iudicio.

Notandum.

Manifestatio duplex.

6. (Vers. 3.). Et quod plus est, ad maiorem confusionem fient etiam manifesta omnibus; propter quod subdit: *Quoniam quae in tenebris dixistis in lumine dicentur.* Hoc dicit quantum ad manifestationem respectu *visus.* Huius exemplum in David habetur secundi Regum duodecimo [3], ubi dixit Dominus ad David per Nathan: « Tu fecisti verbum illud abscondite; ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel et in conspectu solis huius ». Lumen enim solis visui cetera manifestat. — Quantum autem ad manifestationem respectu *auditus* dicitur: *Et quod in aurem* [4] *locuti estis in cubiculis praedicabitur in tectis,* id est, audientibus ceteris. Hoc quidem in iudicio fiet, quando scilicet, secundum illud Ioannis quinto [5], « omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei ». Et tunc manifestabuntur susurrationes detractionum, secundum illud Sapientiae primo: « Qui loquitur iniqua non potest latere, nec praeteriet illum corripiens iudicium. In cogitationibus » etc. Et ideo consilium datur Ecclesiastae decimo: « In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui non maledixeris diviti, quia aves caeli portabunt vocem tuam ».

Quare praecipue vitanda hypocrisis.

7. Propter iudicium ergo manifestans cuncta in futuro vitanda est omnis hypocrisis in praesenti saeculo; Ecclesiastici primo [6]: « Ne fueris hypocrita in conspectu hominum; ne revelet Deus abscondita tua et in medio synagogae elidat te ». — Et nota, quod haec est nobilissima [7] causa, propter quam hypocrisis est vitanda, scilicet universalis manifestatio et plena interiorum, quae maxime opponitur simulationi hypocritarum. Haec autem manifestatio fiet per Christum, « qui est splendor gloriae paternae et figura substantiae eius, portans omnia verbo virtutis suae [8] ». Et quia ipse est splendor intimus, ideo ipsius est omnia detegere; Ecclesiastici vigesimo tertio: « Oculi Domini multo plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi et hominum corda intuentes » etc. Quia vero ipse est Sermo vivus, ideo sibi omnia patent, et omnia patefacit ut Verbum; ad Hebraeos quarto [9]: « Vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animae » etc., usque ibi: « Non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius ». Et ideo Christus iudex, quia omnia deteget in iudicio, dicitur [10] venire « sicut fulgur », et « descendere in voce Archangeli », quia omnia omnibus clarissime reserabit.

**Informatio ad repellendam timiditatem per duo.**

8. (Vers. 4.). *Dico autem vobis amicis* etc. Postquam informavit ad cavendam dolositatem, hic secundo *confortat ad repellendam timiditatem* [11]. Ad hoc autem inducit secundum duplicem considerationem, scilicet *gehennalis punitionis,* in quam nullus hominum potest deiicere; et *generalis provisionis,* quam nullus homo potest effugere. Primum respicit divinam *potentiam;* secundum, divinam *providentiam;* et primum incutit verum *timorem;* secundum, veram *spem;* et utrumque horum est medicamentum contra timorem mundanum.

Divisio.

De primo.

Primo igitur revocat a timore hominum, quia *nihil possunt in gehennale supplicium,* quod solum

---

[1] Vers. 10, post quem Ps. 7, 10. — Glossa *interlinearis* in Luc. 12, 2: *Nihil autem opertum est, quod non reveletur,* nequitia discooperietur, et vestra intentio soli Deo modo cognita ab omnibus scietur.

[2] Vers. 4; deinde I. Cor. 4, 5. — Superius A C D F omittunt *omnia abscondita.* — Propositio est incongrue constructa.

[3] Vers. 12, ubi Vulgata et Vat. omittunt *verbum illud* et in fine *huius* (Septuaginta: *coram sole hoc).* — Inferius pro *visui* A C (D primitus) F *visu.*

[4] Codd. cum Beda, Card. Hugone, B. Albert., S. Thoma (Cat. aurea in Luc. c. 12. n. 1.), Gorrano et Lyrano *in aure* (cfr. Matth. 10, 27: *Quod in aure auditis praedicate* etc.). Subinde pro *cubiculis* C D F G *cubilibus.*

[5] Vers. 28. — Duo seqq. loci sunt Sap. 1, 8. seq. et Eccle. 10, 20, in quo pro *cubiculi tui* A C D F *cubilis tui.*

[6] Vers. 37. et 39. — Superius pro *manifestans cuncta* C D F G H *manifestans cetera.*

[7] Ita C D F H, Vat. *notabilissima,* et inferius pro *quae maxime* C D F G *quod maxime,* H *quia istud maxime.*

[8] Hebr. 1, 3. Vulgata omittit *paternae* et A C D F H *eius.* — Sequitur Eccli. 23, 28.

[9] Vers. 12. et 13.

[10] Matth. 24, 27. et dein I. Thess. 4, 16: Quoniam ipse Dominus in iussu et in voce Archangeli et in tuba Dei descendet de caelo etc.

[11] Cfr. supra n. 1. — Inferius pro *secundum duplicem* (ita A D) B *per duplicem,* alii codd. et Vat. *duplicem,* et pro *in quam nullus hominum potest deiicere* Vat. *in qua nullus hominum potest deficere.*

est timendum. Propter quod dicit: *Dico autem vobis amicis meis*, id est, qui me amatis et a me amamini, secundum illud Ioannis decimo sexto[1]: « Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis » etc. Talibus dicit: *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post haec non habent, quid amplius faciant*[2]. Non timeatis *corporalis mortis supplicium,* quia particulare est et momentaneum; unde Isaiae quinquagesimo primo: « Quis tu, ut timeas ab homine mortali et a filio hominis, qui quasi foenum ita exarescet »? et primi Machabaeorum secundo: « A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius stercus et vermis » etc.; unde quia transitoria est eorum potentia, ideo non est timenda, nec eorum supplicia. Unde Seneca[3]: « Mors, exsilium, luctus, dolor non sunt supplicium, sed tributa vivendi »; « quod debeo paratus sum solvere, ubi me fenerator appellat ». Et Chrysostomus[4]: « Si gratis post modicum morituri sumus, quare non et ante modicum in causa Dei cum gloria morimur? Si mutuo acceperis bovem aut equum, operaris instanter et dicis: Forte cras tolletur a me. Quare hoc non facis in corpore »? — Non sunt etiam timenda spiritui, *quia fiunt in carne* et ita quasi *extra*, ut in vestimento; iuxta quod dicitur secundae ad Corinthios quinto[5]: Nolumus exspoliari, sed supervestiri ». Ideo Chrysostomus: « Propter animam Deus fecit corpus, et multum hanc zelat et persequitur inimicus; corpus vero vestimentum est animae. Sicut ergo, si quis scindit vestem alterius, ille quidem iniuriam sentit, damnum autem in natura non patitur; sic anima occisionis sentit dolorem, damnum autem non patitur in natura ». Et propterea *corporale* supplicium non est timendum nec ille qui infert; sed *spirituale* est maxime formidandum et solus ille qui infert ipsum.

*Mors corporis non timenda.*

9. (Vers. 5.). Propter quod addit: *Ostendam autem vobis quem timeatis*, ut eius scilicet timore malum declinetis, secundum illud Ieremiae decimo[6]: « Nolite timere ea quae nec male facere possunt nec bene »; et post: « Quis non timebit te, o Rex gentium » etc. — Ut ergo non timeamus mundanam potentiam, oportet nos timere divinam; propter quod dicit: *Timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam;* unde in Psalmo: « Timeat Dominum omnis terra, ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem ». — Et quia huiusmodi timor maxime utilis est et necessarius, ideo iterat: *Ita dico vobis, hunc timete.* Unde Isaiae octavo[7]: « Dominum exercituum ipsum sanctificate, et ipse sit pavor vester, et ipse terror vester »; et Ieremiae quinto: « Me ergo non timebitis? et a facie mea » etc.

*Solus Deus timendus.*

10. (Vers. 6.). Secundo vero revocat a timore hominum, quia *nihil possunt contra generale Dei patrocinium;* quantum ad quod dicit: *Nonne quinque passeres veneunt dipondio? Dipondius* hic nomen est monetae habentis duos obolos sive asses. Unde Beda[8]: « Dipondius est pondus ex duobus assibus compositum. Quod autem in numeris est *unum*, hoc in ponderibus est as; quod *duo*, hoc *dipondius* ». Huic concordat nec discordat quod dicitur Matthaei decimo[9]: « Nonne duo passeres asse veneunt »? Quia, sicut videmus, cum quinque ova venduntur pro uno denario, duo dantur pro obolo. Parvi igitur pretii est passer, cum tot inveniantur pro uno denario; tamen nec ipse est alienus a divino patrocinio. — Propter quod addit: *Et unus ex illis non est in oblivione coram Deo,* immo divina providentia gubernatur, secundum illud Sapientiae undecimo[10]: « Diligis omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti; neque enim odiens aliquid constituisti ». Ex quo apparet, quod divina providentia usque ad minima se extendit; nec contradicit illud primae ad Corinthios nono[11]: « Nunquid de bobus cura est Deo »? Illud enim intelligitur de cura providentiae *specialis*, qua manuducit per viam aeternae salutis; hoc autem intelligitur de providentia *generalis* administrationis et conservationis, de qua in Psalmo: « Qui dat iumentis escam ipsorum et pullis corvorum invocantibus eum ». — Et nota quod dicit: *Non est in oblivione coram Deo;* minus dicens et plus significans, quia nihil eis evenit nisi secundum divinam providentiam ordinantem; unde Matthaei

*De secundo.*

*Providentia se extendit ad minima.*

*Notandum.*

---

[1] Vers. 27.

[2] Vulgata, quam sequuntur nonnulli codd. et Vat.: *non habent amplius quid faciant.* — Subinde allegantur Isai. 51, 12. et I. Mach. 2, 62. — Inferius pro *quia particulare est* Vat. *quia corporale est.*

[3] Excerpt. e libris Senecae, II. de Remediis fortuitorum, in cuius fine habetur prima sententia, altera vero occurrit ibid. circa initium: Ego quod debeo solvere paratus sum; videat fenerator, ubi me appellet. — Superius pro *eorum poena* fide C D F G H substituimus *eorum* [G *eius*] *potentia.*

[4] Homil. 25. in Matth. 10, 28. Textus originalis hinc inde plura interserit, praesertim post *morimur.*

[5] Vers. 4. — Sententia Chrysost. habetur loc. cit.; in ipsa pro *damnum autem in natura... sic anima* Vat. *damnum autem in persona... sic ruina.*

[6] Vers. 5. et 7. — Subinde allegatur Ps. 32, 8. — Superius pro *ut eius* (ita A D) alii codd. et Vat. *ut bono.*

[7] Vers. 13. et dein Ier. 5, 22.

[8] Ita Glossa *ordinaria* in Luc. 12, 6; Beda in eundem loc. ait: « *Dipondius*, quo *quinque passeres veneunt*, id est venduntur, genus est ponderis levissimi, ex duobus assibus compositi ». Isidor., XVI. Etymolog. c. 25. n. 3: *Pondus* dictum eo, quod in statera libratum *pendeat*, hinc et *pensum.* Abusive autem pondus libra una est. Unde etiam *dipondium* dictum, quasi *duo pondera*, quod nomen adhuc in usu retinetur. — Superius pro *generale Dei* [C D F G H omittunt *Dei*] *patrocinium* Vat. *generalem Dei providentiam.*

[9] Vers. 29. — De *obolo* cfr. Hieron., XIV. in Ezech. 45, 10. seqq., ubi dicit: *Obulum*, hoc est vicesimam partem sicli, sive stateris, esse minimam portiunculam. — Inferius Vat. *tot ibi veneant* pro *tot inveniantur.*

[10] Vers. 25, in quo pro *odiens* plures codd., ut D F G, *nolens.*

[11] Vers. 9. — Subinde allegatur Ps. 146, 9. Cfr. I. Sent. lit. Magistri, d. XXXIX. c. 4, et ibid. Comment. dub. 6; et Bonav., Comment. in Sap. 6, 8. et 12, 13; August., Qq. in Exod. q. 89; Enarrat. in Ps. 145. n. 13; et Qq. ex utroque testam. mixtim (inter opera August.), p. II. q. 7.

decimo[1]: « Unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro ». Et tamen passeres facillime cadunt; unde morbum caducum habere dicuntur; et propterea potissime ponit de eis exemplum tanquam de re manifesta. Ex quo colligitur tanquam *a minori*, quod maxime circa regimen hominis divina providentia sit intenta.

De homine eos maxi- am coram ibet.

11. (Vers. 7.). Ad cuius expressionem addit: *Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt;* ex quo datur intelligi, quod maxime est cura illi de homine. Unde Beda[2]: « *Sed et capilli*, ut de massa corporis taceam; nam et minutae particulae Dei providentia conservantur ». Unde *numeratio* non tam refertur ad cognitionem quam ad diligentissimam conservationem, quia de corporibus Sanctorum patientium nec capillus perire potest; unde infra vigesimo primo[3]: « Capillus de capite vestro non peribit ». Tanta igitur est Deo cura de nobis, ut nec capillus capitis nostri sine eius nutu possit auferri. Ideo non oportet, nos sollicitari per timorem, secundum illud primae Petri ultimo: « Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quia ipsi cura est de vobis ». — Et hoc est quod infert: *Nolite ergo timere, multis passeribus pluris estis vos*, « id est maioris pretii[4] »; in quo simul tangitur conclusio et ratio illationis per *locum a minori*. Si enim cura est Deo de minori, multo fortius de maiori; et si cura est de nobis, non oportet, mundum timeri a nobis. Maioris autem pretii sumus quam creaturae brutales, quam volucres, quia rationales creaturae, et hoc, quia ad imaginem Dei facti; propter quod cetera subiecta sunt homini; Genesis primo[5]: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et praesit volucribus caeli » etc. Et ideo homo immediatissime est sub protectione Dei, et maxime homo iustus et Dei amicus. Et propterea non oportet, quod habeat auxilium alicuius caduci; unde Genesis decimo quinto[6]: « Noli timere, Abram, ego protector tuus sum et merces tua magna nimis »; quasi dicat: noli timere, quia nihil pati potes pro defectu auxilii, nihil etiam pati potes sine retributione praemii, quamdiu adhaeseris mihi.

**Informatio duplex ad servandam veracitatem.**

12. (Vers. 8.). *Dico autem vobis: Omnis* etc. Postquam invitavit ad cavendam dolositatem et repellendam timiditatem, hic tertio invitat ad *servandam veracitatem*[7]. Veracitas enim confessionis est contra dolositatem simulationis. Ad hoc autem inducit dupliciter: primo insinuando *aequitatem divinae sententiae;* secundo vero insinuando *irremissibilitatem peccati blasphemiae.* Per primum monet ad *veritatem confitendam;* per secundum, ad *falsitatem declinandam.*

De aequitate divinae sententiae quoad confitentes.

Primo igitur monet ad *confitendam veritatem* propter *divinae sententiae aequitatem*, cum dicit: *Dico autem vobis: Omnis quicumque confessus fuerit me*[8] *coram hominibus.*. *Me* scilicet demonstrat personam in duabus naturis, scilicet qui me confitetur esse verum Deum et hominem, non tantum *corde* dicens, secundum illud primae ad Corinthios duodecimo[9]: « Nemo potest dicere: Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto », sed etiam *ore* exprimens, secundum quod dicitur ad Romanos decimo: « Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem »; nec tantum *ore*, sed etiam *opere* contra hypocritas et malos Christianos, de quibus ad Titum primo[10]: « Confitentur, se nosse Deum, factis autem negant ». Contra quos Matthaei septimo: « Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine » etc.; et ideo primae Ioannis tertio: « Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate ». — Qui sic confitetur plene confitetur, scilicet corde, ore, opere. De tali subiungit: *Et Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei*, scilicet quod ipse sit de suis, secundum illud Matthaei vigesimo quinto[11]: « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum ». Unde verificabitur illud Proverbiorum undecimo: « Anima, quae benedicit, impinguabitur ».

Triplex confessio.

Quid plena confessio.

13. (Vers. 9.). Ex quo apparet aequitas retributionis respectu *confitentium;* et ut nihil desit, ostenditur aequitas respectu *negantium*, cum subdit: *Qui autem negaverit me coram hominibus denegabitur*[12] *coram Angelis Dei*, quando scilicet

Quoad negantes.

[1] Vers. 29. — Glossa *interlinearis: Et unus ex illis non est in oblivione* etc., sed sunt omnia sub providentia Dei, quanto magis vos ad imaginem Dei facti. — Card. Hugo, in Ps. 83, 5, proprietates bonas et malas passeris pluribus versibus afferens, inter malas etiam recenset, quod passer sit *caducus*.

[2] In Glossa *interlineari*, quae pro *minutae* substituit *minimae* (ita etiam Card. Hugo et H). — Hilar., Comment. in Matth. 10, n. 20: In numerum autem aliquid colligi, diligentiae ac sollicitudinis cura est; neque enim dignum negotium est, peritura numerare etc.

[3] Vers. 18. — Sequitur I. Petr. 5, 7.

[4] Ut dicitur in Glossa *interlineari: Nolite ergo timere*, omnem curam in eum proiicite, apud quem capillus non peribit; *multis passeribus pluris estis vos*, maioris pretii, quia rationales, quia aeterni. Cfr. Beda, IV. in Luc. 12, 7. — Inferius post *curam* Vat. addit *et sollicitudo;* subinde post *et si cura est* Vat. prosequitur *Deo de nobis, non decet nos nimium sollicitos esse pro nobismetipsis. Maioris* etc.

[5] Vers. 26. — Superius pro *et hoc* A C *et per hoc*, D legit, pluribus omissis: *Maioris autem pretii sumus quam creaturae propter hoc* [primitus *et per hoc*], *quia ad imaginem* etc.

[6] Vers. 1. — Inferius pro *nihil etiam* Vat. *vel etiam.*

[7] Cfr. supra n. 1.

[8] Codd. A C D F G *Omnis, qui confitebitur me* (ita etiam Matth. 10, 32; B. Albert.: *Omnis quicumque confitebitur me).*

[9] Vers. 3. — Sequitur Rom. 10, 10. Cfr. Chrysost., Homil. 25. in Matth. 10, 32. seq. (Op. Imperfect.).

[10] Vers. 16. — Duo seqq. loci sunt Matth. 7, 21. et I. Ioan. 3, 18. [11] Vers. 34, post quem Prov. 11, 25.

[12] Ita etiam Beda, Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. c. 12. n. 3.) et Lyranus; Vulgata et Vat. *negabitur*. — Subinde allegantur Matth. 25, 12. et Luc. 9, 26.

Dominus dicet illud Matthaei vigesimo quinto: « Nescio vos » etc. Unde supra nono: « Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet » etc. Et hoc exigit aequitas divinae sententiae, de qua primi Regum secundo[1]: « Qui me honorificaverit, honorificabo eum; qui autem contemnunt me erunt ignobiles ». — **Notandum.** Et nota, quod qui veritatem confitetur, quam Christus docuit, Christum confitetur sive in fide, sive in moribus; qui autem illam negat per consequens negat et Christum. Qui dicit[2], illam esse falsam, dicit Christum per consequens esse mendacem, ac per hoc, Deum non esse, sed seductorem.

14. Et nota, quod *confessio* nominis Christi **Excellentia et praemium confessionis.** magnam recompensationem habet, quia confessio, qua Christus confitebitur confitentem se, erit *approbativa, honorificativa* et *salvativa;* nam Christus est rex, iudex et pontifex. Confessio etiam eius est *publica, praeclara* et *perpetua;* nostra vero modica[3] et momentanea. Et similiter per contrarium intelligitur de *negatione* sua; quod manifeste apparet in disceptatione iudiciali[4]: « Venite, benedicti », et **Corollarium.** « Ite, maledicti ». — Haec igitur est nobilissima propositio, quae mentes nostras erigit ad *Veritatem.* Ratio autem huius est haec: quia Veritas est verax; ideo non potest negare se nec confitentem se, nec confiteri mendacem nec contra se; unde secundae ad Timotheum secundo[5]: « Si negaverimus, et ille negabit nos; si non credimus, ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest ».

15. (Vers. 10.). Secundo vero monet ad *declinandam falsitatem* propter *irremissibilitatem blasphemiae,* **De irremissibilitate blasphemiae duplicis.** quae, licet remissibilis sit, cum fit per ignorantiam[6], irremissibilis tamen est, cum fit ex certa malitia. Propter quod dicit: *Et omnis, qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi. In* **De prima.** *Filium hominis verbum dicit* qui falsum imponit, *per ignorantiam deceptus;* et talis ignorantia remissionem potest consequi. Unde *remittetur* non dicit *actum,* quia non omnes poenitent, sed *aptitudinem,* quia ignorantia excusat. Peccatum autem ex ignorantia dicitur esse *in Filium.* Et hoc modo blasphemavit Paulus, ideo fuit misericordiam consecutus; unde primae ad Timotheum primo[7]: « Fui blasphemus et persecutor et contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans haec feci in incredulitate ». — **De secunda** Non sic autem est, cum quis blasphemat *ex certa malitia ;* propter quod subditur: *Ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur. In Spiritum sanctum blasphemat* qui ex certa malitia veritatem impugnat et de Deo indigna dicit; et de tali dicitur, quod *non remittetur,* non quia *nunquam* talis consequatur remissionem, sed quia *ineptus est* ad remissionem, quia illud pec- **Ratio prima** catum *nullum habet colorem excusationis.* Unde Richardus[8]: « Quidam blasphemat ex coactione, et hic peccat in Patrem; alius ex deceptione, et hic in Filium; alius ex sola malignitate, et hic in Spiritum sanctum. Est autem in hoc genere sceleratissimum, in quo malitia crevit usque ad summum, quando quis in vituperiis Dei delectatur. Quid ergo aliud videtur spiritus blasphemiae quam desiderium vituperationis divinae? Ex hoc ergo, quod hoc malum *nihil* habet in se *excusationis,* nihil meretur recipere remissionis ».

16. Ineptus etiam est ad remissionem, quia *im-* **Ratio secunda.** *pugnat divinam gratiam,* per quam praeparatur quis ad poenitentiam; unde talis aptus est ad impoenitentiam, in qua si perduret, nunquam remittetur culpa. Unde Beda[9]: « Qui gratiam Spiritus sancti, qua poenitentia inspiratur et ad communionem reditur, non cognoscens, impoenitenti corde perseveraverit, cum iam hoc non sit humanum, sed diabolicum, irremissibile erit ». Et de tali blasphemia, quae adiunctam habet *finalem impoenitentiam,* verum est, quod nunquam remittetur. Unde Matthaei duodecimo[10] dicitur, quod « non remittetur ei, neque in hoc saeculo neque in futuro ». — Ineptus nihilomi- **Ratio tertia.** nus tertio, quia, licet per appropriationem approprietur Spiritui sancto, talis maxime *inhonorat totam Trinitatem.* Qui enim scienter et prudenter veritatem salutarem impugnat et ex certa malitia maximus est *contemptor* divinae virtutis, maximus *calumniator* divinae veritatis, maximus *persecutor* summae bonitatis, secundum illud Iob decimo quinto[11]: « Cucurrit adversus Deum erecto collo et pingui cervice armatus est ». Unde quia talis *contemptus, calumnia* et *persecutio* non potest esse sine cordis obduratione; et hanc concomitatur impoenitentia, et

---

[1] Vers. 30. — Glossa *interlinearis: Qui autem negaverit,* timore, *me,* Deum vel hominem esse, *coram hominibus,* ubi prodesse debet mei nominis confessio, *denegabitur coram Angelis Dei,* non perducetur ad visionem Patris, qua perfruuntur Sancti.

[2] Pro *Qui dicit* A *dicendo,* C F (D primitus) *Qui dicendo* (D a secunda manu *quia dicendo).* Inferius post *Deum non esse* Vat. addit *verum.*

[3] Cod. H addit *occulta.*

[4] Matth. 25, 34. et 41. — Inferius pro *ad Veritatem* Vat. cum pluribus codd. *ad veracitatem.*

[5] Vers. 12. et 13, ubi pro *si non credimus* A C D F G *si autem credimus* (*Menochius* in expositione huius loci ait: Sive credimus, sive non credimus etc.).

[6] Codd. A C *licet remissibilis sit per ignorantiam,* D *licet remissibilis sit, quando fit per ignorantiam.*

[7] Vers. 13. — De ignorantia excusante cfr. II. Sent. d. 22. a. 2. q. 3.

[8] In Tract. de spiritu blasphemiae. Notamus, quod propositiones hic allatae non eodem ordine in textu originali ponuntur. Cfr. II. Sent. d. 43. dub. 2. — In fine sententiae B addit *Et haec est prima ratio ineptitudinis.*

[9] Sententia Bedae affertur verbis Glossae *ordinariae* in Luc. 12, 10. Pro *ad communionem* [H cum textu originali *congregationem,* scil. unitatem Ecclesiae] Vat. *ad conversionem.*

[10] Vers. 32. Codd. pro hoc allegant *Marc. 3,* ubi v. 29. dicitur: Non habebit remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti.

[11] Vers. 26.

hanc peccati irremissibilitas: ideo blasphemia in Spiritum sanctum non remittetur [1].

**Informatio duplex ad securitatem contra pusillanimitatem.**

17. (Vers. 11.). *Cum autem inducent vos* etc. Hic iam quarto hortatur ad *habendam securitatem contra pusillanimitatem* [2]. Hoc autem facit duplici via, scilicet *auferendo sollicitudinem de periculo* et *conferendo certitudinem de praesidio*.

Primo aufer-
ur sollicitu-
lo de peri-
ulo.

Primo igitur *aufert sollicitudinem de periculo*, cum dicit: *Cum autem inducent vos in synagogas et ad magistratus et potestates;* in quo innuit, discipulos tribulationem passuros a Iudaeis et gentibus. Unde Matthaei decimo [3] dicitur hoc expressius: « Tradent enim vos in conciliis et in synagogis » etc.; unde in Psalmo: « Astiterunt reges terrae » etc.

ormido au-
getur tripli-
citer.

18. Et nota, quod tria genera personarum enumerat, coram quibus formidat homo loqui, scilicet coram *multis*, coram *peritis* et coram *magnis*. Coram *multis*, cum dicit: *In synagogis;* quocontra Iob trigesimo primo [4]: « Si expavi ad multitudinem nimiam, et despectio propinquorum terruit me ». Coram *peritis*, unde addit: *ad magistratus;* Actuum quinto: « Tunc abiit magistratus cum ministris et adduxerunt Apostolos ». Coram *magnis*, cum subdit: *et potestates;* ad Romanos decimo tertio: « Vis non timere potestatem? Bonum fac ». Primi non sunt timendi, quia « plures nobiscum », quarti Regum sexto [5]; secundi non, quia prudentior nobiscum, quia Actuum sexto: » Non poterant resistere sapientiae et spiritui » etc.; similiter nec tertii; primae Ioannis quarto: « Vicistis eos, quoniam maior est qui in vobis est, quam qui in mundo ».

Contra solli-
citudinem
superfluam.

19. Et quoniam periculum est loqui in conspectu multitudinis observantis; et periculum inducit timorem, et timor sollicitudinem, et sollicitudo inquietudinem, et inquietudo turbationem, et turbatio est occasio impatientiae et ruinae: ideo revocat a superflua sollicitudine, cum subdit: *Nolite solliciti esse, qualiter, aut quid respondeatis*, scilicet « interrogantibus » malitiose, *aut quid dicatis*, scilicet « volentibus addiscere [6] »; in quo verbo non tollit sollicitudinem *studiositatis*, sed *curiositatis*. De qua ad Philippenses quarto: « Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum »; quia, sicut dicitur Iacobi primo, « si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo » etc. Et illud maxime faciendum est in articulo necessitatis, ubi non est quaerendus ornatus verborum ac profunditas sententiarum, sed mera et simplex fidei veritas cum multa constantia et fervore prolata; iuxta quod dicitur primae ad Corinthios secundo [7]: « Sermo noster non fuit in persuasibilibus humanae sapientiae verbis » etc. Non autem intendit retrahere a *studio veritatis*, cum ipse dicat Ioannis quinto: « Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vitam aeternam habere »; sed intendit persuadere, ut homo in periculo mortis non confidat de ingenio, quia homo deficit in inveniendo, fallitur in iudicando, et ideo deviat frequenter, innitens ingenio suo. Propter quod Proverbiorum tertio [8]: « Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiae tuae ».

Duplex sollicitudo.

Notandum.

Secundo confertur certitudo de praesidio.

20. (Vers. 12.). Secundo confert *certitudinem de praesidio*, cum subdit: *Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quae [9] oporteat vos dicere.* Hic autem Spiritus est optimus doctor, quia docet hominem *intelligere* et *ornate exprimere*. Propter primum dicitur Iob trigesimo secundo [10]: « Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam »; et Ioannis decimo sexto: « Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem », quia, sicut dicitur primae ad Corinthios secundo, « Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei ». Propter secundum dicitur Sapientiae decimo [11]: « Sapientia aperuit os mutorum » etc.; et Matthaei decimo: « Vos non estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri ». Ideo dicebat Apostolus secundae ad Corinthios decimo tertio: « An experimentum quaeritis eius qui in me loquitur Christus »? — De his autem duobus infra vigesimo primo [12]: « Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri »; et primae Ioannis secundo: « Unctio

Unctionis effectus.

---

[1] Cfr. II. Sent. d. 43. a. 2. q. 1. seq.

[2] Vide supra n. 1.

[3] Vers. 17, cui subiungitur Ps. 2, 2; cfr. Act. 4, 26.

[4] Vers. 34. — Sequitur Act. 5, 26: « Tunc abiit magistratus cum ministris, et adduxit illos sine vi; timebant enim populum, ne lapidarentur »; quem versum coniecturando posuimus, codd. siquidem corrupte legunt: *unde addit: ad magistratus cum universis* [cum ministris?] *et adduxerunt Apostolos.* Vaticana: *Unde in Actibus adduxerunt Apostolos ad magistratus.* — Subinde allegatur Rom. 13, 3, in cuius fine CDF *Bene fac.* — Glossa *interlinearis: Cum autem*, contra terrores consolatio, *inducent vos*, ut me negetis, *in synagogas*, publicos conventus, *et ad magistratus*, principes synagogae, *et potestates*, regiam potestatem, *nolite solliciti esse* etc. (ita H).

[5] Vers. 16. — Subinde allegantur Act. 6, 10. et I. Ioan. 4, 4.

[6] Ita Glossa *interlinearis: Nolite solliciti esse, qualiter*, de modo proferendi, *aut quid*, de modo inveniendi, *respondeatis*, interrogantibus, *aut quid dicatis*, discere volentibus. — Duo seqq. loci sunt Phil. 4, 6. et Iac. 1, 5.

[7] Vers. 4. — Sequitur Ioan. 5, 39.

[8] Vers. 5. — Superius pro *de ingenio* (ita D a secunda manu) C *de viventibus* (ita D primitus), G *in inventionibus*, Vat. cum nonnullis codd. *de inventionibus*, H *de inventis sive inveniendis*.

[9] Ita etiam Beda et Gorranus; Vulgata et Vat. *quid*.

[10] Vers. 8. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 16, 13. et I. Cor. 2, 10.

[11] Vers. 21, post quem Matth. 10, 20. et II. Cor. 13, 3.

[12] Vers. 15, et dein I. Ioan. 2, 27. — Glossa *interlinearis: Spiritus enim sanctus docebit vos* etc., quia non ex ingenio vel arte vestra verba procedent, sed ex Spiritus sancti gratia.

docet vos de omnibus ». Unde Bernardus[1]: « Bona est lectio, sed melior est unctio, quae *docet de omnibus* ». Nam unctio docet dilectionem Dei et proximi, et in hoc « universa *Lex* pendet et *Prophetae* », secundum quod dicitur Matthaei vigesimo secundo[2].

Notandum. Tota etiam *sapientia philosophiae*, sicut dicit Augustinus, « hic est physica, ethica et civilis ». Spiritus etiam sanctus, faciendo animam Deo adhaerere, facit sibi familiarem et per hoc facit revelari secreta; Ioannis decimo quinto[3]: « Vos autem dixi amicos ». Fervor autem spiritus elevat animam supra se, ubi audit et videt arcana, sicut Paulus, secundae ad Corinthios duodecimo[4]; sicut Ezechiel, tertio: « Assumsit me spiritus » etc.; sicut Ioannes, Apocalypsis primo: « Fui in spiritu » etc.

**Secundo ad cavendam cupiditatem venientem ex timiditate monet dupliciter.**

21. *Ait autem ei*[5] *quidam* etc. Postquam dissuasit dolositatem venientem ex humana timiditate et ipsam timiditatem, in hac parte dissuadet *cupiditatem*. Et habet haec pars duas partes. In quarum prima *revocat a sollicitudine avaritiae*; in secunda vero *invitat ad sollicitudinem providentiae*, infra eodem[6]: *Sint lumbi vestri praecincti* etc.

Divisio.

**A sollicitudine avaritiae revocatur quadrupliciter.**

A *sollicitudine* autem *avaritiae* revocat quadrupliciter: primo scilicet *documento rationali*; secundo vero, *exemplo terribili*, ibi[7]: *Dixit autem ad illos similitudinem* etc.; tertio, *argumento irrefragabili*, ibi: *Dixitque ad discipulos suos* etc.; quarto, *promisso desiderabili*, ibi: *Et vos nolite quaerere, quid manducetis* etc.

Circa *documentum rationale*, per quod revocat a sollicitudine avaritiae, tria introducuntur: primum est *confutatio petitionis avarae*[8], secundum est *dissuasio avaritiae*, tertium est *assignatio causae*.

Primo, per documentum rationale, de quo tria.

22. (Vers. 13.). Primo igitur quantum ad *confutationem petitionis avarae*: *Ait autem ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem.* Vere iste *de turba* erat, quia *de terra sollicitus erat*, secundum illud Isaiae vigesimo nono[9]: « De humo mussitabit eloquium tuum » etc. Contra se etiam loquebatur, dum *magistrum* eum vocabat, quia Christus non fatebatur se magistrum in docendo, temporalia acquiri et dividi, sed potius derelinqui; unde adolescenti quaerenti et dicenti[10]: « Magister bone, quid faciendo vitam aeternam possidebo »? respondit: « Si vis perfectus esse, vade et vende » etc. Unde Christus non docebat, quomodo augeretur pecunia, sed quomodo servaretur inopia. — Contra se etiam loquitur, dum vult *dividi a fratre*, cui debet coniungi. Veniebat autem haec quaestio ex amore privato, qui dividit coniuncta; quod maxime facit diabolus, non Dominus; Osee decimo tertio[11]: « Ipse inter fratres dividet ».

Primum.

Contra se loquitur dupliciter.

23. (Vers. 14.). Et quoniam, sicut dicit Beda in Glossa[12], « Christus non est Deus dissensionis, sed pacis et unitatis »; ideo confutat petitionem praedictam, cum subdit: *At ille dixit ei*[13], scilicet Iesus: *Homo, quis me constituit iudicem, aut divisorem super vos?* iudicem scilicet litium et divisorem facultatum; Glossa[14]: « Dedignatur esse iudex litium aut arbiter facultatum, qui vivorum et mortuorum habet iudicium et meritorum arbitrium ». Verum est utique, sicut dicitur in Psalmo[15], quod « ipse constitutus est rex ab eo super Sion, montem sanctum eius »; et quod « in ditione eius cuncta sunt posita »; sed quia Deus eum miserat ad spiritualia communicanda: ideo descendere recusabat ad temporalia dividenda, insinuans in hoc illud secundae ad Timotheum secundo: « Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus ». — Et nota, quod Christus vocat eum *hominem*, animalem et brutalem, propter *amorem in terrenis* et *litem divisionis*. Unde primae ad Corinthios tertio[16]: « Cum sit inter vos zelus et

Confutatio Christi.

Notandum.

---

[1] Declamation. (cfr. supra pag. 228, nota 8.) XV. n. 17: Utilis proinde lectio, utilis eruditio est, sed multo magis unctio necessaria, quippe quae sola *docet de omnibus*.

[2] Vers. 40. — August., Epist. 137. (alias 3.) c. 5. n. 17: Hic [in duobus praeceptis dilectionis] *physica*, quoniam omnes omnium naturarum causae in Deo creatore sunt. Hic *ethica*, quoniam vita bona et honesta non aliunde formatur, quam cum ea quae diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est Deus et proximus. Hic *logica*, quoniam veritas lumenque animae rationalis nonnisi Deus est. Hic etiam *laudabilis reipublicae salus*; neque enim conditur et custoditur optime civitas nisi fundamento et vinculo fidei firmaeque concordiae, cum bonum commune diligitur quod summum ac verissimum Deus est, atque in illo invicem sincerissime se diligunt homines, cum propter illum se diligunt, cui, quo animo diligant, occultare non possunt.

[3] Vers. 15. — Pro *facit sibi familiarem* Vat. *facit eum animae familiarem*.

[4] Vers. 4. Sequuntur Ezech. 3, 12 et Apoc. 1, 10.

[5] Codd. C D et B. Albert. *illi*, H cum Lyrano omittit *ei*; idem recurrit inferius n. 22. Cfr. supra n. 1, ubi etiam principalis divisio huius partis.

[6] Vers. 35.

[7] Vers. 16; tertium habetur v. 22. et quartum v. 29.

[8] Ita D H, Vat. *avari*; licet in nonnullis codd. hic ob abbreviationem legi posset *avaritiae*, sed paulo inferius (n. 22.) plures clare exhibent *avarae*.

[9] Vers. 4.

[10] Matth. 19, 16. et 21; Luc. 18, 18. et 22.

[11] Vers. 15. — De amore privato cfr. August., XI. de Gen. ad lit. c. 15. n. 19. seq.

[12] Scilicet *ordinaria* in Luc. 12, 14.

[13] Ita etiam Beda, Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. c. 12. n. 4.) et Lyranus; Vulgata *illi*.

[14] Scilicet *ordinaria* (ex Ambros., VII. in Luc. c. 12. n. 122.) apud Lyranum: *Non dignatur iudex esse litium nec arbiter* etc.

[15] Psalm. 2, 6, cui subiunguntur Esther 13, 9. et II. Tim. 2, 4.

[16] Vers. 3, post quem Ps. 4, 3. — Superius pro *Christus vocat* secunda manus in D substituit *Apostolus vocat*; cfr. I. Cor. 2, 14: *Animalis autem homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei* etc.

contentio » etc.; et Psalmus: « Filii hominum, usquequo gravi corde »? Unde in hoc confutatio insinuatur petitionis avarae.

Secundum. 24. (Vers. 15.). Secundo quantum ad *dissuasionem avaritiae* subdit: *Dixitque ad illos: Videte et cavete ab omni avaritia. Videte* scilicet, ut providi, et *cavete,* ut cauti; ad Ephesios quinto[1]: « Videte, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes » etc. *Providentia* namque facit cavere pericula, in quae incidit quis per avaritiam; primae ad Timotheum ultimo[2]: « Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et in laqueum diaboli et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim malorum est cupiditas » etc. Unde ipsa excaecat hominem, quod significatum fuit in excaecatione Tobiae per stercora hirundinum, Tobiae secundo[3]. Et ideo dicit: *Videte,* scilicet aeterna, *et cavete ab avaritia,* quae quaerit temporalia; secundae ad Corinthios quarto: « Non contemplantibus vobis, quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur temporalia sunt, quae autem non videntur aeterna sunt». Et quoniam appetitus cuiuslibet boni transitorii, scilicet pecuniae et potentiae et honoris, *avaritia* potest dici; ideo dicit: *Cavete ab omni avaritia;* Isaiae trigesimo tertio[4]: « Quis habitare poterit cum ardoribus sempiternis » ? et sequitur: « Qui proiicit avaritiam ex calumnia et excutit manus suas ab omni munere ».

Triplex avaritia.

Tertium. 25. Tertio quantum ad *assignationem rationis et causae* subdit: *Quia non in abundantia cuiusquam vita eius est*[5] *ex his quae possidet;* hoc est, vita alicuius non est *in abundantia; abundantia,* inquam, *ex his quae possidet,* id est, nullus propter abundantiam divitiarum vivere potest diutius; Psalmus[6]: « Relinquent alienis divitias suas, et sepulcra eorum domus illorum in aeternum »; et Iob vigesimo septimo: « Dives, cum dormierit, nihil secum auferet » etc.; et Psalmus: « Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis ». Unde *abundantia* vitam non prolongat, sed frequenter abbreviat; Ecclesiastici octavo[7]: « Multos perdidit aurum et argentum »; et Actuum octavo: « Pecunia tua tecum sit in perditionem ». Et propterea ipsa perdenda est, ne perdat possessorem; Ecclesiastici vigesimo nono: « Perde pecuniam propter fratrem et amicum, et non abscondas illam sub lapide in perditionem ».

26. (Vers. 16.). *Dixit autem ad illos similitudinem, dicens* etc. Hic secundo revocat a sollicitudine avaritiae *per exemplum terribile*[8]; circa quod tria introducuntur, scilicet vanae securitatis *occasio,* vanae securitatis *conceptio* et vanae securitatis *subtractio.* Secundo, per exemplum terribile, de quo tria.

Primo igitur quantum ad *vanae securitatis occasionem* venientem ex fructuum ubertate dicit: *Hominis cuiusdam divitis uberes fructus ager attulit.* Haec enim consueverunt esse bona divitum ex ubertate fructuum temporalium; Psalmus[9]: « Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud; oves » etc.; unde Iob vigesimo primo: « Quare impii vivunt, sublevati sunt confortatique divitiis »? « Domus eorum securae sunt et pacatae, et non est virga Dei super illos ». Primum.

27. (Vers. 17.). Et quia divitiae sic faciunt securum, quod *reddunt sollicitum;* ideo subdit: *Et cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos?* Ecclesiastae quarto[10]: « Est alia vanitas, quam vidi sub sole: unus est et secundum non habet, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius divitiis », immo certe sollicitantur; Ecclesiastae quinto: « Saturitas divitis non sinit eum dormire ». Securitas sine quiete.

28. (Vers. 18.). Et huius ratio est, quia cogitur *cogitare;* et ideo subdit: *Et dixit: Hoc faciam: destruam horrea mea et maiora faciam; et illuc congregabo omnia, quae nata sunt mihi et bona mea.* Glossa[11]: « Ecce, magna sollicitudo ex avaritia », quia sollicitudo destruendi facta et aedificandi nova. Licet enim essent horrea plena, cupiditas adhuc vacua quaerebat nova receptacula; Ecclesiastae quinto[12]: « Avarus non implebitur pecunia » etc.; et Ecclesiastici decimo quarto: « Insatiabilis oculus cupidi, in parte iniquitatis non satiabitur ». Impletum Ratio.

---

[1] Vers. 15. — Glossa *interlinearis: Dixitque ad illos,* tam ad turbas quam ad discipulos [ita Beda]: *Videte,* rationem providete, contra quam si caro suggerit, *cavete* etc.

[2] Vers. 9. et 10.

[3] Vers. 11. Cfr. Beda, in hunc loc. — Subinde allegatur II. Cor. 4, 18.

[4] Vers. 14. — August., XI. de Gen. ad lit. c. 15. n. 19, ubi docet, *generalem avaritiam* significare illam, « qua quisque appetit aliquid amplius, quam oportet, propter excellentiam suam et quendam propriae rei amorem », et dein subdit: *Specialis* est autem avaritia, quae usitatius appellatur amor pecuniae. Cuius nomine Apostolus, per speciem genus significans, universalem avaritiam volebat intelligi, dicendo: *Radix omnium malorum est avaritia.* Hac enim et diabolus cecidit, qui utique non amavit pecuniam, sed propriam potestatem etc. Cfr. etiam Serm. 107. (alias 196. de Tempore et 28. de Diversis).

[5] Codd. CDG omittunt *est.* — Subinde e CD supplevimus *hoc est, vita... quae possidet.*

[6] Psalm. 48, 11. seq. post quem Iob 27, 19. et Ps. 75, 6.

[7] Vers. 3. — Duo seqq. loci sunt Act. 8, 20. et Eccli. 29, 13.

[8] Cfr. supra n. 21.

[9] Psalm. 143, 13, cui subiunguntur Iob 21, 7. et 9. — Glossa *interlinearis: Uberes fructus,* plus solito.

[10] Vers. 7. et 8, et dein 5, 11.

[11] Scilicet *interlinearis.* Gregor., XV. Moral. c. 22. n. 26: O angustia ex satietate nata! De ubertate agri angustatur animus avari. Dicens namque: *Quid faciam?* profecto indicat, quia, votorum suorum affectibus pressus, sub quodam rerum fasce laborabat.

[12] Vers. 9. (retinuimus hunc locum cum Vat., quem codd. omittunt quidem, sed fortasse indicant post *nova receptacula* ponentes *etc. et Eccli. 14.),* post quem Eccli. 14, 9.

Quare cor remaneat vacuum. erat horreum, sed cor erat vacuum, tum quia animam Trinitatis capacem solus Deus potest implere [1]; tum quia temporalia non intrant cor nisi secundum phantasticam similitudinem; tum quia concupiscentiam augent; tum quia animam non faciunt meliorem; tum etiam, quia sunt omnino alterius naturae, sicut Angelus et corporalis locus, sic anima et corporalis thesaurus; tum etiam, quia anima, cum sit quanta non *mole*, sed *virtute*, non impletur quantitate materiali, sed virtuali, sicut est gratia Spiritus sancti, Sapientiae primo et Actuum secundo [2].

29. (Vers. 19.). Secundo vero quantum ad *vanae securitatis conceptionem* per stolidam promissionem subditur: *Et dicam animae meae,* id est animalitati; Ioannis duodecimo [3]: « Qui amat animam suam perdet eam ». — *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos;* Apocalypsis tertio: « Dicis, quia dives sum et locupletatus et nullius egeo » etc.; et Zachariae undecimo: « Benedictus Dominus, quia divites facti sumus ». — Et quia abundantia cum securitate parit malum lasciviae, ideo subdit: *Requiesce* [4]*; ecce, negligentia;* Ecclesiastae quarto: « Stultus complicat manus suas et dicit: Melior est pugillus cum requie quam plena utraque manus cum labore et afflictione animi ». *Comede;* ecce, *gula;* Ecclesiastici undecimo [5]: « Inveni requiem mihi, et tunc manducabo de bonis meis solus ». *Bibe,* quantum ad *crapulam;* quocontra Proverbiorum vigesimo tertio: « Noli esse in conviviis potatorum »; « quia vacantes potibus et dantes symbola consumentur ». *Epulare;* ecce, *lascivia;* Iacobi quinto [6]: « Epulati estis super terram et in luxuriis enutristis corda vestra ». Haec enim consueverunt esse vitia divitum; Amos sexto: « Vae! qui opulenti estis in Sion »; et post: « Qui dormitis in lectis eburneis et lascivitis in stratis vestris; qui comeditis agnum de grege, bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti ». Istius autem lasciviae causa est securitas vana, quam anima stulte concipit, vel *promittendo* sibi longam vitam temporalem per *praesumtionem*, secundum illud Isaiae vigesimo octavo [7]: « Percussimus foedus cum morte et cum inferno fecimus pactum; flagellum inundans, cum transierit, non veniet super nos »; vel *contemnendo* per *desperationem;* Isaiae vigesimo secundo: « Comedamus et bibamus; cras enim moriemur ».

Secundum.

Unde sit securitas vana.

30. (Vers. 20.). Tertio quantum ad *vanae securitatis subtractionem* per divinae sententiae aequitatem subditur: *Dixit autem illi Deus.* Glossa [8]: « *Dicere* Dei ad hominem est pravas eius machinationes subita animadversione compescere ». — Propter quod addit sententiam: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent* [9] *a te;* primae ad Thessalonicenses quinto: « Cum dixerint: Pax et securitas, tunc repentinus superveniet eis interitus ». *Stultum* eum vocat pro sapientia terrena, quia, primae ad Corinthios primo, « stultam fecit Deus sapientiam huius mundi ». Stultus est qui non praevidet futura pericula; Ecclesiastae secundo [10]: « Sapientis oculi in capite eius; stultus in tenebris ambulat »; quia, de futuris incertus, securus dormit; quocontra Proverbiorum vigesimo septimo: « Ne glorieris in crastinum, ignorans, quid superventura pariat dies »; et Iacobi quarto: « Quae est vita nostra? Vapor ad modicum parens ». — Et quia, vita perdita, perduntur haec temporalia, ideo subdit: *Quae autem parasti cuius erunt?* Ambrosius [11]: « Non sunt hominis bona, quae secum auferre non potest; sola misericordia comes est defunctorum »; unde primae ad Timotheum ultimo: « Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus »; et Iob vigesimo: « Cum habuerit quod concupierat, possidere non poterit; cum satiatus fuerit, arctabitur, et omnis dolor irruet super eum ». Tertium.

31. (Vers. 21.). Et quia haec sententia communis est omnibus avaris, ideo subdit: *Sic est omnis* [12], *qui thesaurizat sibi, et non est in Deum dives. Thesaurizat sibi* qui thesauros sibi in terra multiplicat; Psalmus: « Thesaurizat et ignorat cui congregabit ea »; *in Deum* autem *dives est* qui abundat Notandum.

---

[1] Auctor libri de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 27: Solius enim Trinitatis est intrare et implere naturam sive substantiam, quam creavit. Cfr. tom. II. pag. 226, nota 5. — Vide Basil., Homil. in illud Lucae *Destruam horrea mea* etc. (alias Homil. 6. in Ditescentes) n. 1. seqq.

[2] Sap. 1, 4. seqq. et Act. 2, 4. — De quantitate molis et virtutis cfr. August., de Quantitate animae, c. 3. n. 4. seqq. — Pro *sed virtuali* Vat. *sed spirituali.*

[3] Vers. 25. — Duo seqq. loci sunt Apoc. 3, 17. et Zachar. 11, 5.

[4] Codd. C D G *Quiesce* (cfr. B. Albert.). — Sequitur Eccle. 4, 5. seq. — Superius pro *malum lasciviae* B *malum otii et accidiae sive pigritiae.* — Glossa *ordinaria: Requiesce;* ecce, cum pesti avaritiae iungitur pestis desidiae, ut nec pro temporalibus Deum interpellaret.

[5] Vers. 19. — Subinde allegantur Prov. 23, 20. et 21.

[6] Vers. 5. — Sequuntur Amos 6, 1. 4. et 6.

[7] Vers. 15, cui subiungitur Isai. 22, 13. Cfr. Serm. 86. (alias 48. et 50. Homil.) in appendice August. c. 1. n. 1.

[8] Scilicet *ordinaria* ex Beda.

[9] Ita etiam Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. c. 12, n. 5.) et Gorranus; Vulgata *repetunt.* — Duo seqq. loci sunt I. Thess. 5, 3. et I. Cor. 1, 20.

[10] Vers. 14. — Subinde allegantur Prov. 27, 1. et Iac. 4, 15, ubi voci *Vapor* C D praefigunt *nisi.*

[11] Libr. VII. in Luc. 12. n. 122. Sententia allegatur secundum Glossam *ordinariam* in Luc. 12, 19. Ambros. ultimam partem sic exhibet: Sola virtus comes est defunctorum, sola nos sequitur misericordia, quae caelestium dux praevia mansionum, pecuniae vilis usura tabernacula defunctis acquirit aeterna etc. — Sequuntur I. Tim. 6, 7, ubi pro *quod nec* codd. *quia nec;* Iob 20, 20. et 22.

[12] Vulgata et Vat. omittunt *omnis.* — Subinde allegatur Ps. 38, 7.

in meritis et operibus pietatis; primae ad Corinthios primo[1]: « In omnibus divites facti estis in illo, ut nihil vobis desit in ulla gratia ». Ideo dicitur Matthaei sexto: « Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur ». « Thesaurizate autem vobis thesauros in caelo, ubi neque aerugo neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur ». — Facit autem nos *divites esse in Deum* spes, quam in ipsum habemus, secundum illud primae Petri primo[2]: « Regeneravit nos in spem vivam, in hereditatem incorruptibilem, conservatam in caelis ». Haec autem spes radicatur in paupertate; unde secundae ad Corinthios sexto: « Sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, et omnia possidentes ». Talis erat Paulus; unde ad Philippenses ultimo[3]: « Habeo omnia et abundo ». Tales nos fecit Christus; unde secundae ad Corinthios octavo: « Factus est pro vobis egenus, ut illius inopia vos divites essetis ». Ideo talibus dicit: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum ».

Effectus spei in paupertate radicatae.

32. *Dixitque ad discipulos suos* etc. Hic iam tertio[4] revocat a sollicitudine avaritiae *per argumentum irrefragabile*, quod sumtum est a triplici genere creaturae: primo a creatura *rationali;* secundo, a *sensibili*, ibi[5]: *Considerate corvos;* tertio, a *vegetabili*, ibi: *Considerate lilia agri.*

Tertio, per argumentum irrefragabile, de quo tria.

Primo igitur a creatura *rationali* sumit tale argumentum: qui dat quod maius est, dabit quod est minus; sed anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum: ergo qui dedit animam et corpus dabit victum et vestitum: non oportet ergo de his sollicitum esse. In qua ratione primo praemittit *principalem conclusionem*, deinde subiungit *probationem.*

Primum argumentum.

33. (Vers. 22.). Praemittit ergo primo *principalem conclusionem*, cum dicit: *Ideo dico vobis: Nolite solliciti esse animae vestrae, quid manducetis, neque corpori vestro*[6], *quid vestiamini*, id est, nolite sollicitari de victu et vestitu, quae sunt maxime necessaria vitae, multo minus nec de aliis, quae spectant ad vitam praesentem; ad Philippenses quarto: « Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum ». — Et nota, quod non prohibet sollicitudinem, quae provenit ex *providentia animi*, sed illam quae venit ex *diffidentia Dei*, quasi Deus non habeat curam de nobis; quocontra primae Petri ultimo[7]: « Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quia ipsi cura est de vobis »; et in Psalmo: « Iacta cogitatum tuum in Domino » etc.; et Ambrosius: « Indecorum est homini curare de cibo vel de veste, qui militat regno; novit enim rex, quemadmodum familiam suam pascat, alat et vestiat ».

Principalis conclusio.

Notandum.

34. (Vers. 23.). Deinde addit *probationem*, cum dicit: *Anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum;* ex quo sequitur: qui dedit quod plus, supplebit etiam quod minus est. Ambrosius[8]: « Absurdum est, ut victus copiam nobis defuturam putemus, qui vivendi iugem substantiam a Deo consequimur ». Anima enim et corpus sunt partes hominis constitutivae, propter quem factae sunt ceterae creaturae, secundum illud Genesis primo[9]: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et praesit volatilibus caeli » etc. Unde Chrysostomus[10]: « Omnia fecit Deus propter hominem, hominem autem propter se; omnia fecit Deus in sapientia, hominem autem non solum in sapientia, sed etiam secundum sapientiam suam ». Unde Sapientiae sexto: « Pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter est illi cura de omnibus ». Et Augustinus de Agone christiano[11]: « Rationales animas per se ipsum Deus curat et Angelos, cetera vero per ipsos gubernat ». — Et nota, quod recte comparat animam et praefert escae, et corpus vestimento, quia anima vigorem dat corpori illud vegetando, et corpus est quasi indumentum animae, quod extra apparet. Si ergo Deus providet corporalem vigorem animae vegetantis, multo fortius sufficientiam alimoniae sustentantis. Rursus, si animae providet indumentum corporis, multo fortius tegumentum vestis exterioris[12].

Probatio.

Notandum.

---

[1] Vers. 5. et 7; ac dein Matth. 6, 19. et 20. — Glossa *ordinaria:* In Deum dives est, qui, transitoria contemnens, pauperibus distribuit, cuius exspectatio Dominus est; cuius substantia, id est conscientiae possessio, qua sustentatur et pascitur, est apud Deum, non in sacculis terrae. Cfr. Beda, IV. in Luc. 12, 21.

[2] Vers. 3. et 4, post quos II. Cor. 6, 10.

[3] Vers. 18, cui subiunguntur II. Cor. 8, 9. et Matth. 5, 3.

[4] Vide supra n. 21.

[5] Vers. 24; tertium habetur v. 27, ubi Vulgata et Vat. omittunt *agri*, quod habetur Matth. 6, 28; cfr. etiam Card. Hugo et B. Albert.; idem recurrit infra n. 39.

[6] Vulgata omittit *vestro* (quod occurrit Matth. 6, 25; cfr. etiam Card. Hugo et B. Albert.), et substituit *induamini* pro *vestiamini*, quod exhibent Ambros. (VII. in Luc. 12. n. 123.), Beda, Card. Hugo. — Sequitur Phil. 4, 6. — De seqq. cfr. Hilar., Comment. in Matt. 6, 25. seqq.; August., II. de Serm. Domini in monte, c. 15. n. 49. seqq.

[7] Vers. 7. — Subinde allegatur Ps. 54, 23. (cfr. supra pag. 218, nota 4.), post quem Ambros., VII. in Luc. 12. n. 130, ubi pro *regno* textus originalis *de regno*, Glossa *ordinaria* apud Lyranum *in regno Dei*, Vat. *regi.* Card. Hugo *regno, id est pro rege temporali ad litteram, vel pro regno aeterno.* — Hieron., I. Comment. in Matth. 6, 25: Labor exercendus est, sollicitudo tollenda.

[8] Libr. VII. in Luc. 12. n. 123.

[9] Vers. 26.

[10] Homil. 16. in Matth. 6, 26. (Op. imperfect.). Post *propter se* textus originalis plura addit. — Subinde allegatur Sap. 6, 8.

[11] Cap. 8. n. 9: Sed quoniam mundas animas rationales per se ipse Deus curat, sive in optimis et magnis Angelis, sive in hominibus tota sibi voluntate servientibus, cetera vero per ipsos gubernat; verissime dici potuit etiam illud ab Apostolo [I. Cor. 9, 9.]: *Non enim de bobus cura est Deo.* — Pro *et Angelos* C D G *et Angelum.*

[12] Ambros., VII. in Luc. 12. n. 123: Cum igitur anima indumento corporis vestiatur, et vigore animae corpus animetur, absurdum est, ut victus etc. (cfr. aliquanto superius). — Superius Vat. omittit *sustentantis.*

Secundum argumentum.

35. (Vers. 24.). *Considerate corvos.* Hic sumit argumentum a *creatura sensibili;* et primo *ponit exemplum*, deinde elicit *argumentum.*

Proponitur exemplum.

Proponit igitur *exemplum* considerandum, cum dicit: *Considerate corvos, quia non seminant neque metunt;* ecce, quod non habent laboris exercitium; *quibus non est cellarium*, quantum ad vinum reponendum; *neque horreum*, quantum ad frumentum condendum; ecce, quod non habent repositorium. *Et Deus pascit illos;* ecce, quod non patiuntur defectum; Psalmus [1]: « Qui dat iumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum ». —

Notandum.

Et nota, quod magis proponit exemplum de corvis quam de aliis avibus, et hoc tum propter hoc, quod maximae sunt edacitatis; unde Genesis octavo [2] dicitur, quod « Noe dimisit corvum per fenestram arcae, qui egrediebatur et non revertebatur »; et ratio huius est, quia insiderat super cadaver; tum etiam, quia haec fertur esse natura corvi, quod pullos suos in principio non pascit, quia non putat suos esse, donec videat, eos esse nigros; Iob trigesimo octavo [3]: « Quis praeparat corvo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum, vagientes, eo quod non habeant cibos »? Unde per *corvos* merito alia volatilia intelligi possunt; Matthaei sexto [4]: « Respicite volatilia caeli, quoniam non serunt » etc.

Inde elicitur argumentum.

36. Deinde *elicit argumentum*, cum addit: *Quanto magis vos pluris estis illis?* Glossa [5]: « Propter rationem et immortalitatem, quae vobis promittitur, plus valetis »; primae ad Corinthios nono: « Nunquid de bobus cura est Deo? Nam propter nos scripta sunt ». —

Difficultas solvitur.

Sed quia posset aliquis contra arguere, quod nobis magis competit sollicitudo quam corvis propter excellentiam rationis; ostendit, quod hoc nihil est. Si enim *augmentum* corporis non fit per humanam cogitationem, sed per divinam dispositionem, pari ratione et *alimentum.*

Confirmatur.

37. (Vers. 25.). Propter quod addit: *Quis autem vestrum cogitando* [6] *potest adiicere ad staturam suam cubitum unum?* quasi dicat: nullus, quia hoc non est hominis cogitantis, sed opus Dei producentis; unde secundi Machabaeorum septimo [7] dicitur: « Nescio, qualiter in utero meo apparuistis; neque ego vitam donavi vobis, et singulorum membra non ego ipsa compegi »; et primae ad Corinthios decimo quinto: « Deus dat illi corpus, prout vult, et unicuique seminum proprium corpus ». Unde et Philosophus [8] dicit, quod « omnium natura constantium terminus est et ratio magnitudinis et augmenti ». Si ergo haec minima non sunt in humana, sed in divina providentia constituta, multo minus nec alia.

Conclusio.

38. (Vers. 26.) Ideo addit: *Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de ceteris solliciti estis?* quasi dicat: frustra et stulte. Beda [9]: « Illi tegendum corpus relinquite, qui illud ad hanc mensuram fecit pervenire ». —

Replicatur.

Verumtamen ista ratio non videtur valere, quia, licet non oporteat sollicitari de *augmento*, possumus tamen et debemus de *nutrimento.* Licet enim vis *augmentativa* non sit subiecta voluntati et rationi, nihil tamen impedit de *nutritiva*, quin sit ei opus regimine et providentia.

Responsio et ratio triplex.

Verumtamen ad hoc est responsio, quod ratio est bona: quia, si illa quae sunt commissa *providentiae naturae*, non oportet hominem regere et curare [10]; pari ratione nec illa quae commissa sunt *providentiae supernae.* — Rursus, sicut non potest homo corpus augere, sic nec vitae terminum, quem praefixit Dominus, protelare. — Postremo, si non

---

[1] Psalm. 146, 9. — Superius A D omittunt *ecce, quod* [Vat. *ecce principio*] *non habent laboris exercitium* (respicitur Ambros., VII. in Luc. 12. n. 124, ubi dicit, quod « volatilibus caeli nullum exercitium cultionis, nullus de messium fecunditate proventus est »), ex quibus subinde supplevimus *quantum ad vinum reponendum* et *quantum ad frumentum condendum.*

[2] Vers. 6. et 7. — August., Qq. in Gen. q. 13, ubi ad quaestionem, utrum corvus, qui ante columbam (dimissam et reversam in arcam) dimissus fuerat et non revertebatur, mortuus sit, an aliquo modo vivere potuerit, respondit: « Coniicitur a multis, quod cadaveri potuerit insidere, quod columba naturaliter refugit ».

[3] Vers. 41, in cuius explicatione Gregor. (XXX. Moral. c. 9. n. 33.) ait: Est adhuc aliud, quod de corvo moraliter possit intelligi. Editis namque pullis, ut fertur, escam plene praebere dissimulat, priusquam plumescendo nigrescant, eosque inedia affici patitur, quoadusque in illis per pennarum nigredinem sua similitudo videatur. Qui huc illucque vagantur in nido et ciborum expetunt aperto ore subsidium. At cum nigrescere coeperint, tanto eis praebenda alimenta ardentius requirit, quanto illos alere diutius distulit. Idem docet Isidorus, XII. Etymolog. c. 7. n. 43. Cassiodor., in Ps. 146, 9: *Pulli* vero *corvorum*, ut physiologi volunt, caelesti rore vescuntur etc. Vide etiam Buffon (versio Italiana, Storia naturale, ed. Livorno 1832, tom. 25. pag. 860 seq.), qui factum a Gregorio iam allatum admittit, sed alia naturali ratione explicat.

[4] Vers. 26, ubi pro *quoniam non serunt* etc. A C D G *quae non laborant* etc. (sed hoc est in Luc. 12, 27.). — Glossa *interlinearis* in Luc. 12, 24: *Considerate corvos*, Matthaeus: *volatilia;* hic ergo species pro genere.

[5] Scilicet *interlinearis*, de qua cfr. Hieron., I. Comment. in Matth. 6, 26. — Subinde allegantur I. Cor. 9, 9. et 10. (v. 10. omittunt C D G).

[6] Codd. C D G *cogitans* (ita Matth. 6, 27.).

[7] Vers. 22, post quem I. Cor. 15, 38. — Superius pro *Dei producentis* H et Vat. *Dei providentis.*

[8] Libr. II. de Anima, text. 41. (c. 4.). — Glossa *ordinaria* (secundum Bedam) in Luc. 12, 26: *Si ergo neque quod minimum* etc. Si nec in augmentatione corporis vestri operari potestis, quae operatio est Deo minima ad comparationem spiritualis creaturae; quid solliciti estis de ceteris maioribus, id est de animae conservatione? Cfr. August., II. Qq. Evangelior. q. 28.

[9] Libr. IV. in Luc. 12, 26. Sententia ipsius affertur verbis Glossae *interlinearis:* Illi ergo curam tegendi corpus relinquite etc. Idem dicit August., II. de Serm. Domini in monte, c. 15. n. 51.

[10] Pro *regere et curare*, quod nonnulli codd. omittunt, H *providere*, D a secunda manu *procurare.*

oportet sollicitari de ipsius corporis mensura, sed est homo contentus ea quam Dominus dedit; quare non similiter de alimonia extrinseca?

Tertium argumentum.

39. (Vers. 27.). *Considerate lilia* etc. Hic iam tertio *sumit argumentum de vegetabili.* Et primo praemittit *similitudinem sensibilem,* deinde subdit *adaptationem.*

Praemittitur similitudo.

Praemittit ergo *similitudinem,* cum dicit: *Considerate lilia agri* [1], *quomodo crescunt; non laborant neque nent.* Ambrosius: « Aperta comparatio; lilia non, sicut ceteri fructus, aliquem agricolarum cultum requirunt »; unde ipsa crescunt non humano studio, sed divino imperio, quod datum fuit ab ipso mundi exordio; Genesis primo [2]: « Germinet terra herbam virentem » etc. — Et quia opus summi Artificis est excellentius omni opere humanae artis, ideo addit: *Dico autem vobis, quia* [3] *nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur, sicut unum ex istis;* et tamen Salomon circa ornatum vestium fuit curiosissimus, simul habens voluntatem, industriam et facultatem ad ornandum se. Unde de ipso dicitur tertii Regum decimo [4]: « Videns regina Saba omnem sapientiam Salomonis et habitacula servorum et ordines ministrantium et vestes eorum, non habebat ultra spiritum »; et hoc, quia peritissime omnia ordinaverat secundum humanam industriam; sed tamen operibus et industriae naturae, quae est opus Dei, aequari non poterat. Unde Beda [5]: « Quae purpura regum, quae pictura textricum potest floribus comparari »?

Subditur adaptatio.

40. (Vers. 28.). Deinde post similitudinem subdit *adaptationem* et infert *conclusionem: Si autem foenum, quod hodie est in agro et cras in clibanum mittitur,* id est, cito marcescit; Psalmus [6]: « Fiant sicut foenum tectorum, quod, priusquam evellatur, exaruit »; et Iacobi primo: « Exortus est sol cum ardore et arefecit foenum, et flos eius decidit, et decor vultus eius deperiit »; *Deus sic vestit,* pulcro scilicet ornatu et decoro: « Ipse color dicitur vestimentum floris [7] ». — *Quanto magis vos, pusillae fidei?* id est, quanto magis vos vestiet, etiam si modicum habueritis de fide, quia tam ratione naturae quam ratione fidei praecellitis. Unde Petro de omnipotentia in tempestate dubitanti dicitur Matthaei decimo quarto [8]: « Modicae fidei, quare dubitasti »? *Modicam fidem* habet de regimine paternae providentiae qui timet quotidie mori fame; Psalmus [9]: « Non crediderunt in Deo nec speraverunt in salutari eius »; et sequitur: « Et mandavit nubibus desuper et ianuas caeli aperuit, et pluit illis manna ad manducandum » etc. Si quis igitur verae fidei est, credens, omnia gubernari superna providentia; cum providentia Dei maiorem curam gerat et gerere debeat de pretiosioribus, dignioribus et durabilioribus, de rationalibus quam de irrationalibus vel de vegetabilibus; et de his gerit talem providentiam, quod nil eis deest: multo minus ergo dubitandum [10] de his quae spectant ad regimen hominis, tanquam pretiosioris, melioris et dignioris inter ceteras creaturas, quia rationalis est et ad imaginem Dei factus. Est igitur ratio ista irrefragabilis, quia, si quis contrarium huius dicat, destruit regimen divinae providentiae et ordinem universi. Et ideo non tantum est modicae fidei, verum etiam existimationis [11] perversae.

Quarto, per promissum desiderabile, de quo tria.

41. (Vers. 29.). *Et vos nolite quaerere, quid manducetis.* Hic quarto revocat a sollicitudine avaritiae per *promissum desiderabile* [12]; circa quod tria introducuntur: dissuadet enim sollicitudinem avaritiae et cupiditatis promittendo *sufficientiam viatici, superexcellentiam praemii* et *superabundantiam thesauri.*

Primum.

Primo igitur dissuadet sollicitudinem avaritiae et cupiditatis *promittendo sufficientiam viatici,* cum dicit: *Et vos nolite quaerere, quid manducetis, aut quid bibatis,* videlicet ut cupidi et curiosi quaerunt, ut abundent et superbiant. — Ideo addit: *Et nolite in sublime tolli,* pro acquisitione terrenorum; primae ad Timotheum ultimo [13]: « Divitibus huius saeculi

---

[1] Cfr. supra pag. 319, nota 5. — Sententia Ambrosii, allegata secundum Glossam *ordinariam*, habetur VII. in Luc. 12. n. 127.

[2] Vers. 11.

[3] Ita etiam Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 12. n. 8.) et Lyranus; Vulgata et Vat. omittunt *quia;* cfr. Matth. 6, 29, ubi ponitur *quoniam nec Salomon* etc.

[4] Vers. 4. et 5. — Inferius pro *et hoc, quia peritissime omnia* Vat. *et haec omnia ingeniosissime,* quae etiam subinde pro *aequari* substituit *aequare.*

[5] Libr. IV. in Luc. 12, 27, qui sequitur Hieron., I. Comment. in Matth. 6, 28-30.

[6] Psalm. 128, 6, post quem Iac. 1, 11. — Glossa *ordinaria* in Matth. 6, 30: *Cras in clibanum* etc. *Cras* pro futuro ponitur in Scripturis, dicente Iacob [Gen. 30, 33.]: *Exaudiet me cras iustitia mea* [ita Hieron.]. *In clibanum mittitur*, alii libri habent: in ignem, vel in acervum, qui habet speciem clibani.

[7] Ita Glossa *ordinaria* in Luc. 12, 27: Ipse color dicitur vestimentum floris, sicut dicitur: Operuit istum rubor [cfr. Ps. 68, 8: Operuit confusio faciem meam]. — A Vat. allegatur *Beda.* — Glossa *interlinearis: Quanto magis,* vestiet, *vos pusillae fidei,* qui ad imaginem Dei facti estis, ad aeterna vocati?

[8] Vers. 31. — Pro *de omnipotentia* Vat. *de Dei potentia.*

[9] Psalm. 77, 22. et 23. seq.

[10] Propositio haec in Vat. et codd. erat corrupta; unde ex D (secunda manu) ante *credens* supplevimus *est,* et hic ex H *dubitandum,* et cum C D G H posuimus *multo minus* pro *multo magis.* H legit: *Cum igitur secundum fidem nostram omnia gubernentur superna providentia, et Dei providentia maiorem... et de his gerat talem providentiam, quod nihil eis deest: multo minus ergo de his, quae spectant... dubitandum est* [gerere providentiam].

[11] Vat. *examinationis.*

[12] Cfr. supra n. 21.

[13] Vers. 17, quod August., Serm. 61. (alias 5. de verbis Domini) c. 9. n. 10. exponens dicit: Nihil enim est, quod sic generent divitiae, quomodo superbiam. Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum. Et alius est vermis mali, alius pyri, alius fabae, alius tritici. Vermis divitiarum, superbia. Cfr. etiam August., II. Qq. Evangelior. q. 29.

praecipe, non sublime sapere nec sperare in incerto divitiarum ». Nam sic terrena quaerere non est hominum caelestium, sed terrenorum.

42. (Vers. 30.). Ideo addit: *Haec enim omnia gentes mundi quaerunt,* quia mundanam habent sapientiam; Baruch tertio[1]: « Filii Agar, qui exquisierunt prudentiam, quae de terra est, negotiatores Merrhae et Theman ». Viri autem caelestes non debent his esse intenti, quia sunt de familia summi Patris. — Unde addit: *Pater autem vester scit, quoniam*[2] *his indigetis;* et non est dubium, quin *possit* providere; ad Romanos decimo: « Idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum ». Non est dubium etiam, quin *velit;* Isaiae quadragesimo nono: « Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui » etc. Et ideo volentes tendere ad patriam non derelinquentur in via ob defectum cibi.

Confirmator.

43. (Vers. 31.). Propter quod addit: *Verumtamen quaerite primum regnum Dei*[3], tanquam principale intentum; *et haec omnia adiicientur vobis*, tanquam viaticum, quia qui paratus est dare *regnum* absque dubio non denegabit *cibum*, qui dare paratus est aeterna non denegabit temporalia. Unde Augustinus[4]: « Ostendit Dominus, temporalia non esse petenda tanquam bona nostra, etsi necessaria. Regnum autem Dei petendum est, et in illo finis ponendus est, propter quem omnia faciamus ». Ideo sollicitudo nostra non debet esse pro acquirendo cibo, sed pro acquirendo regno aeterno; ad Romanos decimo quarto[5]: « Regnum Dei non est esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu sancto ». Chrysostomus[6]: « Regnum Dei est *retributio;* iustitia est *via*, per quam venimus ad regnum ». Ideo Matthaei sexto: « Quaerite primum regnum Dei *et iustitiam eius* » etc. — Et nota, quod haec promissio est satis recta, quia qui quaerit *regnum et iustitiam eius* est Dei *servus*, Dei *amicus* et Dei *filius;* ad Romanos octavo[7]: « Qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt »; quod autem Deus desit servo suo, amico et filio, ut ei non provideat quae sunt necessaria; valde est perversum sentire. Nam talis habet Deum, talis habetur a Deo, et ideo habet per consequens quae habet Deus; unde Apostolus primae ad Corinthios tertio[8]: « Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei ».

Documentum notabile.

Notandum.

44. (Vers. 32.). Secundo dissuadet sollicitudinem avaritiae *promittendo superexcellentiam praemii,* cum subdit: *Nolite timere, pusillus grex; pusillus grex* dicitur respectu *multitudinis reproborum;* Matthaei vigesimo[9]: « Multi sunt vocati, pauci vero electi ». Vel *pusillus* ratione *modicitatis propriae;* primae ad Corinthios primo[10]: « Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes » etc. Vel *pusillus* ratione *humilitatis voluntariae;* Ezechielis trigesimo quarto[11]: « Vos autem greges mei homines estis, et ego Deus vester ». Est enim Deus humilium; Ecclesiastici tertio: « Magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur ». Et talibus promittit Deus regnum Matthaei decimo nono: « Sinite parvulos venire ad me; talium enim est regnum caelorum ». — Ideo subdit: *Quia complacuit Patri vestro*[12] *dare vobis regnum;* Proverbiorum vigesimo nono: « Humilem spiritu suscipiet gloria »; et Iob vigesimo secundo: « Qui humiliatus fuerit erit in gloria ». Haec autem superexcellentia regni promissi inducit *spem,* et inducendo spem inducit *securitatem,* et per hoc aufert *pusillanimitatem timoris* et *ardorem cupiditatis;* secundae ad Corinthios sexto[13]: « Sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes ». Solum enim illud regnum est vera cordis possessio, quae cor implet et auferri non potest, quia intus est; infra decimo septimo: « Ecce, regnum Dei intra vos est ».

Secundum.

Notandum.

45. Et nota, quod Patri complacuit pusillis, id est pauperibus spiritu, *dare regnum gloriae;* unde Matthaei quinto[14]: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum »; quia tales *desiderant aeterna;* Proverbiorum decimo: « Desiderium suum iustis dabitur »; et Psalmus: « Desiderium pauperum exaudivit Dominus »; quoniam *contemnunt temporalia;* Matthaei decimo nono[15]: « Qui reliquerit patrem aut matrem centuplum accipiet » etc.; *amplectuntur spiritualia;* ad Galatas quinto: « Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus; non efficiamur

Promissiones 5 factae pauperibus spiritu.

---

[1] Vers. 23.

[2] Codd. C D F G *quia.* — Duo seqq. loci sunt Rom. 10, 12. et Isai. 49, 15. — Inferius pro *derelinquentur* C *derelinqueret,* H *derelinquet.*

[3] Vat. cum Vulgata addit *et iustitiam eius.* — Inferius pro *aeterna* C H *regnum aeternum.*

[4] Libr. II. de Serm. Domini in monte, c. 16. n. 53. Sententia allegatur secundum Glossam *ordinariam* in Matth. 6, 33.

[5] Vers. 17. Cfr. supra c. 9. n. 6. et c. 10. n. 15. in fine. — Praecedens propositio in A C D F exhibetur mutila, quia omittitur in ipsa *pro acquirendo cibo, sed;* secunda manus in C substituit pro his verbis *nisi,* in D *pro terreno, sed,* in F vero delevit praecedens *non.*

[6] Homil. 16. in Matth. 6, 33. (Opus imperfect.): *Regnum Dei* est retributio bonorum operum et malorum; *iustitia* autem est via pietatis, per quam itur ad regnum. — Sequitur Matth. 6, 33.

[7] Vers. 14. — Inferius pro *desit* C D F G H *deficiat.*

[8] Vers. 22. seq.

[9] Vers. 16. — Superius post *promittendo* C addit *eis.*

[10] Vers. 26. — Beda, IV. in Luc. 12, 32: *Pusillum gregem* electorum vel ob comparationem maioris numeri reproborum, vel potius ob humilitatis devotionem nominat.

[11] Vers. 31. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 3, 21. et Matth. 19, 14.

[12] Codd. C D *meo.* — Subinde allegantur Prov. 29, 23. et Iob 22, 29.

[13] Vers. 10. — Sequitur Luc. 17, 21.

[14] Vers. 3. — Duo seqq. loci sunt Prov. 10, 24. et Ps. 9, 17.

[15] Vers. 29. — Sequitur Gal. 5, 25.

inanis gloriae cupidi ». — Item complacuit *dare eis veniam;* Iudith nono [1]: « Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio », scilicet ad dandum veniam; Exodi trigesimo tertio: « Misereor cui miserebor ». — Placuit *dare gratiam;* Isaiae quadragesimo secundo [2]: « Ecce, servus meus, suscipiam eum, electus meus » etc. — Placuit *dare sapientiam;* Matthaei undecimo: « Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis ». — Placuit *dare gloriam aeternam,* sicut hic: *Nolite timere, pusillus* etc.; Psalmus [3]: « Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia eius ».

46. (Vers. 33.). Tertio dissuadet sollicitudinem

Tertium.

avaritiae *promittendo superabundantiam thesauri* pro dimissione saeculi, cum dicit: *Vendite quae possidetis et date eleemosynam,* id est, distribuite bona vestra pauperibus, secundum illud Matthaei decimo nono [4]: « Vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus ». — Et quia durum est vendere et dare

Recompensatio.

absque recompensatione, ideo addit: *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt;* Ecclesiastici decimo septimo [5]: « Eleemosyna viri quasi sacculus cum eo, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit; et postea resurget et retribuet illis retributionem, unicuique in caput ipsorum ». — Et quia ista retributio

Thesaurus indeficiens.

est opulentissima, quae est in his *sacculis;* ideo subdit: *Thesaurum non deficientem* [6] *in caelis;* subintelligitur *facite,* et hoc fit per eleemosynam. Unde Tobiae duodecimo: « Bona est oratio cum ieiunio et eleemosyna magis, quam thesauros auri condere; quoniam eleemosyna a morte liberat et facit invenire vitam aeternam ». — Et quod iste thesaurus caelestis sit *indeficiens,* ostendit: quia non potest *amitti per fures,* non potest *corrumpi in se;* ideo addit: *Quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.* Chrysostomus [7]: « Omnia bona mundi triplex interitus tollit: aut enim ex se ipsis veterascunt, aut dominorum luxu consumuntur, aut ab extraneis dolo, vi, vel calumnia diripiuntur ». Et propterea in terris thesaurus indeficiens non potest haberi. Qui vult ergo indeficientem habere, dispergat in terris, ut abundet in caelis; Psalmus [8]: « Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in saeculum saeculi ». Unde Augustinus: « Non iussit Dominus, ut thesaurum perderemus, sed locum ostendit, ubi poneremus ».

Ubi thesaurus, ibi cor.

47. (Vers. 34.). Est autem magna vis facienda, ubi locetur thesaurus, quia et ibidem locatur animus; ideo subiungit: *Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit* [9]. *Thesaurus* est illud quod principaliter amat animus, secundum illud Matthaei decimo tertio: « Simile est regnum caelorum thesauro abscondito » etc. Ubi autem est principale amatum, ibi habitabit animus; unde Bernardus [10]: « Verius est anima ubi amat, quam ubi animat ». Et ideo ubi est thesaurus tuus, ibi et cor tuum. Beda [11]: « Si in terra est, cor deorsum est; si in caelestibus, in Christo fixum est; necesse est enim, ut quo praecesserit dilectionis thesaurus, illuc et cogitationis sequatur affectus ». Et quia sapiens thesaurum habet in caelis, et stultus in terris; ideo Ecclesiastae decimo [12]: « Cor sapientis in dextera eius, et cor stulti in sinistra illius » etc.; secundae ad Corinthios quarto: « Non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur, temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna ». Thesaurus enim iste *visibilis* et terrestris consistit in *pecunia;* sed thesaurus *invisibilis* consistit in *sapientia;* Sapientiae septimo [13]: « Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa »; et post: « Infinitus est enim thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei ».

Gradus huius thesauri.

48. Et nota, quod iste thesaurus, qui consistit in sapientia, *incipit* a *timore reverentiae;* Isaiae trigesimo tertio [14]: « Divitiae salutis, sapientia et scientia, timor Domini ipse thesaurus eius ». *Proficit* autem in *studio disciplinae;* Matthaei decimo tertio: « Omnis scriba doctus in regno caelorum » etc. *Conservatur* in *sanctitate conscientiae;* Lucae sexto [15]: « Bonus homo de bono thesauro cordis » etc. *Consummatur* autem in *sublimitate gloriae;* Matthaei decimo nono: « Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et habebis thesaurum in caelo ». — Et de talibus loquitur hic; unde pauperibus promittit *viaticum refectionis, regnum excellentiae* et

---

[1] Vers. 16, post quem Exod. 33, 19, ubi pro *miserebor* Vulgata et Vat. *voluero;* cfr. Rom. 9, 15: *Miserebor, cuius misereor.* Cfr. supra pag. 264, nota 9.

[2] Vers. 1. — Subinde allegatur Matth. 11, 25.

[3] Psalm. 146, 11.

[4] Vers. 21.

[5] Vers. 18. et 19. Cfr. supra pag. 140, nota 6.

[6] Codd. C D F G *indeficientem;* cfr. B. Albert. — Subinde allegantur Tob. 12, 8. et 9.

[7] Homil. 15. in Matth. 6, 19. (Op. imperfect.).

[8] Psalm. 111, 9. — Sententia August. habetur Serm. 86. (alias 43. de Diversis) c. 1. n. 1.

[9] Codd. C D F G: *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est cor tuum* (ex Matth. 6, 21.). Cfr. etiam B. Albert. in Lucam, 12, 34. — Sequitur Matth. 13, 44. — Superius pro *ubi locetur* [codd. *locatur*] Vat. *quo modo locetur,* quae etiam subinde pro *et ibidem* substituit *eodem.*

[10] De Praecepto et dispensat. c. 20. n. 60: Neque enim praesentior spiritus noster est ubi animat, quam ubi amat... Denique ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum [Matth. 6, 21.].

[11] Hanc sententiam tribuit Card. Hugo *Chrysostomo* (cfr. Homil. 20. alias 21. in Matth. n. 3.), Gorranus vero *Glossae,* scilicet *ordinariae,* in qua verbotenus occurrit, et cuius initium est ex Beda, IV. in Luc. 12, 34, qui sequitur Hieron., I. Comment. in Matth. 6, 21. Cfr. August., Enarrat. in Ps. 90. serm. 2. n. 13. in fine, et Serm. 86. (alias 43. de Diversis) c. 1. n. 1.

[12] Vers. 2, post quem II. Cor. 4, 18.

[13] Vers. 11. et 14.

[14] Vers. 6. — Sequitur Matth. 13, 52.

[15] Vers. 45. — Subinde allegatur Matth. 19, 21

*thesaurum abundantiae,* quia pauperes consueverunt esse afflicti et despecti et egeni pro nomine Domini nostri Iesu Christi.

**Ad sollicitudinem providentiae invitatur dupliciter.**

49. *Sint lumbi vestri praecincti* etc. Postquam revocavit a sollicitudine avaritiae, hic secundo *invitat ad sollicitudinem providentiae*, ne quis crederet, quod omnem vellet sollicitudinem amovere a corde [1]. Invitat autem ad huiusmodi sollicitudinem ex consi-
Divisio. deratione duplicis adventus: primo scilicet consideratione *secundi adventus*, qui erit terribilis; secundo vero, consideratione *primi adventus*, qui fuit amabilis, ibi [2]: *Ignem veni mittere in terram.*

**Primo invitatur consideratione secundi adventus.**

Prima pars habet duas: in quarum prima in-
Subdivisio. vitat ad sollicitudinem vigilantiae *omnes communiter;* in secunda vero, *praelatos specialiter*, ibi [3]: *Ait autem ei Petrus.*

Circa *generalem introductionem omnium* ad
Generalis invitatio omnium fit tripliciter. sollicitudinem vigilantiae procedit hoc ordine: primo praemittens *vigilantiae modum;* secundo adiungens *motivum*, ibi [4]: *Beati servi illi* etc.; tertio subiungens *stimulativum*, ibi: *Hoc autem scitote* etc. Primum horum respicit *meritum*, secundum respicit *praemium*, tertium respicit *imminens periculum.*

Circa *modum* autem *vigilantiae* duo introducit
De modo vigilantiae duo. Evangelista, ad quae Dominus discipulos invitat, scilicet ad *promptitudinem expeditionis in corpore* et ad *sollicitudinem exspectationis in corde.*

50. (Vers. 35.). Primo igitur quantum ad *prom-*
Primum. *ptitudinem expeditionis in corpore* dicit: *Sint lumbi vestri praecincti* etc. Sicut ille expeditus est, qui est praecinctus ad viam progrediendam, sic ille expeditus est, qui restringit in se desideria carnalia. Unde Gregorius [5]: « A principali sexu *lumborum* nomine luxuria designatur »; Iob quadragesimo: « Fortitudo eius in lumbis eius » etc. « *Lumbos* igitur *praecingimus*, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Sed quia non sufficit mala non agere, nisi etiam quisque studeat bonis operibus insudare, protinus subditur: *Et lucernae ardentes in manibus vestris.* Lucernas quippe ardentes in manibus habemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus ». *Lucerna* enim dicitur Quid lucerna.
recte divinum mandatum; Proverbiorum sexto [6]: « Mandatum lucerna est, et lex lux » etc. Haec lucerna est *in manu*, quando mandatum est in operatione; Proverbiorum ultimo: « Non exstinguetur in nocte lucerna eius. Manum autem suam misit ad fortia » etc.; et Matthaei quinto: « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona » etc. — Et nota, quod sicut lucerna abscondit lumen a Notandum.
vento, sed non a visu; sic bona opera comparantur lucernae; quia [7] « sic debet opus esse in publico, quatenus intentio maneat in occulto »; sic velit homo aliis dare exemplum virtutis, ut tamen non quaerat munus [8] transitorii favoris.

51. (Vers. 36.). Secundo quantum ad *sollicitu-* Secundum.
*dinem exspectationis in corde* subdit: *Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis*, id est, quando veniet ad iudicium, descendendo de caelis. Unde Gregorius [9]: « Ad nuptias Dominus abiit, cum post resurrectionem suam Angelorum sibi multitudinem novus homo copulavit; qui tunc revertetur, cum per iudicium nobis manifestatur ». Unde a bonis semper debet exspectari; ad Philippenses tertio [10]: « Salvatorem exspectamus Dominum Iesum Christum » etc. Et haec exspectatio non est *vana;* Proverbiorum decimo septimo: « Gemma gratissima exspectatio praestolantis »; non est etiam *somnolenta;* Psalmus: « Exspecta Dominum et viriliter age ». — Et ideo subdit: *Ut, cum venerit*, « properando ad iudicium [11] », *et pulsaverit*, per infirmitatis flagellum; *confestim aperiant ei*, per desiderium intimum; Apocalypsis tertio: « Ecce, sto ad ostium et pulso; si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum » etc. Beda [12]: « Non vult aperire iudici pulsanti qui, timens videre iratum, quem contempsit,

---

[1] Cfr. supra n. 21. — Codd. C D *de corde.*

[2] Vers. 49.

[3] Vers. 41.

[4] Vers. 37, et tertium v. 39.

[5] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 13. n. 1. — Sequitur Iob 40, 11, post quem allegatur sententia Gregorii, loc. cit.

[6] Vers. 23. — Duo seqq. loci sunt Prov. 31, 18. et Matth. 5, 16.

[7] Ut dicit Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 11. n. 1. — Isidor., XX. Etymolog. c. 10. n. 7: *Laterna* inde vocata, quod lucem interius habeat clausam. Fit enim ex vitro, intus recluso lumine, ut venti flatus adire non possit, et ad praebendum lumen facile ubique circumferatur.

[8] Ita bene A C D; B G H *nummum* (Vat. *minimum*). Utraque lectio fundatur in Gregorii dictis. De prima cfr. IX. Moral. c. 34. n. 53, ubi docet, in operibus bonis metuendas esse desidiam (cfr. Ier. 48, 10.) et fraudem, qua omnis « semetipsum inordinate diligens, per hoc quod recte egerit, ad remunerationis transitoria bona festinat »; et, allata sententia Isai. 33, 15: *Beatus, qui excutit manus suas ab omni munere*, adiungit: « Tres vero sunt acceptiones munerum, ad quas ex fraude festinatur: munus namque *a corde* est captata gratia a cogitatione, munus *ab ore* est gloria per favorem, munus *ex manu* est praemium per dationem » etc. Ibid. XII. c. 54. n. 62: Qui *nummum* tribuit munus ex manu dedit; qui autem *verbum laudis* impendit munus ab ore protulit. Libr. I. Homil. in Evang. homil. 4. n. 4, ubi monet, quosdam esse, qui « de impenso officio sanctitatis *nummum* expetunt *favoris* » etc.

[9] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 13. n. 2.

[10] Vers. 20. — Duo seqq. loci sunt Prov. 17, 8. et Ps. 26, 14.

[11] Ita Glossa *interlinearis*, quae prosequitur: *Et pulsaverit*, per aegritudines mortem propinquam designando, *confestim aperiant ei*, laeti eum suscipiendo. Cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 13. n. 3. — Sequitur Apoc. 3, 20.

[12] Libr. IV. in Luc. 12, 36, qui sequitur Gregor., loc. cit. Sententia ipsius exhibetur verbis Glossae *ordinariae.*

de corpore exire metuit. Aperit qui iudicem laetus et securus sustinet et de propinqua morte gaudet »; Canticorum quinto [1]: « Vox dilecti mei pulsantis »; et post: « Surrexi, ut aperirem » etc.

Quare hoc legatur in festis Confessorum.

52. Et notandum est hic, quod hoc Evangelium legitur in festis Confessorum, pro eo quod ipsi commendantur tripliciter, scilicet quantum ad *declinationem mali* in praecinctione lumborum, et quantum ad *operationem boni* in portatione lucernarum, et quantum ad *exspectationem optimi* in similitudine hominum exspectantium dominum suum; secundum illa tria, quae dicuntur in Michaeae sexto [2]: « Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum: facere iudicium », respectu tui, « et diligere misericordiam », respectu proximi, « et sollicite ambulare cum Deo tuo », respectu Dei.

'ro declinatione mali requiritur riplex praecinctio.

53. Ad hoc autem, quod *malum* in nobis *perfecte deficiat, sunt lumbi nostri tripliciter praecingendi,* scilicet lumbi carnalis *contactus,* de quibus in Psalmo [3]: « Lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea »; et hi praecingendi cingulo *castitatis;* Isaiae trigesimo secundo: « Accingite lumbos vestros, super ubera plangite » etc. — Item, lumbi carnalis *affectus* cingulo *virtutis;* Iob quadragesimo [4]: « Accinge quasi vir lumbos tuos »; et Ieremiae primo: « Accinge lumbos tuos, surge et loquere ad eos ». — Item, lumbi carnalis *cogitatus* cingulo *veritatis;* primae Petri primo [5]: « Succincti lumbos mentis vestrae, sobrii » etc.

Pro operatione boni 'iplex lucerna portanda.

54. Ad hoc autem, quod *bonum* in nobis *perfecte clarescat, portanda est lucerna rectae intentionis;* supra undecimo [6]: « Lucerna corporis tui est oculus tuus ». — Item, portanda lucerna *verae praedicationis;* Psalmus [7]: « Lucerna pedibus mei verbum tuum »; Ecclesiastici quadragesimo octavo: « Surrexit Elias quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat ». — Item, portanda lucerna *honestae conversationis;* Ioannis quinto [8]: « Ille erat lucerna ardens et lucens »; et in Psalmo: « Illuc producam cornu David; paravi lucernam Christo meo ».

ro exspectatione Christi tria praestanda.

55. Postremo ad hoc, quod *desiderium perfecte ignescat, exspectandus est Christus fidenter;* Habacuc secundo [9]: « Si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet » etc. — Item exspectandus *gaudenter;* Proverbiorum decimo: « Exspectatio iustorum laetitia » etc. — Item exspectandus *vigilanter;* Iob decimo quarto: « Cunctis diebus, quibus nunc milito, exspecto, donec veniat immutatio mea ». Et hoc modo exspectant servi « dominum, quando revertatur a nuptiis [10] ». — Sic beati Confessores perfecte laudantur, secundum illa ad Titum secundo: « Sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei » etc. Notandum.

De motivo vigilantiae duplici.

56. (Vers. 37.). *Beati servi illi* etc. Hic secundo introducit *motivum ad sollicite vigilandum* [11]; et hoc est duplex, scilicet *beatificatio vigilantium* sine *defectione* et sine omni *exceptione.*

Primum.

Primo igitur quantum ad *beatificationem vigilantium sine defectione* dicit: *Beati servi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes;* Proverbiorum octavo [12]: « Beatus homo, qui audit me et qui vigilat ad fores meas quotidie »; et ideo Ecclesiastici trigesimo nono: « Iustus cor suum tradet ad vigilandum diluculo » etc. Tales Dominus beatificat; Iob octavo: « Si diluculo consurrexeris et Omnipotentem fueris deprecatus, statim evigilabit ad te et pacatum reddet habitaculum iustitiae tuae ». — Ideo subdit: *Amen dico vobis, quod praecinget se,* « praeparando se ad retributionem [13] »; Psalmus: « Dominus regnavit, decorem indutus est » etc. *Et faciet illos discumbere,* scilicet in aeterna refectione; Ezechielis trigesimo quarto: « Ego pascam oves meas, et ego accubare eas faciam ». — *Et transiens ministrabit illis,* per liberalissimam communicationem. *Transiens,* id est transire faciens; Ecclesiastici vigesimo quarto [14]: « Transite ad me omnes, qui concupiscitis me » etc.; quia *a Christo* et *per Christum* transimus *ad Christum,* a gloria scilicet corporis ad gloriam animae, et ab hac ad gloriam Deitatis. Propter quod dicit Ioannis decimo [15]: « Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur »; et decimo quarto: « Ego sum via, veritas et vita ». *Ministrare* autem dicitur Christus, quia semper dabit materiam gaudii actualis Notandum.

---

[1] Vers. 2. et 5.

[2] Vers. 8, in quo fere omnes codd. omittunt *tibi, o,* et substituunt *sollicite* pro *sollicitum* (ita Vat.).

[3] Psalm. 37, 8, post quem Isai. 32, 11. seq.

[4] Vers. 2, cui subiungitur Ier. 1, 17.

[5] Vers. 13. Post *mentis vestrae* codd. addunt *in veritate,* quod occurrit Eph. 6, 14: State ergo, succincti lumbos vestros *in veritate* et induti loricam iustitiae.

[6] Vers. 34. — August., II. Qq. Evangelior. q. 25: Quod Dominus dicit: *Sint lumbi vestri accincti,* propter continentiam ab amore rerum saecularium, *lucernae ardentes,* hoc ipsum ut vero fine et recta intentione faciatis.

[7] Psalm. 118, 105, post quem Eccli. 48, 1.

[8] Vers. 35, cui subiungitur Ps. 131, 17. Triplicem hanc lucernam distinguit etiam Card. Hugo.

[9] Vers. 3. — Duo seqq. loci sunt Prov. 10, 28. et Iob 14, 14. — Superius pro *ignescat* Vat. cum pluribus codd. *ignoscat (!).*

[10] Supra v. 36. n. 51. — Sequitur Tit. 2, 12. seq. — Inferius post *secundum illa* B addit *tria.*

[11] Cfr. supra n. 49.

[12] Vers. 34. — Subinde allegantur Eccli. 39, 6. et Iob 8, 5. seq.

[13] Secundum Glossam *interlinearem* (ex Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 13. n. 4.): *Praecinget se,* praeparans se ad retributionem; *et faciet illos discumbere,* in aeterna beatitudine refoveri; nostrum recumbere est in regno quiescere. — Duo seqq. loci sunt Ps. 92, 1. et Ezech. 34, 15.

[14] Vers. 26. — Gregor., loc. cit.: *Transiens* autem Dominus ministrat, quia lucis suae illustratione nos satiat. *Transire* vero dictum est, cum de iudicio ad regnum redit. Vel certe Dominus nobis post iudicium *transit,* quia ab humanitatis forma in Divinitatis suae contemplationem nos elevat.

[15] Vers. 9. et deinde 14, 6. Cfr. Comment. in Ioan. c. 10. n. 9. et 11; c. 14. n. 7. et 17.

refectionis indeficientis; Apocalypsis septimo [1]: « Non esurient neque sitient amplius »; « quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos et deducet ad vitae fontes aquarum ». « Beati igitur, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt », Apocalypsis decimo nono; in qua Agnus sine macula erit *sponsus, cibus, dominus* et *minister*; Psalmus [2]: « Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos ». Ipse *ministrabit* et *invitabit*, secundum illud Canticorum quinto: « Comedite, amici, et bibite et inebriamini, carissimi ».

57. (Vers. 38.). Deinde quantum ad *beatitudinem sine exceptione* subdit: *Et si venerit in secunda vigilia et si in tertia* [3] *venerit et ita invenerit; beati sunt servi illi.* Et nota hic, quod per *tres vigilias* intelliguntur tres status praesentis vitae, scilicet *pueritiae, iuventutis* et *senectutis*. Unde Glossa Bedae [4]: « Vigilias vocat ad similitudinem excubantium in nocte. Prima vigilia custodia pueritiae est, secunda est iuventutis, et tertia senectutis. Si quis in *pueritia* vigilare neglexerit, non tamen desperet; si in *iuventute* neglexerit, saltem tandem in *senio* resipiscat, quia pius Dominus poenitentiam nostram exspectat patienter »; Isaiae trigesimo [5]: « Propterea exspectat Dominus, ut misereatur vestri; et ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus iudicii Dominus; beati omnes, qui exspectant eum ». — Et nota, quod Marci decimo tertio [6] insinuantur *quatuor* vigiliae secundum modum distinctionis horarum apud excubantes: « Vigilate, inquit; nescitis enim, quando Dominus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane ». Et per *has vigilias* intelliguntur quatuor status, in quibus homo utitur libertate arbitrii: primus et ultimus et duo intermedii; unus est in profectu, et alter in declinatione. In quo insinuatur, quod Dominus omni hora sine exceptione nostram acceptat vigiliam, sed potissime illam quae incipit a pueritia; Threnorum tertio [7]: « Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua »; et tamen etiam ultimum senium non recusat; unde dicitur Matthaei decimo quarto, quod « quarta vigilia noctis venit ad discipulos ambulans super mare ». Qualibet ergo hora non est inutile, sed perutile *vigilare;* infra vigesimo primo [8]: « Vigilate, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quae ventura sunt, et stare ante Filium hominis » etc.

Secundum.

Quid tres vigiliae.

Quatuor vigiliae.

58. (Vers. 39.). *Hoc autem scitote* etc. Hic tertio subiungit *stimulativum ad vigilandum* [9]*;* quod introducit per hunc modum, scilicet *proponendo exemplum parabolicum* et *concludendo principale intentum.*

De stimulativo vigilantiae duo.

Primum ergo *exponit exemplum parabolicum,* cum dicit: *Hoc autem scitote, quoniam, si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique,* scilicet ad custodiam domus [10], ne fur furtim aliquid asportaret. — Ideo dicit: *Et non sineret perfodi domum suam.* Et si semper haberet horam suspectam, nunquam relinqueret domum suam sine custodia; alioquin non sapienter, sed stulte curam familiae procuraret. Exemplum de Isboseth, de quo legitur secundi Regum quarto [11], quod « Isboseth dormiebat super stratum suum meridie. Et ostiaria purgans triticum obdormivit. Ingressi sunt autem Rechab et Baana, frater eius, latenter domum et percusserunt eum in inguine et fugerunt ». Sic et *spiritualiter* fit ei qui negligit domum suam vigilanter custodire; unde Gregorius [12]: « Ostiaria dormiente, Isboseth interficitur, quia, dum discretionis sollicitudo cessaverit, ad interficiendum animam malignis spiritibus iter pandit ». Et ideo vir spiritualis e contrario dicit illud Isaiae vigesimo primo [13]: « Super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem, et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus »; et ideo primae Petri ultimo: « Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester » etc.

Primum.

Exemplum

59. (Vers. 40.). Deinde concludit principale intentum. *Et vos estote parati, quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Glossa [14]: « Ultimam horam semper ignorari voluit Dominus, ut semper sit suspecta, et ad eam semper praeparemur ». Unde Matthaei vigesimo quarto [15]: « De die illa et hora nemo scit » etc.; et primae ad Thessalonicenses quinto: « Dies Domini sicut fur in nocte veniet »; et post: « Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut dies

Secundum.

---

[1] Vers. 16. et 17; deinde 19, 9.

[2] Psalm. 35, 9. — Sequitur Cant. 5, 1.

[3] Cod. H cum Vulgata repetit *vigilia.*

[4] Scilicet *ordinaria* in Luc. 12, 38. Textus originalis hinc inde plura addit. Beda sequitur Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 13. n. 5. Pro *custodia* Vat. et plures codd. *custodiae.*

[5] Vers. 18.

[6] Vers. 35. Post *Dominus* Vulgata et Vat. addunt *domus.* Theophylact. hunc loc. exponens dicit: « *Tarde* quidem tunc adest finis, quando quis in bona senecta moritur. *Media* autem *nocte*, cum mediam aetatem peregerit. *In gallicinio* autem, quando in nobis ratio completa fuerit; gallus enim ratio est, quae nos a somno excitat et stuporem repellit; cum igitur puer incipit iuxta rationem vivere et sapere, tunc gallus ei canit. *Diluculum* autem omnino puerilis aetas est ». B. Albert., ita explicat: *Sero* autem est iuventus, *media* autem *nox* virilis aetas, *galli* autem *cantus* est senectus, *mane* autem est putridum senium.

[7] Vers. 27. — Subinde allegatur Matth. 14, 25.

[8] Vers. 36. Pro *ventura* Vulgata et Vat. *futura.*

[9] Cfr. supra n. 49. — Glossa *interlinearis* (cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 13. n. 5.) in Luc. 12, 39. seq.: *Hoc autem scitote*, per simile probat, quod debent vigilare, *quoniam... Et vos estote parati* etc., post similitudinem supponit exhortationem. [10] In C a secunda manu additum est *suae.*

[11] Vers. 5. et 6.

[12] Libr. I. Moral. c. 35. n. 49. Pro *animam* Vat. cum textu originali *animum.*

[13] Vers. 8, ubi pro *speculam* C D F G *custodiam.* — Sequitur I. Petr. 5, 8.

[14] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 13. n. 6.), quae pro *praeparemur* (Ita etiam Gregor. et Beda) *praeparetur,* D *praeparemus.*

[15] Vers. 36. — Tres seqq. loci sunt I. Thess. 5, 2. et 4; Eccle. 9, 12.

ille tanquam fur vos comprehendat »; et Ecclesiastae nono: « Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, ita comprehenduntur homines tempore malo ». Sic et illi qui non se praeparant; ideo dicitur Ecclesiastici quinto[1]: « Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subito enim veniet ira eius et in tempore vindictae disperdet te ». Unde Alcuinus[2]: « Dissoluta est cogitatio de crastina conversione cogitare et hodiernam negligere ». Et Seneca[3]: « Quilibet dies vitae nostrae ordinandus est ultimus ». Propter hoc ergo, ut semper simus parati, voluit Dominus, nos ignorare horam mortis et diem iudicii. « Nihil enim est certius morte, et nihil est incertius hora mortis[4] »; ideo Ecclesiastici trigesimo octavo: « Memor esto iudicii mei; sic enim erit et tuum: mihi heri, et tibi hodie »; et de iudicii hora dicitur Matthaei vigesimo quinto: « Media nocte clamor factus est: Ecce, sponsus venit »; et post: « Quae paratae erant intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est ianua ». Gregorius[5]: « O si sapere palato cordis possit, quid admirationis habet *venit sponsus!* quid dulcedinis *intraverunt cum eo ad nuptias!* quid amaritudinis *clausa est ianua* »!

**Specialis invitatio praelatorum fit tripliciter.**

60. (Vers. 41.). *Ait autem ei[6] Petrus.* Postquam invitavit ad vigilantiam omnes generaliter, hic invitat *praelatos specialiter.* Quod quidem facit hoc ordine. Primo namque *commendat praelatorum vigilantiam;* secundo *arguit insolentiam*, ibi[7]: *Quodsi dixerit servus ille* etc.; tertio *aggravat negligentiam,* ibi: *Ille autem servus, qui cognovit.*

**Commendatur praelatorum vigilantia dupliciter.**

*Commendans* autem *vigilantiam praelatorum* primo commendat eam quantum ad praerogativam *meriti;* secundo, quantum ad *praecellentiam praemii;* ibi[8]: *Beatus ille servus.*

**Primo, quoad meritum.**

Primum ostendit in respondendo ad quaestionem Petri, cum dicit: *Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an[9] ad omnes?* Bene quaerit et utiliter, ut sciat, ad quid debeat obligari; unde Ecclesiastici tertio: « Quae praecipit tibi Deus, illa cogita semper »; et maxime illa sunt discenda, quae sunt parabolice dicta; Proverbiorum primo: « Audiens sapiens, sapientior erit. Animadvertet parabolas et interpretationem, verba sapientum et aenigmata eorum ».

**Responsio ad quaestionem Petri.**

61. (Vers. 42.). Huic autem quaestioni Petri superficietenus non videtur Dominus respondere; sed si profundius attendatur, respondet perfecte, insinuans, quod praedicta parabola de vigilantia spectat *communiter ad universos,* sed *specialiter ad praelatos,* cum dicit: *Dixit autem Dominus: Quis, putas, est fidelis dispensator et prudens? Dispensatores* praelatos vocat; primae ad Corinthios quarto[10]: « Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei » etc. Tales difficile est invenire fideles; unde primae ad Corinthios quarto: « Hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur »; et Proverbiorum vigesimo: « Multi homines misericordes vocantur, virum autem fidelem quis inveniet »? *Quis, putas,* ergo *est dispensator fidelis?* in *intentione;* primae ad Timotheum primo[11]: « Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem »; et Apocalypsis secundo: « Esto fidelis usque ad mortem ». *Et prudens,* in *electione;* Proverbiorum decimo quarto[12]: « Acceptus est regi minister intelligens »; unde Proverbiorum vigesimo septimo: « Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera ».

**Praelatorum bonorum duplex qualitas.**

**Vocatio eorum et officium.**

62. *Quem constituit Dominus super[13] familiam suam,* per auctoritatem commissam; ad Hebraeos quinto: « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Domino tanquam Aaron »; Psalmus: « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum eius ». — *Ut det illis in tempore tritici mensuram,* communicando sanam doctrinam; Ecclesiastae octavo[14]: « Tempus et responsionem cor sapientis intelliget » etc. Attendat etiam audientium capacitatem; unde dicit: *mensuram.* Gregorius: « Pro

---

[1] Vers. 8.

[2] Libr. de Virtutibus et vitiis, c. 14.

[3] Epist. 12. § 7: Itaque sic ordinandus est dies omnis, tanquam cogat agmen et consummet atque expleat vitam (pro *ordinandus* Vat. *ordinatus*). Cfr. Horat., I. Epist. 4. v. 13:

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

[4] Ut dicit Anselm., Meditat. 7. c. 1. Cfr. tom. VI. pag. 588, nota 9. — Smaragd., Summarium in Epist. et Evangel. (Smaragdo additum) in Natali Sanctorum plurim. Evang. Luc. 12. n. 3: Mors est certa, incerta dies, incertior hora; consulat ergo animae, qui sapit ille, suae. — Subinde allegantur Eccli. 38, 23; Matth. 25, 6. et 10.

[5] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 12. n. 4. — Pro *Gregorius* (ita etiam Vat. et Card. Hugo) C D F G *Bernardus*, et dein: *O si saperet* [Card. Hugo *saperes*] *palato* [Gregor. *in palato*, A C D *palatum*] *cordis, quid* etc.

[6] Codd. hic et aliquanto inferius *illi;* cfr. supra n. 49.

[7] Vers. 45, et tertium v. 47.

[8] Vers. 43. Ita A, alii codd. et Vat. hanc allegationem omittunt, immo in nonnullis tota propositio *secundo... ille servus* desideratur. Pro *praecellentiam* in D substituit secunda manus *praeeminentiam*, quod etiam infra n. 63. exhibet A.

[9] In Vulgata additur *et.* — Deinde sequuntur Eccli. 3, 22. et Proverb. 1, 5.

[10] Vers. 1, deinde v. 2. et Prov. 20, 6. Beda, IV. in Luc. 12, 43: Sane quod ait: *Quis putas est,* difficultatem, non impossibilitatem perficiendae virtutis insinuat, quomodo Psalmista: *Quis sapiens, et custodiet haec* (Ps. 106, 43.)? non neminem, sed rarum significat. Nam alibi idem verbum non pro difficili, sed pro etc.

[11] Vers. 12. seq.: Fidelem me existimavit, ponens in ministerio. Qui prius blasphemus fui et persecutor et contumeliosus; sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Cfr. I. Cor. 7, 25: Misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. — Sequitur Apoc. 2, 10.

[12] Vers. 35, post quem 27, 23.

[13] Ita etiam Beda, Card. Hugo, B. Albert.; Vulgata *supra.* — Duo seqq. loci sunt Hebr. 5, 4. et Ps. 2, 6.

[14] Vers. 5. — Sententia Gregorii habetur XXX. Moral. c. 3. n. 12. et Regul. pastoral. p. III. Prolog.

qualitate audientium formari debet sermo doctorum, ut et sua singulis congruenter tribuat, et tamen a communis aedificationis arce nunquam recedat ». Huius exemplum habemus in Ioseph, qui ad dispensandum frumentum constitutus est super terram Aegypti, Genesis quadragesimo primo [1], in quo fuit *fidelitas* et *prudentia, auctoritas* et *vigilantia* seu diligentia. — Et quia ista fuerunt in sanctis praelatis, ideo Evangelium istud decantatur in laudem Confessorum et Pontificum, qui in his quatuor praemissis commendabiles exstiterunt. — Et de his quatuor dicitur in Glossa Bedae [2]: « Quam rarus est Domino *propter Dominum serviens,* oves Christi non ad lucrum, sed amore Christi pascens! *prudens,* in futuro sibi providens; *quem constituit,* id est, quam rarus, qui sit *vocatus a Deo tanquam Aaron* et non magis se ingesserit, et qui non *magis se pascat* quam oves ». Unde propter *defectum fidelitatis* Malachiae primo [3]: « Quis est ex vobis, qui claudat ostia mea et incendat altare meum gratuito »? et ad Philippenses secundo: « Omnes quaerunt quae sua sunt » etc. Pauci etiam sunt *prudentes;* unde Isaiae vigesimo quarto [4]: « Sicut populus, sic sacerdos »; et Osee quarto: « Quia tu scientiam repulisti, repellam et ego te, ne sacerdotio fungaris mihi ». Pauci etiam sunt *divinitus constituti;* ideo dicitur Osee octavo [5]: « Ipsi regnaverunt, et non ex me ». Pauci similiter *utilitati gregis intenti;* unde Ezechielis trigesimo quarto: « Vae pastoribus Israel! qui pascebant semetipsos. Nonne greges a pastoribus pascuntur » etc. Ideo signanter dicens praemittit: *Quis putas?* propter raritatem et difficultatem et pretiositatem, qua tales excellunt in praerogativa meriti.

Exemplum. Notandum. In multis quadruplex defectus.

63. (Vers. 43.). Secundo quantum ad *praecellentiam praemii* subdit: *Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus, invenerit ita facientem;* Matthaei vigesimo quinto [6]: « Euge, serve bone et fidelis » etc. *Ita facientem,* id est *fideliter, prudenter* et *vigilanter,* secundum illud primae Petri quarto [7]: « Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei ». Et Chrysostomus: « Haec dicta sunt de sermone et virtute, de pecuniis et de omni dispensatione, quae unicuique commissa est. Unumquemque enim ad communem utilitatem uti oportet his quae habet, sive sapientia, sive principatu, sive divitiis, non ad nocumentum conservorum ».

Secundo, quoad praemium.

64. (Vers. 44.). Huius autem usui gratiae redditur *perfectus fructus gloriae,* quantum ad quam subdit: *Vere dico vobis, quia super* [8] *omnia, quae possidet, constituet illum,* « super caelestis regni gaudia », « non ut soli, sed ut prae ceteris habeant gaudia aeterna tum pro sua vita, tum pro gregis custodia ». Unde primae Petri quinto [9]: « Seniores, pascite qui in vobis est gregem Dei ». « Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam ». Unde Chrysostomus [10]: « Bene agente populo, unusquisque pro suo bono remuneratur; sacerdos autem pro bonis omnium »; primae ad Thessalonicenses secundo: « Quae est spes mea, aut gaudium, aut corona gloriae? Nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in adventu eius »?

Usui donorum respondet fructus gloriae. Notandum.

65. (Vers. 45.). *Quodsi dixerit servus ille* etc. Postquam commendavit praelatorum vigilantiam et providentiam seu curam, hic *vituperat insolentiam* [11]; quod quidem facit *arguendo enormitatem peccati* et *comminando severitatem iudicii.*

Arguitur praelatorum insolentia dupliciter.

Primo igitur quantum ad argutionem *enormitatis peccati* dicit: *Quodsi dixerit servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire* [12]. Glossa: « Econtra, si dissimulaverit iudicium in proximo venturum, securitatem sibi promittens », secundum illud Ezechielis duodecimo: « Quod est proverbium in terra Israel dicentium: In longum differentur dies, et peribit omnis visio »? et secundae Petri tertio [13]: « Venient illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: Ubi est promissio aut adventus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturae ». — Et quoniam talis cogitatio parit securitatem, et securitas contemptum, et contemptus iniquitatem; ideo subdit: *Et coeperit percutere pueros* [14] *et ancillas,* scilicet parvulos scandalizando, cum tamen deberet

Primo, quoad peccatum.

---

[1] Vers. 37. seqq.

[2] Glossa est *ordinaria.* Glossam hanc, quae tribuitur *Bedae,* S. Thom. (Cat. aurea in Matth. 24. n. 13.) affert nomine *Glossae* (absque auctoris nomine), et verba ipsius a Gorrano in Luc. 12, 42. attribuuntur *Hieronymo.* In ipsa allegatur Hebr. 5, 4.

[3] Vers. 10, post quem Phil. 2, 21.

[4] Vers. 2, et deinde Osee 4, 6.

[5] Vers. 4. — Sequitur Ezech. 34, 2. seq.

[6] Vers. 21. — Superius pro *praecellentiam* A D *praeeminentiam;* cfr. supra pag. 327, nota 8.

[7] Vers. 10. — Sententia Chrysost. habetur homil. 77. (alias 78.) in Matth. n. 3.

[8] Ita etiam Beda et Card. Hugo; Vulgata *quoniam supra.* — Subinde allegantur Glossa *interlinearis* et *ordinaria* (ex Beda). Vat., hanc sententiam *Bedae* attribuens, non verba Glossae, sed ipsius Bedae affert.

[9] Vers. 2. et 4, ubi pro *Et cum* A C D G *ut cum,* et subinde pro *percipietis* D a secunda manu *percipiatis* (C dubiae lectionis).

[10] Homil. 51. in Matth. 24, 45. (Op. imperfect.). — Sequitur I. Thess. 2, 19.

[11] Cfr. supra n. 60. — Subinde post *facit* B addit *dupliciter.*

[12] Codd. A C D omittunt *venire.* — Sequitur Glossa *interlinearis;* cfr. Hieron., IV. Comment. in Matth. 24, 48. seq., ubi etiam adducit Ezech. 12, 22. inferius allegatum.

[13] Vers. 3. et 4.

[14] Ita Beda, Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 12. n. 11.), Gorranus et Lyranus; Vulgata et Vat. *servos.* — Glossa *interlinearis* (cfr. Beda): *Et coeperit percutere,* ad vitia incitare, vel conscientias infirmorum pravo verbo vel exemplo laniare; *pueros et ancillas,* quorum aetas vel sexus quanto infirmior, tanto est ad ruinam facilior.

fovere verbo et exemplo. Propter quod Isaiae tertio [1]: « Quare atteritis populum meum et facies pauperum commolitis »? Et hoc est grave peccatum; primae ad Corinthios octavo: « Peccantes in fratres et percutientes conscientias eorum infirmas, in Christum peccatis »; et maxime, quando in parvulos peccant; Matthaei decimo octavo: « Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei » etc.

**Notandum.** — Et quia perfidiae mater est *concupiscentia,* ideo addit: *Et edere et bibere et inebriari,* faciendo voluntatem scilicet carnis, secundum illud Isaiae vigesimo octavo [2]: « Sacerdos et propheta nescierunt prae ebrietate; absorpti sunt a vino, erraverunt prae ebrietate ». Et hoc maxime est indecens pastoribus et praelatis, in quibus regnare debet spiritus sapientiae et intellectus; Malachiae secundo [3]: « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius ». Sed econtra, Isaiae quinquagesimo sexto: « Speculatores eius caeci omnes, nescierunt universi, canes muti, non valentes latrare, videntes vana et amantes somnia; et canes impudentissimi nescierunt saturitatem » etc.

**Secundo, quoad iudicium.** 66. (Vers. 46.). Secundo quantum ad *comminationem severitatis iudicii* adiungit: *Veniet dominus servi illius in die, qua non sperat, et hora, qua nescit;* Deuteronomii trigesimo secundo [4]: « Iuxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora »; et Sophoniae primo: « Iuxta est dies Domini magnus, iuxta et velox nimis ». Et licet sit *iuxta,* tamen venit mundanis ex improviso; unde Ecclesiastae nono [5]: « Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines tempore malo, cum eis extemplo supervenerit ». — Et quia contemptoribus iudicis grave imminet iudicium, ideo subdit: *Et dividet eum,* scilicet a consortio bonorum, secundum illud Matthaei vigesimo quinto [6]: « Statuet agnos a dextris suis, haedos autem a sinistris ». *Partemque eius cum infidelibus ponet,* qui scilicet iam iudicati sunt; Ioannis tertio [7]: « Qui non credit iam iudicatus est »; et hoc recte, quia primae ad Timotheum quinto dicitur: « Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior ». Haec *pars* est valde mala, secundum illud Psalmi [8]: « Ignis, sulphur, spiritus procellarum, pars calicis eorum »; et Apocalypsis vigesimo primo: « Timidis et incredulis et exsecratis et homicidis et fornicatoribus et veneficis et idololatris et omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno igne ardenti et sulphure ». Ex quo apparet, quod sicut est magna merces bonorum praelatorum, ita et maxima erit poena reproborum; Sapientiae sexto [9]: « Iudicium durissimum in his qui praesunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur ».

**Aggravatur praelatorum negligentia dupliciter.** 67. (Vers. 47.). *Ille autem servus* etc. Postquam invitavit ad vigiliam et vituperavit insolentiam, hic tertio *aggravat negligentiam* [10]*;* quod facit dupliciter, scilicet ratione *maioritatis scientiae* et ratione *auctoritatis commissae.*

**De primo.** Primo ergo quantum ad *aggravationem negligentiae* ratione *maioritatis scientiae* dicit: *Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui,* per donum scientiae; primae ad Corinthios octavo [11]: « Scientia inflat, caritas aedificat. Si quis autem existimat, se scire aliquid; nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum scire ». — *Et non se* [12] *praeparavit,* ad suscipiendum donum gratiae; Proverbiorum decimo sexto: « Hominis est praeparare animam » etc.; unde primi Regum septimo: « Praeparate corda vestra Domino ». — *Et non fecit secundum voluntatem eius,* supple: per vitium propriae negligentiae; Iacobi quarto [13]: « Scienti bonum et non facienti peccatum est illi ». — *Vapulabit multis,* scilicet per severitatem divinae sententiae; unde secundae Petri secundo: « Melius erat viam veritatis non cognoscere » etc.; et ad Romanos primo: « Qui, cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt » etc. « Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis ». Et ratio huius est, quia, ut dicit Gregorius [14], « ubi maius est donum scientiae, ibi transgressor maiori subiacet culpae »; unde et ignorantia excusat.

**Contrarium valet de ignorantibus.** 68. (Vers. 48.). Propter quod subdit: *Qui autem non cognovit* [15], per defectum notitiae, *et fecit*

---

[1] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt I. Cor. 8, 12. et Matth. 18, 6.

[2] Vers. 7. Cfr. Glossa *ordinaria* in Luc. 12, 45.

[3] Vers. 7, post quem Isai. 56, 10. seq.

[4] Vers. 35, cui subnectitur Soph. 1, 14.

[5] Vers. 12. — Glossa *interlinearis: Veniet dominus servi illius,* in quo omnes mali praepositi intelliguntur, *in die,* iudicii vel mortis, *qua non sperat* etc.

[6] Vers. 33. — Glossa *interlinearis* (ex Beda; cfr. Hieron., in Matth. 24, 50. seq.): *Et dividet eum,* a consortio fidelium segregando, et eis qui nec fidem habuerant, sociando, quia qui non habet curam suorum negat fidem et est infideli deterior. [I. Tim. 5, 8.]. Vide Hilar., in Matth. c. 27. n. 2.

[7] Vers. 18. — Sequitur I. Tim. 5, 8.

[8] Psalm. 10, 7, post quem Apoc. 21, 8.

[9] Vers. 6. et 7.

[10] Cfr. supra n. 60. — Inferius pro *aggravationem* Vat. *exaggerationem.*

[11] Vers. 1. et 2.

[12] Ita etiam Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. c. 12. n. 12.) et Lyranus; Vulgata omittit *se.* — Duo seqq. loci sunt Prov. 16, 1. et I. Reg. 7, 3.

[13] Vers. 17, post quem II. Petr. 2, 21; Rom. 1, 21. et 24, ubi pro *Propter quod* A C D *Propterea* (cfr. v. 26.), H *Quapropter.* — Superius pro *per vitium* G *vitium,* H *propter culpam* (A *innixus,* cui similis videtur lectio D *innixum?*).

[14] Cfr. supra pag. 259, nota 8. — Subinde pro *unde et ignorantia excusat* H *unde quia ignorantia aliquo modo excusat,* Vat. *nam ignorantia pro parte excusat.* Cfr. II. Sent. d. 22. a. 2. q. 3.

[15] Codd. C D G *cognoverit.* — Glossa *interlinearis* (ex Gregor., XV. Moral. c. 45. n. 51; cfr. XXV. c. 12. n. 29.): *Qui autem non cognovit,* non cognoscere dicendus est qui apprehendere vult, sed non valet.

*digna plagis,* per commissionem culpae, *vapulabit paucis,* per mitigationem divinae sententiae.

De duplici ignorantia.

Et nota, quod est ignorantia *simplex,* et haec excusat, secundum illud primae ad Timotheum primo [1]: Ideo « misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci »; et infra vigesimo tertio: « Pater, ignosce eis, quia nesciunt, quid faciunt ». Est et alia ignorantia, *affectata,* de qua in Psalmo [2]: « Noluit intelligere, ut bene ageret ». Tales graviter punientur; unde primae ad Corinthios decimo quarto: « Qui ignorat ignorabitur »; et Osee quarto: « Populus non intelligens vapulabit ». Et hoc dicit Beda in Glossa [3], quia Proverbiorum vigesimo octavo: « Qui avertet aurem suam, ne audiat legem, oratio sua erit exsecrabilis »; et Psalmus: « Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdae et obturantis aures suas » etc.

De secundo.

69. Secundo quantum ad *aggravationem negligentiae* ratione *auctoritatis commissae* dicit: *Omni autem, cui multum datum est,* scilicet in munere, *multum quaeretur ab eo,* in ratione. Unde Gregorius [4]: « Cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo humilior atque ad serviendum Deo promptior quisque debet esse ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione »; infra decimo sexto: « Redde rationem villicationis tuae ». — Unde subdit: *Et cui commendaverunt multum,* « scilicet divina iudicia [5] », vel Pater et Filius et Spiritus sanctus; *plus petent ab eo,* scilicet in futuro iudicio universorum; Matthaei vigesimo quinto: « Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum et posuit rationem cum eis ».

Notandum.

Unde a praelatis, quibus cura subditorum commissa est, requiret Dominus non tantum animas proprias, verum etiam animas commissas; propter quod dicitur ad Hebraeos ultimo [6]: « Obedite praepositis vestris et subiacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris ». Nam unicuique eorum dicitur illud tertii Regum vigesimo [7]: « Custodi virum istum; qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius »; et Ieremiae decimo tertio: « Ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? Quid dices, cum visitaverit te? Tu enim docuisti eos adversum te et erudisti in caput tuum ». Et ideo Actuum vigesimo [8] dicebat Paulus ad maiores natu Ecclesiae: « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo »; et Ezechielis trigesimo quarto: « Ecce, ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum et cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos ».

**Secundo invitatur ad vigilantiam consideratione primi adventus.**

70. (Vers. 49.). *Ignem veni mittere in terram* etc. Postquam excitavit ad vigilantiam ex consideratione secundi adventus, hic excitat ad *considerationem primi adventus.* Et haec pars habet duas: in quarum prima ostendendo primi adventus efficaciam *excitat ad vigilantiam;* in secunda *reprehendit Iudaeorum desipientiam et negligentiam,* ibi [9]: *Dicebat autem et ad turbas* etc. Divisio.

Pro excitatione ad vigilantiam afferuntur tria.

In exprimendo igitur *efficaciam primi adventus ad sollicitandum ad vigilantiam* [10], ostendit, se venisse ad tria, scilicet ad *immittendum dilectionis incendium,* ad *perficiendum passionis remedium* et ad *introducendum affectus carnalis divortium.*

Primo, de immissione incendii amoris.

Primo igitur quantum ad *immissionem incendii amoris* per efficaciam adventus primi dicit: *Ignem veni mittere in terram,* ignem scilicet *divini* amoris, qui igni comparatur Canticorum ultimo [11]: « Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio; lampades eius, lampades ignis » etc. Sed dilectio *carnalis* est sicut ignis *infernalis;* Iob trigesimo primo [12]: « Ignis est usque ad consumtionem devorans »; et Ecclesiastici tertio: « Sicut aqua exstinguit ignem » etc. Dilectio autem *spiritualis* est sicut ignis *caelestis;* Threnorum primo [13]: « De excelso misit ignem in ossibus meis » etc. Hunc *mittit* Dominus *communicando doctrinam;* Psalmus: « Ignitum eloquium tuum vehementer »; et Ieremiae vigesimo tertio: « Nonne verba mea sicut ignis, et sicut malleus

Triplex modus mittendi ignem.

---

[1] Vers. 13, cui subnectitur Luc. 23, 34.

[2] Psalm. 35, 4. — Duo seqq. loci sunt I. Cor. 14, 38. et Osee 4, 14.

[3] Scilicet *ordinaria* in Luc. 12, 48: « *Ambrosius:* Multi existimantes, se minus vapulaturos, si nesciant, quid operari debeant, aurem avertunt, ne audiant veritatem. Sed cum possent scire, si vellent studium adhibere, non nescientes, sed contemptores iudicantur ». Haec Glossa etiam a Card. Hug. tribuitur *Bedae* (cfr. IV. in Luc. 12, 48.), occurrit tamen iam in Gregor., XV. Moral. c. 45. n. 51. — Subinde allegantur Prov. 28, 9. et Ps. 57, 5.

[4] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 9. n. 1. — Sequitur Luc. 16, 2.

[5] Ita Glossa *interlinearis* ex Beda. — Subinde vocibus *plus petent* C G H praefigunt *multum,* et dein allegatur Matth. 25, 19. Cfr. Gregor., XXII. Moral. c. 5. n. 8. seqq.

[6] Vers. 17, ubi post *praepositis vestris* codd. addunt *per omnia* (cfr. Col. 3, 20. et 22.). — Beda, IV. in Luc. 12, 48: *Multum* autem commendatur ei cui cum sua salute dominici quoque gregis pascendi cura committitur.

[7] Vers. 39, post quem Ier. 13, 20. seq.

[8] Vers. 28. (codd. omittunt *Paulus* et A C D *episcopos*), cui subiungitur Ezech. 34, 10, in cuius fine pro *amplius* C D *ultra.*

[9] Vers. 54. — Pro *desipientiam* Vat. et H *desidiam.*

[10] Vat. *ad sollicitam vigilantiam.*

[11] Vers. 6. Cfr. Ambros., VII. in Luc. 12. n. 132; Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 5. n. 8. et II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 5.

[12] Vers. 12. (*pro consumtionem* Vulgata et Vat. *perditionem*), post quem Eccli. 3, 33.

[13] Vers. 13. — Duo seqq. loci sunt Ps. 118, 140. et Ier. 23, 29, in cuius fine pro *petram* C D G *petras.*

conterens petram »? Item, *infundendo gratiam;* Deuteronomii quarto [1]: « De caelo te fecit audire vocem suam et in terra ostendit tibi ignem suum maximum ». Item, *inflammando ad iustitiam;* Ecclesiastici quadragesimo octavo [2]: « Surrexit Elias quasi ignis »; unde, quia in ipso erat ignis divini zeli, de quo Sophoniae tertio: « In igne zeli mei devorabitur omnis terra »; ideo merito ad verbum ipsius ignis de caelo descendit et super sacrificium, tertii Regum decimo octavo, et super principem quinquagenarium, quarti Regum primo: « Si homo Dei sum, descendat ignis de caelo » etc. — Et quoniam hic ignis frustra mittitur, nisi accendatur; ideo subdit: *Et quid volo, nisi ut accendatur?* Hunc *accendit meditatio beneficiorum praesentium;* Psalmus [3]: « Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis »; et infra ultimo: « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis » etc. Item, *rememoratio praeteritorum;* Levitici sexto [4]: « Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subiiciens ligna mane et per singulos dies » etc. Item, *praemeditatio futurorum promissorum;* Proverbiorum trigesimo: « Omnis sermo Dei ignitus clypeus est omnibus sperantibus in se ».

Accenditur ignis per tria.

71. (Vers. 50.). Secundo quantum ad *perfectionem remedii passionis* subditur: *Baptismo autem* [5] *habeo baptizari.* Nota, quod passio Christi dicitur *baptismus,* quia in eius sanguine purificamur quasi in lavacro baptismali; Apocalypsis septimo [6]: « Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione et laverunt stolas suas in sanguine Agni »; unde ad Hebraeos nono: « Si sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram » etc. Hoc baptismate fuit Christus baptizatus, quia totum corpus eius fuit hoc sanguine rubricatum; Isaiae sexagesimo tertio [7]: « Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra »? et post: « Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari » etc. — Et nota, quod passio Christi comparatur *baptismo,* sicut hic, quia fuit *universalis;* Psalmus [8]: « Omnes fluctus tuos induxisti super me ». — Item comparatur *calici;* Matthaei vigesimo sexto [9]: « Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste », quia *voluntaria;* Matthaei vigesimo: « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum »? — Item, quia *acerbissima* et gravis, comparatur *torculari;* Isaiae sexagesimo tertio [10]: « Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum ».

Secundo, de remedio passionis.

Quare passio comparetur tribus rebus.

72. Hoc ergo baptismo Christus baptizatus est, non pro indigentia necessitatis, sed pro abundantia caritatis; ideo subdit: *Et quomodo coarctor; coarctor* scilicet per amorem, qui habet cordis dominium; ad Ephesios secundo [11]: « Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam » etc. — Et nota, quod amor *coarctat per violentiam attractivam;* Ioannis tertio [12]: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret »; Ieremiae trigesimo primo: « In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui » Unde Hugo [13]: « Magnam vim habes, caritas: tu sola Deum trahere potuisti de caelo ad terras. O quam forte vinculum tuum, quo et Deus ligari potuit et hoc ligatus vincula iniquitatis destruxit! Nescio, quid maius in tuam laudem dicere possum, quam quod Deum de caelo traheres, et hominem de terra ad caelum levares ». Unde Osee undecimo [14]: « In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis ». — Item, *dilatat per benevolentiam diffusivam;* Psalmus: « Latum mandatum tuum nimis »; secundae ad Corinthios sexto: « Cor nostrum dilatatum est ». — *Elevat per adhaerentiam excessivam;* Canticorum ultimo [15]: « Quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens »? Ioannis quarto: « Qui biberit, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam ». — *Inclinat per condescendentiam dignativam;* ad Galatas secundo [16]: « Qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me ». — Propter ista quatuor ad Ephesios tertio: « In caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis » etc. — Et quoniam haec caritas ostensa fuit in passione perfecte, ideo dicit: *Usquedum perficiatur,* scilicet in effusione sanguinis; Apocalypsis primo [17]: « Dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo »; et primae Ioannis tertio: « In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit ». Et hoc erat, quod Christus in cruce sitiebat; Ioannis decimo nono [18]:

Notandum.

Quatuor effectus amoris.

[1] Vers. 36.

[2] Vers. 1. — Subinde allegantur Soph. 3, 8; III. Reg. 18, 38. et IV. Reg. 1, 10.

[3] Psalm. 38, 4, et deinde Luc. 24, 32.

[4] Vers. 12. — Sequitur Prov. 30, 5.

[5] Nonnulli codd., ut C D G, omittunt *autem.*

[6] Vers. 14, post quem Hebr. 9, 13. seq. — Beda, IV. in Luc. 12, 50: *Baptismo autem habeo baptizari;* sanguinis, inquit, proprii tinctione prius habeo perfundi, et sic corda credentium spiritus igne, quo terrena omnia simul et animam suam despicere, immo odire queant, inflammare etc.

[7] Vers. 1. et 2.

[8] Psalm. 87, 8.

[9] Vers. 39, post quem 20, 22.

[10] Vers. 3.

[11] Vers. 4; cfr. Ambros., VII. in Luc. 12. n. 133.

[12] Vers. 16, cui subiungitur Ier. 31, 3.

[13] De Laude caritatis. Pro *et hoc ligatus vincula iniquitatis destruxit* textus originalis *et homo ligatus vincula iniquitatis disrupit.* Pro *O quam forte* (ita H cum textu originali) alii codd. et Vat. *aeque forte,* et subinde voci *Deum* codd. praeligunt *hominem.*

[14] Vers. 4. — Duo seqq. loci sunt Ps. 118, 96. et II. Cor. 6, 11.

[15] Vers. 5, post quem Ioan. 4, 13. seq.

[16] Vers. 20. — Subinde allegatur Eph. 3, 17. seq.

[17] Vers. 5, cui subnectitur I. Ioan. 3, 16. — Glossa *interlinearis: Usque dum perficiatur,* ipsa passio.

[18] Vers. 28. et 30. Pro *quia... consummata sunt* C D H *quod... consummata erant,* et pro *emisit* (cfr. Matth. 27, 50.) Vulgata et Vat. *tradidit.*

« Sciens Iesus, quia omnia iam consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio ». « Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite, emisit spiritum ».

Tertio, de introducendo divortio affectus carnalis.

73. (Vers. 51.). Tertio quantum ad *introductionem divortii affectus carnalis* subiungit: *Putatis, quia*[1] *pacem veni dare in terram?* pacem scilicet terrenam. Hanc non venit dare, sed tollere, quia haec est pax *mala,* de qua Isaiae vigesimo octavo[2]: « Pepigimus foedus cum morte et cum inferno fecimus pactum ». — Hanc pacem vir iustus reprobat; in Psalmo[3]: « Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns »; quia talis pax est pax *prava;* Deuteronomii vigesimo nono: « Pax erit mihi, et ambulabo in pravitate cordis mei ». — Est pax *falsa;* Ieremiae sexto[4]: « Curabant contritionem filiae populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax, et non erat pax ». — Est pax *momentanea;* primae ad Thessalonicenses quinto[5]: « Cum dixerint: Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus ». — Est pax *deceptoria;* Ieremiae nono: « In ore pacem cum amico loquitur, et occulte ponit ei insidias ». — Est pax *turbativa;* in cantico, Isaiae trigesimo octavo[6]: « Ecce, in pace amaritudo mea amarissima »; Ecclesiastici quadragesimo primo: « O mors, quam amara est memoria tua homini habenti pacem in substantia sua »!

Terrenae pacis proprietates.

74. Haec pax est *inimica verae paci.* Nam Christi pax est pax *bona;* supra secundo[7]: « In terra pax hominibus bonae voluntatis »; ideo Apostolus: « Gratia vobis et pax ». — Est pax *vera;* ad Romanos decimo quarto[8]: « Regnum Dei est iustitia et pax et gaudium ». — Pax *permansiva;* Ioannis decimo quarto: « Pacem relinquo vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis ». — Est pax *directiva;* supra primo[9]: « Per viscera misericordiae, in quibus visitavit nos »; « ad dirigendos pedes nostros in viam pacis ». — Est pax *consolatoria;* Ioannis decimo sexto[10]: « Ut in me pacem habeatis; in mundo pressuram habebitis »; et ad Philippenses quarto: « Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras ». — Quoniam ergo per omnia contrariatur cum pace mundana; et contraria simul esse non possunt[11]: ideo non potest introduci ab auctore pacis nisi per dissolutionem huius fictae pacis.

Verae pacis proprietates.

Notandum.

75. Ideo subdit: *Non, dico vobis,* id est, assero vobis, quod non veni pacem dare, sed separationem, secundum illud Isaiae quinquagesimo secundo[12]: « Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere »; et secundae ad Corinthios sexto: « Exite de medio eorum et separamini, dicit Dominus »; et Matthaei decimo: « Veni enim separare hominem adversus patrem suum » etc. Et ratio huius est, quia dicitur ibidem: « Qui amat patrem aut matrem plus quam me non est me dignus »; et ideo infra decimo quarto[13]: « Si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus ».

Confirmatur.

76. (Vers. 52. 53.). Et propterea subdit: *Erunt enim ex hoc quinque in una domo divisi,* id est ab affectu carnali separati; et secundum illud Deuteronomii penultimo[14]: « Qui dixerit patri suo et matri suae: Nescio vos, et fratribus suis: Ignoro illos, et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum et pactum tuum servaverunt ». — Et subdit *modum* divisionis: *Tres in duos, et duo in tres dividentur*[15], id est personae, quae maxime videntur per carnem coniunctae, per spiritum caritatis erunt a carnali amore seiunctae. Nec mirum, si hoc fiat per verbum divinum, quia ad Hebraeos quarto: « Vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum » etc. — Et subdit *modum et exemplum: Pater in filium et filius in patrem*[16], scilicet *dividentur.* Chrysostomus: « Solus Deus animarum pater est. Carnalibus patribus praebet carnis obsequium, spirituali patri animae sanctitatem ». Nec tantum hoc erit in sexu virili, verum etiam in muliebri; ideo subdit: *Mater in filiam, et filia in matrem, socrus in nurum suam, et nurus in socrum suam.*

Notandum.

77. Et nota, quod *quinque personas* praemisit Dominus et *sex necessitudines* posuit: patris et filii, matris et filiae, nurus et socrus; quia una persona

---

[1] Codd. C D cum Ambrosio (VII. in Luc. 12, n. 134.) *quod.* — Subinde pro *dare* Vat. cum nonnullis codd. et Lyrano *mittere* (cfr. Matth. 10, 34.). — Inferius post *terrenam* H addit *et carnalem.*

[2] Vers. 15: *Percussimus foedus* etc.

[3] Psalm. 72, 3, post quem Deut. 29, 19.

[4] Vers. 14. Pro *cum ignominia* C D G *ad ignominiam,* de quo vide c. 8, 11: Et sanabant contritionem filiae populi mei *ad ignominiam,* dicentes: Pax, pax, cum non esset pax.

[5] Vers. 3. — Sequitur Ier. 9, 8.

[6] Vers. 17. (ex A D supplevimus *in cantico,* scil. Ezechiae), post quem Eccli. 41, 1, in cuius fine Vulgata et Vat. *in substantiis suis.*

[7] Vers. 14. — Verba Apostoli *Gratia vobis et pax* habentur in principio fere omnium Epistolarum suarum, sic Rom. 1, 7; I. Cor. 1, 3; II. Cor. 1, 2. etc.

[8] Vers. 17. — Sequitur Ioan. 14, 27.

[9] Vers. 78. et 79.

[10] Vers. 33. (codd. omittunt: *Ut in me pacem habeatis*), post quem Phil. 4, 7.

[11] Aristot., II. Periherm. c. 4. (c. 14.): Simul autem non contingit eidem inesse contraria.

[12] Vers. 11. — Subinde allegantur II. Cor. 6, 17; Matth. 10, 35. (ubi pro *patrem* codd. *fratrem*), et 37.

[13] Vers. 26. Cfr. Ambros., VII. in Luc. 12. n. 135. seq.

[14] Vers. 9. Codd. omittunt *suo* et *suae* ac *suis.*

[15] Pro *dividentur* (in Vulgata hoc verbo incipitur v. 53.) A C D G *dividuntur.* — Sequitur Hebr. 4, 12.

[16] Vat. cum Vulgata et nonnullis codd. addit *suum.* — Sententia Chrysost. habetur homil. 26. in Matth. 10, 37. (Op. imperfect.).

est mater et socrus simul[1]. Et ponit duos viros et tres mulieres, sive quia mulieres magis pronae sunt ad divisionem propter earum instabilitatem, sive quia plures sunt effeminati et carnales quam spirituales; unde primae ad Corinthios undecimo[2]: « Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi ». *Ad litteram* ita factum est, sicut dicit, post eius praedicationem; unde Glossa Bedae: « Post baptisma passionis, post adventum ignis totus orbis contra se divisus est; unaquaeque domus habuit fideles et infideles, his contra fidem, illis pro fide pugnantibus », secundum illud Zachariae octavo[3]: « Divisi omnes homines, unumquemque contra proximum suum »; et Ecclesiastici trigesimo tertio: « Intuere omnia opera Altissimi: duo contra duo, et unum contra unum »; Matthaei decimo: « Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium, et insurgent filii in parentes et morte eos afficient ».

Expositio spiritualis.

78. *Spiritualiter* « quilibet *homo* est domus vel Dei, vel diaboli[4] »; secundum quod est in eo pax mala, quae est peccati, *diabolus* est pater; Ioannis octavo: « Vos ex patre diabolo estis »; *caro* autem est nurus et mater; Ezechielis decimo sexto: « Pater tuus Amorrhaeus, et mater tua Cethaea », id est garrula. Tunc autem *dividitur* filius contra patrem et matrem et socrum, quando carnis relinquit desideria et abrenuntiat diabolo et pompis eius et ab eis dividitur per baptismum; unde Psalmus[5]: « Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me ». Ad istam divisionem faciendam oportet renasci denuo; Ioannis tertio: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei ». Ignis enim divini amoris et baptismus tam flaminis quam fluminis et sanguinis omnes dividit a domesticis inimicis[6]; et haec est efficacia adventus primi.

Pro reprehensione Iudaeorum afferuntur duo.

79. (Vers. 54.). *Dicebat autem et ad turbas* etc. Postquam invitavit ad vigilantiam, hic secundo *arguit negligentiam*, quae de gratia Christi venientis non curat[7]. Et habet haec pars duas. In quarum prima *redarguit negligentiam respectu gratiae cognoscendae;* secundo vero, *respectu poenitentiae faciendae*, ibi[8]: *Aderant autem quidam ipso tempore.* Nam Christus venit ad gratiam conferendam et poenitentiam praedicandam.

Divisio.

Primo redarguitur negligentia respectu gratiae cognoscendae tripliciter.

*Negligentiam* autem *respectu gratiae cognoscendae redarguit* propter tria, scilicet propter commonitionem *exterioris iudicii, interioris iudicii*[9] et *superioris edicti.*

Quoad primum.

Primo igitur quantum ad *commonitionem exterioris iudicii*, propter quam negligentia cognoscendi est reprehensibilis, dicit: *Dicebat autem et ad turbas: Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nimbus venit*, id est imber pluviae, *et ita fiet*[10], quia hoc est signum, cum caelum nube operitur, quod terris pluvia praeparetur; Psalmus: « Qui operit caelum nubibus et parat terrae pluviam ».

80. (Vers. 55.). *Et cum austrum flantem, dicitis: Quia aestus erit, et ita*[11] *fit;* Iob trigesimo septimo: « Nonne vestimenta tua calida erunt, cum perflata fuerit terra austro »?

81. (Vers. 56.). Et quia ex his sensibilibus manuducitur homo ad intelligentiam illorum quae illi considerare negligebant, ideo subdit: *Hypocritae, faciem caeli et terrae nostis probare; hoc autem*[12]

---

[1] Ambros., VII. in Luc. 12. n. 137: Qui sunt enim quinque, cum sex personarum facta videatur subiectio: patris et filii, matris et filiae, socrus et nurus? Quamquam eadem mater, quae socrus, accipi possit; quae enim mater est filii socrus eius uxoris est etc.

[2] Vers. 30. — Glossa Bedae est *ordinaria* in Luc. 12, 51.

[3] Vers. 10. Pro *Divisi* (ita etiam Card. Hugo in Luc. 12, 52.) Vulgata et Vat. *Dimisi.* — Duo seqq. loci sunt Eccli. 33, 15. (A C D G: *Intuere omnia opera Altissimi: unum contra unum ponit.* Pro *ponit* secunda manus in C substituit *etc.; propterea*), et Matth. 10, 21.

[4] Ambros., VII. in Luc. 12, n. 138: « Domus una, homo unus est. Unusquisque enim domus aut Dei est, aut diaboli... In hac ergo domo *duo in tres, et tres in duos* dividuntur. Duos legimus frequenter animam et corpus [Matth. 18, 19.]... Si duos agnovimus, etiam *tres* agnoscamus... Tres enim animae in corpore affectiones sunt: una rationabilis, alia concupiscibilis, tertia impetibilis [irascibilis]... Non ergo duo in duos, sed *duo in tres, et tres in duos dividentur;* etenim per adventum Christi homo, qui erat irrationabilis, rationabilis factus est » etc. — Subinde allegantur Ioan. 8, 44. et Ezech. 16, 3. Card. Hugo, in Luc. 12, 52: Moraliter: *pater*, mundus; *mater*, caro. Ezech. c. 16: *Pater tuus Amorrhaeus*, id est amaricans, *et mater tua Cethaea*, id est garrula (cfr. Hieron. in eundem loc.: *Amorrhaeus*, qui interpretatur λαλούμενος, id est *multo sermone celebratus, et mater tua Cethaea*, id est ἐξιστῶσα, *quae* vel *ipsa insanit*, vel *alios mittit in amentiam*).

[5] Psalm. 26, 10. — Sequitur Ioan. 3, 5.

[6] Respicitur Matth. 10, 36: Et inimici hominis domestici eius. Cfr. Mich. 7, 6.

[7] Cfr. supra n. 70. — Supra pro *invitavit* Vat. *excitavit.*

[8] Cap. 13, 1; pro *ipso tempore* (ita etiam Card. Hugo et Lyranus) Vulgata *ipso in tempore;* cfr. infra c. 13. n. 1. et 2.

[9] Vat. omittit *interioris iudicii.*

[10] Pro *fiet* (ita etiam Card. Hugo et Lyranus) H cum Vulgata *fit.* — Sequitur Ps. 146, 8. — Superius pro *imber pluviae* (ita Vat. et codd. praeter C, qui habet *nubes pluviae*), H *pluvia*, et subinde pro *praeparetur* A D *detur*, H *infundatur*. Cfr. Isidor., XIII. Etymolog. c. 10. n. 2-4: *Pluviae* dictae, quod fluant, quasi *fluviae... Nimbus* est densitas nubis intempesta et obscura, et inde *nimbus* a *nube*. Sunt autem nimbi repentinae et praecipites pluviae; nam pluvias vocamus lentas et iuges, quasi fluvias, vel quasi fluentes. *Imbres* autem et ad nubes et ad pluvias pertinent, dicti a Graeco vocabulo [ὄμβρος], quod terram *inebrient* ad germinandum etc.

[11] Vulgata omittit *ita*, quod tamen exhibetur etiam a B. Alberto et S. Thom. (Cat. aurea in Luc. c. 12. n. 14.). — Subinde allegatur Iob 37, 17.

[12] Plures codd., ut A C D, omittunt *autem*. Post *tempus* H addit *interlinearis: mei adventus;* in D secunda manus addidit *gratiae*. Cfr. Beda, IV. in Luc. 12, 56: Hoc *tempus*, hoc est vel primi, vel secundi dominici adventus; nam de utroque nonnulla praemiserat. — Superius pro *ad intelligentiam illorum* [B *spiritualium*] *quae* Vat. *ad intelligentiam quam.*

*tempus quomodo non probatis?* Ideo eos dicit *hypocritas,* quia magis profitebantur notitiam Scripturarum, sicut catholici, quam naturarum et stellarum, sicut astrologi; et tamen magis intendebant istis quam illis. Et hoc est hypocrisis in religione christiana, magis sollicitari circa naturalia quam circa gratuita. Unde Augustinus[1]: « Laudabilior est animus, cui nota est propria infirmitas, quam qui caelorum constellationes et terrarum fundamenta scrutatur ». Ideo Ecclesiastici tertio[2]: « Quae praecepit tibi Deus, cogita illa semper, et in pluribus operibus eius ne fueris curiosus ». Illi ergo sunt reprehensibiles, qui solliciti sunt considerare tempus huius pluviae et negligunt considerare tempus gratiae, cum per haec sensibilia manuduci possint ad spiritualia; unde reliquerunt patriam propter viam, et faciem Domini propter eius vestigia. Contra quos Augustinus in secundo de Libero Arbitrio[3]: « Vae his! qui dereliquerunt te ducem et oberrant in vestigiis tuis, qui nutus tuos pro te amant et obliviscuntur, quid innuas ».

Notandum.

82. Propter quod intelligendum, quod *nubes* insinuat carnem Christi; Isaiae decimo nono[4]: « Ascendet Dominus super nubem levem et ingredietur Aegyptum ». — *Apparitio nubis ab occasu* designat Christi carnem resurgentem et ascendentem; Psalmus[5]: « Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi ». — *Descensus nimbi et pluviae* descensum Spiritus sancti post Christi ascensionem designat; tertii Regum decimo octavo[6]: « Nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari ». « Et facta est pluvia grandis ». — Per *austrum flantem* flatus Spiritus sancti venientis in discipulos; Canticorum quarto: « Surge aquilo, et veni auster, perfla hortum meum ». Hoc factum est, Actuum secundo, quando « factus est repente de caelo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis ». — Per *aestum subsequentem* fervor intelligitur caritatis, qui omnes messes Ecclesiae maturavit; Proverbiorum decimo[7]: « Qui congregat in messe filius sapiens est; qui autem stertit aestate, filius confusionis » etc.

Expositio spiritualis allegorica.

83. *Moraliter* autem per *nubem venientem ab occasu* intelligitur dolor compunctionis ex memoria mortis nascens; per *nimbum* intelligitur imber lacrymarum; per *austrum flantem* devotio laetificans; per *aestum* devotio inflammans; Tobiae tertio[8]: « Post tempestatem tranquillum facit et post lacrymationem et fletum exsultationem infundit ». — Unde is est ordo descensus gratiae in cor nostrum, quia primo homo considerat finem suum et mortem, et deinde concipit dolorem, post haec prorumpit in lacrymas, deinde sentit consolationem, tandem inflammatur ad dilectionem; unde supra septimo[9] de poenitente peccatrice dicitur, quod « stans retro secus pedes Domini, lacrymis coepit rigare pedes eius et unguento ungebat » etc.

Item, moralis.

Notandum.

84. (Vers. 57.). Secundo quantum ad *commonitionem interioris iudicii* subditur: *Quid autem et a vobis ipsis*[10] *non iudicatis quod iustum est?* quasi dicat: etsi negligitis exteriorem commonitionem, non negligatis interiorem. Unde Ecclesiastici trigesimo primo[11]: « Cognosce quae sunt proximi tui ex te ipso », id est ex tuo naturali iudicatorio. Insertum est enim homini naturale iudicatorium, per quod dirigitur ad videndum et eligendum; Psalmus[12]: « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine »; et Isaiae quadragesimo sexto: « Redite, praevaricatores, ad cor »; ibi enim dictatur quod iustum est. Et inter omnia, quae iusta sunt, haec dictat ratio naturalis, quae dixit etiam Antiochus, secundi Machabaeorum nono[13]: « Iustum est subditum esse Deo, et mortalem hominem non paria Deo sentire ». Hoc ergo potissime est iustum, quod debet iudicare quilibet, scilicet Deum esse colendum et Christum honorandum et Spiritus sancti donum cum reverentia suscipiendum; quia, Ioannis quinto, « qui non honorificat Filium non honorificat Patrem » etc. Iustum est etiam iudicare, quod[14] « Deus iudicabit orbem terrarum in aequitate », et se ipsum iudicando praevenire illud iudicium, quia, primae ad Corinthios undecimo, « si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur » etc. Unde conscientia naturaliter remurmurat,

Quoad secundum.

Notandum.

[1] Sive Auctor libri de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 50: Laudabilior siquidem animus est, cui nota est miseria sua, quam qui, ea non respecta, vias siderum et naturas rerum scrutatur. — Superius pro *in religione christiana* Vat. *in christiano, scilicet.*

[2] Vers. 22. — Inferius vocibus *cum per haec* Vat. praefigit *maxime.*

[3] Cap. 16. n. 43. Pro *oberrant* B *oberraverunt.*

[4] Vers. 1, in quem Hieron. dicit: Quidam hanc totam prophetiam ad Salvatoris tempora referunt, quando ingressus est *super nubem levem,* id est corpus humanum, quod ex Virgine assumserat etc. — Pro *carnem Christi* Vat. *sanguinem Christi.*

[5] Psalm. 67, 5. — Beda, IV. in Luc. 12, 54: *Nubem orientem ab occasu,* carnem suam a morte resurgentem significat; ex illo enim omnibus terris imber evangelicae praedicationis infusus est. *Austrum flantem* ante aestus, tribulationes leniores ante iudicium.

[6] Vers. seq. 44. — Duo seqq. loci sunt Cant. 4, 16. et Act. 2, 2.

[7] Vers. 5.

[8] Vers. 22, ubi pro *facit* et *infundit* Vat. cum Vulgata *facis* et *infundis.*

[9] Vers. 38. Cfr. ibid. n. 70.

[10] Codd. *a vobismetipsis;* cfr. infra nota 12.

[11] Vers. 18. Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Quid autem et a vobis ipsis,* ex naturali ratione, *non iudicatis quod iustum est,* me esse Deum et ad iudicium venturum.

[12] Psalm. 4, 7, post quem Isai. 46, 8. — Origen., Homil. 35. in Lucam (habentur etiam in op. Hieron.): Nisi esset nobis natura insitum id quod iustum est, iudicandi, nunquam Salvator diceret: *Quare autem et a vobismetipsis* etc. Cfr. tom. II. pag. 901, nota 2; pag. 903, nota 9. et pag. 904, nota 4.

[13] Vers. 12. — Subinde allegatur Ioan. 5, 23, ubi pro *honorificat* codd. substituunt *honorat.*

[14] Ut dicitur Ps. 95, 13. — Sequitur I. Cor. 11, 31.

et ipsa etiam testatur, quod mala nostra non remanebunt inulta. Et ideo ex ipsa debemus sollicitari ad divinam gratiam promerendam; ad Romanos secundo[1]: « Cum gentes, quae Legem non habent, ea quae Legis sunt faciunt; eiusmodi Legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, quia ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia eorum » etc.

Quoad tertium.

85. (Vers. 58.). Tertium quantum ad *commonitionem superioris edicti* subdit: *Cum autem vadis cum adversario tuo ad principem in via*[2]. Beda: « *Adversarius* noster in via est sermo Dei contrarius nostris carnalibus desideriis in praesenti vita »; *princeps* noster est Christus; Isaiae trigesimo secundo: « Princeps ea quae digna sunt principe, cogitabit ». Ad hunc principem sermo Dei dirigit nos *triplici via,* scilicet *innocentiae,* de qua Psalmus[3]: « Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat »; via *poenitentiae;* Exodi octavo: « Viam trium dierum ibimus in solitudine »; via *sapientiae;* Proverbiorum quarto: « Viam sapientiae monstrabo tibi, ducam te per semitas aequitatis ». — Has vias petebat Propheta demonstrari sibi, dicens[4]: « Vias tuas demonstra mihi ». Has autem ostendit *exemplo;* Ioannis decimo quarto: « Ego sum via, veritas et vita »; ostendit *verbo;* Isaiae trigesimo: « Audies verbum praeceptoris tui. Haec via bona, ambulate in ea »; ostendit etiam *dono divinitus inspirato;* Sapientiae decimo[5]: « Iustum deduxit Dominus per vias rectas et ostendit illi regnum Dei ».

Hortatio.

86. Quoniam ergo sermo Dei dirigit nos per viam rectam, per quam carnalitas ire recusat; et ratio magis debet credere verbo Dei quam suggestioni carnali: ideo subdit: *Da operam liberari ab illo,* implendo *praecepta,* declinando *prohibita,* sperando *promissiones* et timendo *comminationes.* Qui haec facit securus est ab adversario; Ecclesiastici trigesimo sexto[6]: « Extolle adversarium et afflige inimicum ». Qui enim verbum divinum extollit inimicum, id est carnem, mundum et diabolum, affligit. Beda[7]: « Cum in hac vita praeparas te ad placitam faciem iudicis videndam; quamvis sermo Dei sit contrarius tuae carni, tamen eo utere sicut custodia data tibi in hoc itinere, ne contemptus te accuset ». — Ideo subdit: *Ne forte trahat te ad*[8] *iudicem,* id est Christum; Actuum decimo: « Ipse est, qui constitutus est iudex vivorum et mortuorum » etc. — *Et iudex tradat te exactori,* id est diabolo, qui exiget pro culpa poenam[9]; Iob tertio: « Non exaudierunt vocem exactoris ». — *Et exactor mittat te in carcerem,* scilicet infernum[10]; Isaiae vigesimo quarto: « Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum et claudentur ibi in carcere »; quia poena ista est irremediabilis.

Comminatio.

87. (Vers. 59.). Propterea subiungit: *Dico tibi, non exies*[11] *inde, donec novissimum minutum reddas,* id est nunquam, quia nunquam reddes. Beda[12]: « Reddit semper poenas pro peccatis patiendo, sed nunquam veniam assequendo ». Unde *donec* non ponit hic terminum, sicut nec ibi: « Dixit Dominus Domino meo etc., donec ponam » etc. Augustinus[13]: « *Donec* non terminum poenae significat, sed semper solves et nunquam persolves ». Et dicitur *persolvere novissimum minutum,* quia non tantum pro magnis, sed etiam pro minoribus reprobi puniuntur. Unde Chrysostomus[14]: « Si semel condemnatus missus fueris in carcerem, iam non solum pro gravibus peccatis, sed etiam pro verbo otioso, quod locutus es, exigentur a te supplicia ». In haec supplicia praecipitantur qui non custodiunt divina verba, quae mittunt hominem ad divinam gratiam et ad Christum; unde Ioannis quinto[15]: « Scrutamini Scripturas. Illae sunt quae testimonium perhibent de me ».

Notandum.

Epilogus.

88. Ex his igitur apparet, quod negligentia hominis ad Dei gratiam cognoscendam et suscipiendam est inexcusabilis, pro eo quod ad illam commonitione

---

[1] Vers. 14. et 15.

[2] Verba *in via* Vulgata et textus Graecus referunt ad sequentia. — Locus Bedae est IV. in Luc. 12, 58. Beda sequitur August., Serm. 9. (alias 96. de Tempore) c. 3. n. 3. et Serm. 109. (alias 1. de Verbis Domini) c. 3. n. 3; I. de Serm. Domini in monte, c. 11. n. 31. seq. Cfr. Serm. de Contemptu mundi (inter opera August.), c. 8; et Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 39. n. 5. — Subinde allegatur Isai. 32, 8.

[3] Psalm. 100, 6. — Duo seqq. loci sunt Exod. 8, 27. (Vat. cum Vulgata: *Viam trium dierum pergemus in solitudinem*) et Prov. 4, 11. Triplicem hanc viam etiam Card. Hugo proponit.

[4] Psalm. 24, 4. — Sequuntur Ioan. 14, 6. et Isai. 30, 21: Et aures tuae audient verbum post tergum monentis. Haec est via etc. — Inferius pro *Has autem ostendit* B *Has Christus ostendit.*

[5] Vers. 10.

[6] Vers. 9. — Beda, IV. in Luc. 12, 58: A quo [adversario] ipse liberatur, qui praeceptis eius humiliter subditur.

[7] In Glossa *ordinaria* in Luc. 12, 58. Post *sicut* C D G addunt *et,* et pro *data* C substituit *donata.*

[8] Codd. A C D H *apud,* ita etiam B. Albert. et S. Thom. (Cat. aurea in Luc. c. 12. n. 15.). — Sequitur Act. 10, 42. Cfr. Ambros., VII. in Luc. 12. n. 154. seq.

[9] Secundum Glossam *interlinearem* (cfr. Beda): *Exactori,* diabolo, qui poenam exigit pro reatu, quem suggessit (ita et H), Vat. *qui exigit peccata.* — Deinde allegatur Iob 3, 18, ubi pro *exaudierunt* C D *exaudivit,* G *exaudiunt,* Vulgata *audierunt.* Cfr. Gregor., IV. Moral. c. 35. n. 69.

[10] Glossa *interlinearis: In carcerem,* inferni. Vat. *infernalem.* — Sequitur Isai. 24, 22.

[11] Codd. A C D *exibis;* subinde post *donec* H cum Vulgata addit *etiam,* C D G *omne.* — De *minuto* cfr. Marc. 12, 42. et Matth. 5, 26.

[12] Libr. IV. in Luc. 12, 59, verba afferuntur secundum Glossam *ordinariam.* — Sequitur Ps. 109, 1. Glossa *interlinearis: Donec,* id est nunquam, sicut: *Donec ponam* etc.

[13] Libr. I. de Serm. Domini in monte, c. 11. n. 30: *Non exies inde, donec...* semper non exiturum esse; quia semper solvit novissimum quadrantem, dum sempiternas poenas terrenorum peccatorum luit.

[14] Homil. 11. in Matth. 5, 25. (Op. Imperfect.). — Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Novissimum minutum reddas,* id est, pro minimis peccatis puniaris.

[15] Vers. 39.

Liber triplex.

triplici excitatur, scilicet per librum *creaturae, conscientiae* et *Scripturae*, quasi per tres testes, quorum unus *exterior,* alter *interior,* tertius quasi *superior.* Quapropter, sicut dicitur ad Hebraeos secundo [1], « abundantius oportet nos servare ea, quae audivimus, ne forte pereffluamus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo factus est firmus, et omnis praevaricatio et inobedientia iustam mercedis accepit retributionem; quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem »?

## Capitulum XIII.

Secundo redarguitur negligentia respectu poenitentiae faciendae tripliciter.

1. *Aderant autem quidam in* [2] *ipso tempore.* Supra redarguit negligentiam respectu gratiae cognoscendae, hic redarguit negligentiam respectu *poenitentiae faciendae.* Et hoc quidem facit tripliciter: primo, *exemplo audito;* secundo, *exemplo assumto,* ibi [3]: *Sicut illi decem et octo* etc.; tertio, *exemplo adinvento* sive excogitato, ibi: *Dicebat autem hanc similitudinem.*

De exemplo audito tria.

Circa exemplum *auditum* hoc ordine procedit: primo proponitur *atrocitas supplicii,* secundo negatur *enormitas delicti,* et tertio concluditur *necessitas poenitendi.*

Primum.

2. (Vers. 1.). Primo ergo introducitur *narratio atrocitatis supplicii,* cum dicitur: *Aderant autem quidam in ipso tempore, nuntiantes* [4] *illi de Galilaeis,* scilicet dura et terribilia, quae maxime consueverunt recitari; unde et subdit: *Quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum,* secundum historiam. Narrat Iosephus [5], quod quidam erat in Galilaea, faciens se Messiam in Lege promissum, et multi de Galilaeis sequebantur ipsum, quibus assignaverat diem, quo ascensurus erat in caelum, videntibus illis, de monte Garizim. Videns autem Pilatus, quod multos seduxerat de tetrarchia Herodis, timuit, ne post eos seduceret eos qui erant de tetrarchia sua. Cum ergo dies assignata esset, et illi quos seduxerat, adorarent eum et sacrificarent ei; repente supervenit Pilatus et interfecit eos inter sacrificia eorum; et inter illos occidit qui faciebat se Christum. Unde de hoc potest intelligi illud Actuum quinto [6]: « Ante hos dies exstitit Theodas dicens, se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occisus est, et omnes, qui credebant ei, dissipati ». « Post hunc exstitit Iudas Galilaeus et avertit populum post se, et ipse periit, et omnes, quotquot consenserunt ei, dispersi sunt ». Et sic acerbitas fuit supplicii, quia *repente, graviter* et *in multitudine* traditi sunt in horrendam mortem.

Secundum.

3. (Vers. 2. 3.). Secundo quantum ad *negationem maioris enormitatis delicti* subditur: *Et respondens dixit illis: Putatis, quod hi Galilaei prae omnibus Galilaeis peccatores fuerint, quia talia passi sunt?* Hoc enim frequenter consuevit credi ab hominibus, qui iudicant secundum exteriora [7]; et tamen non est ita iudicandum. — Ideo subdit: *Non, dico vobis,* id est, assero, quod non erant prae aliis peccatores. Ideo non est temere iudicandum, sed potius formidandum, quia secreta sunt iudicia Dei; unde Ecclesiastae octavo [8]: « Vidi impios sepultos, qui, cum adhuc viverent, in loco sancto erant et laudabantur in civitate quasi iustorum operum »; et post: « Sunt iusti, quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum; et sunt impii, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant »; et iterum nono [9]: « Omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa aeque eveniunt iusto et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti hostias et sacrificia contemnenti ». Et ideo dicitur primae ad Corinthios quarto: « Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum

---

[1] Vers. 1-3. — De triplici libro cfr. IV. Sent. d. 43. a. 3. q. 1; Breviloq. p. II. c. 11. et 12; p. VII. c. 1.

[2] Cod. C omittit *in,* quae lectio convenit cum illa quae supra c. 12. n. 79. (ubi idem exhibetur ut secunda pars) posita est, cui paulo inferius n. 2. suffragantur A D F H.

[3] Vers. 4; tertium habetur v. 6, ubi post *Dicebat autem* H cum Vulgata addit *et,* quod etiam Beda et Card. Hugo omittunt. Idem recurrit inferius n. 11. — Pro *sive excogitato,* quod G omittit, A C D F H *sive excitato;* cfr. tamen inferius n. 11.

[4] Codd. C D F *annuntiantes.*

[5] Libr. XVIII. Antiq. Iud. c. 4. (alias 5.) n. 1. (ed. Firmin-Didot), ubi res hoc modo narratur: « Interea ne Samaritani quidem tumultu caruerunt. Concitat enim eos vir, qui mentiri pro nihilo ducebat et omnia ad iucundam a plebe gratiam faciebat, iubens, ut secum montem Garizin conscenderent, montium apud eos sanctitatis opinione celeberrimum; illisque asseverabat, se ostensurum ipsis, ubi eo pervenirent, sacra vasa a Moyse istic defossa atque recondita... et potentissimos eorum quos in fuga ceperant, interfecit Pilatus ». Cfr. Baron., I. Annal. an. 35. c. 26, qui ex Iustino (Dialog. cum Thryphone Iudaeo, n. 120.) putat, impostorem hunc fuisse *Simonem magum.* Cyrillus Alex., quem sequitur Theophylact., in Luc. 13, 1, ait: Videntur Galilaei sub praeside Pilato seditionem fecisse, dogmata sectantes *Iudae Galilaei,* cuius etiam Lucas in Apostolorum Actibus [5, 37.] meminit. Iudae autem dogma, sicut etiam Iosephus postremis Antiquitatum Iudaicarum libris [XVIII. c. 1. n. 1.] narrat, magnam prae se ferebat exactae religionis speciem etc. S. Bonav., Card. Hugo et B. Albert. nituntur iis quae narrat Petr. Comestor, Histor. scholast. in Evang. c. 94.

[6] Vers. 36. et 37. Pro *quadringentorum* codd. *quingentorum,* qui etiam dictionem *et ipse periit* transponunt post *dispersi sunt.*

[7] Lib. I. Reg. 16, 7: Homo enim videt ea quae parent, Dominus autem intuetur cor.

[8] Vers. 10. et 14.

[9] Vers. 2. — Subinde allegatur I. Cor. 4, 5.

et manifestabit consilia cordium ». Ut enim dicit Gregorius[1]: « Iudicia Dei non sunt temere discutienda, sed formidoloso silentio veneranda ».

Tertium. 4. Tertio quantum ad *conclusionem necessitatis poenitendi* subditur: *Sed nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter*[2] *peribitis;* Ecclesiastici secundo: « Qui timent Dominum custodiunt mandata illius et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius, dicentes: Si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini et non in manus hominum »; sed, sicut dicitur ad Hebraeos decimo[3], « horrendum est incidere in manus Dei viventis », quia in Psalmo: « Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit » etc.; et Ecclesiastici quinto: « Ne tardes converti ad Dominum et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictae disperdet te ».

'erditionis .usae duodecim. 5. Et nota, quod duodecim de causis *perit* aliquis, sicut colligitur ex Scripturis.

Primo, propter defectum *poenitentiae*, sicut habetur hic: « Si non habueritis poenitentiam, omnes similiter peribitis »; et Lucae decimo quinto[4]: « Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus! ego autem hic fame pereo »; quocontra dicitur secundae Petri tertio: « Patienter agit Deus propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad poenitentiam reverti ».

Secundo, propter defectum *providentiae;* Iob quarto[5]: « Quia nullus intelligit, in aeternum peribunt »; quocontra Ecclesiastici vigesimo tertio: « Doctrinam oris audite, filii, et qui custodierint illam non perient in labiis suis » etc.

Tertio, propter defectum *patientiae;* Matthaei vigesimo sexto[6]: « Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt »; Psalmus: « Peccator videbit et irascetur » etc.; quocontra Psalmus: « Non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem ».

Quarto, propter defectum *innocentiae;* Psalmus[7]: « Inimici defecerunt frameae in finem »; et post: « Periit memoria eorum cum sonitu » etc.; quocontra Iob quarto: « Recordare, obsecro, quis unquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt »?

Quinto, propter defectum *clementiae;* Psalmus[8]: « Increpasti gentes, et periit impius »; Ioannis undecimo: « Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat ».

Sexto, propter defectum *sapientiae;* Baruch tertio[9]: « Quoniam non habuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam »; quocontra Proverbiorum vigesimo quarto: « Cum inveneris sapientiam, habebis in novissimis spem, et spes tua non peribit » etc.

6. Septimo, propter defectum *credulitatis;* primae ad Corinthios decimo[10]: « Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt et a serpentibus perierunt »; quocontra Ioannis tertio: « Exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam ».

Octavo, propter defectum *caritatis;* secundae ad Thessalonicenses secundo[11]: « His qui pereunt, eo quod caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent »; quocontra dicitur Ioannis decimo septimo: « Nemo ex eis periit nisi filius perditionis » etc.

Nono, propter defectum *veritatis;* Proverbiorum decimo nono[12]: « Falsus testis non erit impunitus, et qui loquitur mendacia peribit »; et vigesimo primo: « Testis mendax peribit ».

Decimo, propter defectum *pacis et unitatis;* primae ad Corinthios decimo[13]: « Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt et perierunt ab exterminatore »; et Numerorum decimo sexto, de schismaticis, qui contra Dominum murmuraverunt « et descenderunt vivi in infernum, operti humo, et perierunt ».

Undecimo, propter defectum *liberalitatis;* Ecclesiastae quinto[14]: « Divitiae, congregatae in malum domini sui, perierunt in afflictione maxima », id est, perire fecerunt; et primae ad Timotheum ultimo: « Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et in laqueum diaboli et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem ».

Duodecimo, propter defectum *humilitatis;* Ecclesiastici octavo[15]: « Audax secundum voluntatem suam vadit, et simul cum stultitia illius peries »; quocontra Matthaei decimo octavo: « Non est voluntas ante Patrem vestrum, ut pereat unus ex his pusillis »; Ioannis decimo: « Oves meae vocem meam audiunt, et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum ».

7. (Vers. 4.). *Sicut illi decem et octo, supra*[16] *quos* etc. Hic *redarguit negligentiam poenitendi per exemplum assumtum*, quod est conforme ad exemplum auditum; in quo *praemittitur gravitas poenae,* De exemplo assumto tria.

---

[1] Vide supra pag. 264, notam 13.

[2] Cod. H *simul;* cfr. Card. Hugo: *Similiter peribitis*, vel *simul,* alia littera, et non erit locale, sed similitudinis. — Sequitur Eccli. 2, 21. seq. — Glossa *interlinearis: Sed nisi poenitentiam* etc., hic aperte notat, illos esse peccatores.

[3] Vers. 31, post quem Ps. 7, 13. et Eccli. 5, 8. seq.

[4] Vers. 17, cui subiungitur II. Petr. 3, 9.

[5] Vers. 20, et deinde Eccli. 23, 7, ubi A C D *Doctrinam patris audite* etc.

[6] Vers. 52. — Duo seqq. loci sunt Ps. 111, 10. et 9, 19.

[7] Psalm. 9, 7, post quem Iob 4, 7.

[8] Psalm. 9, 6, cui subnectitur Ioan. 11, 50.

Vers. 28. et subinde Prov. 24, 14.

[10] Vers. 9, ubi A C D F G: *Neque tentaveritis Christum* etc. — Sequitur Ioan. 3, 14.

[11] Vers. 10, post quem Ioan. 17, 12. Codd. *Nullus ex eis* etc.

[12] Vers. 5, in quo Vulgata et Vat. *non effugiet* pro *peribit*, et deinde 21, 28.

[13] Vers. 10, cui subiungitur Num. 16, 33.

[14] Vers. 12. seq.: *Divitiae conservatae in... pereunt enim in afflictione pessima.* — Subinde allegatur I. Tim. 6, 9.

[15] Vers. 18, in cuius fine A C D F *periet*, G *peribit.* — Duo seqq. loci sunt Matth. 18, 14. et Ioan. 10, 27. seq.

[16] Plures codd., ut D F H, *super;* idem recurrit paulo inferius.

et *negatur profunditas nequitiae*, et *concluditur necessitas poenitentiae*.

Primo igitur quantum ad *gravitatem et horribilitatem poenae* repentinae dicit: *Sicut illi decem et octo, supra quos cecidit turris in Siloa* [1] *et occidit eos*. Isti decem et octo Ierosolymitae erant, qui ad litteram aedificaverunt turrim iuxta Siloam, et ruina turris oppressi sunt quasi ex improviso; et hoc iusto iudicio Dei, quia Proverbiorum decimo septimo: « Qui altam facit domum suam quaerit ruinam eius » etc. — Primum.

8. (Vers. 4. 5.). Secundo quantum ad *negationem profunditatis nequitiae* subdit: *Putatis, quia et ipsi debitores fuerint praeter omnes homines habitantes in Ierusalem?* quia soli puniti sunt. — *Non, dico vobis*, quia certe multi alii erant peccatores in ea; Ieremiae quinto [2]: « Circuite vias Ierusalem et aspicite et considerate et quaerite in plateis eius, an inveniatis virum facientem iudicium et quaerentem fidem, et propitius ero ei ». — Secundum.

9. Tertio quantum ad *conclusionem necessitatis poenitentiae* subiungitur: *Sed si poenitentiam non habueritis* [3], *omnes similiter peribitis; similiter*, non quantum ad poenam corporalem, sed quantum ad spiritualem et gehennalem. Sicut enim super istos cecidit *turris*, sic super omnes reprobos cadet ille *lapis angularis*, de quo Matthaei vigesimo primo [4]: « Qui ceciderit super lapidem istum confringetur; super quem autem ceciderit, conteret eum ». Hic autem lapis, qui crevit in montem [5], recte dicitur *turris* propter fortitudinem et altitudinem; Proverbiorum decimo octavo: « Turris fortissima, nomen Domini ». Hos reprobos conteret haec turris in iudicio, secundum illud Ecclesiastici vigesimo septimo [6]: « Conteretur cum delinquente delictum » etc.; et tunc peribunt cum peccatis suis; Ieremiae decimo: « Vana sunt et opera eorum risu digna; in tempore visitationis suae peribunt ». Tales sunt qui opera poenitentiae negligunt et crucem Christi contemnunt; primae ad Corinthios primo [7]: « Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est, his autem, qui salvi fiunt, virtus est Dei in salutem » etc. — Tertium.

10. Nota autem, quod homo puniri consuevit decem de causis, videlicet ad *purgationem*, ut Maria, soror Moysi; Numerorum duodecimo [8]: « Apparuit Maria candens lepra quasi nix » etc. — Ad *probationem*, ut Iob; Iob secundo: « Egressus satan a facie Domini, percussit Iob ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem eius ». — Ad *humiliationem*, ut Paulus; secundae ad Corinthios duodecimo [9]: « Datus est mihi stimulus carnis meae, angelus satanae, qui me colaphizet », scilicet « ne magnitudo revelationum extollat me ». — Ad *glorificationem divinae potentiae*, ut caecus natus; Ioannis nono: « Neque hic peccavit neque parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo » etc. — Ad *commemorationem divinae clementiae*, sicut erat pater Ioannis Baptistae; Lucae primo [10]: « Ecce, eris tacens et non poteris loqui usque in diem » etc. — Ad *manifestationem divinae iustitiae*, sicut Herodes; Actuum duodecimo [11]: « Percussit eum Angelus Domini ». « Et consumtus a vermibus exspiravit »; et sicut Antiochus, secundi Machabaeorum decimo. — Ad *punitionem parentum;* Exodi vigesimo [12]: « Ego Deus, zelotes, vindicans peccata » etc.; propter quod pueri Sodomitae submersi sunt, Genesis decimo nono. — Ad *terrorem aliorum;* Proverbiorum decimo nono [13]: « Flagellato pestilente, sapientior erit stultus ». Sic et isti puniti sunt, de quibus agitur hic, ut ceteri terreantur. — Ad *exempla posterorum;* Tobiae secundo [14]: « Hanc tentationem permisit Deus evenire ei, ut posteris daretur exemplum patientiae ». — Ad *detestationem criminum*, sicut Dathan et Abiron, Numerorum decimo sexto [15]: « Dirupta est terra sub pedibus eorum, et aperiens os suum » etc. Et sic Giezi, quarti Regum quinto: « Lepra Naaman adhaerebit tibi et semini tuo usque in sempiternum »; et sic Ananias, Actuum quinto: « Cur tentavit satanas cor tuum » etc. In quo ostenditur, quantum oportet [16]

Punitionis causae decem. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Octava. Nona. Decima.

---

[1] Ita etiam Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 13. n. 1.) et Lyranus; cfr. August., Serm. 135. (alias 43. ex Homiliis 50) c. 1. n. 1. seq. et Serm. 136. n. 2, ubi pluries occurrit *Siloa*, pro quo hic et inferius Vulgata et Vat. *Siloe*, de quo vide tom. VI. pag. 373, notam 5. — Sequitur Prov. 17, 16.

[2] Vers. 1. — Glossa *interlinearis: Putatis, quia et ipsi debitores*, peccatores, *fuerint* etc.

[3] Vulgata *egeritis;* dein plures codd., ut A C F, *simul*, H legit *simul peribitisvel similiter;* cfr. supra pag. 337, nota 2. — Inferius pro *corporalem* Vat. cum paucis codd. *temporalem.*

[4] Vers. 44. Codd. A C D omittunt *de quo Matthaei... confringetur.* — Beda, IV. in Luc. 13, 4: Non frustra *decem et octo* [turre cadente occisi sunt], qui numerus apud Graecos ex ι et η, hoc est iisdem quibus nomen Iesu incipit, litteris exprimitur.

[5] Dan. 2, 35: Lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus etc. — Sequitur Prov. 18, 10.

[6] Vers. 3, post quem Ier. 10, 15.

[7] Vers. 18. Cfr. Rom. 1, 16, ubi recurrit *in salutem* (Virtus enim Dei est in salutem omni credenti), quod a Vulgata et Vat. omittitur.

[8] Vers. 10. — Sequitur Iob 2, 7.

[9] Vers. 7. — Subinde allegatur Ioan. 9, 3.

[10] Vers. 20. — Pro *commemorationem* Vat. *commendationem.*

[11] Vers. 23, post quem II. Machab. 10, 9.

[12] Vers. 5, ubi pro *vindicans peccata* Vulgata et Vat. *visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem.* — Sequitur Gen. 19, 25.

[13] Vers. 25, ubi pro *stultus* F G *parvulus.*

[14] Vers. 12.

[15] Vers. 31. — Duo seqq. loci sunt IV. Reg. 5, 27. et Act. 5, 3.

[16] In C manus secunda substituit *quisque debet.* — Card. Hugo affert *undecim causas* punitionis addendo: « Item ad maiorem cautelam, ut pueri Sodomitae, Gen. 19, qui, si vixissent, peiores essent et gravius punirentur ». Ipse pro ultimo membro (*ad detestationem criminum*) substituit *Item, ad sobrietatem*, Eccli. 31, 2: Infirmitas gravis sobriam facit animam.

detestari scissuram, simoniam et apostasiam; ideo statim sic puniti fuerunt.

11. (Vers. 6.). *Dicebat autem*[1] *hanc similitudinem: Arborem fici habebat* etc. Hic tertio subditur exemplum *excogitatum* sive adinventum de infructuosa ficulnea excidenda; sub cuius metaphora intelliguntur tria circa animam, quae negligit poenitentiam, scilicet *defectus negligentiae* in non fructificando, *rigor sententiae* in comminando et *utilitas*[2] *poenitentiae* in rimediando.

exemplo excogitato tria.

Primo ergo quantum ad *defectum negligentiae in fructificando* dicit: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua*, scilicet ad fructum suscipiendum ex ea, quem tamen tollit negligentia. — Unde subdit: *Et venit, quaerens fructum in illa, et non invenit.* Per *vineam* intelligitur congregatio ecclesiastica; Isaiae quinto[3]: « Vinea Domini exercituum domus Israel est ». Per *ficum infructuosam*, sed foliis plenam, intelligitur anima, quae recusat poenitentiam propter negligentiam; Ioelis primo[4]: « Posuit vineam meam in desertum et ficum meam decorticavit, nudans spoliavit eam et proiecit, albi facti sunt rami eius ». Haec ficus est *foliis* plena, quando verbis abundat ad excusationem suam; Genesis tertio[5]: « Consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata ». Et haec est Domini maledictione digna; Matthaei vigesimo primo: « Videns fici arborem, nihil invenit in ea nisi folia tantum et ait illi: Nunquam ex te nascatur fructus ».

Primum.

12. (Vers. 7.). Secundo quantum ad *rigorem sententiae in comminando* subdit: *Dixit autem ad cultorem vineae: Ecce, anni tres sunt, ex quo venio, quaerens fructum in ficulnea hac, et non invenio.* Per *tres annos* intelligitur pueritia, adolescentia et iuventus, in quibus negligit quis poenitentiam agere, secundum illud Iob vigesimo quarto[6]: « Dedit ei Deus locum poenitentiae, et ipse abutitur eo in superbiam ». *Cultor istius vineae* est praedicator et maxime praelatus, de quo primae ad Corinthios tertio: « Ego plantavi, Apollo rigavit ». Unde Augustinus Contra quinque Haereses[7]: « Ubi estis, o boni agricolae, quid agitis, quare vacatis? et videtis, quot malis plena sit terra: hinc spinae, hinc tribuli, hinc foenum surgit. Spinas incendite, tribulos eradicate, foenum secate et semina bona spargite. Non terreat hiems; etsi abundet iniquitas, tamen ferveat vestra caritas. Serite hieme quod metatis aestate » etc. — Tali agricolae negligenti competit comminari severitatem divini iudicii; propter quod subdit: *Succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat?* id est, denuntia eam succidendam, secundum quod dicebat Ioannes Baptista Matthaei tertio[8]: « Facite fructum dignum poenitentiae ». « Iam enim securis ad radicem posita est. Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur »; et Paulus ad Romanos secundo[9]: « An ignoras, quia benignitas Dei ad poenitentiam te adducat? Tu autem secundum duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei »; et David in Psalmo: « Propterea Deus destruet te in finem et evellet te et emigrabit te de tabernaculo tuo et radicem tuam de terra viventium ».

Secundum. Tres anni. Cultor vineae. Comminatio.

13. (Vers. 8.). Tertio quantum ad *necessitatem poenitentiae in remediando* subiungit: *At ille respondens dixit*[10] *illi: Domine, dimitte illam et hoc anno*, id est in tempore senectutis, *usquedum fodiam circa illam et mittam stercora*, id est, donec reducam ad memoriam ei suam fragilitatem et eius iniquitatem. *Fodit* enim qui se humiliat; Isaiae secundo[11]: « Ingredere in petram, abscondere in fossa humo a facie timoris Domini et a gloria maiestatis eius »; et quarti Regum tertio: « Facite alveum torrentis huius fossas et fossas ». Unde Glossa[12]: « *Fossa* quippe in imo est, et increpatio, dum mentem sibi demonstrat, humiliat ». *Stercora mittit* qui peccatum ad memoriam reducit; unde Glossa Bedae[13]: « *Mittam stercora*, id est, malorum quae fecit abominationem ad animum reducam, et compunctionis gratiam cum fructibus boni operis quasi de pinguedine stercoris exsuscitem ». « Peccata enim[14] *stercora*

Tertium.

---

[1] Cfr. supra pag. 336, nota 3.

[2] Vat. *necessitas*, quod etiam codd. inferius n. 13. exhibent.

[3] Vers. 7. Cfr. Ambros., VII. in Luc. 13. n. 161, seqq.; et Beda, IV. in Luc. 13, 6, secundum quos specialiter (ex Isaia) *vinea*, domus Israel est; *ficus* autem, synagoga, generaliter autem natura generis humani. Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 31. n. 2.

[4] Vers. 7.

[5] Vers. 7, post quem Matth. 21, 19. — Glossa *ordinaria* (ex Ambros., VII. in Luc. 13. n. 164. seq.) in Luc. 13, 6: In origine humani generis Adam et Eva cum peccassent, de foliis ficulneae *succinctoria sibi fecerunt*. Per folia ergo ficulneae intelliguntur peccata. Erant autem sub arbore fici tanquam sub umbra mortis, de quibus dictum est [Isai. 9, 2.]: Qui sedebant sub umbra mortis, lumen ortum est eis.

[6] Vers. 23. — Sequitur I. Cor. 3, 6.

[7] Cap. 6. n. 8. (Opusculum istud est inter Opera Augustini, Bedae iam notum). Pro *quot malis* (ita textus originalis) C D F *quod malis*, H *quibus malis*, Vat. *quo malo*.

[8] Vers. 8. et 10. — Glossa *interlinearis: Succide*, annuntia, quod perdituri sint locum et gentem, pro quo servando Christum occiderunt et suos [secundum Bedam].

[9] Vers. 4. et 5. — Sequitur Ps. 51, 7.

[10] Ita etiam Beda, Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 13. n. 2.), Gorranus et Lyranus; Vulgata *dicit*. Pro *illi*, quod C D omittunt, H cum Lyrano *ei*.

[11] Vers. 10. (pro *timoris* codd. *formidinis*, quod occurrit v. 19.), post quem IV. Reg. 3, 16.

[12] Scilicet *ordinaria*, ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 31. n. 5, quem sequitur Beda, IV. in Luc. 13, 8. Codd. voci *humiliat*, textu originali repugnante, praefigunt *et*, Vat. legit *quando increpatio mentem sibi demonstrat et humiliat*.

[13] Scilicet *ordinaria*. Pro *pinguedine* (ita codd. cum Glossa) Vat. cum Beda *putredine*.

[14] Ut ait Gregor., loc. cit.: Peccata etenim carnis stercora vocantur; unde et per Prophetam [Ioel 1, 17.] dicitur: *Computruerunt* etc. Ibid. dicitur: Quid est cophinus stercoris nisi memoria peccatorum? — Subinde allegatur Thren. 4, 5.

dicuntur; unde Ioelis primo: *Computruerunt iumenta in stercore suo »;* et Threnorum quarto: « Qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora ». Horum recogitatio fecundat animam; unde Isaiae trigesimo octavo[1]: « Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae »; et Ieremiae trigesimo primo: « Statue tibi speculam; pone tibi amaritudines ». Sicut autem fructificat arbor, quando circa eam mittuntur stercora, sic et anima, dum peccatorum suorum recordatur.

14. (Vers. 9.). Ideo subdit: *Et si quidem fecerit fructum,* supple: dimittes eam; et est locutio figurativa, in qua deficit dictio necessaria, sed tamen communis est modus loquendi[2]. — *Sin autem, in futurum succides illam*[3], scilicet in senio gladio iudicialis sententiae; Canonica Iudae: « Arbores infructuosae, autumnales, bis mortuae, quibus procella tenebrarum reservatur in aeternum ». — Vel *succides*, per mortem; Deuteronomii vigesimo[4]: « Si qua ligna non sunt pomifera, sed agrestia, succides ea »; et Iob quarto: « De mane usque ad vesperam succidentur; et quia nullus intelligit, in aeternum peribunt ».

Promissio conditionata.

Soccisio.

15. Et nota, quod cum sint sex hominis aetates quasi sex anni, scilicet *infantia, pueritia, adolescentia, iuventus, senectus* et *senium*[5]; in *prima* aetate non quaerit fructum Dominus propter liberi arbitrii defectum; in *secunda* vero requirit aliquo modo, scilicet in *pueritia,* in *adolescentia* magis et in *iuventute* maxime; exspectat tamen negligentem frequenter usque ad *senectutem,* et tunc tandem ad extremum profert severitatem sententiae super negligentem[6].

Sex aetates hominis.

16. Potest autem hoc *allegorice* exponi de synagoga, in qua Dominus *quaesivit fructum* in *tribus aetatibus* mundi intermediis, in quibus synagoga viguit, et adhuc ad poenitentiam exspectat; vel in *triplici tempore,* scilicet Patriarcharum, Iudicum et Regum, et tandem *exspectavit* tempore Prophetarum. Et quia non fuit conversa ad verba eorum, ideo *succisa* est in Christi adventu[7].

Expositio allegorica.

Vel isti tres anni referuntur ad tempus *triplicis legis,* scilicet naturae, Scripturae et gratiae; sed haec sufficienter exponuntur in Glossa[8].

17. Secundum autem *morum informationem spiritualiter* notandum, quod *arbor infructuosa succiditur,* maxime quae per triennium fructum non facit; in quo intelligitur recte homo negligens ad opera virtutis; et quidem recte per *ficum infructuosam* negligentia humana arguitur: primo, quia ficus habet folia multa et magna, et in illo potissime arguitur negligentia illius qui magna habet verba; Ecclesiastici quarto[9]: « Noli citatus esse in lingua tua et inutilis et remissus in operibus tuis »; quocontra Osee decimo: « Vitis frondosa Israel, fructus adaequatus est ei ». — Secundo, quia folia ficus sunt manui similia; et in illo potissime reprehenditur negligentia eius qui alios ad operandum invitat; ad Romanos secundo[10]: « Qui alium doces te ipsum non doces » etc.; quocontra dicitur Actuum primo: « Coepit Iesus facere et docere » etc. — Tertio, quia fructus ficus est suavis; ideo merito ipsius carentia negligentiam designat, et praesentia ipsius designat opus virtutis, quod est suave et valde delectabile; « nam[11] qui continet et hoc ipso gaudet, ille solus est castus ». — Sunt autem opera virtutum suavia virtuti inchoatae, suaviora proficienti, sed suavissima iam perfectae; propter quod Iudicum nono: « Quomodo possum deserere dulcedinem meam fructusque suavissimos et ire, ut inter cetera ligna promovear »?

Expositio moralis de negligentia.

Ratio triplex.

Notandom.

18. Habere autem dicitur ficus *fructus suavissimos* ad designandum triplex genus fructuum. Quidam enim sunt *suaves,* ut fructus poenitentiae; quidam *suaviores,* ut fructus iustitiae; sed quidam *suavissimi,* ut fructus sapientiae. Haec tria genera fructuum quaerit Dominus in tribus annis, quia in triplici statu. Nam fructus *poenitentiae* quaeritur[12]

Triplex genus fructuum.

---

[1] Vers. 15. et deinde Ier. 31, 21.

[2] A grammaticis dicta *aposiopesis.*

[3] Vat. et H cum Vulgata *eam;* Gorranus tamen exhibet *illam*, qui etiam pro *in futurum* cum Gregorio (II. Homil. in Evang. homil. 31. n. 5.) et C D G H substituit *in futuro.* — Immediate post Vat. omittit *scilicet in senio.* — Sequitur Iudae v. 12. seq., ubi pro *reservatur* Vulgata et Vat. *servata est.*

[4] Vers. 20, cui subiungitur Iob 4, 20.

[5] Cfr. Breviloq. Prolog. § 2; in Hexaëm. collat. 15. n. 12. seqq. et collat. 16. n. 2. seqq.

[6] Vat. *adversus negligentem.*

[7] Cfr. supra pag. 339, nota 3. — Superius pro *vel in triplici* Vat. *ut in triplici.*

[8] Scilicet *ordinaria* (ex Ambros., VII. in Luc. 13. n. 166.) apud Lyranum in Luc. 13, 7. Cfr. etiam Glossa *ordinaria* in Luc. 13, 6. Verba Ambrosii sunt: Venit ad Abraham, venit ad Moysen, venit ad Mariam, hoc est venit in signaculo, venit in Lege, venit in corpore. Adventum eius ex beneficiis recognoscimus etc. Cfr. August., Serm. 110. (alias 31. de Verbis Domini) c. 1. n. 1: *Arbor ficulnea* genus humanum est. *Triennium* autem tria sunt tempora: unum ante Legem, alterum sub Lege, tertium sub gratia. Vide Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 31. n. 2. seq.

[9] Vers. 34, post quem Osee 10, 1. Cfr. Ambros., VII. in Luc. 13. n. 161. seq. (ex quo Glossa *ordinaria* apud Lyranum in Luc. 13, 6.). Vide etiam Matth. 21, 19; Marc. 11, 13. et Bedam, in hos locos.

[10] Vers. 21, cui subiungitur Act. 1, 1. — Superius post *invitat* Vat. addit *cum ipse nihil operetur.*

[11] Ut ait Aristot., II. Ethic. c. 3. — Sequitur Iudic. 9, 13. — Superius pro *quod est suave et valde delectabile* A C D F G *quod est virtuosum* [in D secunda manus delevit *virtuosum*, in C vero secunda manus addidit *et*] *valde delectabile.* Inferius post *suavia* Vat. prosequitur *virtutem inchoanti; suaviore virtute proficienti, suavissima iam virtute consummato.*

[12] In D secunda manus substituit *requiritur,* in F, qui primitus habuit *quae videtur* (fortasse legendum *quidem),* recens manus in margine *redditur vel quaeritur.*

ab incipientibus, fructus *iustitiae* a proficientibus, fructus autem *sapientiae* a perfectis.

Primo igitur in *primo anno* requirit *fructum poenitentiae*, de quo supra tertio [1]: « Facite dignos fructus poenitentiae ». Hic autem fructus in tribus consistit: primo in *resecatione superfluitatis;* Ieremiae secundo: « Induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructum eius et bona illius ». *Carmelus* interpretatur scientia circumcisionis et designat resecationem superfluitatis. — Secundo in *mortificatione carnis;* Ioannis duodecimo [2]: « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit » etc. — Tertio in *purificatione mentis;* Isaiae vigesimo septimo: « Dimittetur iniquitas domui Iacob, et hic omnis fructus eius, ut auferatur peccatum eius ».

a primo an-o requiritur fructus oenitentiae triformis.

19. In *secundo anno,* scilicet in statu proficientium, requirit Dominus *fructum iustitiae;* de quo ad Philippenses primo [3]: « Sitis sinceres sine offensa, repleti fructu iustitiae per Iesum Christum, in gloriam et laudem Dei ». — Hunc fructum *concordia inchoat* sive seminat; Iacobi tertio [4]: « Fructus autem iustitiae in pace seminatur facientibus pacem »; Iob vigesimo secundo: « Habeto pacem, et per hanc habebis fructus optimos ». — *Clementia patefacit et provehit;* Psalmus [5]: « Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum » etc.; unde in Psalmo iterum: « A fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt ». — *Patientia conservat;* Iacobi quinto [6]: « Ecce, agricola exspectat pretiosum fructum terrae, patienter ferens » etc.; et ad Hebraeos duodecimo: « Omnis disciplina in praesenti quidem non est gaudii, sed moeroris; postea autem affert fructum pacatissimum ». — Sed *perseverantia recolligit;* Lucae vigesimo primo [7]: « Videte ficulneam et omnes arbores: cum producunt ex se fructum, scitis, quoniam prope est aestas »; Proverbiorum ultimo de muliere forti dicitur, quod « de fructu manuum suarum plantavit vineam ».

n secundo, fructus in-stitiae qua-driformis.

20. In *tertio anno* requirit *fructum sapientiae,* de quo Proverbiorum tertio [8]: « Primi et purissimi fructus eius ». Hic autem fructus est *speciosissimus* ad speculandum; Deuteronomii trigesimo tertio: « De benedictione Domini terra eius, de pomis fructuum solis et lunae ». — *Fragrantissimus* ad odorandum; Ecclesiastici vigesimo quarto [9]: « Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis »; Canticorum quarto: « Emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus ». — *Sapidissimus* ad degustandum; Canticorum secundo [10]: « Sub umbra illius quem desideraveram, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo »; et Canticorum quinto: « Veniat dilectus meus in hortum suum et comedat fructum pomorum suorum » etc. — *Pretiosissimus* ad possidendum; Proverbiorum octavo [11]: « Melior est fructus meus auro et lapide pretioso, et genimina mea argento electo ». — *Sempiternus* ad perdurandum; Sapientiae tertio: « Bonorum laborum gloriosus est fructus, et quae non concidat, radix sapientiae »; quia sapientia hic inchoatur et durat in sempiternum.

i tertio, fru-ctus sapien-ae quinqui-formis.

Cum igitur Dominus requirat in arbore, quam plantavit, in primo statu fructum *poenitentiae*, et ille sit *triformis;* in secundo fructum *iustitiae*, et iste sit *quadriformis;* in tertio fructum *sapientiae,* et iste sit *quinquiformis:* requirit igitur duodecim fructus in arbore plantata. In cuius figuram dicitur Apocalypsis vigesimo secundo [12]: « Ex utraque parte fluminis lignum vitae, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum et folia ligni ad sanitatem gentium ». Epilogus.

**Secundo confutantur calumniantes miracula ex parte circumstantiae temporis secundum duplicem opportunitatem.**

21. *Erat autem docens in synagoga* etc. Pars illa, in qua Salvator confutat dolositatem Iudaeorum calumniantium, divisa fuit in duas partes secundum duplicem modum calumniandi miracula Christi, scilicet ex parte *causae efficientis* et ex parte *circumstantiae temporis* [13]. Prima parte determinata, hic incipit secunda. Et dividitur haec pars in duas secundum duplicem temporis opportunitatem: in prima calumniantes Christi miracula, quia fiebant in Sabbato, confutat in *concilio;* in secunda vero confutat in *convivio*, ibi: *Et factum est, cum intraret,* in decimo quarto capitulo [14]. Divisio.

**Confutatio, quae fit in concilio, de qua duo.**

Prima pars dividitur in duas. Primo enim *confutat* eos qui dicebant, Sabbato non facienda esse miracula; secundo vero, occasione accepta, *ostendit,* Subdivisio.

---

[1] Vers. 8. — Subinde allegatur Ier. 2, 7, in quo pro *ut comederetis* C D F *ut comedatis.* Hieron., de Nominib. Hebraic., de Regnor. lib. III.: *Carmelus*, tenellus, aut mollis, sive scientia circumcisionis.

[2] Vers. 24. — Sequitur Isai. 27, 9, ubi pro *domui* C D F *domus,* et post *fructus* Vulgata omittit *eius* (A F G omittunt in fine *eius,* pro quo in C D secunda manus substituit *illius).*

[3] Vers. 10. seq. Pro *sinceres* Vat. cum Vulgata *sinceri.*

[4] Vers. 18, post quem Iob 22, 21.

[5] Psalm. 1, 3, cui subiungitur Ps. 4, 8.

[6] Vers. 7. — Sequitur Hebr. 12, 11.

[7] Vers. 29. et deinde Prov. 31, 16.

[8] Vers. 14. — Subinde allegatur Deut. 33, 13. seq. — Inferius pro *ad speculandum* Vat. *ad videndum.*

[9] Vers. 23, cui subnectitur Cant. 4, 13.

[10] Vers. 3, post quem 5, 1.

[11] Vers. 19. — Subinde allegatur Sap. 3, 15.

[12] Vers. 2, in cuius fine pro *gentium* C D F G *viventium.* — Aliquanto superius pro *quam plantavit* A C D *quam plantaverit.*

[13] Supra c. 11. n. 36. — Superius pro *dolositatem Iudaeorum calumniantium* Vat. *Iudaeorum pervicaciam calumniantium miracula sua.*

[14] Vers. 1.

quod sine intermissione facienda sunt opera bona, ibi[1]: *Dicebat: Cui simile est regnum Dei?*

In confutatione tanguntur quatuor.

Circa *confutationem* autem calumniantium miracula propter Sabbatum procedit hoc modo. Primo praemittitur *operatio curationis mirificae.* Secundo adiungitur *obiurgatio superstitionis Iudaicae,* ibi[2]: *Respondens autem archisynagogus* etc. Tertio subiungitur *confutatio obiectionis propositae,* ibi: *Respondens autem ad illum Domi ius.* Quarto subinfertur *assecutio gloriosae victoriae,* ibi: *Cum haec diceret, erubescebant* etc. — Circa *operationem* autem *curationis mirificae* introducuntur tria, scilicet *solemnitas diei* et *gravitas inveterati morbi* et *virtuositas*[3] *accelerati miraculi.*

Operatio curationis describitur tripliciter.

De primo.

22. (Vers. 10.). Primo igitur quantum ad *solemnitatem diei sacri* dicit: *Erat autem docens in synagoga eorum Sabbatis.* — Nota, quod Dominus Sabbatis docebat sive propter *conservandam Iudaeorum consuetudinem;* Actuum decimo quinto[4]: « Moyses a temporibus antiquis habet in civitatibus singulis qui eum praedicant in synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur ». — Sive etiam propter *doctrinae publicationem,* quia tunc tanquam in die solemni magis communiter verbo Dei erant intenti; Ioannis decimo octavo: « Ego semper docui in synagogis, ubi omnes Iudaei conveniunt ». — Sive quia Sabbatum erat *dies quietis,* et ipse venerat annuntiare pacem et quietem; unde ad Ephesios secundo[5]: « Veniens evangelizavit pacem vobis, qui fuistis longe, et pacem his qui prope ». — Sive etiam, quia praeceptum de Sabbato, quod spectabat ad caritatem, praecipue erat *figura temporis gratiae,* in quo praecipitur: « Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem », Ioannis decimo quinto. — Sive etiam propter *servandum ordinem;* quia ibi debuit incipere *reparatio,* ubi terminata est *conditio;* Genesis secundo[6] dicitur, quod « complevit Deus die septimo opus suum, quod fecit ». « Et benedixit diei septimo » etc. — Sive ad *dandam informationem,* quod intentus sapientiae ab omnibus debet cessare, secundum illud Ecclesiastici trigesimo octavo[7]: « Sapientiam scribe in tempore vacuitatis ». — Sive etiam ex septima causa, ut *ostenderet se dominum Legis et Sabbati,* faciendo miracula in Sabbato; Ioannis quinto: « Pater meus operatur usque modo, et ego operor. Propter hoc ergo quaerebant eum Iudaei interficere, quia non solum solvebat Sabbatum, sed etiam Patrem suum dicebat esse Deum, aequalem se faciens Deo ».

Christus docebat Sabbatis ob septem rationes.

De secundo.

23. (Vers. 11.). Secundo quantum ad *gravitatem inveterati morbi* subdit: *Et ecce, mulier, quae habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo,* quantum ad infirmitatis *diuturnitatem;* Ecclesiastici decimo[8]: « Languor prolixior gravat medicum, brevem languorem praecidit medicus ». — *Et inclinata erat,* quantum ad infirmitatis *gravitatem,* secundum quod ille lugebat: « Miser factus sum et curvatus usque in finem » etc. — *Nec omnino poterat sursum respicere,* per infirmitatis *continuitatem,* secundum illud Threnorum primo[9]: « Dedit me in manu, de qua non potero surgere ».

Expositio spiritualis.

24. Potest autem per hanc *incurvationem longaevam* intelligi morbus *avaritiae* et cupiditatis, quae incurvat cor ad temporalia; Psalmus[10]: « Oculos suos statuerunt declinare in terram ». Et hoc quaerunt daemones; Isaiae quinquagesimo primo: « Incurvare, ut transeamus ». — Haec infirmitas curvativa durat per *decem et octo annos,* id est per senarium triplicem, hoc est per totum tempus vitae; quia, ut dicit Hieronymus[11], cum cetera vitia senescant in senibus, sola avaritia iuvenescit; et Ecclesiastae secundo dicitur de avaro: « Cuncti dies eius doloribus et aerumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit »; et Osee septimo: « Comederunt alieni robur eius, et ipse nescivit; sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit ». — Haec etiam infirmitas *non sinit respicere sursum;* unde dicitur Matthaei sexto[12]: « Ubi est thesaurus tuus, ibi et cor tuum »; et Psalmus: « Supercecidit ignis », scilicet cupiditatis, « et non viderunt solem », ne recordarentur etc.

---

[1] Vers. 18. Post *Dicebat* FH cum Vulgata addunt *ergo;* cfr. infra n. 37.

[2] Vers. 14; tertium habetur v. 15. et quartum v. 17: *Et cum haec* (ita etiam codd. infra n. 33.) etc.

[3] Vat. *solemnitas Dei* (!), *gravitas inveterata morbi, virtus.*

[4] Vers. 21. — Sequitur Ioan. 18, 20.

[5] Vers. 17. — Subinde allegatur Ioan. 15, 12.

[6] Vers. 2. et 3. Ambros., IV. in Luc. 4. n. 58: *Sabbato* medicinae dominicae opera coepta significat, ut inde nova creatura coeperit, ubi vetus ante desivit; nec sub Lege esse Dei Filium, sed supra Legem in ipso principio designaret; nec solvi Legem, sed impleri etc.

[7] Vers. 25: *Sapientia scribae* etc.; cfr. tamen tom. VI. pag. 66, nota 1. et pag. 107. nota 3. Glossa *ordinaria* (ex Ambros., VII. in Luc. 13. n. 173.) in Luc. 13, 10: *Sabbatis* docet et curvam erigit, quia per verbum praedicationis a temporalibus ad aeterna erectos ad quietem resurrectionis perducit. — Sequitur Ioan. 5, 17. seq., in quo voci *quaerebant* Vat. cum Vulgata praefigit *magis.*

[8] Vers. 11. seq. — Subinde allegatur Ps. 37, 7.

[9] Vers. 14. — Superius pro *per infirmitatis* Vat. *ob infirmitatis.*

[10] Psalm. 16, 11, cui subiungitur Isai. 51, 23. Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 31. n. 6.

[11] Serm. 48. ad Fratres in eremo (inter opera August.): Omnia in homine senescunt vitia, sola avaritia iuvenescit. — Duo seqq. loci sunt Eccle. 2, 23. et Osee 7, 9. — August., Serm. 110. (alias 31. de Verbis Domini) c. 2. n. 2: Quid illa mulier *decem et octo* annos habens in infirmitate? Sex diebus Deus perfecit opera sua. Ter seni decem et octo faciunt. Quod ergo significavit *triennium* in arbore [cfr. supra pag. 340, nota 7.], hoc decem et octo anni in illa muliere. Cfr. Gregor., loc. cit.

[12] Vers. 21, post quem Ps. 57, 9. Glossa *interlinearis* (ex Gregor., loc. cit.): *Et ecce, mulier, quae habebat spiritum infirmitatis,* amorem terrenorum, *annis decem et octo; et erat inclinata,* a rectitudine mentis, *nec... sursum respicere,* quia qui semper videt quod semper cogitat, et ubi diu sponte persistit, ibi, etiam cum noluerit, cadit coactus.

De tertio.

25. (Vers. 12.). Tertio quantum ad *virtuositatem accelerati miraculi* subiungit: *Quam cum vidisset*[1] *Iesus,* scilicet *oculo pietatis;* Psalmus: «Quoniam prospexit de excelso sancto suo»; « ut audiret gemitus compeditorum et solveret filios interemptorum »; et quarti Regum vigesimo: « Audivi orationem tuam, vidi lacrymas tuas ». — *Vocavit eam ad se,* per *affectum benignitatis;* Ioannis undecimo[2] dixit Martha Mariae: « Magister adest et vocat te »; et quarti Regum quarto: « Voca Sunamitidem hanc et dic ei: Quid vis, ut faciam tibi »? — *Et ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua,* per *promissum veritatis;* unde ratione certitudinis ponit praeteritum pro futuro proximo; Numerorum vigesimo tertio[3]: « Non est Deus ut homo, ut mentiatur »; « dixit ergo, et non faciet? Locutus est, et non implebit » ?

uare Christus imposuerit manum.

26. (Vers. 13.). *Et imposuit illi manus, et confestim erecta est et glorificabat Deum,* quantum ad *effectum virtutis;* Ecclesiastae octavo[4]: « Omne, quod voluerit, faciet, et sermo illius potestate plenus est ». Ideo autem *manus imponit,* ut ostendat, quod ipse est manus, per quam Omnipotens operatur cuncta et per quam reparat universa; Isaiae quinquagesimo nono[5]: « Ecce, non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat »; et Numerorum undecimo dixit Dominus ad Moysen: « Nunquid manus Domini invalida est? Nunc videbis, utrum meus sermo opere impleatur». Et propterea Ecclesiastici trigesimo sexto: « Innova signa et immuta mirabilia, glorifica manum et brachium dextrum ».

Quatuor fiunt in salvatione spirituali.

27. Et nota, quod hic quatuor dicit de incurvatione huius mulieris, quae Dominus exercet in *salvatione cuiuslibet animae fidelis.* Nam primo *videt* praedestinando; Sapientiae quarto[6]: « Respectus eius in electos illius ». — Secundo vero *vocat* exterius attrahendo; Matthaei nono[7]: « Non veni vocare iustos, sed peccatores »; et Proverbiorum nono: « Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem et ad moenia civitatis ». — Tertio *manum imponit* iustificando; Ezechielis tertio[8]: « Abii amarus in indignatione spiritus mei; manus enim Domini erat mecum confortans me »; et supra primo: « Etenim manus Domini erat cum illo ». — Quarto *erigit* glorificando; primi Regum secundo[9]: « Suscitat de pulvere egenum et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus et solium gloriae teneat ». — De his quatuor similiter dicitur ad Romanos octavo: « Quos praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et iustificavit; et quos iustificavit, illos et magnificavit ».

Obiurgatio archisynagogi describitur per duo.

28. (Vers. 14.). *Respondens autem archisynagogus* etc. Hic secundo subditur *obiurgatio superstitionis Iudaicae*[10]. Circa quam primo introducitur *commotio zeli inordinati in animo;* secundo, *simulatio zeli ordinati in verbo.*

Primum.

Primo igitur quantum ad *commotionem zeli inordinati in animo* dicit: *Respondens autem archisynagogus indignans, quia in*[11] *Sabbato curasset Iesus,* quasi dicat, quod eius responsio ex indignatione animi originem traxit. Haec autem indignatio oriebatur ex praesumtione iustitiae; unde solum « *vera* iustitia compassionem habet, sed *falsa* iustitia indignationem[12] ». Haec autem falsa iustitia erat aemulatrix Legis quantum ad observantiam Sabbati, sed aemulatione stulta; ad Romanos decimo[13]: « Aemulationem Dei habent, sed non secundum scientiam; ignorantes enim Dei iustitiam et suam volentes statuere, iustitiae Dei non sunt subiecti ». Unde stulta praesumtio parit *aemulationem,* et aemulatio *indignationem,* et indignatio *legis divinae transgressionem,* secundum illud Proverbiorum vigesimo nono[14]: « Qui ad indignandum facilis est erit ad peccatum proclivior ». Unde stultus legis zelator est ipsius legis destructor; propter quod ad Galatas primo: « Supra modum persequebar Ecclesiam Dei et expugnabam illam »; « abundantius aemulator existens paternarum mearum traditionum » etc. — Notandum.

Secundum.

29. Secundo quantum ad *simulationem zeli ordinati in verbo* subdit: *Dicebat turbae: Sex dies sunt, in quibus oportet operari;* ecce, *allegatio veritatis;* Exodi vigesimo[15]: « Sex diebus operaberis

---

[1] Ita etiam Gregor. (II. Homil. in Evang. homil. 31. n. 7.), Beda, Card. Hugo, B. Albert. et Lyranus; Vat. cum Vulgata et H *videret.* — Duo seqq. loci sunt Ps. 101, 20. seq. et IV. Reg. 20, 5. — Superius pro *virtuositatem* Vat. *virtutem.*

[2] Vers. 28, cui subiungitur IV. Reg. 4, 12. seq.

[3] Vers. 19. Cfr. supra c. 1. n. 66. in fine.

[4] Vers. 3. et 4.

[5] Vers. 1. — Duo seqq. loci sunt Num. 11, 23. et Eccli. 36, 6. seq., ubi pro *mirabilia* A C D F *invariabilia.* Cfr. supra c. 11. n. 46.

[6] Vers. 15. — Glossa *interlinearis* (ex Beda) in Luc. 13, 12. seq.: *Quam cum vidisset Iesus,* praedestinando per gratiam, *vocavit* etc., illustrando per doctrinam, *et imposuit illi manus,* spiritualibus donis adiuvando, *et confestim erecta est,* ad glorificandum Deum, usque in finem perseverando in bonis operibus. — Superius pro *salvatione* Vat. *sanatione.*

[7] Vers. 13, post quem Prov. 9, 3.

[8] Vers. 14, cui subnectitur Luc. 1, 66.

[9] Vers. 8, ubi A C D F G: *Suscitat de pulvere et de stercore erigens pauperem* etc. — Subinde allegatur Rom. 8, 30, in cuius fine pro *magnificavit* (ita iam in Comment. in Rom. inter opera Ambrosii, P. Lombard., Card. Hug. Lyran.) Vulgata *glorificavit.*

[10] Cfr. supra n. 21. — Inferius pro *zeli ordinati in verbo* Vat. *zeli inordinati in verbo* (Ita etiam hic unus alterque cod., qui tamen infra n. 29. cum aliis convenit).

[11] Vulgata, quam sequuntur H et Vat., omittit *in.*

[12] Ut dicit Gregor. supra c. 9. n. 81. allegatus.

[13] Vers. 2. et 3, ubi pro *volentes* Vat. cum Vulgata *quaerentes.* — Glossa *interlinearis: Respondens autem archisynagogus, indignans,* ut aemulator litterae Legis.

[14] Vers. 22, ubi pro *peccatum* Vulgata *peccandum.* — Subinde allegatur Gal. 1, 13. seq. Pro *persequebar* A C D F G *persecutus sum.*

[15] Vers. 9. et 10. — Superius pro *ordinati* Vat. *inordinati.*

omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini est ». — *In his ergo venite et curamini;* ecce, *simulatio pietatis,* unde sibi competit quod dicitur secundae ad Timotheum tertio [1] de simulatoribus: « Speciem pietatis habentes, abnegantes virtutem ». — Cum dicit: *Et non in die Sabbati;* ecce, *ostentatio sanctitatis,* quia tanquam *sanctus* diem Sabbati ostendebat se velle servari ut *sanctum,* secundum illud Levitici vigesimo tertio [2]: « Sex diebus operaberis, septimus dies, quia Sabbatum requietionis est, vocabitur *sanctus* ». Unde Iudaei dicebant Ioannis nono: « Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit »; sed diei sancti observantia in archisynagogo potius erat ad *simulationem iustitiae* quam ad *impletionem,* secundum illud Isaiae primo [3]: « Neomeniam et Sabbatum et solemnitates alias non feram ». « Calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea ». Et ratio huius est, quia potius servabant ad superstitionem quam propter devotionem; unde Threnorum primo: « Viderunt eam hostes et deriserunt Sabbata eius ».

30. (Vers. 15.). *Respondens autem ad illum* etc.

Confutatio obiectionis fit per duo. Hic tertio subiungitur *confutatio obiectionis propositae* [4]; circa quam primo praemittit *exemplum sensibile,* deinde elicit *argumentum rationabile.*

Primo igitur praemittens *exemplum sensibile,* Primum. dicit: *Respondens autem ad illum Dominus dixit: Hypocrita* [5]. Ut *Dominus* respondet, quia dicitur Matthaei septimo, quod « erat docens sicut potestatem habens ». Et hoc faciebat potissime, cum alios increpabat, sicut illum quem *hypocritam* vocat, quia eius occulta videbat; unde primae ad Corinthios quarto [6]: « Qui iudicat me Dominus est ». Ipse enim novit abscondita cordis, et maxime odit vitium hypocrisis. Ideo Ecclesiastici primo: « Ne fueris hypocrita in conspectu hominum »; « ne revelet Deus abscondita tua et in medio synagogae elidat te », sicut fecit huic, quem exemplo evidenti et sensibili confutat et convincit. — Ideo subdit: *Unusquisque vestrum in* [7] *Sabbato non solvit bovem suum aut asinum a praesepio et ducit adaquare?* Glossa: « Merito *hypocritas* simulatores vocat, qui, cum magistri plebium videri appetant, sanationem hominum non verentur postponere curae pecorum ». In istis impletur illud Isaiae quinquagesimo septimo [8]: « Iustus perit, et non est qui recogitet in corde suo ». Et illud etiam hodie impleri videtur, secundum illud Bernardi: « Perit anima, et non est qui curet; cadit asina, et est qui sublevet ». *Hypocritam* ergo vocat eum qui, zelum Legis simulans, magis curat de pecore vel pecunia quam de anima.

31. (Vers. 16.). Secundo, eliciens *argumentum rationale,* subiungit: *Hanc autem filiam Abrahae, quam alligavit satanas, ecce, decem et octo annis,* cui debetur misericordia, et quia mulier infirma ex sexu; primae Petri tertio [9]: « Quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem »; et quia infirma ex oppressione daemonis; unde Matthaei decimo quinto [10]: « Miserere mei, fili David, quia filia mea male a daemonio vexatur »; quia etiam erat de semine Abrahae, quem Deus sibi elegerat; unde Matthaei decimo quinto [11]: « Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel ». — Ex his ergo causis opportunis multo fortius colligitur, quod curatio mulieris propter Sabbatum non debuit differri. — Ideo subdit: *Non oportuit solvi a vinculo isto die Sabbati?* Immo certe oportuit, quia opportunitas temporis fuit: tum quia in infinitum maior cura debet esse de salute hominis quam bruti animalis; propter quod primae ad Corinthios nono [12]: « Nunquid de bobus cura est Deo »? Tum etiam, quia Sabbatum non est introductum in praeiudicium hominis, sed potius in salutem humani generis; unde Ioannis septimo [13]: « Si circumcisionem accipit homo in Sabbato, ut non solvatur Sabbatum; mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato »? Tum etiam, quia Sabbato vetantur omnia *servilia;* unde Levitici vigesimo tertio [14]: « Omne opus servile non facietis in eo », non autem opera *spiritualia;* unde Matthaei duodecimo: « Non legistis, quia Sabbatis sacerdotes in templo Sabbatum violant et sine crimine sunt »? Non vetantur etiam opera *divina et miraculosa;* unde Ioannis quinto [15]: « Pater meus usque modo operatur, et ego operor »; et nono: « Me oportet operari, donec dies est ». Non vetantur etiam opera *necessaria ad sanitatis conservationem,* ut comedere et bibere: igitur nec *ad curationem.*

Secundum (margin) · Ratio triplex. (margin) · Notandum (margin)

32. Ex quo [16] datur intelligi, quanta homini debeat esse sollicitudo et diligentia, ut peccator de laqueis diaboli absolvatur; ut etiam, si fieri possit, Corollarium

---

[1] Vers. 5.

[2] Vers. 3. (cfr. ibid. 16, 31.), post quem Ioan. 9, 16.

[3] Vers. 13. et 14. — Subinde allegatur Thren. 1, 7, in quo pro *eius* A C D F *sua.*

[4] Cfr. supra n. 21. — Inferius retinuimus cum Vat. et nonnullis codd., ut F H, *rationabile;* alii vel *rationale,* vel sunt dubiae lectionis; idem recurrit infra n. 31.

[5] Vulgata *Hypocritae.* — Sequitur Matth. 7, 29.

[6] Vers. 4. — Sequuntur Eccli. 1, 37. et 39. — Inferius pro *sicut fecit huic* (Ita D) alii codd. et Vat. *sicut fecit hunc.*

[7] Vat. cum Vulgata omittit *in.* — Glossa seq. est *ordinaria* (ex Beda), in qua H cum textu originali voci *simulatores* praefigit *id est.*

[8] Vers. 1. — Sententia Bernardi habetur IV. de Considerat. c. 6. n. 20. Pro *curet* textus originalis *reputet.*

[9] Vers. 7. — Superius A C H *intelligitur,* loco *mulier;* pro *infirma* H *fragilis.*

[10] Vers. 22. — Superius pro *oppressione* Vat. *expressione.*

[11] Vers. 24. — Aliam rationem adducit H *et quia diuturna erat infirmitas.* Inferius pro *opportunis* Vat. *optimis.*

[12] Vers. 9. Cfr. supra c. 12. n. 10. et 36.

[13] Vers. 23, ubi pro *Sabbatum* H et Vat. cum Vulgata *lex Moysi.*

[14] Vers. 8, post quem Matth. 12, 5.

[15] Vers. 17. et 9, 4. Cfr. III. Sent. d. 37. dub. 3.

[16] Codd. A D F G addunt *unum,* H (C a secunda manu) *nimirum.* Subinde pro *debeat* C D F H *debet.*

nec modicum retardetur; Proverbiorum sexto [1]: « Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebrae tuae; discurre, festina, suscita amicum tuum ». In cuius signum dicitur de filio prodigo revertente infra decimo quinto: « Cum adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius et misericordia motus est, et accurrens, cecidit super collum eius et osculatus est eum ». — Et nota, quod non est aliud, filiam Abrahae *solvi a vinculo satanae*, quam animam *solvi a reatu culpae;* unde Glossa [2]: « Filia Abrahae, quaeque fidelis anima ». Hanc solvit Christus ministerio sacerdotum; Matthaei decimo octavo: « Amen dico vobis, quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo ». Sed oportet, quod homo se ipsum disponat quasi *ab interiori;* Isaiae quinquagesimo secundo [3]: « Solve vincula colli tui, captiva filia Sion ». Et tunc Deus operatur *a superiori;* Psalmus: « Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis ». Unde in hac solutione operantur *sacerdotes* per exteriorem dispensationem Sacramenti, et *peccator* per interiorem detestationem peccati, et *Deus* per superiorem infusionem gratiae Spiritus sancti.

Notandum.

33. (Vers. 17.). *Et cum haec diceret* etc. Hic quarto subiungit *assecutionem gloriosae victoriae* [4] quantum ad duo, quae hic introducuntur, scilicet *confusio rebellium* et *laetificatio fidelium.*

Assecutio victoriae describitur quoad duo.

Primo ergo quantum ad *confusionem rebellium* dicit: *Et cum haec diceret, erubescebant omnes adversarii eius;* Glossa [5]: « *Adversarii,* scribae et Pharisaei, qui nec apertae veritati contradicere possunt nec propter invidiam credere volunt ». De talibus Iob vigesimo quarto: « Ipsi rebelles fuerunt lumini et nescierunt vias eius ». Tales non instruuntur, sed confunduntur, cum veritas declaratur; Isaiae quadragesimo primo [6]: « Ecce, confundentur et erubescent omnes, qui pugnant adversum te; erunt quasi non sint, et peribunt viri, qui contradicunt tibi. Quaeres eos, et non invenies viros rebelles tuos » etc.

Primum.

34. Secundo quantum ad *laetificationem fidelium* subdit: *Et omnis populus gaudebat in universis, quae gloriose fiebant ab eo;* Beda [7]: « *Populus,* id est simplices et humiles, verba veritatis et miracula amantes ». Hi gaudent de manifestatione gloriae divinae; unde Isaiae vigesimo nono [8]: « Pauperes homines in sancto Israel exsultabunt »; *exsultabunt,* inquam, *in universis, quae gloriose fiebant ab eo;* Ecclesiastici quadragesimo secundo: « Gloria Domini plenum est opus eius ».

Secundum.

Et nota, quod opera Christi erant *gratiosa* quantum ad *condescensionem divinae dignationis,* et de his est *regratiandum;* Tobiae duodecimo [9]: « Benedicite Deum caeli et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam ». Erant etiam *gloriosa* quantum ad *operationem virtutis* et *manifestationem maiestatis,* et de his est *gaudendum* et *exsultandum;* Psalmus [10]: « Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius. Dicite Deo: Quam terribilia sunt opera tua! in multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui ».

Opera Christi gratiosa et gloriosa.

35. Possunt autem haec *allegorice* exponi de Ecclesia ex gentibus congregata [11], quae per triplicem annorum senarium fuit *recurva:* hoc est sub dictamine legis naturae, legis Moysaicae et etiam prophetiae; in quorum quolibet opera facta sunt ad sex dies spectantia, hoc est opera servilia, quae ex timore fiebant. Et haec non possunt animam sursum erigere, quia timor deprimit, et solus amor sursum erigit; unde supra primo [12]: « Erexit nobis cornu salutis in domo David »; et hoc fit per spiritum caritatis; Ezechielis secundo: « Et ingressus est in me spiritus et statuit me super pedes meos ». — Haec *solvitur die Sabbati,* sicut *bos et asinus,* qui ducuntur adaquari, quia Ecclesia ista congregata est ex populo *Iudaico* et *gentili,* qui per *bovem* et *asinum* habent intelligi, secundum illud Isaiae primo [13]: « Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui »; et trigesimo secundo: « Beati, qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini ». Utrumque autem Dominus solvit, et *Iudaeos* ad Ecclesiam venientes de onere servitutis legalis et *gentiles* de vinculo servitutis idololatriae; ad Ephesios secundo [14]: « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum et medium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua, Legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipsum in unum novum hominem, faciens pacem » etc. — De hac autem solutione *confunditur* populus Iudaeorum Christo adversantium, et *exsultat* populus gentilium, secundum illud Matthaei octavo [15]: « Multi

Expositio allegorica.

---

[1] Vers. 4. et 3. — Sequitur Luc. 15, 20. — Superius pro *ut etiam* Vat. *unde etiam;* H legit *ut, si fieri posset, nec modicum* etc.

[2] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 13, 16, cui subiungitur Matth. 18, 18.

[3] Vers. 2. — Subinde allegatur Ps. 115, 16. seq.

[4] Cfr. supra n. 21.

[5] Scilicet *ordinaria,* post quam Iob 24, 13.

[6] Vers. 11. et 12.

[7] Sive Glossa *ordinaria* in hunc loc.

[8] Vers. 19. — Subinde allegatur Eccli. 42, 16.

[9] Vers. 6.

[10] Psalm. 65, 1. seqq. Codd. A C D F omittunt *omnis terra.*

[11] Cfr. Ambros., VII. in Luc. c. 13. n. 175; Beda, IV. in Luc. 13, 16, ex quo est Glossa *ordinaria* in eundem loc.

[12] Vers. 69, cui subnectitur Ezech. 2, 2.

[13] Vers. 3. et 32, 20, quos Hieron. eodem modo exponit.

[14] Vers. 14. seqq. Pro *in semetipsum* Vat. cum Vulgata *in semetipso,* Card. Hugo legit *in se ipso in uno novo homine* etc. — Superius pro *de onere* et *de vinculo* Vat. *ab onere* et *a vinculo.*

[15] Vers. 11. et 12, post quos Act. 13, 46. seq. Retinuimus cum Vat. integrum textum, dum codd. vel solum usque *ad indignos* vel usque *ad gentes* allegant substituuntque *repulistis* pro *repellitis* (consequenter etiam *iudicastis* pro *iudicatis).*

ab oriente et occidente venient et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob » etc. « Filii autem regni mittentur in tenebras exteriores », et hoc propter rebellionem. Unde Actuum decimo tertio: « Vobis oportebat primum loqui regnum Dei; sed quoniam repellitis illud et indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce, convertimur ad gentes; sic enim praecepit nobis Dominus ».

In ostensione boni faciendi Christus incitat dupliciter.

36. *Dicebat ergo: Cui simile* etc. Postquam confutavit calumniantes miracula in Sabbato facta, hic secundo ostendit, quod *sine cessatione facienda sunt opera bona.* Et primo ad hoc incitat per *manuductionem naturalis exempli;* secundo vero, per *manifestationem divini decreti,* ibi [1]: *Et ibat per civitates et castella.*

Primo, per duplex exemplum.

Manducit igitur per *exemplum* dupliciter: per quorum primum informamur ad *proficiendum continue in notitia veritatis;* per secundum vero, ad *proficiendum in fervore caritatis,* ibi [2]: *Et iterum dixit: Cui simile.*

Doctrina exempli primi quoad tres proprietates.

Primo igitur *continuum profectum in notitia veritatis* ostendit sub metaphora *grani sinapis,* et hoc tripliciter, videlicet quantum ad *proprietates,* quas granum sinapis habet secundum *se ipsum* [3] et in quantum *seminatum* et in quantum *augmentatum.*

De prima.

37. (Vers. 18.). Primo igitur quantum ad *proprietatem grani sinapis secundum se ipsum,* per quam assimilatur notitiae veritatis, dicit: *Dicebat ergo: Cui simile est regnum Dei, et cui simile aestimabo* [4] *illud? Regnum caelorum* dicitur hic veritatis notitia vel doctrina; unde Beda in Glossa: « Regnum caelorum praedicatio est Evangelii, de qua alibi: *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius,* secundum illud Matthaei vigesimo primo ». Haec notitia recte dicitur *regnum,* quia revera regnum caelorum non est aliud quam perfecta notitia divinae veritatis; Ioannis decimo septimo [5]: « Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum ».

Proprietas notitiae veritatis.

38. (Vers. 19.). Et haec in patria est *sublimis* et *iucunda,* sed in via debet esse *humilis* et *fervida,* in cuius designationem subdit: *Simile est grano sinapis.* Ideo *grano sinapis* assimilatur, quia ipsum est *modicum mole* et *magnum in virtute* sive fervore; in quo insinuatur, quod nostra notitia debet esse *humilis,* secundum illud ad Romanos undecimo [6]: « Noli altum sapere, sed time »; et duodecimo: « Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, et unicuique sicut divisit Deus mensuram fidei », quia, ut dicitur Proverbiorum undecimo, « ubi humilitas, ibi et sapientia » etc. Insinuatur etiam, quod debet esse *fervida* et ardens; unde Glossa Bedae [7]: « Notitia Scripturarum *grano sinapis* comparatur pro fervore fidei, vel quia venena dicitur expellere, id est omnia dogmata pravitatis ». Ideo dicitur infra decimo septimo: « Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare et transplantare in mare, et obediet vobis ».

De secundo.

39. Secundo, quantum ad *proprietatem ipsius in quantum seminatum* subdit: *Quod acceptum homo misit in hortum suum.* Per *hortum* istum intelligitur Ecclesia militans; Canticorum quarto [8]: « Hortus conclusus, fons signatus, soror mea sponsa, hortus conclusus ». Hic est *hortus voluptatis,* « ubi crescunt semina virtutum [9] »; in quo primo *seminandum* est semen fidei; sed hoc fit per *hominem,* quia praedicatio fidei per humanum ministerium seminatur; in cuius rei figuram Genesis secundo: « Tulit Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum ». Talis fuit Paulus; primae ad Corinthios tertio [10]: « Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit ». Hominis enim, id est rationalis et prudentis, est praedicare documenta fidei; summus autem seminator huius fidei fuit Christus, qui *homo* dicitur antonomastice, secundum illud Psalmi [11]: « Nunquid Sion dicet: Homo et homo natus est in ea » etc. Unde et ipse vocat se ubique *Filium hominis,* quia homo fuit

---

[1] Vers. 22. — Cfr. supra n. 21, ubi divisio principalis huius partis et subdivisio. [2] Vers. 20.

[3] Codd. C H *per se ipsum.*

[4] Codd. C D H cum Beda *existimabo.* — Glossa Bedae est *interlinearis* in Marc. 4, 30: « *Cui assimilabimus regnum Dei,* Beda: Praedicatio Evangelii, quae ducit ad regnum Dei, de qua dicitur [Matth. 21, 43.]: *Auferetur a vobis regnum* » etc. Beda, II. in Matth. 13, 31; I. in Marc. 4, 30. et IV. in Luc. 13, 18. seq., sequitur Hieron., II. Comment. in Matth. 13, 31. seq. Secundum Glossam tam *ordinariam* quam *interlinearem* in Luc. 13, 18. seq. per *regnum Dei* sive caelorum intelligitur « fides, per quam venitur ad regnum ». Cfr. Ambros., VII. in Luc. c. 13. n. 176. seq.

[5] Vers. 3.

[6] Vers. 20, post quem 12, 3. et Prov. 11, 2. Cfr. Serm. 87. (alias 31. de Sanctis et post 81. in Appendice) in Appendice August. n. 1: Magnum autem [granum sinapis] dixerimus non specie, sed *virtute,* et non fidei qualitate oleris comparandum, sed *vigore* acrimoniae coaequandum... Sicut enim granum sinapis prima fronte speciei suae est parvum... at ubi teri coepit, statim odorem suum fundit, acrimoniam exhibet... ita ergo et fides christiana prima fronte videtur esse parva... at ubi diversis tentationibus teri coeperit, statim vigorem suum prodit etc. (hic sermo adscribitur etiam Ambrosio). Cfr. supra pag. 318, nota 2, ubi de quantitate molis et virtutis.

[7] Scilicet *interlinearis.* Loco *pro fervore fidei* (ita etiam Glossa) Vat. cum Beda, qui sequitur August. (I. Qq. Evangelior. q. 11.) *ob fervorem fidei.* — Subinde allegatur Luc. 17, 6.

[8] Vers. 12. — Glossa *interlinearis* (cfr. Hieron., II. Comment. in Matth. 13, 32.): *Quod acceptum,* acceptabile habens, *homo,* Deus in iusto, vel iustus vir in corde suo granum praedicationis fovet, *misit in hortum suum,* ubi crescunt germina virtutum. Beda, IV. in Luc. 13, 19: *Homo,* Christus; *hortus* est Ecclesia semper eius et disciplinis excolenda et donanda muneribus.

[9] Secundum Glossam *interlinearem* in praecedente nota allegatam. — Sequitur Gen. 2, 15.

[10] Vers. 6. — Inferius pro *et prudentis* (ita C E H) nonnulli codd. *et praedicantis,* Vat. *et praelati.*

[11] Psalm. 86, 5.

in eo secundum plenissimam rationem et quantum ad perfectionem et quantum ad infirmitatem; ad Philippenses secundo[1]: « In similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo ». Et hic *homo seminavit* hoc semen, cum doctrinam Evangelii praedicavit; Matthaei decimo tertio[2]: « Simile est regnum caelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo ». Huic homini adversatur qui praedicat falsitates. Unde subditur ibi: « Cum autem dormirent homines », id est praelati, « venit inimicus homo et superseminavit zizania in medio tritici » etc.

De tertia. 40. Tertio quantum ad *proprietatem ipsius in quantum augmentatum* subdit: *Et crevit et factum est in arborem magnam;* quod dicitur quantum ad profectum fidei in robore virium. Unde Glossa[3]: « Crescit, non sicut herbae, quae cito arescunt et corruunt, sed sicut arbor, quae longa annositate et inopinata fertilitate gaudet »; ad Colossenses primo[4]: « In verbo veritatis Evangelii, quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est et fructificat et crescit, sicut et in vobis »; et paulo post: « Ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei ».

Notandum. Haec autem notitia tanto altius crescit per veritatem, quanto radix profundius descendit per humilitatem; unde Isaiae trigesimo septimo[5]: « Mittet illud quod salvatum fuerit de domo Iuda et quod reliquum fuerit, radices deorsum et faciet fructum sursum ».

Redundat in aliorum salutem. 41. Et quia notitia fidei crescens in se redundat in aliorum salutem, ideo subdit: *Et volucres caeli requieverunt*[6] *in ramis eius.* Per *volucres caeli* intelliguntur viri spirituales; Isaiae sexagesimo: « Qui sunt hi qui ut nubes volant et quasi columbae ad fenestras suas »? de quibus Proverbiorum primo: « Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum ». Per *ramos* arboris intelliguntur documenta veritatis procedentia ex ore sapientis; unde Ecclesiastici vigesimo quarto[7] dicit Sapientia: « Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiae ». *Volucres* ergo *caeli requiescunt* in ramis sinapis crescentis, quia quietantur sub doctrina fidelis doctoris qui ad notitiam veritatis perveniunt. Unde Glossa[8]: « *In ramis eius,* id est in diversis sententiis viri spirituales requiescunt, qui pennis virtutum in alta conscendunt ». In cuius figuram Danielis quarto[9]: « Vidi, et ecce, arbor in medio terrae ». « Folia eius pulcherrima, et fructus eius nimius, et esca universorum in ea. Subter eam habitabant bestiae terrae, et in ramis eius conversabantur volucres caeli ». — Sic ergo parvulum[10] semen crescit in magnitudinem arboris per continuum incrementum. Epilogus. Qui ergo parvulus est laborare continue debet in profectum meriti, ut sic arbor fiat, cuius cacumen pertingat ad caelum per spem et desiderium aeternorum.

42. (Vers. 20.). *Et iterum dixit: Cui simile* etc. Doctrina exempli secundi quoad tres proprietates. Postquam praemisit exemplum incitativum ad proficiendum continue in notitia veritatis, hic adiungit *exemplum incitativum ad proficiendum in fervore caritatis,* et hoc sub metaphora *fermenti*[11], ex cuius assimilatione incitat ad continue proficiendum in caritate quantum ad eius similitudinariam proprietatem triplicem, scilicet quam habet fermentum ex parte *naturae propriae,* ex parte *industriae alienae* et ex parte *utriusque.*

De prima. Primo igitur quantum ad proprietatem, quam habet ex parte *naturae propriae*, per quam intendit nos ad caritatis profectum excitare, dicit: *Et iterum dixit: Cui simile aestimabo*[12] *regnum Dei?* Et hic per *regnum Dei* recte intelligitur amor Dei, quia in solis illis regnat Deus, qui ipsum diligunt; ad Colossenses primo[13]: « Eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum filii caritatis suae »; quia, ut dicitur ad Romanos decimo quarto, « regnum Dei non est esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu sancto ».

43. (Vers. 21.). Et quoniam caritas et gaudium cor dilatat et calefacit ab interiori, et hoc est similitudo exterior[14] cum fermento; ideo subdit: *Simile est fermento.* — Et nota, quod per *fermentum* aliquando Fermenti sensus primus. intelligitur corruptio pacis et unitatis, sicut supra duodecimo[15]: « Attendite a fermento Pharisaeorum, quod est hypocrisis »; et hoc satis recte, quia fermentum est pasta vetus et ex vetustate corrupta et in acredinem versa, quae reliquam massam corrumpit et in acredinem vertit. Ideo signanter dicitur primae ad Corinthios quinto[16]: « Expurgate vetus fermentum ». — Aliquando per *fermentum* intelligitur Secundus. fervor et dilectio, sicut hic[17], quia fermentum pastam calefacit et quendam fervorem inducit quasi ab

---

[1] Vers. 7. — Superius Vat. omittit *in eo.*

[2] Vers. 24. et dein v. 25.

[3] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) apud Lyranum, ubi pro *et inopinata* cum Beda substituitur *et opima* (H *et optima*).

[4] Vers. 5. seq. (pro *sicut et in universo* A C D H *et nunc in universo)* et subinde v. 10.

[5] Vers. 31, ubi pro *radices* Vulgata *radicem.*

[6] Codd. A C D *requiescunt.* — Duo seqq. loci sunt Isai. 60, 8. et Prov. 1, 17.

[7] Vers. 22, ubi pro *extendi* C D *expandi.* — Superius pro *documenta veritatis* Vat. *documenta virtutis.*

[8] Scilicet *interlinearis* (secundum Bedam) in Luc. 13, 19. — Superius pro *qui... perveniunt* (G *pervenit,* nonnulli codd. ob abbreviationem sunt dubiae lectionis) Vat. *quo... perveniunt.*

[9] Vers. 7. et 9.

[10] Vat. *paululum.*

[11] Cfr. supra n. 36.

[12] Codd. A C D *existimabo;* cfr. supra pag. 346, nota 4.

[13] Vers. 13, cui subiungitur Rom. 14, 17.

[14] Vat. *et calefacit interius, et hoc habet manifestam similitudinem.*

[15] Vers. 1. — Superius pro *unitatis* Vat. *veritatis* et inferius bis *acorem* pro *acredinem.*

[16] Vers. 7. Cfr. supra c. 12. n. 3.

[17] Glossa *interlinearis: Simile est fermento,* caritas pro fervore, vel sancta doctrina. Cfr. August., l. Qq. Evangelior. q. 12: *Mulierem,* sapientiam dicit; *fermentum,* dilectionem, quod fervefacit et excitat.

Notandum.

occulto et interiori; unde non incongrue *fermentum* est caritas. Nec est contrarium rationi, quod *fermentum* accipiatur sic et sic ratione diversae proprietatis. Unde Augustinus, tertio libro de Doctrina christiana [1]: « Quoniam multis modis res similes rebus apparent, non putemus, esse praescriptum, ut quod in aliquo loco res aliqua per similitudinem significaverit, hoc eam semper significare credamus. Nam et in *vituperatione* posuit *fermentum* Dominus, ut diceret: *Cavete a fermento Pharisaeorum;* et in *laude*, cum diceret: *Simile est regnum caelorum mulieri, quae abscondit fermentum in farinae sata tria* ». Huiusmodi autem multa, ut dicit [2], sunt similia in Scriptura, sicut « *leo Christum* significat, Apocalypsis quinto: *Vicit leo de tribu Iuda; diabolum*, primae Petri quinto: *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens* etc.; sic et alia plurima ». Cuius diversitatis causa est multiplicitas proprietatum, ex quibus diversitas similitudinum et repraesentationum oritur in figuris.

De secunda.

44. Secundo quantum ad proprietatem ex parte *industriae alienae* subdit: *Quod acceptum mulier abscondit in farinae sata tria.* Secundum litteram, ut dicit Beda [3], « *satum* est genus mensurae iuxta morem Palaestinae modium et dimidium capiens ».

Quid sint illa mulier et farina.

Et nota, quod per hanc *mulierem* intelligitur sapientia divina [4], vel Ecclesia; Proverbiorum ultimo: « Mulierem fortem quis inveniet » etc. *Farina* autem sunt fideles, qui teruntur inter duas molas, superiorem scilicet et inferiorem, timorem videlicet et spem; Deuteronomii vigesimo quarto [5]: « Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam ». Ex qua farina fit *unus panis*, quem Christus in corpus suum mysticum traiicit; primae ad Corinthios decimo: « Multi unus panis sumus in Christo ». — Sed *tria sata* sunt *tres differentiae fidelium*, in quibus Dei sapientia dilectionem abscondit in via, scilicet boni *praelati*, boni *contemplativi* et boni *activi*. Unde Glossa [6]: « Tria sata, tria genera hominum: Noe, Daniel et Iob »; Ezechielis decimo quarto: « Si fuerint in medio eius Noe, Daniel et Iob, iustitia sua liberabuntur ». Haec igitur prima expositio magis secundum litteram consonat; aliter et multipliciter exponit Beda in Glossa [7], ut ex hoc appareat « multiformis sapientia Dei », « quae in mysterio abscondita est ».

Quid tria sata sec. 10 expositiones.

Tres differentiae fidelium.

Tres modi diligendi.

Secundo per *sata tria* intelliguntur *tres modi diligendi*, scilicet ex toto corde, ex tota anima et ex tota mente. Unde Glossa Bedae [8]: « Abscondit Ecclesia fermentum dilectionis in farinae sata tria, quia praecipit, ut diligamus Deum ex toto corde, ex tota anima et ex tota virtute »; Deuteronomii sexto: « Diliges Dominum Deum tuum » etc.; et Matthaei vigesimo secundo: « Diliges Dominum Deum tuum » etc. « In hoc mandato » etc.

Tres partes hominis.

Tertio modo sic, ut per *tria sata* intelligantur *spiritus* et *anima* et *corpus*, ex quibus homo integratur. Glossa [9]: « Ut spiritus et anima et corpus, redacta in unum, non discrepent inter se », secundum illud primae ad Thessalonicenses quinto: « Integer spiritus vester et anima et corpus servetur sine querela in die adventus Domini » etc.

Tres animae vires.

Quarto modo sic, ut per *tria sata* intelligantur *tres animae vires,* quae reformantur caritate. Glossa [10]: « Tres animae vires in unum redigantur, ut in *ratione* possideamus prudentiam, in *ira* odium vitiorum, in *cupiditate* desiderium virtutum », secundum illud Michaeae sexto: « Facere iudicium et diligere misericordiam et sollicitum ambulare cum Deo tuo ».

Fides Trinitatis.

45. Quinto modo sic, ut caritas iuncta sit et quodam modo immixta *fidei Trinitatis*, ut non tantum credat quis Deum verum, sed etiam credendo tendat in eum. Unde Glossa [11]: « Ecclesia fidem hominis in farinae sata tria miscet, id est credulitati

---

[1] Cap. 25. n. 35, in qua sententia allegantur Matth. 16, 6. et Luc. 13, 21. (cfr. Matth. 13, 33.). Pro *ut diceret* Vat. cum textu originali *cum diceret.*

[2] Loc. cit. n. 36; allegantur Apoc. 5, 5. et I. Petr. 5, 8. Simile ostenditur ibid. de *serpente* et *pane.* — Inferius pro *sicut* C *scilicet.*

[3] Libr. IV. in Luc. 13, 21. ex Hieron., II. Comment. in Matth. 13, 33.

[4] Secundum August. supra pag. 347, nota 17. allegatum. — Ambros., VII. in Luc. c. 13. n. 187: *Sancta Ecclesia*, quae typo mulieris istius evangelicae figuratur. Idem docet Beda, IV. in Luc. 13, 21. — Sequitur Prov. 31, 10.

[5] Vers. 6, cuius expositio est secundum Gregor.; cfr. tom. IV. pag. 385, nota 1. — Beda, IV. in Luc. 13, 21: Cuius [mulieris, i. e. Ecclesiae] farina nos sumus, quotquot timoris et spei exercitio quasi mola superiore et inferiore conterimur, ut iuxta Apostolum [I. Cor. 10, 17.] *unus panis, unum corpus multi simus in Christo.* Cfr. Ambros., loc. cit.

[6] Scilicet *ordinaria* (ex August., I. Qq. Evangelior. q. 12.) apud Lyranum. Cfr. supra c. 7. n. 31. in fine et c. 9. n. 45. Bernard., Serm. 3. in Assumt. B. M. Virg. n. 5: Oportet te, frater, ad quem de fabricanda seu regenda inter undas diluvii Noe arca nihil spectat, aut *virum esse desideriorum*, ut Daniel [9, 23.] erat, aut cum beato Iob *virum dolorum et scientem infirmitatem* [Isai. 53. 3.]. Vide etiam Serm. 35. de Diversis. — Sequitur Ezech. 14, 14, de cuius explicatione cfr. August., II. Qq. Evangelior. q. 44. n. 2; Enarrat. in Ps. 132. n. 5. et Serm. de Urbis excidio, c. 1. n. 1.

[7] Scilicet *ordinaria* apud Lyranum, in qua sex expositiones, etiam inferius relatae proferuntur (initium Glossae est ex Beda; plures, sed non omnes explicationes ipse proponit II. in Matth. 13, 33.). Strabo integram hanc Glossam non exhibet; cfr. tamen ipsius Glossa in Matth. 13, 33. — Subinde allegantur Eph. 3, 10. et I. Cor. 2, 7: Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est.

[8] Nempe *ordinaria* ex Beda, IV. in Luc. 13, 20. seq. Cfr. August. I. Qq. Evangelior. q. 12. — Subinde allegantur Deut. 6, 5; Matth. 22, 37. et 40.

[9] Scilicet *ordinaria* (secundum Ambros., VII. in Luc. c. 13. n. 190. seqq., et Hieron., II. Comment. in Matth. 13, 33.), in qua pro *inter se* A C D *secundum se.* — Sequitur I. Thess. 5, 23.

[10] Nempe *ordinaria* ex Hieron., II. in Matth. 13, 33, qui in fine legit *in desiderio, cupiditatem virtutum,* D a secunda manu *in concupiscibili, desiderium virtutum.* — Glossae subiungitur Mich. 6, 8.

[11] Praedicta (ex Hieron. loc. cit.), in qua H cum textu originali: *Ecclesia fidem hominis tribus satis farinae miscet* etc.

Patris et Filii et Spiritus sancti ». Unde de caritate dicitur primae ad Corinthios decimo tertio, quod « omnia credit ».

'riplex fructus caritatis.

Sexto modo sic: per *tria sata, triplex fructus,* ad quem caritas ordinat; unde Glossa [1]: « Possunt in his *satis* illius dominici seminis fructus intelligi, trigesimus scilicet, sexagesimus et centesimus, id est coniugatorum, continentium et virginum; de quibus Matthaei decimo tertio: « Fructum affert, et facit aliud quidem centesimum, aliud sexagesimum, aliud vero trigesimum ».

Tres partes generis humani.

Septimo, per *tria sata* farinae possunt intelligi *tres partes generis humani* a tribus filiis Noe disseminatae per universum orbem; de quibus Genesis decimo [2]: « Hae sunt generationes Noe: Sem, Cham et Iapheth ».

Tres partes Scripturae.

Octavo modo, secundum Hilarium [3], per *farinam* intelligitur Scriptura; per *tria sata* tres partes Scripturae, scilicet Moysaica, prophetica et evangelica. Et in his abscondit Dei sapientia caritatem, quia, Matthaei vigesimo secundo, « in his duobus mandatis tota Lex pendet et Prophetae ».

Mulier et farina, fermentum.

Nono modo, secundum Ambrosium [4] sic: « *Mulier,* Ecclesia; *farina* eius nos sumus; quae Dominum Iesum abscondit ut *fermentum* in interioribus nostris, donec ea calor caelestis sapientiae obducat ».

Triplex in Christo substantia.

Decimo modo, secundum Bernardum [5] sic: « *Mulier,* virgo Maria; *tria sata,* triplex natura seu substantia in una persona Christi, scilicet caro, anima et Divinitas. Primum satum est *antiquum,* secundum est *novum,* sed tertium *aeternum.* Haec autem miscuit per *fermentum* suae fidei et dilectionis ». Unde Hugo [6]: « Quia amor in mente eius singulariter ardebat, ideo in carne eius miracula faciebat ». In cuius figura dicitur Genesis decimo octavo: « Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram dixitque ei: Accelera, tria sata similae commisce ». Et sic fecit beata Virgo, quia ad verbum Angeli statim consensit: « Ecce, inquiens [7], ancilla Domini » etc.

Notandum.

46. Ex his igitur apparet, quomodo de una re parvula Spiritus sanctus varios intellectus exterius eduxit per Sanctos suos, ut ex hoc appareat « multiformis sapientia Dei [8] », quae ad modum mulieris fermentum in satis abscondit. Nam, sicut dicit Dionysius [9], tota mystica theologia, « quae scilicet in mysterio abscondita est », ipsa tota consistit in dilectione excessiva secundum triplicem vim hierarchicam: purgativam, illuminativam et perfectivam.

De tertia.

47. Tertio quantum ad effectum ex parte *utriusque* subdit: *Donec fermentaretur totum;* Glossa [10]: « Tamdiu caritas in mente abscondita crescere debet, donec mentem totam in sui perfectionem commutet, ut nihil praeter Deum diligat ». Sicut enim fermentum magis ac magis diffunditur, sic et caritas Dei. Unde Gregorius [11]: « Nunquam est amor Dei otiosus; operatur enim magna, si est; si autem operari renuit, amor non est »; et Bernardus: « Caritas aut proficit, aut deficit »; unde [12] « caritas nunquam excidit », sed totum ad modum fermenti et ignis in sui naturam convertit. Unde Exodi decimo nono: « Totus mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne ». — Hic enim ignis et calor caritatis inchoatur in via, sed totum cor occupat in patria; Isaiae trigesimo primo [13]: « Dixit Dominus, cuius ignis est in Sion et caminus in Ierusalem ». Unde sicut a corde, quod est in centro, manat vitalis calor in totum corpus, sic a caritate perfecta omnes congregationes operum virtutum calorem et vigorem suscipiunt, per quem tendant sursum. Et sicut dicitur [14]: « Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit »; sic, si cor tuum fuerit *calens,* totum corpus tuum calefactum erit; si cor *divinum,*

Notandum.

— Sequitur I. Cor. 13, 7. — Superius pro *immixta* in D secunda manus substituit *innixa*. Subinde pro *Deum verum* (ita B C D G) Vat. *Deum unum,* H legit *Deum, verum etiam credendo tendat in Deum;* cfr. III. Sent. d. 23. dub. 3.

[1] Scilicet *ordinaria* apud Lyranum (ex Beda; cfr. August., I. Qq. Evangelior. q. 12.), ubi pro *illius* H cum Lyrano *illi.* Subinde allegantur Matth. 13, 23, de quo cfr. supra pag. 192, nota 2. — Superius pro *ordinat* Vat. *ordinatur.*

[2] Vers. 1. — Huius expositionis mentionem facit Hilar., Comment. in Matth. c. 13. n. 6: Quamquam ad fidei sacramentum, id est ad Patris et Filii et Spiritus sancti unitatem, sed et ad trium gentium vocationem ex Sem, Cham et Iapheth tres mensuras farinae esse referendas, sensisse multos meminerim. Cfr. August., Serm. 111. (alias 32. de Verbis Domini) c. 1. n. 1: Tria sata farinae... genus humanum est. Recolite diluvium; unde ceteri repararentur, tres remanserunt. Tres filios habebat Noe, de ipsis reparatum est genus humanum.

[3] Comment. in Matth. c. 13. n. 5: Fermentum de farina est... Huic se Dominus comparavit... Hoc autem farinae mensuris tribus, id est Legis, Prophetarum, Evangeliorum, aequalitate coopertum, omnia unum facit etc. — Sequitur Matth. 22, 40.

[4] Libr. VII. in Luc. c. 13. n. 187.

[5] Libr. V. de Considerat. c. 10. n. 22. et 23, ubi tamen quae hic exhibentur fusius proponuntur.

[6] In libello de B. Mariae virginitate, c. 2. Cfr. tom. V. pag. 485, nota 2. — Subinde allegatur Gen. 18, 6.

[7] Luc. 1, 38. — Pro *statim consensit* E *per fermentum suae fidei et dilectionis consensit.*

[8] Eph. 3, 10; cfr. supra pag. 348, nota 7.

[9] De Caelesti Hierarch. c. 7. § 3. et de Mystica theolog. c. 1. § 1, de quo Bonav., in Hexaëm. collat. 2. n. 28. seqq. Allegatur I. Cor. 2, 7. Cfr. Dionys. Carthus., in Dionys. de Div. Nom. c. 7. a. 52, ubi similis theol. mysticae datur definitio.

[10] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) apud Lyranum in Luc. 13, 21. (apud Strab. in Matth. 13, 33.).

[11] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 2. — Bernard., Epist. 254. n. 2. seqq. insinuat, veram virtutem nescire finem (caritas nunquam excidit), et unum necesse esse ex duobus, « spiritum aut proficere semper, aut deficere ». Cfr. tom. III. pag. 661, nota 6. et tom. IV. pag. 292, nota 11, ubi etiam alii loci allegantur.

[12] Ut dicitur I. Cor. 13, 8. Cfr. Bernard., Serm. 26. in Cant. n. 5. et Serm. 60. n. 10. — Sequitur Exod. 19, 18.

[13] Vers. 9. Cfr. Gregor., II. Homil. in Ezech. homil. 9. n. 10.

[14] Supra c. 11, 34. et Matth. 6, 22. — Subinde allegatur Ps. 72, 26. — Superius vocibus *operum virtutum* secunda manus in D interserit *et;* cfr. supra pag. 300, nota 7.

totus homo divinus per amorem deificum, secundum illud Psalmi: « Defecit caro mea et cor meum; Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum ».

48. *Et ibat per civitates* etc. Supra [1] ostendit, sine cessatione facienda esse bona opera, per manuductionem naturalis exempli; hic ostendit hoc ipsum per *manifestationem divini decreti.* Quod quidem manifestat dupliciter: primo, quoad *severitatem divinae districtionis in iudicando;* secundo, quoad *sublimitatem divinae dispositionis in redimendo,* ibi [2]: *In ipsa die accesserunt quidam.*

Secundo, per manifestationem divini decreti duplicem.

*Severitas autem districtionis in iudicando* ostenditur tripliciter: primo, quantum ad *difficultatem in merito;* secundo, quantum ad *rigiditatem in iudicio,* ibi [3]: *Cum autem intraverit paterfamilias;* tertio, quantum ad *calamitatem in supplicio,* ibi: *Ibi erit fletus.* — *Difficultatem,* quae *in merito* est, ostendit dupliciter, *exemplo* scilicet in facto et *documento* in verbo.

De severitate in iudicando tria.

Difficultas in merito ostenditur dupliciter.

49. (Vers. 22.). Primo igitur quantum ad *exemplum,* quo ostendit difficultatem ingrediendi in caelum, dicit: *Et ibat per civitates et castella, docens et iter faciens in Ierusalem.* In hoc, quod *ibat et circuibat,* patet, quod sine cessatione *laborabat;* unde poterat dicere illud Psalmi [4]: « Pauper sum ego et in laboribus a iuventute mea ». Et *exemplum* aliis dabat ad *laborandum;* Proverbiorum sexto: « Discurre, festina, suscita amicum tuum ». In hoc autem quod *in Ierusalem* ibat, patet, quod ad *passionem* currebat; unde Matthaei vigesimo [5]: « Ecce, ascendimus Ierosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte ». Et in hoc exemplum aliis dabat ad *sustinendum;* quia, primae Petri secundo, « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius ». Unde Iacobi quinto [6]: « Exemplum accipite, fratres, exitus mali et longanimitatis et laboris et patientiae Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Sufferentiam Iob audistis et finem Domini vidistis ». — Ex hoc igitur exemplo Domini, qui tantum laborem et in fine passionem sustinuit, apparet, quod difficilis est aditus caeli; unde infra ultimo [7]: « Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam »? Et hinc est, quod opportunum est per tribulationes intrare in caelum; Actuum decimo quarto: « Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei ».

Per exemplum.

Notandum.

50. Et nota, quod in his verbis tria nobis insinuantur exemplo Domini, per quae pervenit quis ad gloriam paradisi, scilicet *actio* bona, *praedicatio* vera et *contemplatio* tranquilla. *Operatio* insinuatur in hoc, quod *ibat per civitates et castella; praedicatio* vero in hoc, quod *ibat docens; contemplatio* in hoc, quod *iter faciens in Ierusalem,* quae est *visio pacis,* per anagogiam; Psalmus [8]: « Ierusalem, quae aedificatur ut civitas ». « Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini ». Primum horum spectat ad *prudentiam,* secundum ad *intelligentiam,* tertium autem ad *sapientiam.* Vel primum ad *bonitatem,* secundum ad *disciplinam* et tertium ad *scientiam;* Psalmus [9]: « Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me ».

Tria media ad gloriam acquirendam.

51. (Vers. 23.). Secundo quantum ad *documentum in verbo,* quo respondet ad quaestionem de paucitate salvandorum, subdit: *Ait autem illi quidam: Domine, si pauci sunt qui salvantur?* Hoc quaerit iste, quia non audierat divinam sententiam, qua dicitur Matthaei vigesimo [10]: « Multi sunt vocati, pauci vero electi »; in cuius figuram dicitur Michaeae septimo: « Vae mihi! quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiae ». — Vel ideo hanc quaestionem faciebat, ut occasionem daret docendi verbo quod ostendebat exemplo.

Per documentum.

52. (Vers. 23. 24.). Unde subdit: *Dixit autem ad illos* [11]: *Contendite intrare per angustam portam;* Matthaei septimo: « Quam angusta porta et arcta via est, quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam »! *Porta* ista est Christus; Ioannis decimo [12]: « Ego sum ostium »; ipse est *via;* Ioannis decimo quarto: « Ego sum via »; « nemo venit ad Patrem nisi per me ». Haec *via arcta* est et *porta angusta,* non propter parvitatem potentiae, sed propter arctitudinem modestiae et rectitudinem iustitiae; unde Chrysostomus [13]: « Porta arcta est Christus, non potestatis parvitate, sed humilitatis ratione. Christus in se non recipit, nisi qui se exuerint a peccatis et deposuerint omnem sarcinam mundi ». Et propterea Matthaei decimo nono: « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum ». Ideo ergo *porta* caeli dicitur *angusta,* quia, nisi quis se redigat ad parvitatem et austeritatem, non potest intrare.

Porta angusta, via arcta.

53. Et quia pauci sunt tales, ideo subdit: *Quia multi, dico vobis, quaerent intrare;* Glossa [14]:

Difficultas intrandi.

---

[1] Vide n. 36. [2] Vers. 31.

[3] Vers. 25; tertium habetur v. 28.

[4] Psalm. 87, 16. — Sequitur Prov. 6, 3. — Superius pro *In hoc* D *Ex hoc.* [5] Vers. 18. et dein I. Petr. 2, 21.

[6] Vers. 10. et 11. Pro *Prophetas* A C D *Prophetarum.*

[7] Vers. 26. — Subinde allegatur Act. 14, 21. — Superius pro *tantum laborem* [H addit *in vita praesenti*] D *tantum laboravit,* et inferius pro *opportunum est* Vat. *oportet.*

[8] Psalm. 121, 3. et 4. — De interpretatione *Ierusalem* cfr. supra pag. 42, nota 6. — Aliquanto superius pro *exemplo* Vat. *exempla.*

[9] Psalm. 118, 66.

[10] Vers. 16, post quem Mich. 7, 1.

[11] Vulgata, quam H et Vat. sequuntur, *Ipse autem dixit ad illos,* ubi Glossa *interlinearis:* Quia ille unus pro omnibus quaesierat. — Sequitur Matth. 7, 14, quem codd. ita exhibent: *Arcta est via et angusta porta, quae* etc.

[12] Vers. 9. et deinde 14, 6.

[13] Homil. 18. in Matth. 7, 13. (Op. imperfect.). Textus originalis post *humilitatis ratione* plura addit. — Subinde allegatur Matth. 19, 24.

[14] Haec et seq. Glossa est *interlinearis* (ex Beda).

« Salutis et praemiorum amore provocati »; *et non poterunt,* Glossa: « itineris asperitate perterriti », quia non quaerunt voluntate integra et plena. Nam volunt Christum consequi et nolunt eum sequi, secundum illud Proverbiorum decimo tertio[1]: « Vult et non vult piger ». Unde Chrysostomus: « Nisi ambulaverit quis per viam, non poterit pervenire ad portam. Si non fuisti nec es in via iustitiae, et putas, te cognoscere Christum, mentiris; sicut qui audit, mel esse dulce, et non gustat, nomen mellis scit, gratiam autem et saporem mellis ignorat »; unde pigri, qui volunt et nolunt, intrare non possunt; similiter nec illi qui volunt simul praesens saeculum et Deum; de quibus Osee quinto[2]: « In gregibus suis et armentis vadent ad quaerendum Dominum, et non invenient ». Et de talibus dicitur Matthaei sexto: « Nemo potest duobus dominis servire »; « non potestis Deo servire et mammonae ». Hi non vadunt recte in caelum; unde tertii Regum decimo octavo: « Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum ». .

Necessitas resistendi appetitui.

54. Quia impossibile est cum cupiditatibus terrenorum introire in regnum caelorum, et difficile est has deponere; ideo oportet conari contra appetitum; et propterea dicit: *Contendite intrare per angustam portam,* quasi dicat: impossibile est intrare cum desideriis, quod multi quaerunt; sed vos saltem nitamini, desideriis calcatis. Unde et Matthaei undecimo[3]: « A diebus Ioannis Baptistae regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud ». Nec obstat, quod ibidem[4] dicitur: « Iugum meum suave », quia porta et via caelestis arcta est *inchoantibus,* sed dilatatur *proficientibus* et ampla est *pervenientibus.* Pro primis dicebat Psalmus[5]: « Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras »; pro secundis: « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum »; pro tertiis: « In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis ». Pro tribus his dicitur Proverbiorum quarto[6]: « Iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem »; et iterum post: « Ducam te per semitas aequitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum ».

Notandum.

Rigiditas in iudicio ostenditur dupliciter.

55. (Vers. 25.). *Cum autem*[7] *intraverit paterfamilias.* Postquam excitavit ad continue proficiendum in opere bono propter difficultatem in merito, hic secundo excitat ad hoc propter *rigiditatem in futuro iudicio,* quam ostendit dupliciter, videlicet, quia repellet *supplicationem precum* et *allegationem rationum.*

Quia repellit supplicationes.

Primo quantum ad *repulsam supplicationis* dicit: *Cum autem intraverit paterfamilias et clauserit ostium,* per iudiciariam districtionem; Matthaei vigesimo quinto[8]: « Quae paratae erant intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est ianua ». — Et nota, quod Christus dicitur *paterfamilias* respectu *iustorum;* unde Matthaei vigesimo[9]: « Simile est regnum caelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam ». Dicitur autem *paterfamilias,* quia multam habet familiam; in cuius figura Iob primo: « Fuit possessio Iob septem millia ovium, tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum et quingentae asinae, ac familia multa nimis ». — Hic etiam est *iudex* respectu *malorum,* quibus claudit ostium misericordiae; unde dicitur Deuteronomii undecimo[10]: « Cavete, ne recedatis a Domino, iratusque Dominus claudat caelum, et pluviae non descendant ». — Haec porta aperta est per totum spatium viae, sed clauditur in fine; Ezechielis quadragesimo sexto[11]: « Porta autem non claudetur usque ad vesperam; et adorabit populus terrae ad ostium portae illius in Sabbatis et in Calendis coram Domino ».

Christus, paterfamilias.

Et iudex.

Serotina poenitentia.

56. Et quia subtractio misericordiae ducit hominem in recognitionem propriae miseriae, et haec iterum ducit ad precum importunitatem; ideo subdit: *Et*[12] *incipietis foris stare et pulsare ostium,* per serotinam poenitudinem; Sapientiae quinto: « Videntes turbabuntur timore horribili »; « dicentes intra se, poenitentiam agentes »; et ad Hebraeos duodecimo: « Non invenit locum poenitentiae, quamquam cum lacrymis inquisisset eam ». — *Dicentes: Aperi nobis, Domine,* per importunam supplicationem;

---

[1] Vers. 4. — Sententia Chrysost. habetur Homil. 18. in Matth. 7, 13. (Op. imperfect.). Textus originalis post *ad portam* (Vat. perperam *patriam)* plura addit.

[2] Vers. 6. — Duo seqq. loci sunt Matth. 6, 24. et III. Reg. 18, 21. — Inferius post *in caelum* B addit *sed claudicant.*

[3] Vers. 12, in quo pro *rapiunt* nonnulli codd. *diripiunt.* — Superius post *cum desideriis* Vat. prosequitur *carnalibus, quae multi quaerunt, sed vos saltem nitimini desideriis carnis calcatis et caritatis ardore accensi.*

[4] Vers. 30. — Inferius pro *inchoantibus* codd. et Vat. *intrantibus.*

[5] Psalm. 16, 4, post quem Ps. 118, 32. et 14.

[6] Vers. 18. et dein v. 11. et 12. Cfr. Gregor., XI. Moral. c. 50. n. 68. In fine et II. Homil. in Ezech. homil. 5. n. 13.

[7] Codd. A C D G, qui tamen paulo inferius et supra n. 48. (ubi principalis divisio huius partis) cum Vulgata conveniunt, *Et cum.*

[8] Vers. 10. — Superius pro *repulsam* G H *repulsionem.*

[9] Vers. 1. — Subinde allegatur Iob 1, 3.

[10] Vers. 16. et 17.

[11] Vers. 2. seq. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 13, 25: *Paterfamilias* Christus, cum ubique ex Divinitate sit, illis iam intus esse dicitur, quos in caelo praesens sua visione laetificat, sed quasi foris est his quos in hac peregrinatione certantes occultus adiuvat. *Intrabit* ergo, cum totam Ecclesiam ad sui contemplationem perducet. *Claudet ostium,* cum reprobis locum poenitentiae tollet, qui *foris stantes pulsabunt,* id est, a iustis segregati, misericordiam, quam contempserunt, frustra implorabunt.

[12] Vulgata omittit *Et,* quod exhibent etiam Beda, Card. Hugo et Lyranus. — Sequuntur Sap. 5, 2. seq. et Hebr. 12, 17

Matthaei vigesimo quinto[1]: « Novissime veniunt et reliquae virgines dicentes: Domine, Domine, aperi nobis ». — *Et respondens dicet vobis: Nescio vos,*

Finalis reprobatio.

*unde sitis,* per finalem reprobationem; Proverbiorum primo[2]: « Tunc clamabunt, et non exaudiam; mane consurgent et non invenient me, eo quod exosam habuerunt disciplinam et timorem Domini non susceperunt »; unde et Proverbiorum sexto: « Zelus et furor viri non parcet in die vindictae nec acquiescet cuiusquam precibus ». — Et nota, quod Dominus dicitur *nos nescire,* non quia non cognoscat per *simplicem notitiam,* cum dicatur Iob duodecimo[3]: « Ipse novit et decipientem, et eum qui decipitur »; et in Psalmo: « In libro tuo omnes scribentur »; sed quia non novit *notitia approbationis,* quia dicitur secundae ad Timotheum secundo[4]: « Novit Dominus qui sunt eius »; Iob octavo: « Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum et dicet: Non novi te ».

Duplex notitia.

57. (Vers. 26.). Secundo quantum ad *repulsionem allegationis rationum* subdit: *Tunc incipietis dicere: Manducavimus coram te et bibimus;* ecce, allegatio familiaritatis in *vita; et in plateis nostris docuisti,* quantum ad familiaritatem in *doctrina.* Vel potest primum referri ad *miracula,* quae fecit Christus inter Iudaeos, quando panes multiplicavit, Ioannis sexto[5], et aquam in vinum convertit, Ioannis secundo; secundum ad *documenta.* Nam isti viderant miracula et audierant documenta; unde Matthaei undecimo: « Vae tibi Corozain! vae tibi Bethsaida! quia, si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent ». Sic allegant notitiam Christi, quia cognoverunt eius *opera et miracula,* cognoverunt etiam *verba et documenta.* Tales erunt mali Christiani in iudicio, de quibus ad Titum primo[6]: « Confitentur, se nosse Deum, factis autem negant ».

Quia repellit allegatas rationes.

58. (Vers. 27.). Et quoniam parum valet allegatio *cognitionis* sine allegatione *imitationis et operis,* ideo subdit: *Et dicet vobis: Nescio vos, unde sitis.* Chrysostomus[7]: « Imaginem meam non cognosco in vobis. Non potestis meorum stipendia militum accipere, qui tyranni vexilla portastis ». Hoc autem dicit Chrysostomus, non quantum ad imaginem *creationis,* de qua in Psalmo[8]: « In imagine pertransit homo »; sed quantum ad imaginem *recreationis,* de qua Augustinus: « Non novit eos Dominus, dum apud eos characterem fidei et dilectionis non invenit ». Unde *negatio notitiae* non respicit extraneitatem personarum, contra quam ipsi allegant familiaritatem, sed solum diversitatem morum, secundum illud Habacuc primo[9]: « Mundi sunt oculi tui, Domine, et respicere ad iniquitatem non poteris ». — Ideo subdit: *Discedite a me, omnes operarii iniquitatis;* Psalmus[10]: « Discedite a me, omnes, qui operamini iniquitatem ». — Ratio autem huius discessionis est distantia inter iustitiam et iniquitatem; secundae ad Corinthios sexto: « Quae participatio iustitiae cum iniquitate? Aut quae societas lucis ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial »? Quoniam ergo reprobi erunt iniusti et tenebrosi et viri Belial; Christus autem *iudex* erit *iustus,* erit *lux vera,* erit *summe bonus:* ideo compellet malos descendere in infernum per finale iudicium, dicendo[11]: « Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius ». Quoniam ergo homo iudicabitur non secundum magnitudinem cognitionis, sed fortitudinem operis; continue intendendum est operibus bonis; unde ad Romanos secundo[12]: « Non auditores Legis, sed factores iusti sunt apud Deum »; propter quod in Psalmo: « Semel locutus est Deus; duo haec audivi, quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia, quia tu reddes unicuique iuxta opera sua ».

Requiritur allegatio imitationis.

Duplex imago.

Distantia inter iustitiam et iniquitatem.

59. (Vers. 28.). *Ibi erit fletus.* Hic iam tertio[13], postquam excitavit ad continue proficiendum, ostendendo difficultatem in merito et rigiditatem in iudicio, excitat ad hoc ipsum ostendendo *calamitatem in supplicio.* Quod quidem facit dupliciter, scilicet ex consideratione *deiectionis propriae* et ex consideratione *glorificationis alienae.*

Calamitas in supplicio ostenditur dupliciter.

---

[1] Vers. 11, ubi pro *veniunt* C D *venerunt.*

[2] Vers. 28. seq. Pro *clamabunt* Vat. cum Vulgata *invocabunt me,* et pro *disciplinam* codd. cum Septuaginta *sapientiam.* — Subinde allegatur Prov. 6, 34. seq.

[3] Vers. 16, post quem Ps. 138, 16.

[4] Vers. 19, post quem Iob 8, 18. Cfr. supra c. 10. n. 35. Gregor., II. Moral. c. 5. n. 6: *Nescire* autem Dei *reprobare* est. Unde quibusdam in fine dicturus est [Luc. 13, 27.]: *Nescio vos, unde sitis; discedite a me, omnes operarii iniquitatis.* Sicut et nescire mentiri vir verax dicitur, qui labi per mendacium dedignatur, non quo, si mentiri velit, nesciat, sed quo falsa loqui veritatis amore contemnat. — Inferius post *approbationis* B addit *de qua I. ad Cor. 8: Si quis diligit Deum, hic cognitus est ab eo, id est approbatus.*

[5] Vers. 11. seqq. et dein 2, 7. seqq. — Sequitur Matth. 11, 21. Cfr. supra c. 10. n. 22. seq.

[6] Vers. 16.

[7] Homil. 25. in Matth. 25, 12. (Op. imperfect.). Post *in vobis* textus originalis plura addit. — Superius pro *sine allegatione imitationis et operis* Vat. *sine imitatione operis.*

[8] Psalm. 38, 7. — Sententia, quae subinde Augustino (etiam a Card. Hug.) tribuitur, non apud ipsum invenimus, sed apud Bedam, qui IV. in Luc. 13, 25. ait: Et scit ergo reprobos... et tamen quodam modo *nescit eos, unde sint,* apud quos fidei et dilectionis suae characterem non approbat. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 49. n. 20; Enarrat. in Ps. 1. n. 6. et in Ps. 100. n. 7; lib. 83 Qq. q. 59. n. 3. in fine; q. 65. et q. 66. n. 5; I. de Diversis Qq. ad Simplician. q. 1. n. 8. Pro *dum apud eos* Card. Hugo et H *apud quos.*

[9] Vers. 13. — Glossa *interlinearis: Et dicet vobis: Nescio vos, unde sitis,* quasi hoc non sufficit, *discedite* etc.

[10] Psalm. 6, 9. — Sequitur II. Cor. 6, 14. seq., post quem A C D H omittunt *Quoniam ergo reprobi erunt iniusti et tenebrosi et viri Belial.*

[11] Cod. H addit *illud Matth. 25.* (v. 41.). — Superius pro *summe bonus* Vat. *sine fine bonus.*

[12] Vers. 13, cui subiunguntur Ps. 61, 12. et 13. — Superius pro *continuo intendendum* B *ideo continue insistendum.*

[13] Cfr. supra n. 48.

Primo igitur quantum ad *considerationem de-* De primo. *iectionis propriae* dicit: *Ibi erit fletus et stridor dentium,* quantum ad *poenam sensus.* Et tangitur Duplex poena sensus. poena *caloris,* ex qua *fletus oculorum,* et poena *frigoris,* ex qua *stridor dentium.* Ideo autem hae duae poenae corporales magis exprimuntur, sive quia istae duae qualitates sunt activae et magis afflictivae; propter quod Iob vigesimo quarto [1]: « Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium ». Sive quia dupliciter peccatur in corpore, scilicet per concupiscentiam oculorum et per concupiscentiam carnis, unde in his puniuntur; Sapientiae undecimo [2]: « Per quae peccat quis, per haec et torquetur ». Sive quia *fletus* venit ab interiori, et *stridor dentium* venit ab exteriori; et in his intelligitur universitas poenarum, maxime corporalium. Unde Glossa Notandum. Bedae [3]: « Nota, per *fletum,* qui est oculorum, et *stridorem,* qui est dentium, veram resurrectionem intelligi corporum impiorum ». Hic autem fletus [4] non erit resolutionis humoris, sed per dolorem et gemitum; vel si erit, fiet mirabiliter restitutio humoris, sicut et mirabiliter in tantis cruciatibus habebunt, corpora a spiritibus vegetari.

60. Et quia *poena sensus* coniuncta est *poenae* Poena damni. *damni,* quae erit amissio societatis Sanctorum in gloria paradisi; ideo subdit: *Cum videritis Abraham et Isaac et Iacob et omnes Prophetas in regno Dei,* id est omnes Patriarchas et Prophetas. Primi fuerunt exemplar vivendi in vita; unde Ioannis octavo [5]: « Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite »; secundi in vita et doctrina; secundae Petri primo: « Firmiorem habemus propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes ». Vel *Patriarchae* fuerunt illi quibus facta est promissio; *Prophetae* illi per quos facta est promissionis promulgatio, secundum illud supra primo [6]: « Sicut locutus est per os sanctorum qui a saeculo sunt Prophetarum eius ». Et tam illi quam isti excitaverunt et vocaverunt ad regnum Dei intrandum, quod non intrabunt, sed excludentur qui sunt filii carnis et Sanctorum imitatores esse recusaverunt. — Ideo subdit: *Vos autem expelli foras;* Apocalypsis ultimo [7]: « Foris canes et venefici et impudici et idolis servientes et omnis, qui amat et facit mendacium ». In cuius figuram Genesis vigesimo primo dicitur: « Eiice ancillam et filium eius; non enim erit heres filius ancillae cum filio liberae »; quia dicitur Ioannis octavo: « Servus non manet in domo in aeternum, filius autem manet in aeternum ».

61. (Vers. 29.). Secundo quantum ad *conside-* De secundo. *rationem glorificationis alienae* subdit: *Et venient ab oriente et occidente, ab* [8] *aquilone et austro,* hoc est de universitate gentium ex omni parte mundi congregatarum. Iudaeis enim repulsis propter suam carnalitatem, convocavit Dominus gentes tanquam filios spirituales; unde dicitur Ioannis decimo [9]: « Alias oves habeo, quae non sunt de hoc ovili, et illas oportet me adducere ». Hae congregatae sunt ab omni parte mundi per ministerium Apostolorum, secundum illud Psalmi: « Omnes gentes, quascumque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum »; et Isaiae quadragesimo tertio: « Ab oriente adducam semen tuum et ab occidente congregabo te; dicam aquiloni: da; et austro: noli prohibere ». Ideo dicuntur de tam distantibus partibus convocari propter diversitatem morum, a quibus vocantur ad unitatem caritatis et felicitatis. — Propter quod subdit: *Et accumbent in regno Dei;* Isaiae vigesimo quinto [10]: « Faciet Dominus in monte hoc omnibus populis convivium pinguium, convivium vindemiae, pinguium medullatorum, vindemiae defaecatae ».

62. (Vers. 30.). Et quia hoc erit ad confusio- Sententia notabilis. nem reproborum et gloriam electorum, ideo subdit: *Et ecce, sunt novissimi qui erant* [11] *primi, et primi qui erant novissimi. Primi* sunt novissimi propter superbiam, et *novissimi* primi propter humilitatem; quia dicitur infra decimo octavo [12]: « Omnis, qui se humiliat, exaltabitur, et qui se exaltat humiliabitur ». Quare hoc? Quia in Psalmo dicitur: « Excelsus Dominus et humilia respicit, et alta a longe cognoscit ». Exemplum huius maxime apparet in Exemplum I.

---

[1] Vers. 19. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 13, 28: *Fletus* de ardore, *stridor dentium* de frigore solet excitari, quia ibi *transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium.* — Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 8. (c. 2.) primas quatuor tangibiles qualitates elementorum recensens (calidum, frigidum, siccum, humidum), docet, duas priores esse *activas,* posteriores vero *passivas.*

[2] Vers. 17. — Superius respicitur I. Ioan. 2, 16: Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum etc. — Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 38. n. 13. in fine.

[3] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, II. in Matth. 8, 12, ubi sequitur Hieron. in eundem loc.) in Luc. 13, 28.

[4] Codd. A G (D primitus) addunt *similis,* et post *resolutionis* A C D G H omittunt *humoris.* Cfr. Corn. a Lapide in Matth. 8, 12.

[5] Vers. 39. — Sequitur II. Petr. 1, 19.

[6] Vers. 70. — Tres Patriarchae propriis nominibus exprimuntur, quia ipsis primo et specialiter facta est repromissio de Filii Dei incarnatione; de Abraham cfr. Gen. 12, 3; 18, 18. et 22, 18; de Isaac ibid. 26, 4; de Iacob ibid. 28, 14. — Inferius pro *intrandum* C D G *intra.*

[7] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt Gen. 21, 10. et Ioan. 8, 35. — Glossa *interlinearis: Et omnes Prophetas,* a quibus successionem carnis, non fidei trahitis, quiescentes *in regno Dei, vos autem expelli foras.*

[8] Ita etiam B. Albert.; Vulgata et Vat. *et;* H cum S. Thom. (Cat. aurea in Luc. c. 13. n. 5.) *et ab.*

[9] Vers. 16. — Duo seqq. loci sunt Ps. 85, 9. et Isai. 43, 5. seq. — Glossa *ordinaria: Et venient..* gentiles, qui diu sine fide vixerant, ad fidem sunt vocandi, Iudaei exsecrandi.

[10] Vers. 6.

[11] Pro *erant* (quod etiam alii Scholastici: Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. et Lyranus exhibent) hic et paulo inferius Vulgata *erunt,* quae etiam vocibus *et primi* interserit *sunt* (ita et Vat. cum nonnullis codd.).

[12] Vers. 14, post quem Ps. 137, 6.

duplici populo, scilicet Iudaeorum, qui sunt excaecati, et gentilium, qui sunt electi; ad Romanos undecimo [1]: « Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, quia caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret ». Exemplum etiam huius apparet in Iuda, qui fuit Apostolus et damnatus, et in latrone, qui fuit salvatus, infra vigesimo tertio [2]. Et exemplo huius omnes excitantur ad timorem divinum, secundum illud primae ad Corinthios decimo: « Qui se existimat stare videat, ne cadat ».

Exemplum 2.

63. Ex hac igitur consideratione futuri iudicii inducimur ad insistendum continue operibus bonis propter triplicem rationem praemissam: primo, quia *difficile est in conspectu Domini iustificari* propter difficultatem in merito; unde Psalmus [3]: « Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens »; et primae Petri quarto: « Et si iustus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt »? — Secundo, quia *impossibile est excusari* propter rigiditatem in iudicio; Proverbiorum vigesimo octavo [4]: « Qui declinat aurem suam, ne audiat legem, oratio eius fiet exsecrabilis »; et Iob quadragesimo primo: « Non parcam ei, verbis potentibus et ad deprecandum compositis ». — Tertio, quia *necesse habet tribulari* propter calamitatem in supplicio; Apocalypsis vigesimo [5]: « Qui non inventus est in libro vitae scriptus missus est in stagnum ignis et sulphuris »; Matthaei vigesimo secundo dicitur de eo qui non habebat vestem nuptialem: « Ligatis manibus et pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium ». — Et propterea bonum est consilium Sapientis Ecclesiastae nono [6]: « Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; quia non est opus nec ratio nec sapientia nec scientia apud inferos, quo tu properas ».

Ad bonum operandum ratio prima. — Secunda. — Tertia.

64. *In ipsa autem die* etc. Postquam excitavit ad faciendum incessanter opera bona propter severitatem districtionis in iudicando, hic secundo excitat ad idem ipsum *propter sublimitatem dispositionis in redimendo* [7]. Habet autem pars ista partes duas, in quarum prima exprimitur sublimitas dispositionis divinae *in redemptione humani generis;* in secunda vero, *in reprobatione plebis rebellis*, ibi [8]: *Ierusalem, Ierusalem* etc.

De sublimitate divinae dispositionis in redimendo duo.

*Sublimitas autem divinae dispositionis in redimendo* ostenditur tripliciter, scilicet quia passio Christi ante tempus fuit *frustra ab homine* [9] *intentata;* in tempore debito fuit *a Christo voluntarie suscepta;* ab aeterno vero fuit *infallibiliter praeordinata.*

Primum ostenditur tripliciter.

65. (Vers. 31.). Primo igitur insinuatur passio Christi ab homine *ante tempus frustra intentata,* cum dicitur: *In ipsa die accesserunt quidam Pharisaeorum, dicentes illi: Exi et vade hinc* [10], *quia Herodes vult te occidere.* Hic Herodes erat filius Herodis, qui, volens infantulum Iesum occidere ante tempus, interfecit pueros Bethlehemitas, secundum quod dicitur Matthaei secundo: « Tunc Herodes, videns, quoniam illusus esset a Magis, mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem ». Sic et iste filius, paterni sceleris imitator, volebat eum occidere ante tempus, sicut interfecerat praecursorem suum; sicut dicitur Matthaei decimo quarto [11]: « Misit Herodes et decollavit Ioannem in carcere ». Sic etiam nunc facere volebat Christo iam adulto, et deinde nepos hoc facere voluit iam glorificato; unde primus Herodes fuit malus, secundus peior, sed tertius pessimus. Et omnes persecuti sunt Christum, sed frustra; quia dicitur in Psalmo [12]: « Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum et reprobat consilia principum ». — Et nota, quod Pharisaei hoc nuntiaverunt Christo, sive quia aliqui ex eis fortassis erant boni, sive quia volebant Christum deterrere et a se repellere; sive etiam, quia volebant eum tentare, si pro timore desisteret a praedicatione veritatis. Et illud est magis credibile, quia hoc consueverunt facere; unde Matthaei vigesimo secundo [13]: « Abeuntes Pharisaei, consilium inierunt, ut Iesum caperent in sermone; et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis ».

Passio Christi frustra intentata. — Notandum.

66. Et nota hic secundum *mysticum intellectum,* quod *Herodes* interpretatur glorians in pellibus [14], et designat quemlibet superbum et vanegloriosum, qui gloriatur in ostentatione exteriorum operum et verborum. Et talis *persequitur Christum nascentem* in Bethlehem, qui nascitur tanquam pauper, quia vanegloriosi consueverunt persequi pauperes Christi. Unde Bernardus in quodam sermone [15]: « Patet, quantum nocet iniqua potestas, quomodo caput impium subiectos quosque suae conformet impietati. Misera plane civitas, in qua regnat Herodes, quoniam Herodianae particeps erit malitiae. Herodiana vero malitia est nascentem velle exstinguere religionem. Si quid ergo ad salutem pertinens, si quid religionis

Expositio mystica.

---

[1] Vers. 25. et 26.

[2] Vers. 43. — Glossa *interlinearis* (ex Beda, III. in Matth. 19, 30.): *Et ecce, sunt novissimi, qui erant primi,* ut Iudas, et sunt *primi* etc., ut latro. — Subinde allegatur I. Cor. 10, 12.

[3] Psalm. 142, 2, cui subnectitur I. Petr. 4, 18.

[4] Vers. 9, post quem Iob 41, 3, in quo post *ei* Vulgata addit *et.*

[5] Vers. 15. et deinde Matth. 22, 13.

[6] Vers. 10.

[7] Cfr. supra n. 48.

[8] Vers. 34.

[9] E codd. C D H supplevimus *ab homine.*

[10] Codd. C D omittunt *hinc.* — Subinde allegatur Matth. 2, 7.

[11] Vers. 10. Cfr. supra c. 3. n. 3. et c. 9. n. 12. seq.

[12] Psalm. 32, 10, in quo pro *reprobat consilia* codd. *dissipat consilia.* Cfr. supra c. 1. n. 8, ubi de familia Herodum.

[13] Vers. 15. et 16.

[14] Hieron., de Nominib. Hebraic. novi testam. ex Luca: *Herodes,* pelliceus gloriosus.

[15] Serm. 3. in Epiph. Domini, n. 3. Post *malitiae* textus originalis hinc inde plura interserit.

exoritur, quicumque resistit, nascentem persequitur Salvatorem ».

assio Christi voluntarie suscepta.

67. (Vers. 32.). Secundo vero insinuatur passio Christi *ut ab ipso voluntarie suscepta*, cum subditur: *Et ait illis: Ite et dicite vulpi illi. Vulpem* vocat Herodem propter malitiam et dolositatem, quae tamen sapientiae Christi non praevalet; Sapientiae septimo [1]: « Sapientiam non vincit malitia. Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter ». — Et quia mors Christi non erat consummanda secundum machinationem humanae malitiae, sed secundum dispositionem propriae sapientiae et voluntatis suae; ideo subdit: *Ecce, eiicio daemonia et sanitates perficio hodie et cras,* per miraculorum operationem; Actuum decimo [2]: « Pertransiit bene faciendo et sanando omnes oppressos a diabolo ». — *Et tertia die consummor,* per passionis perpessionem, in qua dixit Ioannis decimo nono [3]: « Consummatum est »; et ad Hebraeos secundo: « Decebat autem eum, propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, per passionem consummari ». Unde per istos *tres dies* possunt intelligi tres anni, in quibus Dominus praedicavit et miracula fecit, et ita quod in ultimo voluntarie passus fuit et secundum suam voluntatem; Ioannis decimo [4]: « Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam ». Unde quando noluit, nemo eum laedere potuit, secundum illud Ioannis septimo: « Nemo in eum manus misit, quia nondum venerat hora eius ». Unde vulpina malitia machinari potuit mortem Christi, verumtamen non potuit perficere, nisi sicut ipse voluit; de quo Isaiae quinquagesimo tertio [5]: « Oblatus est, quia ipse voluit ». — Et per hoc etiam *spiritualiter intelligitur,* quod Christi *corpus mysticum* non patitur, nisi secundum quod Deus disponit, ab impiis haereticis, quos dat Christus intelligi per *Herodem,* attribuens ei nomen et proprietatem vulpis.

Spiritualis expositio.

Passio Christi ab aeterno praeordinata.

68. (Vers. 33.). Tertio insinuatur Christi passio *ut ab aeterno infallibiliter praeordinata;* unde subiungit: *Verumtamen oportet, me hodie et cras et sequenti die ambulare.* Opportunitas ista non fuit ex compulsione, sed ex superna dispositione, secundum illud infra ultimo [6]: « O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt Prophetae » etc. Hoc enim Deus praeviderat, secundum quod dicitur Actuum secundo: « Hunc definito consilio et praescientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes, interemistis ». Hoc etiam Prophetae praedixerunt, secundum quod dicitur Actuum tertio: « Deus autem, qui per os Prophetarum nuntiavit, pati Christum suum, sic implevit ». Istam opportunitatem divinae dispositionis insinuavit ipse in passione sua, cum oravit, sicut dicitur Matthaei vigesimo sexto [7]: « Pater mi, si non potest transire hic calix, nisi bibam illum, fiat voluntas tua ».

Etiam secundum locum.

69. Et quia divina dispositio non tantum praeordinavit tempus, verum etiam locum; ideo subdit: *Quia non capit, Prophetam perire extra Ierusalem; non capit,* « id est, non convenit [8] », non capit *Scriptura prophetalis,* vel non capit *divina providentia.* Propheta iste per excellentiam Christus est, qui cuncta futura praenoscit; de quo Deuteronomii decimo octavo [9]: « Prophetam de fratribus vestris sicut me suscitabit vobis Dominus »; et supra septimo: « Propheta magnus surrexit in nobis ». Istum non convenit mori nisi in Ierusalem, secundum Scripturas, et quia illa erat civitas regalis, magistralis et sacerdotalis, et Christus erat summus rex et magister et sacerdos. Et ideo non debebat mori nisi in illo loco; unde infra decimo octavo [10]: « Ecce, ascendimus Ierosolymam, et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per Prophetas de Filio hominis ». Nam Prophetae hoc universaliter praedixerunt, quod de Ierusalem veniret lex nova; unde Isaiae secundo [11]: « Venite, ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob; quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem »; et Zachariae decimo tertio: « In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatae ». — Et nota, quod Christus in Ierusalem condemnatus est, sed extra portam passus est; unde ad Hebraeos decimo tertio [12]: « Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est ».

Notandum.

Expositio spiritualis.

70. *Mystice* vero notandum est hic, quod istud triduum secundum diversos expositores exponitur

[1] Vers. 30. et 8, 1. — Cfr. supra pag. 249, nota 8. — Secundum Cyrill. Alexandr., Theophylact. etc. haec Christi verba non tam ad Herodem, quam ad ipsos Pharisaeos diriguntur. In Graeco enim habetur: τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ, id est vulpi *huic.*

[2] Vers. 38. — Glossa *interlinearis* (cfr. August., II. de Consensu Evangelist. c. 75. n. 145.): *Ecce, eiicio daemonia,* ut homines sua peccata et errores damnent, in quibus vixerunt; *et sanitates perficio,* ut vivant secundum praecepta mea, quae sunt vera sanitas; *hodie et cras, et tertia die consummor,* et sic praeparatos in resurrectione mecum glorificabo.

[3] Vers. 30, post quem Hebr. 2, 10, in cuius fine pro *consummari* Vulgata *consummare.*

[4] Vers. 18. — Subinde allegatur Ioan. 7, 30.

[5] Vers. 7. — Superius pro *nisi sicut* Vat. *nisi quando.* — Inferius plures codd., ut A C D, omittunt *mysticum.*

[6] Vers. 25. — Duo seqq. loci sunt Act. 2, 23. et 3, 18.

[7] Vers. 42. — Glossa *interlinearis: Verumtamen oportet me... ambulare,* haec ambulatio ad litteram intelligitur, qua ibat in Ierusalem.

[8] Ita Glossa *interlinearis: Non capit,* absolute, id est, non convenit, vel non capit Herodes. — Superius post *tempus* B supplet *passionis.*

[9] Vers. 15, in quo pro *fratribus vestris* (ita H, qui convenit cum supra c. 7. n. 30. posita lectione) A C D G *fratribus meis,* qui etiam cum H omittunt *sicut me;* Vulgata legit *de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi* etc. — Sequitur Luc. 7, 16.

[10] Vers. 31. — Glossa *ordinaria* in Luc. 13, 33: Non poterit perturbare Herodes, quin ita agam et ita consummar, sed nec mortem corporis mei poterit operari, quam in Ierusalem oportet fieri, ubi non ipse, sed Pilatus dominatur.

[11] Vers. 3, post quem Zach. 13, 1.

[12] Vers. 12.

tripliciter: *allegorice, moraliter* et *anagogice.* — [Allegorice.] *Allegorice* sic: prima dies est lex *naturae,* secunda est lex *Scripturae* et tertia est lex *gratiae;* de quo Marci octavo[1]: « Misereor super turbam, quia ecce, [Aliter.] iam triduo sustinent me ». — Vel, primus dies est *passionis;* secundus, *sepulturae;* sed tertius, *resurrectionis;* Ioannis secundo[2]: « Solvite templum [Aliter.] hoc, et in tribus diebus excitabo illud ». — Vel, prima dies est *decursus sextae aetatis;* secunda, *quies animarum;* sed tertia, *resurrectio corporum,* quae est in octava; Osee sexto[3]: « Vivificabit nos post duos dies et in die tertia suscitabit nos ».

71. *Moraliter* sic, ut prima dies sit *compun-* [Moraliter.] *ctionis;* secunda, *confessionis;* tertia, *satisfactionis;* Exodi quinto[4]: « Dominus Deus Hebraeorum vocavit nos; ibimus viam trium dierum in solitudi- [Aliter.] nem ». — Vel, prima dies bona *cogitatio,* secunda est bona *locutio* et tertia est bona *operatio;* Ionae tertio[5] secundum translationem Septuaginta: « Adhuc [Aliter.] tres dies, et Ninive subvertetur ». — Vel, tres dies sunt triplex votum religionis, scilicet *castitatis, obedientiae* et *paupertatis;* Genesis quadragesimo[6]: « Tres dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerii tui et restituet te in gradum pristinum ».

72. *Anagogice* sic, ut prima dies sit *purgatio;* [Anagogice.] secunda, *illuminatio,* et tertia, *perfectio;* supra secundo[7]: « Factum est, post triduum invenerunt eum [Aliter.] in templo ». — Vel, ut prima dies sit contemplatio Dei in suo *vestigio,* secunda sit Dei in *imagine* sive in speculo, tertia, in *se ipso;* Numerorum decimo[8]: « Arca Domini praecedebat eos per tres dies, pro- [Aliter.] videns castrorum locum ». — Vel, prima dies sit contemplatio *hierarchiae subcaelestis;* secunda, *caelestis,* et tertia, *supercaelestis*[9]. In prima est *daemoniorum eiectio;* in secunda est *sanitatis perfectio,* sed in tertia, *omnis boni consummatio;* et de hoc triduo, Iosue secundo[10]: « Exploratores venerunt ad montana et manserunt ibi per tres dies ». — Haec [Arca, Christus.] *arca* Christus est, qui in qualibet istarum hierarchiarum est hierarcha altissimus et dux noster, ut veniamus ad terram promissionis nobis repromissam[11]. In cuius *figuram* dicit, se per *triduum ambulare,* quia facit nos per hanc triplicem hierarchiam semper sursum ascendere, nisi forte descendamus ad actiones. In cuius figuram Genesis vigesimo octavo[12] dicitur, quod vidit « Iacob Angelos Dei *ascendentes* et *descendentes* in scala »; nullus vidit eos *stantes.* In quo signatur, quod semper in bono proficiendum est. Hoc enim est appropinquare ad supernam Ierusalem, cui non appropinquamus passibus corporis, sed affectibus cordis et mentis.

73. (Vers. 34.). *Ierusalem, Ierusalem* etc. Post- [Secundo ostenditur dupliciter.] quam manifestavit sublimitatem divinae dispositionis in redemptione humani generis, hic secundo manifestat in *reprobatione plebis rebellis*[13]. Et primo insinuat *rebellionem,* deinde *obdurationem* et tertio *desertionem.*

Primo igitur quantum ad illius gentis *rebellio-* [Primo insinuatur rebellio.] *nem* dicit: *Ierusalem, Ierusalem, quae occidis Prophetas et lapidas eos qui mittuntur ad te*[14]. Hic accipitur continens pro contento; Actuum septimo: « Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis ». « Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri »? Unde quarti Regum vigesimo primo: « Sanguinem innocentem fudit Manasses multum nimis, donec impleretur Ierusalem usque ad os ». Et hoc faciebant, quia habebant odio veritatem, secundum illud Amos

---

[1] Vers. 2. Haec expositio est secundum Glossam *ordinariam* (ex Beda) in Matth. 15, 32.

[2] Vers. 19. Cfr. Bernard., Serm. in die sancto Paschae, n. 8.

[3] Vers. 3. Cfr. Breviloq. Prolog. § 2. et in Hexaëm. collat. 15. n. 12. seqq. — Pro *est in octava* (H addit *aetate*) Vat. *est in vitam.*

[4] Vers. 3. (cfr. supra pag. 335, nota 3.), in quem locum Origen. (Homil. 3. in Exod. n. 3.): Ego viam illum intelligo, qui dixit [Ioan. 14, 6.]: *Ego sum via et veritas et vita...* Haec quantum ad mysticum pertinet intellectum. Si vero etiam moralem... tridui iter de Aegypto proficiscimur, si purificantes in nobis *dicta, facta* vel *cogitata* (tria sunt enim haec, per quae peccare homines possunt), efficiamur *mundi corde,* ut possimus Deum videre [Matth. 5, 8.]. Cfr. Bernard., Serm. 1. in Dominica 6. post Pentec. n. 2.

[5] Vers. 4, ubi Vulgata: *Adhuc quadraginta dies* etc. Cfr. Hieron., in hunc loc., ubi in nota adiecta ponitur, quod Septuaginta « non *tres* tantum, sed *quadraginta tres* scripsisse videantur », pro quo allegatur Iustin., Dialog. cum Tryphone.

[6] Vers. 12. et 13, ubi post *sunt* cum G et Vulgata posuimus *post quos,* H cum Vat. *in quibus.*

[7] Vers. 46. De hac expositione, quae respicit tres actus hierarchicos secundum Dionys., cfr. tom. II. pag. 267, nota 4; vide etiam supra n. 46.

[8] Vers. 33. Cfr. I. Sent. d. 3. p. I. q. 2. ad 4; III. Sent. d. 14. a. 3. q. 1. et Itiner. mentis in Deum, c. 1. n. 2. seqq.

[9] Cfr. II. Sent. d. 9. Praenotata, Breviloq. Prolog. § 3. et in Hexaëm. collat. 20. seqq.

[10] Vers. 22. Cfr. supra pag. 355, nota 2. Glossa *interlinearis.* — Etiam Card. Hugo, in Luc. 13, 33. diversas *tridui* adducit expositiones.

[11] Cfr. Hexaëm. collat. 3. n. 12. seqq.

[12] Vers. 12. Bernard., Epist. 254. n. 5: Vidit scalam Iacob et in scala Angelos, ubi nullus residens, nullus subsistens apparuit, sed vel *ascendere,* vel *descendere* videbantur universi; quatenus palam daretur intelligi, inter profectum et defectum in hoc statu mortalis vitae nihil medium inveniri, sed... spiritum aut proficere semper, aut deficere. Cfr. supra pag. 349, nota 11. — August., in Ioan. Evang. tr. 48. n. 3: Qui credit accedit, qui negat recedit. Non movetur anima pedibus, sed affectibus. Cfr. tom. VI. pag. 166, nota 7. — Pro *nullus vidit* H *nunquam vidit.*

[13] Cfr. supra n. 64.

[14] Codd. C D (cfr. B. Albert. et Gorran.) *qui ad te missi sunt* (ita Matth. 23, 37.). — Glossa *interlinearis* (Hieron., IV. Comment. in Matth. 23, 37.): *Ierusalem, Ierusalem,* homines, non saxa, plangit affectu patris. — Isidor., I. Etymolog. c. 37. n. 8: *Metonymia* est transnominatio ab alia significatione ad aliam proximitatem translata. Fit autem multis modis: aut per id quod continet id quod continetur, ostendit, ut *theatra plaudunt, prata mugiunt,* dum illic homines plaudant, hic boves mugiant; aut per id quod continetur id quod continet etc. — Subinde allegantur Act. 7, 51. seq. (cfr. supra pag. 290, nota 6, et Gregor., II. Homil. in Ezech. homil. 6. n. 14.) et IV. Reg. 21, 16, ubi pro *innocentem* Vulgata *innoxium.*

quinto[1]: « Odio habuerunt corripientem in porta et loquentem perfecte abominati sunt ». Et hoc erat, quia nolebant argui; « qui enim male agit odit lucem et non venit ad lucem ». Propter quod dicitur Ezechielis secundo: « Fili hominis, mitto ego te ad gentes apostatrices, quae recesserunt a me; patres praevaricati sunt pactum meum, et filii dura cervice et indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te ». Et hoc significat[2] ipsa *lapidatio*.

Secundo, obduratio.

74. Secundo quantum ad illius gentis *obdurationem* subdit: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, et noluisti*[3]*!* In quo nimia eorum apparet obduratio, quia tanta benignitate noluit emolliri. — Christus autem comparavit se *avi* in tantum[4], quia proprietatem multiplicem habet avis quantum ad *superabundantiam pietatis*. Comparatur autem *gallinae* in *conversatione*, quia gallina sua pietate et vigilantia movetur ad pullos et eos congregat et eos alis defendit contra rapacitatem milvi. Sic et Christus fecit, quamdiu in carne fuit; ideo Matthaei vigesimo tertio[5]: « Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti »! — Comparatur *pellicano* in *passione*, quia pellicanus fertur pullos suos occisos triduo lugere et post rostro sanguinem suum fundere, et sic vivificare[6]. Hoc modo Christus ter flevit pro salute humani generis: primo super Lazarum, Ioannis undecimo; secundo super Ierusalem, infra decimo nono; tertio in cruce, ad Hebraeos quinto. Et post sanguinem suum fudit, de quo et nos vivificavit; unde Psalmus: « Similis factus sum pellicano solitudinis ». — Tertio comparatur *aquilae* in *resurrectione* et *ascensione*, quae pullos excitat, ut sursum tendant et in solem aspiciant et in sublimia volent. Et ut hoc possint, lambunt eius sanguinem; unde Iob trigesimo nono[7]: « Nunquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila et in arduis ponet nidum suum » etc., usque ibi: « Pulli eius lambunt sanguinem ». Haec autem avis, licet dura sit extraneis, valde tamen intenta est providentiae suae prolis; propter quod merito assimilatur ei Christus, redemptor noster. Unde Deuteronomii trigesimo secundo[8]: « Eduxit eum et docuit et custodivit eum quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila, provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans, expandit alas suas et assumsit eum atque portavit in humeris suis ». — Hanc benignitatem recusare est summae obdurationis et perfidiae; propter quod Isaiae primo[9]: « Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis! Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum ».

Comparatur Christus avibus.

Gallinae in conversatione.

Pellicano in passione.

Aquilae in resurrectione.

Notandum.

Tertio, desertio.

75. (Vers. 35.). Tertio quantum ad illius gentis *desertionem* subdit: *Ecce, relinquetur vobis domus vestra deserta;* Isaiae primo[10]: « Terra vestra deserta, civitates vestrae succensae sunt igni ». « Et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea et sicut tugurium in cucumerario et velut civitas, quae vastatur ». — Et quoniam, sicut obdurationi coniungitur desertio, ita devotioni iuncta est visitatio; ideo subiungit: *Dico autem vobis: Quia non videbitis me, donec veniat, cum dicetis: Benedictus, qui venit in nomine Domini;* Psalmus[11]: « Benedictus, qui venit in nomine Domini. Benediximus vobis de domo Domini; Deus Dominus et illuxit nobis ». Istud autem referri potest ad *visionem fidei*, qua non videt, nisi qui credit eum verum hominem et verum Deum; Ioannis nono[12]: « Dixit Dominus caeco nato: Tu credis in Filium Dei? Respondit ille et dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. Et ille ait: Credo, Domine; et procidens adoravit eum ». — Potest etiam referri ad *visionem speciei*, ad quam non pervenit, nisi qui benedicit vita et lingua; Isaiae vigesimo sexto[13]: « Tollatur impius, ne videat gloriam Dei », secundum aliam translationem; secundum autem nostram dicitur: « In terra Sanctorum iniqua gessit et non videbit gloriam Domini ».

Visitatio.

Aliter.

---

[1] Vers. 10. — Sequuntur Ioan. 3, 20. et Ezech. 2, 3. seq.

[2] Cod. C *figurat*.

[3] Codd. C D *noluistis*. — Inferius pro *noluit* A *noluerunt*.

[4] Vat. *in communi*, H *indeterminate*, qui etiam subinde pro *multiplicem* substituit *multiplicis* (confirmatur falsa lectione A C D *multitudinis*); Vat. legit *multiplicem habet avis. Quantum ad superabundantiam pietatis comparatur gallinae* etc. Beda, IV. in Luc. 13, 34: Et pulcre qui Herodem de sua nece tractantem *vulpem vocarat* [v. 31. seq.], se ipsum *avi* comparat. Fraudulenta enim vulpes semper insidias avibus tendere non cessat.

[5] Vers. 37, quem exponens August. (I. Qq. Evangelior. q. 36.) ait: Hoc genus animantis magnum affectum in filios habet, ita ut eorum infirmitate affecta et ipsa infirmetur, et quod difficilius in ceteris animantibus invenies, alis suis filios protegens contra milvum pugnet; sic etiam mater nostra, Sapientia Dei, per carnis susceptionem infirmata quodam modo... protegit infirmitatem nostram et resistit diabolo, ne nos rapiat etc.

[6] Vide August., Enarrat. in Ps. 101. serm. 1. n. 8, ubi idem refert, sed haec verba praemittit: « Quod enim dicitur vel etiam legitur de hac ave, id est pellicano, non taceamus, non aliquid affirmantes temere, sed tamen non tacentes quod qui scripserunt et legi et dici voluerunt. Vos sic audite, ut, si verum est, congruat; si falsum est, non teneat ». — Subinde allegantur Ioan. 11, 35; Luc. 19, 41; Hebr. 5, 7. et Ps. 101, 7.

[7] Vers. 27-30. Vide August., Annotation. in Iob 39, 27-30. et Gregor., XXXI. Moral. c. 47-53. n. 94-106. — Superius pro *quae pullos* A C D G H *qua pullos*.

[8] Vers. 10. et 11. — Superius pro *Haec autem avis* D *Haec autem aquila*.

[9] Vers. 4.

[10] Vers. 7. et 8.

[11] Psalm. 117, 26. et 27.

[12] Vers. 35-38. — Glossa *ordinaria* (ex Hieron., IV. in Matth. 23, 39.) in Luc. 13, 35: Nisi poenitentiam egeritis et confessi fueritis me Filium omnipotentis Patris, in secundo adventu faciem meam non videbitis.

[13] Vers. 10, quem Hieron. secundum Septuaginta sic exhibet: *Auferatur impius, ut non videat gloriam Domini;* secundum Vulgatam: *In terra Sanctorum iniqua egit et non videbit gloriam Domini* (codd. C D hanc secundam versionem omittunt). — Pro *aliam translationem* G *aliam litteram*.

In iudicio visio duplex.

76. Et nota, quod, secundum quod exponit Glossa [1], loqnitur hic de *visione in iudicio*, quia post visionem Christi in humilitate non exspectatur nisi visio in maiestate, et haec erit duplex: *Divinitatis* et *humanitatis: Divinitatis*, et haec erit bonorum omnino, quia habebit gaudium adiunctum maximum; Iob trigesimo tertio [2]: « Videbit faciem eius in iubilo, et reddet homini iustitiam suam »; et Isaiae trigesimo tertio: « Regem in decore suo videbunt » etc. Alia est visio *humanitatis*, et haec erit omnibus communis. Omnes enim certitudinaliter videbunt potentiam et dominium Christi; Apocalypsis primo [3]: « Ecce, veniet cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt ». Vult ergo Dominus dicere, quod ille populus Iudaicus non videbit Christum ad suam salutem, nisi convertatur ad fidem et ipsius laudem; quod tandem exspectatur in finali tempore post gentium plenitudinem; unde ad Romanos undecimo [4]: « Caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret »; et ad Romanos nono: « Isaias clamat pro Israel: Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiae salvae fient ». Et in hoc manifeste apparet altitudo dispensationis divinae, propter quam exclamat Apostolus ad Romanos undecimo [5]: « O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius »! Notandum.

## Capitulum XIV.

**Confutatio calumniantium miracula, quae fit in convivio, de qua tria.**

1. *Et factum est, cum intraret* [6] *in domum* etc. Supra confutavit calumniantes Christi miracula in concilio, hic aperte confutat eos *in convivio*. In his enim duobus locis consueverunt potissime detractiones fieri et observationes, scilicet in conciliis et in
Divisio. conviviis [7]. Dividitur autem pars ista, quae continet praesens capitulum, in tres partes. In quarum prima *confutat Pharisaeos observantes*; in secunda *informat convivas discumbentes*, ibi [8]: *Dicebat autem et ad invitatos;* in tertia vero *erudit turbas subsequentes*, ibi: *Ibant autem et turbae multae cum eo.*

**Primo confutantur Pharisaei observantes, de quo tria.**

Circa autem *confutationem observantium* hoc ordine procedit: quia primo ponitur *observatio Pharisaeorum;* secundo adiungitur *detectio observatorum*, ibi [9]: *Et ecce, homo quidam hydropicus;* tertio vero, *detectorum confutatio*, ibi: *Ipse vero apprehensum*
De primo duo. *sanavit eum.* — *Observatio* autem *Pharisaeorum*, qua [10] observabant Christum, describitur quantum ad duo, scilicet quantum ad *benignitatem Christi* et *Pharisaeorum malignitatem*.

2. (Vers. 1.). Quantum ergo ad Christi benignitatem dicit: *Et factum est, cum intraret* [11] *in domum principis Pharisaeorum Sabbato manducare panem*, in quo apparet mira Christi benignitas: *magna* in hoc, quod conversabatur cum hominibus mortalibus, cum esset Deus; Baruch tertio [12]: « Hic est Deus noster, et non aestimabitur alius ad eum ». « Post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus est ». *Maior* quidem, quia conversabatur cum suis persecutoribus; unde impletum est in eo illud Ezechielis secundo [13]: « Fili hominis, increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas ». Sed *maxima* benignitas, quia conversabatur usque ad familiare contubernium, ut impleatur illud Apocalypsis tertio: « Ego sto ad ostium et pulso; si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum et coenabo cum illo, et ipse mecum ». In hoc igitur, quod *intravit domum alienam*, commendatur Christi *humilitas;* in hoc, quod in *domum Pharisaei*, caritas; in hoc, quod *manducavit panem alienum*, ipsius Christi *paupertas;* et in his ostenditur *summa benignitas*, qua *altissimus* voluit pro nobis humiliari, *iustissimus* cum impiis conversari, *ditissimus* inter homines pauper fieri; unde secundae ad Corinthios octavo [14]: « Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, Benignitas Christi triplex. Notandum.

---

[1] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur August., II. de Consensu Evangelist. c. 75. n. 145.): *Cum dicetis:* Hoc quidem turbae dixerunt, Domino veniente in Ierusalem [cfr. Luc. 19, 38; Matth. 21, 9.]; sed quia Lucas non dicit, Dominum ad Galilaeos postea reversum, ut ab illis hoc ei decantaretur, cogit mystice hoc de adventu claritatis intelligi.

[2] Vers. 26, post quem Isai. 33, 17.

[3] Vers. 7. Cfr. IV. Sent. d. 48. a. 1. q. 1. seqq.

[4] Vers. 25. et 26, post quos 9, 27.

[5] Vers. 33. — Superius pro *altitudo dispensationis* Vat. *magnitudo dispensationis.*

[6] Vulgata addit *Iesus*, quod omittit etiam Beda (apud Card. Hug. et Lyranum notatur in margine, quod alias omissum sit *Iesus*); idem recurrit infra n. 2.

[7] De principali divisione huius partis vide supra c. 13. n. 21.

[8] Vers. 7, ubi plures codd. post *autem* omittunt *et* (idem recurrit infra n. 14. et 15.); tertium habetur v. 25, in quo codd. hic omittunt *multae*, quod tamen inferius n. 51. exhibent.

[9] Vers. 2; tertium habetur v. 4, ubi hic, sed non infra n. 7. codd. omittunt *vero*. — Superius pro *detectorum* Vat. *detractorum* (cfr. infra n. 7.).

[10] Cod. D (a secunda manu). *qui.*

[11] Cfr. supra nota 6.

[12] Vers. 36. et 38, ubi pro *ad eum* (ita etiam Septuaginta) Vat. cum Vulgata *adversus eum.*

[13] Vers. 6. — Subinde allegatur Apoc. 3, 20.

[14] Vers. 9.

quia, cum dives esset, propter nos egenus factus est, ut illius inopia nos divites essemus».

Malignitas Pharisaeorum.

3. Secundo autem quantum ad *observantium malignitatem* subdit: *Et ipsi observabant eum.* Non dicit Evangelista *in quo*, ut insinuet, quod observabant et *verba* et *miracula*, et observabant ad reprebendendum et arguendum; supra undecimo[1]: «Coeperunt Pharisaei et legisperiti insistere et os eius opprimere, insidiantes ei et quaerentes capere aliquid ex ore eius, ut accusarent eum»; unde et Ioannis decimo quinto: «Si me persecuti sunt, et vos persequentur; si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt». Observabant etiam *miracula*, secundum quod dicitur Marci tertio[2]: «Observabant eum, si Sabbato curaret, ut accusarent eum». Unde haec observatio procedebat ex *malitia insidiante;* contra quam dicitur Proverbiorum vigesimo quarto: «Ne insidieris et quaeras impietatem in domo iusti neque vastes requiem eius». Sed quia difficillimum est homini malitioso declinare proximi observationem, ideo dicitur Proverbiorum vigesimo tertio[3]: «Ne comedas cum homine invido et ne desideres cibos eius, quoniam in similitudinem arioli et coniectoris aestimat quod ignorat. Comede et bibe, dicet tibi; mens eius non est tecum. Cibos, quos comederas, evomes et perdes pulcros sermones tuos».

De secundo tria.

4. (Vers. 2.). *Et ecce, homo quidam*[4] *hydropicus.* Post descriptam observationem Pharisaeorum hic secundo describit *detectionem observatorum;* circa quam introducuntur tria, scilicet *aegritudo ad detectionem disponens, quaestio detegens* et *simulatio tegens.*

Aegritudo ad detectionem disponens.

Primo ergo quantum ad *aegritudinem disponentem ad observatorum detectionem* dicit: *Et ecce, homo quidam hydropicus erat ante illum.* Ad litteram hic *hydropicus* sua infirmitate manifesta[5] et gravi viam praebebat ad confutandam et detegendam Iudaeorum perfidiam. Et quoniam tempus et locus se offerebat, ideo dicit: *Et ecce,* quasi Dominus tunc adduxisset eum in medium; unde Ecclesiastici trigesimo nono[6]: «Opera omnis carnis coram illo, et non est quidquam absconditum ab oculis eius». «Nec est dicere: Quid est hoc, aut quid est istud? Omnia enim in tempore suo quaerentur»; et post: «Omnia opera Domini bona, et omne opus sua hora subministrabit». Unde haec aegritudo corporalis valebat ad impugnandam et expurgandam aegritudinem spiritualem, quia directe erat illi contraria[7]. Nam hic homo hydropicus erat ante Iesum ad misericordiam implorandam, quam Pharisaei impugnabant. Implorabat namque misericordiam Dei, quia erat *homo;* nam Ecclesiastici decimo octavo[8]: «Misericordia Dei super omnem carnem»; et quia *homo infirmus*, secundum illud Ecclesiastici undecimo: «Est homo marcidus et indigens recuperatione, plus deficiens virtute, et oculus Dei respexit illum in bono»; et quia *ante illum* erat, quia tales recurrunt ad Deum, et talibus condescendit Deus; Psalmus[9]: «Quoniam prospexit de excelso sancto suo, Dominus de caelo in terram aspexit».

Quaestio detegens.

5. (Vers. 3.). Secundo quantum ad *quaestionem detegentem* subdit: *Et respondens Iesus dixit ad legisperitos et Pharisaeos.* Signanter dicit *respondens*, cum nullus prius aliquid quaereret, quia respondebat ad eorum *cogitationes*, quas videbat et audiebat, secundum illud Matthaei nono[10]: «Cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris»? Unde Glossa: «*Respondens Iesus*, insidiosis observatoribus», quia dicitur Sapientiae primo: «Auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur». Et ideo respondet cogitationibus faciendo illis quaestionem, quam et ipsi cogitabant, cum subdit: *Dicens: Si licet Sabbato curare?* — Hanc quaestionem leguntur Pharisaei Domino fecisse, sicut legitur Matthaei duodecimo[11]: «Interrogabant, si licet Sabbato curare, ut accusarent eum». Sed Lucas exprimit illorum cogitatus, Matthaeus exprimit verbum. Hoc quaerebat Dominus ab eis, quia ipsi fatebantur se legisperitos; unde Glossa[12]: «A legisperitis iudicium Legis quaerit». Propter quod Malachiae secundo: «Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt de ore eius»; et Glossa ibidem: «Si sacerdos de lege interrogatur, doceat; alioquin frustra iactat dignitatem, cuius non exhibet operationem».

Difficultas solvitur.

Simulatio tegens.

6. (Vers. 4.). Tertio quantum ad *simulationem tegentem* subdit: *At illi tacuerunt.* Ideo tacuerunt,

[1] Vers. 53. et 54; sequitur Ioan. 15, 20. — Superius post *et observabant* B bene supplet *verba*, et pro *ad reprehendendum* Vat. cum nonnullis codd. *ad comprehendendum.*

[2] Vers. 2. — Subinde allegatur Prov. 24, 15. — Superius post *miracula* B addit *ad calumniandum.*

[3] Vers. 6-8.

[4] Plures codd. hic omittunt *quidam*, quod tamen paulo inferius exhibent; cfr. supra n. 1, ubi hic versus tanquam pars secunda constituta est.

[5] Codd. A C D F G *manifestata.*

[6] Vers. 24. (Vat. addit v. 25. et Prov. 24, 16: *Septies enim cadet iustus* etc.); deinde v. 26. et 39.

[7] Glossa *ordinaria* (secundum Bedam) apud Lyranum in Luc. 14, 4: Vitium, quod iste in corpore, Pharisaei gestabant in mente; et ideo coram ipsis curatur corporaliter, ut hoc exemplo discant spiritualiter curari. Cfr. Gregor., XIV. Moral. c. 12. n. 14.

[8] Vers. 12. — Sequitur Eccli. 11, 12. seq.

[9] Psalm. 101, 20.

[10] Vers. 4, post quem Glossa *interlinearis* (de qua cfr. Beda), in qua pro *observatoribus* nonnulli codd. *observationibus*, et dein Sap. 1, 10.

[11] Vers. 10. — Inferius codd. perperam: *Sed Matthaeus exprimit illorum cogitatus, Lucas exprimit verbum*, in qua falsa lectione transposuimus voces *Matthaeus* et *Lucas;* vel legendum cum D (a secunda manu) *Sed Matthaeus exprimit illorum verbum, Lucas exprimit cogitatus;* vel cum Vat. *Sed Matthaeus expressit illorum cogitatus verbo, Lucas non exprimit verbo.*

[12] Scilicet *interlinearis*, cui subiunguntur Malach. 2, 7. et Glossa *interlinearis* (ex Hieron.) in eundem loc., in qua post *doceat* textus originalis addit *resistentes convincat.*

quia, videntes se deprehensos et detectos, timebant sua responsione confundi; unde Glossa Bedae [1]: « Merito tacent qui contra se dictum, quidquid dixerint, vident. Si enim licet, cur *observant?* Si non licet, cur *pecora curant* »? Unde ipsi tacendo simulabant ignorantiam, ut cooperirent malitiam. Simile habetur Matthaei vigesimo primo [2], ubi, cum quaesisset Dominus de baptismo Ioannis, unde erat, noluerunt respondere, ne convincerentur de incredulitate. Unde poterat de istis dici illud Ecclesiastici trigesimo septimo: « O praesumtio nequissima! unde creata es cooperire aridam malitiam »? Quando autem istis deficiebant folia verborum, recurrebant ad ignorantiae tenebras et defectum verborum; unde tacebant non ex prudentia, sed ex ignorantia, quae habet adiunctam malitiam; unde Ecclesiastici vigesimo [3]: « Est tacens, non habens sensum loquelae; et est tacens, sciens tempus apti temporis ».

7. *Ipse vero apprehensum* etc. Post detectionem observatorum subditur hic *confutatio detectorum* [4], quam describit Evangelista tripliciter, scilicet quantum ad *magnificentiam facti, efficaciam verbi, evidentiam signi.* (De tertio tria.)

Primo igitur quantum ad *magnificentiam facti* dicit: *Ipse vero apprehensum sanavit eum ac dimisit.* In hoc, quod *apprehendit*, apparet eius *humilitas*, quia non dedignatur tangere infirmitates ad docendam humilitatem; propter quod dicit Apostolus ad Hebraeos secundo [5]: « Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahae ». In hoc, quod *sanavit*, apparet *virtuositas;* unde supra sexto: « Virtus de illo exibat et sanabat omnes ». In hoc, quod *dimisit*, apparet *liberalitas*, scilicet abire liberum. Non enim redegit in servitutem propter collatum beneficium, sed dimisit abire liberum; Glossa [6]: « *Dimisit* eum abire corporaliter sanatum, ut se transferret ad salutem animarum ». Unde supra octavo ad illum daemoniacum, quem sanaverat, dixit: « Vade in domum tuam et narra, quanta tibi fecerit Deus ». (Magnificentia facti.) Ac per hoc Christus in modo faciendi illud miraculum per *humilitatem* confutat Iudaeorum superbiam; per *virtutem*, eorum desidiam; per *liberalitatem* et *benignitatem*, eorum perfidiam, cum ipsi nec dignarentur tangere nec possent curare nec vellent liberare. (Notandum.)

8. (Vers. 5.). Secundo quantum ad *efficaciam verbi* subdit: *Et respondens ad illos dixit: Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet,* scilicet per casualem eventum, quia haec temporalium possessio multis modis potest periclitari et amitti: aliquando ab *interiori*, per propriam mortem, sicut tota die videmus; aliquando ab *exteriori*, per alienam tyrannidem, sicut Iob primo [7]: « Boves arabant, et asinae pascebantur, et irruerunt Sabaei et tulerunt omnia »; aliquando a *superiori*, per pestilentiam; Exodi nono: « Ecce, manus mea erit super equos tuos et asinos et camelos et boves, pestis valde gravis »; aliquando ab *inferiori*, per ruinam, sicut hic. Unde non sunt haec multum amanda, quae possunt tot modis amitti [8]. (Efficacia verbi.) (Notandum.)

9. Et tamen istas possessiones diligebant multum Pharisaei; unde Glossa [9]: « Omnes in hac avaritia similes estis »; amor enim bovis et asini faciebat eos non curare de observantia Sabbati. Ideo subdit: *Et non continuo extrahet illum die Sabbati?* per velocem succursum; Glossa [10]: « Non animali, sed suae avaritiae consulens ». Et hoc quidem reputabant se facere sine offensione Legis. Si ergo salus hominis praeferenda est saluti asini et bovis, manifestum est, in curatione hominis Sabbatum non solvi; et est argumentum *a maiori.* Magis enim videtur, quod Sabbatum debeat solvi per opus magis *servile*, quia dicitur Levitici vigesimo tertio [11]: « Omne opus servile non facietis in eo »; sed magis est servile opus eruere asinum aut bovem quam sanare hominem. Si ergo ille non solvit Sabbatum, qui bovem de fovea extrahit, multo fortius nec ille qui hominem sanat. Nam si opus *avaritiae* non solvit, ergo nec opus *misericordiae*, cum opus avaritiae sit servitutis, opus misericordiae liberalitatis. (Argumentum contra Pharisaeos.)

10. (Vers. 6.). Tertio quantum ad *evidentiam signi* subdit: *Et non poterant ad haec respondere illi;* Glossa [12]: « Convicti ». Tunc enim est evidens signum, quod homo sit convictus, quando deficit via aliqua ad fugiendum. Nec mirum, si non poterant respondere sapientiae Christi, cum nec sapientissimi possent resistere eius discipulis; unde infra vigesimo primo [13]: « Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri ». Et hoc impletum est in Stephano, de quo Actuum sexto: (Evidentia signi.)

---

[1] Scilicet *ordinaria*, in qua tam Strabo quam Lyranus contra Bedam *contra se dicturum quidquid dixerat vident.* — Superius pro *sua responsione* Vat. *suam responsionem.*

[2] Vers. 25. seqq. — Sequitur Eccli. 37, 3, in cuius fine Vat. cum Vulgata *malitia* pro *malitiam*, Card. Hugo et Lyranus *nequitiam* (in margine: alias *malitiam*), quam lectionem Card. Hugo ita explicat: Id est malitiam, quae animam facit aridam sine pinguedine caritatis.

[3] Vers. 6. De lectione Vulgatae cfr. supra pag 238, nota 12.

[4] Cfr. supra n. 1. — Inferius Vat. omittit *tripliciter... Primo igitur.*

[5] Vers. 16. — Subinde allegatur Luc. 6, 19.

[6] Scilicet *interlinearis.* Cfr. supra pag. 67, nota 9. verba Gregorii. — Glossae subiungitur Luc. 8, 39. (cfr. supra c. 8. n. 66-69.).

[7] Vers. 14. et 15. — Subinde allegatur Exod. 9, 3.

[8] Cfr. supra c. 12. n. 46. verba Chrysostomi.

[9] Scilicet *interlinearis* (cfr. Beda) in Luc. 14, 5.

[10] Nempe *interlinearis* (vide Bedam).

[11] Vers. 7. Codd. allegant Exod. 20, ubi v. 10: Non facies omne opus in eo. Cfr. supra c. 6. n. 6-17. et c. 13. n. 29-33. — Inferius pro *liberalitatis* Vat. substituit *libertatis.*

[12] Quae secundum Gorranum est *interlinearis;* a Lyrano non exhibetur.

[13] Vers. 15, post quem Act. 6, 9. et 10. — Superius pro *eius discipulis* H (C a secunda manu) *ori discipulorum.*

« Surrexerunt autem quidam de synagoga, quae appellabatur Libertinorum et Cyrenensium et Alexandrinorum, et eorum qui erant a Cilicia et Asia, disputantes cum Stephano; et non poterant resistere sapientiae et spiritui, qui loquebatur ».

Expositio spiritualis.

11. His autem secundum litteram pertractatis, tria nobis consideranda occurrunt secundum *spiritualem intelligentiam;* quae secundum Sanctos elici possunt ex verbis praemissis. — Primum est *morbus hydropisis*, cuius proprietas est, sicut dicit Glossa [1], quod « quanto plus bibit, tanto plus sitit »; et in hoc designat *omnem concupiscentiam*, quae nunquam satiari potest, et maxime *avaritiam*, secundum illud Proverbiorum trigesimo: « Ignis nunquam dicit: Sufficit ». Unde notandum, quod septem, secundum expositores [2], sunt accidentia hydropisis. — Primum est *tumor corporis*, et per hoc *superbia* intelligitur; Deuteronomii decimo septimo [3]: « Cunctus populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia » etc. — Secundum est *compressio spiritualium*, et in hoc intelligitur *invidia*, quae spiritualia comprimit; Proverbiorum decimo quarto [4]: « Putredo ossium, invidia ». — Tertium est *foetor in anhelitu*, per quod intelligitur *iracundia*, quae facit prorumpere in verba contumeliosa; Psalmus [5]: « Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant ». — Quartum est *pigrities pedum*, per quod intelligitur *accidia;* ad Titum primo [6]: « Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri »; et Sapientiae decimo quinto: « Pedes eorum pigri ad ambulandum ». — Quintum est *sitis in appetitu*, per quod *avaritia* intelligitur; Proverbiorum trigesimo [7]: « Terra non satiatur aqua », id est homo terrenus temporali opulentia; et Ecclesiastae quinto: « Avarus non implebitur pecunia ». — Sextum est *inflatio genitalium*, per quod *luxuria* designatur; unde in Psalmo [8]: « Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea ». — Septimum est *infectio cutis* vel partium exteriorum, in quo intelligitur *gula*, quae tota est circa cutem curandam; ad Philippenses tertio [9]: « Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt ».

Hydropisis proprietates septem.

Tria de sanatione spirituali.

12. Secundum autem, quod considerare debemus, est *opus virtutis*, in quo intelligitur *curatio spiritualis aegritudinis*. Circa quod tria dicuntur, scilicet quod *apprehendit*, quod *sanavit*, quod *dimisit. Apprehendit*, scilicet per *infusionem gratiae;* Isaiae quadragesimo secundo [10]: « Ego Dominus vocavi te in iustitia, apprehendi manum tuam et servavi te »; Psalmus: « Emitte manum tuam de alto, eripe me et libera me de aquis multis » etc. — *Sanavit* autem per *expiationem culpae;* Psalmus [11]: « Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas »; et Matthaei primo: « Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum ». — *Dimisit* vero per *relaxationem poenae;* Matthaei decimo octavo [12]: « Misertus dominus servi illius, dimisit eum et debitum dimisit ei ». Et hoc petimus in oratione dominica: « Dimitte nobis debita nostra » etc.

De instructionis exemplo.

13. Tertium autem, quod considerandum est, est *instructionis exemplum*, in quo similitudinem ponit de *bove* et *asino* ruentibus in puteum, qui in Sabbato extrahuntur. Per *bovem* et *asinum* intelligitur *uterque populus*, scilicet gentilis et Iudaicus, secundum illud Isaiae primo [13]: « Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui ». Nam sic exponit Gregorius. — Vel per *bovem* et *asinum* intelligitur vir *sapiens* et *stultus;* unde Glossa super illud Deuteronomii vigesimo secundo [14]: « *Non arabis in bove simul et asino*, id est, fatuum sapienti in praedicatione non sociabis, ut aequali potestate verbum Dei annuntient ». Hi ergo *cadunt in puteum* concupiscentiae per originale peccatum, et deinde in limbum infernalem; et universaliter hoc ante Christi adventum. Propter quod Psalmus [15]: « Non me demergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum ». Hinc ergo Christus *extrahit die Sabbati*, id est septima die, quae est dies sepulturae Christi, in qua quies incipit animarum, secundum illud Zachariae nono [16]: « Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua ».

Aliter.

---

[1] Scilicet *ordinaria* (secundum Bedam, qui sequitur August., II. Qq. Evangelior. q. 29. n. 2.) in Luc. 14, 1. Tam August. quam Beda avarum comparant hydropico. Cfr. tom. VI. pag. 626, nota 4. — Superius pro *cuius proprietas* aliqui codd. et Vat. *cuius proprium.* — Sequitur Prov. 30, 16.

[2] Inter quos est etiam Card. Hugo, vide etiam B. Albert. et Gorranum. Isidor., IV. Etymolog. c. 7. n. 23: Est enim (hydrops) humor subcutaneus cum inflatione turgente et anhelitu foetido.

[3] Vers. 13.

[4] Vers. 30. — Superius pro *compressio spiritualium* (ita etiam Card. Hugo et B. Albert.) Gorranus *compressio spirituum*, D (a secunda manu) *compressio spirandi.*

[5] Psalm. 13, 3.

[6] Vers. 12, post quem Sap. 15, 15. — Superius pro *pigrities* D *pigritia.*

[7] Vers. 16, cui subiungitur Eccle. 5, 9.

[8] Psalm. 37, 8.

[9] Vers. 19. (Codd. *in confusionem).*

[10] Vers. 6, post quem Ps. 143, 7.

[11] Psalm. 102, 3. et deinde Matth. 1, 21.

[12] Vers. 27, cui subnectitur Matth. 6, 12.

[13] Vers. 3. Cfr. supra pag. 345, nota 3. — Sententia Gregorii habetur I. Moral. c. 16. n. 23; XVII. c. 26. n. 38. et XXXV. c. 14. n. 39.

[14] Vers. 10. Glossa est *ordinaria* (ex Isidor., Comment. in Deut. c. 6. n. 2. 3.): Fatuum sapienti in praedicatione non socies, ne per eum qui rem implere non valet, ei obsistas, qui praevalet. Stultus vero et sapiens bene coniunguntur, ut unus praecipiat, et alter obediat, non ut aequali potestate verbum Dei annuntient.

[15] Psalm. 68, 16. — Superius pro *puteum concupiscentiae* B *puteum culpae.*

[16] Vers. 11, ubi codd. *Tu ergo in... non erat aqua.* — Cfr. supra pag. 356, nota 3.

**Secundo informantur convivantes quoad tria.**

14. *Dicebat autem et ad invitatos* etc. Postquam confutavit observantes, hic secundo *informat convivantes*[1]. Dividitur autem haec pars in tres secundum triplicem informationem. Primo namque informat *invitatos ad convivium nuptiale.* Secundo informat *invitantes ad convivium familiare,* ibi[2]: *Dicebat autem et ei qui se invitaverat.* Tertio informat *invitandos ad convivium aeternale,* ibi: *Homo quidam fecit coenam magnam* etc. Primum horum respicit convivium *gratiae;* secundum, *naturae,* et tertium, *gloriae;* primum, *sacramentale;* secundum, *materiale;* tertium, *aeternale* et *spirituale.*

Divisio.

Informans igitur *invitatos ad convivium nuptiale,* per quod intelligitur status praesentis Ecclesiae, primo *vituperat vanitatem et arrogantiam;* secundo *commendat humilitatem et reverentiam,* ibi[3]: *Sed cum vocatus fueris.* — In *vituperando* autem *arrogantiam* tria introducuntur, scilicet *occasio* introducens parabolam, *persuasio* reprehendens superbiam et *ratio* explicans verecundiam.

Quoad invitatos ad convivium nuptiale tanguntur duo.

Primum describitur tripliciter.

15. (Vers. 7.). Primo igitur quantum ad *occasionem introducentem parabolam* dicit: *Dicebat autem et ad invitatos parabolam;* Glossa[4]: « *Parabolam,* aliud mystice significantem ». Quia enim aliquis posset illud Domini documentum referre ad nuptias istas carnales, ideo ipse Evangelista, dirigens intellectum expositoris, vult illud parabolice intelligi. Hic enim in docendo erat modus Domini Salvatoris, secundum illud Psalmi[5]: « Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio » etc. Et quia parabola non valet, nisi quando dicitur suo tempore, secundum illud Ecclesiastici vigesimo[6]: « Ex ore fatui reprobabitur parabola; non enim dicit illam in tempore suo »; et econtra Proverbiorum vigesimo quinto: « Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo »: ideo additur *opportunitas loci* et *temporis* ad inductionem huius parabolae de convivio nuptiali, cum subditur: *Intendens, quomodo primos accubitus eligerent,* more scilicet superborum, qui quidem mos erat in Pharisaeis; Matthaei vigesimo tertio[7]: « Amant primos accubitus in coenis et primas cathedras in synagogis et salutationes in foro »; et hoc in signum honoris, secundum illud Iob vigesimo nono: « Si voluissem ire ad eos, sedebam primus ». *Primum* enim et *summum* coniuncta sunt; et sicut superbia et ambitio est inordinatus appetitus superioritatis, ita et prioritatis. Huiusmodi autem quaerunt superbi, qui ab aliis cupiunt honorari, exemplo Saul, primi Regum decimo quinto[8]: « Tantum honora me coram senioribus populi mei et coram Israel ».

Occasio ad parabolam proferendam.

16. (Vers. 7. 8.). Secundo vero quantum ad *persuasionem dissuadentem superbiam* subdit: *Dicens ad illos: Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco.* Licet istud posset intelligi de *carnalibus nuptiis,* tamen ipse textus sequens et expositores volunt intelligi de *nuptiis spiritualibus;* unde Glossa[9]: « Cum per gratiam fidei, vocatus a praedicatore, membris Ecclesiae te iunxeris; non te de meritis gloriando, quasi ceteris sis sublimior, extollas ». *Nuptiae* autem istae non sunt quaecumque, sed *nuptiae Agni,* de quibus Apocalypsis decimo nono[10]: « Venerunt nuptiae Agni, et uxor eius praeparavit se ». Has *nuptias* fecit Deus Pater, secundum quod dicitur Matthaei vigesimo secundo: « Simile est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo ». Hae nuptiae celebratae sunt in thalamo uteri virginalis; Psalmus[11]: « In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo ». Ibi consummatum est matrimonium inter divinam et humanam naturam et inter Christum et Ecclesiam per consequens, secundum illud ad Ephesios quinto[12]; loquens Apostolus de matrimonio dicit: « Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo et in Ecclesia ». — *Convivium* in his nuptiis est in susceptione Sacramentorum Ecclesiae et documentorum sacrae Scripturae; Proverbiorum nono[13]: « Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum et proposuit mensam. Et misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem » etc. Ad hoc convivium *vocantur* omnes, qui vocantur ad fidem per veritatis praedicationem; Matthaei vigesimo secundo[14]: « Misit servos suos vocare invitatos ad nuptias ». — Sic invitati *discumbunt* et *manducant* per divinorum verborum et mysticorum perscrutationem et ruminationem. In cuius signum cibus ille caelestis vocatus est *manna* Exodi decimo sexto[15],

Persuasio contra superbiam.

Notandum.

Nuptiae Agni.

Quid sit convivium.

Quid sit: discumbunt et manducant.

[1] Vide supra n. 1.

[2] Vers. 12; tertium habetur v. 16: *At ipse dixit ei: Homo quidam* etc.; ita etiam codd. infra n. 36.

[3] Vers. 10.

[4] Scilicet *interlinearis* (secundum Bedam).

[5] Psalm. 77, 2. — Superius pro *intellectum expositoris* C H *intelligentiam expositoris.*

[6] Vers. 22, post quem Prov. 25, 11. — Superius post *nisi* ex C D F supplevimus *quando;* Vat. legit *non habet gratiam, nisi dicatur.*

[7] Vers. 6. et 7. — Sequitur Iob 29, 25.

[8] Vers. 30: *Peccavi, sed nunc honora* etc. Pro *senioribus* C D F G *hominibus.* — Superius Vat. legit: *et superbia et ambitio inordinatus appetitus est superioritatis et prioritatis* (cfr. supra pag. 317, nota 4.). *Unde huiusmodi quaerunt.* Pro *exemplo* D *exemplum.*

[9] Scilicet *ordinaria* (ex Beda).

[10] Vers. 7. — Subinde allegatur Matth. 22, 2. — Duplex expositio *nuptiarum* est secundum Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 38. n. 3.

[11] Psalm. 18, 6.

[12] Vers. 32. — Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Cum invitatus fueris ad nuptias,* nuptiae, Christi et Ecclesiae coniunctio.

[13] Vers. 1. seqq., ubi post *mensam* Vat. cum Vulgata addit *suam.*

[14] Vers. 3.

[15] Vers. 15: *Manhu* [ita et Vat.]? *quod significat: Quid est hoc?* — Sequitur Levit. 11, 26. — Chrysost., Homil. 44.

quod interpretatur: « Quid est hoc »? quia oportet intelligere quae suscipiunt. Unde et Levitici undecimo dicitur, quod animal, quod « non ruminat, immundum est ». — In *primo* autem *loco discumbit* qui aliis praefertur sive in officio dignitatis, sive in privilegiis sanctitatis, sive in magisterio veritatis. Et ad hoc non debet quis ex se ipso conscendere, quia dicitur ad Hebraeos quinto[1]: « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron ». Et ideo Ecclesiastici sexto: « Non te extollas in cogitatione animae tuae velut taurus, ne forte elidatur virtus tua »; nec etiam *coram aliis;* unde Ecclesiastici undecimo: « In vestitu ne glorieris unquam et in die honoris tui ne extollaris ».

(…id primos locos.)

17. Tertio autem quantum ad *rationem explicantem verecundiam* subdit: *Ne forte honoratior te sit invitatus ab illo,* propter gratiam interiorem maiori honore dignus; Glossa[2]: « Gratiosior invitatori, etsi aliis sit occultus »; unde primi Regum decimo sexto: « Ne respicias vultum eius neque altitudinem staturae eius, quoniam abieci eum; nec iuxta intuitum hominis ego iudico. Homo enim videt ea quae patent, Dominus autem intuetur cor ».

(…tio expli…ns vere…undiam.)

18. (Vers. 9.). *Et tunc*[3] *veniens is qui te et illum vocavit,* per iustitiae dispositionem; Proverbiorum decimo sexto: « Spirituum ponderator est Deus »; *dicat tibi: Da huic locum,* propter dignitatis praelationem; primi Regum decimo quinto[4]: « Scidit Dominus regnum tuum a te et tradidit illud proximo tuo meliori te ». — *Et tunc incipies*[5] *cum rubore novissimum locum tenere,* per manifestam deiectionem, secundum illud Psalmi: « Exaltatus autem humiliatus sum et conturbatus ». Et ideo Ecclesiastici decimo tertio: « Attende, ne seductus in stultitia humilieris »; ille autem *seducitur stultitia,* qui se reputat aliquid magnum; ad Galatas sexto[6]: « Si quis existimat, se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit ». Et talis humiliatur a Deo iusto iudicio, secundum illud supra primo: « Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles ». De huiusmodi iudicio dicitur Ecclesiastici undecimo[7]: « Multi tyranni sederunt in throno, et insuspicabilis portavit diadema. Multi potentes oppressi sunt valide, et gloriosi traditi sunt in manus alienorum ». Et ideo dicitur Ecclesiastici septimo[8]: « Noli quaerere ab homine ducatum neque a rege cathedram honoris »; quia, Proverbiorum vigesimo, « hereditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit ».

(Invitantis dispositio.)

19. (Vers. 10.). *Sed cum vocatus fueris.* Postquam vituperavit arrogantiam, hic secundo *invitat ad reverentiam*[9]; quod quidem facit *persuadendo humilitatem perfectam, assignando utilitatem adiunctam, confirmando per aequitatem divinam.*

(Secundum describitur tripliciter.)

Primo igitur *persuadens humilitatem perfectam,* dicit: *Sed cum vocatus fueris,* ad nuptias, *vade et*[10] *recumbe in novissimo loco,* te ipsum scilicet omnibus postponendo, secundum illud Matthaei vigesimo: « Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse erit vester servus; sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare ». Unde ipse resedit in novissimo loco; Isaiae quinquagesimo tertio[11]: « Vidimus eum novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem; ideo absconditus vultus eius et despectus ». — In huius humilitatis commendationem sedes personarum excellentiorum remotiores sunt ab altari, et in processionibus priores dignitate sunt posteriores, ad ipsius Christi imitationem, qui utique ad hanc humilitatem invitabat, cum omnium Apostolorum pedes lavit; Ioannis decimo tertio[12]: « Si ego lavi pedes vestros, dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis » etc.; quia « non est discipulus super

(De primo.) (Notandum.)

---

in Matth. 22, 3. (Op. imperfect.): *Prandium* [sive convivium nuptiarum] enim est doctrina iustitiae et verba caelestium mysteriorum de Filio Dei venturo. Quae omnia mandens homo, id est audiens, acquirit sibi vitam aeternam. Multas enim proprietates habet sermo ad escam. Sicut enim qui mittit in os suum fragmentum panis... primum molit eum dentibus et ita dimittit in stomachum, sic et cum audimus omne verbum, necesse est, ipsum meditari in ore sensus et quasi quibusdam dentibus, id est tractatibus, molere et videre, quid est quod dicit, aut unde dicit, aut propter quam rem dicit... Nam et *manna,* quod edebatur in eremo, figuram habebat verbi; ideo dicebatur manna, quod interpretatur Hebraice: quid est hoc? ut, quotiescumque audimus verbum, admoneat nos ipsum nomen requirere, quid est hoc quod audimus? Et sicut cibum, postquam masticaverimus, dimittimus in stomachum, ita et verbum... Cibus, qui in stomacho stat, ille confortat; et sermo, qui in memoria manet, ille salvat. Unde et apud Iudaeos illa animalia sunt munda, quae revocant cibum et ruminant etc.

[1] Vers. 4. — Duo loci seqq. sunt Eccli. 6, 2. et 11, 4.

[2] Scilicet *interlinearis,* post quam I. Reg. 16, 7.

[3] Cod. H et Vat. cum Vulgata omittunt *tunc,* quod tamen exhibet B. Albert., qui subinde cum A C D F H et Gorrano pro *vocavit* substituit *invitavit.* — Sequitur Prov. 16, 2. — Glossa *interlinearis: Et veniens,* per gratiam suam et te et illum ostendens, *is qui te et illum vocavit,* Deus, qui corda singulorum novit, *dicat tibi: Da huic locum,* intellige te minorem.

[4] Vers. 28; cfr. ibid. 28, 17.

[5] Ita etiam B. Albert.; Vat. cum Vulgata *incipias.* — Duo seqq. loci sunt Ps. 87, 16. et Eccli. 13, 10.

[6] Vers. 3. Codd. allegant *I. Cor. 10,* ubi tamen v. 12: Qui se existimat stare videat, ne cadat. — Subinde allegatur Luc. 1, 52.

[7] Vers. 5. et 6, in cuius fine pro *alienorum* Vat. cum Vulgata *alterorum,* A cum Septuaginta *aliorum.*

[8] Vers. 4, post quem Prov. 20, 21.

[9] Cfr. supra n. 14. — Pro *invitat* Vat. *incitat.*

[10] Vat. cum Vulgata omittit *et;* cfr. B. Albert. — Sequitur Matth. 20, 26-28, ubi pro *et qui voluerit inter vos* plures codd., ut A C D F, *et quicumque inter vos vult.*

[11] Vers. 2. et 3, in quo pro *ideo* Vat. cum Vulgata *et quasi.*

[12] Vers. 14. seq. et dein Matth. 10, 24. (cfr. Luc. 6, 40.), pro quo Vat. Ioan. 13, 16: *Non est servus maior domino suo* etc. — Card. Hugo, in Luc. 14, 7: *Intendens* etc., id est per doctrinam suam mystice intendens persuadere, quomodo in Ecclesia debeamus sedes eligere. Ideo superiores personae in humilioribus sedibus sedent, id est remotioribus ab altari, quae tamen ex usu modo reputantur digniores. — Superius pro *processionibus* Vat. *possessionibus.*

magistrum » etc. Et ideo Apostolus primae ad Corinthios nono[1]: « Cum essem liber ex omnibus, omnium me servum feci »; et rursus decimo quinto: « Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus »; et ad Ephesios tertio: « Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia haec ». Et ideo dicebat princeps Apostolorum Petrus primae Petri secundo[2]: « Subiecti estote omni humanae creaturae propter Deum ». — *Recumbe* igitur *in novissimo loco,* te inferiorem omnibus reputando.

Obiectio solvitur a Bernardo.

20. Sed dices: Quomodo me vere reputabo omnibus peiorem, cum multi sint peiores? — Ad hoc respondet Bernardus in Cantica, homilia trigesima septima[3]: « Si enim, in quonam statu unumquemque nostrum habeat Deus, liquido cognosceremus, nec supra sane nec infra sedere deberemus, veritati in omnibus acquiescentes. Nunc autem, quia consilium hoc *posuit tenebras latibulum suum*[4], et sermo absconditus est a nobis; ita ut *nemo sciat, si dignus sit amore, vel odio;* iustius tutiusque profecto iuxta ipsius Veritatis consilium novissimum nobis locum eligimus, de quo postmodum cum honore superius educamur, quam praesumimus altiorem, unde recedere[5] mox oporteat cum rubore. Non ergo est periculum, quantumcumque te humilies, quantumcumque te reputes minorem, quam sis, hoc est, quam te Veritas habeat. Est autem grande malum horrendumque periculum, si vel modice plus te vero extollas, et si illi[6] videlicet in cogitatione tua te praeferas, quem forte parem tibi Veritas iudicat, aut etiam superiorem. Quemadmodum, si per ostium transeas, cuius superliminare, ut ad intelligentiam loquar, nimium bassum sit, non nocet, quantumcumque te inclinaveris; at si vel transversi digiti spatio plus, quam ostii mensura patitur, erexeris, impinges et quassato capite collideris[7]. Sic in anima non est plane timenda quantalibet humiliatio; horrenda autem nimiumque pavenda vel minima temere praesumta erectio. Quamobrem noli te, homo, comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni. Quid scis enim, o homo, si unus ille, quem forte omnium vilissimum atque miserrimum reputas, cuius vitam scelleratissimam ac singulariter foedissimam horres, et propterea putas spernendum illum non modo prae te, qui forte iam *sobrie et iuste et pie vivere*[8] te confidis, sed etiam prae ceteris omnibus sceleratis tanquam omnium sceleratissimum: quid scis, inquam, si melior te et illis mutatione dexterae Excelsi[9] in se quidem futurus sit, in Deo vero iam sit? Et propterea non mediocrem, non vel penultimum, non ipsum saltem inter novissimos eligere locum nos voluit; sed *recumbe,* inquit, *in novissimo loco,* ut videlicet omnium novissimus sedeas, teque nemini non dico praeponas, sed nec comparare praesumas ».

21. Secundo autem *assignans utilitatem adiunctam,* subdit: *Ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi*[10]*: Amice, ascende superius.* Qui nos *invitavit* est Christus, qui *venit* ad nos vel per *inspirationem,* secundum illud Ioannis decimo quarto[11]: « Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus ». Vel *venit* per *mortem;* supra duodecimo: « Ut, cum venerit et pulsaverit ianuam, confestim aperiant ei ». Vel *venit* per *finale examen;* Apocalypsis ultimo: « Ecce, venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua ». — Hic veniens vocat humiles *amicos.* Christus namque amicus verus est, secundum illud Proverbiorum decimo septimo[12]: « Omni tempore diligit qui amicus est ». Et humiles recognoscit amicos, quia tales obediunt ei; Ioannis decimo quinto: « Vos amici mei estis, si feceritis quae praecipio vobis ». Et tunc vocat non nomine *servi,* sed *amici;* Ioannis decimo quinto: « Iam non dicam vos servos, sed amicos, quia omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis ». — Tali dicit: *Ascende superius,* id est ad superiorem honorem et dignitatem; Psalmus[13]: « Nimis honorificati sunt amici tui, Deus ». — Et ideo subdit: *Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus,* id est coram omnibus; unde

De secund[o]

Notandum

---

[1] Vers. 19, cui subiunguntur 15, 9. et Eph. 3, 8.

[2] Vers. 13.

[3] Num. 6. et 7. — Inferius pro *habeat* (ita Vat. cum textu originali) codd. *habet.*

[4] Psalm. 17, 12. — Sequitur Eccle. 9, 1: Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit. — Pro *absconditus est a nobis* (ita H et Vat. cum textu originali) A C D F G *absconditus est nobis.* Cfr. infra 19, 42. et I. Reg. 3, 17.

[5] Vat. cum textu originali *cedere.*

[6] Textus originalis et Vat. *si vel uni* pro *et si illi.* — Inferius pro *veritas iudicat* A D *Deus iudicat,* C F G H *diiudicat.*

[7] Vat. cum textu originali, pro *at si* posito *nocet autem si,* pro *impinges... collideris* substituit *ita ut impingas... collidaris.* Pro *vel transversi digiti spatio plus, quam ostii mensura patitur, erexeris* (ita Vat. cum textu originali) fere omnes codd. (B abbreviat) *vel transversi ligni spatium plus, quam ostii mensura patitur, extenderis* (ita A, C D G *exterioris,* pro quo in D secunda manus substituit *exterior,* F *exieris,* H *excesseris*).

[8] Tit. 2, 12. — Pro *te* [C D G omittunt *te*] *confidis* H *praesumis.*

[9] Psalm. 76, 11: Haec mutatio dexterae Excelsi. — Inferius pro *inter novissimos* (ita Vat. cum textu originali) A D *citra novissimum,* F (C primitus) *inter novissimum,* et subinde vocibus *ut videlicet* Vat. et textus originalis interserunt *solus.*

[10] Codd. C D F omittunt *tibi;* cfr. B. Albert.

[11] Vers. 23. — Duo seqq. loci sunt Luc. 12, 36. et Apoc. 22, 12. — Glossa *interlinearis: Ut, cum venerit,* ad iudicium, vel quotidie augendo humilibus gratiam, quam aufert a superbis. Cfr. Beda, IV. in Luc. 14, 10: Veniens Dominus, quem humilem invenerit, *amici* nomine beatificans, superius ascendere praecipiet etc.

[12] Vers. 17. — Sequuntur Ioan. 15, 14. et 15.

[13] Psalm. 138, 17. — Glossa *interlinearis: Amice,* ex humilitate te amicum recognoscat, qui ex praesumtione postponebaris; *ascende superius,* ad maius praemium aeternae gloriae, vel hic ad maiora dona sancti Spiritus recipiendum.

Proverbiorum vigesimo nono [1]: « Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria »; Psalmus: « Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum et ostendam illi salutare meum ». Et propter hoc Iob vigesimo secundo [2]: « Qui humiliatus fuerit erit in gloria, et qui inclinaverit oculos suos, ipse salvabitur ».

De tertio. 22. (Vers. 11.). Tertio *confirmans per aequitatem divinam*, adiungit: *Quia omnis, qui se exaltat*, per superbam elationem, secundum illud Iob decimo quinto [3]: « Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans attonitos habes oculos »? — *Humiliabitur*, per iudiciariam districtionem; Isaiae secundo [4]: « Oculi sublimes hominis humiliabuntur ». « Quia dies Domini super omnem superbum et arrogantem, et humiliabitur ». « Et incurvabitur omnis sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum ». Huius exemplum patuit in lucifero; Isaiae decimo quarto [5]: « Quomodo cecidisti, lucifer, qui mane oriebaris? Qui dicebas in corde tuo: In caelum conscendam, super astra caeli exaltabo solium meum ». Et ideo corruit, quia se exaltavit; unde Ezechielis vigesimo octavo: « Eo quod elevatum est cor tuum sicut cor Dei, idcirco ecce, ego adducam super te alienos, et polluent decorem tuum et interficient te et detrahent te, et morieris in interitu occisorum ». Propter quod dicitur imitatori luciferi, cuilibet superbo, Abdiae primo [6]: « Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum »; et post: « Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum; inde detraham te ». Ideo consulit Sapiens Ecclesiastici sexto [7]: « Non te extollas in cogitatione tua velut taurus, ne forte elidatur virtus tua, et relinquaris velut lignum aridum in eremo ».

(Exaltans se humiliabitur.)

23. Sic divina iustitia superbos humiliat, et econtra humiles exaltat; ideo subdit: *Et qui se humiliat*, per voluntariam abiectionem; Psalmus [8]: « Custodiens parvulos Dominus, humiliatus sum, et liberavit me »; et secundi Regum sexto: « Ludam et vilior fiam plus, quam factus sum, et ero humilis in oculis meis »; *exaltabitur*, per divinam glorificationem. Exemplum est in Domino Salvatore; ad Philippenses secundo [9]: « Humiliavit semetipsum » etc.; et post: « Propter quod et Deus exaltavit illum » etc. Et ideo dicitur primae Petri quinto: « Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis ». Et de his duobus in Psalmo [10]: « Omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua iusti »; et Ezechielis decimo septimo: « Scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum sublime et exaltavi lignum humile ».

(Humilians se exaltabitur.)

24. Ratio autem huius iustitiae et aequitatis est, quia, quanto quis magis se *exaltat*, tanto minus *honorat Deum* et tanto minus magnificat Deum, ac per hoc et tanto magis est aversus a Deo, et sic per consequens tanto minus est; Ezechielis vigesimo octavo [11]: « Nihili factus es et non eris in perpetuum ». — Rursus, quanto magis se exaltat, tanto magis *se supra se ipsum erigit*, ac per hoc tanto magis evanescit; et quanto magis evanescit, tanto plus a veritate recedit et tanto minus est: ergo quanto quis magis a se exaltatur, tanto magis deiicitur; Iob trigesimo [12]: « Elevasti me, et quasi super ventum ponens, elisisti valide ». — Postremo, quanto quis magis se exaltat, tanto *gloriam hominum magis amat;* et quanto illam magis amplectitur, tanto plus est subiectus humanis laudibus, et propter hoc tanto magis hominum servus et tanto magis deiectus; Psalmus [13]: « Verumtamen propter dolos posuisti eis, deiecisti eos, dum allevarentur ».

(Ratio triplex contra se exaltantem.)

25. Sed e contrario, quanto quis magis se *humiliat*, tanto magis *Deum honorat;* Ecclesiastici tertio [14]: « Magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur »; et quanto magis Deum honorat, tanto magis ad ipsum appropinquat, ac per hoc tanto elevatur ad sublimiora. — Amplius, quanto magis se humiliat, tanto magis *redit ad interiora;* et quanto magis interius colligitur, tanto virtus eius maior efficitur: quanto ergo quis magis humiliatur, tanto secundum veritatem maior efficitur; unde secundae ad Corinthios duodecimo [15]: « Virtus in infirmitate perficitur ». — Postremo, quanto magis humiliatur,

(Ratio triplex pro se humiliante.)

---

[1] Vers. 23, post quem Ps. 90, 15. seq.

[2] Vers. 29. — Glossa *interlinearis*: *Coram simul discumbentibus*, in eadem beatitudine, vel in eadem fide quiescentibus. Cfr. Beda.

[3] Vers. 12. — Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Quia omnis, qui se exaltat*, incaute de meritis allevat, *humiliabitur*, a Deo, etsi non coram hominibus.

[4] Vers. 11. 12. et 17.

[5] Vers. 12. seq., ubi pro *astra caeli* Septuaginta *sidera caeli*, Vulgata et Vat. *astra Dei*. — Subinde allegantur Ezech. 28, 6-8.

[6] Vers. 3. et 4. Codd. *Superbia tua extulit* etc.

[7] Vers. 2. seq., ubi pro *in cogitatione tua* Vulgata et Vat. *in cogitatione animae tuae*, et subinde codd. omittunt *lignum*.

[8] Psalm. 114, 6, post quem II. Reg. 6, 22.

[9] Vers. 8. et 9. — Sequitur I. Petr. 5, 6.

[10] Psalm. 74, 11, cui subiungitur Ezech. 17, 24, cuius finem (*et exaltavi* etc.) A C D omittunt. — Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Et qui se humiliat*, provide de beneficiis, *exaltabitur*, a Deo.

[11] Vers. 19.

[12] Vers. 22. Cfr. Gregor., XX. Moral. c. 33. n. 65, ubi inter alia dicit: Qui enim veritati inhaeret vanitati nullo modo succumbit etc.

[13] Psalm. 72, 18, in quem locum August. (Enarrat. in Ps. 72. n. 24.) ait: Non dixit *Deiecisti eos*, quia elati sunt, non quasi postea quam elati sunt, deiecisti illos, sed in eo ipso, quod elati sunt, deiecti sunt. Sic enim efferri iam cadere est.

[14] Vers. 21.

[15] Vers. 9. — Auctor libri de Causis, propositio 17: In omni virtute propinqua *uni puro* est infinitas plus quam in virtute longinqua ab eo. Quod est, quia virtus, quando incipit multiplicari, tunc destruitur unitas eius; et quando destruitur eius unitas, destruitur eius infinitas; et non destruitur infinitas eius,

tanto *terrenam gloriam minus appretiatur;* et quanto minus eam appretiatur, tanto magis eam calcat et tanto magis superponitur omnibus inferioribus, et ita tanto maior efficitur; Isaiae sexagesimo [1]: « Ponam te in superbiam saeculorum ». — Igitur omnis se exaltans, quanto magis se exaltat, tanto magis *elongat* se a *superioribus;* et quanto se magis elongat a superioribus, tanto magis *recedit ab interioribus*, ac per hoc tanto magis *subiicit se inferioribus.* Ergo quanto quis magis effertur, tanto magis secundum veritatem deiicitur et secundum divinum iudicium est deiiciendus; et e contrario, omnis, qui se humiliat, quanto magis se humiliat [2], tanto magis *appropinquat ad superiora* et tanto magis *redit ad interiora* et tanto magis *calcat inferiora:* ergo quanto magis se humiliat sub Deo, tanto magis exaltatur divino iudicio.

Epilogus.

Quoad invitantes ad convivium familiare tanguntur duo.

26. (Vers. 12.). *Dicebat autem* etc. Postquam informavit invitatos ad convivium nuptiale, hic secundo informat *invitantes ad convivium familiare* [3]; in qua informatione primo *retrahit invitantes a curialitate mundana;* secundo *allicit ad caritatem divinam*, ibi [4]: *Sed cum facis convivium.*

Primo, curialitas mundana reprobatur tripliciter.

*Retrahens* igitur *a mundana curialitate*, tria introducit ad huiusmodi retractionem [5], scilicet *occasionem inducentem*, *exhortationem erudientem* et *rationem persuadentem.*

Occasio ad retrahendum a curialitate mundana.

Primo ergo quantum ad *occasionem inducentem* dicit: *Dicebat autem et ei qui se invitaverat.* Hoc ideo illi dicebat, quia invitatio illius dedit occasionem loquendi de modo invitandi, secundum illud Ecclesiastici vigesimo septimo [6]: « In medio insensatorum serva verbum tempori ». Vel ideo illi dicebat, ut ministranti corporalem sustentationem rependeret spiritualem eruditionem, ut sic vicissim ostendat, dona divina esse communicanda, secundum illud primae Petri quarto [7]: « Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes ». — Unde forma datur viro spirituali suscipienti cibum corporalem, ut hospiti suo dispenset spiritualem, sicut insinuatur supra decimo [8], quod « Martha suscepit Christum in domum suam, et soror eius Maria, sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius ». In cuius designatione dicit Sapiens de Sapientia Christo Sapientiae octavo: « Proposui hanc adducere mihi ad convivandum, sciens, quoniam communicabit mecum de bonis, et erit allocutio cogitationis et taedii mei ». In hoc etiam datur forma, quod in conviviis virorum spiritualium spiritualia verba miscenda sunt; ideo consuetudo est, quod in corporali refectione misceatur lectio spiritualis, propter illud verbum Domini Deuteronomii octavo [9] et Matthaei quarto: « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Domini ».

Notandum.

Exhortatio erudiens.

27. Secundo quantum ad *exhortationem erudientem* subdit: *Cum facis prandium aut coenam: prandium* in mane et *coenam* in vespere. — *Noli vocare amicos tuos*, ratione *sodalitatis;* Matthaei quinto [10]: « Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et ethnici hoc faciunt »? quia dicitur Ecclesiastici trigesimo septimo: « Sodalis amico condolet causa ventris et contra hostem accipiet scutum ». *Neque cognatos*, ratione *affinitatis;* Ecclesiastici decimo octavo [11]: « Miseratio hominis circa proximum suum; misericordia autem Dei super omnem carnem ». *Neque vicinos*, ratione *familiaritatis;* quocontra tertia Canonica Ioannis: « Carissime, fideliter facis, quidquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt caritati tuae ». *Neque fratres*, ratione *consanguinitatis*, quia dicitur [12]: « Obliviscere populum tuum et domum patris tui »; et Deuteronomii trigesimo tertio: « Qui dixerunt fratribus: Ignoro illos, hi custodiunt legem tuam » etc. *Neque divites*, ratione *pompositatis;* quia dicitur infra decimo sexto [13]: « Erat quidam dives, qui induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide »; et post subditur, quod « sepultus est in inferno ». — Hoc autem non

Notandum.

---

nisi quando dividitur... Et quod ipsa quanto magis aggregatur et unitur, tanto plus magnificatur et vehementior fit et efficit operationes mirabiles etc. — Superius pro *Amplius* Vat. *Ambrosius.*

[1] Vers. 15. — Superius pro *omnibus inferioribus* (ita H, cui concordat B, qui tamen addit *vel superioribus*) A C D F G *omnibus superioribus*, E legit *quanto magis superponitur omnibus, superior efficitur*. Fortasse ita legendum *et tanto magis superponitur omnibus vel superior efficitur*. Vat. *tanto magis calcat, et quanto magis eam calcat, tanto ad sublimiora surripitur*.

[2] Codd. A C D F H omittunt *quanto magis se humiliat.*

[3] Cfr. supra n. 14.

[4] Pro *curialitatem divinam* (ita Vat. et alii codd.) substituimus ex H *caritatem divinam*, quod infra n. 30. etiam C D G habent, in quo H pro *curialitate mundana* habet *curiositate mundana.*

[5] Vat. *resectionem.*

[6] Vers. 13, ubi pro *insensatorum* A C D G *sensatorum.*

[7] Vers. 10. — Theophylact., in Luc. 14, 12. seqq.: Ex duobus generibus constabat convivium: ex vocatis, et his qui vocabant. Vocatorum genus salubri admonitione ad humilitatem induxerat... Nunc et in eum qui vocaverat, vicissim liberalitatem suam exercet... abducens eum, ne convivia constituat humani favoris... gratia.

[8] Vers. 38. et 39. — Subinde allegatur Sap. 8, 9, ubi post *de bonis* C D addunt *suis*, de quo cfr. Comment. S. Bonav. in hunc loc.

[9] Vers. 3, post quem Matth. 4, 4; cfr. supra 4, 4. — Superius pro *lectio spiritualis* A C D G *locutio*, cui secunda manus in D addit *sacrae Scripturae;* H ponit *lectio*, omisso *spiritualis.*

[10] Vers. 46, post quem Eccli. 37, 5. — Glossa *interlinearis: Cum facis prandium*, quacumque hora diei, *aut coenam*, vespere, *noli vocare amicos tuos*, carnali affectu vel cognatione coniunctos.

[11] Vers. 12. — Subinde allegatur III. Ioan. v. 5. seq.

[12] Psalm. 44, 11. Codd. hanc allegationem omittunt; lectio autem fere omnium codd. videtur mutila, cum ante *Deuteronomii* habeant *et* (H *quia*). — Sequitur Deut. 33, 9. seq.; cfr. supra c. 12. n. 76. in principio, ubi a codd. completius allegatur.

[13] Vers. 19. et 22. — Pro *pompositatis* Vat. *pompae.*

dicit, quia contra praeceptum sit invitare notos, cum scribatur primae ad Timotheum quinto [1]: « Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior »; et de Ioseph Genesis quadragesimo tertio scribitur, quod fecit convivium fratribus suis; sed hoc dicit, quia homo in huiusmodi invitationibus, si vult vitam aeternam mereri, non debet habere intentionem carnalem, sed spiritualem, non terrenam, sed caelestem, non mercenariam, sed piam.

Convivium indifferens.

28. Propter quod nota, quod est *convivium indifferens*, quod quidem est familiaritatis humanae, de quo Iob primo [2]: « Ibant filii eius et faciebant convivia per domos, unusquisque in die suo ». — Et est *convivium malum*, et hoc triplex, scilicet *malum, peius, pessimum*. Primum est *gastrimargiae*, de quo ad Romanos decimo tertio [3]: « Non in comessationibus et ebrietatibus » etc.; et Proverbiorum vigesimo tertio: « Noli esse in conviviis potatorum neque in comessationibus eorum qui carnes dant ad vescendum, quia vacantes potibus et dantes symbola consumentur »; et Iacobi quinto: « Epulati estis super terram et in luxuriis nutristis corda vestra ». — Secundum est *iactantiae*, de quo Danielis quinto [4]: « Balthasar rex fecit grande convivium omnibus optimatibus suis » etc.; et Marci sexto: « Herodes in natali suo convivium fecit principibus et tribunis et primis Galilaeae ». Et in primo convivio dehonestata fuerunt vasa Domini, in secundo interfectus est praecursor Christi. — Tertium est *malitiae*, de quo secundi Regum decimo tertio [5] dicitur, quod Absalom vocavit Ammon fratrem suum ad convivium, ubi sequitur, quod in convivio interfecit eum; et primi Machabaeorum ultimo dicitur, quod « filius Abobi fecit convivium magnum Simoni, et cum inebriatus esset, occidit eum et duos filios eius ». — Est etiam *convivium bonum* triplex, scilicet *bonum, melius* et *optimum*. Primum est *pietatis*, de quo infra eodem [6]: « Cum facis convivium, voca pauperes et debiles ». — Secundum est *caritatis*, de quo Canticorum quinto: « Comedite, amici, et bibite et inebriamini, carissimi » etc. — Tertium est *felicitatis*; Isaiae vigesimo quinto: « Faciet Dominus in monte hoc convivium omnibus populis, convivium pinguium, medullatorum, vindemiae defaecatae ». — Primum convivium [7] permittitur, secundum prohibetur, et tertium suadetur.

Triplex convivium malum. Triplex convivium bonum.

Ratio persuadens.

29. Tertio quantum ad *rationem persuadentem* subdit: *Ne forte et ipsi te reinvitent, et fiat tibi retributio;* quia qui opera facit pro terrena mercede non habet nisi terrenam retributionem et temporalem. Nam merces aeterna commutatur in temporalem pro amore *gloriae*; Matthaei sexto [8]: « Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in caelis est »; unde de hypocritis dicitur Matthaei eodem: « Amen dico vobis, receperunt mercedem suam ». Pro amore *terrenitatis*, unde super illud Exodi primo [9]: « Timuerunt obstetrices Deum, et aedificavit illis domos », dicit Glossa, quod « merces aeterna eis in temporalem commutata est ». Pro amore *carnalitatis;* Matthaei decimo [10]: « Qui amat patrem aut matrem plus quam me non est me dignus ». Et hoc est, quia, sicut dicitur Matthaei sexto, « nemo potest duobus dominis servire »; et « intentio operi tuo », ut dicit Ambrosius [11], « nomen imponit ». Ideo qui facit rem pro mercede temporali fraudatur mercede aeterna, quia nulli operi debetur caelum, quod fit propter mundum. — Sed econtra ea quae propter Deum fiunt, utraque mercede digna sunt; unde primae ad Timotheum quarto [12]: « Pietas ad omnia valet, habens promissionem vitae, quae nunc est, et futurae »; et ideo dicebat Dominus Matthaei sexto: « Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis ». Homini vero mundano dicitur infra decimo sexto [13]: « Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris ».

Stultitia terrenae intentionis triplicis. Notandum. Prudentia bonae intentionis.

Secundo caritas divina commendatur tripliciter.

30. (Vers. 13.). *Sed cum facis convivium*. Postquam retraxit a curialitate mundana, hic secundo *invitat ad caritatem divinam* [14]. Quod quidem facit

[1] Vers. 8, post quem Gen. 43, 16. et 31. seqq. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 14, 12: Fratres, amicos et divites alterutrum convivia celebrare non quasi scelus interdicit, sed ostendit, non valere ad praemia vitae etc.

[2] Vers. 4. Cfr. Gregor., I. Moral. c. 8. n. 10. seq. et II. c. 16. n. 27.

[3] Vers. 13. — Duo seqq. loci sunt Prov. 23, 20. seq. et Iac. 5, 5.

[4] Vers. 1, cui subnectitur Marc. 6, 21.

[5] Vers. 27-29. et deinde I. Mach. 16, 15. seq.

[6] Vers. 13. — Duo seqq. loci sunt Cant. 5, 1. et Isai. 25, 6.

[7] Vat. addit *id est indifferens*, et post *secundum* supplet *id est illud malum.*

[8] Vers. 1. et subinde v. 2. — Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Et fiat tibi retributio*, non ait: Et fiat tibi peccatum, sed fiat tibi retributio. Cfr. supra c. 6. n. 78. seqq. — Superius Vat. *per amorem* loco *pro amore*.

[9] Vers. 21. — Glossa *ordinaria* in Exod. 1, 20, quae est ex Gregor., XVIII. Moral. c. 3. n. 6, ubi ait: In qua magis recompensatione [*Aedificavit illis Dominus domos*] cognoscitur, quid mendacii culpa mereatur. Nam benignitas earum merces, quae eis in aeterna potuit vita retribui, pro admixta culpa mendacii in terrenam est recompensationem declinata, ut in vita sua, quam mentiendo tueri voluerunt, ea quae fecerunt bona reciperent et ulterius quod exspectarent mercedis suae praemium non haberent etc. — Pro *dicit Glossa* H *dicit Gregorius.*

[10] Vers. 37, post quem Matth. 6, 24.

[11] Libr. I. de Officiis, c. 30. n. 147: Affectus tuus nomen imponit operi tuo. Cfr. supra pag. 301, nota 2. Post *intentio* in D secunda manus addidit *tua.*

[12] Vers. 8. et deinde Matth. 6, 33, de quo vide supra c. 12. n. 43. Cfr. supra pag. 256, nota 7. in fine.

[13] Vers. 25.

[14] Cfr. supra n. 26. — Pro *ad caritatem* Vat. *curialitatem*; cfr. supra pag. 366, nota 4.

tripliciter, scilicet per *commendationem pietatis fraternae,* per *assignationem rationis inductivae* et per *approbationem rationis inductae.*

Pietas fraterna commendator.

Primo igitur quantum ad *commendationem pietatis fraternae* dicit: *Sed cum facis convivium, voca pauperes,* propter defectum rerum exteriorum; Isaiae quinquagesimo octavo [1]: « Frange esurienti panem tuum et egenos vagosque induc in domum tuam » etc. Et hoc praecipiebatur in Lege; Deuteronomii decimo quinto: « Non deerunt pauperes in terra habitationis tuae; idcirco et ego praecipio tibi, ut aperias manum tuam fratri tuo egeno et pauperi, qui tecum versatur in terra ». Huic pauperi debes aperire manum et maxime iusto; unde Ecclesiastici nono [2] dicitur: « Viri iusti sint tibi convivae, et in timore Domini sit tibi gloriatio »; et Tobiae secundo dicitur: « Cum esset dies festus, et factum esset prandium bonum in domo Tobiae, dixit filio suo: Vade, et adduc aliquos de tribu nostra timentes Deum, ut epulentur nobiscum ». Unde Ecclesiastici duodecimo [3]: « Da bono, et ne receperis peccatorem; benefac humili, et ne dederis impio ».

Non excludendi alii pauperes.

— Verumtamen non excluditur hic, quin etiam aliis pauperibus debeat fieri eleemosyna, et quin ipsi debeant vocari, sicut satis innuit Chrysostomus super Matthaeum, homilia septuagesima nona [4] dicens: « *In quantum non fecistis uni minimorum horum, neque mihi fecistis,* dicit Dominus, non de discipulis dicens hoc solum, neque de his qui elegerunt monachorum vitam, sed de omni homine fideli. Qui enim talis est, etsi servus fuerit, etsi eorum qui in foro mendicant, credit autem in Deum, iustum est, omnium eum frui devotione. Et si despexerimus talem hominem nudum vel esurientem, haec audiemus verba » etc. — *Debiles,* propter defectum virium; Ecclesiastici septimo [5]: « Non te pigeat visitare infirmum; ex his enim in dilectione firmaberis »; et Matthaei vigesimo quinto: « Infirmus eram, et visitastis me », dicet Dominus, quia qui infirmitati alienae condescendit, quod illi facit Christo impendit. — *Claudos et caecos,* propter defectum membrorum; infra eodem [6]: « Exi in vicos et plateas civitatis et pauperes ac debiles, caecos et claudos introduc huc ». Et hoc quidem recte, quia miseris impendenda est misericordia et subventio his qui habent penuriam; unde Marci octavo: « Misereor super turbam, quia ecce, iam triduo sustinent me nec habent quod manducent ».

Ratio inductiva assignator.

31. (Vers. 14.). Secundo quantum ad *assignationem rationis inductivae* subdit: *Et beatus eris, quia non habent retribuere* [7] *tibi;* ideo oportet, quod alius retribuat pro eis; Proverbiorum decimo nono: « Foeneratur Domino qui miseretur pauperis »; quod dicitur propter immensitatem mercedis, de qua subdit: *Retribuetur enim* [8] *tibi in resurrectione iustorum,* id est in gloria aeterna; de qua resurrectione Apocalypsis vigesimo: « Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima »; et infra vigesimo: « Illi qui digni habebuntur saeculo illo et resurrectione aequales erunt Angelis et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis ».

Notandum.

In hac resurrectione resurgent mali ad mortem, sed iusti ad vitam; Ioannis quinto [9]: « Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicii ». In hac retributio fiet misericordibus; unde Ecclesiastici duodecimo [10]: « Benefac iusto, et invenies retributionem magnam, et si non ab illo, certe a Deo »; et maxime de eleemosyna; unde Matthaei vigesimo quinto: « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum » etc.; et post: « Esurivi, et dedistis mihi manducare » etc. Et ideo Matthaei quinto [11]: « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur ». Unde operibus pietatis maxime fit retributio felicitatis; propter quod Ecclesiastici decimo septimo: « Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso et gratiam hominis quasi pupillam conservabit; et postea resurget, et retribuet illi retributionem, unicuique in caput suum ».

Ratio.

— Ratio autem huius est, quia nullus est dignus misericordia, nisi qui facit misericordiam; quia, Iacobi secundo [12], « iudicium sine misericordia illi qui non facit misericordiam ». Et nullus ad aeternam beatitudinem venit nisi per misericordiam; Psalmus: « Homines et iumenta salvabis, Domine; quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus »; et rursus ad Titum: « Non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit ».

Eadem approbator.

32. (Vers. 15.). Tertio quantum ad *approbationem rationis inductae* subdit: *Haec cum audisset*

---

[1] Vers. 7, cui subiungitur Deut. 15, 11. — Glossa *interlinearis: Voca pauperes,* a quibus nihil in praesenti potes exspectare.

[2] Vers. 22, post quem Tob. 2, 1. seq.

[3] Vers. 5. et 6.

[4] Alias 80. (codd. *60.*) n. 1. in fine: Hic ait [Matth. 25, 45.]: *In quantum non fecistis uni minimorum fratrum meorum, nec mihi fecistis.* Quid ais? fratres tui sunt; quomodo *minimos* appellas? Ideo certe fratres, quia humiles, pauperes, abiecti. Hos enim maxime ad fraternitatem vocat, ignotos, contemptos; nec monachos dicit tantum illosque qui in montibus habitant, sed fideles singulos, etiam si saeculares sint, si sint esurientes, famelici, nudi, hospites, nulla non ipsos cura vult excipi. Fratrem enim et baptismus efficit et divinorum mysteriorum consortium. — Pro *omnium eum frui* in D secunda manus substituit *omnino eum frui.*

[5] Vers. 39, ubi pro *firmaberis* A C D G *firmaris.* — Sequitur Matth. 25, 36.

[6] Vers. 21. — Subinde allegatur Marc. 8, 2.

[7] Codd. C D G *unde retribuere,* H *unde retribuent,* quae lectio apud Card. Hug. in margine allegatur. — Sequitur Prov. 19, 17.

[8] Plures codd., ut A C D H, *autem.* — Duo seqq. loci sunt Apoc. 20, 6. et Luc. 20, 35. seq.

[9] Vers. 29.

[10] Vers. 2, post quem Matth. 25, 34. et 35.

[11] Vers. 7. — Subinde allegantur Eccli. 17, 18. et 19. Cfr. supra pag. 140, nota 6.

[12] Vers. 13. — Sequuntur Ps. 35, 7. seq. et Tit. 3, 5.

*quidam de simul discumbentibus; audisset*, inquam, non tantum aure corporis, verum etiam aure cordis, secundum illud Apocalypsis secundo[1]: « Qui habet aurem audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis ». Et quoniam qui sic audit credit, secundum illud ad Romanos decimo[2]: « Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi », id est, qui credit audiendo testimonium reddit loquendo et confitendo; Iob vigesimo nono: « Auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi »; ideo subdit: *Beatus, qui manducabit panem*[3] *in regno Dei*, quasi dicat: melior est retributio, quae erit in resurrectione mortuorum, quam ista quae est in praesenti, quia ista est misera, illa vero beata; Psalmus[4]: « Quia melior est dies una in atriis tuis super millia ». Unde Apocalypsis decimo nono: « Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt ».

Panis spiritualis manducatur dupliciter.

33. Et nota, quod cibus ille, qui erit in regno Dei, non erit cibus carnalis, sed spiritualis. Et iste panis est Verbum increatum et Verbum incarnatum; quem quidem panem manducamus in via *sacramentaliter*, secundum illud primae ad Corinthios undecimo[5]: « Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat »; in patria vero manducabimus *spiritualiter*, videndo facie ad faciem; Ioannis sexto: « Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum »; quia, decimo septimo, « haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum ». Hic panis promittitur nobis edendus post egressum de hac vita; « cum dederit dilectis suis somnum, ecce, hereditas Domini, filii; merces, fructus ventris[6] ». Sicut enim nemo venit ad somnum quietis nisi per *senarium laboris*, sic istius panis manducationem praecedit *senarius panum*, qui sunt praeparatorii ad illum cibum aeternum, quem manducabimus in patria.

Notandum.

Sex panes in vita temporali.

34. Primus panis est *doloris poenitentiae;* Psalmus[7]: « Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte »; et iterum Psalmus: « Surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris ». De hoc pane dicitur in figura Genesis vigesimo primo: Dedit Abraham Agar « panem et utrem aquae », et illa abiit in desertum. — Secundus est panis *laboris iustitiae;* Genesis tertio[8]: « In sudore vultus tui vesceris pane tuo »; Psalmus: « Labores manuum tuarum quia manducabis; beatus es, et bene tibi erit ». — Tertius est panis *instructionis doctrinae;* Matthaei quarto[9]: « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei ». De hoc dicitur Threnorum quarto: « Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis ». — Quartus est panis *Sacramenti eucharistiae*, de quo Ioannis sexto[10]: « Panis, quem ego dabo, caro mea est » etc.; et Matthaei vigesimo sexto: « Coenantibus autem eis, accepit Iesus panem ». — Quintus est panis *consolationis internae;* primi Regum trigesimo[11]: « Dederunt puero Aegyptio panem »; « quem cum comedisset, reversus est spiritus eius, et refocillatus est »; et Sapientiae decimo sexto: « Panem de caelo praestitisti eis habentem » etc. — Sextus est panis *contemplationis supernae*, de quo Genesis quadragesimo nono[12]: « Aser, pinguis panis eius, et praebebit delicias regibus »; Proverbiorum nono: « Venite et comedite panem meum et bibite vinum, quod miscui vobis »; Ecclesiastici decimo quinto: « Cibabit illum pane vitae et intellectus, et aqua sapientiae salutaris potabit illum ».

35. Per hos sex panes venitur ad septimum, de quo hic: *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.* Sed multi ita sunt miseri, quod non possunt venire de pane ad panem[13]; unde ad panem illius caelestis convivii non veniunt, quia panes alios praeambulos manducare nolunt. — In figura horum septem panum Matthaei decimo quinto[14]: « Accipiens Iesus septem panes benedixit ». Incipiendo namque a pane *doloris poenitentiae*, pervenitur ad panem *refectionis aeternae*, quem qui manducaverit non habebit ulterius defectum; Ioannis sexto[15]: « Ego sum panis vitae; si quis venit ad me, non esuriet »; quia nec habebit fastidium, secundum illud Ecclesiastici vigesimo quarto: « Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient; qui audit me non

Septimus panis in patria.

Figura.

---

[1] Vers. 7. Codd. A C D: *Qui habet aures audiendi* etc. — Glossa *interlinearis: Haec cum audisset*, quod in resurrectione essent beatificandi pauperum susceptores. — Superius vocibus *aure cordis* Vat. interserit *mentis vel.*

[2] Vers. 17. et subinde Iob 29, 11. — Inferius pro *testimonium reddit* D G *testimonium reddat.*

[3] Nonnulli codd. omittunt *panem*, sed vide infra n. 33. seqq.

[4] Psalm. 83, 11, cui subiungitur Apoc. 19, 9. — August., Serm. 112. (alias 33. de Verbis Domini) c. 5. n. 5: Dixerat unus de discumbentibus... *Beati, qui manducant panem in regno Dei;* quasi in longinqua iste suspirabat, et ipse panis ante illum discumbebat. Quis est panis de regno Dei, nisi qui dicit [Ioan. 6, 41.]: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi?*

[5] Vers. 28. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 6, 52. et Ioan. 17, 3. — Beda, IV. in Luc. 14, 15: Panis, qui manducatur in regno Dei, non iuxta Cerinthum corporis intelligendus est cibus, sed ille utique, qui ait [Ioan. 6, 51. seq.]: *Ego sum panis vivus* etc. — Superius ex B supplevimus *in via.*

[6] Psalm. 126, 2. et 3.

[7] Psalm. 41, 4, post quem Ps. 126, 2. et Gen. 21, 14.

[8] Vers. 19. et deinde Ps. 127, 2. — Vat. vocibus *laboris iustitiae* interserit *et;* idem recurrit in seq. membro.

[9] Vers. 4, cui subiungitur Thren. 4, 4.

[10] Vers. 52, post quem Matth. 26, 26.

[11] Vers. 11. et 12, quos sequitur Sap. 16, 20.

[12] Vers. 20. — Duo seqq. loci sunt Prov. 9, 5. et Eccli. 15, 3. — Superius codd. non bene substituunt *contemplationis aeternae* pro *contemplationis supernae.*

[13] Ita etiam Card. Hugo. Cfr. Bernard., Serm. 1. pro Dominica 6. post Pentec. n. 4. et Serm. 3. in Dedicat. ecclesiae, n. 2, ubi diversae panis afferuntur significationes.

[14] Vers. 36: *Et accipiens septem panes... et gratias agens fregit* etc. Cfr. 26, 26: Accepit Iesus panem *et benedixit* ac fregit etc.

[15] Vers. 35. et deinde Eccli. 24, 29-31. — Superius pro *ulterius defectum* Vat. *ulterius ullam penuriam.*

confundetur », usque ibi: « Qui elucidant me vitam aeternam habebunt ».

Quoad invitandos ad convivium aeternale tanguntur tria.

36. (Vers. 16.). *At ipse dixit ei: Homo quidam* etc. Postquam informavit invitatos ad convivium nuptiale et invitantes ad convivium familiare; hic *informat invitandos ad convivium aeternale* per introductionem parabolae [1]. In hac autem parabola tria introducuntur: quorum primum est *invitatio plurimorum;* secundum est *excusatio invitatorum,* de qua ibi [2]: *Et coeperunt simul omnes excusare;* tertium est *repulsio contemptorum,* ibi: *Et reversus servus* etc.

De primo tria.

Circa autem *invitationem plurimorum* tria introducuntur ab Evangelista, scilicet *praeparatio refectionis aeternae, vocatio multitudinis ad fidem, excitatio eiusdem ad devotionem.*

Praeparatio refectionis aeternae.

Primo igitur quantum ad *praeparationem refectionis aeternae* dicit: *Homo quidam fecit coenam magnum,* id est, Christus praeparavit refectionem aeternam [3]. Nam Christus dicitur *homo quidam* singulariter, conceptus sine semine virili, natus sine dolore Matris, immunis ab omni peccato et mortuus pro hominum peccato; de quo homine in Psalmo [4]: « Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus ». Hic *fecit coenam,* quia praeparavit refectionem summam et ultimam; unde Glossa [5]: « Hoc convivium non *prandium,* sed *coena* dicitur, quia post *prandium,* de quo Matthaeus agit, *coena* restat, et post *coenam* nullum convivium restat ». De hac coena Apocalypsis decimo nono [6]: « Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt ». Haec coena *magna* dicitur, quia *inaestimabilis;* unde Genesis decimo quinto: « Ego merces tua magna nimis »; quia *interminabilis;* Baruch tertio: « O Israel, quam magna est domus Domini et ingens locus possessionis eius! Magnus et non habens finem, excelsus et immensus ». Ideo autem aestimari non potest, quia tam cibus, quam ille qui ministrat, Deus est et bonum summum; infra vigesimo secundo [7]: « Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo »; de quo in Psalmo: « Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos ».

Vocatio multitudinis ad fidem.

37. Secundo quantum ad *vocationem multitudinis ad fidem* subdit: *Et vocavit multos,* ad fidem, quia de omni statu et gente et aetate, secundum illud Ioelis secundo [8]: « Sanctificate ieiunium, vocate coetum, congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes et congregate parvulos et sugentes ubera ». Qui sic vocantur per consequens ad aeternam refectionem vocantur; unde primae Petri quinto: « Deus autem gratiae, qui vocavit nos in aeternam gloriam in Christo Iesu, ipse perficiet » etc. Ideo autem *vocat multos,* ut ostendat summam liberalitatem et benignitatem; sed ideo *paucos eligit,* ut ostendat iudicii severitatem; propter quod Matthaei vigesimo [9]: « Multi sunt vocati, pauci vero electi ». Unde haec vocatio multitudinis comparatur captioni sagenae, quae capit ex omni genere piscium; Matthaei decimo tertio: « Simile est regnum caelorum sagenae missae in mare et ex omni genere piscium congreganti » etc. — Notandum.

Excitatio multitudinis ad devotionem.

38. (Vers. 17.). Tertio quantum ad *excitationem eiusdem multitudinis ad devotionem* subdit: *Et misit servum suum hora coenae dicere invitatis, ut venirent.* « *Servus* iste, ut dicit Glossa [10], est ordo praedicantium », qui, cum sint multi, intelliguntur tamen nomine *unius servi* pro unitate officii; de qua missione Proverbiorum nono: « Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem et ad moenia civitatis ». De hoc servo Isaiae quadragesimo nono: « Et nunc haec dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi: Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob et faeces Israel convertendas. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae ». — *Hora coenae* est finis saeculi, hoc est tempus sextae aetatis, secundum illud primae ad Corinthios decimo [11]: « Nos sumus, in quos fines saeculorum devenerunt »; et primae Ioannis secundo: Audistis, quia « novissima hora est ». — Hi servi dicunt invitatis, ut *veniant ad coenam; veniant,* inquam, per *internum desiderium et devotionem,* secundum illud Psalmi [12]: « Sitivit anima mea ad Deum, fontem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei »? Hi servi Dei debent *praedicare,* secundum illud Isaiae secundo [13]: « Venite, ascendamus — Hora coenae.

---

[1] Cfr. supra n. 14.

[2] Vers. 18, ubi verbo *excusare* G praemittit *se;* tertium habetur v. 21.

[3] Codd. A D legunt: *Homo quidam, id est Christus. Nam Christus* etc.

[4] Psalm. 86, 5. — Superius A C D F H omittunt *hominum.*

[5] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, IV. in Luc. 14, 17, qui sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 36. n. 2.) in Luc. 14, 16; in ipsa allegatur Matth. 22, 4: Ecce, *prandium* meum paravi etc.

[6] Vers. 9, in quo A C D omittunt *nuptiarum.* — Duo seqq. loci sunt Gen. 15, 1. et Baruch 3, 24. seq.

[7] Vers. 29. seq. (A C D F omittunt *meam*) et deinde Ps. 35, 9.

[8] Vers. 15. et 16. — Subinde allegatur I. Petr. 5, 10, ubi H, Vulgata et Vat. voci *gratiae* praefigunt *omnis,* et post *aeternam* addunt *suam.*

[9] Vers. 16, quem sequitur Matth. 13, 47. — Superius pro *liberalitatem* Vat. *libertatem.*

[10] Scilicet *ordinaria* (ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 36. n. 2, quem sequitur Beda in Luc. 14, 17.): Hora coenae, finis saeculi; unde Apostolus [I. Cor. 10, 11.]: *Nos sumus, in quos fines saeculorum devenerunt.* In hoc fine mittitur servus, id est ordo praedicatorum ad invitatos etc. Glossa *interlinearis: Et misit servum suum,* ordinem praedicatorum. — Duo seqq. loci sunt Prov. 9, 3. et Isai. 49, 5. seq.

[11] Vers. 11, ubi Vulgata omittit *Nos sumus,* sed cfr. nota praecedens. — Sequitur I. Ioan. 2, 18.

[12] Psalm. 41, 3, ubi pro *fontem* Vulgata *fortem* (cfr. Petr. Lombard., in hunc loc.), quod August. omittit.

[13] Vers. 3, post quem Apoc. 22, 17. — Glossa *ordinaria* (ex Gregor. et Beda, loc. cit.) in Luc. 14, 17: Mittitur servus, id est ordo praedicatorum, ad invitatos per Legem et Prophetas,

ad montem Dei et ad domum Dei Iacob, et docebit nos » etc., quia, secundum illud Apocalypsis ultimo, « et qui audit dicat: Veni ».

Parata sunt quatuor.

39. Et quia nihil tantum excitat desiderium, ut veniat ad Deum, quantum consideratio illorum praemiorum; ideo subdit: *Quia iam parata sunt omnia. Parata* namque sunt *habitacula;* Ioannis decimo quarto [1]: « In domo Patris mei mansiones multae sunt. Si quo minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. Et si abiero et praeparavero vobis locum, iterum venio et accipio vos ad me ipsum ». — Item, praeparata sunt *gaudia;* primae ad Corinthios secundo [2]: « Oculus non vidit, et auris non audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus his qui diligunt illum »; quod acceptum est de Isaiae sexagesimo quarto: Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti exspectantibus te ». — Item, praeparata est *mensa;* Psalmus [3]: « Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me » etc. — Item, praeparata est *sponsa* cum his qui praedestinati sunt ad vitam; Apocalypsis decimo nono [4]: « Venerunt nuptiae Agni, et uxor eius praeparavit se », quia, sicut dicitur Matthaei vigesimo quinto, « quae paratae erant intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est ianua ».

De secundo tres excusationum radices.

40. (Vers. 18.). *Et coeperunt simul omnes.* Post invitationem plurimorum sequitur hic *excusatio vocatorum* [5], quia multi veniunt ad fidem, qui tamen nolunt pervenire usque ad caritatem propter vitiorum pronitatem, quam in excusationis velamen assumunt. — *Et coeperunt simul omnes excusare;* Glossa [6]: « Excusat omnis, qui plus terrena quam caelestia diligit, etiam si ad caelestia se tendere dicat ». Quoniam ergo triplex est radix omnis peccati, quae nos retrahit a caritate Christi [7]; ideo hic tria genera hominum citationem huius reprobantium introducit, secundum triformem excusationem. Quarum prima venit ex *ambitione superbiae;* secunda, ex *sollicitudine avaritiae;* tertia vero, ex *libidine lasciviae.*

Radix primae excusationis.

41. Primo igitur quantum ad primam excusationem, quae venit ex *ambitione superbiae,* dicit: *Primus dixit illi* [8]*: Villam emi.* Iste *primus* est superbus, qui semper vult obtinere primatum; Ecclesiastici decimo: « Initium superbiae hominis apostatare a Deo, quoniam ab eo qui fecit illum, recessit cor eius, quoniam initium omnis peccati superbia ». Huius est *villam emere,* quia nihil aliud quaerit quam dominari et praeesse. Unde Augustinus [9]: « In empta villa dominatio notatur et superbia. Habere enim villam, homines sibi subdere superbiae vitium primum notat ». Hanc *emptionem* facit superbus dando animam in servitutem diaboli, quia, Iob quadragesimo primo [10], « omne sublime videt, et ipse est rex super omnes filios superbiae ». Unde dum vult esse dominus hominum, efficitur servus vitiorum, et hoc est valde malum forum.

Notandum.

Confessio servitutis.

Unde talis fatetur se servum, cum subdit: *Et necesse habeo exire et videre illam.* Hanc *necessitatem* inducit superbia, quae facit hominem evanescere et quodam modo extra se ire; Nahum primo [11]: « Ex te exibit, cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans praevaricationem ». — Et quia vitium palliat se sub *pallio virtutis,* quia superbus vult videri humilis; ideo subdit: *Rogo te, habe me excusatum;* Glossa [12]: « Roga pro me, quia homo peccator sum »; se ipsum humiliat in voce, cum superbiat in corde. Unde Gregorius: « Dum dicit: *Rogo te, habe me excusatum,* humilitas sonat in voce; dum autem *venire contemnit,* superbia est in actione ». Tales designantur per illos, de quibus dicitur Matthaei vigesimo septimo [13]: « Genu flexo ante eum, illudebant ei »; et de huiusmodi dicitur Ecclesiastici decimo nono: « Est qui nequiter se humiliat, et interiora eius plena sunt dolo ». Et de talibus dicit

---

ut, repulso fastidio, ad gustandam coenam se praeparent, *quia omnia iam sunt parata;* Christo enim immolato, introitus regni patet. Cfr. August., Serm. 112. (alias 33. de Verbis Domini) c. 1. n. 1. in fine.

[1] Vers. 2. et 3, in cuius fine pro *accipio* Vat. cum Vulgata *accipiam.*

[2] Vers. 9, cui subiungitur Isai. 64, 4. — Superius pro *gaudia* (ita E) alii codd. et Vat. *grandia,* B *grandia vel gaudia.*

[3] Psalm. 22, 5.

[4] Vers. 7. et deinde Matth. 25, 10.

[5] Cfr. supra n. 36. — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 36. n. 2: Qui *vocavit multos,* sed pauci veniunt, quia nonnunquam ipsi, qui ei per fidem subiecti sunt, aeterno eius convivio male vivendo contradicunt. — Inferius pro *vitiorum pronitatem* B *vitiorum pravitatem,* in D secunda manus substituit *morum pravitatem.*

[6] Scilicet *ordinaria* (ex Gregor., loc. cit.), in qua post *Excusat* Vat. cum textu originali addit *se.*

[7] Epist. I. Ioan. 2, 16: Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae. — Inferius pro *citationem* C H *vocationem.*

[8] Vulgata *ei.* — Subinde allegatur Eccli. 10, 14. seq.

[9] Serm. 112. (alias 33. de Verbis Domini) c. 2. n. 2: In villa empta dominatio notatur, ergo superbia castigatur. Habere enim villam, tenere, possidere, homines sibi in illa subdere, dominari delectat. Vitium malum, vitium primum. Primus enim homo dominari voluit, qui dominum habere noluit. Quid est dominari nisi propria potestate gaudere? Est maior potestas, illi subdamur, ut tuti esse valeamus. S. Bonav. allegat secundum Glossam *ordinariam* in Luc. 14, 18.

[10] Vers. 25. Cfr. Ioan. 8, 33. seqq.; Rom. 6, 16. seqq. et II. Petr. 2, 19. — Inferius pro *et hoc est valde malum forum* Vat. *et haec est valde mala permutatio.* Cfr. Du Cange, Glossarium etc.: *Forum,* pro pretium venalium... *Forum bonum,* Vile pretium, Gall. *Bon marché.*

[11] Vers. 11. — Glossa *interlinearis: Villam emi,* magno labore acquisivi, vel pretio fidei, quam in Deo habeo, haec recepi, *et necesse habeo exire,* ab interna contemplatione, *et videre illam,* totum studium ad eam applicare.

[12] Scilicet *interlinearis* ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 36. n. 4, ubi etiam seq. Gregorii sententia, quae allegatur secundum Glossam *ordinariam* in Luc. 14, 18.

[13] Vers. 29, post quem Eccli. 19, 23.

Propheta in Psalmo[1]: « Non declines cor meum in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis ». Et ideo e contrario dicitur de viro iusto Proverbiorum decimo octavo: « Iustus prior accusator est sui ».

42. (Vers. 19.). Secundo quantum ad *secundam excusationem*, quae venit ex *sollicitudine avaritiae*, subdit: *Et alter dixit: Iuga boum emi quinque.* Sollicitudo namque avaritiae facit, quod quis non quaerit nisi terrena tractare; ideo labori boum comparatur, quorum est terram sulcare et exercere. Et dicuntur *quinque iuga boum* propter quinque sensus conversos ad haec terrena. Unde Glossa[2]: « Haec *iuga boum* dicuntur, quia per hos terrena reguntur; boves enim terram versant ». Dici etiam possunt *iuga*, quia collum ligant et cervicem domant et totum deprimunt in terram et animam vendunt pro terra; Ecclesiastici decimo[3]: « Nihil est iniquius quam amare pecuniam; hic enim animam suam venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima sua ». Quoniam enim, sicut dicitur Matthaei sexto, « ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum »; et thesaurus avari est extra se, scilicet in terra: ideo intima hominis avari proiecta sunt in terra. Unde necesse est, quod iugo servitutis opprimatur, quia vendidit semetipsum; unde Ecclesiastici vigesimo septimo[4]: « Inter medium emptionis et venditionis angustiabitur peccatis ». — Reddit enim avaritia sollicitum et curiosum, ideo subdit: *Et eo probare illa,* quia continuam curam habet de superfluis. Unde Glossa[5]: « Recte per quinque sensus curiositas designatur, quae, dum exterius investigat vitam proximi, sua intima nescit; et curiosi animus quanto est peritus alieni, tanto ignarus fit sui ». — Et nota, quod caritas non habet nisi *iugum unum,* quia omnem sollicitudinem reducit ad unum, secundum illud supra decimo[6]: « Unum est necessarium »; et Michaeae sexto: « Sollicitum ambulare cum Deo tuo » etc.; et Matthaei undecimo: « Iugum meum suave est » etc.; et Threnorum tertio: « Bonum est viro, cum portaverit iugum Domini ab adolescentia sua ». Sed curiositas habet *quinque,* quantum ad universitatem sensibilium, circa quae versatur; unde Ecclesiastae septimo[7]: « Deus fecit hominem rectum, et ipse miscuit se infinitis quaestionibus ». — Et quoniam vitium cupiditatis et avaritiae palliat se sub *specie providentiae,* ideo subdit: *Rogo te, habe me excusatum.* Sed talibus potest dici illud Ieremiae secundo[8]: « Quid niteris bonas ostendere vias tuas ad quaerendam dilectionem, quae insuper malitias tuas docuisti vias tuas plurimas, et in alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum et innocentium »?

Radix secundae excusationis.

Notandum.

Effectus caritatis et curiositatis.

43. (Vers. 20.). Tertio quantum ad *tertiam excusationem,* quae venit ex *libidine lasciviae*, subdit: *Et alius dixit: Uxorem duxi, et ideo non possum venire.* Haec *uxor* est concupiscentia carnis, de qua Ecclesiastae septimo[9]: « Inveni amariorem morte mulierem, quae laqueus venatorum est et sagena cor eius ». Haec dicitur *uxor* propter vehementem libidinis adhaesionem; primae ad Corinthios sexto: « An nescitis, quia qui adhaeret mulieri unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una ». — Et ideo subdit: *Et ideo non possum venire.* Nec addit: *Habe me excusatum,* quia solum peccatum carnis est, quod minime palliat se sub *specie virtutis* et minime excusatur; et tamen secundum veritatem magis est excusabile propter maiorem pronitatem concupiscentiae, secundum illud ad Romanos septimo[10]: « Invenio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae et captivantem me in servitutem peccati ». Et pro tanto dicit: *Non possum venire,* quia, sicut dicit Bernardus[11], « sicut ignis et aqua simul esse non possunt, sic spirituales deliciae et carnales in eodem se non compatiuntur ». Mentitur tamen iste, quia talis, etsi sit concupiscentiae servus, potest facere, quo facto habeat gratiam, per quam habeat *posse* domandi concupiscentiam. Unde ad Romanos septimo[12]: « Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius »? Et respondet continuo: « Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum », quia, ad Philippenses secundo, « Deus est, qui operatur in vobis velle et perficere

Radix tertiae excusationis

Notandum.

[1] Psalm. 140, 4. et deinde Prov. 18, 17.

[2] Haec Glossa, quae hoc loco nec a Strab. nec a Lyrano exhibetur, est August., Serm. 112. (alias 33. de Verbis Domini) c. 3. n. 3, ubi docet, haec *quinque iuga boum* significare curiositatem quinque sensuum. Nam *quinque* sunt sensus, et quilibet eorum *geminatur* (duo oculi, duae aures, geminae nares, pro gustu duo instrumenta, scil. lingua et palatum, in tactu voluptas carnis interius et exterius): « Quare boum dicuntur iuga? Quia per sensus istos carnis terrena requiruntur. Boves enim terram versant » etc. — Pro *versant* D *vertunt.*

[3] Vers. 10, post quem Matth. 6, 21; cfr. supra c. 12. n. 47. seq. — Superius pro *et animam vendunt pro terra* B *avari enim animam vendunt.*

[4] Vers. 2, ubi pro *peccatis* (ita Vat. cum Rabano, Card. Hug. et Lyrano) Vulgata *peccatum*, C D F *peccator.* Inmediate post D, a secunda manu correctus, prosequitur: *Et quia avaritia reddit sollicitum* (H *Quia vero avaritia reddit* etc.).

[5] Scilicet *ordinaria* (ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 36. n. 4, quem sequitur Beda). In D secunda manus substituit: *Recte per quinque iuga quinque sensuum curiositas* etc. — Superius vocibus *quia continuam* Vat. interserit *curiosus*, H legit: *Beda: probatio ad curiositatem pertinet, quia curiositas continuam* etc.

[6] Vers. 42. — Tres seqq. loci sunt Mich. 6, 8; Matth. 11, 30. et Thren. 3, 27.

[7] Vers. 30.

[8] Vers. 33. et 34, ubi Vat. cum Vulgata et H: *Quid niteris bonam ostendere viam tuam*, quae etiam subinde omittit *plurimas*, A C D omittunt *ad quaerendam... vias tuas.*

[9] Vers. 27. Cfr. August., Serm. 112, (alias 33. de Verbis Domini) c. 8. n. 6. — Subinde allegatur 1. Cor. 6, 16, in quo pro *mulieri* (ita A C D F) Vat. cum Vulgata et H *meretrici.*

[10] Vers. 23, ubi pro *in servitutem peccati* Vat. cum Vulgata *in lege peccati.*

[11] Epist. 2. n. 10.

[12] Vers. 24. et 25, post quos Phil. 2, 13.

pro bona voluntate ». — Et nota hic, quod licet uxor licite habeatur, tamen propter abusum et propter vitium coniunctum per *rem bonam* intelligitur *malum*. Propter quod et Apostolus dicit primae ad Corinthios septimo [1] : « Reliquum est, ut qui habent uxores sint tanquam non habentes »; sicut et Glossa dicit, quod « multi non propter fecunditatem, sed propter desideria carnis uxores ducunt. Ideo per rem istam carnalis voluptas designatur »; unde non est inconveniens, quod *uxor* ratione *vinculi sacramentalis* designat Ecclesiam, sponsam Christi [2], et ratione *libidinis* designare possit concupiscentiam carnalis voluptatis.

De tertio tanguntur tria.

44. (Vers. 21.). *Et reversus servus* etc. Post invitationem plurimorum et excusationem invitatorum sequitur hic tertio *repulsio contemptorum* [3]. Circa quam tria introducuntur ab Evangelista, scilicet *vocatio indigentium, compulsio negligentium* et *repulsio contemnentium*.

Vocatio indigentium.

Primo quantum ad *vocationem indigentium*, quae ortum habuit ex contemptu aliorum, dicit: *Et reversus servus, nuntiavit haec domino suo*, videlicet vocatorum duritiam et rebellionem. Hanc servus nuntiat, quando ordo praedicatorum [4] non quaerit proprium commodum, sed honorem divinum, ut, sicut missus est a Deo per commissionem auctoritatis, sic revertatur per intentionem puritatis. Et de talibus dicitur Ezechielis primo [5] : « Animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis »; unde Iob trigesimo octavo : « Nunquid mittes fulgura, et ibunt et revertentia dicent tibi : Adsumus » ? ibi Glossa : « *Vadunt fulgura*, cum praedicatores miraculis coruscant; *revertentia dicunt: Adsumus*, cum non sibi, sed Deo tribuunt, quidquid se fortiter egisse cognoscunt ». Vel, *revertuntur* ad Deum per gratiarum actionem, secundum illud Ecclesiastae primo [6] : « Ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant ». Et quia non possunt gratias agere de audientium rebellione, sed potius gemere ex detestatione culpae; ideo dicuntur *Domino nuntiare;* sicut et de Apostolis dicitur Actuum quarto [7], quod, cum molestiam paterentur a Iudaeis, « levaverunt vocem unanimiter ad Deum et dixerunt : Tu, Domine, qui fecisti omnia, qui dixisti per os patris nostri David : Quare fremuerunt gentes » etc., « nunc, Domine, respice in minas eorum et da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum »; et sequitur, quod, « cum orassent, motus est locus »; in quo intelligitur commotio irae Dei contra rebellionem auditorum.

Notandum. Aliter.

Ira contra rebelles.

45. Propter quod et subdit : *Tunc iratus paterfamilias dixit servo suo : Exi cito in plateas et vicos civitatis*, id est ad publicam praedicationem, secundum illud Proverbiorum primo [8] : « Sapientia foris praedicat et in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua ». *Exitus iste* est ad exercitium praedicationis, secundum illud Matthaei decimo tertio [9] : « Exiit qui seminat seminare semen suum ». — Et quia, repulsis superbis, acceptantur humiles; ideo subdit : *Et pauperes ac debiles et caecos et claudos introduc huc;* quod secundum Glossas habet [10] exponi tripliciter : uno modo, ut ista sonent in *defectus naturales*, ut *pauperes*, qui carent rebus; *debiles*, qui carent viribus; *caecos*, qui habent defectum in visu; *claudos*, qui habent defectum in progressu, quia ad litteram etiam tales admittuntur ad regnum caelorum; primae ad Corinthios primo [11] : « Respicite, fratres, vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt, destrueret, ut non glorietur in conspectu eius omnis caro ».

Triplex verborum acceptio. Prima.

Secunda.

46. Alio modo legitur, ut sonent in *defectus vitiosos*, ut sint *pauperes* propter defectum *gratiae; debiles*, propter defectum *virtutis; caeci*, propter defectum *prudentiae;* et *claudi*, propter defectum *bonae voluntatis*. Et tamen hos eligit et vocat Deus, quia, Matthaei nono [12], « non veni vocare iustos, sed

---

[1] Vers. 29. — Glossa seq. est *ordinaria* (ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 36. n. 5, quem sequitur Beda) in Luc. 14, 20.

[2] Cfr. Eph. 5, 23. seqq.

[3] Vide supra n. 36.

[4] Cfr. supra pag. 370, nota 10.

[5] Vers. 14, post quem Iob 38, 35. et Glossa *ordinaria* in hunc loc. (de qua vide supra pag. 261, notam 11.), in qua post *coruscant* textus originalis addit *et superna reverentia auditorum corda transfigunt; unde* [Eccle. 1, 7.]: Ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant; *quia Sancti a visu Dei propter nos exeunt, sed mox ad contemplationem recurrunt; aliter enim praedicatio siccaretur, quia ibi sumunt quod propinant* (ex Gregor., XXX. Moral. c. 2. n. 8).

[6] Vers. 7. Vide supra c. 10. n. 30.

[7] Vers. 24. seq. (in quo allegatur Ps. 2, 1.); deinde v. 29. et 31.

[8] Vers. 20. et 21.

[9] Vers. 3. — De propositione sequenti vide Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 36. n. 6: Quia ergo venire superbi renuunt, pauperes eliguntur.

[10] Cod. D *quae secundum Glossas habent.*

[11] Vers. 26-29, ubi pro *Respicite* Vat. cum Vulgata *Videte.* — Glossa *ordinaria* (ex Ambros., VII. in Luc. c. 14. n. 202.) apud Lyranum: Invitat pauperes ac debiles, caecos et claudos, ostendens, quod *debilitas corporis* nullum excludit a regno etc.

[12] Vers. 13, cui subiungitur 21, 31, in cuius fine pro *regnum Dei* A C D F *regnum caelorum.* — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 36. n. 6. (ex quo est Glossa *interlinearis* in Luc. 14, 21.): *Pauperes et debiles* dicuntur qui iudicio suo apud semetipsos infirmi sunt. Nam *pauperes et quasi fortes* sunt qui et positi in paupertate superbiunt. *Caeci* vero sunt qui nullum ingenii lumen habent. *Claudi* quoque sunt qui rectos gressus in operatione non habent. Sed dum morum vitia in membrorum debilitate signantur, profecto liquet, quia, sicut illi peccatores fuerunt, qui vocati venire noluerunt; ita hi quoque peccatores sunt, qui invitantur et veniunt. Sed peccatores superbi respuuntur, ut peccatores humiles eligantur.

peccatores ad poenitentiam »; unde et Matthaei vigesimo primo dictum est Pharisaeis: « Publicani et meretrices praecedent vos in regnum Dei ».

47. Tertio modo legitur, ut sonent in *defectus virtuosos*, ut dicantur *pauperes* et *debiles* quantum ad propriam reputationem; et illos quidem intelligimus *pauperes*, qui non confidunt de nimia *opulentia;* de quibus Proverbiorum decimo tertio[1]: « Est quasi pauper, cum in multis divitiis sit »; illos vero *debiles*, qui non confidunt de sua *virtute;* primae ad Corinthios primo: « Quod infirmum est Dei fortius est hominibus »; *caecos*, qui non confidunt de sua *scientia*, id est, qui reputant se caecos; unde Ioannis nono[2]: « Si caeci essetis, peccatum non haberetis; nunc autem, quia dicitis, quia videmus; peccatum vestrum manet »; *claudos*, qui non confidunt de sua *rectitudine;* unde Iacob, postquam vidit Dominum, dicitur claudicasse, Genesis trigesimo secundo. Tales Dominus introducit, scilicet *pauperes* per contemptum terrenae opulentiae; Psalmus[3]: « Parcet pauperi et inopi » etc.; *debiles* per contemptum propriae confidentiae; Isaiae quadragesimo: « Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem »; *caecos* per contemptum propriae industriae; Ioannis nono: « In iudicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant etc.; *claudos* per contemptum propriae iustitiae; Isaiae trigesimo quinto: « Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum ». — Et pro his omnibus dicitur supra septimo[4]: « Caeci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur »; quia ipsi ad vitam introducuntur et vocantur. — Et hic ultimus intellectus videtur magis consonus praecedentibus, quia « Deus superbis resistit ».

Tertia.

Nota.

48. (Vers. 22.). Secundo quantum ad *compulsionem negligentium*, quae sequitur vocationem humilium, subdit: *Et ait servus: Domine, factum est, ut imperasti, et adhuc locus est;* quia non tot sunt *humiles*, quot praedestinati ad vitam, non tot sunt ad vitam aeternam *voluntarii*, quot sunt a Deo praedestinati.

Compulsio negligentium.

49. (Vers. 23.). Ideo subdit: *Et ait dominus servo: Exi in vias et sepes.* Per *vias et sepes*, quae sunt extra urbem, intelliguntur peccatores, qui sunt extra ecclesiasticam unitatem, et maxime gentiles. Unde Gregorius[5]: « Cum de *vicis et plateis* vocat, Iudaeos significat, qui tenere Legem sub urbana conversatione noverant; cum autem de *viis et sepibus* vocat, agrestem populum gentium significat ». Et per hanc eandem rationem *ceteri peccatores* possunt intelligi et maxime pigri, qui ad bonum trahuntur inviti. — Unde subdit: *Et compelle intrare,* comminatione scilicet aeternorum suppliciorum et ostensione praesentium; quia, sicut dicit Gregorius[6], « mala, quae nos hic premunt, ad Deum ire compellunt »; propter quod in Psalmo: « Cum occideret eos, quaerebant eum ». Unde hos compellit servus Dei, quando eos terret comminatione severitatis iudicii, secundum illud secundae ad Timotheum quarto: « Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa » etc. — Et *ratio* huius est complementum numeri electorum; unde subdit: *Ut impleatur domus mea,* Glossa[7]: « Numero praedestinatorum fidelium, qui numerus inexpletus non remanebit », de quo numero Apocalypsis sexto: « Adhuc sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum ». Haec ergo *domus impletur,* quando salvatur universitas electorum, de quibus Apocalypsis septimo[8]: « Post haec vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat »; et Apocalypsis decimo quarto: « Vidi supra montem Sion Agnum stantem et cum eo » etc.; et in Cantico Deuteronomii trigesimo secundo[9]: « Statuit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel »; ubi dicit Gregorius, quod « tot salvabuntur homines, quot Angeli steterunt ». Quidquid tamen sit de hoc, certum est, quod *perfectus* erit numerus electorum; in cuius figuram dicitur Deuteronomii trigesimo tertio[10]: « Apparuit de monte Pharan, et cum eo Sanctorum millia ».

Quid sint viae et sepes.

Ratio.

50. (Vers. 24.). Tertio quantum ad *repulsionem contemnentium* subiungit: *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt,* et se excusaverunt[11], *gustabit coenam meam;* quia nullus ad coenam illam pertingit nisi humilis; Matthaei decimo octavo: « Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum »; unde et in Psalmo dicitur: « Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te »! *Timentibus* enim Dominus reservat,

Repulsio contemnentium.

---

[1] Vers. 7. — Sequitur I. Cor. 1, 25, in cuius fine C D F G *est omnibus hominibus.* — Superius post *ut dicantur pauperes* Vat. omittit *et debiles;* sed cfr. in nota praecedenti verba Gregorii.

[2] Vers. 41. — Subinde allegatur Gen. 32, 31.

[3] Psalm. 71, 13. — Tres seqq. loci sunt Isai. 40, 31; Ioan. 9, 39. et Isai. 35, 6.

[4] Vers. 22. — Subinde allegatur I. Petr. 5, 5. (Iac. 4, 6.).

[5] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 36. n. 8. et in Glossa *ordinaria* apud Lyranum in Luc. 14, 23. — Retinuimus cum Vat. *Gregorius*, pro quo codd. *Ambrosius.*

[6] Haec sententia insinuatur a Gregorio, loc. cit. n. 9; cfr. supra pag. 146, nota 9. — Duo seqq. loci sunt Ps. 77, 34. et II. Tim. 4, 2.

[7] Scilicet *interlinearis.* — Subinde allegatur Apoc. 6, 11, iuxta Responsor. lect. 2. primi Noct. in festo Ss. Innocentium. Pro *fratrum vestrorum* plures codd. *fratrum nostrorum.*

[8] Vers. 9, cui subiungitur 14, 1.

[9] Vers. 8. — Sententia Gregorii habetur II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 11; cfr. tom. II. pag. 237, nota 1.

[10] Vers. 2; ibid. v. 3. dicitur: Omnes Sancti in manu illius sunt.

[11] Glossa *interlinearis* (ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 36. n. 10.): *Nemo virorum illorum*, excusantium, *qui vocati sunt, gustabit coenam meam*, etsi per seram poenitentiam aliquando intrare quaerant; unde dicitur [Matth. 25, 12.] fatuis virginibus: *Amen dico vobis, nescio vos;* nemo ergo vocatus excuset se. — Duo seqq. loci sunt Matth. 18, 3, et Ps. 30, 20.

sed superbos repellit. « Si enim peccantibus angelis non pepercit Deus, sed rudentibus inferni » etc., sicut dicitur secundae Petri secundo [1]; et post: « Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero reservat cruciandos »; et propter hoc ad Romanos undecimo [2]: « Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat ». Et ideo dicit ad Hebraeos secundo: « Quapropter oportet nos diligentius observare, ne forte pereffluamus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo factus est firmus, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem »?

**Tertio erudiuntur turbae subsequentes, de quo duo.**

51. (Vers. 25.). *Ibant autem turbae multae.* Postquam confutavit calumniantes et erudivit convivantes, hic iam tertio *informat comitantes* [3]. Dividitur autem pars ista in duas. In prima erudit *comitantes per verba expressa;* in secunda vero per *exempla parabolica*, ibi [4]: *Quis enim ex vobis volens aedificare turrem* etc. — Erudiens autem per *verba expressa* ad Christum spiritualiter comitandum procedit hoc ordine, exprimendo scilicet *spiritualis comitatus indicium, principium* et *complementum.*

Divisio.

Eruditio per verba expressa describitur quoad tria.

Primo igitur quantum ad *spiritualis comitatus indicium* dicit: *Ibant autem turbae multae cum eo*, in signum spiritualis comitatus; unde Glossa [5]: « *Ibant turbae cum eo*, captae scilicet dulcedine praedicationis et miraculorum »; unde poterant dicere illud Ioannis sexto: « Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes ». Et nota hic, quod Pharisaei *calumniabantur* Christum, et turbae *comitabantur*, quia quem superbi despiciunt humiles comitantur; unde Ioannis septimo [6]: « Nunquid aliquis de principibus credidit in eum? Sed turba haec, quae ignorat Legem, maledicta est ». Sequebantur autem turbae Iesum tanquam *oves pastorem;* Matthaei nono [7]: « Videns Iesus turbas, misertus est eis, quia erant vexati et iacentes sicut oves non habentes pastorem ». Item, sequebantur sicut *populi regem;* Matthaei vigesimo primo [8]: « Turbae, quae praeibant et quae sequebantur, clamabant: Hosanna » etc. Item, sequebantur sicut *discipuli doctorem;* supra quinto: « Factum est, cum turbae irruerent in eum, ut audirent verbum Dei; et ipse stabat secus stagnum Genesareth ».

Quoad comitatus indicium.

Notandum.

52. (Vers. 25. 26.). Secundo quantum ad *spiritualis comitatus principium* subdit: *Et conversus dixit ad illos; conversus*, inquam, per *benignitatem;* Psalmus [9]: « Deus, tu conversus vivificabis nos »; *dixit*, per *veritatem doctrinae: Si quis venit ad me*, per *supererogationem iustitiae;* Matthaei undecimo: « Venite ad me omnes; qui laboratis et onerati estis ». — *Et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam*, per *mortificationem affectus carnalis*, secundum illud Psalmi [10]: « Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam » etc.; *non potest meus esse discipulus*, per *assumtionem evangelicae perfectionis*, de qua Lucae sexto: « Perfectus omnis erit, si sit sicut magister eius ». — Et ratio huius est, quia principium spiritualis vitae est exuere carnalem affectum, quia, primae ad Corinthios secundo [11], « animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei; stultitia enim est illi, et non potest intelligere » etc.; et Isaiae vigesimo octavo: « Quem docebit scientiam et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte » etc., hoc est separatos a carnali affectione.

Quoad comitatus principium.

Ratio.

53. Unde notandum est hic, quod non praecipit hic odium parentum quantum ad *naturam*, quia hoc esset impietatis, cum dicatur primae Ioannis tertio [12]: « Qui odit fratrem suum homicida est »; sed quantum ad *culpam*, sicut dicit Augustinus: « Sic diligendi sunt homines, ut eorum errores non diligantur ». De quo odio in Psalmo [13]: « Nonne qui oderunt te, Domine, oderam et super inimicos tuos tabescebam »? et post: « Perfecto odio oderam illos » etc. Unde Gregorius: « Simul et odisse possumus et diligere, ut et cognatione nobis coniunctos ex praecepto divino diligamus, et quos adversarios in via Dei patimur odiendo et fugiendo nesciamus ». Unde odium illud non venit ex crudelitate, sed ex caritate, sicut et odium animae suae, quam debemus odisse, non quantum ad salutem, sed quantum ad carnalitatem. Unde Gregorius [14]: « Tunc animam nostram odimus, cum eius affectibus carnalibus reluctamur ». De hoc odio Ioannis duodecimo: « Qui odit

Explicatur tale odium.

---

[1] Vers. 4, et 9, ubi pro *reservat* Vat. cum Vulgata *in diem iudicii reservare.*

[2] Vers. 20. seq. et Hebr. 2, 1-3.

[3] Cfr. supra n. 1.

[4] Vers. 28, ubi Vat. cum Vulgata *turrim* pro *turrem;* idem recurrit infra n. 57. — Inferius pro *spiritualiter* Vat. *specialiter.*

[5] Scilicet *interlinearis.* Post *turbae* H addit *multae*, et post *miraculorum* secunda manus in D addidit *operatione.* — Sequitur Ioan. 6, 69.

[6] Vers. 48. et 49.

[7] Vers. 36. — Pro *Sequebantur autem turbae Iesum tanquam* Vat. *sicut.*

[8] Vers. 9. — Subinde allegatur Luc. 5, 1. — Vat. paulo superius et etiam inferius omittit *Item, sequebantur.*

[9] Psalm. 84, 7. — Sequitur Matth. 11, 28.

[10] Psalm. 44, 11. — Subinde allegatur Luc. 6, 40.

[11] Vers. 14, post quem Isai. 28, 9.

[12] Vers. 15. — Sententia Augustini habetur in Libro Sententiarum, quas Prosper. ex Augustino collegit, n. 2; cfr. August., Enarrat. in Ps. 100. n. 5.

[13] Psalm. 138, 21. et 22. — Gregorii sententia exhibetur II. Homil. in Evang. homil. 37. n. 2. et proponitur verbis Glossae *ordinariae* in Luc. 14, 26.

[14] Loc. cit. — Subinde allegantur Ioan. 12, 25. et Augustini expositio huius loci (in Ioan. Evang. tr. 51. n. 10.).

animam suam in hoc mundo in vitam aeternam custodit eam ». Augustinus: « Si male amaveris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti. Felices, qui sic oderunt custodiendo, ne perdant amando ». Hoc est quod expressius dicitur Ecclesiastici decimo octavo [1]: « Fili, post concupiscentias tuas non eas et a voluntate tua avertere. Si praestes animae tuae concupiscentias eius, faciet te in gaudium venire inimicis tuis ». Sicut igitur principium spiritualis *vitae* est *non concupiscere*, ubi omne malum prohibetur [2], et *declinare a malo;* sic fundamentum spiritualis *comitatus* est *carnalitatem omnem declinare*, sive ad se sive ad parentes. Propter quod ad Ephesios quarto [3]: « Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris ».

Quoad comitatus complementum.

54. (Vers. 27.). Tertio quantum ad *spiritualis comitatus complementum* subiungit: *Et qui non baiulat crucem suam*, per *perfectam carnis mortificationem* [4]*; et venit post me*, per *rectam intentionem; non potest meus esse discipulus*, per *veram imitationem*. — Et nota, quod hic est *consummatio* discipulatus Christi et comitatus, scilicet in baiulando crucem, quia ibi Christus consummavit, sicut dicitur Ioannis decimo nono [5]: « Et baiulans sibi crucem, exiit in eum qui dicitur Calvariae locum ». In hac cruce Christi est summa *humilitas;* ad Philippenses secundo [6]: « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis »; summa *paupertas*, ita ut vere posset dicere Christus illud Iob primo [7]: « Nudus egressus sum de utero matris meae, et nudus revertar illuc ». Unde Ioannis decimo nono dicitur, quod « milites, cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius et fecerunt quatuor partes ». Est etiam ibi summa *austeritas*, secundum illud Psalmi [8]: « Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea ».

Crux portanda.

In cruce Christi 3 virtutes apparent.

Crucem baiulare opponitur triplici concupiscentiae et excusationi.

55. *Crucem* ergo *baiulare* est *humilitatem* in corde, *austeritatem* in carne et *paupertatem* in passione assumere, contra illa *tria radicalia* et contra *triplicem excusationem* eorum qui noluerunt venire ad coenam [9]. Haec crux fuit *Christi*, quia Christus voluntarie eam suscepit; similiter, qui vult Christum sequi, oportet, quod portet eam *voluntarie*, ut ferat eam sicut crucem *suam* ex voluntate propria, non in angaria sicut *alienam*, et ita non sit imitator Christi, sed potius Simonis, de quo Marci decimo quinto [10]: « Angariaverunt quendam Simonem Cyrenaeum, ut tolleret crucem eius ». Ad hanc crucem potissime nos *invitat* Christus, qui primus eam portavit sicut vexillum et signum regale; unde ad Hebraeos ultimo [11]: « Christus extra portam passus est. Exeamus ergo ad eum » etc. Qui ergo sic non vult sequi non est Christi discipulus, quia non vult imitari eum, in quo se praebuit exemplar nobis et magistrum; unde ad Galatas quinto [12]: « Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis ». Propter quod secundae ad Corinthios quarto: « Semper crucis mortificationem in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu in corporibus nostris manifestetur ». Unde Chrysostomus [13]: « Nullus verecundetur crucem, circumferamus eam ut coronam; etenim omnia, quae secundum nos sunt, per crucem perficiuntur: regeneratio, consecratio. Propter hoc in domo, in ianuis, in viis, in frontibus et in mente eam scribimus ». Haec igitur baiulanda est tanquam signum Dei vivi, de quo Apocalypsis septimo [14]: « Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi; et clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terrae et mari, dicens: Nolite nocere terrae et mari neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei in frontibus eorum », ut sciatur scilicet manifeste, quis sit Christi discipulus.

Notandum

Invitat ad eam Christus.

Notandum

Eruditio p duo exempl parabolic et utriusq adaptatio nem.

56. *Quis enim ex vobis, volens aedificare* etc. Postquam informavit comitantes, et hoc per verba expressa, hic secundo informat eosdem *per exempla parabolica* [15]. Et quoniam Christum debemus imitari in *actionibus* et *passionibus* — in primis similes sumus *aedificantibus*, in secundis similes *proeliantibus* — ideo primo in hac parte introducit parabolam de *homine aedificante*. Secundo vero adiungit parabolam et exemplum de *rege proeliante*, ibi [16]: *Aut quis rex iturus*. In tertia vero subiungit *adaptationem utriusque*, ibi: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiaverit*.

---

[1] Vers. 30. et 31, in quo Vat. cum Vulgata omittit *venire*.

[2] August., de Spir. et litt. c. 4. n. 6, exponens verba Apostoli [Rom. 7, 7.]: *Concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret: Non concupisces*, dicit: Apertissimum saluberrimumque praeceptum est, quod si quis impleverit, nullum habebit omnino peccatum. Nam hoc ideo elegit Apostolus generale quiddam, quo cuncta complexus est, tanquam haec esset vox Legis ab omni peccato prohibentis, quod ait: *Non concupisces;* neque enim ullum peccatum nisi concupiscendo committitur. Cfr. tom. II. pag. 721, nota 2. — Ps. 36, 27: Declina a malo et fac bonum.

[3] Vers. 22. Vulgate *Deponere*, sed cfr. Col. 3, 8.

[4] Glossa *interlinearis* (ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 37. n. 5.): *Et qui non baiulat crucem suam*, crux a cruciatu dicitur, quae semper est portanda, ut amor Christi ostendatur. — Infra pro *veram* (ita H), quod C D F G omittunt, Vat. *certam*.

[5] Vers. 17. Cfr. supra c. 9. n. 37. seqq.

[6] Vers. 8. — Pro *In hac cruce* Vat. *In cruce enim*.

[7] Vers. 21. et deinde Ioan. 19, 23, ubi pro *vestimenta eius* C D F H *vestimenta sua*.

[8] Psalm. 21, 17.

[9] Cfr. supra pag. 371, nota 7.

[10] Vers. 21. — Superius pro *in angaria* E *ex angaria*.

[11] Vers. 12. et 13.

[12] Vers. 24, cui subiungitur II. Cor. 4, 10, ubi Vat. cum Vulgata: *Semper mortificationem Iesu in corpore* etc.; cfr. supra pag. 228, nota 6.

[13] Homil. 54. (alias 55.) in Matth. n. 4.

[14] Vers. 2. et 3.

[15] Cfr. supra n. 51. — Inferius pro *debemus imitari* C D F G H *debemus comitari*.

[16] Vers. 31; tertium habetur v. 33, ubi pro *renuntiaverit* (ita etiam B. Albert. et Gorranus) Vulgata *renuntiat*.

*a parabola ominis aedificantis tria.*

Circa parabolam de *homine aedificante* tria introducuntur, scilicet *conceptio propositi aedificandi, provisio sufficientis stipendii, declinatio imminentis opprobrii.*

*Primum.*

57. (Vers. 28.). Primo igitur quantum ad *conceptionem propositi aedificandi* dicit: *Quis enim ex vobis, volens aedificare turrem* [1]. Per *turrem,* quae est aedificium altissimum, possumus intelligere cumulum perfectionis meritorum, quae gradatim ascendit ab imo usque ad summum, incipiens a *fundamento timoris* et perveniens usque ad *culmen sapientiae deiformis.*

*Turris prima.*

Et est primo aedificanda turris *doni timoris,* de qua potest intelligi illud Michaeae quarto [2]: « Tu, turris gregis nebulosa, usque ad te veniet », quia timor parvulum facit ex consideratione iudicii. —

*Secunda.*

Secunda turris est *pietatis,* de qua Isaiae quinto [3]: « Aedificavit turrim in medio vineae et torcular exstruxit in ea », quia pietas oritur ex consideratione passionis. —

*Tertia.*

Tertia est turris *scientiae;* Canticorum quarto: « Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium » etc.; quod intelligitur de scientia sacrae Scripturae. —

*Quarta.*

Quarta est turris *fortitudinis;* Proverbiorum decimo octavo [4]: « Turris fortissima, nomen Domini; ad eam currit iustus et exaltabitur »; et in Psalmo: « Deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis » etc. —

*Quinta.*

Quinta est turris *consilii,* de qua Canticorum septimo [5]: « Nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit contra Damascum »; quia consilium est contra insidias inimici. —

*Sexta.*

Sexta turris est *intellectus,* de qua Canticorum septimo: « Collum tuum sicut turris eburnea; oculi tui sicut piscinae in Hesebon »; ubi datur intelligi munditia cordis et limpiditas intelligentiae spiritualis. —

*Septima.*

Septima est turris *sapientiae,* de qua Canticorum octavo [6]: « Ego murus, et ubera mea sicut turris »; quod dicitur propter consolationem, quae est in gustu lactis uberum divinae sapientiae.

*Septem virtutes.*

Antequam autem huius aedificii altitudo erigatur, necessaria est aedificatio *aedificii septem virtutum,* de quo Proverbiorum nono [7]: « Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem ».

*Notandum.*

Huius autem aedificii Christus est *fundator* et *fundamentum* et etiam *complementum.* Huic tamen aedificationi vir spiritualis comparatur; unde primae ad Corinthios tertio [8]: « Dei coadiutores sumus, Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis ». Omnis igitur, qui proponit ad culmen virtutis ascendere, hic vult turrem aedificare.

*Secundum.*

58. Secundo quantum ad *provisionem sufficientis stipendii* subdit: *Nonne* [9] *prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum? Sedere* illud est considerare intra se secreta conscientiae suae; Threnorum tertio: « Sedebit solitarius et tacebit ». *Computare* est praevidere per sollicitam considerationem; unde Glossa [10]: « Omne, quod agimus, praevenire per studium considerationis debemus ». Et hoc est quod dicitur Proverbiorum quarto: « Oculi tui videant recta, et palpebrae tuae praecedant gressus tuos ». *Sumptus* autem *necessarii* sunt sufficientes conatus mentis, quibus quis cooperatur gratiae Christi *viriliter,* secundum illud Psalmi [11]: « Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes, qui speratis in Domino »; *utiliter,* unde primae ad Corinthios tertio: « Si quis autem superaedificaverit super fundamentum hoc aurum, argentum et lapides pretiosos » etc.; *efficaciter;* ad Hebraeos duodecimo [12]: « Videte, ne quis desit gratiae Dei » etc.; *perseveranter;* tertii Regum septimo: « Perfecit omne opus, quod faciebat Salomon in domo Domini ». —

*Cooperandum quadrupliciter.*

*Notandum.*

Hac aedificatione perfecta, Dominus apparet ad habitandum; unde tertii Regum nono [13]: « Factum est, cum perfecisset Salomon aedificium domus Domini et aedificium regis et omne, quod optaverat, apparuit ei Dominus ». Hi igitur sumptus sufficientes ad perficiendum consistunt in proposito voluntatis agentis *viriliter, utiliter, efficaciter* et *perseveranter.* Sed si quid deest, Dominus supplet; unde ad Philippenses secundo [14]: « Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate ». Qui vult ergo opus altum incipere debet praevidere, si velit perseverare; quia, sicut dicitur supra nono, « nemo mittens manum ad aratrum » etc.

---

[1] Vat. cum Vulgata et II *turrim;* cfr. supra pag. 375, nota 4. — Glossa *ordinaria* (ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 37. n. 6.) in Luc. 14, 28: Quia sublimia praecepta dedit, aedificandae sublimitatis comparationem subiungit.

[2] Vers. 8, ubi post *nebulosa* Vulgata addit *filiae Sion.* Hieron. legit: *Et tu, turris gregis, nebulosa filia Sion, usque ad te veniet,* quod ita explicat: Turris igitur quondam gregis et populi Dei... nunc squalida [nebulosa] est et destituta... et usque ad hanc veniet Deus etc.

[3] Vers. 2. — Subinde allegatur Cant. 4, 4.

[4] Vers. 10, post quem Ps. 60, 3. et 4.

[5] Vers. 4; Ibid. habentur etiam verba: Collum tuum etc., paulo inferius allegata.

[6] Vers. 10.

[7] Vers. 1. Cfr. Bernard., Serm. 52. de Diversis (alias 9. ex Parvis), ubi haec verba de B. Maria Virg. exponuntur, in qua Sapientia Patris aedificavit sibi domum et excidit septem columnas, id est tres virtutes theologicas et quatuor cardinales. Vide III. Sent. d. 33. q. 1. et d. 34. p. I. a. 1. q. 2. — Superius pro *erigatur* C G *erigitur.*

[8] Vers. 9.

[9] Ita etiam Beda, Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. c. 14. n. 6.) et Lyranus; Vat. cum Vulgata *Non.* — Sequitur Thren. 3, 28. — Glossa *interlinearis: Nonne prius sedens,* quiescens a tumultibus mundi.

[10] Scilicet *interlinearis* (ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 37. n. 6, quem sequitur Beda) in Luc. 14, 28. — Subinde allegatur Prov. 4, 25.

[11] Psalm. 30, 25. Vat. allegat Ps. 26, 14: *Viriliter age, et confortetur cor tuum* etc. — Subinde allegatur I. Cor. 3, 12.

[12] Vers. 15. et deinde III. Reg. 7, 51.

[13] Vers. 1. et 2. — Supra C D F G *Hoc aedificio perfecto.*

[14] Vers. 13. — Sequitur Luc. 9, 62.

*Tertium.*

59. (Vers. 29.). Tertio quantum ad *declinationem imminentis opprobrii* subiungit: *Ne, posteaquam posuerit fundamentum,* scilicet altiorem statum aggrediendo in imitando Christum; et hoc est *ponere fundamentum;* primae ad Corinthios tertio[1]: « Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus ». Hoc fundamentum incipit quis ponere per fidem et bonam operationem, secundum illud Matthaei septimo[2]: « Omnis, qui audit verba mea haec et facit ea, similis est homini, qui aedificavit domum suam supra petram ». In hac *petra* fundamentum habitationis collocat qui Christum vult perfecte imitari, secundum illud Ieremiae quadragesimo octavo[3]: « Relinquite civitates et habitate in petra, habitatores Moab » etc. — *Et non potuerit perficere,* et hoc perseverando, sicut sunt illi, de quibus dicitur supra octavo[4]: « Ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt ». Tales sunt qui destruunt *recidivando,* quidquid aedificaverunt de bono *inchoando;* Ecclesiastici trigesimo quarto[5]: « Unus aedificans, et alter destruens, quid prodest illis nisi labor »? Tales sunt *dissoluti et remissi;* Proverbiorum decimo octavo: « Qui mollis et dissolutus est in opere suo frater est sua opera dissipantis ». — *Omnes, qui vident*[6], inceptam perfectionem circumspiciendo; primae ad Corinthios quarto: « Spectaculum facti sumus mundo, et Angelis et hominibus ». Quod enim in alto ponitur omnibus ostenditur; Matthaei quinto: « Non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt ».

*Requiritur perseverantia.*

*Contumelia non perseverantis.*

60. (Vers. 29. 30.). *Incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo coepit aedificare et non potuit consummare;* et hoc contumelias inferendo et deridendo, quia valde est opprobriosum retrocedentibus et apostatantibus. Nam deridentur a daemonibus; Threnorum primo[7]: « Viderunt eam hostes et deriserunt Sabbata eius ». Hanc irrisionem abhorret vir spiritualis; Psalmus: « Neque irrideant me inimici mei » etc. Hi inimici derident imperfectionem, secundum illud Nehemiae quarto[8]: « Dixit Tobias Ammanites: Aedificent Iudaei, ascendent vulpes, transilient murum eorum lapideum ». Unde Ambrosius[9]: « In omni, quod agimus, occultos adversarios considerare debemus, qui nostris operibus insidiantur; et nisi contra eos vigilemus, patimur eos irrisores, quos ad malum habemus persuasores ». Qui autem retrocedit ab incepto deridetur pro *temeritate* in praesumendo, pro *instabilitate* in prosequendo, pro *pusillanimitate* in desistendo; et hoc non solum a diabolo, verum etiam a mundo; Ecclesiastici vigesimo[10]: « Fatuo non erit amicus, et non erit gratia in bonis illius »; et post: « Quoties et quanti deridebunt eum » etc.

*Notandum.*

*De parabola regis proeliantis tria*

61. (Vers. 31.). *Aut quis rex iturus committere* etc. Supra proposuit parabolam de homine aedificante, hic proponit parabolam *de rege proeliante*[11]; in qua quidem parte tria introducuntur, scilicet *propositio belli, praevisio periculi* et *provisio remedii.*

*Primum.*

Primo igitur quantum ad *propositionem belli* dicit: *Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem. Rex* iste est quilibet, qui se regit secundum legem Dei; Proverbiorum vigesimo[12]: « Rex, qui sedet in solio iudicii » etc.; et Apocalypsis quinto: « Fecisti nos Deo nostro regnum, et regnabimus super terram ». Istius est *committere bellum;* quia, Iob septimo[13], « militia est vita hominis super terram ». Hoc autem tripliciter habet intelligi: vel, quod quis committat bellum cum *rege superbiae,* de quo Iob quadragesimo primo[14]: « Ipse est rex super omnes filios superbiae »; vel cum *rege iustitiae,* de quo in Psalmo: « Reges eos in virga » etc.; vel cum *rege supernae providentiae,* de quo Ecclesiastae quinto: « Insuper rex universae terrae imperat » etc. — Committit autem bellum cum *rege superbiae,* quando ab ipso dissentit; ad Ephesios sexto[15]: « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus mundi rectores tenebrarum harum ». — Committit etiam bellum cum *rege iustitiae,* quando vult in conspectu Dei se

*Bellum triplex.*

*De primo bello.*

*De secundo*

---

[1] Vers. 11.

[2] Vers. 24. — Glossa *interlinearis: Posuerit fundamentum,* fidei.

[3] Vers. 28. — Theophylact., in Luc. 14, 28: Per parabolam turris docet nos Dominus, ut hi qui semel delegerint eum sequi, idem propositum servent nec solum iaceant fundamentum, hoc est, ne incipiant tantum sequi, et postea finem non imponant... Tales fuerunt hi, de quibus Evangelista Ioannes [6, 67.] dicit: *Multi igitur ex discipulis eius abierunt retrorsum.*

[4] Vers. 13. Codd. allegant *Matth. 13,* ubi v. 21. sententia quidem, sed non verba occurrunt.

[5] Vers. 28. et deinde Prov. 18, 9.

[6] Codd. F G (D primitus) *viderint* (ita etiam Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 37. n. 6; Beda, Card. Hugo et Lyranus in margine), C *viderunt.* — Duo seqq. loci sunt I. Cor. 4, 9. et Matth. 5, 14. seq. — Glossa *interlinearis* (ex Gregor., loc. cit.): *Omnes, qui vident,* maligni spiritus, qui gratulantur de nostro defectu.

[7] Vers. 7., post quem Ps. 24, 3.

[8] Sive II. Esdrae 4, 3, ubi Vat. cum Vulgata: *Aedificent; si ascenderit vulpes, transiliet* etc.

[9] Ita etiam Card. Hugo; sententia allegata invenitur in Glossa *ordinaria* in Luc. 14, 29. et sumta est ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 37. n. 6, quem sequitur Beda.

[10] Vers. 17. et 18.

[11] Cfr. supra n. 56. — Inferius pro *provisio remedii* in D secunda manus substituit *procuratio remedii;* idem recurrit infra n. 64.

[12] Vers. 8, cui subiungitur Apoc. 5, 10. — Theophylact., in Luc. 14, 31: *Rex* etiam et animus noster conditus est. Ne igitur, cum resistendum est peccato, pusillanimiter illud impugnet.

[13] Vers. 1. Codd. A C D omittunt *Istius est committere... terram.*

[14] Vers. 25. — Duo seqq. loci sunt Ps. 2, 9. et Eccle. 5, 8.

[15] Vers. 12.

iustificare, quia dicitur Ieremiae secundo[1]: « Ecce, ego iudicio contendam tecum, pro eo quod dixeris: Non peccavi ». Sic et Iob volebat committere, qui dicebat decimo tertio: « Ad Omnipotentem loquar et disputare cum Deo cupio »; et Ieremiae duodecimo: « Iustus quidem tu es, Domine, si disputem tecum; verumtamen iusta loquar ad te ». — (De tertio.) Committit etiam bellum cum *rege supernae providentiae*, cum se parat ad conflictum patientiae, sicut dicitur Iob sexto[2]: « Quis det, ut veniat petitio mea, et quod exspecto tribuat mihi Deus; et qui coepit, ipse me conterat »? Sic tripliciter cum rege tripliciter dicto committitur bellum. — (Notandum.) Primum committit *poenitentia* de peccatis, secundum *confidentia* de meritis, tertium autem *patientia* in flagellis.

62. Secundo quantum ad *praevisionem periculi* (Secundum.) subdit: *Nonne*[3] *sedens prius cogitat*, ad providendum, secundum illud Deuteronomii trigesimo secundo: « Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent »! Propter quod ad Ephesios quinto: « Videte, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes » etc. — *Si possit cum decem millibus occurrere*, scilicet ad resistendum, *ei qui cum viginti millibus venit ad se*, ad impetendum. (Expositio quoad regem superbiae.) Et hoc tripliciter habet exponi sicut et praecedens[4]. Nam si exponatur de *rege superbiae*, occurrimus ei per opera virtutum, quae in medietate consistunt, quae ideo *decem millia* dicuntur propter observantiam decem mandatorum; et adversarius venit cum numero geminato, quia cuilibet virtuti respondet duplex vitium ex opposito secundum superabundantiam et defectum. (Notandum.) Unde quia pluribus modis est obliquari quam dirigi, *plures* dicuntur esse in exercitu regis nobis contrarii; unde Iudith primo[5]: « Gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui et in gloria quadrigarum suarum ». Sed non est fugiendum nec timendum, quia, sicut dicitur primi Machabaeorum tertio[6], « facile est, concludi multos in manus paucorum; et non est differentia in conspectu Dei caeli liberare in paucis et in multis; quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de caelo fortitudo est ».

63. Si autem intelligatur de *rege iustitiae*, occurrimus cum *decem millibus*, id est cum confidentia meritorum ex observantia decem mandatorum; (Item, quoad regem iustitiae.) et ipse cum *viginti millibus*, hoc est cum severitate iudiciorum, in quibus fit discussio operum et cogitationum. Unde Beda[7]: « Cum decem millibus occurrit qui offert opera decem mandatorum, sed Deus quasi cum duplicato numero contra eum venit, cum vix praeparatum in solo opere discutit de opere simul et cogitatione ». — Ex quo datur intelligi, quod sicut non est tutum cum *decem millibus* impugnare *viginti millia;* sic non est securum cum iudice illo contendere. Propter quod Iob nono[8]: « Vere scio, quod non iustificetur homo comparatus Deo. Sed si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille ». Unde Malachiae tertio: « Ecce, venit, dicit Dominus exercituum; et quis poterit cogitare diem adventus eius? Ipse enim quasi ignis conflans » etc.; et in Psalmo: « Tu terribilis es, et quis resistet tibi »? — Si vero intelligatur de *rege supernae providentiae*, (Item, quoad regem supernae providentiae.) cum *decem millibus* vadit qui vult pro Christo sustinere magna et multa, sed ipse cum *viginti millibus*, quia pro nobis sustinuit incomparabiliter plura, cum ipse sit[9] « gigas geminae substantiae »; propter quod in Psalmo: « Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi »? et Michaeae sexto: « Quid dignum offeram Domino » etc.

64. (Vers. 32.). Tertio quantum ad *provisionem remedii* (Tertium.) subdit: *Alioquin, adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea quae pacis sunt*, videlicet si suam recognoscit infirmitatem respectu istius triplicis pugnae, laborat ad illius pugnae declinationem[10]. (Notandum.) Missio autem istius legationis nihil aliud est quam missio orationis, quam pro nobis portant Angeli ante conspectum Dei tanquam nostri legati; Tobiae duodecimo[11]: « Cum orabas et eleemosynas faciebas et mortuos sepeliebas, ego obtuli orationem

---

[1] Vers. 35, cui subiunguntur Iob 13, 3. et Ier. 12, 1. — Glossa *interlinearis: Aut quis rex iturus committere bellum* etc., quasi dicat: committere bellum cum Deo est intelligere aliquem, se ex meritis iuste ab eo salvari.

[2] Vers. 8. et 9.

[3] Ita etiam B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 14. n. 6.) et Gorranus; Card. Hugo et Lyranus in margine; cfr. supra pag. 377, nota 9. Subinde pro *cogitat* A C D F *computat* (cfr. supra v. 28.), H *computat vel cogitat*. — Duo seqq. loci sunt Deut. 32, 29. et Eph. 5, 15. seqq.

[4] Vide n. 61. — Inferius pro *in medietate consistunt* Vat. *immediate resistunt ei* (etiam plures codd. exhibent *immediate*), C *immediate consulant, consistunt*. Cfr. Aristot., II. Ethic. c. 6. seqq., ubi ostendit, virtutem moralem in medio consistere, eique opponi duplex vitium, scil. per excessum et defectum. Vide S. Bonav., in Hexaëm. collat. 6. n. 12.

[5] Vers. 4. — Superius pro *obliquari* Vat. *obligari*.

[6] Vers. 18. et 19.

[7] Libr. IV. in Luc. 14, 31, ubi sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 36. n. 7. Sententia Bedae exhibetur verbis Glossae *ordinariae:* Quasi cum decem millibus occurrit Deo qui offert opera decem mandatorum, quae exterius gessit, sed Deus etc. (ita et H).

[8] Vers. 2. et 3. — Duo seqq. loci sunt Malach. 3, 1. seq. et Ps. 75, 8.

[9] Ut dicit August., Libr. contra sermonem Arianorum, c. 8. in fine: Apparet tamen idem ipse Christus, *geminae gigas substantiae*, secundum quid obediens, secundum quid aequalis Deo etc. Cfr. Enarrat. in Ps. 87. n. 10, ubi illud Ps. 18, 6: *Exsultavit ut gigas ad currendam viam* de ipso Domino dictum docet, ita quod « sit gigas gigantum, magnorum scilicet et fortissimorum, qui in eius Ecclesia spirituali robore excellunt ». — Sequuntur Ps. 115, 12. et Mich. 6, 6.

[10] Glossa *interlinearis: Alioquin*, id est, si intelligit, se ex aequo non posse occurrere, *adhuc illo longe agente*, patienter exspectante, *legationem mittens* etc. Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 37. n. 7.

[11] Vers. 12; cfr. supra pag. 278, nota 4.

Orandum pro tribus. tuam coram Domino ». Haec legatio mittenda est pro *repellenda pugna tentationum*, quae veniunt a *rege superbiae;* sicut orabat Paulus, de quo secundae ad Corinthios duodecimo[1]: « Datus est mihi stimulus carnis meae, angelus satanae, qui me colaphizet; propter quod ter Dominum rogavi » etc. — Item, mittenda est haec legatio pro *repellenda pugna divinarum disceptationum*, quae venit a *rege iustitiae*, sicut orabat Propheta in Psalmo[2]: « Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens » etc. — Mittenda etiam est legatio pro *repellenda pugna tribulationum*, quae venit a *rege providentiae*, sicut orabat Ionas Ionae secundo[3]: « Oravit Ionas ad Dominum Deum suum de utero piscis et dixit: Clamavi ad Dominum de tribulatione mea, et exaudivit me ». — Notandum. Ex quo colligitur, quod consideratio periculi excitat ad procurationem remedii; unde Glossa[4]: « Nos fragilitatis nostrae insufficientiam attendentes, ad impetrandam severi iudicis pacem debemus praemittere legationem lacrymarum, bonorum operum et purarum affectionum ». Ideo dicitur Ecclesiastici decimo octavo[5]: « Ante languorem adhibe medicinam et ante iudicium interroga te ipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem. Ante languorem humilia te et in tempore infirmitatis ostende conversationem tuam », ut sic per legationem sacerdotum invenias Regem placatum.

65. (Vers. 33.). *Sic ergo omnis ex vobis* etc. De adaptatione utriusque parabolae tria. Postquam praemisit exemplum parabolicum de aedificante et exemplum de proeliante, hic tertio ponit *adaptationem utriusque*[6]. Et quoniam haec exempla introducta erant ad excitandum nos ad providentiam rei opportunae et ad cautelam rei nocivae et ad dandam intelligentiam spiritualem utriusque; ideo in hac parte introducitur praedictorum exemplorum adaptatio quantum ad *providentiam rei opportunae*, quantum ad *cautelam rei nocivae* et quantum ad *spiritualem intelligentiam utriusque*.

Primo igitur quantum ad *providentiam rei opportunae* dicit: Quoad providentiam rei opportunae. *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiaverit*[7] *omnibus, quae possidet*, per contemptum temporalium; *non potest meus esse discipulus*, per perfectionem spiritualium; quasi dicat: sicut aedificans non potest consummare sine sumtibus, nec pugnans secure pugnam aggredi sine militibus[8]; sic nullus perfecte potest sequi Christum, nisi renuntiet omnibus.

66. Et nota, quod duplex est Christi discipulatus: Duplex discipulatus Christi. unus *necessitatis*, sicut dicitur Actuum nono[9] et sexto, quod *discipuli* consueverunt vocari illi qui nunc dicuntur *Christiani*, de qua disciplina Isaiae primo: « Quiescite agere perverse, discite benefacere ». Alius est discipulatus *supererogationis*, quo quis Christum sequitur in consiliis evangelicis, de quo Matthaei quinto[10]: « Videns Iesus turbas, ascendit in montem; et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius ». Primo discipulatui necessarium est *omnibus renuntiare*, quantum ad terrenorum contemptum; secundo autem necessarium est *omnia relinquere*, non solum quantum ad affectum, verum etiam quantum ad rem. Notandum. Unde Glossa[11]: « Hoc distat inter *renuntiare omnibus* et *relinquere omnia*, quia *renuntiare* convenit omnibus, qui ita licite utuntur mundanis, quae possident, ut tamen mente tendant ad aeterna. *Relinquere* est tantummodo perfectorum, qui omnia temporalia postponunt et solis aeternis inhiant », et hoc necessarium est perfectis Christi discipulis, ut conformes sint paupertati Magistri. Unde super illud Matthaei decimo nono[12]: « Ecce, nos reliquimus omnia et secuti sumus te », Bernardus: « Bene, Petre, et non ad insipientiam tibi, quia currentem sequi non poteras oneratus. *Exsultavit* enim *ut gigas ad currendam viam* ». Cum enim primum sit inter Christi documenta[13]: « Beati pauperes spiritu »; qui hoc ignorat per consequens nescit, « quae sint elementa exordii sermonum » Christi; ac per hoc Christi discipulus non est nec ipsum intelligit. Et ideo Antiochus, qui interpretatur *silentium paupertatis*[14], subvertit fundamenta Ierusalem, quia non potest esse discipulus pauperis Crucifixi qui consilium paupertatis contemnit.

67. (Vers. 34.). Secundo quantum ad *cautelam rei nocivae* subdit: Quoad cautelam rei nocivae. *Bonum est sal, si autem sal evanuerit*. Per *sal* intelligitur perfectus quisque discipulus, qui exemplo et verbo debet condire corda aliorum; unde Matthaei quinto[15]: « Vos estis sal terrae »; quod dicitur, quia *discretionem* summam

---

[1] Vers. 7. seq.

[2] Psalm. 142, 2.

[3] Vers. 2. et 3.

[4] Scilicet *ordinaria* (ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 37. n. 7, quem sequitur Beda) in Luc. 14, 31, in cuius fine Vat. cum textu originali *piorum* [E F G *purorum*] *affectuum*.

[5] Vers. 20. et 21.

[6] Cfr. supra n. 56. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 14, 33: Infert a praemissis similitudinibus. Quandoquidem non bene potest aedificare qui non computat sumtus, nec secure potest occurrere qui non praemittit legationem: ergo *nec meus potest esse discipulus qui non renuntiat omnibus*.

[7] Vat. cum Vulgata et paucis codd. *renuntiat;* cfr. supra pag. 376, nota 16.

[8] Codd. C D F G legunt: *et pugnans non secure pugnam aggreditur sine militibus*.

[9] Vers. 1. 10. 19. 25. et deinde 6, 1. seq. — Sequitur Isai. 1, 16. seq.

[10] Vers. 1.

[11] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) apud Lyranum in Luc. 14, 33.

[12] Vers. 27. — De sententia Bernardi, in cuius fine allegatur Ps. 18, 6, cfr. supra pag. 228, nota 8.

[13] Matth. 5, 3; cfr. supra c. 6. n. 50. seq. — Subinde allegatur Hebr. 5, 12, in quo pro *quae sint* C D *quae sunt*.

[14] Hieron., de Nominib. Hebraic. de Epist. Pauli ad Galatas: *Antiochiam*, paupertatis silentium. — De Antiocho cfr. I. Mach. 1, 23. seqq. — Vide Gregor., XVI. Moral. c. 10. n. 15, ubi explicatur illud Iob 22, 16: *Fluvius subvertit fundamentum eorum*.

[15] Vers. 13. — Duo seqq. loci sunt Col. 4, 6. et Iob 6, 6. Cfr. Gregor., VII. Moral. c. 13. n. 15.

*Discretio in conversatione.* debet habere in *conversatione*, secundum illud ad Colossenses quarto: « Sermo vester semper in gratia sale sit conditus »; quia, sicut non potest comedi cibus, nisi sit sale conditus, sic nec stomachus cordis verbum suscipit indiscretum; Iob sexto: « Nunquid poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum »? *Sapientia in contemplatione.* Debet etiam habere *sapientiam* in *contemplatione;* unde Levitici secundo [1] praecipitur, quod in omni sacrificio offeratur sal. Et talis, qui prudens est et sapiens, recte verbo et exemplo condimentum est Ecclesiae; unde Glossa [2]: « Sal cibos condit, vermes necat, carnes siccat; sic praedicatio a vermibus vitiorum et putredine illaesam servat Creatori suo humanam naturam ». — *Quando sal evanescat.* Sed tunc *sal evanescit,* quando Christi discipulus efficitur indevotus in contemplatione et indiscretus in actione et in praedicatione, sicut de illis dicitur ad Romanos primo [3]: « Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum » etc.; et hoc est maximum periculum. — *Tunc est inutile.* Ideo subdit: *In quo condietur?* quasi dicat: in nullo; unde Ecclesiastici duodecimo [4]: « Quis miserebitur incantatori a serpente percusso »? quasi dicat, quod talis prorsus est despectibilis et inutilis tam coram Deo quam coram hominibus, tam in actibus spiritualibus quam in temporalibus.

68. (Vers. 35.). Ideo addit: *Neque in terra* *Et mittetur foras.* *neque in sterquilinio* [5] *utile est, sed foras mittetur.* Glossa: « Quia qui retro vadit neque ipse fructum ferre neque alios excolere valet »; immo, quod plus est, reddit terram sterilem, quia vir perfectus cadens suo malo exemplo alios reddit inutiles ad bonum faciendum. Et ideo vir retrocedens comparatur uxori Lot, de qua dicitur Genesis decimo nono [6], quod « respiciens retro, versa est in statuam salis »; et ideo Proverbiorum sexto: « Homo apostata, vir inutilis, gradiens ore perverso » etc. — *Epilogus.* Sicut igitur *aedificium inceptum et non consummatum* ad nihilum utile est, et homo, qui incepit et non perfecit, ab omnibus deridetur; et similiter ille qui *in proelio superatur:* sic et *discipulus apostatans* despicitur tanquam *sal infatuatum;* unde Matthaei quinto [7]: « Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus ».

69. Tertio quantum ad *spiritualem intelligentiam utriusque* subiungit: *Quoad spiritualem intelligentiam utriusque.* *Qui habet aures audiendi audiat;* in quo invitat ad perfectam intelligentiam, ut non solum verba praedicta audiantur quoad *sonum vocalem,* de quo dicitur Matthaei decimo tertio [8]: « Incrassatum est cor populi huius, et auribus graviter audierunt »; verum etiam quoad *intellectum spiritualem,* secundum illud Iob ultimo: « Auditu auris audivi te, nunc oculus meus videt te »; Psalmus: « Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus » etc.; et etiam quoad *effectum manualem;* Iacobi primo [9]: « Estote factores verbi, non auditores tantum ». *Notandum.* Vult igitur dicere, quod verba praemissa sunt *parabolica;* et ideo sunt spiritualiter et non carnaliter audienda et discutienda, secundum illud Proverbiorum primo [10]: « Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit; animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientum et aenigmata eorum ». Qui hoc modo audiunt verbum Dei efficacissime suscipiunt, iuxta illud Ecclesiastici vigesimo quarto [11]: « Qui audiunt me non confundentur, et qui operantur in me non peccabunt. Qui elucidant me vitam aeternam habebunt ».

## Capitulum XV.

### Impietas Iudaeorum confutatur tripliciter.

1. *Erant autem appropinquantes* etc. Postquam confutavit dolositatem Pharisaeorum calumniantium Christi potentiam in miraculis, in hac parte *confutat eorum impietatem* remurmurantium contra clementiam in operibus pietatis [12]. Dividitur autem haec pars *Divisio.* in partes tres. In quarum prima praemittitur *expressio impietatis Iudaicae.* In secunda subditur *manifestatio pietatis divinae,* ibi [13]: *Et ait ad illos parabolam* etc. In tertia vero adiungitur *commendatio et persuasio pietatis humanae,* infra decimo sexto: *Dicebat autem et ad discipulos suos: Homo quidam erat dives.*

---

[1] Vers. 13: Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal foederis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal. — Superius pro *sapientiam* A *saporem,* C F *sapientem*, Vat. omittit *in contemplatione.*

[2] Scilicet *ordinaria* (in Luc. 14, 35.), de qua vide Hieron., l. Comment. in Matth. 5, 13. — Cfr. Chrysost., Homil. 10. in Matth. 5, 13. seq. (Op. imperfect.). [3] Vers. 21.

[4] Vers. 13, ubi pro *miserebitur* codd. *medebitur;* Card. Hugo duplicem hanc lectionem affert et exponit; Glossa *interlinearis* in Luc. 14, 34: *Quis medicabitur incantatori* etc.

[5] Vat. cum Vulgata: *Neque in terram neque in sterquilinium.* — Glossa seq. est *ordinaria* (ex Beda) apud Lyranum. Vat. non verba *Glossae*, sed ipsius Bedae affert.

[6] Vers. 26, post quem Prov. 6, 12. Cfr. supra c. 9. n. 110. seq.

[7] Vers. 13. — Superius A C D F omittunt *et non perficit,* et pro *ab omnibus* substituunt *ab hominibus.*

[8] Vers. 15. — Sequuntur Iob 42, 5. et Ps. 84, 9.

[9] Vers. 22. — Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Qui habet aures audiendi,* quibus verbum Dei percipere possit, *audiat,* obediendo et faciendo quod didicit.

[10] Vers. 5. et 6. — Theophylact., in Luc. 14, 35: Et quoniam obscurus parabolicusque sermo ille fuit, excitans auditores Dominus, ut non simpliciter suscipiant dictum de sale, dicit: *Qui habet aures ad audiendum, audiat,* hoc est: Qui habet intellectum intelligat etc.

[11] Vers. 30. et 31.

[12] Cfr. supra c. 11. n. 36.

[13] Vers. 3; tertia pars incipit c. 16, 1.

**Expressio Iudaicae impietatis describitur tripliciter.**

Circa *expressionem* autem *impietatis Iudaicae* tria introducuntur, scilicet *occasio impietatis exprimendae, expressio iam conceptae* et *simulatio aequitatis iustitiae.*

**Occasio impietatis exprimendae.**

2. (Vers. 1.). Primo igitur quantum ad *occasionem impietatis exprimendae* dicitur: *Erant autem appropinquantes ei publicani et peccatores;* in quo ostenditur summa pietas Christi ad peccatores publicos, ex quo Pharisaei occasionem accipiebant impie iudicandi, quia mos est impiis impietatem suam augere de visis operibus pietatis. Unde in Psalmo [1]: « Dispersit, dedit pauperibus » etc., et statim subdit: « Peccator videbit et irascetur ». Ostendebat autem Christus pietatem magnam, quia suscipiebat *publicanos*, qui erant publici peccatores; unde Glossa [2]: « *Publicani,* qui publica vectigalia exigunt vel conducunt, et qui lucrum saeculi per negotia sectantur », et tales erant multis lucris iniustis intenti. Huiusmodi autem peccatores, licet videantur repellendi ex iustitia, suscipiuntur tamen ex misericordia; de qua confisi, *erant appropinquantes ei* tanquam *clementissimo Domino,* secundum illud Iacobi quarto [3]: « Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis ». *Appropinquate,* inquam, per devotam supplicationem; Psalmus [4]: « Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine ». Tanquam etiam *peritissimo magistro;* unde subdit: *ut audirent illum*, secundum illud consilium Sapientis Ecclesiastici ultimo [5]: « Appropinquate ad me indocti et congregamini in domum disciplinae »; quia, sicut dicitur Deuteronomii trigesimo tertio, « qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina eius ».

**Simulatio Pharisaeorum.**

3. Huic summo doctori Christo appropinquabant et Pharisaei et publicani, sed *Pharisaei simulate*, secundum illud Ieremiae duodecimo [6]: « Prope es tu ori eorum et longe a renibus eorum »; quia tales per simulatam iustitiam videntur *proximi,* sed per occultam superbiam sunt *longinqui,* secundum illud Isaiae quinquagesimo octavo: « Me etenim de die in diem quaerunt et scire vias meas volunt quasi gens, quae iustitiam fecerit et iudicium Dei sui non dereliquerit; rogant me iudicia iustitiae et appropinquare Deo volunt. Quare ieiunavimus, et non aspexisti ? Humiliavimus animas nostras, et nescisti »? Et subdit: « Ecce, in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra » etc. *Publicani* vero appropinquantes erant *vere,* ut audirent et audito a malis per poenitentiam resipiscerent, secundum dominicam exhortationem Matthaei quarto [7]: « Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum caelorum »; et ut audiendo obedirent, secundum illud Ecclesiastae quarto: « Custodi pedem tuum, ingrediens in domum Dei, et appropinqua, ut audias. Multo enim melior est obedientia quam stultorum victimae ».

**Sinceritas publicanorum.**

**Expressio impietatis conceptae.**

4. (Vers. 2.). Secundo quantum ad *expressionem impietatis conceptae* subdit: *Et murmurabant Pharisaei et scribae. Murmuratio* est oblocutio, quae nec omnino exprimitur nec omnino reticetur; Sapientiae primo [8]: « Auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur. Custodite ergo vos a murmuratione, quae nihil prodest, et a detractione parcite linguae, quia sermo obscurus in vacuum non ibit ». Et ideo primae ad Corinthios decimo: « Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt et perierunt ab exterminatore ». Hanc murmurationem odit Dominus maxime, quia *nihil prodest,* nec sibi nec proximo; Threnorum tertio [9]: « Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis »? quasi dicat: frustra; et quia *procedit ex ore maligno,* quod nec audet aperte arguere, nec tamen potest cordis malitiam occultare. Unde hoc sonat ipsum vocabulum *murmurare,* de quo dicit Hugutio [10], quod dicitur a *mutio, mutis,* quasi *velle loqui* et *non audere.* Sed tamen oritur aliquando *ex infirmitate,* ut Numerorum undecimo [11]: « Ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore contra Dominum »; aliquando *ex ignorantia et errore,* secundum illud Ioannis septimo: « Murmur multum erat in turba. Quidam dicebant, quod bonus; alii autem: Non, sed seducit turbas. Nemo tamen palam loquebatur de illo »; aliquando etiam *ex malignitate,* sicut Deuteronomii primo [12]: « Increduli ad sermonem

**Quid sit murmurare.**

---

[1] Psalm. 111, 9. et 10.

[2] Scilicet *interlinearis* secundum Bedam, de qua vide supra pag. 76, notam 8. et pag. 129, notam 4. Pro *lucrum saeculi* G H cum textu originali *lucra saeculi.*

[3] Vers. 8, post quem B addit *per gratiae infusionem.* — Superius post *erant appropinquantes* Vat. addit *Appropinquabant enim;* H legit *de qua confisi erant, supplicantes ei ex corde et corpore appropinquantes* etc.

[4] Psalm. 118, 169. — Inferius pro *peritissimo* Vat. *paratissimo,* H legit *appropinquabant etiam ei tanquam peritissimo* etc.

[5] Vers. 31. — Sequitur Deut. 33, 3.

[6] Vers. 2. — Subinde allegantur Isai. 58, 2. et 3.

[7] Vers. 17, ubi pro *appropinquabit* (ita etiam Beda, B. Albert., S. Thom., Cat. aurea in Matth. 4, n. 6. et Lyranus; cfr. supra pag. 258, nota 12.) Vat. cum Vulgata *appropinquavit.* — Sequitur Eccle. 4, 17.

[8] Vers. 10. et 11. (cfr. supra c. 5. n. 76.), post quos I. Cor. 10, 10. — August., Enarrat. in Ps. 132. n. 12: Murmuratores omnes magnifice descripti sunt quodam loco Scripturarum [Eccli. 33, 5.]: *Praecordia fatui sicut rota carri.* Quid est: Praecordia fatui sicut rota carri? Foenum portat et murmurat. Non enim potest rota carri quiescere a murmure. Sic sunt multi fratres, non habitant in unum nisi corpore etc.

[9] Vers. 39. — Infra Vat. *ex corde maligno, quia nec.*

[10] Vel, ut nonnulli codd. (B G) scribunt, *Huguitio,* de quo cfr. tom. I. Prolegom. pag. LXXXV. n. 66. et tom. IV. pag. 825, nota 9. — B. Albert. in Luc. 19, 7: *Murmur* nomen est fictitium (alias: fictum a sono; cfr. Quintilian., VIII. Institut. orat. c. 6.); quia qui murmurat murmur in auribus sonat sub silentio; et sunt murmuratores occulte sub susurrio detrahentes. — Vat. omittit *de quo dicit Hugutio,* et inferius post *non audere* addit *fateri.*

[11] Vers. 1. — Subinde allegatur Ioan. 7, 12. seq.

[12] Vers. 26. et 27.

Domini Dei vestri murmurastis in tabernaculis vestris atque dixistis: Odit nos Dominus, et idcirco eduxit nos de terra Aegypti, ut traderet nos in manus Amorrhaei ». Similiter et hi bonum convertebant in malum, et publicanorum poenitentiam et etiam Iesu misericordiam; et in hoc vitium incidebant, quia erant superbi et inhumani; de quibus potest intelligi illud Isaiae sexagesimo quinto [1]: « Qui dicunt: Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die ».

Simulatio aequitatis iustitiae.

5. Tertio quantum ad *simulationem aequitatis iustitiae* subditur: *Dicentes: Quia hic peccatores recipit*, quantum ad affabilitatem colloquii, *et manducat cum illis*, quantum ad familiaritatem convivii. In quo volebant ipsum redarguere tanquam fautorem malorum et contemptorem praeceptorum; unde Glossa [2]: « Quasi: contrarius est Legi, quae hoc prohibet ». In Lege enim prohibetur contactus rei immundae, Levitici undecimo et decimo tertio; in quo intelligitur vitatio societatis malae. Unde Deuteronomii septimo: « Non inibis cum eis foedus nec sociabis cum eis coniugia ». Sed, sicut dicit Glossa [3], « dupliciter errant, quia et se iustos putant, cum sint superbi, et illos peccatores, cum iam poeniteant ». Unde ipsi simulando aequitatem cadebant in impietatem *peccando in se ipsos* superbiendo, quod consueverunt facere Pharisaei; infra decimo sexto [4]: « Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus ». Item, *peccando in proximos* male iudicando, ita ut posset eis dici illud supra sexto: « Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo » etc. Item, *peccando in Christum* eius misericordiam redarguendo, qui peccatores *recipiebat*, iuxta quod promiserat per Ieremiam, Ieremiae tertio [5]: « Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eam ultra? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus, et suscipiam te ». Hoc enim est excellentissimae misericordiae; unde Ioannis sexto [6]: « Omnis, qui venit ad me, non eiiciam eum foras ». Redarguebant etiam misericordiam, quia eis *condescendebat ad manducandum*, cum tamen hoc sit misericordiae summae, secundum illud Apocalypsis tertio [7]: « Ego sto ad ostium et pulso » etc.; et Matthaei undecimo: « Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis »; et Ioannis septimo: « Si quis sitit, veniat ad me et bibat » etc. Nam et Propheta ex repletione spiritus vocat omnes; Isaiae quinquagesimo quinto [8]: « Omnes sitientes, venite ad aquas ». Et ratio huius est, quia, sicut dicitur ad Romanos decimo, « non est distinctio Iudaei et Graeci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum » etc.

Duplex peccatum.

#### Manifestatio pietatis divinae describitur triplici parabola.

6. *Et ait ad illos parabolam.* Postquam manifestavit impietatem Iudaicam, sic secundo *notificat pietatem divinam* ad impietatem Iudaicam confutandam [9]. Et quoniam pietas Dei specialiter est ad hominem in humani generis reparatione, in qua indiget homo *sacrificio reconciliante, pretio redimente* et *spiritu adoptante;* ideo in hac parte triplicem introducit parabolam; quarum prima est de *ove*, quae sacrificatur; secunda, de *drachma*, quae est nummus regius; tertia est de *patre et filio*, qui misericorditer recipitur. Amplius, quoniam pietas Dei specialiter ad hominem est ratione trium, quae Deus posuit in homine, scilicet ratione *insitae mansuetudinis*, ratione *impressae imaginis* et ratione *collatae similitudinis;* et per primam assimilatur homo *ovi*, per secundam vero *nummo imperiali*, per tertiam *Filio Patris aeterni:* ideo in hac parte Evangelista, Spiritu [10] illuminatus, triplicem ponit parabolam, per os carnis Dei prolatam, ad notandam pietatem Dei ad humanam naturam, quarum prima est de *pastore et ovibus suis;* secunda est de *muliere et drachmis*, ibi [11]: *Aut quae mulier habens drachmas decem;* tertia de *patre et filiis*, ibi: *Ait autem: Homo quidam habuit duos filios;* in quo manifeste ostendit, quod omnis creatura quodam modo praetendit pietatem, quam Deus habet respectu hominis: *creatura brutalis*, ut ovis, et *mere corporalis* [12], ut drachma, et *rationalis*, ut homo.

Divisio.

#### Parabola de ove perdita.

Circa parabolam igitur de *ove perdita* procedit hoc ordine. Nam primo exprimitur *sollicitudo moestitiae* pro ove perdita; secundo vero, *magnitudo laetitiae* pro ove inventa, ibi [13]: *Et cum invenerit eam* etc.

Divisio.

---

[1] Vers. 5. Cfr. supra c. 7. n. 68. seq.

[2] Scilicet *interlinearis*, post quam Lev. 11, 43. et 13, 46. seqq.; Deut. 7, 2. et 3, ubi pro *coniugia* non pauci codd. *convivia* (C et D a secunda manu *connubia*).

[3] Nempe *interlinearis* (cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 2.), in qua pro *peccatores* H cum textu originali *reos*.

[4] Vers. 15. et subinde 6, 42.

[5] Vers. 1, in quo pro *ad eam ultra* (ita Vulgata) codd. et Vat. *ad eum ultra;* secundum sacram Bibliam variarum translationum etc. (Venet. 1747) translatio ex Septuaginta: *nunquid revertens revertetur ad eum ultra?*

[6] Vers. 37; cfr. supra pag. 210, nota 4. — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 2: Diiudicantes Dominum, quod peccatores susciperet, arenti corde ipsum fontem misericordiae reprehendebant.

[7] Vers. 20. — Duo seqq. loci sunt Matth. 11, 28. et Ioan. 7, 37.

[8] Vers. 1, cui-subiungitur Rom. 10, 12.

[9] Cfr. supra n. 1.

[10] Cod. H addit *sancto*, F substituit *per Spiritum sanctum.*

[11] Vers. 8; tertia pars incipit v. 11.

[12] Vat. *et materia corporalis.*

[13] Vers. 5.

De sollicitudine moestitiae quatuor.

In explicando autem *sollicitudinem moestitiae* circa ovem perditam quatuor introducuntur ab Evangelista, scilicet *possessio multitudinis integrae, deperditio ovis centesimae* et *dimissio multitudinis habitae* et *requisitio deperditae*[1].

Primum.

7. (Vers. 3.). Primo igitur quantum ad *possessionem multitudinis integrae,* quam vult intelligi non ad litteram, sed parabolice, dicit: *Et ait ad illos parabolam istam.* Ideo parabolice loquitur,

Ratio triplex locutionis parabolicae.

quia *decet eius sapientiam;* Psalmus[2]: « Aperiam in parabolis os meum » etc.; et quia hoc *requirebat Iudaeorum perfidia,* quibus debebant velari mysteria, secundum illud Matthaei decimo tertio: « Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, et audientes non audiunt »; vel quia *decebat sacram Scripturam,* in qua non tantum voces, verum etiam res sunt signa ad manuducendum intellectum parvulorum et simplicium ad concipiendum in se multiformitatem intellectuum divinorum, secundum illud Proverbiorum primo[3]: « Parabolae Salomonis ad sciendam sapientiam et disciplinam, ad intelligenda verba prudentiae et suscipiendam eruditionem doctrinae, ut detur parvulis astutia et adolescenti scientia et intellectus ».

Initium parabolae.

8. (Vers. 4.). Et quoniam parvulis loquitur, ideo exempla manifesta supponit, cum dicit: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves. Homo* iste inter homines est Dei Filius, de quo Baruch tertio[4]: « Post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus est »; et ad Philippenses secundo: « In similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo ».

Quid sint oves.

*Oves* istius hominis sunt rationales creaturae ratione insitae mansuetudinis; Matthaei decimo[5]: « Ecce, ego mitto vos sicut oves in medio luporum » etc.; Ioannis decimo: « Oves meae vocem meam audiunt, et ego vitam aeternam do eis ». Dicuntur autem hae *centum* propter perfectionem, quae insinuatur per centenarium propter reditionem denarii supra se ipsum. Unde Beda[6]: « Quia numerus centenarius est perfectus, Deus centum oves, id est, numerum perfectum habuit, cum Angelorum et hominum substantiam creavit ». Ob hanc causam etiam in designatione *perfecti meriti* ponitur Matthaei decimo tertio[7]: « Aliud cecidit in terram bonam et attulit fructum centesimum »; et Genesis vigesimo sexto: « Sevit Isaac in terra illa et invenit in anno illo centuplum ». Similiter etiam quantum ad *perfectionem praemii;* Matthaei decimo nono[8]: « Omnis, qui reliquerit » etc., sequitur: « Centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit ». *Habere* igitur *centum oves* est habere creaturas in perfecto numero et statu perfectionis suae.

9. Secundo quantum ad *perditionem ovis centesimae* subdit: *Et si perdiderit unam ex illis.* Secundum.

*Unam* ovem de centum perdidit Deus, quando homo peccavit. Unde Beda[9]: « Una ovis periit, quando homo pascua vitae peccando reliquit ». De hac ove in Psalmo dicitur: « Erravi sicut ovis, quae periit; quaere servum tuum, Domine ». Ideo autem dicitur Notandum.

homo *una ovis,* quia omnes ex uno homine processerunt, in quo et peccaverunt, secundum illud ad Romanos quinto[10]: « Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, in quo omnes peccaverunt ». Sed propter varietatem culparum superadditarum dicuntur *multae oves;* Isaiae quinquagesimo tertio[11]: « Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit »; et primae Petri secundo: « Eratis sicut oves errantes » etc. Et hoc fuit, quousque homo caruit pastore; tertii Regum vigesimo secundo[12]: « Vidi cunctum Israel dispersum in montibus sicut oves absque pastore ». Impegerat enim haec ovis in lupum, diabolum, de quo Ioannis decimo: « Lupus rapit et dispergit oves » etc.

10. Tertio quantum ad *dimissionem multitudinis habitae* subiungit: *Nonne dimittit nonaginta novem in deserto?* Per *nonaginta novem* intelliguntur Angeli, tum quia novenarius optime compe- Tertium.

tit designationi numeri Angelorum propter ternarium triplicatum in ordinibus Angelorum, ad designandum Deum trinum et unum; tum quia, angelis ruentibus, et homine perdito, remansit eorum numerus imperfectus; unde Glossa[13]: « Reliquit nonaginta novem, quia rationalis creaturae numerus, pereunte homine, erat imminutus ». Istos *reliquit* Christus, non locali- Notandum.

ter deserens, cum sit semper ubique, sed quia illos minime apprehendit; ad Hebraeos secundo[14]: « Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit ». Dicitur autem *reliquisse in deserto,* id est in caelo, quod desertum fuit ab angelis et hominibus, et nullus iam ibi poterat introire. Propter quod illa

---

[1] Vat. *ovis deperditae,* D a secunda manu *unius deperditae.*

[2] Psalm. 77, 2. — Subinde allegatur Matth. 13, 13, ubi pro *loquor* C D G *loquar.* Cfr. supra c. 8. n. 16.

[3] Vers. 1-4. Cfr. tom. V. pag. 389, nota 6. — Superius pro *intellectuum* Vat. *intellectorum.*

[4] Vers. 38. et deinde Phil. 2, 7. Cfr. Ambros., VII. in Luc. c. 15. n. 208, et Hieron., III. in Matth. 18, 12. seq.

[5] Vers. 16, post quem Ioan. 10, 27. et 28.

[6] Libr. IV. in Luc. 15, 4; ipse sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 3.

[7] Vers. 8. (Vat. allegat Luc. 8, 8; cfr. Marc. 4, 8.), cui subiungitur Gen. 26, 12.

[8] Vers. 29. — Inferius pro *perfectionis suae* Vat. *conditionis suae.*

[9] Libr. IV. in Luc. 15, 4; idem dicit Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 3. — Subinde allegatur Ps. 118, 176.

[10] Vers. 12. — Ambros., VII. in Luc. c. 15. n. 210: Dives igitur pastor, cuius *omnes nos* centesima portio sumus.

[11] Vers. 6, cui subnectitur I. Petr. 2, 25.

[12] Vers. 17. et deinde Ioan. 10, 12. — Superius post *quousque* retinuimus cum Vat. *homo.*

[13] Scilicet *ordinaria* (ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 3, quem sequitur Beda). Cfr. II. Sent. d. 9. Praenotata et q. 7.

[14] Vers. 16.

superna patria *deserto* comparatur; unde Glossa[1]: « *In deserto*, id est in caelo, quod desertum est ab homine peccante »; propter quod etiam illa superna Ierusalem dicitur *deserta*, secundum illud ad Galatas quarto[2]: « Illa quae sursum est Ierusalem libera est, quae est mater nostra. Scriptum est enim: Laetare, sterilis, quae non parturis, quia multi filii desertae magis, quam eius quae habet virum »; et Isaiae trigesimo quinto: « Laetabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo et florebit quasi lilium » etc.

11. Quarto quantum ad *requisitionem singularis ovis deperditae* adiungit: *Et vadit ad illam quae perierat*, ad istam ovem, scilicet hominem, salvandum venit Deus, Dei Filius in hunc mundum; infra decimo nono[3]: « Venit Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat »; unde primae ad Timotheum primo: « Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere ». Et hoc fecit Christus tanquam *bonus pastor;* unde Ezechielis trigesimo quarto[4]: « Ecce, ego ipse requiram oves meas et visitabo eas, sicut pastor visitat gregem suum ». — Sed quia bonus pastor non desistit ab inquisitione ante salutem, ideo subdit: *Donec inveniat illam.* Tunc autem haec ovis a Christo invenitur, quando eius sanguine a perditione liberatur, secundum illud Deuteronomii trigesimo secundo[5]: « Dominus solus dux eius fuit, et non erat cum eo deus alienus ». « Invenit eum in terra deserta, in loco horroris et vastae solitudinis ». Invenit autem Deus homines perditos cum magna difficultate, secundum illud Oseę nono[6]: « Quasi uvas in deserto inveni Israel et quasi prima poma ficulneae ». Unde pastor iste pro ovibus inveniendis laboravit usque ad mortem, secundum illud Ioannis decimo: « Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis ». Propter quod etiam pastor iste *agnus* factus est inter oves, ut redimeret oves, secundum illud Isaiae quinquagesimo tertio[7]: « Sicut ovis ad occisionem ducetur, et sicut agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum ». — Unde et hanc inventionem praefigurabat illa inventio, qua Abraham, volens offerre filium, invenit arietem; Genesis vigesimo secundo[8]: « Levavit Abraham oculos suos viditque arietem inter vepres haerentem cornibus, quem obtulit holocaustum pro filio ». Cetera igitur illa sacrificia oblata, tam ovium quam agnorum et hircorum quam arietum et vitulorum, hoc significant, quod[9] « Christus per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa ». Et hoc est dicere: « Quaerit diligenter, donec inveniat ».

Quartum.

Notandum.

Figura.

12. (Vers. 5.). *Et cum invenerit eam.* Post sollicitudinem moestitiae pro ove perdita sequitur hic *magnitudo laetitiae pro ove inventa*[10], circa quam introducuntur tria, scilicet *exsultatio privata, congratulatio publica* et *conclusio principaliter intenta.*

De magnitudine laetitiae pro ove inventa tria. Primum.

Primo igitur quantum ad *exsultationem privatam* de ove inventa dicit: *Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.* « *Humeri* isti », ut dicit Ambrosius[11], « sunt brachia crucis »; « illic, inquit, peccata mea deposui, in illa nobili patibuli cervice requievi ». In hos ergo humeros ovem perditam imposuit, quia ibi peccata nostra portavit; unde Isaiae quinquagesimo tertio[12]: « Vere languores nostros ipse tulit et infirmitates nostras ipse portavit »; et primae Petri secundo: « Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiae vivamus ». Et hoc est quod dicit Beda[13]: « Ovem in humeris suis imposuit, quia, humanam naturam suscipiens, peccata nostra ipse portavit ». Et peccata nostra portavit in cruce et crucem portavit in humeris, secundum illud Isaiae nono[14]: « Factus est principatus super humerum eius »; et Isaiae vigesimo secundo: « Dabo clavem domus David super humerum eius ». — Super hunc humerum *gaudens* nos portavit propter maximam caritatem, quam ipse habuit ad liberationem nostram; Isaiae quadragesimo[15]: « Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos »; « foetas ipse portabit ». Et hoc cum maximo gaudio, secundum illud Isaiae ultimo: « Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita et ego consolabor vos ». « Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt ».

Secundum.

13. (Vers. 6.). Secundo quantum ad *congratulationem publicam* subdit: *Et veniens domum convocat amicos et vicinos.* Domus ista est Ierusalem

---

[1] Scilicet *interlinearis* (secundum Gregor., loc. cit.). — Superius pro *superna patria* Vat. *suprema patria.*

[2] Vers. 26. et 27, quibus subnectitur Isai. 35, 1.

[3] Vers. 10, post quem I. Tim. 1, 15.

[4] Vers. 11. seq. — Glossa *interlinearis : Et vadit ad illam, quae perierat*, dum per praedicationem vocat, *donec inveniat illam* (Vulgata *eam*), invenit, dum convertitur aliquis.

[5] Vers. 12. et 10, in cuius fine nonnulli codd. *et valle sollicitudinis.*

[6] Vers. 10. — Subinde allegatur Ioan. 10, 11.

[7] Vers. 7, ubi pro *aperiet* nonnulli codd. vel *aperit* vel *aperuit;* cfr. supra pag. 254, nota 7.

[8] Vers. 13.

[9] Ut dicitur Hebr. 9, 12. — Sequitur Luc. 15, 8; cfr. v. 4. — Superius pro *significant* Vat. *significabant.*

[10] Cfr. supra n. 6.

[11] Libr. VII. in Luc. c. 15. n. 209; ibid. etiam habetur seq. sententia, in qua pro *nobili patibuli cervice* textus originalis *nobilis patibuli cervice.*

[12] Vers. 4; cfr. supra pag. 122, nota 1. — Sequitur I. Petr. 2, 24.

[13] Libr. IV. in Luc. 15, 5; idem dicit Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 3. Pro *in humeris suis imposuit* (ita Gregor. et Beda) C D F H cum Glossa *ordinaria in humeris posuit.* — Superius post *Beda* H addit *in Glossa.*

[14] Vers. 6. (in quo post *principatus* C D G addunt *eius)*, post quem 22, 22, ubi plures codd. omittunt *domus.* — Superius vocibus *crucem portavit* Vat. interserit *nostram.*

[15] Vers. 11, in quo pro *pascet* A C D F *pascit.* — Sequuntur Isai. 66, 12. seq. (ubi codd. omittunt *cui)* et dein v. 14.

superna, de qua Isaiae sexagesimo [1]: « Domum maiestatis meae glorificabo »; et Ioannis decimo quarto: « In domo Patris mei mansiones multae sunt ». In hanc Christus *venit* in ascensione, de quo adventu Isaiae sexagesimo tertio [2]: « Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra »? In hanc *portat ovem,* quia, sicut dicitur ad Ephesios quarto, « ascendens in altum, captivam duxit captivitatem ». Et ibi *convocat* Angelos, qui dicuntur *amici* propter familiaritatem in cognoscendo secreta; hoc enim est signum amicitiae; Ioannis decimo quinto [3]: « Vos autem dixi amicos » etc.; et *vicini,* propter propinquitatem in communicando solatia; unde Matthaei decimo octavo: « Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris, qui in caelis est ». — Hos convocat Dominus ad concorditer gaudendum propter salutem hominum; unde et subdit: *Dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam [4], quae perierat.* Hoc dicit, quasi dans eis materiam congratulandi de consecutione tanti beneficii et amoris caritativi, quem Deus ostendit homini; unde dicit Sapientia aeterna Proverbiorum octavo [5]: « Deliciae meae esse cum filiis hominum ». Unde Beda: « Non dicit: Congratulamini ovi inventae, sed *mihi,* quia gaudium eius
Notandum. est vita nostra ». Unde et in expressione huius gaudii permagnifici vocatur humani generis reinventio iucunda *gaudium nuptiale,* de quo exsultant caelestes cives; Apocalypsis decimo nono [6]: « Audivi vocem tanquam vocem Angelorum multorum dicentium: Alleluia ». « Gaudeamus et exsultemus et demus gloriam Deo, quia venerunt nuptiae Agni, et uxor Agni praeparavit se ». Desponsat enim sibi Agnus [7] sanctam Ecclesiam de peccatoribus collectam, et habet Agnus oviculam reinventam.

14. (Vers. 7.). Tertio quantum ad *conclusionem*
Tertium. *principaliter intentam* subiungit: *Dico vobis, quod ita [8] gaudium erit in caelo super uno peccatore poenitentiam agente;* Isaiae quadragesimo nono: « Laudate caeli, et exsulta terra; iubilate montes laudem, quia consolatus est Dominus populum suum et pauperum suorum miserebitur ». — Magnum est gaudium, quia maius est infirmum sanare quam sanum conservare; et ideo subdit: *Quam super nonaginta novem iustis, qui non indigent poenitentia.* Hoc au- Notandum
tem dicitur, non quia melior sit peccator poenitens quam nonaginta novem iusti, sed quia in redemptione humani generis maiora operatus est Deus quam in conservatione totius multitudinis caelestis; quia hoc est manifestativum maioris *potentiae,* maioris *prudentiae* et maioris *misericordiae:* maioris *potentiae*, quia maius est iustificare impium quam creare caelum et terram [9]; maioris *prudentiae,* quia, Iob vigesimo sexto, « prudentia eius percussit superbum »; maioris *clementiae* sive misericordiae; unde supra primo: « Per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto ». Maior enim fuit *in Christo condescensio,* maior etiam *humani generis sublimatio,* secundum illud Psalmi [10]: « Quoniam elevata est magnificentia tua super caelos ». Unde hoc intelligitur quantum ad *causam nostrae poenitentiae,* scilicet humani generis redemptionem, in qua maior est materia gaudii quam in omnibus
aliis operibus Dei. — Si autem intelligatur de *peccatore* Alia explicatio.
*quolibet per se,* tunc intelligitur, quia gaudium est *magis novum,* vel quia peccator est *ferventior* frequenter quam iustus. Unde Gregorius in Moralibus [11]: « Quidam in Dei servitio ex anteacta alicuius debilitate roborantur, eosque ad custodienda mandata et futurorum trahit desiderium et impellit memoria praeteritorum ». Unde hoc non refertur ad omnes peccatores nec ad omnes iustos, sed ad peccatores fervidos post conversionem et iustos tepentes. Unde et Gregorius exemplificat et Beda in Glossa [12]: « Maius gaudium est de peccatore quam de iusto stante; ut dux in proelio eum militem plus diligit, qui post fugam reversus hostem fortiter premit, quam eum qui
nunquam fugit nec unquam fortiter egit ». Vel, hoc Aliter.
dicitur ratione confusionis adversariorum, secundum

---

[1] Vers. 7, cui subnectitur Ioan. 14, 2.

[2] Vers. 1. — Subinde allegatur Eph. 4, 8, pro quo codd. allegant *in Psalmo* (67, 19.): *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem;* haec verba exhibentur a Vaticana.

[3] Vers. 15. — Sequitur Matth. 18, 10, ubi post *Angeli eorum* C D F G H omittunt *in caelis.* — Glossa *ordinaria* (ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 3.) in Luc. 15, 6: Reparato homine, ad caelum redit pastor; ibi Angelorum choros invenit, qui *amici,* quia in stabilitate sua voluntatem eius continue custodiunt; qui et *vicini,* quia claritate visionis eius fruuntur.

[4] Codd. C D F G H omittunt *meam;* cfr. B. Albert. et Gorranus.

[5] Vers. 31. — Sententia Bedae habetur IV. in Luc. 15, 6; idem dicit Gregor., loc. cit.

[6] Vers. 6. et 7; cfr. 5, 11, ubi legitur *Audivi vocem Angelorum multorum.*

[7] Vat. *Desponsavit enim Agnus.*

[8] Vat. *quod maius.* — Sequitur Isai. 49, 13. — Glossa *interlinearis:* « *Poenitentiam agente,* poenitentiam agere est perpetrata mala plangere et plangenda non perpetrare »; ex Gregor., loc. cit. n. 15. (cfr. IV. Sent. lit. Magistri, d. XIV. c. 2.).

[9] August., in Ioan. Evang. tr. 72. n. 3: Non hic audeo praecipitare sententiam; intelligat qui potest, iudicet qui potest, utrum maius sit iustos creare quam impios iustificare? Certe enim, si aequalis est utrumque potentiae, hoc maioris est misericordiae. Hoc est enim *magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne* etc. [1. Tim. 3, 16.]. Cfr. Glossa *ordinaria* in Luc. 15, 7. — Duo seqq. loci sunt Iob 26, 12. et Luc. 1, 78. — Superius post *manifestativum* A C D omittunt *maioris potentiae, maioris prudentiae et maioris misericordiae.*

[10] Psalm. 8, 2.

[11] Libr. XVIII. c. 26. n. 43.

[12] Scilicet *ordinaria* (ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 4, quem sequitur Beda, IV. in Luc. 15, 7.) apud Lyranum in Luc. 15, 7. Post *de peccatore* H cum Gregorio et Beda addit *converso,* Vat. *resurgente in fervore,* quae etiam vocibus *iusto stante* interserit *pigro.*

illud Isaiae nono[1]: « Laetabuntur coram te, sicut qui laetantur in messe, sicut exsultant victores, capta praeda, quando dividunt spolia » etc.

**Parabola de drachma perdita.**

15. (Vers. 8.). *Aut quae mulier* etc. Post parabolam de pastore et ovibus suis subditur hic parabola *de muliere et drachmis*[2]; in qua quidem sub metaphora *drachmae* manifestatur *pietas Dei ad hominem*, et hoc quadrupliciter, scilicet ad hominem *conditum*, ad hominem *lapsum*, ad hominem *reparatum*, ad hominem *iustificatum*. Divisio.

Primo igitur quantum ad *pietatem Dei* respectu *hominis conditi* dicit: *Aut quae mulier habens drachmas decem. Mulier* ista est divina sapientia, quae *mulier* dicitur, quia diligenda est tanquam sponsa speciosissima; Sapiens Sapientiae octavo[3] loquens de sapientia dicit: « Hanc amavi et exquisivi eam a iuventute mea et quaesivi sponsam eam mihi assumere et amator factus sum formae illius ». Dicitur autem *mulier* non ab infirmitate sexus, sed a pietate divini affectus et misericordiae, ratione cuius comparat se Deus affectui materno; Isaiae quadragesimo nono[4]: « Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui » etc. Et ideo Sapientia de se dicit Ecclesiastici vigesimo quarto: « Ego mater pulcrae dilectionis » etc. Unde cum sapientia Dei sit potentissima, sit speciosissima, sit providissima, sit etiam clementissima, datur intelligi per *mulierem fortem*, secundum quod dicitur Proverbiorum ultimo[5]: « Mulierem fortem quis inveniet », id est sapientiam, quae « attingit fortiter » etc.; per *mulierem fortem et bonam et speciosam;* Ecclesiastici vigesimo sexto: « Sicut sol oriens in mundo »; per *mulierem providam;* Proverbiorum decimo quarto: « Sapiens mulier aedificat domum », id est sapientia; per *mulierem piam*, sicut in hac parabola. Unde Glossa[6]: « Mulier, id est Dei sapientia, decem drachmas habuit, cum homines et Angelos creavit ». Drachma autem est creatura rationalis, divina imagine insignita; unde Glossa[7]: « Drachma est nummus certae quantitatis, habens imaginem regis ». Talis nummus est *homo*, de quo dicitur Genesis primo: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram »; unde et Ecclesiastici decimo septimo: « Deus de terra creavit hominem et secundum imaginem suam fecit illum ». Talis nummus est *angelicus spiritus;* unde Ezechielis vigesimo octavo[8]: « Tu signaculum similitudinis eius, plenus sapientia et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti ». Igitur drachmae decem sunt novem ordines Angelorum et decima hominum ad totius universi complementum, quia intra denarium clauditur universitas numerorum; unde et in eo est quidam numerorum status. Unde Beda[9]: « Decem drachmas mulier habuit, cum novem ordinibus Angelorum homo additus est decimus, ut compleretur numerus electorum ». In hoc ergo apparet pietas Dei ad rationalem creaturam conditam sicut ad rem sua imagine insignitam.

Pietas erga hominem conditum. — Notandum. — Imago Dei. — Drachmae decem.

16. Secundo quantum ad *pietatem Dei* respectu *hominis lapsi* subdit: *Et*[10] *si perdiderit drachmam unam*, scilicet in hominis praevaricatione. *Drachma* enim *ista perdita* est humana natura; unde Glossa[11]: « Mulier, id est Dei sapientia, decem drachmas habuit, cum homines et Angelos ad imaginem suam creavit; sed unam perdidit, cum homo a similitudine Creatoris recessit ». Unde quia homo decimus est post novem ordines Angelorum, recte intelligitur per *decimam drachmam*. Hinc est, quod ad liberationem hominum praefigurandam Deus praecepit, sibi offerri *decimam*[12]. Hinc etiam est, quod *decem praecepta* ei data sunt, per quae quasi per quosdam gradus usque ad Deum conscendat. Hinc est etiam, quod in praefiguratione incarnationis dicitur sol retrocessisse *decem lineis*, sicut dicitur quarti Regum vigesimo[13]; sol namque per decem lineas retrocessit, cum Deus

Pietas erga hominem lapsum. — Homo drachma decima.

[1] Vers. 3.

[2] Cfr. supra n. 6. — Inferius Vat. omittit *ad hominem conditum, ad hominem lapsum.*

[3] Vers. 2. — Cfr. supra pag. 348, nota 4. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 6: Qui signatur per pastorem, ipse et per mulierem. Ipse etenim Deus, ipse et Dei sapientia. Cfr. infra n. 16. Glossa. — Superius cum Vat. retinuimus *Sapiens*, quod codd. omittunt.

[4] Vers. 15, cui subiungitur Eccli. 24, 24. — Superius pro *comparat se Deus* Vat. *comparat Deus affectum suum ad hominem.*

[5] Vers. 10, post quem Sap. 8, 1: *Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter* etc.; Eccli. 26, 21. et Prov. 14, 1. — Vat. omittit *quis inveniet... per mulierem fortem.*

[6] Scilicet *ordinaria* (secundum Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 6.) in Luc. 15, 8, in cuius fine textus originalis *ad imaginem suam creavit;* cfr. infra n. 16.

[7] Nempe *interlinearis*, de qua vide Cyrill. Alexandr. in hunc loc., et August., Enarrat. in Ps. 138. n. 14. — Duo seqq. loci sunt Gen. 1, 26. et Eccli. 17, 1.

[8] Vers. 12. et 13.

[9] Libr. IV. in Luc. 15, 9. ex Gregor., loc. cit. Cfr. II. Sent. d. 9. q. 7.

[10] Vulgata omittit *Et*, quod exhibetur etiam a Gregorio, loc. cit.; cfr. B. Albert. et Gorranus.

[11] Scilicet *ordinaria;* cfr. supra nota 6. — Inferius pro *decimus est* Vat. *creatus est.*

[12] Cfr. Exod. 22, 29; ibid. 20, 2. seqq. de decem praeceptis. — Inferius pro *praecepta ei* [H omittit *ei*] *data* A C D *praecepta Dei data.*

[13] Vers. 11. Cfr. Isidor., Qq. sive Comment. in IV. Reg. c. 6. n. 4. seqq. (ex quo est Glossa *ordinaria* in IV. Reg. 20, 9.), qui tamen rem aliter explicat. Nam secundum ipsum « primus gradus descensionis de Deo in Angelo fuit, quia *magni consilii Angelus* [Isai. 9, 6. secundum Septuaginta] erat... Secundus gradus descensionis de Angelo in Patriarchis fuit... Tertius in Legis datione... Quartus gradus in Iesu Nave... Quintus in iudicibus... Sextus in regibus Iudaeorum.... Septimus in Prophetis... Octavus in pontificibus... Nonus in homine. Decimus in passione ». Vide II. Sent. d. 9. q. 7. in corp. — Inferius vocibus *supra Angelos* Vat. praefigit *qui est.*

supra Angelos usque ad hominem, qui est decimus, descendit. Hinc est etiam, quod *denarius* est pretium omnium laborantium in vinea patrisfamilias; Matthaei vigesimo [1]: « Conventione facta » etc. Recte ergo *decima perdita* designat naturam humanam lapsam.

Pietas in lucerna accendenda.

17. Ad hanc drachmam perditam divina sapientia habet *pietatem ex misericordia;* propter quod subdit: *Nonne accendit lucernam,* in incarnatione. *Lucerna* est lux in testa, hoc est Deus in carne humana; unde Glossa [2]: « Dei sapientia lucernam ad quaerendum accendit, cum in carne apparuit, quia lucerna est lux in testa, id est Verbum in carne ». De hac lucerna dicitur in Psalmo [3]: « Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo ». Unde de accensione istius lucernae dicitur Ioannis primo: « Deus erat Verbum »; « erat lux vera, quae illuminat omnem hominem »; et post: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis ». — Nec tantum hoc, sed *et evertit* [4] *domum,* scilicet in praedicatione; Glossa: « Domum evertit, quia conscientias hominum de reatu suo perturbavit ». Et hoc spectat ad praedicatores; unde dicitur Sophoniae primo [5]: « Scrutabor Ierusalem in lucernis et visitabo super viros defixos in faecibus suis ». — *Et quaerit diligenter, donec inveniat,* in nostra redemptione; unde Sapientiae sexto [6]: « Dignos se circuit quaerens et in viis suis ostendet se illis hilariter et cum omni providentia occurret illis ». Unde et sibi competit illud Psalmi: « Si dedero somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob » etc.

Item, in domo evertenda.

Pietas erga hominem reparatum.

18. (Vers. 9.). Tertio quantum ad *pietatem* respectu *hominis reparati* adiungit: *Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas.* Per *amicas* et *vicinas* divinae sapientiae intelliguntur Angeli boni et animae sanctae. Unde Glossa [7]: « Amicae et vicinae sunt supernae potestates, quae tanto Deo iuxta sunt, quanto eum vicinius contemplantur ». Quae ideo dicuntur *amicae* sapientiae, quia ipsam diligunt et ab ipsa amantur, secundum illud Sapientiae septimo [8]: « Per nationes in animas sanctas se transfert et amicos Dei et Prophetas constituit. Neminem enim diligit Deus, nisi qui cum sapientia inhabitat ».

Convocatio.

*Convocare* autem nihil aliud est quam ad unitatem et conformitatem amoris copulare; Iob vigesimo quinto [9]: « Potestas et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis »; et per istam concordiam mutui amoris communem materiam gaudii tribuit. — Et ideo subdit: *Dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram.* Sapientia namque invitat ad *congaudendum,* quia haec est lex caritatis; primae ad Corinthios decimo tertio [10]: « Caritas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati »; et Sapiens dicit Sapientiae octavo: « Haec cogitans, quia immortalitas est in cogitatione sapientiae, et in amicitia illius delectatio bona », quia vult, gaudia universorum esse *communia,* non *privata,* sicut potissime in illa Ierusalem superna. Unde Tobiae decimo tertio [11]: « Confitere Domino in bonis tuis et benedic Deum saeculorum, ut revocet ad te omnes captivos tuos, et gaudeas in omnia saecula saeculorum ». In hac enim reinventione drachmae fit reintegratio numeri electorum in illa Ierusalem; et haec est magna materia laetitiae; Isaiae sexagesimo quinto [12]: « Ecce, ego creo Ierusalem exsultationem, et populum eius gaudium », quia congratulantur divinae sapientiae et salvationi nostrae, secundum illud Isaiae ultimo: « Laetamini cum Ierusalem et exsultate in ea, omnes, qui diligitis eam; gaudete cum ea gaudio, universi, qui lugebatis super eam, ut sugatis et repleamini ab uberibus consolationis eius; ut mulgeatis et deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius ».

Invitatio ad gaudendum.

Notandum.

Pietas erga hominem iustificatum.

Septem rationes congaudendi.

19. (Vers. 10.). Quarto quantum ad *pietatem Dei* respectu *hominis iustificati* subdit: *Ita dico vobis: Gaudium est Angelis* [13] *Dei super uno peccatore poenitentiam agente. Gaudent* autem *Angeli* de poenitentia hominis peccatoris, quia destruitur *culpa,* recuperatur *iustitia,* confutatur *daemonum superbia,* efficax efficitur *Angelorum custodia,* reparatur *Ecclesia,* placatur *ira divina,* et quia restauratur *Ierusalem superna.* Et de his septem gaudent maxime Angeli beati; et ideo et de *poenitentia peccatoris,* in qua vident fieri septem praedicta, gaudium est Angelis Dei. — Primo, quia *destruitur culpa;* Actuum tertio [14]: « Poenitemini et convertimini, ut deleantur vestra peccata ». Unde dicitur

Prima.

---

[1] Vers. 2.

[2] Scilicet *ordinaria* (ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 6.). August., Enarrat. in Ps. 138. n. 14: Lucerna de luto est, sed habet lucem, qua inveniatur drachma. Lucerna ergo sapientiae, caro Christi, de luto facta est, sed Verbo suo lucet, invenit perditos.

[3] Psalm. 131, 17, post quem Ioan. 1, 1. 9. et 14.

[4] Ita etiam Gregor., loc. cit.; Beda, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 15. n. 2.) et Gorranus; Vulgata *everrit,* quod est lectio sincera secundum textum Graecum. — Sequitur Glossa *ordinaria* (ex Gregor., loc. cit.), in qua pro *reatu suo* (ita etiam Glossa) Vat. *reatu ipsorum.*

[5] Vers. 12, in cuius fine antiquiores codd. (A C D) *in frontibus suis* (?)

[6] Vers. 17. — Subinde allegatur Ps. 131, 4. seq.

[7] Scilicet *ordinaria* (ex Gregor., loc. cit.), in qua pro *iuxta sunt* (ita etiam Gregor. et Glossa) Vat. *propius sunt.*

[8] Vers. 27. et 28.

[9] Vers. 2. — Glossa *ordinaria:* Quas [amicas et vicinas] *vocat,* dum per exhibitionem gratiae hominibus impensae ad amorem sui vehementius accendit.

[10] Vers. 6, post quem Sap. 8, 17. seq., ubi pro *in cogitatione* Vulgata *in cognatione;* cfr. tom. VI. pag. 165, nota 2.

[11] Vers. 12, ubi pro *tuis* D *suis,* Vat. *eius.*

[12] Vers. 18, cui subiunguntur Isai. 66, 10. et 11. — Inferius pro *gratulantur* G *gratulabuntur,* Vat. *gratulabantur.*

[13] Vat. cum Vulgata *Gaudium erit coram Angelis;* cfr. B. Albert.; idem recurrit aliquanto inferius.

[14] Vers. 19. et deinde Marc. 1, 4. — Superius pro *septem praedicta* Vat. *septem effectus praedictos.*

Marci primo, quod erat « Ioannes praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum » etc. (Secunda.) — Secundo, quia per poenitentiam *recuperatur iustitia;* unde Apocalypsis secundo [1]: « Memor esto, unde excideris, et age poenitentiam et prima opera fac »; et Ecclesiastici decimo septimo: « Poenitentibus dedit Deus viam iustitiae et confirmavit deficientes ». (Tertia.) — Tertio, quia per poenitentiam *confutatur daemonum superbia;* Psalmus [2]: « Discedite a me, omnes, qui operamini iniquitatem; quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei »; et post: « Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei » etc. Tunc enim daemones erubescunt de sua impudentia, quando peccator per poenitentiam erubescit de culpa; Ieremiae trigesimo primo: « Postquam convertisti me, egi poenitentiam ». « Confusus sum et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiae meae ». (Quarta.) — Quarto, quia per poenitentiam *efficax efficitur Angelorum custodia;* unde Apocalypsis tertio [3]: « Ego quos amo arguo et castigo. Aemulare ergo et poenitentiam age. Ecce, sto ad ostium et pulso ». Hoc enim Angelus nos custodiens facit sollicite. (Quinta.) — Quinto, quia per poenitentiam *reparatur Ecclesia;* propter quod dicitur Matthaei nono [4]: « Non veni vocare iustos, sed peccatores » ad poenitentiam. Nam Christus vocat ad unitatem ecclesiasticam, in qua fit remissio peccatorum, et datur superna gratia, secundum illud Ezechielis decimo octavo: « Si poenitentiam egerit impius ab omnibus peccatis suis, vita vivet et non morietur ». (Sexta.) — Sexto, quia *placatur ira divina;* Ecclesiastici duodecimo [5]: « Altissimus odio habet peccatores et misertus est poenitentibus »; et Ieremiae decimo octavo: « Si poenitentiam egerit gens ista a malo suo, agam et ego poenitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei ». (Septima.) — Septimo, quia per poenitentiam *reintegratur Ierusalem superna.* Unde Matthaei quarto [6]: « Agite poenitentiam, appropinquabit enim regnum caelorum ». Et propterea cives caelestes exsultant, sicut dicitur hic: *Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente.* Vident enim, quantae virtutis sit poenitentia, quae non solum recuperat perdita, sed etiam multo plura impetrat a pietate divina; unde Iob ultimo [7]: « Conversus Dominus ad poenitentiam Iob. Addidit Dominus omnia, quae fuerant Iob, duplicia ».

(Corollarium.) 20. Et hac de causa omnes, qui diligunt Deum, qui diligunt bonum et qui habent pietatis affectum, cum Angelis exsultare debent de conversione et poenitentia peccatorum. Unde Apostolus secundae ad Corinthios septimo [8]: « Etsi ad horam vos contristavi, nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad poenitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini. Quae enim secundum Deum est tristitia poenitentiam in salutem stabilem operatur ». Et post subdit: « Operatur enim in vobis sollicitudinem; sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed aemulationem, sed vindictam ». Et ex his debitus honor redditur divinae maiestati, reparatur numerus caelestis, et recuperatur unitas ecclesiasticae pacis. Et ideo in conversione et poenitentia unius peccatoris merito exsultat hierarchia supercaelestis, caelestis et subcaelestis [9].

**Parabola de filio prodigo.**

21. *Ait autem: Homo quidam habuit duos filios.* Post parabolam de pastore et ovibus suis et de muliere et drachmis subditur hic tertio [10] parabola *de patre et filiis,* ut sic, cum maxima sit pietas patris ad suum filium, maxima ostendatur hic pietas Dei ad peccatorem conversum, qui intelligitur per *filium prodigum.* Et quoniam misericordia patris in hoc ostenditur, quod relevavit miseriam filii prius peccantis et postmodum poenitentis; ideo in hac parabola quatuor describit Evangelista. (Divisio.) Primo namque describit filii prodigi *insolentiam;* secundo, *miseriam et indigentiam,* ibi [11]: *Et postquam consummasset omnia;* tertio, eiusdem *poenitentiam,* ibi: *Ipse autem in se reversus, dixit* etc.; quarto, *patris misericordiam,* ibi: *Cum autem adhuc longe esset.* Et hoc quidem facit rectissimo processu et ordine. Nam *insolentia* praecipitavit in miseriam et in indigentiam; *indigentia* autem excitavit ad poenitentiam, et *poenitentia* praeparavit ad patris misericordiam obtinendam.

(De insolentia filii prodigi tria.) Circa *filii prodigi insolentiam* exprimendam tria introducuntur ab Evangelista, scilicet *conditio libertatis humanae, perpetratio voluntariae culpae* et *dissipatio boni* [12] *gratiae et naturae.*

(Primum.) 22. (Vers. 11.). Primo igitur quantum ad *conditionem libertatis humanae* dicit: *Ait autem: Homo*

---

[1] Vers. 5, post quem Eccli. 17, 20.

[2] Psalm. 6, 9. et 11. (pro *conturbentur* C D F G *confundantur),* quibus subiungitur Ier. 31, 19.

[3] Vers. 19. et 20. Cfr. II. Sent. d. 11. a. 2. q. 1. seq.

[4] Vers. 13. — Sequitur Ezech. 18, 21.

[5] Vers. 3. et dein Ier. 18, 8, in cuius fine C D F G *facerem eis* (Septuaginta: poenitentiam de malis, quae cogitaveram facere eis).

[6] Vers. 17. Cfr. supra pag. 382, nota 7.

[7] Vers. 10, ubi pro *Iob* Vat. *recuperat perdita.*

[8] Vers. 8-10. et deinde v. 11.

[9] De hac divisione hierarchiae cfr. loci supra pag. 356, nota 9. allegati. — Superius pro *reparatur* Vat. *impletur.*

[10] Cfr. supra n. 6. — Inferius pro *ut sic... ostendatur* C *et sic... ostenditur* (ita etiam D primitus, sed secunda manus substituit *et sicut maxima est pietas in suum filium, ita maxima ostenditur),* et pro *ad peccatorem* Vat. *erga peccatorem.*

[11] Vers. 14; tertium habetur v. 17, ubi Vat. cum Vulgata: *In se autem reversus dixit* etc.; lectioni codd. consentit Card. Hugo; cfr. B. Albert. et Lyranus; quartum habetur v. 20. — Superius post *poenitentis* A C D F G omittunt *ideo.*

[12] Cod. H *bonorum.*

*quidam habuit duos filios.* Per *hominem* istum, sicut saepe dictum est[1], intelligimus Dominum benignum et pium. Nam ipse ratione summae pietatis, quae reddit eum benignum et humanum erga hominem, *homo* merito dici potest; unde Danielis decimo[2]: « Tetigit me quasi visio hominis et confortavit me ». Ad cuius etiam designationem Deus in effigie humana per subiectam creaturam frequenter apparuit sanctis Notandum. Patribus et Prophetis. Per *duos* autem *filios* intelligimus humani generis universitatem, non solum quoad gentiles et Iudaeos, sicut Glossa[3] exponit, sed etiam generaliter quoad innocentes et poenitentes, sicut oportet intelligi ex ipsa applicatione parabolae. Unde Beda[4]: « Haec parabola de Iudaeo et gentili, generaliter de poenitente et iusto, vel qui sibi iustus videtur, potest intelligi ». Et hi dicuntur *filii*, quia in libertate arbitrii sunt creati et ad aeternam hereditatem habendam; Ioannis octavo[5]: « Servus non manet in domo in aeternum, filius autem manet in aeternum »; unde in Psalmo: « Sicut miseretur pater filiorum, sic misertus est Dominus timentibus se ».

23. (Vers. 12.). Et quia libertas arbitrii in va-
Praesumtio eiusdem. nis et peccatoribus frequenter de propriis viribus praesumit et sibi usurpat quod Dei est, ideo subdit: *Et dixit adolescentior ex illis patri: Pater*[6], *da mihi portionem substantiae, quae me contingit.* Iste *adolescentior* dicitur ille qui vanior est et ad sensibilia bona magis intentus, secundum illud Ecclesiastae undecimo[7]: « Adolescentia enim et voluptas vana sunt »; et Ecclesiastae eodem capitulo supra: « Laetare, iuvenis, in adolescentia tua »; « et scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium ». Hic adolescens petit *partem suam,* cum relinqui vult libertati suae, ut iam non secundum imperium gratiae, sed secundum nutum voluntatis suae incedat. Unde Beda[8]: « *Substantia* est omne, quod agimus, quod vivimus, sapimus, cogitamus et loquimur. Huius ergo portionem substantiae minor petit sibi dari, cum homo, rationali sensu suo delectatus, per liberum arbitrium se regere et a dominio Creatoris exire quaesivit ». Haec petitio non fuit pro se, sed magis contra se, quia petiit, se sibi exponi et suo iudicio derelinqui; sicut et petitio filiorum Israel, qua petierunt regem; primi Regum octavo[9]: « Dixerunt filii Israel ad Samuelem: Constitue nobis regem, ut iudicet nos ». « Dixitque Dominus ad Samuelem: Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos ». — Et quia Dominus iudicio iusto eum qui de se praesumit, relinquit sibi; ideo subdit: *Et divisit illis substantiam.* Nam sic conveniebat, secundum illud Ecclesiastici decimo quinto[10]: « Deus ab initio constituit hominem et reliquit eum in manu consilii sui ». Nam sic Dominus iusto iudicio facit, secundum illud Matthaei vigesimo quinto: « Uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii autem unum, unicuique secundum propriam virtutem » etc.

24. (Vers. 13.). Secundo quantum ad *perpetrationem voluntariae culpae* subdit: *Et non post mul-* Secundum.
*tos dies, congregatis omnibus,* per liberi arbitrii dominium, quod habet respectu omnium virium naturalium; *adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam,* et hoc perpetrando peccatum. *Regio* namque *longinqua* a Deo dicitur, non Regio longinqua.
quantum ad situm localem, cum Deus sit ubique, sed per voluntatis dissimilitudinem. Unde Glossa[11]: « *Abiit in regionem longinquam,* non mutando locum, sed animum. Quanto enim quis in pravo opere plus delinquit, tanto a Dei gratia longius recedit»; unde Proverbiorum decimo quinto: « Longe est Dominus ab impiis et orationes iustorum exaudiet ». Est autem peccatum *regio longinqua* a Deo, quia, cum sit *iniquitas,* Ratio triplex.
elongat a summa *bonitate,* secundum illud Isaiae quinquagesimo nono[12]: « Iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis ». Cum sit *tenebra,* elongat a summa *luce et veritate;* primae Ioannis primo[13]: « Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae. Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus; mentimur et veritatem non facimus »; et paulo post subdit, de quibus tenebris intelligit: « Qui odit fratrem suum in tenebris est » etc. Cum etiam peccatum sit *nihil,* elongat a summa *entitate;* propter quod Ieremiae secundo[14]: « Quid invenerunt in me patres vestri

---

[1] Vide supra c. 14. n. 36. et c. 15. n. 8.

[2] Vers. 18. — Inferius pro *Ad cuius* A C D F *Per cuius.*

[3] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur August., II. Qq. Evangelior. q. 33. n. 1.) apud Lyranum; cfr. Hieron., Epist. 21. (alias 146.) n. 4. — Superius pro *universitatem* B C D F G H *numerositatem.*

[4] Ita Glossa *interlinearis* in Luc. 15, 11, quae est secundum Bedam, IV. in Luc. 15, 31. seq. in fine.

[5] Vers. 35, post quem Ps. 102, 13.

[6] Plures codd., ut A.C D F, omittunt *Pater.*

[7] Vers. 10. et deinde v. 9.

[8] Libr. IV. in Luc. 15, 11. seq., ubi sequitur August., II. Qq. Evangelior. q. 33. n. 1; sententia Bedae proponitur verbis Glossae *ordinariae* apud Lyranum, de cuius initio cfr. Hieron., Epist. 21. (alias 146.) n. 5. In fine pro *a dominio Creatoris* (ita etiam Beda et Glossa) Vat. et plures codd. *a domino Creatore.*

[9] Vers. 5. et 7.

[10] Vers. 14, cui subiungitur Matth. 25, 15. — Hieron., Epist. 21. (alias 146.) n. 6: *Qui divisit eis substantiam;* significantius in Graeco legitur διεῖλεν αὐτοῖς τὸν βίον, id est, dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriae libertatem, et ut viveret unusquisque non ex imperio Dei, sed obsequio suo, id est non ex necessitate, sed ex voluntate, ut virtus haberet locum, ut a ceteris animantibus distaremus, dum ad exemplum Dei permissum est nobis facere quod velimus etc.

[11] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) apud Lyranum. Cfr. Hieron., loc. cit. n. 7; August., II. Qq. Evangelior. q. 33. n. 2: *Regio* itaque *longinqua* oblivio Dei est. — Subinde allegatur Prov. 15, 29.

[12] Vers. 2.

[13] Vers. 5. seq. et deinde 2, 11.

[14] Vers. 5. — August., in Ioan. Evang. tr. 1. n. 13: Peccatum quidem non per ipsum [Verbum] factum est; et manifestum est, quia peccatum nihil est, et nihil fiunt homines, cum peccant. — Pro *a summa entitate* Vat. *a summa aeternitate.*

iniquitatis, quia elongaverunt se a me et ambulaverunt post vanitatem »? De his tribus simul secundae ad Corinthios sexto[1]: « Quae participatio iustitiae cum iniquitate? Aut quae societas lucis ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial »? « Qui autem consensus templo Dei cum idolis »? Et propterea merito peccator, qui elongat se a Deo per peccatum et vadit in regionem longinquam longe a caelesti regione, proiicitur in infernum, qui est regio mortis et tenebrarum, secundum illud Iob decimo[2]: « Antequam vadam ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine, terram miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo » etc.

Tertium.

25. Tertio quantum ad *dissipationem boni gratiae et naturae* subiungit: *Dissipavit*[3] *substantiam suam. Dissipavit,* inquam, per peccata *spiritualia,* quae maxime dissipant animam, et hoc quidem per *superbiam;* Nahum secundo[4]: « Sicut reddidit Dominus superbiam Iacob, sic superbiam Israel, quia vastatores dissipaverunt eos et propagines eorum corruperunt ». — Item, per *inanem gloriam;* Isaiae tertio: « Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt et viam gressuum tuorum dissipant ». — Item, per *invidiam,* secundum illud Psalmi[5]: « Dissipata sunt ossa nostra secus infernum », supple: per invidiam, de qua dicitur Proverbiorum decimo quarto: « Putredo ossium, invidia ». — Item, per *iracundiam;* Psalmus[6]: « Dissipati sunt nec compuncti, frenduerunt super me dentibus suis ». Unde iracundus similis est daemoniaco, de quo supra nono: « Subito clamat et elidit et dissipat eum cum spuma ». — Item dissipavit per *accidiam,* secundum illud Proverbiorum decimo octavo[7]: « Qui mollis et dissolutus est in opere suo frater est sua opera dissipantis ». — Et quia peccata *spiritualia* frequenter praecipitant in *carnalia,* ideo addit: *Vivendo luxuriose,* quantum ad *gulam* et *luxuriam,* secundum illud Proverbiorum vigesimo[8]: « Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas; quicumque his delectatur, non erit sapiens ». Unde in his est consummatio dissipationis, secundum illud Iob trigesimo primo: « Ignis est usque ad consumtionem devorans et omnia eradicans genimina ». Unde et his peccatis non solum dissipantur animae vires, verum etiam corporis membra et divitiae temporales, ac per hoc dissipatur tota hominis substantia, scilicet rerum, membrorum et morum. Propter quod Proverbiorum vigesimo nono[9]: « Vir, qui amat sapientiam, laetificat patrem suum; qui autem nutrit scorta perdet substantiam », quia in huiusmodi impletur illud Psalmi: « Homo, cum in honore esset, non intellexit » etc.

(S)eptem vitia capitalia.

De miseria filii prodigi tria.

26. (Vers. 14.). *Et postquam consummasset omnia* etc. Post descriptam filii prodigi insolentiam hic describit *miseriam et indigentiam*[10], et hoc quantum ad tria, scilicet quantum ad *famis incommodum,* quantum ad *servitutis opprobrium* et quantum ad *mendicitatis genus extremum.*

Primum.

Primo ergo quantum ad *incommodum famis* dicit: *Et postquam consummasset omnia,* scilicet *culpa totum devastante,* secundum illud Sapientiae tertio[11]: « Nationis iniquae dirae sunt consummationes »; de qua consummatione Iacobi primo: « Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem ». — *Facta est fames valida in regione illa,* divina scilicet *iustitia ulciscente.* Haec *fames* est inopia spiritualium bonorum; unde Glossa[12]: « *Fames valida in regione longinqua* est indigentia verbi veritatis in oblivione Creatoris ». Et de hac fame Amos octavo[13]: « Mittam famem in terram; non famem panis neque sitim aquae, sed audiendi verbum Dei »; et de hac in Psalmo: « Vocavit famem super terram » etc. — *Et ipse coepit egere, nullo* scilicet *auxiliante;* unde Ambrosius[14]: « Virtutibus, earum fonte relicto. Merito ergo eget qui thesauros sapientiae divitiarumque caelestium altitudinem dereliquit »; unde Proverbiorum decimo tertio[15]: « Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam »; et hoc propter culpam; quia, Proverbiorum decimo quarto, « miseros facit populos peccatum ». Propter quod dicit Beda[16]: « Omnis locus, absente patre, penuria est ».

Quid sit haec fames.

[1] Vers. 14. et 16.

[2] Vers. 21. — Glossa *ordinaria* (ex Ambros., VII. in Luc. c. 15. n. 214.) apud Lyranum in Luc. 15, 13: Quid longius quam a Deo recedere? Qui a Deo recedit exsul est patriae, civis mundi. Regio longinqua est umbra mortis.

[3] Vat. cum Vulgata et H: *Et ibi dissipavit.*

[4] Vers. 2. — Subinde allegatur Isai. 3, 12, ubi pro *te beatum dicunt* C D F G *te benedicunt.*

[5] Psalm. 140, 7, post quem Prov. 14, 30.

[6] Psalm. 34, 16, cui subiungitur Luc. 9, 39.

[7] Vers. 9. — Glossa *interlinearis* (ex Ambros., VII. in Luc. c. 15. n. 214.): *Et ibi dissipavit substantiam* etc., luxuria consumit omnia bona naturae. Cfr. Hieron., Epist. 21. (alias 146.) n. 9.

[8] Vers. 1. — Sequitur Iob 31, 12, ubi pro *consumtionem* Vat. cum Vulgata *perditionem.*

[9] Vers. 3, in quo pro *scorta* C D F G H et Card. Hugo *scortum.* — Sequitur Ps. 48, 13.

[10] Cfr. n. 21.

[11] Vers. 19, post quem Iac. 1, 15.

[12] Scilicet *interlinearis* (ex Beda, qui sequitur August., II. Qq. Evangelior. q. 33. n. 2.).

[13] Vers. 11, cui subnectitur Ps. 104, 16.

[14] Libr. VII. in Luc. c. 15. n. 215, ubi tamen prior sententiae pars exhibetur verbis prolixioribus. Hieron., Epist. 21. (alias 146.) n. 10: « Coepit egere virtutibus, derelicto fonte virtutum ». Posterior pars exhibetur secundum Glossam *ordinariam,* pluribus omissis.

[15] Vers. 18; deinde Prov. 14, 34.

[16] Haec sententia, quae apud Lyranum est Glossa *interlinearis* in Luc. 15, 14, etiam a Card. Hug. tribuitur Bedae, exhibetur tamen ab Hieron., Epist. 21. (alias 146.) n. 10: Omnis locus, quem patre incolimus absente, famis, penuriae [etiam Glossa interlinearis: *penuriae*] et egestatis est. — Duo seqq. loci sunt Sap. 7, 11. et Prov. 3, 33.

Sicut enim, sapientia adveniente, veniunt omnia bona sapientiae, Sapientiae septimo: « Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius »; sic ipsa abeunte, omnia bona recedunt, et supervenit egestas, secundum illud Proverbiorum tertio: « Egestas a Domino in domo impii, habitacula iustorum benedicentur ».

27. (Vers. 15.). Secundo quantum ad *opprobrium servitutis* subdit: *Et abiit et adhaesit uni civium regionis illius; civis* autem in regione dissimilitudinis et peccati est ille qui in peccato mansionem perpetuam collocavit. Inter hos cives unus et primus est ipse diabolus; unde Glossa [1]: « Unus civium ille est, qui, concupiscentiis terrenis merito pravitatis suae praepositus, *princeps mundi* vocatur », secundum illud Ioannis decimo quarto: « Venit enim princeps mundi huius » etc. Huic civi adhaeret quis, quando vult per omnia eius facere voluntatem; quod faciunt peccatores, secundum quod designatur secundi Machabaeorum quarto [2] de quibusdam, de quibus dicitur, quod « illis similes esse cupiebant, quos hostes et peremptores habuerunt ».

Secundum.

Notandum.

— Et nota, quod dicitur *adhaesisse*, quia diabolus non habet *posse*, nisi quantum peccator ei dat ex mera voluntate; unde ex persona diaboli dicitur Isaiae quinquagesimo primo [3]: « Incurvare, ut transeamus ». — Et quia, potestate accepta, diabolus semper incitat hominem ad peccata; ideo subdit: *Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos;* per *porcos* intelliguntur daemones propter *ruditatem*, ratione cuius Matthaei septimo [4]: « Nolite sanctum dare canibus nec margaritas spargere ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis ». Item, propter *carnalitatem;* secundae Petri secundo [5]: « Contingit eis illud veri proverbii: Sus lota in volutabro luti »; et hoc facit carnalitas; unde Proverbiorum undecimo: « Circulus aureus in naribus suis, mulier pulcra et fatua », quia diabolus per illam inquinat multos. Hanc autem *ruditatem* habent daemones in se ipsis, sed *carnalitatem* suggerunt aliis; propter quod et dicuntur *spiritus immundi;* unde recte *porcis* cognati sunt, secundum illud Matthaei octavo [6]: « Si eiicis nos, mitte nos in porcos ». Hi enim porci pascuntur immunditiis peccatorum, quia in hoc solo daemones delectantur; unde Ambrosius [7]: « Cibus daemonum est ebrietas, fornicatio et huiusmodi, quae blanda sunt et ad suum usum provocant, neque alia cura est luxuriosis, nisi ut ventrem suum impleant; *quorum Deus venter est* ». De his ad Philippenses tertio [8]: « Quorum Deus venter est, et gloria in confusione, qui terrena sapiunt ». Unde hos porcos pascunt homines porcini, in quibus regnat *ruditas* intelligentiae, *carnalitas* concupiscentiae, *cupiditas* avaritiae. Et tales ad modum porcorum nihil prorsus valent ad *vitam,* sed solum ad *interitum;* in cuius designationem dicitur supra octavo [9], quod « impetu magno abiit grex in stagnum et suffocatus est » etc.

Notandum.

28. (Vers. 16.). Tertio autem quantum ad *extremum genus mendicitatis* subdit: *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant.* « *Siliqua,* ut dicit Glossa [10], est genus leguminis sonoris follibus et vacuis, quod ventrem magis onerat, quam reficiat ». Et ideo designat delectationes vitiorum, quae peccatori aliquando aliquid sonare videntur exterius, sed nihil interius sunt; unde huiusmodi delectationes somniis comparantur; Isaiae vigesimo nono [11]: « Sicut somniat esuriens et comedit; cum autem expergefactus fuerit, vacua est anima eius; et sicut somniat sitiens et bibit, et postquam expergefactus fuerit, lassus adhuc sitit, et anima eius vacua est; sic erit multitudo omnium gentium, quae dimicaverunt contra montem Sion ». Has *siliquas* porci manducant, quia, Proverbiorum secundo [12], « laetantur, cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis ». Et his delectationibus tanquam deliciis suis peccator quaerit et appetit satiari; unde de talibus Iob trigesimo: « Qui rodebant in solitudine, squallentes calamitate et miseria. Et mandebant herbas et arborum cortices, et radix iuniperorum erat cibus eorum ». « Qui inter huiusmodi laetabantur et esse sub sentibus delicias computabant ». — Et quia de talibus non potest homo satiari, ideo subdit: *Et nemo illi dabat;* quia frequenter, cum peccator huiusmodi quaerit delicias, iusto Dei iudicio perdit

Tertium.

Quid siliquae.

Notandum.

[1] Scilicet *ordinaria* (ex Beda; cfr. Ambros., VII. in Luc. c. 15. n. 216; Hieron., loc. cit. n. 11. et August., II. Qq. Evangelior. q. 33. n. 2.), post quam Ioan. 14, 30. — Superius pro *civis autem* Vat. cum nonnullis codd. perperam *cuius autem.*

[2] Vers. 16. — Superius pro *quando vult* A *cum vult.*

[3] Vers. 23.

[4] Vers. 6; cfr. supra pag. 191, nota 2.

[5] Vers. 22, cui subiungitur Prov. 11, 22. — Ambros., Hieron., August., Beda, locis supra citt., per *porcos* intelligunt daemones.

[6] Vers. 31. Cfr. supra c. 8. n. 56. seq. — Superius pro *porcis cognati sunt* E *porcis comparantur.*

[7] Libr. VII. in Luc. c. 15. n. 217, ubi tantum ultima propositio (*neque alia cura est* etc.) occurrit. Cod. H legit *Ambrosius in Glossa* (scilicet *ordinaria* in Luc. 15, 16.), in qua integra haec proponitur sententia, cuius prima pars est ex Hieron., Epist. 21. (alias 146.) n. 13. In fine Glossae allegatur Phil. 3, 19. — Superius vocibus *daemones delectantur* G interserit *pascuntur et.*

[8] Vers. 19, ubi post *confusione* Vat. cum Vulgata addit *ipsorum.*

[9] Vers. 33.

[10] Scilicet *interlinearis.* Ambros., VII. in Luc. c. 15. n. 217: Quis autem aptior huiuscemodi hominibus [luxuriosis] cibus, quam is qui siliquae modo intus inanis, foris mollis est, quo corpus non reficitur, sed impletur, ut sit magis oneri quam usui?

[11] Vers. 8, ubi pro *quae dimicaverunt* codd. *qui dimicarunt.* — Superius pro *peccatori* Vat. *peccatorem.*

[12] Vers. 14. — Subinde allegantur Iob 30, 3. 4. et 7. — Hieron., Epist. 21. (alias 146.) n. 13: Quibus ideo luxuriosus adolescens non poterat saturari, quia semper voluptas famem sui habet, et transacta non satiat, et satanas, cum aliquem sua arte deceperit... ultra ad abundantiam vitiorum non procurat, sciens, esse iam mortuum etc.

illas. Unde Osee secundo [1] dicit anima peccatrix: « Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi et aquas meas et lanam meam et linum meum et oleum meum et potum meum. Propter hoc ecce, ego sepiam viam tuam spinis et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet »; et post: « Cessare faciam omne gaudium eius et neomeniam eius et

Notandum.

Sabbata eius et omnia festa eius ». Et hoc facit Deus ideo, ut peccatores a se aversos per delectationes ad se revocet per afflictiones. Unde Augustinus in libro Confessionum [2]: « Omnes, inquit, delectationes meas amaritudinibus respersisti, Domine Deus, ut quaererem sine offensione laetari et non invenirem nisi in te ». *Nemo* igitur *dat de istis siliquis*, quando peccatori subtrahitur consolatio carnalis, ut sic saltem revertatur ad cognitionem Dei et sui; et sicut inebriatus est per delectationem, sic evigilet per tribulationem, secundum illud Isaiae vigesimo octavo [3]: « Tantummodo vexatio intellectum dabit auditui »; unde et Levitici vigesimo sexto: « Immittam pestilentiam in medio vestri, et trademini in hostium manibus ». « Et comedetis et non saturabimini ».

De poenitentia filii prodigi tria.

29. (Vers. 17.). *Ipse autem in se reversus* [4]. Post descriptam filii prodigi insolentiam et miseriam describit hic tertio *eius poenitentiam* [5], quam describit valde sufficientem, scilicet quantum ad humilitatem *contritionis, confessionis* et *satisfactionis*.

Primum.

Primo igitur quantum ad *humilitatem contritionis* dicit: *Ipse autem in se reversus*, scilicet per recognitionem propriae iniquitatis, quia dolor compunctionis facit *circumspicere internam conscientiam;*

Contritio facit respicere ad tria.

propter quod dicit: *In se reversus*, secundum illud Isaiae quadragesimo sexto [6]: « Redite, praevaricatores, ad cor ». — Facit etiam dolor compunctionis *circumspicere felicitatem amissam;* propter quod addit: *Dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus!* id est, in domo Dei feliciter et suaviter vivunt. — Et nota, quod quidam sunt mercenarii *mali*, de quibus Ioannis decimo [7]: « Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est ». Isti, etsi abundant aliquando in domo summi Patris panibus materialibus, non tamen spiritualibus; propter quod Matthaei sexto: « Amen dico vobis: Receperunt mercedem suam ». Et talibus dicitur Isaiae quinquagesimo quinto: « Quare appenditis argentum non in panibus » etc. Alii sunt *mercenarii boni*, de quibus Genesis penultimo [8]: « Issachar, asinus fortis, vidit requiem, quod esset bona, et terram, quod optima, et supposuit humeros suos ». Et isti sunt qui serviunt pro mercede aeterna, et tales abundant frequenter panibus fidei, spei et caritatis, de quibus supra undecimo [9]: « Amice, commoda mihi tres panes »; et de quibus in Psalmo: « Pauperes eius saturabo panibus ». — Facit nihilominus compunctio *conspicere calamitatem propriam;* unde addit: *Ego autem hic fame pereo*, scilicet ob defectum divinae gratiae et doctrinae; et haec est magna calamitas; Threnorum quarto [10]: « Melius fuit occisis gladio quam interfectis fame, quoniam isti extabuerunt, consumti a sterilitate terrae »; et pro istis dicitur Threnorum secundo: « Leva manus tuas pro animabus parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum ». Ex hac autem afflictione compunctionis spiritus provocatur et excitatur; propter quod in Psalmo [11]: « Afflictus sum et humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei »; et sequitur: « Quoniam ego in flagella paratus sum ».

Mercenarii mali.

Mercenarii boni.

30. (Vers. 18.). Secundo quantum ad *humilitatem confessionis* subdit: *Surgam et ibo ad patrem meum et dicam illi* [12]*: Pater, peccavi in caelum;* in quo confitetur, se peccasse in *ecclesiasticam unitatem*, quae intelligitur nomine *caeli*. Nam in hac habitat Deus; Isaiae ultimo [13]: « Caelum mihi sedes

Secundum.

Confessio duplicis peccati.

---

[1] Vers. 5. seq. et deinde v. 11.

[2] Libr. II. c. 2. n. 4: Tu semper aderas, misericorditer saeviens et amarissimis aspergens offensionibus omnes illicitas iucunditates meas, ut ita quaererem sine offensione iucundari, et ubi hoc possem, non invenirem quidquam praeter te, Domine etc. Pro *amaritudinibus respersisti* (B *aspersisti*, nonnulli codd. *respexisti)* Vat. *quas amabam, respexisti.*

[3] Vers. 19, post quem Lev. 26, 25. et 26.

[4] Cfr. supra pag. 389, nota 11.

[5] Vide supra n. 21.

[6] Vers. 8. — Glossa *interlinearis* (ex Ambros., VII. in Luc. c. 15. n. 220.): *In se autem reversus*, bene in se revertitur, quia a se recessit.

[7] Vers. 13. — Duo seqq. loci sunt Matth. 6, 2. et Isai. 55, 2. Glossa *interlinearis* (ex Hieron., Epist. 21. alias 146. n. 14; cfr. Ambros., loc. cit.): *Quanti mercenarii*, id est, quanti ex Iudaeis ob praesentia bona tantum Legem custodiunt, non ex dilectione!

[8] Vers. 14. et 15, in cuius fine Vat. cum Vulgata *humerum suum.* — Glossa *ordinaria* (ex Beda): *Quanti mercenarii*, qui futurae mercedis intuitu digna operari satagunt, quotidianis supernae gratiae reficiuntur alimentis; sed *fame perit* qui extra domum patris, id est sine fide vivens, vitam beatam in inani philosophia inquirit.

[9] Vers. 5. (cfr. supra pag. 284, nota 8.) et deinde Ps. 131, 15.

[10] Vers. 9. Pro *consumti a sterilitate* A C D F G *et consumti sunt absque sterilitate.* — Sequitur Thren. 2, 19, in quo pro *animabus* (ita etiam card. Hugo) Vat. cum Vulgata *anima*, et pro *defecerunt in fame* codd. *fame et siti pereunt.* — Glossa *interlinearis: Fame pereo*, in idololatria omni veritate destituor.

[11] Psalm. 37, 9. et 18.

[12] Ita etiam Hieron., Epist. 21. (alias 146.) n. 16, Beda, IV. in Luc. 15, 18, Card. Hugo et Lyranus, sed Vat. cum Vulgata *ei.*

[13] Vers. 1, post quem Ps. 10, 5. — August., II. Qq. Evangelior. q. 33. n. 3: Deinde ait: *Surgam*, quia iacebat, *et ibo*, quia longe aberat, *ad patrem meum*, quia sub principe porcorum erat. Cetera verba sunt poenitentiam meditantis in confessione peccati, nondum tamen agentis; non enim iam dicit patri, sed dicturum se esse promittit, cum venerit... Quid ergo patri dicturum se dicit? *Pater, peccavi...* Utrum hoc est *peccavi in caelum*, quod est *coram te*, ut caelum appellaverit ipsam summitatem Patris; unde est etiam illud in Psalmo [18. 7.]: *A summo caelo egressio eius*, cum ab ipso Patre vellet intelligi? an potius *peccavi in caelum*, coram sanctis animis, in quibus est sedes Dei, *coram te* autem, in ipso penetrali interiore conscientiae?

est »; et in Psalmo: « Dominus in templo sancto suo, Dominus in caelo sedes eius ». — Confitetur etiam, se peccasse contra *divinam maiestatem;* unde addit: *Et coram te,* quia illi omnia sunt aperta; ad Hebraeos quarto [1]: « Omnia nuda et aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo ». Propter quod dicitur Proverbiorum decimo sexto: « Omnes viae hominum patent oculis eius, et spirituum ponderator est Dominus ».

31. (Vers. 19.). Et quia offensa tantae maiestatis privat nos dignitate divinae filiationis, ideo confitetur suam indignitatem, cum subdit: *Iam non sum dignus vocari filius tuus;* et hoc quidem recte et vere confitetur, quia esse filium Dei est maximae caritatis, secundum illud primae Ioannis tertio [2]: « Videte, fratres, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus ». Hoc nomine peccator est indignus, quia contempsit Patrem suum, secundum illud Isaiae primo: « Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me ». — Et quoniam verae confessionis est, non solum confiteri peccati impietatem et peccantis indignitatem, verum etiam *implorare pietatem;* ideo addit: *Fac me sicut unum de* [3] *mercenariis tuis.* — Et nota, quod hic distinguitur *filius* et *servus* et *mercenarius:* quia *filius* est qui servit ex *amore;* ad Galatas quarto [4]: « Quoniam estis filii Dei, misit Deus spiritum Filii sui » etc.; *servus,* qui ex *timore;* Malachiae primo: « Filius honorat patrem, servus autem dominum suum timebit »; sed *mercenarius* est qui servit ex *spe hereditatis aeternae,* de quo mercenario Iob septimo: « Militia est vita hominis super terram, et sicut dies mercenarii dies eius. Sicut servus desiderat umbram, et sicut mercenarius praestolatur finem operis sui, ita et ego menses vacuos et noctes laboriosas enumeravi mihi ». — Ex his igitur colligitur, quod confessio debet esse *vera* et *humilis,* ut sic *recognoscatur gravitas peccati, indignitas peccantis,* et *imploretur misericordia pii patris,* affectu scilicet humili, quia dicitur Ecclesiastici trigesimo quinto [5]: « Oratio humiliantis se nubes penetrabit ». Huius exemplum est infra decimo octavo de publicano.

Confessio propriae indignitatis. — Imploratio pietatis. — Notandum. — Corollarium.

32. (Vers. 20.). Tertio quantum ad *humilitatem satisfactionis* subiungit: *Et surgens venit ad patrem suum.* Per *surrectionem* istam intelligitur peccati desertio et quaedam elongatio ab illo, quae est satisfactionis *initium.* Nam « satisfacere est causas peccatorum excidere et eis peccandi aditum non indulgere [6] »; unde et in huius figuram adolescenti adhuc *mortuo* dictum est supra septimo: « Adolescens, tibi dico, surge », ut sic deseratur *culpa.* Homini similiter *contracto* dictum est Ioannis quinto: « Surge, tolle grabatum tuum et ambula », ut sic relinquatur *peccatorum sequela.* Similiter Petro *compedito* dictum est Actuum duodecimo [7]: « Surge velociter »; ut sic relinquatur *peccati occasio* seu mala societas et consuetudo. Propter quae peccatori dicitur ad Ephesios quinto: « Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis » etc. — Et quia [8] « minus est mala non agere, nisi quisque etiam studeat bonis operibus insudare », protinus subditur: *Venit ad patrem suum,* per ipsius imitationem; Ioannis decimo quarto [9]: « Nemo venit ad Patrem nisi per me ». *Venit,* inquam, ut qui prius recesserat superbe praevaricando, nunc ad patrem veniat humiliter satisfaciendo, secundum illud Isaiae sexagesimo [10]: « Venient ad te omnes, qui detrahebant tibi, et adorabunt vestigia pedem tuorum » etc. Omnis, qui sic venit, a Deo *trahitur;* Ioannis sexto: « Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum »; et sic *tractus adiuvatur;* Iob vigesimo tertio [11]: « Quis mihi tribuat, ut cognoscam et inveniam illum et veniam usque ad solium eius »? et sic *adiutus suscipitur;* Ioannis sexto: « Eum qui venit ad me, non eiiciam foras ».

Tertium. — Satisfactionis initium. — Ipsius perfectio.

33. *Cum autem adhuc longe esset.* Post descriptam insolentiam, miseriam et poenitentiam hic quarto describitur *pii patris misericordia* [12]. Dividitur autem haec pars in duas. In quarum prima describitur *misericordia pii patris* in *acceptando conversionem peccatoris;* secundo, in *placando indignationem obedientis,* ibi [13]: *Erat autem filius eius senior* etc.

De patris misericordia duo. — Divisio.

*Misericordiam* autem *acceptantem filii prodigi conversionem* manifestat Evangelista quantum ad triplicem actum, scilicet primo, in *suscipiendo indignum;* secundo, *in vestiendo nudum,* ibi [14]: *Dixit autem pater ad servos suos;* tertio vero, in *reficiendo famelicum,* ibi: *Et adducite vitulum saginatum.* Nam is est ordo reparationis animae per

Primo, acceptatio conversionis filii describitur tripliciter.

---

[1] Vers. 13, cui subnectitur Prov. 16, 2.

[2] Vers. 1, in quo pro *Pater* C D F H *Deus.* — Sequitur Isai. 1, 2. Hieron., Epist. 21. (alias 146.) n. 16: Peccaverat *in caelum* qui Ierusalem caelestem reliquerat matrem. Peccaverat *coram patre* qui, Conditore deserto, fuerat ligna veneratus. Non erat dignus *vocari filius Dei* qui servus esse maluerat idolorum. Omnis enim, *qui facit peccatum, de diabolo patre natus est* [1. Ioan. 3, 8.].

[3] Codd. A C D F *ex.* — Inferius pro *nota, quod hic distinguitur* D F H *nota hic* [H omittit *hic*], *quod differt.*

[4] Vers. 6. — Subinde allegantur Malach. 1, 6. (in cuius fine Vat. cum Vulgata *et servus dominum suum)* et Iob 7, 1-3. Eadem distinctio insinuatur a Glossa *ordinaria* apud Lyranum in Luc. 15, 19, de qua vide Ambros., VII. in Luc. c. 15. n. 228.

[5] Vers. 21. et deinde Luc. 18, 13. seq.

[6] De hac definitione Augustino tributa (est tamen Gennadii) cfr. IV. Sent. d. 15. p. II. a. 1. q. 1; in ipsa A D omittunt *peccandi.* — Duo seqq. loci sunt Luc. 7, 14. et Ioan. 5, 8. — Glossa *interlinearis: Et surgens,* sicut deliberavit, ita implet.

[7] Vers. 7. — Sequitur Eph. 5, 14. — Inferius pro *peccati occasio* Vat. cum nonnullis codd. *peccandi occasio.*

[8] Ut dicit Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 13. n. 1.

[9] Vers. 6.

[10] Vers. 14. — Subinde allegatur Ioan. 6, 44.

[11] Vers. 3. et deinde Ioan. 6, 37.

[12] Cfr. supra n. 21.

[13] Vers. 25.

[14] Vers. 22; tertium habetur v. 23.

donum misericordiae paternae, quod primo *suscipitur* ad benignitatem gratiae; secundo *vestitur* vestimento iustitiae; tertio *reficitur* suavitate laetitiae et iucunditatis internae. — Circa *misericordiam* igitur *suscipientem indignum* duo introducuntur, scilicet *clementia patris suscipientis* et *reverentia*[1] *filii se ipsum accusantis*.

De misericordia suscipiente indignum duo.

34. Primo igitur quantum ad *clementiam patris suscipientis* dicit: *Cum autem adhuc longe esset*, propter culpam a Deo elongantem; Psalmus[2]: « Longe a salute mea verba delictorum meorum »; et rursus: « Longe a peccatoribus salus, quia iustificationes tuas non custodierunt ». — *Vidit illum pater ipsius et misericordia motus est*, infundendo *gratiam praevenientem*, de quo respectu infra vigesimo secundo[3]: « Respexit Dominus Petrum »; « et egressus foras Petrus flevit amare ». Et de hoc Exodi tertio: « Vidi afflictionem populi mei, qui est in Aegypto, et descendi, ut liberem eum ». Hunc respectum petebat Propheta, cum dicebat[4]: « Vide humilitatem meam et laborem meum et dimitte universa delicta mea »; et rursus: « Respice in me et miserere mei » etc. — *Et accurrens cecidit super collum eius*, per *gratiam concomitantem*; quasi dicat: amplexatus est eum, secundum illud Canticorum secundo[5]: « Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me »; et hoc est per *gratiam concomitantem*, quae adiuvat ad portandum iugum divinae legis. Unde Ambrosius[6]: « *Super collum* filii cecidit, dum leve iugum dilectionis sibi imposuit ». Hoc enim *iugum* adiuvat ad portandum onus. *Amplexus* divini brachii est humanitas Verbi incarnati; unde Glossa[7]: « Brachium, id est Filium, in amplexum revertentis humiliavit »; de quo brachio in Psalmo: « Salvavit sibi dextera eius et brachium sanctum eius ». Et per istum *amplexum* solvuntur vincula peccatorum, secundum illud Isaiae quinquagesimo secundo: « Solve vincula colli tui, captiva filia Sion ». — *Et osculatus est eum*, per *gratiam* scilicet *subsequentem*; osculum enim signum est amoris et pacis. Unde Beda[8]: « Rediens osculum caritatis a patre accipit, dum per gratiam certificatur de indulgentia », secundum illud ad Ephesios primo: « In quo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae ». Hoc osculum amoris et pacis petit sponsa Canticorum primo: « Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt » etc. In hoc nimius[9] apparet pietatis affectus, quo Deus Pater peccatori redeunti maximum ostendit dilectionis indicium. Et per hoc cognoscit Deus Pater, si sumus eius filii, cum libenter osculamur eum per amorem mutuum; Genesis vigesimo septimo[10]: « Accede ad me et da mihi osculum, fili mi; et accessit et osculatus est eum »; et sequitur, quod « benedixit ei »; quia benedictionis plenitudo ex hoc osculo procedit. Unde in Psalmo: « Benedixisti, Domine, terram tuam »; et subditur: « Misericordia et veritas obviaverunt sibi, iustitia et pax osculatae sunt ». Istius deosculationis origo est in Verbo incarnato, in quo est unio summi amoris et connexionis duplicis naturae, per quam Deus nos osculatur, et nos Deum deosculamur, secundum illud Canticorum octavo[11]: « Quis mihi det te fratrem meum, ut inveniam te foris et deosculer te, et iam me nemo despiciat » etc.

Clementia patris. — Gratia praeveniens. — Gratia concomitans. — Gratia subsequens. — Notandum. — Notandum.

35. (Vers. 21.). Secundo quantum ad *reverentiam filii se ipsum accusantis* subdit: *Dixitque filius ei: Pater, peccavi in caelum*, scilicet per *contemptum Maiestatis* omnibus praesidentis; Iob undecimo[12]: « Excelsior caelo est, et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces »? et vigesimo secundo: « An ignoras, quod Deus excelsior caelo sit » etc. *In caelum* ergo peccat qui Deum caeli contemnit; unde dicitur primi Esdrae nono[13]: « Iniquitates meae multiplicatae sunt super caput meum, et delicta nostra creverunt usque ad caelum » etc. *Et coram te*, per *contemptum Veritatis* omnia speculantis; Ecclesiastici vigesimo tertio[14]: « Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum

Reverentia filii. — Contemptus Maiestatis. — Item, Veritatis.

---

[1] Vat. *reversio*.

[2] Psalm. 21, 2. et deinde Ps. 118, 155, ubi pro *non custodierunt* Vulgata *non exquisierunt*; cfr. v. 158.

[3] Vers. 61. et 62. Pro *et egressus foras Petrus* (ita Vat.) codd. *et conversus Petrus*. Vulgata legit: *Et conversus Dominus respexit Petrum... et egressus foras Petrus* etc. — Sequitur Exod. 3, 7. seq.

[4] Psalm. 24, 18, et 85, 16.

[5] Vers. 6.

[6] Libr. VII. in Luc. c. 15. n. 230; sententia ipsius exhibetur verbis Glossae *ordinariae* in Luc. 15, 20. Cfr. Hieron., Epist. 21. (alias 146.) n. 20.

[7] Scilicet *ordinaria* secundum Bedam, qui sequitur August., II. Qq. Evangelior. q. 33. n. 4: Quid est autem *super collum eius cadere*, nisi inclinare et humiliare in amplexum eius brachium suum? *Et brachium Domini cui revelatum est* [Isai. 53, 1.]? quod est utique Dominus noster Iesus Christus. Cfr. Hieron., loc. cit. — Duo seqq. loci sunt Ps. 97, 1. et Isai. 52, 2. — Superius pro *est humanitas* fere omnes codd. *id est humanitas* (C D H *humilitas*).

[8] Libr. IV. in Luc. 15, 20, ubi sequitur August., loc. cit. Sententia Bedae exhibetur verbis Glossae *ordinariae*. — Subinde allegantur Eph. 1, 13. seq. et Cant. 1, 1. — De gratia *praeveniente* etc. cfr. II. Sent. d. 27. dub. 1.

[9] Ita A D F, C *nimis*, G *mirus*, H *multus*, Vat. *magnus*.

[10] Vers. 26. et 27, post quos Ps. 84, 2. et 11. — Superius pro *amorem mutuum* (ita A C D) alii codd. *amorem unitivum*, Vat. *amorem intimum et unitivum*, H hanc propositionem cum allegatione Gen. 27. et Ps. 84. omittit, et in fine seq. propositionis post verba *Cant. 8, 1.* adiungit: *Ista vero deosculatio fit per mutuum amorem, quia in osculo duo conveniunt*.

[11] Vers. 1, in quo vocibus *te foris* C D F H interserunt *solum*. — Cfr. Bernard., Serm. 1. in Cant. n. 1. seqq.

[12] Vers. 8. et 22, 12. Cfr. supra n. 30.

[13] Vers. 6, ubi Vat. cum Vulgata: *Iniquitates nostrae... caput nostrum*. Pro *delicta nostra* H *delicta mea*.

[14] Vers. 28. et 29. Pro *super solem* A C D cum Septuaginta *sole*, et pro *omnium corda* Vat. cum Vulgata *hominum corda*.

abyssi, et omnium corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo nostro, antequam crearentur, omnia sunt agnita, sic et post perfectum inspicit omnia »; Psalmus[1]: « Tibi soli peccavi et malum coram te feci ». — *Iam non sum dignus vocari filius tuus*, propter *contemptum Bonitatis* omnibus providentis; Sapientiae duodecimo[2]: « Tu autem, Dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas et cum magna reverentia disponis nos. Subest enim tibi, cum volueris, *posse*. Docuisti autem populum tuum, quoniam oportet, iustum esse et humanum, et bonae spei fecisti filios tuos, quoniam iudicans das locum in peccatis poenitentiae ». Quia igitur contempsi hanc summam bonitatem, cuius est dare « spiritum adoptionis filiorum », secundum illud ad Romanos octavo[3]: « Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum »; cuius etiam est regenerare per aquam et Spiritum sanctum in regnum filiorum Dei, secundum illud ad Colossenses primo: « Eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum filii caritatis suae »: *iam non sum dignus vocari filius tuus.*

Item, Bonitatis.

Memoria propriae indignitatis.

36. Et nota, quod licet pater sibi occurrat, collum stringat per amplexum, licet suscipiat ad osculum, tamen verus poenitens nunquam obliviscitur suum peccatum, secundum illud Psalmi[4]: « Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo et cogitabo pro peccato meo ». Licet autem recognoscat, nihilominus anhelat ad *caritatem perfectam*. Et ideo non petit hic *dilectionem mercenariam*, sicut supra[5] faciebat, cum non haberet adhuc gratiam infusam. Sed nunc ad patrem plene conversus, tanquam vere poenitens commendat et postulat gratiam divinam; et hoc est quod dicit Glossa[6]: « Vult, inquit, per gratiam fieri quod fatetur se indignum per meritum », sicut ille poenitens petiit secundi Paralipomenon ultimo: « Nunc flecto genua mea coram te, precans bonitatem tuam. Peccavi, Domine, et iniquitatem meam agnosco; peto rogans: Domine, remitte mihi, ne simul perdas me cum iniquitatibus meis neque in aeternum reserves mala mihi, quia indignum salvabis me secundum magnam misericordiam tuam, et laudabo te semper omnibus diebus vitae meae; quoniam te laudat virtus caelorum, et tibi est gloria in saecula saeculorum ».

Petitio perfectae caritatis.

De patris misericordia vestiente eodem duo.

37. (Vers. 22.). *Dixit autem pater ad servos suos.* Post ostensam misericordiam patris in suscipiendo indignum subditur hic *misericordia in vestiendo nudum*[7]. Et quoniam peccator nudatur a *veste interioris puritatis* et *ornatu exterioris honestatis;* ideo quantum ad haec duo ostendit, filium prodigum per patris misericordiam relevari.

Vestis interioris puritatis.

Primo igitur quantum ad *vestem interioris puritatis* dicit: *Dixit autem pater ad servos suos: Cito proferte stolam primam et induite illum. Prima stola* est vestis *interioris puritatis*, qua mens nostra debet indui et qua a principio suae conditionis induta fuit. Unde Beda[8]: « Stola prima vestis est innocentiae, in qua primus homo conditus est; sed post culpam se nudum novit et pellicium, id est, mortale sumsit indumentum ». De hoc puritatis indumento dicitur Apocalypsis tertio[9]: « Vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuae ». His vestimentis induitur qui se per divinae gratiae adiutorium in puritate custodit, secundum illud Apocalypsis tertio: « Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua; et ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt ». Haec autem puritatis vestis datur per susceptionem Sacramentorum, scilicet *baptismi*, qui omnes sordes abluit — in cuius designatione baptizatus alba veste vestitur — et etiam *poenitentiae*, quae « ad baptismi puritatem conatur reducere », ut dicit Augustinus[10]. Et quia haec dispensatio Sacramentorum fit per diligentiam ministrorum, ideo dicitur, quod *pater dixit servis*, id est ministris. Nam sic dixit Ioannis vigesimo[11]: « Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata » etc.

Notandum.

38. Secundo quantum ad *ornatum honestatis exterioris* subditur: *Et date anulum in manu*[12] *eius*, per *pulcritudinem pudicitiae; anulus* enim *in manibus* significat desponsationem per castum amorem[13]. Ex quo intelligimus, quod *anulum in manu*

Ornatus exterioris honestatis.

De anulo.

---

[1] Psalm. 50, 6.

[2] Vers. 18. et 19.

[3] Vers. 15. — Subinde allegatur Col. 1, 13.

[4] Psalm. 37, 18. et 19.

[5] Num. 31. August., II. Qq. Evangelior. q. 33. n. 4: Non addit quod in illa meditatione dixerat: *Fac me sicut unum de mercenariis tuis...* quod post osculum patris generosissime iam dedignatur.

[6] Scilicet *interlinearis* (ex Beda, qui sequitur August., II. Qq. Evangelior. q. 33. n. 4.): *Cupit per gratiam... indignum se esse per meritum.* — Sequitur *II. Paralip. ult.* (ita codd.), sed est *Oratio Manasse*, in qua Vulgata hinc inde plura addit. — Superius verbo *commendat* Vat. praefigit *se.*

[7] Cfr. supra n. 33.

[8] Libr. IV. in Luc. 15, 22, sententia tamen Bedae exhibetur verbis Glossae *ordinariae;* respicitur in ipsa Gen. 3, 7.

[9] Vers. 18. — Subinde allegatur Apoc. 3, 4; Vat. addit v. 5.

[10] Libr. de Vera et falsa Poenitentia (inter opera August.), c. 9. n. 24; cfr. IV. Sent. lit. Magistri, d. XV. c. 7.

[11] Vers. 22. seq. — August., II. Qq. Evangelior. q. 33. n. 5: « *Stola prima* est dignitas, quam perdidit Adam; *servi, qui eam proferunt*, reconciliationis praedicatores ». Glossa *interlinearis: Dixit... ad servos suos*, coadiutores in vinea, *cito proferte*, certificate de hereditate immortalitatis habenda, *stolam primam*, id est vestem Spiritus sancti (cfr. Hieron., Epist. 21. alias 146. n. 23.) — Superius pro *id est ministris* (ita D) alii codd. et Vat. *et ministris*, H legit: *pater dixit ad servos suos, id est ad ministros.*

[12] Ita etiam Hieron. (Epist. 21. alias 146. n. 24.), Beda, Card. Hugo, B. Albert., Gorranus et Lyranus; Vulgata *in manum.*

[13] Ita D a secunda manu; primitus post *desponsationem* additum habebat *hunc*, A *habens*, C *ac hunc*, H *quae fit*, Vat. cum aliis codd. legit *ac per hoc castum amorem.*

Notandum.

portat qui pudicitiam in operibus suis servat. Haec pudicitia, etsi appareat in integritate carnis, maxime consistit in integritate *fidei*, secundum illud secundae ad Corinthios undecimo [1]: « Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo ». Unde *anulus* est fidei signaculum, quo anima subarrhatur, ut opera eius placeant Christo; quia, ad Hebraeos undecimo, « sine fide impossibile est placere Deo ». Ideo et beata Agnes dicebat [2]: « Anulo fidei suae subarrhavit me ». Tunc autem anulus est *in manu*, quando fides relucet in operatione; quia, Iacobi secundo [3], « fides sine operibus mortua est ». Unde Glossa Ambrosii: « *Anulum*, id est signaculum fidei, quo signantur promissa in cordibus fidelium; *date in manu*, id est in operatione, ut per opera fides clarescat, et per fidem opera confirmentur ». In cuius rei designationem, Genesis quadragesimo primo [4], « tulit anulum Pharao de manu sua et dedit eum in manu Ioseph ». — Et quia non sufficit, quod aliquis sit pudicus in operibus suis, nisi etiam sit *obediens et humilis*, ideo subdit: *Et calceamenta in pedes* [5], per *promptitudinem* scilicet *obedientiae*; qui enim calceatus est promptus est ad itinerandum; propter quod ad Ephesios sexto: « Calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis ». Tunc autem ista obedientia est maxime placita, quando fit ex affectu filiali; Canticorum septimo [6]: « Quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis »! Et quia nullus est idoneus ad transeundum « ex hoc mundo ad Patrem [7] », nisi qui habet promptitudinem obedientiae; ideo in esu paschalis agni haec datur forma Exodi duodecimo: « Renes vestros accingetis et calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinanter: Est enim phase, id est transitus Domini ».

Anulus in manu.

De calceamentis.

Applicatur ad praedicatores.

39. Et haec obedientia maxime requiritur in *praedicatoribus* exemplo Christi et Sanctorum; Isaiae quinquagesimo secundo [8]: « Quam pulcri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem, annuntiantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Dominus »! Unde Beda [9]: « *Calceamenta in pedes*, id est exempla priorum munite in officio praedicandi, ut et opus eius bene vivendo ornetur et cursus ad aeterna praeparando ». Unde quia calceamenta fiunt de pellibus animalium mortuorum et per hoc possunt designare *exempla patrum*, sicut hic dicit Beda in Glossa [10]; ideo dicitur, quod *dentur in pedes*. Quia designare possunt *vetustatem peccati*, ideo dicitur Moysi Exodi tertio [11]: « Tolle calceamentum de pedibus tuis »; et supra decimo: « Nolite portare neque sacculum neque calceamenta ». Unde supra [12] loquitur de calceamentis *ad litteram*, hic autem per *similitudinem parabolicam*.

De patris misericordia reficiente famelicum duo.

40. (Vers. 23.). *Et adducite vitulum saginatum*. Post misericordiam in suscipiendo indignum et vestiendo nudum subditur hic *misericordia in reficiendo famelicum* [13]. Et hoc recto ordine, quia post remissionem culparum et vestitionem virtutum sequitur *divinarum oblectatio deliciarum*, quae consurgit ex duplici consideratione, scilicet ex consideratione *Salvatoris nostri* et *hominis salvati*.

Primo, consideratio Salvatoris.

Primo igitur quantum ad *considerationem Salvatoris nostri* Christi dicit: *Adducite vitulum saginatum et occidite. Vitulus* iste *saginatus* est Christus pro nobis occisus, qui nobis in Sacramento altaris proponitur in cibum suavissimum. Christus autem dicitur *vitulus*, quia pro peccatis oblatus; Levitici primo [14]: « Immolabit vitulum coram Domino, et offerent filii Aaron sacerdotes sanguinem eius, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium

Christus vitulus saginatus.

---

[1] Vers. 2. — Sequitur Hebr. 11, 6. — Cfr. Epist. 35. seu Homilia de duobus filiis frugi et luxurioso (inter opera Hieron.) c. 10.

[2] Ut refertur in Breviar. Romano, pro festo S. Agnetis (21. Ianuar.) I. Noct. Resp. 3. et habetur in Epist. 1. ex Ambrosianarum numero segregatarum, n. 3.

[3] Vers. 26. — Glossa seq. est *ordinaria*, cuius initium tantum exhibetur ab Ambrosio (VII. in Luc. c. 15. n. 231: *Anulus* quid est aliud nisi sincerae fidei signaculum et expressio veritatis?), cetera sunt Bedae, IV. in Luc. 15, 22.

[4] Vers. 42.

[5] Vat. cum Vulgata addit *eius*, quod etiam Beda omittit; Hieron., Epist. 21. (alias 146.) n. 25. et Gorranus *in pedibus eius* (cfr. supra pag. 396, nota 12.). — Subinde allegatur Eph. 6, 15.

[6] Vers. 1.

[7] Ioan. 13, 1. — Sequitur Exod. 12, 11.

[8] Vers. 7. — Glossa *ordinaria* (secundum Hieron., Epist. 21. alias 146. n. 25.) apud Lyranum in Luc. 15, 22; *Et calceamenta*, ne coluber invadat, ut super scorpiones eat, ut ei conveniat [Isai 52, 7.]: *Quam speciosi pedes evangelizantium* etc.

[9] Libr. IV. in Luc. 15, 22; sententia eius exhibetur verbis Glossae *ordinariae* in Luc. 15, 22, in qua pro *exempla priorum* plures codd. *exemplo priorum*. Vat. non verba Glossae, sed ipsius Bedae affert. Gregor., XXXIV. Moral. c. 9. n. 19: Calceamentum quippe in Scriptura sacra munimen praedicationis accipitur, sicut scriptum est [Eph. 6, 16.]: *Calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis*. Cfr. Ambros., VII in Luc. c. 15. n. 231, et August., II. Qq. Evangelior. q. 33. n. 5.

[10] Vide notam praecedentem. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 22. n. 9: Quid sunt enim *pedes* nostri nisi opera? Quid vero *calceamenta* nisi pelles mortuorum animalium? Calceamenta autem pedes muniunt. Quae vero sunt mortua animalia, ex quorum pellibus nostri muniuntur pedes, nisi antiqui Patres, qui nos ad aeternam patriam praecesserunt? Quorum dum exempla conspicimus, nostri operis pedes munimus. *Calceamenta* igitur in *pedibus habere* est mortuorum vitam conspicere et nostra vestigia a peccati vulnere custodire. — Superius pro *designare* A C E H *designari*, et subinde ante *patrum* Vat. ponit *priorum*.

[11] Vers. 5. et Luc. 10, 4, quem Gregor. (I. Homil. In Evang. homil. 17. n. 5.) ita exponit: Quid vero per *peram* nisi onera saeculi; et quid hoc loco per *calceamenta* nisi mortuorum operum exempla signantur? — Superius vocibus *Quia designare* H interserit *etiam*; Vat. legit: *sicut hic dicit Beda in Glossa. Quia vero dicuntur dari in pedes, designare* etc.

[12] Cap. 10. n. 8.

[13] Cfr. supra n. 33.

[14] Vers. 5.

tabernaculi ». Dicitur autem *saginatus*, quia omnibus bonis repletus et suavissimus ad spiritualem cibum; unde Glossa [1]: « Christus vitulus saginatus, omni spirituali virtute opimus, ut pro totius mundi salute sufficiat ». De hoc in figura Genesis decimo octavo de convivio Angelis facto ab Abraham dicitur, quod « cucurrit Abraham ad armentum et attulit inde vitulum tenerrimum et optimum ». Hunc vitulum *adducunt* servi Christi *et occidunt*, quando in altari immolant pro salute peccatorum et nobis exponunt in cibum; unde Glossa [2]: « Semper Christus credentibus immolatur ». Vel tunc *adducitur et occiditur*, quando mors eius et Sacramentum altaris ad memoriam per praedicatorem revocatur et ad sustentationem et cibum. Unde Beda [3]: « Praedicate Christum natum et mortem eius insinuate, ut et corde credat occisum imitando et ore percipiat passionis Sacramentum ad emendationem ». Unde etsi omnes Christiani habeant refectionem in passione Christi, illi potissime oblectantur, qui per illam se a maioribus malis et periculis et peccatis ereptos et liberatos vident. — Et ideo subdit: *Et manducemus et epulemur*, non convivio *carnali*, de quo dicunt impii: « Comedamus et bibamus, cras enim moriemur », secundum quod dicit Isaias vigesimo secundo [4]; sed *spirituali*, de quo primae ad Corinthios quinto: « Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur non in fermento veteri neque in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis »; de quo Canticorum quinto: « Comedite, amici, et inebriamini, carissimi ». — In hoc convivio Christus est *cibus*, *conviva* et *dispensator*, quia ipse delectatur nobiscum, et nos cum ipso, et hoc faciente ipso; Apocalypsis tertio [5]: « Ecce, sto ad ostium et pulso. Si quis aperuerit mihi, intrabo et coenabo cum illo, et ipse mecum ».

Immolatur in altari.

Notandum.

41. (Vers. 24.). Secundo quantum ad *considerationem hominis salvati* subdit: *Quia hic filius meus mortuus fuerat* [6], per *culpam*, quae mortuos facit; Psalmus: « Non mortui laudabunt te, Domine »; et iterum Ioannis octavo: « In peccato vestro moriemini ». *Et revixit*, per *poenitentiam;* ad Ephesios quinto [7]: « Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus »; et Psalmus: « Auferes spiritum eorum, et deficient ». « Emitte spiritum tuum » etc. *Perierat*, per *amissionem iustitiae;* ad Romanos secundo [8]: « Qui sine Lege peccaverunt sine Lege peribunt »; et secundae Petri secundo: « In corruptione sua peribunt, percipientes mercedem iniustitiae suae ». *Et inventus est*, per *recuperationem gratiae*, secundum illud Iob trigesimo tertio [9]: « Inveni, in quo ei propitier ». Et hoc facit Dominus, cum gratiam suam infundit in animam; Psalmus: « Inveni David servum meum; oleo sancto meo unxi eum ». — Et quia de hoc est omnibus gaudendum, ideo subdit: *Et coeperunt omnes manducare et epulari* [10]. Beda: « Non solum filius, pro quo vitulus occisus est, reficitur, sed et pater et servi eius, quia refectio Dei et Sanctorum est salus peccatorum ». In cuius rei figuram dicitur Deuteronomii decimo sexto [11]: « Epulaberis in festivitate tua, tu et filius tuus et filia tua et servus tuus et ancilla tua, Levites quoque, advena et pupillus et vidua, qui intra portas tuas sunt » etc.

Secundo, consideratio hominis salvati.

Notandum.

Figura.

42. *Erat autem filius eius* etc. Postquam ostendit misericordiam pii patris in acceptando conversionem poenitentis, hic secundo ostendit *misericordiam eius in placando indignationem filii obedientis* [12]. Dividitur autem haec pars in duas. In quarum prima exprimitur *impatientia filii* ad indignationem concipiendam; secundo, *clementia patris* ad indignationem placandam, ibi [13]: *Pater ergo illius egressus* etc. — Circa *impatientiam filii indignati* tria introducit Evangelista, ex quibus indignatio illa originem traxit, scilicet *difficultatem laboris peracti*, *solemnitatem gaudii auditi* et *liberalitatem paterni beneficii indicati;* ex quorum consideratione incidit ille filius maior in indignationem.

Secundo, placatio indignationis filii senioris describitur per duo.

Divisio.

Primo, de impatientia filii tria.

43. (Vers. 25.). Primo igitur quantum ad *difficultatem laboris peracti* dicit: *Erat autem filius eius senior in agro. Filius* iste *senior* dicitur ille qui moribus maturior est, patri conformior et obedientior; quia, Sapientiae quarto [14], « cani sunt sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculata ». Et quia bona

Difficultas laboris peracti.

---

[1] Scilicet *interlinearis* (ex Beda). Cfr. Epist. 35. seu Homilia de duobus filiis etc. (inter opera Hieron.) c. 11. — Subinde allegatur Gen. 18, 7, in quo pro *inde* C D F G *unum*.

[2] Nempe *interlinearis* ex Hieron., Epist. 21. (alias 146.) n. 27, qui etiam n. 26. ait: Vitulus saginatus, qui ad poenitentis immolatur salutem, ipse Salvator est, cuius quotidie carne pascimur, cruore potamur.

[3] Libr. IV. in Luc. 15, 23, qui sequitur August., II. Qq. Evangelior. q. 33. n. 5; sententia ipsius exhibetur verbis Glossae *ordinariae* (H legit *Beda in Glossa*), quae omittit *natum* (ita et H); fere omnes codd. post *insinuate* omittunt *ut*, quod tamen Glossa et H habent. Vat. verba *Bedae* affert, quae etiam immediate post Glossam pro *Unde etsi* substituit *Ceterum etsi*, H *Verum etsi*.

[4] Vers. 13. — Duo seqq. loci sunt I. Cor. 5, 7. et Cant. 5, 1.

[5] Vers. 20.

[6] Ita etiam Ambros., VII. in Luc. c. 15. n. 234, et Hieron., Epist. 21. (alias 146.) n. 26; cfr. B. Albert.; Vulgata *erat*. — Subinde allegantur Ps. 113, 17. et Ioan. 8, 24.

[7] Vers. 14, post quem Ps. 103, 29. et 30.

[8] Vers. 12, cui subiunguntur II. Petr. 2, 12. et 13.

[9] Vers. 24, in cuius fine Vat. cum nonnullis codd. *propitiet ei*. — Sequitur Ps. 88, 21.

[10] Vat. cum Vulgata: *Et coeperunt epulari*, H cum S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 15. n. 4.) et Gorrano: *Et coeperunt omnes epulari;* cfr. v. 23. — Sententia Bedae habetur IV. in Luc. 15, 24. et exhibetur etiam in Glossa *ordinaria;* cfr. Ambros., IV. in Luc. c. 15. n. 233.

[11] Vers. 14.

[12] Cfr. supra n. 33.

[13] Vers. 28.

[14] Vers. 8. et 9. — Hieron., Epist. 21. (alias 146.) n. 28: Quem [seniorem filium] multi simpliciter ad omnium Sanctorum personam, multi proprie ad Iudaeos referunt etc.

vita nunquam est otiosa [1], ideo dicit, quod erat *in agro,* scilicet ad laborandum, ut posset dicere illud Zachariae decimo tertio: « Homo agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea ». Unde in agro laborabat secundum Sapientis consilium, Proverbiorum duodecimo [2]: « Qui operatur terram suam saturabitur panibus »; et Proverbiorum vigesimo quarto: « Praepara foris opus tuum et diligenter exerce agrum tuum »; quia sic dictum est homini Genesis tertio: « In sudore vultus tui vesceris pane tuo ».

Solemnitas gaudii auditi.

44. Secundo quantum ad *solemnitatem gaudii auditi* subdit: *Et cum veniret et appropinquaret domui, audivit symphoniam et chorum.* Per *domum* istam intelligitur congregatio iustorum; Psalmus [3]: « Deus in loco sancto suo, Deus, qui inhabitare facit unius moris in domo »; et primae ad Timotheum tertio: « Ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis ». In hac domo auditur *symphonia et chorus* per concordem laetitiam quantum ad conformitatem interiorem et exteriorem morum, animorum et sermonum. « Est enim *symphonia* concordia et collectio quorumcumque sonorum [4] », et designat laetitiam, quae venit ex *concordia animorum.* Unde et Ambrosius: « Symphonia est diversarum aetatum et virtutum velut variarum chordarum indiscreta concordia, secundum quod dicitur Actuum quarto: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una* ». « *Chorus* vero est collectio vocum [5] » et significat laetitiam, quae venit ex *concordia vocum et verborum* in praedicando et laudando Deum, secundum illud Prophetae in Psalmo [6]: « Laudate eum in tympano et choro », et hoc est in sancta Ecclesia; primae ad Corinthios primo: « Obsecro, ut id ipsum dicatis omnes ». Et de his duobus dicitur ad Philippenses secundo: « Si qua consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis; implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes ».

In domo Ecclesiae symphonia.

Item, chorus.

Quid sit appropinquatio.

— Hanc ergo harmoniam iucundam in hac domo Dei audit qui ad illam *appropinquat. Appropinquatio* autem ista est per considerationem sacrae Scripturae, quae quasi est quoddam ostium ad cognoscendum ea quae sunt intra unitatem sanctae Ecclesiae; Ecclesiastici ultimo [7]: « Appropinquate ad me, indocti, et congregamini in domo disciplinae ». Et tunc, quando quis attendit Scripturam, in ipsa audit istius Ecclesiae concordiam et harmoniam intra eius membra; quia tota Scriptura nihil aliud docet quam caritatis concordiam et harmoniam, secundum illud Matthaei vigesimo secundo [8]: « In his duobus mandatis » etc.; et ad Romanos decimo tertio: « Qui diligit proximum legem implevit ». Nam primae ad Timotheum primo: « Finis praecepti est caritas de corde puro » etc.

Indicatio paterni beneficii.

45. (Vers. 26.). Tertio quantum ad *liberalitatem paterni beneficii indicati* subdit: *Et vocavit unum de servis et interrogavit, quae* [9] *haec essent.* Iste *unus servus* vocatus est ordo praedicantium et docentium, de quo servo supra decimo quarto [10]: « Misit servum suum hora coenae dicere invitatis »; ubi Glossa: « Servus est ordo praedicantium »; ab hoc servo requirenda sunt ecclesiastica Sacramenta et mysteria Scripturarum, quia, Malachiae secundo [11], « labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est ».

Quid sit servus.

Tria praedicata in Scriptura.

46. (Vers. 27.). Et quoniam verus praedicator est annuntiator praecipuus divinae pietatis, ideo subdit: *Isque dixit illi: Frater tuus venit,* per *humilitatem poenitentiae;* Isaiae vigesimo primo [12]: « Si quaeritis, quaerite; convertimini et venite »; et sexagesimo: « Filii tui de longe venient, et filiae tuae de latere surgent ». — *Et occidit pater tuus vitulum saginatum,* per *refectionem eucharistiae,* secundum illud Ioannis sexto [13]: « Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem » etc. — *Quia salvum illum recepit,* per *recuperationem iustitiae,* quam solus Christus potest restituere, secundum illud Actuum quarto [14]: « Non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri ». Haec autem tria praedicat *sacra Scriptura* tota, scilicet poenitentiam, gratiam et salutem. Unde *praecursor Christi* haec praedicabat, scilicet: « Agite poenitentiam [15] », et promittens gratiam et salutem; similiter et *ipse Christus:* « Poenitentiam agite »; similiter et *universus chorus Apostolorum,*

---

[1] Cfr. supra pag. 186, nota 14. et pag. 295, nota. 4. — Sequitur Zach. 13, 5.

[2] Vers. 11, post quem 24, 27. et Gen. 3, 19.

[3] Psalm. 67, 6. seq. et deinde 1. Tim. 3, 15.

[4] Ut dicit Glossa *interlinearis* (cfr. Hieron., Epist. 21. alias 146. n. 29.), quae pro *concordia et collectio* substituit *collatio.* Cod. B huic definitioni praemittit *Glossa.* — Sententia Ambrosii habetur VII. in Luc. c. 15. n. 248. et allegatur ex Glossa *ordinaria* apud Lyranum. Sequitur Act. 4, 32. Pro *diversarum aetatum* ed. Maurin. op. Ambrosii *diversorum actuum.*

[5] Secundum Glossam *interlinearem.*

[6] Psalm. 150, 4. — Duo seqq. loci sunt I. Cor. 1, 10. et Phil. 2, 1. seq.

[7] Vers. 31, in cuius fine Vat. cum Vulgata *et congregat vos in domum disciplinae.*

[8] Vers. 40, cui subnectuntur Rom. 13, 8. et I. Tim. 1, 5.

[9] Ita etiam Beda, Card. Hugo et B. Albert.; Vat. cum Vulgata *quid.*

[10] Vers. 17. — De seq. Glossa cfr. supra pag. 370, nota 10.

[11] Vers. 7.

[12] Vers. 12. et deinde 60, 4.

[13] Vers. 56. et 57.

[14] Vers. 12.

[15] Cod. G addit *Matth. 3.* (v. 2.), et subinde post *Christus* F addit *Matth. 4.* (v. 17.); codd. A C D H omittunt *et promittens... similiter et ipse Christus: Poenitentiam agite.*

et maxime Petrus et Paulus, qui non tantum verbo, verum etiam exemplo clamabant, secundum illud primae ad Timotheum primo[1]: « Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum

Notandum.

qui credituri sunt illi in vitam aeternam ». Unde et propter peccatores dicebat, *vitulum saginatum esse occisum*, cum dicebat ad Romanos quinto[2]: « Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quoniam, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Multo igitur magis nunc, iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum »; et paulo post: « Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia; ut, sicut regnavit peccatum in mortem, ita gratia regnet per iustitiam ».

Indignatio filii.

47. (Vers. 28.). Et quia iustus, de suis meritis praesumens, hanc iustitiam non acceptat, immo potius indignatur contra misericordiam Dei, quasi inique agat reddendo bona pro malis; ideo subdit: *Indignatus est autem et nolebat introire.* Qui enim non acceptat affluentiam misericordiae Dei, sed sufficientiam iustitiae suae, non potest introire ad unitatis ecclesiasticae caritatem; et hoc est, quod dicitur ad Romanos decimo[3] de talibus: « Ignorantes Dei iustitiam et suam volentes statuere, iustitiae Dei non

Notandum.

sunt subiecti ». Unde et hac de causa populus Iudaicus non vult introire in ecclesiasticam unitatem, quia, superbiens de sua iustitia, non acceptat summi Patris misericordiam peccatoribus impensam. Et contra tales dicitur ad Romanos tertio[4]: « Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius », « ut sit ipse iustus et iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi. Ubi est ergo gloriatio tua »? et sequitur: « Exclusa est ». « Arbitramur enim, iustificari hominem per fidem sine operibus Legis ». Iste igitur, praesumens de iustitia et indignans pro misericordia fratri impensa, non ambulat secundum iustitiam, sed secundum iniustitiam, quia, Proverbiorum vigesimo nono[5], « qui ad indignandum facilis est erit ad peccata proclivior ».

Secundo, de clementia patris placantis tria.

48. *Pater ergo illius egressus* etc. Post descriptam impatientiam filii ad indignationem conciendam hic secundo[6] ostenditur *clementia patris ad indignationem placandam,* ubi tria introducuntur. Primo enim praemittitur ex parte patris *allocutio pia;* secundo, a parte filii *responsio proterva;* tertio subiungitur *persuasio placativa.*

Allocutio pia patris.

Primo igitur quantum ad patris allocutionem piissimam dicit: *Pater ergo illius egressus coepit rogare eum*[7]. *Egreditur* autem pater ad exteriora per condescensionem, secundum illud Habacuc tertio[8]: « Egressus es in salutem populi tui et in salutem cum Christo tuo »; egressus scilicet iste non

Quid egressus.

est aliud nisi manifestare se exterius in carne; Isaiae sexagesimo secundo: « Propter Sion non tacebo et propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustus eius » etc. — Et quia hic egressus fuit ex magna pietate ad hominem salvandum, ideo dicit: *Coepit rogare eum;* ad Hebraeos duodecimo[9]: « Tanquam filiis se offert vobis Deus ». Rogat ergo, si contra ipsum dedignamur, secundum illud Isaiae trigesimo: « Audies verbum post tergum monentis: Haec est via bona, ambulate in ea ». Unde

Notandum.

ipse Deus Pater contra ipsum filium indignatum non indignatur, sed potius eum rogat et consolatur, ut impleatur illud Isaiae sexagesimo sexto[10]: « Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos »; nec immerito, quia, sicut dicitur secundae ad Corinthios primo, « ipse est pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra ». Unde Ieremiae tertio[11] dicitur de hac allocutione: « Ergo saltem amodo voca me: Pater meus, dux virginitatis meae tu es » etc. Et sic impletur illud Iob decimo nono: « Orabam filios uteri mei ».

Responsio proterva filii.

49. (Vers. 29.). Secundo quantum ad *filii responsionem protervam* subdit: *At ille respondens dixit patri suo: Ecce, tot annis servio tibi;* ubi proterve respondet, et quia *se ipsum iactat de iustitia,* dicens, quod longo tempore servivit patri, cum tamen ipse Pater obsequio nostro non indigeat, secundum illud Psalmi[12]: « Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges »; et Iob trigesimo quinto: « Porro, si iuste egeris, quid

---

[1] Vers. 15. et 16.

[2] Vers. 8. seq. et deinde v. 20. et 21.

[3] Vers. 3. — Hieron., Epist. 21. (alias 146.) n. 31. seq.: Causa laetitiae, quod pari in Dei laudes toto orbe voce concinitur, salus est gentium, salus est peccatorum; laetantur Angeli, omnis in gaudium creatura consentit, et de solo dicitur Israel: *Iratus autem noluit intrare.* Irascitur, se absente, fratrem esse susceptum... et nunc foris stat Israel etc.

[4] Vers. 24-28, pluribus tamen omissis. Fere omnes codd. legunt: Iustificati gratis per gratiam *ad Deum et* per redemptionem *ipsius*, quae est in Christo, *in quem posuit* Deus *propitiationem* per fidem... ut sit ipse iustus, iustificans, qui ex fide est Iesu Christi... Arbitramur enim, hominem iustificari *ex fide* sine operibus.

[5] Vers. 22. [6] Cfr. supra n. 42.

[7] Ita etiam Hieron., Epist. 21. (alias 146.) n. 33; cfr. B. Albert. et S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 15. n. 5.); Vat. cum Vulgata *illum.*

[8] Vers. 13. — Subinde allegatur Isai. 62, 1. — Glossa *interlinearis* (ex Ambros., VII. in Luc. c. 15. n. 241.): *Pater ergo illius egressus* etc., etiam hunc bonus pater salvare cupit. Cfr. Hieron., loc. cit.: Quam benignus et clemens pater! rogat filium, ut laetitiae domus particeps fiat etc.

[9] Vers. 7. — Sequitur Isai. 30, 21.

[10] Vers. 13, ubi codd.: *Quoniam sicuti mater blandiatur filio suo, ita et ego consolabor vos;* cfr. supra pag. 385, nota 15. — Subinde allegatur II. Cor. 1, 3. seq.

[11] Vers. 4. et deinde Iob 19, 17.

[12] Psalm. 15, 2, post quem Iob 35, 7. — Superius ante *quia se ipsum iactat* Vat. omittit *et*, quod explicatur, quia

donabis ei, aut quid de manu tua accipiet »? Ostentat ergo se in hoc, quod iactat se pro patre magna fecisse. Ostentat etiam se in hoc quod dicit, se nihil contra eum fecisse, cum addit: *Et nunquam mandatum tuum praeterivi.* Et in hoc iustificat se ipsum, cum tamen dicat Apostolus primae ad Corinthios quarto[1]: « Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum ». Contra illud supercilium dicitur tertii Regum octavo[2]: « Non est homo, qui non peccet »; et primae Ioannis primo: « Si dixerimus, quia peccatum non habemus, mendaces sumus »; quia dicitur ad Romanos tertio: « Omnes peccaverunt et egent gloria Dei ». — *Ostentat* ergo *suam iustitiam, accusat et patris duritiam,* cum subdit: *Et nunquam dedisti mihi haedum, ut cum amicis meis epularer;* quasi dicat: semper fuisti mihi durus et non dedisti mihi aliquam interiorem consolationem, quae esset indicativa dilectionis tuae. Et tamen hoc facit Deus iusto iudicio et occulto, secundum illud Ecclesiastae nono[3]: « Sunt iusti atque sapientes, et opera eorum in manu Dei; et tamen nescit homo, utrum amore, vel odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta ». Iste autem, non attendens occulta Dei iudicia, patris duritiam accusat, quasi diceret illud Iob trigesimo[4]: « Mutatus es mihi in crudelem et in duritia manus tuae adversaris mihi ». In hoc igitur accusat patris duritiam.

(Accusatur patris duritia.)

50. (Vers. 30.) Similiter *reprehendit patris clementiam,* cum adiungit: *Sed postquam filius tuus hic;* quasi dicat: non frater meus — sicut dicebat Dominus ex indignatione Exodi trigesimo secundo[5]: « Descende de monte, quia peccavit populus tuus », *tuus,* inquit, non meus — quia propter culpam dedignor, ut fratrem ipsum recognoscam. — Unde addit: *Qui devoravit suam substantiam cum meretricibus, venit,* et ita dignus esset ira, quia prodigus, immundus et foedus, et ideo disperdendus; Psalmus[6]: « Perdes eos qui fornicantur abs te »; et Threnorum primo: « Facta est Ierusalem quasi polluta menstruis inter eos. Iustus est Dominus, quia os eius ad iracundiam provocavi ». — *Occidisti ei*[7] *vitulum saginatum,* ostendendo summam benevolentiam, quam ostendit, cum alicui devotionem dat circa beneficium dominicae passionis, secundum illud Canticorum primo[8]: « Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi ». *Occidisti ei,* id est, per devotionem dedisti, ac si solum pro ipso occisus esset, sicut et Paulus dicebat ad Galatas secundo[9]: « Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me »; unde et praemittebat: « Christo confixus sum cruci ». — Arguit ergo iste sua responsione proterva et patris clementiam et accusat duritiam et ostentat suam iustitiam, nec attendit, quod « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam », sicut dicitur Iacobi quarto[10]. Propter quod etiam Deus peccatoribus est *dulcis,* ut eos excitet ad spem, et *durus* iustis, ut eos inclinet ad humilitatem; propter quod infra decimo septimo: « Cum feceritis quaecumque praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus » etc.

(Reprehenditur patris clementia.) (Epilogus.)

51. (Vers. 31.). Tertio quantum ad *satisfactionem placativam* subiungit: *At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es.* Nota hic benignissimam patris responsionem, quia, cum posset arguere filium de praesumtione, de indignātione, de protervitate et de inhumanitate; tamen non arguit, ne magis perturbet, sed pie blanditur, ut leniat; quia, Proverbiorum decimo quinto[11], « responsio mollis frangit iram ». Non ergo arguit perturbatum, sed dulciter et rationabiliter placat iratum, *laudando* scilicet *filii obedientiam* in hoc, quod dicit: *Fili, tu semper mecum es,* id est, semper mihi obtemperas, ita ut sis de numero illorum quibus dicitur infra vigesimo secundo[12]: « Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis »; ut possis dicere illud Psalmi: « Ut iumentum factus sum apud te, et ego semper tecum ». *Semper mecum es,* in domo manens sicut filius; Ioannis octavo[13]: « Filius manet in domo in aeternum ». — Placat etiam *ostendendo benevolentiam,* cum addit: *Et omnia mea tua sunt,* per benevolentiam scilicet caritatis, secundum illud primae ad Corinthios tertio[14]: « Omnia vestra sunt,

(Patris persuasio placativa.) (Placat laudando obedientiam.) (Placat ostendendo benevolentiam.)

---

infra sequuntur aliae duae rationes. Inferius pro *ostentat ergo se in hoc... se nihil contra eum fecisse* H *ostendit ergo in hoc* [ita etiam D primitus], *quod iactat se pro patre magna fecisse; ostendit etiam* [ita etiam D primitus], *se nihil contra eum fecisse.* Pro *contra eum fecisse* C D F G *contra fecisse.*

[1] Vers. 4. — Superius pro *iustificat se* C D F *iustificabat se.*

[2] Vers. 46. Post *qui* codd. addunt *faciat bonum et;* cfr. Eccle. 7, 21: Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum et non peccet. — Duo seqq. loci sunt I. Ioan. 1, 8. (lectionem Vulgatae et Vat. vide supra pag. 287, nota 13.) et Rom. 3, 23. — Hieron., Epist. 21. (alias 146.) n. 33: *Nunquam mandatum tuum praeterivi,* quasi hoc ipsum non sit praeterire mandatum, saluti alterius invidere, ante Deum se iactare iustitiae, cum nemo coram eo mundus sit etc.

[3] Vers. 1. et 2. [4] Vers. 21.

[5] Vers. 7.

[6] Psalm. 72, 27, post quem Thren., 1, 17. seq., in cuius fine pro *provocavi* C D G *provocavit.* — Pro *disperdendus* Vat. *merito perdendus.*

[7] Ita etiam Hieron., Epist. 21. (alias 146.) n. 36; Vat. cum Vulgata *illi.* — Inferius pro *ostendendo summam* B *ostendendo ei tuam,* H *ostendendo ei summam.*

[8] Vers. 12. et 13.

[9] Vers. 20. (codd. *Quod autem vivo, in fide vivo Filii Dei* etc.) et deinde v. 19. — Pro *Paulus dicebat* A C D F G *Paulus habebat* [scil. datum et pro se occisum Christum].

[10] Vers. 6. — Subinde allegatur Luc. 17, 10.

[11] Vers. 1. — Glossa *ordinaria* (ex August., II. Qq. Evangelior. q. 33. n. 8.): *Fili, tu* etc., non quasi mentientem redarguit, sed secum perseverantiam eius approbans et ad perfruitionem potioris exsultationis invitans.

[12] Vers. 28, cui subiungitur Ps. 72, 23.

[13] Vers. 35.

[14] Vers. 22. seq. et deinde Rom. 8, 32.

sive Paulus, sive Apollo, sive praesentia, sive futura. Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei »; quia, sicut dicitur ad Romanos octavo, « qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit »? Vult ergo dicere, quod, licet magna non ostendat, tamen magna reservat, secundum illud Isaiae sexagesimo quarto [1]: « Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti exspectantibus te ». Omnia ergo sunt viri iusti, vel in re, vel in spe. Nam cum sint quaedam *superiora*, quaedam *inferiora*, quaedam *paria; superiora* sunt viri iusti ad *fruendum;* Psalmus [2]: « Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum ». *Aequalia,* Angeli scilicet, iusti sunt ad *coadiuvandum;* ad Hebraeos primo: « Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis ». *Inferiora* iusti sunt ad *utendum* et *dominandum;* Psalmus: « Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum »? « Omnia subiecisti sub pedibus eius » etc. Et in hoc apparet mira patris benevolentia.

Notandum.

Placat approbando misericordiam.

52. (Vers. 32.). Placat etiam *approbando immensam misericordiam,* cum subiungit: *Epulari autem oportebat et gaudere,* caritate scilicet urgente, quia caritas est quae cogit de bono gaudere. Unde Apostolus secundae ad Corinthios quinto [3]: « Sive mente excedimus Deo, sive sobrii sumus vobis. Caritas enim Christi urget nos ». Et sicut caritatis est *uri* de alieno scandalo, secundum illud secundae ad Corinthios undecimo: « Quis scandalizatur, et ego non uror »? sic *laetari et refici* de alieno remedio. — Ideo dicit: *Quia frater tuus hic mortuus fuerat* [4] *et revixit, perierat et inventus est; mortuus fuerat, deserendo Christum,* qui de se dicit Ioannis decimo quarto [5]: « Ego sum via, veritas et vita »; et primo: « Vita erat lux hominum ». *Perierat, amando peccatum,* quia, Ecclesiastici tertio, « qui amat periculum peribit in illo ». *Revixit autem, redeundo ad Christi gratiam;* Ioannis undecimo: « Ego sum resurrectio et vita » etc. *Et inventus est, redeundo ad poenitentiam,* sicut supra eodem [6] inventa fuit *ovicula,* inventa etiam fuit perdita *drachma.* Et ideo *epulari oportebat et gaudere,* quia, sicut supra dictum est eodem [7], « gaudium est Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente », gaudium etiam pastori de ove, gaudium similiter mulieri de drachma: ergo multo fortius gaudium debet esse fratri de fratre suo et patri de filio reinvento.

Ratio.

## Capitulum XVI.

**Commendatio et persuasio pietatis humanae describitur per documenta et exempla parabolica quoad duo.**

1. *Dicebat autem et ad discipulos suos* etc. Post expressionem impietatis Iudaicae et notificationem pietatis divinae subintroducit hic Evangelista *commendationem et persuasionem pietatis humanae* [8]. Et dividitur pars ista in duas. In quarum prima persuadetur ipsis discipulis per Christi documenta et per exempla parabolica pietas humana quantum ad *opera corporalia;* in secunda, quantum ad *spiritualia,* infra decimo septimo [9]: *Et ad discipulos suos ait* etc.

Divisio.

**Primo, de pietate humana quoad opera corporalia tripliciter.**

Pars prima continet praesens capitulum, quod in tres partes distinguitur. In quarum prima proponitur *exemplum parabolicum pietatis providae.* In secunda elicitur *documentum pietatis perfectae,* ibi [10]: *Et ego dico vobis: Facite* etc. In tertia subiungit *exemplum impietatis punitae,* ibi: *Homo quidam erat dives* etc.

**Exemplum parabolicum pietatis providae.**

Circa *exemplum* igitur *pietatis providae,* quod proponitur circa villicum, qui fuit de bonis domini

---

[1] Vers. 4. Cfr. I. Cor. 2, 9.

[2] Psalm. 72, 26. — Tres seqq. loci sunt Hebr. 1, 14; Ps. 8, 5. et 8. — Glossa *ordinaria* (ex Beda; cfr. August., II. Qq. Evangelior. q. 33. n. 10.) apud Lyranum: *Omnia mea* etc. In aeterna beatitudine et omnium singula et singulorum omnia. Nostra sunt *superiora* ad videndum [Beda: vivendum]; nostra erunt *aequalia* ad convivandum [Beda: convivendum); nostra erunt *inferiora* ad dominandum. Sicut enim cupiditas nihil sine angustia, ita nihil cum angustia caritas tenet. — Inferius pro *Angeli scilicet, iusti sunt* Vat. *scilicet Angeli et sunt ipsius iusti.*

[3] Vers. 13. et 14. (pro *Deo* plures codd. *vobis).* — Sequitur II. Cor. 11, 29.

[4] Ita etiam Hieron. (Epist. 21. alias 146. n. 38.); cfr. B. Albert. et Gorranus; Vat. et Vulgata *erat;* idem occurrit supra pag. 398, nota 6.

[5] Vers. 6. — Subinde allegantur Ioan. 1, 4; Eccli. 3, 27. et Ioan. 11, 25. — Plures codd., ut A C D, omittunt *Ioan. 1: Vita erat lux hominum. Perierat, amando peccatum.* Cod. D autem inferius post *Ego sum resurrectio et vita* etc., addit: *Item perierat, per amissionem iustitiae;* H (qui etiam omiserat *Eccli. 3: Qui amat periculum* etc.) addit: *Perierat per devia vitiorum; Eccli. 3: Qui amat periculum peribit in illo.*

[6] Vers. 5. et 9.

[7] Vers. 7. et 10; deinde respicitur v. 6. et 9. — Inferius pro *reinvento* A C D H *invento.*

[8] Cfr. supra c. 15. n. 1.

[9] Vers. 1.

[10] Vers. 9; tertia pars incipit v. 19. — Superius C D H omittunt *parabolicum* (F *parabolice).*

Notandum. sui largus, attendendum, quod illud partim est *exemplum expressum*, partim *dictum parabolicum;* nisi enim esset *exemplum expressum*, non subderetur in fine parabolae[1], quod « laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter egisset » etc.; sed rursus, nisi esset *parabolice dictum*, factum tantae fraudis adeo detestandum in exemplum nullatenus a Domino proponi deberet. Propter quod oportet intelligere, quod exemplum illud oportet partim ad litteram prosequi, partim etiam parabolice. Cum enim habeat rationem *exempli* et *parabolae* tam ipsum quam illud de divite epulone; istud tamen plus tenet rationem *parabolae*, et illud magis rationem *exempli* et ideo magis[2] intelligitur secundum litteram; istud autem partim secundum metaphoram, partim secundum litteram est intelligendum. — Ad huius autem parabolici exempli evidentiam attendendum, quod aliquid proponitur in eo *recogitandum*, aliquid *refutandum*[3], aliquid ut *formidandum*, aliquid ut *tolerandum*, aliquid ut *providendum*, aliquid ut *ad imitandum*, et aliquid ut *commendandum*. — *Recogitanda* namque est *origo potestatis humanae*, de qua ibi[4]: *Homo quidam erat dives.* — *Refugienda* est *abusio potestatis commissae*, quam insinuat ibi: *Et hic diffamatus est apud illum.* — *Formidanda* est *districtio aequitatis supernae*, de qua ibi[5]: *Et vocavit illum et ait illi.* — *Toleranda* est *imperfectio infirmitatis humanae*, quam ibi[6] insinuat: *Ait autem villicus intra se.* — *Providenda* est *inventio fidelis amicitiae*, ibi[7]: *Scio, quid faciam, ut, cum amotus fuero.* — *Imitanda* est *exhibitio liberalis clementiae*, de qua ibi: *Convocatis itaque singulis debitoribus.* — *Laudanda* sive commendanda est *discretio sagacis providentiae*, de qua ibi: *Laudavit dominus villicum iniquitatis.*

Septem in hac parabola proponuntur.

2. (Vers. 1.). Primo igitur in hac parabola insinuatur *origo potestatis mundanae* ut discipulis *recogitanda*, cum dicitur: *Dicebat autem et ad discipulos suos*, quibus dixit supra octavo[8]: « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei »; et Ioannis decimo quinto: « Vos autem dixi amicos, quia omnia, quae audivi a Patre meo, nota feci vobis ». Ideo autem *ad discipulos* dicebat, quia, Iudaeis confutatis, eis debebat *pietas* persuaderi, ad quam vehementer incitat consideratio *originis potestatis terrenae*, quantum ad quam dicit: *Homo quidam erat dives, qui habebat villicum. Homo* iste *quidam* singularis et singulariter dives recte intelligitur Deus, secundum illud ad Romanos decimo[9]: « Idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum ». Iste solus *dives* est, quia habet omnia et abundat; Psalmus: « Meus est enim orbis terrae et plenitudo eius »; et rursus: « Meae sunt omnes ferae silvarum »; et rursus: « Domini est terra et plenitudo eius, orbis terrarum » etc. — Huius hominis divitis *villicus* est quilibet homo, qui habet aliquod *posse* terrenum sive dignitatis, sive divitiarum ad dispensandum. Unde Glossa[10]: « Villicus est, cui Deus aliquas pecunias ad erogandum pauperibus commisit »; et ut alia Glossa dicit: « *Villicus* est proprie villae custos, sed ponitur hic pro oeconomo, id est dispensatore ». Humana igitur potestas, quoniam non est nisi ad tempus et ab alio collata, non est nisi quaedam villicatio et oeconomia. Unde primi Paralipomenon vigesimo nono[11]: « Tua sunt omnia, et quae de manu tua accepimus dedimus tibi. Peregrini enim sumus coram te et advenae sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi umbra sunt super terram, et nulla est mora ». Unde et Apostolus nolebat, se aestimari dominum, sed oeconomum et villicum, cum dicebat primae ad Corinthios quarto[12]: « Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei » etc. Talem villicum rerum praesentium se existimabat Iob, cum dicebat Iob primo: « Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est ».

Primum ponitur ad recogitandum.

Hic homo intelligitur Deus.

Quid sit villicus.

3. Secundo quantum ad *abusionem potestatis commissae* ab omnibus *fugiendam* subdit: *Et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona illius*[13]. *Bona* namque Dei *dissipat* qui temporalia ista

Secundum, ad fugiendum.

[1] Vers. 8. — Cfr. Haym., Homil. 121. de Tempore (Dominica 10. post Pent.).

[2] Codd. C D F G H omittunt *magis*.

[3] Du Cange, Glossarium etc.: *Refutare*, respuere, reiicere, repellere, aspernari, renuere. Cfr. inferius, ubi pro *Refugienda* (ita codd.) Vat. *refutanda* (vide etiam n. 3.).

[4] Vers. 1, ubi etiam habetur seq. membrum.

[5] Vers. 2. — Superius pro *districtio* (ita D; cfr. infra n. 4.) Vat. cum aliis codd. *discussio*.

[6] Vers. 3. — Superius pro *infirmitatis* Vat. *impietatis*.

[7] Vers. 4. — Duo membra seqq. habentur v. 5. et v. 8: *Et laudavit* etc.

[8] Vers. 10, post quem Ioan. 15, 15. — Superius pro *ut discipulis* Vat. *a discipulis*. — Glossa *ordinaria* (cfr. Beda) in Luc. 16, 1: *Ad discipulos.* Quia Pharisaei superbi et avari, sicut petentibus veniam, ita egentibus pecuniam negabant; ideo Salvator nunc ad illos, nunc, illis audientibus, ad discipulos de pietate verba facit. Cfr. Hieron., Epist. 121. (alias 151.) cap. sive quaest. 6, et Haym., Homil. 121. de Tempore.

[9] Vers. 12. — Subinde allegantur Ps. 49, 12, et 10. ac Ps. 23, 1. Cfr. Hieron. et Haym., locc. citt., secundum quos homo dives est *Deus;* Paul. Diacon., Homil. 168. de Tempore (Dominica 10. post Pent.), Anselm., Homil. 12. et Innocent. III., Serm. 26. (Dominica 9. post. Octav. Pent.), iuxta quos homo dives est *Christus*.

[10] Scilicet *ordinaria* (cfr. Beda, V. in Luc. 16, 1, et Haym., loc. cit.) apud Lyranum, in qua pro *commisit* D *dedit.* — Glossa, quae sequitur, etiam est *ordinaria*. Textus originalis in fine addit: *Qui universam substantiam domus dispensat.* Cfr. Hieron., Epist. 121. (alias 151.) cap. sive quaest. 6, et Haym., loc. cit.

[11] Vers. 14. et 15. Cfr. Ambros., VII. In Luc. c. 15. n. 245, et Theophylact. in Luc. 16, 1. seqq., qui docent, ex hoc loco constare, quod nos non simus domini, sed tantum villici sive dispensatores alienarum rerum, quae nobis creditae sunt.

[12] Vers. 1. — Subinde allegatur Iob 1, 21.

[13] Ita etiam S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 16. n. 1.) et Gorranus; cfr. B. Albert.; Vat. cum Vulgata *ipsius*.

vel male *retinet*, vel male *accipit*, vel male *dispensat*. Unde Glossa[1]: « Dissipatio est, quando male congregantur, vel non bene expenduntur ».

Ratio.

Et ratio huius est, quia bona temporalia sunt, ut per haec acquirantur bona aeterna. Cum ergo haec temporalia sic habentur, quod propter illa aeterna perduntur; tunc absque dubio *dissipantur*.

Dissipatio temporalium.

Qui ergo haec temporalia bona sic expendunt, quod non quaerunt in eis meritum salutis, sed solatium carnis, temporalia non *dispensant* ad modum boni villici, sed *dissipant* ad modum filii prodigi, de quo supra decimo quinto[2] dicitur, quod « dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose ». Contra quos dicit Dominus per Osee Prophetam Osee secundo: « Dedi ei frumentum et vinum et oleum et argentum multiplicavi ei et aurum, quae fecerunt Baal. Idcirco convertar et sumam frumentum meum et vinum meum in tempore suo et liberabo lanam meam et linum meum, quae operiebant ignominiam eius. Et revelabo stultitiam eius in oculis amatorum eius ». Unde quia plures sunt dissipatores et pauci dispensatores, dicitur primae ad Corinthios quarto[3]: « Hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur ».

Bona dispensatio eorum.

— Tunc autem haec temporalia bene dispensantur, quando in opera misericordiae distribuuntur, secundum illud supra duodecimo: « Quis, putas, est dispensator fidelis et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam » etc. Ideo istius *dissipationis origo* et mater est immisericordia; propter quod Proverbiorum vigesimo nono[4]: « Novit iustus causam pauperum, impius ignorat scientiam, homines pestilentes dissipant civitatem ».

Quid diffamatio.

— Tunc autem hic villicus apud Dominum *diffamatur*, quando clamor pauperum ascendit ad Dominum; unde dicitur Iacobi quinto[5]: « Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis, quae advenient vobis »; et post: « Ecce, merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quae fraudata est a vobis, clamat, et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit ». Et quoniam crudelis est qui famam negligit, et omnis homo maxime horret infamiam; ideo talis bonorum abusio est cavenda, ne ex dissipatione bonorum dispensator cadat in opprobrium et derisionem publicam, secundum illud Ecclesiastici vigesimo[6]: « Fatuo non erit amicus, et non erit gratia in bonis illius ». « Quoties et quanti deridebunt eum? Neque enim quod habendum erat directo sensu distribuit, similiter et quod non erat habendum ».

Tertium, ad formidandum.

4. (Vers. 2.). Tertio quantum ad *districtionem aequitatis divinae* cuilibet *formidandam* subditur: *Et vocavit illum et ait illi: Quid hoc audio de te?* Glossa[7]: « *Vocat*, quando incutit timorem aeternae damnationis »; de qua vocatione dicitur Ezechielis tertio: « Et audivi post me vocem commotionis magnae: Benedicta gloria Domini de loco suo ». Hac voce vocatur qui ad considerandum futurum iudicium excitatur, ubi arguetur non solum secundum famam, sed secundum conscientiam.

Ratio reddenda de quatuor.

— Propter quod addit: *Redde rationem villicationis tuae.* Haec namque vox in aure cuiuslibet debet resonare, quia absque dubio divina aequitas rationem exiget de *bonis commissis*, sicut innuitur Matthaei decimo octavo[8]: « Simile est regnum caelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis ». De *malis dimissis*; Matthaei decimo octavo: « Et cum coepisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talentorum ». « Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum »; et post subditur, quod de hoc rationem exegit. De *bonis* etiam *omissis*; Matthaei vigesimo quinto[9]: « Post multum temporis venit dominus servorum illorum et posuit rationem cum servis suis »; et subdit de servo pigro, quod proiectus est « in tenebras exteriores ». De *malis* etiam *perpetratis*; primae Petri quarto[10]: « Sufficit enim praeteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam his qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus »; « qui reddent rationem ei qui paratus est iudicare vivos et mortuos ». Nec tantum de *magnis* malis, verum etiam de *parvis*, secundum illud Matthaei duodecimo[11]: « De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicii ».

Notandum.

Ab hoc ergo villico exigit rationem villicationis quantum ad omnia quatuor praedicta, quia, quemadmodum dicit Bernardus[12], « sicut nec capillus de capite peribit, sic nec momentum de tempore transit, de quo

---

[1] Scilicet *interlinearis*, in qua H cum textu originali *congregatur* pro *congregantur*, et *expenditur* pro *expenduntur*. Vat. post *quando* addit *ipsa bona*.

[2] Vers. 13, post quem Osee 2, 8-10.

[3] Vers. 2. — Sequitur Luc. 12, 42.

[4] Vers. 7. et 8. — Superius pro *Ideo istius* Vat. *Et istius*, et dein plures codd. (etiam C D primitus) prosequuntur *dispensationis origo et mater est in misericordia*.

[5] Vers. 1. et 4. — Glossa *interlinearis*: *Hic diffamatus est apud illum*, haec accusatio fit, quando [quis] non exercet opera pietatis erga illos quibus debuit.

[6] Vers. 17. et 18. seq. — Superius pro *dispensator* Vat. *dispensatorum*.

[7] Glossa *interlinearis*. Haym., loc. cit.: Dupliciter nos vocat Deus: in praesenti ad poenitentiam et in futuro ad iudicium. — Sequitur Ezech. 3, 12.

[8] Vers. 23, post quem v. 24. 27. et 32. seqq. — Cfr. S. Bonav., Incendium amoris, c. 2. — Superius post *commissis* Vat. addit *ad dispensandum*, et subinde pro *De malis dimissis* substituit *De malis commissis*, sed contra contextum; vide paulo inferius.

[9] Vers. 19. et deinde v. 30.

[10] Vers. 3. et 5. Post *consummandam* codd. prosequuntur *qui ambulant in desideriis, in luxuriis* etc.; *qui reddent* etc.

[11] Vers. 36.

[12] Declamation. (cfr. supra pag. 228, nota 8.) XLIV. n. 54: Sede, computa, quid diebus singulis acquirere valeas, certus equidem, apud Deum nullum omnino bonum irremuneratum fore, et sicut nullum capillum de corpore [cfr. Luc. 21, 18.], sic nec momentum de tempore periturum. — Pro *exigitur ratio* A C D H *exigetur* [F *exigatur*] *ratio*.

non exigitur ratio ». — Et post istius rationis exactionem non restabit possibilitas ad merendum; ideo subdit: *Iam enim non poteris villicare*, quia dicitur Ecclesiastae nono [1]: « Nec opus nec ratio nec scientia nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas ». Unde et Proverbiorum vigesimo septimo dicitur cuilibet villico: « Non habebis iugiter potestatem »; et Ecclesiastici decimo: « Omnis potentatus brevis vita ». Propter quod Propheta in Psalmo [2]: « Nolite confidere in principibus neque in filiis hominum, in quibus non est salus. Exibit spiritus eius et revertetur in terram suam; in illa die peribunt omnes cogitationes eorum » etc.

5. (Vers. 3.). Quarto quantum ad *imperfectionem infirmitatis humanae* in villico *tolerandam* subditur: *Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem?* Quia enim timor iudicii sollicitat mentem ad procurationem remedii, ideo videns villicus, se esse iudicandum, requirit remedium, secundum illud Ecclesiastici decimo octavo [3]: « Ante iudicium para iustitiam et ante languorem adhibe medicinam et ante iudicium interroga te ipsum ». — Et quia perfectio poenitentiae consistit in afflictione et labore corporali et humilitate et pudore mentali; et haec duo recusat animus infirmi hominis: ideo addit: *Fodere non valeo*, propter laboris corporalis difficultatem, quia, sicut dicitur Proverbiorum vigesimo nono [4], « qui delicate a pueritia nutrit servum postea sentiet eum contumacem ». *Mendicare erubesco*, propter actus contemptibilis vilitatem; Ecclesiastici vigesimo nono [5]: « Minimum pro magno placeat tibi, et improperium peregrinationis non audies »; et post subdit: « Gravia haec homini habenti sensum: correptio domus et improperium foeneratoris ». Huic ergo villico similis est qui refugit ordinem Cisterciensium, quia laborant, vel ordinem Minorum, quia mendicant. Et hoc tamen tolerabile est, quia ex infirmitate venit refugere *laborem* et *pudorem*, illum sicut importabilem, istum sicut contemptibilem [6].

Quartum, ad tolerandum.

Notandum.

6. Sed licet ista sint difficilia homini infirmo, facilia tamen sunt per Christum perfecto Christiano. Nam Christus pro nobis factus pauper et in laboribus multis, secundum illud Psalmi [7]: « Pauper sum ego et in laboribus a iuventute mea », facit laborem appetibilem et mendicitatem honorabilem, quia « magna gloria est sequi Dominum », sicut dicitur Ecclesiastici vigesimo tertio. Ipse autem Dominus de se ipso dicit [8]: « Ego autem mendicus sum et pauper, et Dominus sollicitus est mei »; quod quidem non dicitur quantum ad spiritualia, in quibus abundat, sed quantum ad temporalia, in quibus pro nobis egenus et mendicus effectus erat, secundum illud secundae ad Corinthios octavo: « Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam pro nobis egenus effectus est, cum esset dives » etc. Et propterea dicit beatus Franciscus in regula sua [9], quod fratres suos « non oportet verecundari in mendicando, quia Dominus se pro nobis fecit pauperem in hoc mundo ». Verumtamen, quia villico tanquam imperfecto non erat data gratia, per quam perfecte efficeretur conformis Christo; ideo tanquam infirmus dicit: *Mendicare erubesco*, non ait: *mendicare contemno*, quia haec non esset infirmitas toleranda, sed impietas detestanda.

Haec fiunt Christiano facilia.

B. Franciscus.

7. (Vers. 4.). Quinto quantum ad *inventionem fidelis amicitiae providendam* subdit: *Scio, quid faciam*, ut acquiram fidelem amicitiam. Unde Glossa [10]: « Villicus est cui Deus aliquas pecunias ad erogandum pauperibus commisit; qui, si cogitat, talem villicationem cum vita ista finiendam, magis de acquirendis amicis quam de congregandis divitiis pertractat ». Ille enim recte potest dicere: *Scio, quid faciam*, qui intendit acquirere proximi amicitiam, quia econtra dicitur primae Ioannis secundo [11]: « Qui odit fratrem suum in tenebris est et in tenebris ambulat et nescit, quo vadit, quia tenebrae obcaecaverunt oculos eius ». Sed econtra qui diligit, ipse scit, quid facit; facit enim secundum Christi doctrinam, qua quaerit remedium contra periculum. — Propter quod subdit: *Ut, cum amotus fuero a villicatione*, per divinam sententiam, secundum illud Apocalypsis secundo [12]: « Veniam tibi et movebo candelabrum tuum de loco suo »; *recipiant me in domos suas*, per amicabilem misericordiam. Nam haec est lex amicitiae in necessitate non deesse amico; unde Proverbiorum decimo septimo [13]: « Omni tempore diligit qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur »,

Quintum, ad providendum.

Lex amicitiae.

---

[1] Vers. 10. — Subinde allegantur Prov. 27, 24. et Eccli. 10, 11.

[2] Psalm. 145, 2-4. — Glossa *interlinearis*: *Redde rationem* etc., dum vivis, cogita, qualiter debeas operari, *iam enim* etc., a tempore mortis. Cfr. Petr. Diacon. et Haym., loc. cit.

[3] Vers. 19. seq. — Glossa *interlinearis*: *Ait... intra se*, timore perterritus, *quid faciam?* ut poenas evitem. — Superius pro *procurationem remedii* Vat. *provocationem remedii*.

[4] Vers. 21. — Haym., loc. cit.: *Fodere* rusticorum est, *mendicare*, confusionis.

[5] Vers. 30. et 35, ubi pro *haec homini habenti* plures codd., ut C (D primitus) F G, *haec omnia habenti*.

[6] Vat. legit: *ex infirmitate venit, quod fugiat laborem, et ex pudore, quod fugiat mendicationem. Illum fugit ut intolerabilem, hunc ut contemptibilem.*

[7] Psalm. 87, 16. — Sequitur Eccli. 23, 38. — Vat. superius pro *homini infirmo... per Christum* substituit *homini imperfecto... propter Christum*, et inferius post versum Psalmi: *a iuventute mea* prosequitur: *Et per hoc Dominus veris Christianis reddit laborem optabilem et mendicitatem* etc.

[8] In Psalm. 39, 18. — Subinde allegatur II. Cor. 8, 9.

[9] Cap. 6.

[10] Scilicet *ordinaria* apud Lyranum; cfr. supra pag. 403, nota 20. — Glossa *interlinearis*: *Scio, quid faciam*, tempore huius villicationis.

[11] Vers. 11, ubi pro *vadit* Vat. cum Vulgata *eat*. — Aliquanto inferius pro *qua quaerit* Vat. *quia quaerit*.

[12] Vers. 5: *Venio tibi* etc.

[13] Vers. 17, post quem Eccli. 6, 14. seq. — Glossa *interlinearis*: *Recipiant me*, illi quibus misericordiam impendero.

quia, Ecclesiastici sexto, « amicus fidelis, protectio fortis; qui invenit illum invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius ».

Sextum, ad imitandum.

8. (Vers. 5.). Sexto quantum ad *exhibitionem liberalis misericordiae imitandam* subditur: *Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui;* ubi *ad litteram* ostenditur liberalitas munificentiae et misericordiae in villico, tum quia largitur *multis,*

Largitur villicus multis.

tum quia *multum,* tum quia *moderate: multis,* quia singulis debitoribus domini sui, secundum illud quod Dominus suadet supra sexto[1]: « Omni petenti te tribue »; et Isaiae trigesimo secundo: « Beati, qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini ». Et quia misericordia impendi debet indigentibus, ideo non cuilibet dat, sed *debitoribus;* secundum illud Isaiae quinquagesimo octavo[2]: « Dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum et egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum et carnem tuam ne despexeris ».

Item, multum.

— *Multum*[3], quia magnam summam pretii dimittit; propter quod subdit: *Dicebat primo: Quantum debes domino meo? Dicebat,* inquam, per familiarem allocutionem; Ecclesiastici quarto[4]: « Congregationi pauperum affabilem te facito. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam et redde debitum et responde illi pacifice » etc.; et Ecclesiastici decimo octavo: « Nonne ardorem refrigerabit ros? Sic et verbum melius quam datum ».

9. (Vers. 6.). *At ille dixit ei*[5]*: Centum cados*

Recognitio debiti.

*olei,* per *fidelem recognitionem debiti.* Debitum enim suum debet quisque fideliter recognoscere, ne forte dicatur sibi illud Apocalypsis tertio: « Dicis, quia dives sum et locupletatus et nullius egeo; et nescis, quia tu es miser et miserabilis et pauper et caecus

Cadus.

et nudus ». Est autem *cadus* mensura continens tres urnas; unde Glossa[6]: « *Cadus* Graece, *amphora* Latine, continens urnas tres ». In hoc autem insinuatur debiti magnitudo opprimens debitorem, quia, Proverbiorum vigesimo secundo, « qui accipit mutuum servus est foenerantis ». — *Dixitque illi: Accipe cautionem tuam et sede cito et*[7] *scribe quinquaginta,* per *liberalem condonationem.* Multum namque exonerat qui medietatem oneris auferendo supportat; et in hoc lex caritatis impletur, secundum illud ad Galatas ultimo: « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi ».

Item, moderate.

10. (Vers. 7.). *Moderate* etiam largitur, quia secundum exigentiam debiti; propter quod addit: *Deinde alii dixit: Tu vero quantum debes?* Ideo mensuram quaerit, ut mensurate distribuat, quia, Ecclesiastici quadragesimo secundo[8], « ubi manus multae sunt, claude; et quodcumque tradis, numera et appende, datum autem et acceptum omne describe ».

Corus.

— *Qui ait: Centum coros tritici.* Ubi magnam mensuram exprimit, ut largam condonationem obtineat. « *Corus* autem, ut dicit Glossa[9], modiis triginta impletur », unde maior mensura est quam *cadus.* Et quia in maioribus donis minor debet esse numerus, ut debita mensura servetur; ideo subditur: *Dixitque illi*[10]*: Accipe litteras tuas et scribe octoginta;* Glossa: « Quintam partem dimittit ». Licet autem minus videatur dimittere secundum proportionem arithmeticam, quia huic non nisi quintam partem dimittit, superiori autem dimidiam; plus tamen dimittit secundum geometricam, quia plus sunt in quantitate viginti cori tritici quam quinquaginta cadi olei. Osten-

Notandum.

ditur ergo in hoc, quod villicus iste liberaliter condonavit, quia non solum *multis* et *multa,* verum etiam *moderate,* secundum illud Tobiae quarto[11]: « Quomodo potueris, esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si autem exiguum, etiam illud libenter impartiri stude ». In hac autem condonatione *quinquaginta* partium et *viginti* recte intelligitur plena remissio liberalissimae pietatis. Nam *quinquagenarius,* qui consurgit ex septenario super se ipsum replicato, addita scilicet unitate, designat remissionem septiformis misericordiae. In cuius designationem in iubilaeo fiebat plena remissio, secundum illud Levitici vigesimo quinto[12]: « Sanctificabis annum quinquagesimum et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terrae. Ipse enim est iubilaeus », « quia iubilaeus est annus quinquagesimus ». Iste autem numerus, additis viginti, consurgit in *septuagesimum,*

Figura.

ubi intelligitur remissio plena. In cuius rei figuram populus Domini in captivitatem ductus post septuaginta annos est liberatus, sicut dicitur Ieremiae vigesimo

---

[1] Vers. 30, cui subnectitur Isai. 32, 20. — Superius post *multis* in D a secunda manu additum est *largitur.*

[2] Vers. 6. et 7, post quos B addit *Et sic largitur multis et indigentibus.*

[3] Cod. B *Item largitur multum,* D a secunda manu *Multum largitur etiam.*

[4] Vers. 7. seq. (pro *pacifice* Vulgata *pacifica*) et deinde Eccli. 18, 16.

[5] Vat. cum Vulgata et H omittit *ei.* — Sequitur Apoc. 3, 17.

[6] Scilicet *ordinaria* (ex Beda); A C D verba Glossae omittunt. — Subinde allegatur Prov. 22, 7.

[7] Ita etiam S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 16. n. 1.) et Gorranus; Vat. cum Vulgata et H omittit *et.* — Sequitur Gal. 6, 2. — Glossa *interlinearis: Scribe quinquaginta,* dimidiam partem dimittit. — De seq. voce *supportat* cfr. pag. 271, nota 3.

[8] Vers. 7, ubi nonnulli codd. *et quaecumque tradis munera appende.* — Superius pro *Moderate etiam largitur* Vat. *Moderate et largiter.*

[9] Scilicet *ordinaria* (ex Beda).

[10] Ita etiam Hieron. et Haym., loc. cit.; Vat. cum Vulgata et nonnullis codd. *Ait illi.* — Sequitur Glossa *interlinearis.* Glossa *ordinaria* (ex Beda): Simpliciter sic potest accipi: quisquis Indigentiam pauperis vel ex dimidia, vel ex quinta parte alleviat, misericordiae suae mercede donandus est.

[11] Vers. 8. et 9.

[12] Vers. 10. et 11. Cfr. Gregor., II. Homil. in Ezech. homil. 5. n. 15.

nono[1]: « Cum coeperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos et suscitabo super vos verbum meum bonum et reducam vos ad locum istum » etc.

Septimum, ad commendandum. 11. (Vers. 8.). Septimo quantum ad *discretionem providentiae commendandam* subditur: *Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter egisset*[2]; Glossa: « Non de fraude, sed de prudentia, quamvis peccantem, laudat ». Unde, licet villicus aliqua habeat in se vituperabilia, providendi tamen modus potest in exemplum bonorum trahi. Sicut enim serpens in diffusione veneni est detestabilis, sed in prudentia custodiendi caput est imitabilis a viris perfectis; propter quod dicitur Matthaei decimo[3]: « Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae »; sic villicus iste detestandus est, quia fraudem commisit, ratione cuius *villicus iniquitatis* dicitur, et laudandus est, quia prudenter sibi contra periculum remedium adinvenit. — Notandum. Et quia posset quis mirari, quod Dominus talem villicum in exemplum prudentiae traxit; ideo huic respondens Evangelista subdit: *Quia filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Non dicit, quod sint *simpliciter* prudentiores; Prudentia carnalis. sed prudentiores in his quae ad *carnalem* spectant *generationem*, sicut et bubo et murilegus clarius vident de nocte quam homo, non ad legendum litteras, sed mures capiendum[4].

12. Est tamen *prudentia spiritus*, quae est in filiis lucis excellentior quam prudentia carnis, Prudentia spiritualis. quae est in viris carnalibus, secundum illud ad Romanos octavo[5]: « Prudentia carnis mors est, prudentia vero spiritus, vita et pax ». Habet tamen aliquid prudentia ista mundana, quod excitat et instruit ad prudentiam divinam, sicut sollicitudo hominis quaerentis pecuniam proponitur in exemplum homini quaerenti sapientiam; Proverbiorum secundo[6]: « Si sapientiam invocaveris et inclinaveris cor tuum prudentiae, si quaesieris illam quasi pecuniam et sicut thesauros effoderis illam; tunc intelliges timorem Domini et scientiam Dei invenies ». Unde quia nullum vitium delet extrema naturae vestigia[7], ideo habet omnis vitiosus aliquid, quod iustum excitet ad bonum, sicut ex consideratione hominis *lascivi* potest se homo excitare ad *amorem*, ex consideratione *avari* ad *sollicitudinem*, ex consideratione hominis *superbi* ad *magnanimitatem*[8]. — Epilogus. Unde ex ista parabola et exemplo non solum instruimur particulariter, verum etiam universaliter, ut ex omnibus sciamus elicere documentum, quod nos excitet et informet ad bonum. Sicut enim Sancti sua bonitate excellenti testimonium debent habere et habent ab his qui foris sunt; ita vitia omnia effigiem aliquam habent virtutis et pietatis[9]. Virtus ab omnibus generali quadam voce approbatur, sed impius ab omnibus condemnatur.

**Documentum pietatis perfectae quoad duo.**

13. *Et ego vobis dico* etc. Post exemplum pietatis providae subditur *documentum pietatis perfectae*[10], quod quidem elicitur ex sensu parabolae supradictae. Divisio. Primo igitur elicitur documentum ad *informationem discipulorum obedientium;* secundo, ad *confutationem Pharisaeorum rebellium*, ibi[11]: *Audiebant autem omnia haec Pharisaei* etc.

De informatione discipulorum tria. Circa *informationem* autem *discipulorum ad pietatem* procedit hoc ordine. Invitat enim eos ad misericordiam primo, ratione *mercedis habendae;* secundo, ratione *fidelitatis servandae,* ibi[12]: *Qui fidelis est in minimo;* tertio, ratione *duplicitatis cavendae,* ibi: *Nemo potest duobus dominis servire.* — Ratio mercedis habendae describitur dupliciter. Ratione autem *mercedis habendae* invitat hoc ordine, scilicet praemittendo *exhortationem erudientem* et addendo *rationem moventem.*

De primo. 14. (Vers. 9.). Primo ergo quantum ad *exhortationem erudientem* praemittit: *Et ego dico vobis: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.*

---

[1] Vers. 10. Vide Hieron. in hunc loc.

[2] Pro *egisset*, quod occurrit etiam apud B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 16. n. 2.) et Gorranum, Vat. cum Vulgata *fecisset*. — Glossa seq. est *interlinearis*, de qua cfr. Haym., loc. cit.; vide etiam Hieron., Epist. 121. (alias 151.) cap. sive quaest. 6. (ex quo est Glossa *ordinaria* in Luc. 16, 8.), et August., II. Qq. Evangelior. q. 34.

[3] Vers. 16.

[4] Card. Hugo: *non litteras ad legendum, sed mures ad capiendum.* Saecularia enim grossa sunt et palpari possunt etiam de nocte, spiritualia autem subtilia sunt et vix videri possunt etiam in luce.

[5] Vers. 6. — August., XI. de Gen. ad lit. c. 2. n. 4: Dominus dicit, sapientiores esse filios saeculi filiis lucis ad consulendum sibimet in posterum, quamvis fraude, non iure.

[6] Vers. 3-5. — Superius pro *ad prudentiam divinam* Vat. *prudentiam spiritus*.

[7] August., XIX. de Civ. Dei, c. 12. n. 2. in fine: Nullum quippe vitium ita contra naturam est, ut naturae deleat etiam extrema vestigia. — Vat. legit: *Unde quia nullum vitium tantum est, ut deleat extremae* [etiam plures codd. habent *extremae*] *naturae vestigia*, et inferius pro *iustum* substituit *ipsum*.

[8] Vat. cum nonnullis codd. *magnificentiam*. Aristot., II. Ethic. c. 7: Iam circa *pecunias* aliae quoque sunt dispositiones, e quibus mediocritas *magnificentia* est [cuius duo extrema: *decori imperitia* et *parvificentia*]... At vero circa *honorem* et *ignominiam* mediocritas est *magnanimitas;* excessus, *inflatio*... defectus, *pusillanimitas*.

[9] Ut insinuatur I. Tim. 3, 7. — Iuvenalis, Sat. 14, 109:

Fallit enim vitium specie virtutis et umbra.

Cfr. tom. II. pag. 888, nota 4. — Inferius pro *impius* B *impietas*.

[10] Cfr. supra n. 1.

[11] Vers. 14.

[12] Vers. 10; tertium habetur v. 13, in quo Vat. cum Vulgata *Nemo servus potest* etc.; idem recurrit infra n. 21; cfr. tamen Matth. 6, 24: *Nemo potest* etc.

Mammona. « *Mammona*, ut dicit Glossa[1], lingua Syrorum divitiae dicuntur; dicuntur autem divitiae *iniquitatis*, quia frequenter habent iniquitatem annexam, secundum illud Ecclesiastici undecimo[2]: « Si dives fueris, non eris immunis a delicto »; unde Augustinus: « Omnis dives aut iniquus, aut heres iniqui est »; vel sicut dicit Beda in homilia[3]: « *Mammon*, mammonis lingua Punica dicitur lucrum ». Nec debet intelligi, quod de eo quod quis per rapinam et iniquitatem acquisivit et iniusto titulo possidet, debeat facere eleemosynas, quia contra hoc dicitur Ecclesiastici trigesimo quarto[4]: « Dona iniquorum non probat Altissimus »; et rursus eodem capitulo: « Qui offert sacrificium de substantia pauperis quasi qui immolat filium in conspectu patris »; sed intelligitur, quod de divitiis, quae iusto titulo possidentur; et tamen iniquitatem pariunt, nisi distribuantur, secundum illud Ecclesiastici decimo[5]: « Nihil est iniquius quam amare pecuniam. Hic enim et animam suam venalem habet ». De his, inquam, divitiis debent fieri amici per largitionem eleemosynarum, quae manifestant pietatis affectum. Nam dicitur primae Ioannis tertio[6]: « Qui habuerit substantiam huius mundi et viderit, fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo »? et ideo Ecclesiastici vigesimo nono: « Perde pecuniam propter amicum et ne abscondas illam sub lapide in perditionem », quia, Proverbiorum undecimo, « qui abscondit frumenta maledicetur in populis » etc.

Notandum. (margin note beside "monis lingua Punica")

15. Secundo quantum ad *rationem moventem* subdit: *Ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* Ex quo intelligitur, quare dandum est munus, et quid debet hominem movere ad faciendam eleemosynam: quia non *praesens commodum*, sed *praemium aeternum*, non propter *tabernaculum transiens*, sed *aeternum*, secundum illud Matthaei sexto[7]: « Cum facis eleemosynam, noli tuba ante te canere, sicut hypocritae faciunt. Amen dico vobis » etc.; et post: « Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua ». Haec autem tabernacula aeterna sunt mansiones gloriae, de quibus Isaiae trigesimo secundo[8]: « Sedebit populus meus in pulcritudine pacis, in tabernaculis fiduciae, in requie opulenta ». *In aeterna tabernacula* alios *recipiunt* qui adeo perfecti sunt, ut merita eorum etiam aliis valeant, et propter quae merita sibi et aliis aeterna tabernacula acquirant. Unde super illud[9]: « Facite vobis amicos », dicit Glossa: « Non quoslibet pauperes, sed eos qui possunt in aeterna tabernacula recipere ».

De secundo. Ratio motiva ad dandam eleemosynam. Notandum.

16. Tales enim non sunt pauperes involuntarii, sed pauperes spiritu; de quibus Matthaei quinto[10]: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum ». Ipsorum ergo tanquam illius regni *regum et possessorum* est introducere in regnum caelorum. Ipsorum etiam tanquam *iudicum*, secundum illud Iob trigesimo sexto[11]: « Non salvabit impium, sed iudicium pauperibus tribuit »; pauperibus, inquam, perfectis et voluntariis, de quibus Matthaei decimo nono: « Vos, qui reliquistis omnia et secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel ». Ipsorum etiam tanquam *familiarium et amicorum*, propter quod Iacobi secundo[12]: « Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, heredes regni, quod repromisit Deus » etc. Tales introducunt amicos et benefactores suos per illam legem iudicialem, per quam Dominus in futuro iudicio sententiabit, secundum quod dicit Matthaei vigesimo quinto[13]: « Quod uni ex minimis fecistis mihi fecistis », et per illam aliam legem, quam Dominus tulit, de qua Matthaei decimo: « Qui recipit iustum in nomine iusti mercedem iusti accipiet ».

Ratio triplex pro pauperibus voluntariis.

17. (Vers. 10.). *Qui fidelis est in minimo* etc. Postquam invitavit ad pietatem ex consideratione mercedis habendae, hic secundo invitat ex consideratione *fidelitatis servandae*[14]. Est enim fidelitas servanda in dispensatione temporalium tum propter *meritum et demeritum*, tum propter *periculum et damnum*.

Ratio fidelitatis servandae describitur dupliciter.

Primo ergo quantum ad considerationem *meriti fidelitatis* in huiusmodi rebus terrenis dicit: *Qui fidelis est in minimo et in maiori fidelis est;* quasi

De primo.

---

[1] Scilicet *ordinaria* ex Hieron., Epist. 121. (alias 151.) cap. sive quaest. 6, ubi ait: *Mamona* autem, non Hebraeorum, sed Syrorum lingua divitiae nuncupantur, quod de iniquitate collectae sint. Cfr. etiam I. Comment. in Matth. 6, 24.

[2] Vers. 10. — De sententia Augustino tributa cfr. supra pag. 287, nota 10.

[3] Homiliam istam, quam etiam Card. Hugo allegat, non invenimus; sententia exhibetur ab August., II. de Serm. Domini in monte, c. 14. n. 47. et Serm. 113. (alias 35. de Verbis Domini) c. 2. n. 2.

[4] Vers. 23. et deinde v. 24.

[5] Vers. 10. Cfr. IV. Sent. d. 15. p. II. a. 2. q. 1, et August., Serm. 113. (alias 35. de Verbis Domini) c. 2. n. 2. seq. Alii, ut Paulus Diacon. (Homil. 168. in Dominica 10. post Pent.) et Card. Hugo, duplicem iniquitatem distinguunt, scil. *iniquitatem iniustitiae*, quando divitiae iniusto titulo acquisitae sunt, et *iniquitatem inaequalitatis*, qua dives propter possessionem divitiarum aequalitatem cum aliis hominibus non servat. Divitiae prioris iniquitatis sunt restituendae, de divitiis posterioris iniquitatis eleemosynae sunt faciendae.

[6] Vers. 17. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 29, 13. et Prov. 11, 26.

[7] Vers. 2. et 3.

[8] Vers. 18.

[9] Luc. 16, 9. Glossa est *interlinearis* (cfr. August., Serm. 113. alias 35. de Verbis Domini, c. 1. n. 1.).

[10] Vers. 3. — Superius pro *Tales enim* Vat. *Tales autem*, et inferius *Ipsorum namque* pro *Ipsorum ergo*.

[11] Vers. 6: *Sed non salvat impios, et iudicium* etc. — Subinde allegatur Matth. 19, 28. Cfr. IV. Sent. d. 47. a. 1. q. 1.

[12] Vers. 5.

[13] Vers. 40, post quem 10, 41. — Inferius post *quam Dominus tulit* H addit *in mundo*, FG (et ut videtur etiam C) *muneri*; fortasse sensus sic exprimi potest: « tulit respectu muneris (mercedis), de quo ». Cum H substituimus *de qua* pro *de quo*.

[14] Cfr. supra n. 13.

dicat: licet ista temporalia contemnenda sint tanquam minima, tamen fidelis horum dispensatio non debet contemni, quia et eadem est fidelitas in re magna et parva, et fidelis dispensatio rerum temporalium disponit ad fidelem dispensationem et custoditionem spiritualium et aeternorum. Unde Glossa[1]: « *Qui fidelis est in minimo*, id est in pecunia cum paupere participanda, *et in maiori est fidelis*, adhaerens Creatori ». Et ideo dicitur huiusmodi servo Apocalypsis secundo[2]: « Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae »; similiter Matthaei vigesimo quinto: « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui ». Unde fidelitas circa parva fidelitatem ponit etiam circa magna; et e contrario infidelitas circa minima infidelitatem ponit circa maiora.

Modicum esse omne temporale, tripliciter suadetur.

18. Et ideo subdit: *Et qui in modico iniquus est et in maiori iniquus est. Modicum* recte dicitur omne, quod temporaliter possidetur, tum quia modicae *quantitatis;* Sapientiae undecimo[3]: « Quoniam sicut momentum staterae, sic est ante te universus orbis terrarum »; tum quia modicae *durationis;* Sapientiae quinto: « Transierunt haec omnia velut umbra »; et Psalmus: « Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum » etc.; tum quia modicae *iucunditatis;* unde Gregorius[4]: « Pauca sunt bona praesentis vitae, licet multa videantur », quia non sine alicuius molestiae admixtione sunt; multa autem bona aeterna, quae sunt sine omni corruptione. Qui ergo iniquus est in istis non potest habere caritatem Dei, quia pro parvis maxima contemnit. Vendit enim fidem et iustitiam pro eo quod nihil valet; unde Augustinus[5]: « Lucrum in arca, damnum in conscientia; tulit vestem, et perdidit fidem; acquirit pecuniam, et amisit iustitiam ». Male igitur dispensando pecuniam perdit felicitatem, perdit caritatem, perdit iustitiam, quae sunt maxima Dei dona. Unde Glossa[6]: « Qui temporalia, quae possidet, non bene dispensat, aeternorum sibi gloriam, de qua tumet, evacuat. *Si enim fratrem, quem videt, non diligit, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Et si habens substantiam viderit fratrem necessitatem habere* etc., *quomodo caritas Patris manet in eo* »? sicut habetur primae Ioannis tertio.

De secundo.

19. (Vers. 11.). Secundo quantum ad considerationem *periculi et damni* subdit: *Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est quis credet vobis?* quasi dicat: magnum est periculum male dispensare haec temporalia bona, quia propter infidelem dispensationem perdit quis divitias veras. Unde Glossa[7]: « Si divitias carnales, quae labuntur, non bene dispensatis, veras et aeternas divitias quis dabit vobis »? Dicuntur autem divitiae *iniquum mammon*, quia, sicut dicit Glossa[8], « divitiis praeest iniquus mammon, ut de eis tentet »; sicut tentavit Ananiam, de quo Actuum quinto: « Cur tentavit satanas cor tuum » etc. Tentatio illa fuit de furto; similiter de Achor dicitur Iosue septimo. *Verum* autem dicitur illud bonum, quod semper manet. Nam haec temporalia omnia, quia transeunt, vana sunt, secundum illud Ecclesiastae primo[9]: « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas ». Illud autem *verum* est Dei gratia, vel Dei gloria, vel potius ipse Deus, qui est merces bonorum; et ideo Psalmus: « Veritas Domini manet in aeternum »; et iterum: « Usque in generationem et generationem veritas tua ». Et in hac veritate consistit beatitudo, secundum illud Augustini in libro Confessionum[10]: « Beatitudo est gaudium de veritate »; quia enim « verum est id quod est », ipse solus est pura veritas, qui dicit: « Ego sum qui sum », Exodi tertio. Et istud *verum* non conceditur nec creditur nisi a veracibus et fidelibus; unde Ioannis tertio[11]: « Omnis, qui male agit, odit lucem et non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo facta sunt »; et Ioannis octavo: « Si manseritis in sermone meo, cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos ». Magnum ergo periculum infidelitatis est in his parvis, quia pro *vano* perditur *verum*, pro *parvo* perditur[12] magnum.

Notandum. — De vero bono.

---

[1] Scilicet *ordinaria* (ex Beda).

[2] Vers. 10. et deinde Matth. 25, 23. — Glossa *interlinearis* (ex Hieron., Epist. 121. alias 151. cap. sive quaest. 6.): *Qui fidelis est in minimo*, in carnalibus in usus fratrum bene expensis, *et in maiori fidelis est*, in spiritualibus erogandis.

[3] Vers. 23. — Duo seqq. loci sunt Sap. 5, 9. et Ps. 75, 6. — Inferius pro *durationis* Vat. *dominationis*.

[4] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 9. n. 2: Pauca quippe bona sunt omnia praesentis vitae, quamlibet multa esse videantur, comparatione retributionis aeternae. Sed tunc fidelis servus super multa constituitur, quando, devicta omni corruptionis molestia, de aeternis gaudiis in illa caelesti sede gloriatur. Cfr. ibid. II. homil. 37. n. 1. et V. in I. Reg. c. 2. n. 13.

[5] Vide supra pag. 229, nota 4. Pro *amisit* Vat. *amittit*, H *perdidit*. — Superius pro *maxima* A C H *magna*.

[6] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 16, 10, in qua allegatur I. Ioan. 4, 20. et 3, 17. (ita apud Lyranum; Strabo hanc allegationem omittit).

[7] Nempe *ordinaria* (ex Hieron., Epist. 121. alias 151. cap. sive quaest. 6.).

[8] Scilicet *interlinearis*. — Duo seqq. loci sunt Act. 5, 3. et Iosue 7, 1. et 19. seqq., ubi pro *Achor* Vat. cum Vulgata *Achan;* cfr. tamen tom. IV. pag. 345, nota 1. — Superius pro *iniquum mammon* G *iniquus mammon* (Cyrill. Alexandr. in Luc. 16, 10: ὁ ἄδικος μαμωνᾶς).

[9] Vers. 2. — Subinde allegantur Ps. 116, 2. et 99, 5; Vat. legit ut in Ps. 118, 90.

[10] Libr. X. c. 23. n. 33; cfr. supra pag. 297, nota 6. — Sequuntur definitio veritatis data ab Augustino (II. Soliloq. c. 5: Verum mihi videtur esse id quod est) et Exod. 3, 14. — Inferius pro *ipse solus est* Vat. *ideo solus ipse Christus est ipsa*.

[11] Vers. 20. et 21. (pro *quia in Deo* A C D *quoniam in Deo)*, quibus subiungitur 8, 31. seq.

[12] Ita D a secunda manu correctus; alii codd. omittunt *pro parvo perditur*, Vat. substituit *et* (plures codd. legunt *magnum etiam)*.

20. (Vers. 12.). Nihilominus, quia pro *alieno* perditur proprium; ideo subdit: *Et si in alieno fideles non fuistis*, per debitam boni terreni dispensationem; unde Glossa[1]: « Alienum a nobis est, quidquid saeculi est, quia praeter naturam ». Haec quidem dicuntur *bona aliena*, quia ea nobiscum nec afferre possumus nec auferre; primae ad Timotheum ultimo[2]: « Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus »; et Iob primo: « Nudus egressus sum de utero matris meae et nudus revertar illuc ». — *Quod*[3] *vestrum est quis dabit vobis?* per assecutionem caelestis praemii. Illud namque *nostrum* est, ad quod sumus creati et praeordinati, et quod habitum non potest perdi; unde Matthaei vigesimo quinto[4]: « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum » etc.; et supra sexto: « Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei ». Hoc autem regnum non est aliud nisi Deus et Dominus Iesus Christus; unde Glossa[5]: « *Quod vestrum est*, id est, quae proprie homini deputata sunt, Christus noster est, quia Christus vita nostra est »; ad Colossenses tertio: « Cum apparuerit Christus, vita vestra, tunc et vos apparebitis » etc.

Quid sit alienum bonum.

Quid nostrum.

21. (Vers. 13.). *Nemo*[6] *potest duobus dominis servire* etc. Post invitationem ad pietatem ex consideratione mercedis habendae et fidelitatis servandae hic tertio invitat ex consideratione *duplicitatis vitandae*[7], quia non potest simul haberi pietas ad Deum et cupiditas ad mundum; quod quidem facit hoc ordine, praemittens scilicet *duplicitatis reprobationem*, adiungens *reprobationis assertionem*.

Ratio duplicitatis cavendae describitur dupliciter.

Primo igitur quantum ad *reprobationem duplicitatis* dicit: *Nemo potest duobus dominis servire.* Haec propositio per se nota est; propter quod dicitur Ecclesiastici secundo[8]: « Vae duplici corde et labiis scelestis etc. et peccatori ingredienti terram duabus viis »! et Iacobi primo: « Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis ». Et ideo dicitur Ecclesiastici primo: « Ne accesseris ad illum duplici corde », hoc est, non velis duobus dominis simul servire, quia hoc non potest fieri recte. — Domini autem duo ab invicem divisi, quibus non potest simul serviri, sunt in differentia quadruplici. Sunt enim isti domini *vitium* et *virtus;* propter quod tertii Regum decimo octavo[9]: « Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal » etc.; et Isaiae vigesimo octavo: « Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat, et pallium breve utrumque operire non potest ». — Domini etiam isti sunt *caro* et *spiritus;* ad Galatas quinto[10]: « Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Haec enim sibi invicem adversantur, ut non, quaecumque vultis, illa faciatis ». Ideo ad Romanos octavo: « Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis ». — Item, domini isti sunt *Christus* et *diabolus;* secundae ad Corinthios sexto[11]: » Quae conventio Christi ad Belial »? et primae ad Corinthios decimo: « Non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum; non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum » etc. — Item, domini sunt *Deus* et iste *mundus;* Iacobi quarto[12]: « Adulteri, nescitis, quia amicitia huius mundi inimica est Dei? Si quis voluerit amicus huius mundi fieri, inimicus Dei constituitur »; et ideo primae Ioannis secundo: « Nolite diligere mundum, quia, si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo ». — Et de his duobus dominis intelligit dissuadendo cupiditatem mundanam et invitando ad pietatem divinam. Unde Glossa[13]: « Corripiens avaritiam dicit, amatores pecuniae Deum amare non posse; qui ergo Deum amat pecuniam contemnat ». Ex quo apparet, quod qui vult esse servus Christi non potest esse servus istius mundi; unde Beda[14]: « Debetis haec temporalia fideliter distribuere ut domini temporalium, non ut servi ».

De primo.

Quadruplex dominorum differentia.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

22. Secundo quantum ad *assertionem reprobationis* subiungit: *Aut enim unum odiet et alterum diliget;* quod dicitur quantum ad *caritatem*, quae odire facit malum et diligere bonum, secundum illud ad Romanos duodecimo[15]: « Odientes malum,

De secundo.

[1] Scilicet *interlinearis* (ex Hieron., Epist. 121. alias 151. cap. sive quaest. 6, et Ambros., VII. in Luc. c. 15. n. 246.). — Superius pro *Nihilominus, quia pro alieno perditur* Vat. *Immo et.*

[2] Vers. 7, post quem Iob 1, 21. — Ambros., loc. cit.: Neque nobiscum nascuntur neque nobiscum transeunt [divitiae]; Christus autem noster est, quia vita est.

[3] Codd. A C D *Et quod.*

[4] Vers. 34. et deinde Luc. 6, 20.

[5] Scilicet *interlinearis* (cfr. supra nota 2. verba Ambrosii), post quam Col. 3, 4.

[6] Cfr. supra pag. 407, nota 12.

[7] Vide supra n. 13. — Inferius pro *praemittens* Vat. *ponens.*

[8] Vers. 14. — Duo seqq. loci sunt Iac. 1, 8. et Eccli. 1, 36. — Glossa *interlinearis: Nemo servus potest duobus dominis servire*, inter se dissidentibus. Cfr. Chrysost., Homil. 21. (alias 22.) in Matth. n. 1: *Nemo... servire*, duos hic dicens, qui contraria praecipiant; nam si id non esset, non duo forent.

[9] Vers. 21, post quem Isai. 28, 20.

[10] Vers. 17. (pro *spiritus autem* C D F H *et spiritus)* et deinde Rom. 8, 13.

[11] Vers. 15, cui subiungitur I. Cor. 10, 20. seq.

[12] Vers. 4, quem sequitur I. Ioan. 2, 15.

[13] Scilicet *ordinaria* (cfr. Beda, V. in Luc. 16, 12. seq., qui sequitur Hieron., I. Comment. in Matth. 6, 24, et Ambros., VII. in Luc. c. 16. n. 247.).

[14] Libr. I. in Matth. 6, 24, ubi sequitur Hieron., loc. cit.; sententia Bedae exhibetur verbis Glossae *ordinariae* apud Lyranum in Luc. 16, 13. — Superius pro *istius mundi* C F H *huius mundi.*

[15] Vers. 9. seq. et deinde Ps. 118, 113. — Glossa *interlinearis: Aut enim*, nihil medium, *unum*, diabolum, *odiet et alterum*, Deum, *diliget, aut uni*, diabolo, *adhaerebit et alterum contemnet*, Deum, cuius mandata postponit et diligit naturaliter. Cfr. August., II. de Serm. Domini in monte, c. 14. n. 47. seq. et II. Qq. Evangelior. q. 36.

adhaerentes bono, caritate fraternitatis invicem diligentes »; et Psalmus: « Iniquos odio habui et legem tuam dilexi ». — *Aut uni adhaerebit et alterum contemnet;* quod dicitur quantum ad *cupiditatem,* quae adhaeret mundo et diabolo in contemptum Dei, secundum illud Ieremiae secundo [1]: « Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquae vivae et foderunt sibi cisternas, quae continere non valent aquas ».

Quadruplex ratio. Prima.

23. Ratio autem, quare quis non potest simul servire dominis praedictis, est quadruplex, prima scilicet *oppositio ministeriorum.* Nam servitium Dei est in exercitio *virtutum,* secundum illud supra primo [2]: « Serviamus illi in sanctitate et iustitia coram ipso »; et primae Petri primo: « Secundum eum qui vocavit vos sanctum, ut et ipsi sancti sitis » etc. Sed servitium diaboli est in exercitio *vitiorum;* unde supra decimo quinto de filio prodigo dicitur, quod « misit illum in villam suam, ut pasceret porcos ». — Secunda ratio est *dissimilitudo ministrorum,* quia Dominus vult habere servientes *oculatos;* propter quod dicitur Apocalypsis quarto [3], quod « animalia plena erant oculis ante et retro »; et Proverbiorum decimo quarto: « Acceptus est regi minister intelligens ». Sed diabolus vult habere servientes *monoculos;* unde primi Regum undecimo: « In hoc feriam vobiscum pactum, ut eruam omnium vestrum oculos dextros ». Dominus etiam vult habere ministros *compositos et ordinatos;* unde tertii Regum decimo [4]: « Videns regina Saba habitacula servorum et ordinem ministrantium » etc. Sed diabolus vult habere *incompositos et deformatos;* unde secundi Regum decimo: « Hanon, rex filiorum Ammon, praescidit vestes servorum David usque ad nates et rasit dimidiam barbam eorum ». Dominus etiam vult habere servientes *humiles,* secundum illud Psalmi [5]: « Non habitabit in medio domus meae qui facit superbiam, qui loquitur iniqua » etc. Sed diabolus vult habere *arrogantes;* Iob penultimo: « Omne sublime videt, et ipse est rex super omnes filios superbiae ». — Tertia ratio est *elongatio locorum,* quia Dominus vult esse in loco *sublimi et mundo;* Psalmus [6]: « Ad te levavi oculos meos, qui habitas in caelis »; et Canticorum secundo: « Ecce, venit saliens in montibus, transiliens colles ». Sed diabolus, in locis *immundis;* Iob quadragesimo: « Sub umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus ». — Quarta ratio est *indiscretio temporum,* quia diabolus vult, quod *sibi* serviatur omni tempore; Ieremiae decimo sexto [7]: « Servietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte » etc. Similiter Dominus vult, quod *sibi* omni tempore; Psalmus: « In lege Domini meditabitur die ac nocte » etc. Quoniam igitur Dominus vult totum tempus habere et totum cor, secundum illud Deuteronomii sexto [8]: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omni fortitudine tua »; et diabolus et mundus vult similiter totum: ideo impossibile est utrisque servire simul.

Secunda. Tertia. Quarta.

Conclusio.

24. Et ideo infert: *Non potestis Deo servire et mammonae.* Dicitur autem *servire mammonae* in cuius affectu divitiae dominantur, ita ut possit dici *avarus,* quia tunc est servus idolorum. Nam, sicut dicitur ad Ephesios quinto [9], « avaritia est idolorum servitus ». Unde Glossa: « Non ait: *habere divitias,* sed *servire.* Servit qui divitias custodit ut servus; sed qui servitutis excussit iugum distribuit ut dominus ». Et ideo dicebat Apostolus primae ad Corinthios septimo [10]: « Reliquum est, ut qui emunt tanquam non possidentes sint, et qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur » etc. Sed aliqui simul volunt habere Deum et mundum, qui sunt similes illis gentibus, de quibus quarti Regum decimo septimo [11]: « Erant gentes timentes Dominum, et nihilominus idolis servientes ». Contra hos dicitur Levitici decimo nono: « Veste, quae ex duobus contexta est, non vestieris », et contra hos dicit hic Dominus, et contra tales dicit Hieronymus [12]: « Impossibile est, ut praesentibus et futuris quis fruatur bonis, ut hic ventrem, ibi mentem impleat; ut de deliciis ad delicias transeat; ut hic cum saeculo gaudeat et ibi cum Deo regnet; ut in utroque saeculo primus in caelo et in terra appareat gloriosus ».

Notandum.

De confutatione Pharisaeorum rebellium duo.

25. *Audiebant autem omnia haec* etc. Post documentum informativum humilium subditur documentum *repressivum rebellium* [13]. Et quia Pharisaei rebelles erant doctrinae Christi hominis propter elationem, quam habebant de meritis, et haec elatio veniebat ex litterali observantia Legis; ideo pars ista habet duas, in quarum prima describitur *repressio*

Divisio.

---

[1] Vers. 13, in cuius fine pro *aquas* CDF *aquam.*

[2] Vers. 74. seq., deinde I. Petr. 1, 15. et Luc. 15, 15.

[3] Vers. 6. (codd. allegant *Ezech. 1,* ubi v. 18: Et totum corpus *oculis plenum;* Vat. *Ezech. 10,* 12.). — Sequuntur Prov. 14, 35. et I. Reg. 11, 2. — Du Cange, Glossarium etc.: *Monoculus,* Cocles, μονόφθαλμος... Veteres Glossae: *Unioculus... Monoculare,* Altero oculo privare.

[4] Vers. 4. — Subinde allegatur II. Reg. 10, 4, in quo pro *Hanon* codd. perperam *Naas* (qui fuit pater istius *Hanon).*

[5] Psalm. 100, 7. et deinde Iob 41, 25.

[6] Psalm. 122, 1, post quem Cant. 2, 8. et Iob 40, 16; cfr. supra pag. 205, nota 4. et pag. 294, nota 10. — Superius post *vult* codd. omittunt *esse.*

[7] Vers. 13, cui subnectitur Ps. 1, 2. — Superius pro *indiscretio* Vat. perperam *discretio,* H *indistinctio;* Card. Hugo *unitas.*

[8] Vers. 5. — Card. Hugo easdem quatuor affert rationes; cfr. B. Albert. et Gorranus.

[9] Vers. 5. — Glossa seq. est *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Hieron., I. Comment. in Matth. 6, 24.) in Luc. 16, 13.

[10] Vers. 29-31.

[11] Vers. 41. et deinde Lev. 19, 19.

[12] Epist. 118. (alias 34.) n. 6: Difficile, immo impossibile est... ut de deliciis transeat ad delicias, ut in utroque saeculo primus sit, ut et in caelo et in terra appareat gloriosus.

[13] Cfr. supra n. 13. — Inferius Vat. omittit *hominis.*

*arrogantiae Pharisaeorum,* in secunda vero, *evacuatio observantiae legalium praeceptorum,* ibi [1]: *Lex et Prophetae usque ad Ioannem,* ut sic ex ostensione evacuationis Legis auferatur inanis gloriatio a Pharisaeis.

Repressio arrogantiae describitur per tria.

Primo igitur *repressio arrogantiae* Pharisaeorum describitur per hunc modum: praemittitur enim Pharisaeorum *rebellio,* subditur *rebellionis reprehensio* et subiungitur *reprehensionis ratio.*

Rebellio.

26. (Vers. 14.). Primo igitur quantum ad *Pharisaeorum rebellionem,* qua Christum deridebant, dicitur: *Audiebant autem omnia haec Pharisaei, qui avari erant, et deridebant eum* [2]. *Deridebant* autem eum tanquam *superbi* de *verbis simplicitatis,* secundum illud Iob duodecimo: « Deridetur iusti simplicitas; lampas contempta apud cogitationes divitum ». Et sicut *stolidi* de *consiliis utilitatis;* Proverbiorum decimo quinto: « Stultus irridet disciplinam patris sui » etc. Vel sicut *stupidi* de *monitis pietatis,* secundum illud Psalmi [3]: « Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdae et obturantis aures suas »; unde Glossa: « Illi praeceptorem misericordiae et humilitatis et parsimoniae derident, quasi minus utilia et nunquam facienda noxius imperaret ». Vel sicut *cupidi* derident de *laudibus largitatis;* unde Glossa [4]: « *Deridebant,* intelligentes scilicet, parabolam adversus se dictam, et carnalia praesentia futuris spiritualibus quasi incertis praeponentes ». Et hoc est quod dicitur Proverbiorum decimo octavo: « Non recipit stultus verba prudentiae, nisi dixeris ea quae versantur in corde suo ». Vel sicut *legisperiti* de *commendationibus paupertatis;* unde Glossa [5]: « Disputantem contra philargyriam deridebant quasi contrarium Legi et Prophetis, cum in Lege multi divites Deo placuerint, et cum Lex suis observatoribus bona terrae promittat ». Unde Proverbiorum nono: « Et qui arguit impium sibi maculam generat ». Et hoc totum veniebat ex rebellione quadam elata et stolida.

Quia superbi. Quia stolidi. Quia stupidi. Quia cupidi. Quia contrarii paupertati.

Rebellium reprehensio.

27. (Vers. 15.). Secundo quantum ad *rebellium reprehensionem,* qua Christus eorum supercilium deprimebat, subditur: *Et ait illis: Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus,* per ostentationem iustitiae vestrae, qua vos ipsos iustos *reputatis;* ad Romanos decimo [6]: « Ignorantes iustitiam Dei et suam volentes statuere, iustitiae Dei non sunt subiecti ». Qua etiam iustos vos *dicitis,* contra illud Iob nono: « Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me; si innocentem, pravum me comprobabit ». Qua etiam iustos vos *exterius praetenditis,* contra illud Matthaei sexto: « Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis ». — Et quoniam talis iustificatio parit culpam, ideo addit: *Deus autem novit corda vestra,* per detestationem superbiae; unde non *novit* ad probandum, sed ad iudicandum; Psalmus [7]: « Excelsus Dominus, et humilia respicit et alta a longe cognoscit ». Unde dicitur Proverbiorum decimo sexto: « Omnes viae hominum patent oculis eius, spirituum ponderator est Dominus »; Ieremiae decimo septimo: « Pravum est cor hominum et inscrutabile, et quis cognoscet illud »? Parum igitur valet vobis humano testimonio commendari, cum sitis reprobandi iudicio Dei, qui scrutator est cordis. Ideo primae ad Corinthios quarto [8]: « Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum ». Unde quia iustitia ista non erat veritatis, sed vanitatis; non ad rem, sed ad hominem; non intra, sed extra: potius erat culpa detestanda quam virtus commendanda, potius digna poena quam retributione aeterna. Unde Matthaei quinto [9]: « Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum ».

Notandum.

Reprehensionis ratio.

28. Tertio quantum ad *reprehensionis rationem,* qua divinum iudicium exprimebat, subdit: *Quia quod hominibus altum est abominatio est ante Deum.* Nota, quod non reprehendit *altitudinem perfectionis,* de qua secundae ad Corinthios octavo [10]: « Altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum » etc. Nec *altitudinem contemplationis,* de qua ad Romanos undecimo: « O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius » etc.; et Ecclesiastici vigesimo quarto: « Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis ». Nec *altitudinem desiderii et exspectationis,* de quo in Psalmo [11]: « Tu es, Domine, spes mea; altissimum posuisti refugium tuum ». Hae enim *altitudines sunt*

Bona altitudo triplex.

---

[1] Vers. 16.

[2] Ita etiam B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 16. n. 3.) et Gorranus; Vulgata *illum.* — Duo seqq. loci sunt Iob 12, 4. seq. et Prov. 15, 5. — Inferius pro *Et sicut* Vat. *Vel sicut,* H *Item sicut.*

[3] Psalm. 57, 5. — Glossa seq. est *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 16, 14.

[4] Scilicet *interlinearis* in Luc. 16, 14. — Sequitur Prov. 18, 2.

[5] Nempe *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 16, 16. et deinde Prov. 9, 7.

[6] Vers. 3. — Duo seqq. loci sunt Iob 9, 20. (post *innocentem* Vulgata addit *ostendero,* Vat. *ostendere)* et Matth. 6, 1.

[7] Psalm. 137, 6, post quem Prov. 16, 2. et Ier. 17, 9, ubi pro *cor hominum* Vulgata et Vat. *cor omnium.* — Superius pro *ad probandum* G *ad approbandum,* Vat. *ad comprobandum.*

[8] Vers. 5. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 16, 15: *Et ait* etc. Dum peccatores quasi infirmos desperatosque contemnitis et vos perfectos in omnibus cunctaeque fragilitatis expertes eleemosynarum remedio non egere creditis. Sed haec tumoris altitudo quam iuste damnanda sit, videt ille qui *illuminat abscondita tenebrarum et manifestat consilia cordium.*

[9] Vers. 20. — Superius pro *ad hominem* secunda manus in D substituit *ad ostentationem.*

[10] Vers. 2. — Duo seqq. loci sunt Rom. 11, 33. et Eccli. 24, 7, ubi pro *habitavi* C D F *habito.*

[11] Psalm. 90, 9.

Mala altitudo triplex.

*ante Deum.* — Sed est *alia altitudo,* quae elongat ab Altissimo, et haec est *altitudo praesumtionis,* de qua Ieremiae quadragesimo octavo [1]: « Audivimus superbiam Moab, superbus est valde; sublimitatem eius et arrogantiam et superbiam et altitudinem cordis eius ego scio, ait Dominus ». Haec etiam est *altitudo ambitionis;* Ieremiae quadragesimo nono: « Arrogantia tua decepit te, qui niteris apprehendere altitudinem collis ». Haec etiam est *altitudo ostentationis;* Ezechielis trigesimo primo [2]: « Pro eo quod sublimatus est in altitudine et dedit summitatem suam virentem atque condensam, et elevatum est cor eius in altitudine sua; nunc tradidi eum in manus fortissimi gentium » etc. Ista altitudo in conspectu hominum est *abominatio apud Deum,* secundum illud Proverbiorum decimo sexto [3]: « Abominatio est Domino omnis arrogans, etiam si manus ad manum fuerit, non est innocens ». Dicitur autem Dominus *abominari* huiusmodi altitudinem propter severam ipsius deiectionem, secundum illud Isaiae secundo [4]: « Oculi sublimes hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum, exaltabitur autem Dominus solus in die illa ».

Haec dissuadetur.

29. Ideo haec triplex altitudo tanquam Domino abominabilis dissuadetur, primo scilicet *altitudo praesumtionis;* Ecclesiastici tertio [5]: « Altiora te ne quaesieris »; et ad Romanos undecimo: « Noli altum sapere » etc. Secundo, *altitudo ambitionis;* ad Romanos duodecimo: « Non alta sapientes, sed humilibus consentientes » etc. Dissuadetur tertio *altitudo ostentationis;* Psalmus: « Nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus Deum iniquitatem ». — Hanc autem altitudinem abominatur Dominus, quia *fastuosa;* primi Regum decimo sexto [6]: « Ne respicias altitudinem staturae eius, quoniam abieci eum ». Quia *simulata;* Danielis tertio: « Nabuchodonosor rex fecit statuam auream altitudine cubitorum sexaginta » etc. Quia *ruinosa;* propter quod Proverbiorum decimo septimo [7]: « Qui altam facit domum suam quaerit ruinam ». Et ideo dicitur secundae ad Corinthios decimo: « Arma militiae nostrae non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi ».

Ratio triplex.

Evacuatio praeceptorum legalium exponitur sub triplici respectu.

30. (Vers. 16.). *Lex et Prophetae usque ad Ioannem* etc. Post repressionem arrogantiae Pharisaeorum rebellium subditur hic secundo descriptio *evacuationis praeceptorum legalium* [8], quorum causa Pharisaei, erigentes supercilium, Christi documenta spernebant et suam avaritiam palliabant. Et quoniam lex Moysaica per Christum est evacuata, ita quod manet quantum ad *spiritualem intelligentiam caeremonialium* et *litteralem observantiam moralium;* ideo in hac parte insinuat non solum ipsius *Legis evacuationem* secundum *observantiam litteralem,* verum etiam *impletionem* secundum *intelligentiam spiritualem* et *durationem* secundum *ius morale et copulam coniugalem.*

Evacuatur observantia Legis litteralis.

Primo igitur quantum ad *evacuationem Legis* secundum *observantiam litteralem* dicit: *Lex et Prophetae usque ad Ioannem;* quasi dicat Pharisaeis: non debetis supercilium erigere pro Legis observantia, quia [9] iam cessat quantum ad litteram et figuram. Et nota, quod, licet Christus dicere posset: *usque ad me,* quia, ad Romanos decimo [10], « finis Legis Christus ad iustitiam » etc.; maluit tamen nominare Praecursorem tanquam suam vocem, quia per ipsius Ioannis ministerium ostensus est digito Agnus; Ioannis primo: « Ecce, Agnus Dei; ecce, qui tollit » etc.; et ipse iam incepit ostendere veritatem apertam ac per hoc evacuare figuram. Quia enim Lex et Prophetae omnes promittebant Christum futurum; et Ioannes ostendit praesentem: ideo « *Lex et Prophetae usque ad Ioannem,* quia non potuit ultra prophetari *futurum* quod claret *venisse* testimonio Ioannis [11] ».

Notandum.

Inchoatio n. testamenti.

31. Et quia finis Legis est per inchoationem novi testamenti, ideo sequitur: *Ex eo* [12] *regnum Dei evangelizatur,* id est, ab eo Evangelium gratiae inchoatur. Unde Marci primo [13]: « Initium Evangelii Iesu Christi, sicut scriptum est in Isaia: Ecce, ego mitto Angelum meum » etc.; ideo etiam beatus Lucas ab ipsa beati Ioannis conceptione in suo Evangelio exordium sumsit; supra primo: « Fuit in diebus Herodis ». Unde ut ipsius praedicatio *nova* ostenderetur,

---

[1] Vers. 29. et 30. — Subinde allegatur Ier. 49, 16.

[2] Vers. 10. et 11, in quo Vat. cum Vulgata omittit *nunc.*

[3] Vers. 5: *Abominatio Domini est omnis* etc. — Superius post *Ista altitudo* fere omnes codd. addunt *etiam,* quod in D secunda manus delevit; C legit: *Ista altitudo, quae in conspectu hominum est, abominatio est apud Deum;* Vat. *Ista altitudo est etiam in conspectu hominum, sed est abominatio apud Deum.*

[4] Vers. 11, ubi pro *sublimes* codd. *sublimis.*

[5] Vers. 22. — Tres seqq. loci sunt Rom. 11, 20. et 12, 16; Ps. 74, 6.

[6] Vers. 7. — Sequitur Dan. 3, 1, in quo pro *sexaginta* codd. *septuaginta.*

[7] Vers. 16. et deinde II. Cor. 10, 4. et 5.

[8] Cfr. supra n. 25.

[9] Cod. C substituit *quae.*

[10] Vers. 4. — Subinde allegatur Ioan. 1, 29. — Superius vocibus *usque me* fide C D H interseruimus *ad.*

[11] Ut dicit Glossa *ordinaria* apud Lyranum in Luc. 16, 17. ex Beda, V. in Luc. 16, 17, qui finem sententiae ita exhibet: *quia non potuit ultra venturum* [sic etiam Glossa] *prophetari quod Ioannis praeconio iam venisse clarebat.* Pro *ultra prophetari futurum* (ita C H) Vat. *ultra nuntium* [ita etiam plures codd.] *properari,* et deinde pro *quod* H cum Glossa *quem.* — Superius codd. omittunt *Christum.*

[12] Codd. *Et ex eo,* qui etiam superius omittunt *testamenti.*

[13] Vers. 1. seq. et deinde Luc. 1, 5. — Glossa *interlinearis: Lex,* ubi temporalia dabantur, *et Prophetae usque ad Ioannem,* qui poenitentiam et vitae austeritatem verbo et exemplo propter caelestia docebat, qui est finis Legis et initium gratiae; *ex eo,* a tempore eius, *regnum Dei* etc.

dicitur Marci primo [1], quod « erat baptizans et praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum ». — Et quia praedicatio Ioannis fuit de poenitentia, in qua homo facit sibi violentiam; ideo addit: *Et omnis in illud vim facit,* quod expressius dicitur Matthaei undecimo [2]: « A diebus Ioannis Baptistae regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud ». Haec autem est violentia, qua quis *excedit virtutem naturalem;* unde Beda [3]: « Magna vis est, cum de terra genitus caelum quaerit possidere per virtutem, qui non potuit tenere per naturam ». Haec etiam est violentia, quae *vincit incurvationem naturae;* unde Glossa [4]: « Faciamus vim naturae, ut non ad terrena demergat, sed ad superna se erigat ». Haec etiam est violentia, qua quis *vincit torporem pigritiae;* unde Beda [5]: « Omnis, qui vim facit, vehementi studio properat, non torpenti lentescit affectu. Est ergo fidei religiosa violentia, segnitia criminosa ». Magna enim violentia est, dum per vim et rigorem poenitentiae mitigat quis severitatem divinae sententiae, dum per orationem humilem inclinat districtionem sublimem. In cuius figuram dictum est Iacob, strenuo luctatori, Genesis trigesimo secundo [6]: « Si contra Deum fortis fuisti, multo magis contra homines praevalebis ».

**Violentia quoad tria descripta.**

**Figura.**

32. Et nota, quod beatus Bernardus [7] distinguit quatuor genera hominum possidentium regnum caelorum: « Alii namque violenter *rapiunt,* alii *mercantur,* alii *furantur,* alii *compelluntur* ad illud ». « Illi namque *rapiunt,* qui derelinquunt omnia et sequuntur Christum [8] », ad quos referri potest illud Genesis penultimo: « Catulus leonis Iuda, ad praedam ascendisti, fili mi »; et iterum ibidem: « Beniamin, lupus rapax, mane rapiet praedam et vespere dividet spolia ». — « *Mercantur* autem qui dant temporalia, ut accipiant aeterna »; de quibus supra duodecimo [9]: « Facite vobis sacculos, qui non veterascunt »; et supra eodem: « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis ». Talibus competit illud Augustini [10]: « Venale habeo, quid? Regnum caelorum. Quomodo emitur? Paupertate regnum, vilitate gloria, dolore gaudium, labore requies, morte vita ». — « *Furantur* autem qui bona occulte faciunt, et laudem humanam vitantes, solo divino testimonio sunt contenti »; quibus competit illud Matthaei sexto [11]: « Tu autem, cum ieiunas, unge caput tuum et faciem tuam lava ». — « *Compelluntur* autem intrare pauperes, quos hic ignis paupertatis, Deo dispensante, probat, ne in futuro ignis iudicii damnabiliter premat »; de his supra decimo quarto [12]: « Exi in vias et sepes et compelle intrare, ut impleatur domus mea ». Licet igitur tempore Legis esset tempus *mercandi,* nunc post Ioannem est tempus *rapiendi.* Nam, sicut tunc promittebatur opulentia, sic nunc suadetur paupertas.

**Genera 4 hominum.**

33. (Vers. 17.). Secundo quantum ad *impletionem Legis* secundum *intelligentiam spiritualem* subditur: *Facilius est autem, caelum et terram praeterire,* per conflagrationem mundi; Psalmus [13]: « Et tu in principio terram fundasti. Ipsi peribunt » etc. — *Quam de Lege unum apicem cadere,* per *frustrationem alicuius promissi.* Rabanus [14]: « *Caelum et terra transibunt,* per commutationem innovationis deposita forma, manente priori substantia; sed verba Domini sine effectu completionis nullo modo transibunt ». Ideo dicitur Matthaei vigesimo quarto [15]: « Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt »; quia, sicut dicitur in Psalmo, « in aeternum, Domine, permanet verbum tuum ». Unde licet lex vetus videatur transitoria, manens tamen est magis quam mundana creatura. Manet etiam per *divini verbi spiritualem intelligentiam;* unde Matthaei quinto [16]: « Non veni solvere Legem, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, iota unum aut unus apex non praeteribit a Lege, donec omnia fiant ». — Et nota, quod dicit *unum apicem; apex* enim proprie dicitur summitas litterae, quae ponitur ad ipsius litterae decorem et est quasi minimum quiddam. In quo datur intelligi, quod nihil omnino, nec

**Impletio Legis sec. intelligentiam spiritualem.**

**De apice.**

---

[1] Vers. 4.

[2] Vers. 12. Pro *rapiunt* codd. *diripiunt* (cfr. supra pag. 351, nota 3.), quod habet etiam August., II. Qq. Evangelior. q. 37, et Rabanus (Comment. in Matth.); vide etiam Card. Hug. et Lyranum, qui hanc lectionem exhibent in margine.

[3] Libr. V. in Luc. 16, 16; ipsius tamen sententia allegatur secundum Glossam *ordinariam*, quae pro *qui non potuit* substituit *quod non potuit* (ita et H); Vat. allegat ipsa verba Bedae.

[4] Scilicet *ordinaria* (ex Ambros., VIII. in Luc. c. 16. n. 1.) in Luc. 16, 16. Post *ad terrena* Vat., refragantibus Ambrosio et Glossa, addit *nos*, et pro *erigat* Ambros. *subrigat.*

[5] Haec sententia occurrit in Glossa *ordinaria* in Luc. 16, 16; initium Glossae est ex Beda, sed quae sequuntur (inter quae est haec sententia) sunt ex Ambros., VIII. in Luc. c. 16. n. 1.

[6] Vers. 28. — Superius pro *In cuius figuram* (ita C D F G) Vat. *In cuius figura.*

[7] Serm. 99. de Diversis, ubi etiam ea quae hic sequuntur (pluribus tamen mutatis), habentur.

[8] Respicitur Matth. 19, 27. seq. — Subinde allegantur Gen. 49, 9. et 27, ubi pro *rapiet* (ita etiam August., Serm. 279. alias 24. ex Sirmondianis, n. 1. et Serm. 333. alias 14. inter 50 Homilias, c. 3. n. 3.) Vat. cum Vulgata *comedet.*

[9] Vers. 33. et deinde 16, 9.

[10] Enarrat. in Ps. 93. n. 24, ex quo tamen solum sententia (non verba) affertur. Vat. cum nonnullis codd. in principio repetit *Venale habeo.*

[11] Vers. 17. Bernard. affert exemplum mulieris infirmae, quae occulte fimbriam vestimenti tangens sanata est; cfr. supra c. 8, 44. et Marc. 5, 27.

[12] Vers. 23. Codd. C D F G *Exi cito in vias* [C D *vicos*] etc.; cfr. v. 21.

[13] Psalm. 101, 26. et 27. Cfr. Hebr. 1, 10.

[14] In I. ad Cor. 7, 31. Expositio Matth. 24, 35. in nostris editionibus deest; cfr. tamen S. Thom., Cat. aurea in Matth. 24. n. 11. in fine. Beda, IV. in Matth. 24, 35: Caelum et terra per commutationem innovationis transibunt, sed verbum Domini sine effectu completionis nullo modo praeteribit.

[15] Vers. 35, post quem Ps. 118, 89.

[16] Vers. 17. et 18, quorum expositio inferius data est secundum Bedam et August., I. de Serm. Domini in monte, c. 8. n. 20.

parvum nec magnum, est in Scriptura, nec aliquid, quod non habeat completionem suam [1]. Omnia enim referuntur ad salutem humanam, quae habebit durationem perpetuam, transeunte etiam mundana creatura secundum exteriorem faciem; Isaiae quinquagesimo primo [2]: « Caeli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur etc. Salus autem mea in sempiternum erit, et iustitia mea non deficiet ». Unde liber Scripturae est proximior libro vitae quam liber creaturae, et ideo inexpletus remanere non potest.

Notandum.

34. (Vers. 18.). Tertio quantum ad *durationem Legis* secundum *ius naturae* et *copulam coniugalem* subdit: *Omnis, qui dimittit uxorem suam et ducit alteram, moechatur;* primo, quia non potest primam dimittere nisi ex sola causa fornicationis, secundum illud Matthaei decimo nono [3]: « Quicumque dimiserit uxorem nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur ». Secundo, quia quacumque ex causa illam dimittat, non ei licet, illa vivente, aliam ducere, et hoc secundum legem naturae divinitus institutam in hominis formatione; Genesis secundo [4]: « Relinquet homo patrem suum et matrem » etc. Et haec est quae dictat, quod « matrimonium est maris et feminae coniunctio, individuam vitae retinens consuetudinem »; quae etiam dictat, quod illud est vinculum insolubile. — Et ideo subdit: *Et qui dimissam a viro duxerit* [5] *moechatur.* Et ratio huius est, quia uxor est illius cuius primo fuit, quantumcumque videatur separari; unde Apostolus ad Romanos septimo: « Quae sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi. Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum altero viro ». Et ideo Ieremiae tertio: « Si dimiserit vir uxorem, et recedens ab eo duxerit virum alterum; nunquid revertetur ad eam ultra? Nunquid non polluta et contaminata erit mulier illa »? — Notandum est autem, quod, licet nulla mentio fieret de uxoribus, Dominus tamen, volens ostendere *statum* Legis quantum ad *moralia* et *transitum* quantum ad *caeremonialia* et *iudicialia*, exemplificat de matrimonio, pro eo quod in ipso *libellus* repudii dabatur. Et matrimonii lex in Evangelio confirmatur tanquam ius *morale*, et libellus repudii reprobatur; unde Matthaei decimo nono [6]: « Moyses mandavit dare libellum repudii et dimittere. Ait illis: Quia Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras ». — Ex his igitur colligitur, qualiter Lex *manet*, qualiter *evacuatur*, qualiter *impletur*, et nihilominus Pharisaeorum supercilium de littera Legis gloriantium confutatur.

Duratio Legis quoad duo.

De dimissione uxoris duo.

Notandum.

Epilogus.

**Exemplum impietatis punitae, de quo tria.**

35. *Homo quidam erat dives* etc. Post exemplum pietatis providae et documentum pietatis perfectae subditur hic *exemplum impietatis punitae;* quod, sicut supra [7] dictum est, magis tenet rationem *exempli* quam *parabolae*, quia ad litteram iste dives in deliciis fuit et postmodum in tormentis. Unde Glossa Bedae: « Contra derisores avaros quod proposuerat exemplo astruit, scilicet quod dives apud inferos ideo torquebatur, quia Lazarum non fecit sibi amicum, a quo recipi posset in aeterna tabernacula. Et magis videtur narratio quam parabola »; unde et Sancti verba huius parabolae adducunt in testimonium de statu damnatorum; et ut ostendatur, quod ad litteram fuit verum, hic nomen hominis pauperis explicatur. — Ad huius igitur exempli enarrationem explicandam introducit Evangelista tria, scilicet *immisericordiae causam, culpam* et *poenam.* Immisericordiae *causa* fuit *amor* respectu sui; immisericordiae *culpa* fuit *incompassio* respectu proximi, de qua ibi [8]: *Et erat quidam mendicus;* immisericordiae *poena* fuit *deiectio in calamitatem inferni*, de qua ibi: *Mortuus est autem et dives* etc.

Divisio.

Circa *immisericordiae causam*, quae est amor privati boni, introducit tria circa divitem, de quibus

Immisericordiae causa triplex.

---

[1] Glossa *ordinaria* (cfr. nota praecedens) in Matth. 5, 18: *Iota unum* etc. Hic ostenditur, quod quae minima putantur in Lege sacramentis spiritualibus plena sunt, et omnia recapitulantur in Evangelio. *Iota* minor est ceteris litteris. *Apex* est litterae aliqua summa particula; significat minimum praeceptum vel minimam praecepti particulam. Apte autem ponit iota Graecum... quia iota decem significat, id est decalogum, cuius apex est Evangelii perfectio etc. — Cod. F *impletionem suam*, H *complementum suum.*

[2] Vers. 6. — Superius pro *durationem* Vat. cum paucis codd. *dominationem.*

[3] Vers. 9. — Glossa *interlinearis*: *Omnis... moechatur*, Matthaeus: excepta causa fornicationis.

[4] Vers. 24. — De seq. definitione matrimonii cfr. IV. Sent. d. 27. a. 1. q. 1. et dub. 1.

[5] Cfr. Matth. 5, 32. et B. Albert. in Luc. 16, 18; Vat. cum Vulgata *ducit.* — Duo seqq. loci sunt Rom. 7, 2. seq. et Ier. 3, 1, in quo pro *ad eam* CDFG *ad eum;* cfr. supra pag. 383, nota 5. — Inferius pro *quantumcumque* A *quandocumque.*

[6] Vers. 7. et 8. Pro *dare* CDFG *dari*, qui etiam voci *Ait* praefigunt *et.* — Glossa *interlinearis* (ex Beda) in Luc. 16, 18: Non solvo Legem, sicut in hoc uno apparet, sic et de aliis intelligite.

[7] Num. 1. — Glossa seq. est *ordinaria* in Luc. 16, 19, cuius ultima propositio (*Et magis* etc.) est Ambros., VIII. in Luc. c. 16. n. 13; praecedentes sunt ex Beda, V. in Luc. 16, 19. In ipsa respicitur Luc. 16, 9: Facite vobis amicos... ut... recipiant vos in aeterna habitacula. Pro *proposuerat* et *ideo torquebatur, quia* textus originalis *proposuit* et *torquetur, qui;* pro *astruit* et *quia Lazarus* CD *ostendit* et *quod Lazarus.* Rem, de qua hic agitur, revera esse gestam et non solum parabolam proponi, asserunt etiam Irenaeus, IV. contra Haeres. c. 2. n. 4; Tertullian., de Anima, c. 7, et Gregor., Homil. in Evang. homil. 40. n. 1. Secundum Cyrill. Alexandr. et Theophylact. (in Luc. 16, 19.) *Lazarus* erat homo quidam pauper, qui Ierosolymis vivebat; et, ut Euthymius (in Luc. 16, 20.) refert, iuxta traditionem Hebraeorum dives iste vocabatur *Ninevis.* Iustin., Qq. et Responsion. ad orthodox. (inter opera Iustin.) q. 60. censet, hanc narrationem nec parabolam nec historiam esse, sed imaginem.

[8] Vers 20 et tertium v. 22.

notat eum, quae sunt *concupiscentia oculorum, superbia vitae* et *concupiscentia carnis* [1].

Causa prima. 36. (Vers. 19.). Primo igitur quantum ad *concupiscentiam oculorum* dicit: *Homo quidam erat dives. Homo* iste *dives* dicitur non solum propter divitiarum possessionem, sed propter earum dilectionem, ratione cuius, primae ad Timotheum ultimo [2], « qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et in laqueum diaboli » etc.; quia ratione dilectionis terrenorum incrassatur et praegravatur spiritus, ut non possit pervenire in sublimia regna caelorum. Propter quod Matthaei decimo nono: « Facilius est, camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum caelorum ». Hoc explicans dicit Marci decimo [3]: « Filioli, quam difficile, confidentes in pecuniis in regnum Dei introire! Facilius est camelum » etc. De huiusmodi divite dicitur Ecclesiastici decimo tertio: « Sicut communicabit lupus agno, sic peccator iusto. Quae communicatio homini sancto ad canem? Aut quae pars bona diviti et pauperi? Venatio leonis, onager in eremo, sic et pascua sunt divitum pauperes. Et sicut abominatio est superbo humilitas, sic et exsecratio est divitis pauper ».

37. Secundo quantum ad *superbiam vitae* subdit: *Et* [4] *induebatur purpura et bysso.* Beda: « *Purpura* est color regii habitus, e conchis marinis ferro circumcisis emissa; *byssus*, genus lini candidi et mollissimi ». Habebat autem hic vestimenta pulcra et pretiosa ad vanam gloriam; unde Gregorius [5]: « Nemo vestimenta pretiosa nisi ad gloriam quaerit, ut honorabilior ceteris habeatur ». Et hoc quidem est reprehensibile et peccatum, propter quod Ecclesiastici undecimo: « In vestitu ne glorieris unquam et in die honoris tui ne extollaris ».

Secunda.

38. Peccatur autem in vestibus quadrupliciter: primo propter *pretiositatem;* unde Beda [6]: « Si cultus pretiosarum vestium culpa non esset, sermo Dei non tam vigilanter exprimeret, quod dives purpura et bysso indutus apud inferos irremediabiliter torqueretur ». Valde enim absurdum est, putridum cadaver pretiosa veste ornari, unde possent multi pauperes sustentari. Excusatur autem hoc ratione *dignitatis personae,* ratione *significantiae* et ratione *cautelae* [7]. — Secundo, propter *superabundantiam;* Iacobi quinto [8]: « Vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus »; et hoc propter iniuriam pauperum; unde Iob vigesimo quarto: « Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum » etc. Hieronymus [9]: « Aliena rapere convincitur qui temporalia ultra necessitatem retinere comprobatur ». — Tertio, propter *curiositatem;* Matthaei sexto [10]: « De vestimentis quid solliciti estis »? Et iterum: « Considerate lilia agri: non laborant neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis ». — Quarto, propter *indecentiam,* quia non decet, clericum vestiri ut mulierem vel ut histrionem; Sophoniae primo [11]: « Visitabo super omnes viros indutos veste peregrina »; et Deuteronomii vigesimo secundo: « Non induetur vir veste muliebri ». — Omnibus autem his modis consueverunt homines in vestitu excedere et excedendo gloriari et gloriando peccare, et ista gloriatio vana est et similis gloriationi corniculae [12]. Ovis enim de lana et vermis de serico debet gloriari; nam « homo putredo et filius hominis vermis ».

In vestibus peccatur quadrupliciter: primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

39. Tertio quantum ad *concupiscentiam carnis* subdit: *Et epulabatur quotidie splendide;* Glossa [13]: « Ecce, voracitas », quae ut plurimum habet luxuriam adiunctam; Iacobi quinto: « Epulati estis super terram et in luxuriis enutristis corda vestra ». — Et nota, quod est *splendor* in *epulatione spirituali,* quem facit *sapientia;* et hic est laudandus, sicut et illa epulatio, de qua supra decimo quinto [14]: « Manducemus et epulemur, quia filius » etc. Haec epulatio est *splendida,* quia nihil habet sordis, sed venit ex fonte luminis sempiterni; Psalmus [15]: « Inebriabuntur ab ubertate »; et post: « Quoniam apud

Tertia.

Splendor triplex.

---

[1] Cfr. supra pag. 371, nota 7. — Superius pro *Circa immisericordiae causam* D *Primo quantum ad immisericordiae causam.*

[2] Vers. 9. — Subinde allegatur Matth. 19, 24. — Glossa *interlinearis* (cfr. Cyrill. Alexandr., Theophylact. et Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 3.): *Homo quidam,* quasi ignotus apud Deum, nomine non designatur.

[3] Vers. 24. et 25. Pro *in regnum Dei introire* A C D F G *regnum Dei introibunt.* — Sequuntur Eccli. 13, 21-24: *Si communicabit lupus agno aliquando, sic* etc.

[4] Ita etiam August., II. Qq. Evangelior. q. 38. n. 1, et Beda, V. in Luc. 16, 19; Vulgata *Qui.* — Sententia Bedae exhibetur verbis Glossae *ordinariae* in Luc. 16, 19; Vat. affert verba ipsius Bedae.

[5] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 3. — Sequitur Eccli. 11, 4.

[6] Libr. V. in Luc. 16, 19, ubi sequitur Gregor., loc. cit.; sententia exhibetur verbis Glossae *ordinariae.*

[7] Card. Hugo: Propter cautelam, ut quando aliquis magnus vult pro bono latere, ut Sebastianus. — Superius pro *Excusatur autem hoc* C D F G *Excusatur autem hic* (vestitus pretiosus).

[8] Vers. 2. et 3, (pro *in novissimis diebus* codd. *in die irae;* cfr. Rom. 2, 5.), quibus subiungitur Iob 24, 7.

[9] In Regula Monachor. (inter opera Hieron.) c. 4.

[10] Vers. 28. et 29. Pro *Considerate* codd. *Respicite* (quod occurrit v. 26.), et subinde pro *Dico autem vobis, quoniam* plures codd. *Dico enim vobis, quod.* Post *lilia agri* Vat. cum Vulgata addit *quomodo crescunt.*

[11] Vers. 8, post quem Deut. 22, 5.

[12] Respicitur Phaedr., I. Aesopiar. Fabul. fabul. 3, ubi describitur graculus (de cornicum genere) superbus, qui se ornaverat pennis pavonis, et gregi pavonum immixtus et ornatu suo spoliatus, cum infamia ad suos revertitur ab ipsisque despicitur. — Subinde allegatur Iob 25, 6. — Sententia *Ovis enim de lana* etc., a Vat. tribuitur *Hieronymo.* Plures codd. omittunt *debet gloriari* (H *gloriari posset),* et pro *nam homo* Vat. cum nonnullis codd. *non homo,* fortasse legendum *non homo; nam homo.*

[13] Scilicet *interlinearis,* post quam Iac. 5, 5.

[14] Vers. 23. et 24. — Superius pro *quem facit* A C D F G *quam facit;* cfr. tamen aliquanto inferius, ubi omnes *quem facit.*

[15] Psalm. 35, 9. et 10, quibus subnectitur Ps. 41, 5.

te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen »; et rursum: « Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis; in voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis ». — Item est *splendor* in *epulatione corporali*, quem facit *misericordia*, et hic etiam laudandus, de quo secundae ad Corinthios nono[1]: « Non ex tristitia, aut necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus ». Et hic splendor consistit in faciei hilaritate et eleemosynarum largitate. De hoc dicitur Ecclesiastici trigesimo primo: « Splendidum in panibus benedicent labia multorum, et testimonium veritatis illius fidele ». — Est etiam *splendor* in *epulatione carnali*, quem facit *lascivia*; Zachariae septimo[2]: « Nunquid non vobismetipsis manducastis et vobismetipsis bibistis »? Et iste splendor extenditur non solum ad fercula artificialiter praeparata, sed etiam ad vasa argentea, ad supellectilia candida, ad luminaria multiplicata. De hoc Lucanus[3]:

O quaesitorum terra pelagoque ciborum
Ambitiosa fames et lautae gloria mensae!

Notandum. De hoc Bernardus[4]: « Ceterum voluptas gutturis, quae hodie tanti aestimatur, vix duorum spatium obtinet digitorum. Huius tam modicae partis tam exigua delectatio quanta paratur sollicitudine! Quantam denique molestiam parit »! Haec autem abundantia epularum parit inopiam sapientiae et virtutum et frequenter etiam temporalium; unde Proverbiorum vigesimo primo[5]: « Qui diligit epulas in egestate erit; qui amat vinum et pinguia non ditabitur ».

40. (Vers. 20.). *Et erat quidam mendicus* etc. Post immisericordiae causam introducit hic Evangelista *immisericordiae culpam*[6], quam ostendit reprehensibilem ex triplici circumstantia, scilicet ex parte pauperis, quae ipsum reddebat misericordia dignum et divitem illum per consequens immisericordem et impium. Ostenditur enim immisericors respectu *pauperis languidi*, respectu *pauperis derelicti*, respectu *pauperis Deo cari et iusti*.

Immisericordiae culpa sec. triplicem respectum.

Respectu pauperis languidi. Primo igitur quantum ad *pauperis languidi egestatem* dicit: *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus*. Et nota hic, quod cum dives nominatus sit nomine communi, pauper nominatur nomine proprio, ut ostendatur illud quod dicitur in Psalmo[7]: « Parcet pauperi et inopi » etc.; et post: « Et honorabile nomen eorum coram illo ». Unde Glossa[8]: « Pauper humilis per approbationem ex nomine scitur ». Unde Dominus Moysi, Exodi trigesimo tertio: « Invenisti gratiam coram me, et te ipsum novi ex nomine », et hoc quidem magnum est. Unde licet de divitibus dicatur in Psalmo[9]: « Vocaverunt nomina sua in terris suis », pauperibus dicitur supra decimo: « Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in caelis ». Notandum.

41. Et nota, quod immisericordia divitis aggravatur ex hoc, quod ille pauper erat *unicus*; unde dicit quidam Psalmus[10]: « Respice in me et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego ». — Quia erat *mendicus*; unde addit *mendicus*, quasi pulsans ad ostium per petitionem eleemosynarum; Ecclesiastici quarto: « Rogationem contribulati ne abiicias et ne avertas faciem tuam ab egeno ». — Quia erat *manifestus*; unde addit: *Qui iacebat ad ianuam eius*, ut iam non posset de ignorantia excusari; propter quod primae Ioannis tertio[11]: « Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua » etc. O quam dissimilis erat iste Iob! de quo trigesimo primo: « Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit »; quam dissimilis etiam Abrahae, qui sedebat « in ostio tabernaculi », ut statim susciperet peregrinos, Genesis decimo octavo. — Aggravatur etiam, quia erat *languidus*, et ideo addit: *Ulceribus plenus*; Ecclesiastici septimo[12]: « Non te pigeat visitare infirmum; ex his enim in dilectione firmaris »; unde poterat hic dicere: « Ego sum pauper et dolens » etc.

Immisericordia aggravatur sex circumstantiis.

42. (Vers. 21.). Item aggravatur, quia fuit *famelicus*; unde addit: *Cupiens saturari*; Isaiae quinquagesimo octavo[13]: « Frange esurienti panem tuum et egenos vagosque induc in domum tuam » etc.; et Ecclesiastici quarto: « Animam esurientem ne despexeris et ne exasperes pauperem in inopia sua ». — Item aggravatur, quia *micis contentus*, unde sequitur: *De micis, quae cadebant de mensa divitis*;

[1] Vers. 7. — Subinde allegatur Eccli. 31, 28.

[2] Vers. 6. — Inferius pro *multiplicata* C D F G H *multiplicanda*.

[3] Libr. IV. de Bello civili, v. 375. seq.

[4] Serm. seu libr. de Conversione ad clericos, c. 8. n. 13.

[5] Vers. 17. Cfr. Card. Hugo in Luc. 16, 19.

[6] Vide supra n. 35. — Inferius post *ex parte pauperis* Vat. prosequitur: *qui ab Evangelista ostenditur misericordia dignus, et dives ille per consequens immisericors et impius.*

[7] Psalm. 71, 13. et 14. — Chrysost., Homil. 1. ex Luca c. 16, quae inscribitur *de Divite* (ed. Venet. an. 1583), quam etiam S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 16. n. 4.) affert. *Lazarus* interpretatur *qui adiutus est*, non est adiutor, sed adiutus; pauper enim erat, et in paupertate illum Dominus adiuvabat.

[8] Scilicet *interlinearis*; cfr. supra pag. 416, nota 2. — Sequitur Exod. 33, 12.

[9] Psalm. 48, 12. et deinde Luc. 10, 20.

[10] Psalm 24, 16. — Subinde allegatur Eccli. 4, 4.

[11] Vers. 17. — Duo seqq. loci sunt Iob 31, 32. et Gen. 18, 1. seqq. Pro *qui sedebat* (Vulgata *sedenti*) C D F G *qui stabat.* Chrysost., loc. cit.: Ideo iacebat ad ianuam, ut crudelitatem divitis in suo corpore demonstraret; ideo iacebat ad ianuam, ne dives diceret: Non vidi, in angulo fuit, aspicere non potui, nemo mihi nuntiabat; iacebat ante ianuam, videbat illum et exiens et revertens.

[12] Vers. 39, cui subiungitur Ps. 68, 30. — Chrysost., loc. cit. ait: Non habebat unum ulcus, totum corpus ulcera erant, ut magnitudo poenarum faceret magnitudinem misericordiae.

[13] Vers. 7. et deinde Eccli. 4, 2. — Chrysost., loc. cit.: Inter tanta vulnera non meminit dolores plagarum, sed famis, *cupiens saturari de micis, quae cadunt de mensa divitis*, quodam modo dicens ad divitem: Sufficiunt mihi micae mensae tuae; quod proiicis de mensa praebe eleemosynam, fac damno lucrum.

Iob vigesimo secundo [1]: « Aquam lasso non dedisti et esurienti subtraxisti panem »; et Ambrosius: « Divites, tanquam supra naturam siti, de miseriis pauperum incentiva suarum capiunt voluptatum ». — Ex his autem sex manifeste ostenditur istius pauperis egestas, quae dignum ipsum misericordia faciebat et divitem de duritia reprehensibilem ostendebat.

Respectu pauperis derelicti. 43. Secundo quantum ad *pauperis derelictionem* subdit: *Et nemo illi dabat;* unde poterat dicere Lazarus illud Isaiae sexagesimo tertio [2]: « Circumspexi, et non erat auxiliator; quaesivi, et non erat qui adiuvaret »; et Ecclesiastae nono: « Nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis »; quia, sicut dicitur Proverbiorum decimo nono, « fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper et amici eius recesserunt ab eo ». Unde iste pauper vere erat derelictus, secundum illud Psalmi [3]: « Tibi derelictus est pauper »; quia nullus eius relevabat egestatem, nullus etiam fovebat infirmitatem. — Unde et subditur: *Sed et canes veniebant et lingebant ulcera eius.* Glossa [4]: « Hos nec a se removere poterat, nec visitator erat, qui removeret »; ex quo apparet, quod dives inexcusabilis erat, qui pauperem ita derelictum videbat. Ex hoc etiam potest mira huius divitis crudelitas adverti, quia canibus fuit liberalior quam pauperi, et canes fuerunt mitiores ipsi pauperi quam dives; unde Petrus Ravennas [5]: « Canes pauperis ulcera curant magisterio naturae, dives pauperem negligit, natura accusante »; et hoc contra illud quod dicitur Iob quinto: « Visitans speciem tuam, non peccabis ». Unde idem Petrus Ravennas [6]: « Miser dives, si micam pauperi non dedisti, saltem quare canes abigere neglexisti? Sed canes tui mitiores te, immo tu immitior eis et mitior canibus tuis quam pauperi fuisti; canes tui aliquando pinguia, sed pauper nec micam de mensa tua aliquando recepit ». Ex magnitudine igitur miseriae pauperis aggravatur immisericordia divitis, et ex abundantia divitis augetur patientia pauperis mendici. Unde Gregorius [7]: « In una re duo iudicia Dei explentur: et ex *visione pauperis* diviti non miserenti cumulus damnationis infertur, et rursum etiam ex *visione divitis* quotidie tentatus pauper probatur »; Proverbiorum vigesimo secundo: « Pauper et dives obviaverunt sibi, utriusque operator est Deus ».

(Margin: Notandum.)

Respectu pauperis iusti. 44. (Vers. 22.). Tertio quantum ad *pauperis sanctitatem* subiungit: *Factum est autem, ut moreretur mendicus et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae;* ex quo apparet, quod hic mendicus erat sanctus et bonus, quia moriens ab Angelis suscipitur et in locum pacis deportatur; Sapientiae tertio [8]: « Visi sunt oculis insipientium mori »; et sequitur: « Illi autem sunt in pace ». Tales angelico portantur ministerio; unde Petrus Ravennas [9]: « Non dedignantur eum portare Angeli, cui prius hic ministrabant; ad Hebraeos primo: *Omnes sunt administratorii spiritus* » etc.; et post [10]: « Merito pauperi angelica deputantur officia, cui tam crudeliter denegata sunt humanitatis obsequia ». Deferunt autem Angeli mendicum istum in sinum Abrahae, id est in locum quietis; qui quidem locus ante apertionem ianuae erat in limbo et dicitur *sinus Abrahae,* quia ipse Abraham susceptus est ibi tanquam in sinum merito fidei, quo dictus est *pater multarum gentium* [11]; et illi qui ibi suscipiuntur, dicuntur *in eius sinu suscipi.* Unde et ei primo facta est repromissio de incarnatione Christi [12]. Vocatur autem *sinus,* quia, sicut in sinu res absconditur, fovetur et custoditur quasi in loco familiari, sic et sancti Patres in loco illo conservabantur; Isaiae quarto [13]: « Super omnem gloriam protectio. Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab aestu et in absconsionem a turbine et a pluvia »; et in Psalmo: « Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui ». In hoc sinu positus est Lazarus et ab omnibus malis sua morte liberatus, secundum illud Iob quinto [14]: « In sex tribulationibus liberabit te, et in septima

(Margin: De sinu Abrahae.)

---

[1] Vers. 7. — Sententia Ambrosii habetur VIII. in Luc. c. 16. n. 14, in qua pro *siti* (ita Vat. cum textu originali) A C D F *sic,* et pro *capiunt* C D F G H *rapiunt* (Ambrosius: *ut tanquam... capiant*). — Superius pro *quia micis contentus* B C D H *quia modicis contentus.*

[2] Vers. 5. — Duo seqq. loci sunt Eccle. 9, 15. et Prov. 19, 7.

[3] Psalm. 9, 35. sive secundum Hebraeos 10, 14.

[4] Scilicet *interlinearis.* Cfr. Chrysost., Concion. 1. de Lazaro, n. 9: Canes lingebant ulcera eius, adeo erat fractis viribus, ut ne canes quidem posset abigere etc. Theophylact. in Luc. 16, 19-22: Insuper destitutus erat omni cura, et canes lingebant ulcera eius, cum nemo esset, qui ab illo istos abigeret.

[5] Sive Petr. Chrysologus, Serm. 121. n. 18. — Sequitur Iob 5, 24. — Superius pro *crudelitas* Vat. *immisericordia,* et pro *quia canibus* G *qui canibus.*

[6] Loc. cit. Ultima pars sententiae *(et mitior* etc.), quam habet etiam Card. Hugo, in recentioribus edd. non invenitur.

[7] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 4. Sententia Gregorii exhibetur verbis Glossae *ordinariae* in Luc. 16, 21. — Subinde allegatur Prov. 22, 2.

[8] Vers. 2. et 3.

[9] Ita etiam Card. Hugo hanc Petri Ravenn. sententiam affert; loc. cit. n. 2. Petrus ait: En, fratres, quam rerum lamentanda mutatio: pauperem portant Angeli, divitem deglutit infernus. Cfr. Serm. 124. n. 7: Merito ergo portabatur ab Angelis qui iacebat. — In ipsa allegatur Hebr. 1, 14.

[10] Serm. 121. n. 2: Merito ei mox angelica officia, merito divina deputantur obsequia, cui tam crudeliter negata sunt ipsa humanitatis extrema.

[11] Gen. 17, 5. — August., IV. de Anima et eius orig. c. 16. n. 24: *Sinum Abrahae* intellige remotam sedem quietis atque secretam, ubi est Abraham. Et ideo *Abrahae* dictum, non quod ipsius tantum sit, sed quod ipse *pater multarum gentium* sit positus, quibus est ad imitandum fidei principatu propositus etc. Cfr. II. Qq. Evangelior. q. 38. n. 1: *Sinus Abrahae,* requies beatorum pauperum, *quorum est regnum caelorum* [Matth. 5, 3.], in quo post hanc vitam recipiuntur. Vide IV. Sent. d. 1. p. II. dub. 3. et d. 45. a. 1. q. 1.

[12] Cfr. supra pag. 353, nota 6.

[13] Vers. 5. et 6, quibus subiungitur Ps. 26, 5, ubi codd. omittunt *in tabernaculo suo.*

[14] Vers. 19-24. Cfr. Gregor., VI. Moral. c. 26. n. 43; vide etiam tom. VI. pag. 126, notam 1. in fine et in c. 10, 14.

non tanget te malum. In fame eruet te de morte et in bello a manu gladii. A flagello linguae absconderis, et non timebis calamitatem, cum venerit». « Et scies, quod pacem habeat tabernaculum tuum ».

Sinus culpabilis triplex.

45. Et nota, quod est sinus *culpabilis, laudabilis* et *desiderabilis.* — *Sinus culpabilis* triplex est, scilicet *carnalitatis;* Proverbiorum quinto [1]: « Quare seduceris, fili mi, ab aliena et foveris in sinu alterius »? et sexto: « Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta eius non ardeant » etc. « Sic qui ingreditur ad uxorem proximi sui non erit mundus, cum tetigerit eam ». *Cupiditatis;* Proverbiorum decimo septimo [2]: « Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas iudicii » etc. *Crudelitatis;* tertii Regum tertio: « Tulit filium meum de latere meo, ancillae tuae dormientis, et posuit in sinu suo; suum autem filium, qui erat mortuus, posuit in sinu meo »; et Iob trigesimo primo: « Si abscondi quasi homo peccatum meum ».

Sinus laudabilis triplex.

Est etiam *sinus laudabilis,* scilicet *humilitatis* in *abscondendo;* Exodi quarto [3]: « Retrahe manum tuam in sinum tuum. Retraxit et protulit eam, et erat similis carni reliquae » etc. Sinus etiam *benignitatis* in *refovendo;* Proverbiorum vigesimo primo [4]: « Munus absconditum exstinguit iras, et donum in sinu indignationem maximam ». Sinus etiam *longanimitatis* in *conservando;* Iob decimo nono [5]: « Reposita est haec spes mea in sinu meo »; et Ezechielis quadragesimo tertio: « In sinu eius erat cubitus, et definitio eius usque ad labium », cubitus scilicet perfectae mercedis.

Sinus desiderabilis.

Est tertio *sinus desiderabilis,* et de hoc dicit hic: « Factum est, ut moreretur mendicus et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae », per quem sinum intelligitur requies beatarum animarum; Matthaei octavo [6]: « Multi venient ab oriente et occidente et recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob in regno caelorum ».

Immisericordiae poena descripta dupliciter.

46. *Mortuus est autem et dives* etc. Post immisericordiae causam et culpam subiungit hic *immisericordiae poenam* [7], quam describit dupliciter: primo quantum ad *miseriam inflictam;* secundo, quantum ad *misericordiam denegatam,* ibi [8]: *Et dixit illi Abraham* etc.

Primo, de miseria inflicta tria.

*Miseria* autem *inflicta* propter immisericordiae culpam tripliciter describitur, scilicet quantum ad *deiectionem in locum miseriarum,* quantum ad *elongationem a loco iustorum* et quantum ad *multitudinem multiplicium calamitatum.*

Primum.

47. Primo igitur quantum ad *deiectionem in locum miseriarum* dicit: *Mortuus est autem et dives,* per *desertionem temporalium gaudiorum.* Et nota, quod utitur praeterito tempore ad innuendum, quod ille miser dives mortuus est, non una tantum, sed triplici morte. Prima est *culpae,* qua separatur anima a Deo; hac mortuus fuerat etiam, dum viveret; primae ad Timotheum quinto [9]: « Vidua, quae in deliciis est, vivens mortua est »; *vidua* est anima a Deo separata. — Secunda est mors *naturae,* qua *separatur anima a corpore;* Ecclesiastici quadragesimo primo: « O mors, quam amara est memoria tua homini iniusto, pacem habenti in substantia sua »! — Tertia est mors *gehennae,* qua separatur anima a vita beata; de hac Apocalypsis vigesimo [10]: « Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis ». In huius triplicis mortis designationem Apocalypsis octavo dicitur: « Vae, vae, vae habitantibus in terra » etc. — *Et sepultus est in inferno,* per *deiectionem in locum suppliciorum;* et hoc propter *culpam superbiae;* Isaiae decimo quarto [11]: « Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum »; propter *culpam lasciviae;* Iob vigesimo primo: « Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt »; propter *culpam immisericordiae;* Psalmus [12]: « Sicut oves in inferno positi sunt; mors depascet eos »; et iterum: « Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes, quoniam nequitiae in habitaculis eorum » etc. — Ex hoc apparet, quanta sit differentia inter parochianos Christi et diaboli, quia illi *sublimantur* in caelo, isti *sepeliuntur* in inferno, ubi est fovea valde profunda; Iob decimo septimo [13]: « In profundissimum inferni descendent omnia mea » etc.; et in Psalmo: « Ipsi introibunt in inferiora terrae, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt ».

Notandum. Mors triplex. Corollarium.

---

[1] Vers. 20; deinde 6, 27. et 29.

[2] Vers. 23. — Duo seqq. loci sunt III. Reg. 3, 20. (ubi codd. *et posuit in sinum suum... in sinum meum)* et Iob 31, 33. Cfr. Card. Hugo, qui sex sinus malorum distinguit, scil. sinum voluptatis, cupiditatis, vanitatis, impotentiae, negligentiae et malae conscientiae.

[3] Vers. 7, ubi pro *protulit eam* Vat. cum Vulgata *protulit iterum* (nam ad primum Domini mandatum Moyses manum ex sinu « protulit leprosam instar nivis »).

[4] Vers. 14, ubi pro *iras* A C D *iram.* — Superius pro *in refovendo* A C *retinendo* (ita etiam primitus D, secunda manus substituit *redimendo),* E *refocillando.*

[5] Vers. 27. et deinde Ezech. 43, 13, quem Card. Hugo *sinui vanitatis* (de quo vide supra notam 2.) applicans dicit: Cubitus est mensura perfecta. Unde *cubitus est in sinu eius,* qui opinione sua sibi videtur esse perfectus; *et definitio usque ad labium,* quando verba iactantiae de sua perfectione profert; Exod. 4, 6: *Cum misisset Moyses manum suam in sinu suo, protulit leprosam.*

[6] Vers. 11.

[7] Cfr. supra n. 45.

[8] Vers. 25.

[9] Vers. 6. — Sequitur Eccli. 41, 1, ubi Vulgata omittit *iniusto.*

[10] Vers. 14. et deinde 8, 13.

[11] Vers. 11. — Subinde allegatur Iob 21, 13.

[12] Psalm. 48, 15. et 54, 16. — August., II. Qq. Evangelior. q. 38. n. 1: *Sepultura inferni,* poenarum profunditas, quae superbos et immisericordes post hanc vitam vorat.

[13] Vers. 16. (pro *inferni* Vat. cum Vulgata *infernum,* et in fine legit D *descendit anima mea)* et deinde Ps. 62, 10.

Secundum.

48. (Vers. 23.). Secundo quantum ad *elongationem a loco iustorum* subdit: *Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis*, in loco scilicet continuae afflictionis; Apocalypsis decimo quarto [1]: « Ascendit fumus tormentorum eorum in saecula saeculorum »; Isaiae trigesimo: « Praeparata est ab heri Topheth ». « Nutrimenta eius ignis et ligna multa; flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam ». — *Vidit Abraham a longe et Lazarum in sinu eius*. Vere *a longe* et quantum ad *situm* et quantum ad *statum*, quia dives in loco *infimo*, ille vero in *supremo;* Proverbiorum vigesimo nono [2]: « Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria »; et Proverbiorum decimo quarto: « Iacebunt mali ante bonos, et impii ante portas iustorum ». Item, dives in *afflictione* erat, pauper in *requie;* Isaiae sexagesimo quinto [3]: « Servi mei comedent, et vos esurietis ». Item, quia dives in *egestate*, et pauper in *abundantia;* supra primo [4]: « Esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes »; Psalmus: « Edent pauperes et saturabuntur »; et alibi: « Divites eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum » etc. Dicitur autem, quod *vidit Abraham*, et non ad solatium, sed potius ad cumulum tormentorum. Unde Gregorius [5]: « Credendum est, quod ante retributionem extremi iudicii iniusti in requie quosdam conspiciant, ut, eos videntes in gaudio, non solum de suo supplicio, verum etiam de eorum bono crucientur »; Psalmus [6]: « Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet; desiderium peccatorum peribit »; et Sapientiae quinto: « Videntes turbabuntur timore horribili » etc.

Quoad situm. Quoad statum. Notandum.

Tertium.

49. (Vers. 24). Tertio quantum ad *aggregationem multiplicium calamitatum* subditur: *Et ipse exclamans* [7] *dixit: Pater Abraham, miserere mei;* ut sic ex clamore appareat magnitudo moestitiae, secundum illud Isaiae sexagesimo quinto: « Ecce, servi mei laudabunt prae exsultatione cordis, et vos clamabitis prae dolore cordis et prae contritione spiritus ululabitis ». Et hoc quidem conveniens fuit diviti; Proverbiorum vigesimo primo [8]: « Qui obturat aures suas ad clamorem pauperis, et ipse clamabit et non exaudietur ». — *Et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam;* ut sic ex petitione guttae aquae appareat *multitudo inopiae;* Iob vigesimo septimo [9]: « Dives, cum dormierit, nihil secum auferet; aperiet oculos suos et nihil inveniet. Et operiet eum tanquam aqua inopia »; Psalmus: « Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis ». Unde Chrysostomus [10]: « Qui in pretiosis excessit in culpa, vilissima hic petiit in poena »; et iterum, loquens ad divitem: « Quondam Lazarum videre non dignabaris, et nunc extremum eius digitum desideras »? Et Beda [11]: « Dives ille, qui mensae suae minima dare noluit, in inferno positus usque ad minima petenda pervenit; nam guttam aquae petiit qui Lazaro micam panis negavit »; Proverbiorum vigesimo octavo [12]: « Qui dat pauperi non indigebit, qui despicit deprecantem sustinebit penuriam ». — *Ut refrigeret linguam meam;* ut sic ex afflictione linguae appareat *rectitudo divinae iustitiae*. Unde Petrus Ravennas [13]: « Si iam te totum possidet ignis inferni, quare solius linguae desideras aestibus subveniri? An quia lingua magis ardet, quae pauperi insultavit, quae misericordiam denegavit? Haec praecedit ad iudicium, quae praecessit ad peccatum; haec primo degustat cruciatus, quae pretiosos cibos et odorifera pocula degustavit », secundum illud Sapientiae undecimo: « Per quae peccat quis, per haec et torquetur ». Unde et Beda in Glossa [14]: « Nota, quod, sicut mos est, inter convivia loquacitati studuit ». Propter quod Proverbiorum decimo: « In multiloquio non deerit peccatum ». — *Quia crucior in hac flamma;* ut sic appareat *rigor divinae vindictae;* Psalmus [15]: « Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui »; et Deuteronomii trigesimo secundo: « Ignis succensus est in furore meo et ardebit usque ad inferni novissima »; praeterea Ecclesiastici septimo: « Humilia

Multitudo inopiae. Rectitudo divinae iustitiae. Rigor divinae vindictae.

---

[1] Vers. 11, post quem Isai. 30, 33, in cuius explicatione Hieron. ait: *Ab heri* quippe et a praeterito tempore praeparata est a rege Domino *Thopheth*, id est *lata et spatiosa gehenna*, quae eos aeternis urat ardoribus etc.

[2] Vers. 23. et 14, 19.

[3] Vers. 13. — Superius voci *dives* H praefigit *quia*, et subinde pro *in requie* cum C substituit *in quiete*.

[4] Vers. 53, cui subiunguntur Ps. 21, 27. et 33, 11.

[5] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 8, ubi post *quosdam* textus originalis et Vat. *iustos conspiciunt* (Glossa *ordinaria* in Luc. 16, 23. *conspiciant)*, Card. Hugo *quosdam conspiciant*.

[6] Psalm. 111, 10. et Sap. 5, 2.

[7] Vat. cum nonnullis codd. et Vulgata *clamans*. — Sequitur Isai. 65, 14.

[8] Vers. 13. — Chrysost., Homil. 1. ex Luca c. 16. (cfr. supra pag. 417, nota 7.): *Et ipse clamans dixit*, magnae enim poenae magnam vocem reddebant: *Pater Abraham, miserere mei*, pater Abraham, licet me tormenta possideant, tamen patrem voco... patrem te voco natura, licet meo vitio te patrem perdiderim; *miserere mei; in inferno autem quis confitebitur tibi* [Ps. 6, 6.]? Frustra agis poenitentiam in loco, ubi non est poenitentiae locus.

[9] Vers. 19. et 20, in cuius fine Vat. cum Vulgata: *Apprehendet eum quasi aqua inopia*, post quos Ps. 75, 6.

[10] Ita etiam Card. Hugo; cfr. Chrysost. (ed. Venet. an. 1583, tom. I. fol. 288. col. 1) Homil. in Ps. 25, 11: *Redime me et miserere mei*. Seq. sententia habetur in Homil. 1. ex Luca c. 16. superius iam allegata.

[11] Libr. V. in Luc. 16, 23. seq., ubi sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 5.

[12] Vers. 27.

[13] Serm. 122. n. 11, pluribus tamen hinc inde mutatis. Post sententiam Petri Ravenn. sequitur Sap. 11, 17.

[14] Scilicet *interlinearis* (ex Beda, qui sequitur Gregor., loc. cit.): *Ut refrigeret linguam meam*, in qua amplius crucior. In hoc nota, quia, sicut mos est, etiam inter etc. Vat. verbis Glossae adiungit ex Beda: *et ideo apud inferos gravius in lingua ardere perhibetur*. — Subinde allegatur Prov. 10, 19.

[15] Psalm. 20, 10, post quem Deut. 32, 22. et Eccli. 7, 19.

valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii, ignis et vermis ».

50. Et nota, quod flamma haec erat vera, sed

Notanda doctrina.

lingua erat imaginaria, quia verus ignis affligit *spiritus*, secundum illud Matthaei vigesimo quinto[1]: « Discedite a me; maledicti, in ignem aeternum » etc. Et *anima* etiam affligitur in imaginibus, quas traxit a corpore, secundum illud Sapientiae decimo septimo[2]: « Apparebat illis subitaneus ignis timore plenus, et timore percussi eius quae non videbatur faciei, aestimabant, deteriora esse quae videbantur ». Et post: « Ipsi igitur sibi erant graviores tenebris ». Unde ex hoc colligitur, quod in afflictione reproborum simul concurrit poena vera et imaginaria, simul actio naturalis et supernaturalis, simul afflictio intrinseca et extrinseca, simul etiam propria et aliena, ut sic impleatur illud Sapientiae quinto[3]: « Pugnabit pro illo orbis terrarum contra insensatos ». Vera namque flamma adurebat, lingua etiam imaginaria et phantastica in anima divitis adustioni

Quare exprimatur specialiter lingua.

illi fomentum praebebat. Magis autem expressio fit de lingua quam de aliquo alio membro, quod crucietur et affligatur in incendio infernali, quia ipsa in culpis est quasi fomes totius iniquitatis; Iacobi tertio[4]: « Lingua modicum quidem membrum est et magna exaltat; ecce, quantus ignis quam magnam silvam incendit! Et lingua nostra ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quae maculat totum corpus et inflammat rotam nativitatis nostrae, inflammata a gehenna. Omnis enim natura bestiarum domatur, linguam autem nullus hominum domare potest »; est enim « inquietum malum, plena veneno mortifero ».

Lingua peccat quinque modis.

51. Hoc autem dicitur, quia ipsa lingua impugnat divinam *maiestatem*, *veritatem* et *bonitatem*, *mutuam caritatem* et omnem *morum honestatem*.

Primo dupliciter.

— Impugnat *maiestatem* per verba *iactantiae;* Psalmus[5]: « Qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus » etc.; et ideo praemittit ibi: « Disperdat Dominus universa labia dolosa et linguam magniloquam ». Item, per verba *blasphemiae;* Apocalypsis decimo sexto[6]: « Commanducaverunt linguas suas prae dolore et blasphemaverunt Deum »; et secundi Machabaeorum decimo quinto: « Linguam impii Nicanoris praecisam iussit particulatim avibus dari »; blasphemaverat enim. — *Veritatem*, per verba *mendacia;*

Item, secundo.

Proverbiorum vigesimo sexto[7]: « Lingua fallax non amat veritatem, et os lubricum operatur ruinas »; Ieremiae nono: « Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii et non veritatis ». « Docuerunt linguam suam loqui mendacium » etc.; Psalmus: « Dilexerunt eum in ore » etc. Per verba *duplicia;* Psalmus[8]: « Tota die cogitavit lingua tua iniustitiam, sicut novacula acuta fecisti dolum »; et iterum: « Lingua tua concinnabat dolos »; et Ecclesiastici quinto: « Non ventiles te in omnem ventum et non eas in omnem viam; sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua ». — *Bonitatem*, per

Item, tertio.

verba *blandientia;* Proverbiorum sexto[9]: « Ut custodiant te a muliere mala et a blanda linguae extraneae »; et Ecclesiastici vigesimo: « Fatuo non erit amicus, et non erit gratia in bonis illius. Qui enim edunt panem eius falsae linguae sunt »; Proverbiorum vigesimo octavo: « Qui corripit hominem » etc. Item, per verba *detrahentia;* Sapientiae primo[10]: « Custodite vos a murmuratione, quae nihil prodest, et a detractione parcite linguae »; et Ecclesiastici vigesimo octavo: « Sepi aures tuas spinis et noli audire linguam nequam »; et Proverbiorum vigesimo quinto: « Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem »; Iob vigesimo: « Cum dulce fuerit in ore eius malum, abscondet illud sub lingua sua ».

Item, quarto.

52. *Mutuam caritatem* per verba *litigantia;* Psalmus[11]: « Proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum »; Ecclesiastici octavo: « Non litiges cum homine linguato et ne struas ignem in ligna illius »; et Ecclesiastici quarto: « Noli esse citatus in lingua tua ». Item, per verba *provocantia;* Psalmus[12]: « Filii hominum, dentes eorum arma et sagittae » etc.; et Ieremiae nono: « Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est »; Psalmus: « Acuerunt linguam suam sicut serpentes ».

Item, quinto.

— Omnem *morum honestatem*, per verba *impudica;* Ecclesiastici ultimo[13]: « Liberasti me a lingua

---

[1] Vers. 41. Codd. *Ite maledicti* etc. — Cfr. IV. Sent. d. 50. p. II. a. 1. q. 1. ad 1. (ubi de *lingua imaginativa);* d. 44. p. II. a. 2. q. 1. et a. 3. q. 2; Breviloq. p. VII. c. 6. (ubi de *vero igne* inferni).

[2] Vers. 6. et 20. Cfr. Comment. S. Bonav. in hos locos.

[3] Vers. 21, ubi Vat. cum Vulgata *cum eo* loco *pro eo;* cfr. tom. VI. pag. 143, nota 2, ubi verba Gregorii afferuntur, in quibus occurrit etiam lectio *pro eo*.

[4] Vers. 5-8. Chrysost., Homil. 1. ex Luca c. 16. (superius allegata): *Ut refrigeret linguam meam*, multa enim superba locuta est. Ubi peccatum, ibi et poena... Quanta mala lingua habet, Iacobus in Epistola sua loquitur: *Modicum quidem membrum est, sed magna exaltat.* Qua plurimum peccavit, amplius torquetur. Aquam desideras, qui delicatos cibos ante fastidiebas.

[5] Psalm. 11, 5. et 4. — Superius pro *omnem morum honestatem* Vat. (nonnulli codd. ob abbreviationem sunt dubiae lectionis) *omnium morum honestatem.*

[6] Vers. 10. seq. (pro *Commanducaverunt* codd. *Manducaverunt),* et deinde II. Mach. 15, 33, ubi pro *impii* et *praecisam* A C D F G *impiissimi* et *incisam.*

[7] Vers. 28, post quem Ier. 9, 3. et 5; Ps. 77, 36.

[8] Psalm. 51, 4. — Duo seqq. loci sunt Ps. 49, 19. et Eccli. 5, 11. — Vat. omittit *Per verba duplicia.*

[9] Vers. 24. — Sequuntur Eccli. 20, 17. seq. et Prov. 28, 23.

[10] Vers. 11. — Tres seqq. loci sunt Eccli. 28, 28. (pro *linguam nequam* codd. *linguam detrahentem);* Prov. 25, 23. et Iob 20, 12.

[11] Psalm. 30, 21, post quem Eccli. 8, 4. (in cuius fine Vat. cum Vulgata *et non strues in ignem illius ligna)* et 4, 34.

[12] Psalm. 56, 5, cui subnectuntur Ier. 9, 8. et Ps. 139, 4.

[13] Vers. 7. et deinde Iac. 3, 6, in quo post *corpus* D F G addunt *nostrum*, A C *meum.*

coinquinata et a verbo mendacii »; Iacobi tertio: « Lingua constituitur in membris nostris, quae maculat totum corpus et inflammat » etc. Item, per verba *infructuosa;* Iacobi primo[1]: « Si quis putat, se religiosum esse, non refrenans linguam suam » etc.; et Ecclesiastici decimo nono: « Quis enim est, qui non deliquerit lingua sua » etc. Et ideo Iacobi tertio[2]: « Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir »; unde dicitur Proverbiorum decimo sexto: « Hominis est praeparare animam, et Domini gubernare linguam »; Proverbiorum decimo octavo: « Mors et vita in manu linguae ». Et ideo orabat Ecclesiasticus, vigesimo secundo[3]: « Quis dabit ori meo custodiam et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me »? — Propter hoc ergo dives hic in inferno positus dicit, ut *refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.*

53. *Et dixit illi Abraham* etc. Postquam descripsit poenam quantum ad miseriam inflictam, hic describit eam quantum ad *misericordiam denegatam*[4]; et haec pars dividitur in duas. In quarum prima exprimitur *denegatio misericordiae* respectu *personae propriae,* in secunda respectu *personae coniunctae,* ibi[5]: *Et ait: Rogo ergo te, pater* etc.

Secundo, de misericordia negata, descripta dupliciter.

Circa *denegationem misericordiae* respectu *personae propriae* introducuntur tria, scilicet *dissimilitudo meritorum, oppositio stipendiorum* et *ratitudo*[6] *divinorum iudiciorum.*

Respectu personae propriae tanguntur tria.

54. (Vers. 25.). Primo igitur quantum ad *dissimilitudinem meritorum* dicit: *Et dixit illi Abraham: Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua. Filium* vocat non ex imitatione, sed ex naturali generatione; Psalmus[7]: « Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt ». Unde dicit Petrus Ravennas: « Tu vocas me *patrem,* et ego te *filium,* ut te doleas graviter perdidisse quod natus es, quod tibi gratia dederat et natura ». Huic filio dicit, quod *recordetur bonorum,* non ad solatium, sed potius ad tormentum; unde Boethius[8]: « Infelicissimum genus fortunae est, fuisse felicem ». Et hoc recepit in remunerationem bonorum suorum; unde Beda[9]: « Nota, quod dives iste aliquid boni habuit, ex quo bonum transitorium in hac vita recepit »; unde erat de numero illorum, de quibus dicitur Matthaei sexto: « Amen dico vobis, receperunt mercedem suam ». Hoc ergo meritum fuit transitorium et praeambulum ad supplicium. — Sed e contrario fuit meritum Lazari; unde subdit: *Et Lazarus similiter mala;* hoc enim est *similiter in contrario:* Lazarus enim recepit mala ad tempus ad purgandum mala culpae et ad acquirendum bona felicitatis aeternae. Unde Beda[10]: « Lazarus aliquid mali habuit, sed ignis inopiae purgavit »; et Gregorius: « Si qua reprehensibilia in pauperibus videmus, non debemus despicere, quia fortasse, quos morum infirmitas vulnerat, hos medicina paupertatis sanat ». Et haec est via perveniendi ad regnum; Actuum decimo quarto[11]: « Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei ». Unde in hoc verificatum est illud Ecclesiastae octavo: « Sunt iusti, quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum »; nec immerito, quia Tobiae duodecimo: « Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te ».

Primum.

Notandum.

Notandum.

55. Secundo quantum ad *oppositionem stipendiorum* subditur: *Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Hic,* inquam, consolatur pro tribulatione; Ioannis decimo sexto[12]: « Mundus gaudebit, vos vero contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium »; unde Matthaei quinto: « Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur ». Sicut enim dicitur secundae ad Corinthios quarto[13]: « Id quod est in praesenti momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum » etc. Et ideo Iacobi primo: « Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis »; et post: « Beatus vir, qui suffert tentationem » etc. Et ideo Chrysostomus[14]: « Si aegrotamus, si pauperes sumus; gaudeamus, accipiamus mala in vita nostra, ut post recipiamus bona ». Nam sic dicit Propheta: « Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium ». Et in huius figuram, Ioannis secundo[15], ad nuptias architriclini aqua conversa est in vinum. Sic ergo pauper consolatur, et dives e contrario cruciatur; supra sexto: « Vae vobis! divites, qui habetis hic consolationem vestram »; et Proverbiorum decimo quarto: « Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus

Secundum.

---

[1] Vers. 26, post quem Eccli. 19, 17.

[2] Vers. 2. — Duo seqq. loci sunt Prov. 16, 1. et 18, 21, cui F G cum Vat. praefigunt *Propter quod* (Prov. 18.).

[3] Vers. 33. Cfr. Ps. 140, 3. seq.

[4] Cfr. supra n. 46.

[5] Vers. 27. — Superius pro *exprimitur* G *describitur.*

[6] Ita hic A C D, sed inferius n. 56. fere omnes codd.; Vat. *rectitudo.* Cfr. Du Cange, Glossarium etc. *Ratitudo,* Firmitudo, soliditas.

[7] Psalm. 17, 46. — Sententia Petri Ravenn. habetur Serm. 123. n. 3, ubi post *quod* [Card. Hugo et Gorranus *ad quod*] *natus es* addit *Adhuc voco filium, ut amarius doleas perdidisse te.*

[8] Libr. II. de Consolat. prosa 4: Nam in omni adversitate fortunae infelicissimum genus est infortunii, fuisse felicem.

[9] Libr. V. in Luc. 16, 25, ubi sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 6. Sententia Bedae exhibetur verbis Glossae *ordinariae,* quae ipsam attribuit *Augustino* (ita etiam Vat.). Cfr. Chrysost., Concion. 3. de Lazaro, n. 4. — Subinde allegatur Matth. 6, 2. — Superius pro *in remunerationem* in nonnullis codd. ob abbreviationem legi potest *in remuneratione.*

[10] Loco cit., ubi sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 6; ibid. n. 10. habetur seq. Gregorii sententia. — Superius pro *acquirendum* Vat. *inquirendum.*

[11] Vers. 21. — Duo seqq. loci sunt Eccle. 8, 14. et Tob. 12, 13.

[12] Vers. 20, post quem Matth. 5, 5.

[13] Vers. 17; deinde Iac. 1, 2. et 12.

[14] Concio 1. ex Luca c. 16. (cfr. supra pag. 417, nota 7.). — Sequitur Ps. 65, 12, ante quem pro *Nam sic* H *Nam sicut.*

[15] Vers. 9. — Duo seqq. loci sunt Luc. 6, 24. (pro *divites* Vat. cum Vulgata *divitibus)* et Prov. 14, 13.

occupat ». Haec enim delectatio temporalis in aeternum deiicit cruciatum; unde Gregorius [1]: « Momentaneum est quod delectat, sed aeternum est quod
Notandum. cruciat ». Iusto igitur Dei iudicio est correspondentia, ut sic sit transitus a contrario in contrarium, a tribulatione scilicet ad consolationem et a consolatione ad sempiternam afflictionem, ad modum cu-
Figura. iusdam crucis. In cuius figuram dicitur de Iacob Genesis quadragesimo octavo [2], quod in benedictione filiorum Ioseph manus cancellavit ad modum crucis.

56. (Vers. 26.). Tertio quantum ad *ratitudi-*
Tertium. *nem divinorum iudiciorum* subdit: *Et in his omnibus chaos magnum firmatum est inter nos et vos;* in quo insinuatur impossibilitas appropinquandi inter reprobos et electos; Ecclesiastae undecimo [3]: « Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in
Quid sit chaos. quocumque loco ceciderit, ibi erit ». Hanc intransgressibilitatem vocat *chaos*, quia nec possunt boni in tenebras peccatorum descendere, nec mali in lucem bonorum; propter quod dicitur Ioannis duodecimo [4]: « Ambulate, dum lucem habetis, ut non tenebrae vos comprehendant ». De hac intransgressibilitate in Glossa dicit Ambrosius: « Inter pauperem et divitem chaos est, quia post mortem nequeunt merita mutari », ac per hoc nec haberi aliqua consolatio mutua. — Et ideo subdit: *Ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint*, praestando pietatis auxilium, *neque inde huc transmeare*, attingendo ad praemium aeternum. Unde Gregorius [5]: « Iustorum animae, etsi in naturae suae bonitate misericordiam habent, iam tunc, auctoris sui iustitiae coniunctae, tanta rectitudine constringuntur, ut nulla ad reprobos compassione moveantur ». *Mali* quidem non possunt de ergastulo exire tartari infernalis; Psalmus [6]: « Relinquent alienis divitias suas, et sepulcra eorum domus illorum in aeternum ». De hoc non possunt exire, quia, Ecclesiastae nono [7], « nec opus nec ratio nec scientia nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas »; nec enim de inferno possunt egredi nec in requiem electorum intrare; Isaiae quinquagesimo secundo: « Non adiiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus aut immundus »; unde Apocalypsis ultimo: « Foris canes et venefici, impudici et idolis servientes » etc. *Boni* autem non possunt transire ad malos iuvandos, possunt tamen ad contemplandos; unde Isaiae ultimo [8]: « Egredientur et videbunt cadavera virorum, qui praevaricati sunt in me; vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur; et erunt usque ad satietatem visionis omni carni ».

57. (Vers. 27.). *Et ait: Rogo ergo te, pa-*
*ter* etc. Post denegationem misericordiae respectu Respectu personae coniunctae tanguntur quatuor.
personae propriae subditur hic *denegatio* respectu *personae coniunctae* [9]. Circa quam introducuntur quatuor, scilicet *petitio misericordiae* respectu personae coniunctae, *denegatio misericordiae postulatae, ratio petitionis propositae* et *approbatio responsionis iam datae.*

Primo igitur quantum ad *petitionem misericor-* Primum.
*diae respectu personae coniunctae* dicit: *Et ait: Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei.* Haec autem petitio erat *carnalis*, quia solum ad fratres se extendit.

58. (Vers. 28.). Unde subdit: *Habeo enim quin-* Petitio erat carnalis.
*que fratres;* Ecclesiastici decimo octavo [10]: « Miseratio hominis circa proximum suum » etc. Ideo *carnalis* erat, quia pro fratribus carnalibus et secun-
dum carnem viventibus. Et hoc insinuat etiam ipse Numerus quinarius.
numerus quinarius, in quo intelligitur, quod quinque sensibus corporis erant dediti, secundum illud quod dicitur Samaritanae Ioannis quarto [11]: « Quinque viros habuisti, et nunc quem habes » etc.; et supra decimo quarto: « Iuga boum emi quinque ». Carnalis etiam, quia hoc non faciebat propter vitandum supplicium alienum, sed ne ex eorum adventu augeretur suum. — Propter quod subdit: *Ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Hoc quidem dicebat, ne ex eorum praesentia sua calamitas cresceret per multiplicata proximorum tormenta; unde Beda [12]: « Servatur diviti ad poenam

---

[1] Cfr. tom. VI. pag. 165, nota 3. Serm. 117. in Append. (alias 7. de Tempore) August. n. 3: Quod putatur dulce modo satis esse in brevitate temporum, quam amarum erit in igne aeterno, quam gravi et perpetua poena punienda erit brevitas delectationis! — Superius pro *deiicit cruciatum* (ita C D) Vat. *deliciae* [F *divitiae*] *cruciantur*, H legit *Hae enim delectationes temporales deiiciunt in aeternum cruciatum.*

[2] Vers. 13. et 14.

[3] Vers. 3. — Superius pro *ratitudinem* H cum Vat. *rectitudinem;* cfr. supra pag. 422, nota 6.

[4] Vers. 35. — Glossa seq. est *interlinearis* ex Ambros., VIII. in Luc. c. 16. n. 18, post quam D H prosequuntur *ac per hoc nec habere aliquam consolationem mutuam.*

[5] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 7. Pro *etsi* (ita etiam Glossa *ordinaria)* C D *etiamsi*, textus originalis *quamvis... habeant.*

[6] Psalm. 48, 11. et 12.

[7] Vers. 10. — Duo seqq. loci sunt Isai. 52, 1. et Apoc. 22, 15.

[8] Vers. 24, ubi pro *virorum* A C D F G *mortuorum illorum* (F G *multorum).* — Superius pro *iuvandos* (ita B; cfr. aliquanto superius, ubi dicitur *praestando pietatis auxilium)* H *adiuvandos*, alii codd. et Vat. *videndos.*

[9] Cfr. supra n. 53. — Inferius ex C D F H supplevimus *respectu personae coniunctae.*

[10] Vers. 12. — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 8: Sed postquam ardenti diviti de se spes tollitur, eius animus ad propinquos, quos reliquerat, recurrit etc.

[11] Vers. 18. (vide S. Bonav. in hunc locum) et Luc. 14, 19. — Chrysost., Concio 1. ex Luca c. 16. (cfr. supra pag. 417, nota 7.): Quinque fratres habes: visum habes, odoratum habes, saporem habes, auditum habes, tactum habes. His fratribus tu ante servisti; istos habebas fratres; quando illos amabas fratres, Lazarum fratrem amare non poteras... Hi fratres tui amabant divitias, non poterant videre paupertatem... Quid salvare vis illos fratres, qui non amant paupertatem? Necesse est, ut fratres habitent cum fratre suo.

[12] Libr. V. in Luc. 16, 27. seq., ubi sequitur Gregor., loc. paulo superius allegato. Sententia Bedae exhibetur verbis Glossae *ordinariae.*

et cognitio pauperis, quem despexit, et memoria fratrum, quos reliquit, ut de visa gloria despecti et de poena inutiliter amatorum amplius torqueatur ». Et illud est praecipue verum, quando imitatores scelerum alienorum sunt participes suppliciorum; unde Gregorius[1]: « Ut peccatores in suppliciis amplius torqueantur, et eorum videbunt gloriam, quos contempserunt, et illorum poenam, quos inutiliter amaverunt ». — Erat autem haec petitio non solum carnalis respectu sui, verum etiam *crudelis* respectu proximi, quia propter amorem suorum parentum carnalium volebat, quod Lazarus egrederetur sinum quietis et iret in locum periculorum, ut verificetur illud in eo Proverbiorum duodecimo[2]: « Novit iustus animas iumentorum suorum, viscera autem impiorum crudelia ». Unde et Christus, qui Lazarum, fratrem Mariae, ad vitam revocavit, flevisse dicitur Ioannis undecimo: « Et lacrymatus est Iesus ». — Erat etiam *fatua*, quia credebat, plus valere verbum hominis mortui quam immortalis Dei; unde impletur illud Ecclesiastae decimo[3]: « Sed in via stultus ambulans, cum ipse sit stultus, omnes stultos aestimat » etc. Unde Glossa: « Serius hic dives praedicator incipit esse, cum iam nec discendi tempus habeat nec docendi ». — Erat similiter *inverecunda*, quia parva negaverat et modo maxima postulabat, contra illud quod dicitur Ecclesiastici quarto[4]: « Non sit porrecta manus tua ad accipiendum et ad dandum collecta ».

Notandum.

Erat crudelis.

Erat fatua.

Et inverecunda.

59. (Vers. 29.). Secundo quantum ad *denegationem misericordiae postulatae* subdit: *Et ait illi Abraham: Habent Moysen et Prophetas; audiant illos. Moysen*, id est doctrinam Legis, quae audienda est pro magnitudine auctoritatis. Nam, Proverbiorum vigesimo octavo[5], « qui avertit aurem suam, ne audiat Legem, oratio eius fiet exsecrabilis ». Et ideo dicebat legislator Deuteronomii trigesimo secundo: « Audite, caeli, quae loquor, audiat terra verba oris mei ». « Date magnificentiam Deo nostro; Dei perfecta sunt opera ». Et habent etiam *Prophetas*, id est doctrinam Prophetarum audiendam pro certitudine veritatis, secundum illud secundae Petri primo[6]: « Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes tanquam lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris ». Qui huius duplicis doctrinae verba tam authentica et tam certa audire recusat, nullam prorsus habet excusationem. Propter quod dicit Dominus per Ieremiam prophetam Ieremiae vigesimo sexto[7]: « Si non audieritis me, ut ambuletis in Lege mea, quam dedi vobis, ut audiatis sermones servorum meorum Prophetarum, quos ego misi ad vos de nocte consurgens, et non audistis; dabo domum istam sicut Silo et urbem hanc dabo in maledictionem ». Si igitur inexcusabiles sunt qui non audiunt Legem et Prophetas, prorsus inexcusabiles sunt qui non audiunt Apostolos et Evangelistas, immo nec ipsam Sapientiam incarnatam. Unde ipsa conqueritur Proverbiorum primo[8]: « Quia vocavi, et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret »; « ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis hoc quod timebatis, advenerit ». Qui hanc Sapientiam, quae « foris praedicat in plateis[9] », non vult audire prorsus inexcusabilis est, quia sibi perhibent testimonium Lex et Prophetae. Unde Matthaei decimo septimo[10]: « Apparuerunt eis Moyses et Elias, cum eo loquentes »; « et vox de nube facta est: Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite ». Et propterea dicitur ad Hebraeos secundo[11]: « Oportet, nos observare ea quae audivimus, ne forte pereffluamus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo factus est firmus; quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem »? Et ad Hebraeos duodecimo: « Accessistis ad novi testamenti mediatorem Iesum et sanguinis aspersionem multo melius loquentem quam Abel. Videte, ne recusetis loquentem ».

Secundum.

Notandum.

60. (Vers. 30.). Tertio quantum ad *rationem petitionis propositae* addit: *At ille dixit: Non, pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad illos*[12], *poenitentiam agent.* In hoc ostendebat fratrum suorum *carnalitatem*, utpote qui magis moverentur ad corporalem suscitationem quam ad spiritualem revelationem. Unde hi erant de numero illorum, de quibus Sapientiae secundo[13]: « Dixerunt impii apud semetipsos cogitantes non recte »: « Non est refrigerium in fine hominis, et non est qui agnitus sit reversus ab inferis ». In hoc etiam ostendebat

Tertium.

---

[1] Loc. cit.

[2] Vers. 10. — Subinde allegatur Ioan. 11, 35.

[3] Vers. 3. — Glossa seq. est *ordinaria*, in qua pro *praedicator* (ita A C D) alii codd. cum textu originali *magister*. Glossa haec est Ambros., VIII. in Luc. c. 16. n. 19: Serus autem dives iste magister incipit etc. (Pro *Serius* plures codd. substituisse videntur *Hieronymi*, II *Hieronymi: Serius*).

[4] Vers. 36.

[5] Vers. 9. — Subinde allegantur Deut. 32, 1. et 3. seq.

[6] Vers. 19. — Ambros., VIII. in Luc. c. 16. n. 19: Quo loco evidentissime declarat Dominus, vetus testamentum esse fidei firmamentum, retundens perfidiam Iudaeorum et excludens nequitias haereticorum.

[7] Vers. 4 6. Cfr. Hieron. in hunc loc.

[8] Vers. 24. et 26.

[9] Prov. 1, 20. Subinde respicitur Ioan. 5, 39: Illae (Scripturae] sunt, quae testimonium perhibent de me.

[10] Vers. 3. et 5. [11] Vers. 1-3. et deinde 12, 24. seq.

[12] Vat. cum Vulgata et paucis codd. *eos;* cfr. S. Thom., Cat. aurea in Luc. 16. n. 6.

[13] Vers. 1. — Theophylact. in Luc. 16, 27-31: *Non*, inquit, *pater*. Nam quemadmodum ipse, Scripturas audiens, non crediderat et fabulas esse putarat ea quae dicebantur; similiter etiam fratres suos se habere suspicatus est, et ex se iudicans dicebat, quod non audituri sint Scripturas, sicut neque ipse, sed si quis ex mortuis resurrecturus esset, credituri sint. Cfr. Chrysost., Concion. 4. de Lazaro, n. 2, et Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 9, ex quo Glossa *interlinearis* in Luc. 16, 30: *Non, pater Abraham*, qui [dives] verba Dei despexerat haec audire non posse suos sequaces [fratres] aestimabat.

fratrum suorum *perversitatem,* ut testimonium hominis mortui praeferrent testibus Dei vivi, contra illud Isaiae octavo[1]: « Nunquid non populus a Deo suo requiret visionem pro vivis a mortuis? Ad legem magis, et ad testimonium. Quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux ». In hoc etiam ostendebat fratrum *incredulitatem,* ut nollent credere, nisi signa et prodigia viderent, sicut ille regulus Ioannis quarto[2]: « Nisi signa et prodigia videritis, non creditis ». In hoc similiter ostendebat fratrum *fatuitatem,* quia magis deberent ad poenitentiam provocari ex hoc, quod vident homines mori, quam si viderent, eos resuscitari; Ecclesiastici trigesimo octavo[3]: « Memor esto iudicii mei; sic enim erit et tuum, mihi heri et tibi hodie »; et Ecclesiastici decimo septimo: « Ante mortem confitere; a mortuo quasi nihil perit confessio »; Psalmus: « Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum ».

61. (Vers. 31.). Quarto quantum ad *approbationem responsionis iam datae* subdit: *Ait autem illi*[4]*: Si Moysen et Prophetas non audiunt,* eis scilicet obediendo; sic enim audiendi sunt, secundum illud Apocalypsis primo[5]: « Beatus, qui legit et audit verba prophetiae huius et servat ea » etc. Qui tantos testes non audit veritatem Dei contemnit, secundum illud Ezechielis tertio: « Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me. Omnis quippe domus Israel attrita fronte est et indomabili corde ». — Unde quia tantae veritati resistunt obdurati et inhabiles ad credendum, ideo addit: *Neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent ei*[6]. Et est ratio huius consequentiae, quia qui non credit testimonio magis credibili, nec etiam minus credibili. Huius exemplum habemus in *Lazaro,* alio suscitato, cui Iudaei increduli non solum non crediderunt, immo, sicut dicitur Ioannis duodecimo[7], « cogitaverunt Iudaei, ut Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant et credebant ex Iudaeis ». Sed Pharisaei obstinati non solum non crediderunt, sed et fidem credentium exstinguere volebant. Huius exemplum etiam habemus in *Christo,* cui suscitato etiam Iudaei credere noluerunt. Unde Chrysostomus[8]: « Christus a mortuis resurrexit, et quae mala erant in inferno nuntiavit; descendit et de caelo, et quae bona ibi erant praedicavit; nec tamen est ei creditum ». Et hoc est, quia tales recusaverunt testimonium Legis et Prophetarum; Ioannis quinto[9]: « Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis »? — Ex praedictis igitur apparet diviti immisericordi omnimode ab Abraham patre piissimo misericordia denegata, ut impleatur illud Isaiae sexagesimo tertio[10]: « Tu, Domine, pater noster, et Abraham nescivit nos ». Et sic verificatum est illud Iacobi secundo: « Iudicium sine misericordia fiet illi qui non facit misericordiam »; et Sapientiae decimo nono: « Impiis usque in novissimum sine misericordia ira supervenit ». Talibus enim dicitur in iudicio illud Matthaei vigesimo quinto: « Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis eius ».

Quartum. — Exempla duo. — Epilogus.

## CAPITULUM XVII.

**De pietate humana quoad opera spiritualia tripliciter.**

1. *Et ad discipulos suos ait.* Postquam, confutata Iudaeorum impietate, invitavit discipulos ad pietatem secundum eleemosynas corporales; sequitur hic secunda pars, in qua invitat ad *pietatem secundum eleemosynam spiritualem*[11]. Dividitur autem haec pars in tres, in quarum prima discipulos *informat documento rationabili;* in secunda *manuducit exemplo sensibili,* ibi[12]: *Et dixerunt Apostoli Domino;*

---

[1] Vers. 19. et 20. Vulgata omittit *visionem;* pro *a mortuis* A C D *ac mortuis,* F H *et mortuis* (ita etiam Card. Hugo in Luc. 16, 30.). — Superius vocibus *fratrum suorum* Vat. praefigit *suam et,* quae etiam pro *Dei vivi* substituit *divini verbi.*

[2] Vers. 48.

[3] Vers. 23, post quem Eccli. 17, 26. (pro *quasi nihil* A C F G et D primitus *quasi non sit,* Septuaginta *tanquam non existente)* et Ps. 113, 17.

[4] Codd. A C D *ille.*

[5] Vers. 3. — Sequitur Ezech. 3, 7, ubi pro *indomabili* (cfr. Ezech. 2, 4.) Vat. cum Vulgata *duro.*

[6] Vulgata et Vat. omittunt *ei,* quod tamen a Gregorio (II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 9.) etiam exhibetur.

[7] Vers. 10. et 11. — Chrysost., Concion. 4. de Lazaro, n. 2. in fine: Idque verum esse, quod qui non audit Scripturas neque ex mortuis excitatos auditurus sit, declararunt Iudaei, qui, quoniam Moysen et Prophetas non audierant, neque cum mortuos vidissent excitatos, crediderunt; verum nunc quidem Lazarum occidere conabantur, nunc rursus in Apostolos impetum faciebant, quamvis multi iam ex mortuis surrexerant, quo tempore crux praedicabatur.

[8] Ita etiam Card. Hugo; apud *Chrysost.* haec verba non invenimus; similem tamen sententiam exhibet Petrus *Chrysologus* (Ravennas), Serm. 123. n. 25: Ipse Christus, fratres, Deus et Dominus noster, ad Moysen est locutus de caelo, ipse in terra terreno est locutus in corpore, ipse cum terreno corpore ab inferis est reversus; et tamen referenti, quae bona in caelis, quae sint apud inferos mala, fratres divitis illius, qui Iudaicis intelliguntur in populis, credere tota obstinatione noluerunt.

[9] Vers. 46. et 47. Cfr. August., II. Qq. Evangelior. q. 38. n. 4.

[10] Vers. 16. — Tres seqq. loci sunt Iac. 2, 13; Sap. 19, 1. et Matth. 25, 41.

[11] Cfr. supra c. 16. n. 1. — Superius Vat. omittit *invitavit discipulos ad pietatem.*

[12] Vers. 5; tertia incipit v. 11, ubi Vat. cum Vulgata omittit *Iesus,* quod exhibet etiam S. Thom., Cat. aurea in Luc. 17. n. 5; cfr. Card. Hugo. — Superius pro *manuducit* Vat. *manifestat.*

in tertia vero *confirmat facto admirabili*, ibi: *Et factum est, dum iret Iesus.*

**Informatio per documentum rationabile.**

Circa *documentum rationabile* primo praemittit *dissuasionem spiritualis impietatis*, quae consistit in scandalo proximorum; deinde adiungit *persuasionem pietatis spiritualis*, quae consistit in remissione offensarum, ibi [1]: *Attendite vobis: Si peccaverit.*

Divisio.

Circa *dissuasionem* igitur *impietatis scandalizantis* procedit hoc ordine, ostendens scilicet *scandalum passivum* inevitabile, *activum* autem damnabile et *supplicium* eius horribile.

De dissuasione impietatis tria.

2. (Vers. 1.). Primo igitur quantum ad *inevitabilitatem scandali passivi* dicit: *Et ad discipulos suos ait: Impossibile est, ut non veniant scandala.* Hoc enim non dicitur de *scandalo activo*, quia illud bene potest quis evitare, sed de *passivo*, quod non est in potestate alicuius hominis, quia illud aliquando occasionem sumit non solum de malo, verum etiam de bono, sicut dicitur de Iudaeis Matthaei decimo tertio [2]: « Qui scandalizabantur in eo »; propter quod Matthaei undecimo: « Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me »; quia, primae Petri secundo, « non credentibus lapis, quem reprobaverunt aedificantes, factus est in caput anguli, et lapis offensionis et petra scandali ». Hoc autem permittit Deus iusto iudicio evenire ad vindictam malorum et probationem iustorum; unde Matthaei decimo octavo [3]: « Necesse est, ut veniant scandala ». Et ratio redditur primae ad Corinthios undecimo: « Oportet haereses esse, ut et qui probati sunt manifesti fiant ». Licet autem per malos et a malis veniant scandala, debent tamen a viris iustis, quantum possunt, evitari, salva veritate triplici. Unde Beda [4]: « Nota, quod in quantum potes sine peccato, vitare scandalum proximi debes; quod si de veritate est, pro scandalis relinqui veritas non debet ».

Primum. — Notandum.

3. Est autem triplex veritas, quae non debet pro scandalo relinqui, scilicet *vitae, doctrinae* et *iustitiae*. Unde Hieronymus [5]: « Omne, quod potest fieri, vel non fieri, salva triplici veritate, dimittendum est ». Istud autem non est necessitatis, sed perfectae iustitiae, secundum quam dicebat Apostolus primae ad Corinthios octavo [6]: « Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in aeternum, ne fratrem meum scandalizem ». Unde ad Romanos decimo quarto: « Bonum est non manducare carnes aut bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur ». Unde si aliquis propter perfectionis opera scandalizatur, non sunt tamen dimittenda; unde Hieronymus de morte Blaesillae [7]: « Scandalizat quempiam vestis fuscior, scandalizat Ioannes, qui *camelorum pilis vestitus erat* ». Exemplum autem dimittendi indifferentia propter scandalum habemus in Christo, Matthaei decimo septimo [8]: « Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare » etc.; ubi solvit tributum. Et tamen documenta veritatis propter scandalum non dimisit; unde Matthaei decimo quinto: « Scis, quia Pharisaei, audito verbo hoc, scandalizati sunt ». At ille dixit: « Sinite eos; caeci sunt et duces caecorum » etc.

Veritas triplex non relinquenda. — Exemplum.

4. Secundo quantum ad *damnabilitatem scandali activi* subdit: *Vae autem illi, per quem veniunt!* id est, qui active scandalizat. Illi autem *active* scandalizant, qui per dictum vel factum minus rectum praebent occasionem ruinae. Nam Glossa dicit Numerorum trigesimo primo in principio [9]: « Scandalum est, ubi recte ambulanti deceptio ad peccandum subiicitur », sicut fecit Balaam filiis Israel. Propter quod dicitur Apocalypsis secundo: « Habes tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel », scilicet edere de sacrificiis etc. Hoc scandalum est impietatis spiritualis, cum quis malo exemplo animam proximi occidit, et ideo ipse dignus morte efficitur. In cuius figuram dicitur Numerorum trigesimo primo [10]: « Cur feminas reservastis? Nonne istae sunt, quae deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam et praevaricari vos fecerunt in Domino »? « Igitur cunctos interficite, quidquid generis est masculini, etiam parvulos et mulieres, quae noverunt viros in coitu, iugulate »; et vigesimo quinto [11]: « Hostes vos sentiant Madianitae, et percutite eos, quia et ipsi hostiliter egerunt contra vos ». Maxime enim hostiliter agit qui spiritum vitae in fonte cordis exstinguit; ideo Matthaei decimo octavo [12]: « Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum et proiice abs te; et si oculus tuus scandalizat te, erue eum et proiice abs

Secundum. — Figura.

---

[1] Vers. 3. — Vat. voci *offensarum* praefigit *iniuriarum sive.*

[2] Vers. 57. deinde 11, 6. et I. Petr. 2, 7. seq., ubi allegantur Ps. 117, 22. et Isai. 8, 14. (lapis offensionis etc.).

[3] Vers. 7, ubi Glossa *interlinearis: Necesse est enim,* tamen utile, *ut veniant scandala*, ut qui probati sunt meliores fiant. — Sequitur I. Cor. 11, 19, ubi pro *Oportet* C D G H *Necesse est.*

[4] Libr. V. in Luc. 17, 2; idem docet III. in Marc. 9, 41. Sententia Bedae exhibetur verbis Glossae *ordinariae* In Luc. 17, 1; cfr. eadem Glossa in Matth. 18, 6. et Marc. 9, 41. Vide etiam Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 7. n. 5.

[5] Vide quae diximus tom. VI. pag. 460, nota 10. et 11.

[6] Vers. 13, post quem Rom. 14, 21.

[7] Epist. 38. n. 3. In fine allegatur Marc. 1, 6; cfr. Matth. 3, 4.

[8] Vers. 26; subinde 15, 12. et 13. seq. Cfr. Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 7. n. 4.

[9] Vers. 1. Glossa est *ordinaria* ex Origen., Homil. 25. in Num. n. 1. — Subinde allegatur Apoc. 2, 14. — Glossa *interlinearis* in Matth. 18, 8: *Scandalizat* qui dicto, vel facto minus recto occasionem dat ruinae. Cfr. Beda, III. in Marc. 9, 42.

[10] Vers. 15. seq. et v. 17.

[11] Vers. 17. et 18.

[12] Vers. 8. et 9; cfr. Ibid. 5, 29. seq.

te; bonum est enim cum uno oculo vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis ». Hoc autem non intelligitur de corporalibus membris, sed de amicis, qui tanquam membra sunt nobis carnaliter coniuncti, a quibus, si scandalizant, debemus separari, secundum illud Matthaei decimo [1]: « Veni separare hominem adversus patrem suum et nurum adversus socrum suam; et inimici hominis domestici eius ». Ideo Ecclesiastici sexto: « Ab inimicis separare et ab amicis attende ». Chrysostomus [2]: « Nihil ita nocivum est, sicut conversari cum perniciosis »; et ideo ipse dicit: « Si membra abscidimus, cum incurabiliter se habuerint et reliquis obfuerint, multo magis in amicis hoc facere debemus ».

5. (Vers. 2.). Tertio quantum ad *horribilitatem* Tertium. *supplicii* subdit: *Utilius est illi, si lapis molaris imponatur* [3] *circa collum eius, et proiiciatur in mare.* Beda: « Secundum ritum provinciae loquitur, ubi erat ista poena criminum, ut ligato saxo in profundum demergeretur ». Hoc, inquam, dicit *utilius, quam ut scandalizaret unum de pusillis istis;* quia longe minor poena est ista, quam illa quam scandalizando proximum meretur. Unde Beda [4]: « Vere utilius est innoxium gravissima poena vitam finire, quam laedendo fratrem mortem mereri perpetuam ». Et iterum idem [5]: « Utilius est enim pro culpa brevem recipere poenam quam aeternis cruciatibus reservari ».

6. Ratio autem, quare tanta poena debeatur Ratio prima. scandalizanti, est, quia aufert Christo illud quod maxime amat, scilicet animam, secundum illud Sapientiae undecimo [6]: « Tua sunt, Domine, omnia, qui amas animas ». Unde et Apostolus primae ad Corinthios octavo: « Peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est »; et sequitur: « Sic autem peccantes in fratres in Christum peccatis ». — Alia ratio est, quia, sicut operibus aedificationis magna debetur corona, ita deaedificantibus magna debetur poena; ad Romanos decimo quarto [7]: « Quae pacis sunt sectemur, et quae aedificationis sunt invicem custodiamus; noli propter escam destruere opus Dei ». — Tertia ratio est, quia, sicut magna crudelitas est affligere aegrotantes, sic magna perversitas est seducere simplices; propter quod Levitici decimo nono [8]: « Nec coram caeco pones offendiculum »; et ideo signanter dicit: *Unum de pusillis illis.* — Quarta ratio est, quia scandalizans obligatur non solum ad reddendam animam suam, verum etiam et animam scandalizatam; unde Exodi vigesimo primo [9]: « Si quis aperuerit cisternam et non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in eam; reddet dominus cisternae pretium iumentorum ». — Est autem hoc peccatum grave in omnibus, sed maxime in his quorum vita trahitur in exemplum, sicut sunt praelati, sicut magni clerici, sicut etiam viri religiosi et famosi; unde Malachiae secundo [10]: « Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem de ore eius requirunt ». « Vos autem recessistis de via et scandalizastis plurimos, irritum fecistis pactum Levi. Propter quod dedi vos contemptibiles et humiles » etc.

Secunda. Tertia. Quarta. Notandum.

7. (Vers. 3.). *Attendite vobis* etc. Postquam dissuasit impietatem, quae consistit in scandalo proximorum, hic consequenter *suadet pietatem spiritualem,* quae consistit in *remissione iniuriarum* [11]. Et quoniam pietas debet exhiberi secundum ordinatam caritatem, quae consistit in *custodia respectu sui* et in *clementia respectu proximi;* ideo in hac parte hortatur Apostolos ad *custodiam suarum mentium,* ad *disciplinam respectu aberrantium* et ad *indulgentiam respectu poenitentium.* De suasione pietatis spiritualis tria.

Primo igitur quantum ad *custodiam suarum mentium* dicit: *Attendite vobis;* quasi dicat: prius debetis circa vestram correptionem invigilare quam circa peccata proximi; Ecclesiastici trigesimo [12]: « Miserere animae tuae, placens Deo ». Hoc docebat Apostolus primae ad Timotheum quarto: « Attende tibi et doctrinae. Hoc enim faciens, te ipsum salvum facies et eos qui te audiunt ». Et istud maxime est ipsorum praelatorum, qui primo debent circa se invigilare; Actuum vigesimo [13]: « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo ». Hic autem ordo est necessarius, ne Primum.

---

[1] Vers. 35. seq.; deinde Eccli. 6, 13. Cfr. supra c. 14. n. 27.

[2] Homil. 59. (alias 60.) in Matth. n. 4; ibid. habetur etiam seq. sententia.

[3] Plures codd., ut A G H, *ponatur*, et pro *circa collum* H *in collo;* cfr. Matth. 18, 6. — Sententia Bedae habetur V. in Luc. 17, 2. et allegatur secundum Glossam *ordinariam*, quae cum Beda *demergerentur* pro *demergeretur*. Beda sequitur Hieron., III. Comment. in Matth. 18, 6.

[4] Libr. V. in Luc. 17, 2; verba exhibentur secundum Glossam *ordinariam* in eundum locum.

[5] Etiam Card. Hugo hanc sententiam tribuit *Bedae* (Vat. cum nonnullis codd. omittit *idem); ipsa* exhibetur ab Hieron., III. Comment. in Matth. 18, 6. et habetur in Glossa *interlineari* in Luc. 17, 2.

[6] Vers. 27, post quem I. Cor. 8, 11. et 12.

[7] Vers. 19. et 20. Voci *invicem* Vulgata praefigit *in,* et post *escam* C D G H addunt *tuam.*

[8] Vers. 14. Hieron., III. in Matth. 18, 6: Nota, quod qui scandalizatur *parvulus* est, maiores enim scandala non recipiunt. Cfr. Beda, III. in Marc. 9, 41. et V. in Luc. 17, 2, ubi hanc sententiam Hieronymi explicat.

[9] Vers. 33. et 34, quorum expositionem vide apud Gregor., XVII. Moral. c. 26. n. 38.

[10] Vers. 7. et 8. seq., in cuius fine voci *contemptibiles* C D H praefigunt *magis.*

[11] Vide supra n. 1.

[12] Vers. 24, cui subiungitur I. Tim. 4, 16, ubi pro *qui te audiunt* codd. *qui tecum sunt.* — Superius pro *correptionem* (cfr. Matth. 18, 15: Corripe eum) Vat. cum nonnullis codd. *correctionem;* idem recurrit aliquanto inferius.

[13] Vers. 28.

forte dicatur intendenti correptioni alienae et negligenti suam illud ad Romanos secundo [1]: « Qui alium doces te ipsum non doces »? et illud Matthaei septimo: « Hypocrita! eiice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis, ut educas festucam de oculo fratris tui ». Et ideo dicebat ille bonus speculator Isaias vigesimo primo [2]: « Super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem, et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus ». Intendebat *proximo*, non sicut Cain; Genesis quarto: « Nunquid custos fratris mei sum ego »? Intendebat etiam *sibi*, ne diceretur illud supra quarto: « Medice, cura te ipsum ».

Secundum. 8. Secundo quantum ad *disciplinam respectu peccantium* subdit: *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum;* et hoc per correptionem amicabilem, secundum illud secundae ad Timotheum quarto [3]: « Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina »; et Ecclesiastici decimo nono: « Corripe amicum, ne forte non intellexerit et dicat: Non feci; aut si fecit, ne iterum addat ». Unde ista increpatio non debêt venire ex ira, sed ex clementia, non ex libidine vindictae, sed ex amore iustitiae; unde Gregorius in Moralibus [4]: « Si proximos sicut et nos diligere debemus, restat, ut eorum peccatis, sicut et nostris, irascamur ». Notandum. Dicitur autem *peccare in nos*, quando non solum in personam nostram, sed etiam, nobis praesentibus, peccat; unde Augustinus de Verbis Domini [5]: « Peccat frater in nos, si etiam, nobis scientibus, peccat », quia, quantum in eo est, exemplo nos corrumpit, quos testes iniquitatis efficit.

9. Et nota, quod in hac increpatione servari debet ordo, qui exprimitur Matthaei decimo octavo [6]: « Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum ». Et post subdit, quod adhibendi sunt testes, deinde dicendum est Ecclesiae. Nam primo peccator debet revocari *amore;* quod fit, quando secrete monetur; ad Galatas sexto [7]: « Fratres, si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto » etc. — Secundo vero, *pudore;* quod fit, cum testes adhibentur, secundum illud Levitici decimo nono: « Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum ». — Tertio autem, *terrore;* quod fit in facie Ecclesiae; primae ad Timotheum quinto: « Peccantem coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant ». Hic autem ordo congruitatis est, non necessitatis, et maxime, si percipiatur, quod proximus sit incorrigibilis ad verbum fratris, sed tantum in manu forti, secundum illud Proverbiorum nono [8]: « Noli arguere derisorem, ne oderit te ». Unde Hieronymus: « Frustra niti et nihil aliud laborando quam odium quaerere extremae dementiae est ». Propter hoc et sanctus Ioseph istum ordinem non servavit, de quo dicitur Genesis trigesimo septimo [9], quod « accusavit apud patrem fratres suos crimine pessimo ». Ex quo datur forma, quod praelato, qui est persona valens prodesse, etiam nulla praecedente correptione, potest et debet culpa proximi accusari extra iudicium, si sit occulta, et in iudicio, si habeatur probatio certa. Unde Beda [10]: « Ita peccat qui peccantem videns tacet, sicut qui poenitenti non indulget »; quod quidem intelligitur, quando verbo suo potest proximus corrigi, et maius periculum non timetur; unde super illud secundae ad Corinthios sexto [11]: « Exite de medio eorum », dicit Glossa: « *Exire* est facere quod pertinet ad correptionem malorum, quantum licet pro gradu uniuscuiusque, salva pace ».

De ordine correctionis tria.

Notandum.

Tertium. 10. Tertio quantum ad *indulgentiam respectu poenitentium* subdit: *Et si poenitentiam egerit, dimitte illi.* Beda [12]: « Non iubemur passim *peccanti*, sed *poenitenti* dimittere. Primum ergo est *peccantem increpare*, ut post *poenitenti possimus dimittere* ». Hanc enim legem statuit Dominus in oratione

---

[1] Vers. 21. et deinde Matth. 7, 5. — Superius pro *intendenti* D *vigilanti.*

[2] Vers. 8. — Duo seqq. loci sunt Gen. 4, 9. et Luc. 4, 23. — Glossa *interlinearis: Attendite*, ergo, *vobis*, ne quem laedatis. Beda, V. in Luc. 17, 3: Quo igitur ordine scandala declinare et vae perpetuum vitare possimus, insinuat. Si nos videlicet ipsos, ne quem laedamus, attendimus; si peccantem zelo iustitiae corripimus; si ex corde poenitenti misericordiae pietatisque viscera pandimus etc.

[3] Vers. 2, post quem Eccli. 19, 13, in cuius fine Vulgata *aut si fecerit, ne iterum addat facere.*

[4] Libr. XXXII. c. 21. n. 44: Si enim proximos sicut nosmetipsos diligere praecipimur [Matth. 19, 19. et 22, 39.], dignum est, ut sic eorum zelo contra vitia sicut et nostro flagremus.

[5] Serm. 16; in recentioribus edd. Serm. 82. c. 7. n. 10: Quid est: in te peccavit? Tu scis, quia peccavit. Cfr. Glossa *ordinaria* in I. Tim. 5, 20. B. Albert. in Matth. 18, 15. inter alias expositiones etiam hanc affert: « In te peccat, sicut dicit Augustinus, quando, te sciente, peccat ». Card. Hugo ibid.: *Si peccaverit in te*, id est te sciente; ita exponitur I. Tim. 5, 20, ubi quaeritur: quid est, fratrem in te peccare? et respondet: Te sciente. Et sic *te* est ablativi casus. Vel potest esse accusativi casus, et exponitur duobus modis: *In te*, id est contra te, iniuriis et contumeliis afficiendo; vel *in te*, id est contra te, scilicet malo suo exemplo et corrumpendo quantum in se est.

[6] Vers. 15; deinde 16. et 17. Cfr. August., loc. cit.

[7] Vers. 1. — Duo seqq. loci sunt Lev. 19, 17. et I. Tim. 5, 20. — Superius pro *secrete* Vat. *recte.*

[8] Vers. 8. — Sententia Hieron. habetur in Praefatione in Ezram [Esdram] et sumta est ex Sallust., Iugurth. c. 3: Frustra autem niti neque aliud se fatigando nisi odium etc. (Codd. C D G post *nihil* omittunt *aliud*). — Superius pro *sed tantum* (C *tamen*) *in manu forti* Vat. *et tamen corrigibilis manu forti.*

[9] Vers. 2. — Superius pro *ordinem non servavit* Vat. *ordinem servavit*, quae etiam inferius pro *qui est persona valens* substituit *qui vult.*

[10] Libr. V. in Luc. 17, 3; sententia ipsius exhibetur verbis Glossae *ordinariae.* Pro *poenitenti* (ita etiam Beda et Glossa) C D E G H et Card. Hugo *peccanti.*

[11] Vers. 17. Glossa est *ordinaria* apud Lyranum, invenitur etiam apud. Petr. Lombard. in hunc loc. et sumta est ex August., Serm. 88. (alias 18. de Verbis Domini) c. 20. n. 23.

[12] Libr. V. in Luc. 17, 3; secundum verba Glossae *ordinariae* sententia affertur.

dominica Matthaei sexto[1]: « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris »; et sequitur: « Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater caelestis debita vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester caelestis dimittet vobis peccata vestra ». Ideo dicitur Ecclesiastici vigesimo octavo[2]: « Relinque proximo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini servat iram, et a Deo quaerit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur? Ipse, cum caro sit, reservat iram, et propitiationem petit a Deo »?

Septiformis offensa.

11. (Vers. 4.). Et quoniam misericordia debet excedere offensam, ideo subdit: *Et si septies in die peccaverit in te*, per laesionem multiplicem. Beda[3]: « Solet universitas septenario designari », propter quod dicitur etiam Proverbiorum vigesimo quarto: « Septies in die cadit iustus et resurget ». Possunt autem per istas septem vices septiformes colligi tribulationes, quibus quis proximum laedit, *seducendo* intellectum, *corrumpendo* affectum, *affligendo* corpus, *subtrahendo* propria, *denegando* sua, *verbo laedendo* famam et *exemplo vitiando* vitam; de quibus dicitur Iob quinto[4]: « In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum ». —

Septies et amplius venia tribuenda.

Et haec omnia dimittenda sunt poenitenti: *Et septies in die conversus fuerit ad te, dicens: Poenitet me*, per mentalem compunctionem; *dimitte illi*, per misericordem condonationem, ne forte dicatur tibi illud quod dictum est servo nequam Matthaei decimo octavo[5]: « Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne ergo oportuit, et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum »? Sicut ergo Deus omni petenti veniam tribuit, secundum illud Ezechielis trigesimo tertio[6]: « Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit » etc.; sic et nos debemus poenitenti dimittere. Unde ponitur hic numerus finitus pro infinito; unde Chrysostomus[7]: « Etsi septuagies septies dimiseris, tamen, sicut gutta aquae ad pelagus, immo multo magis deficit tua philanthropia ad infinitam bonitatem Dei ».

Notandum.

Debent igitur omnes offensae, quantaecumque et quotcumque et quandocumque et a quocumque factae fuerint, dimitti, si humiliter per veram poenitentiam venia postulatur; et debet etiam non petenti offensa remitti, sed aliter *petenti*, aliter *persequenti*. Unde Glossa Bedae[8]: « Aliter *fratri petenti*, aliter *inimico persequenti* veniam dare praecipimur. *Fratri*, concessa remissione, socia caritate communicamus; *persecutori* malum nobis volenti, vel, si potest, nobis facienti, bona volumus et facimus quod possumus »; et hoc exemplo *Christi*, de quo infra vigesimo tertio[9]: « Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt »; exemplo *David*, qui dicebat: « Si reddidi retribuentibus mihi mala » etc.; exemplo protomartyris *Stephani*, de quo Actuum septimo: « Positis autem genibus, clamavit voce magna dicens: Domine, accipe spiritum meum et ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino ».

**Manuductio per duplex exemplum sensibile.**

12. *Et dixerunt Apostoli Domino.* Postquam informavit discipulos ad spiritualem pietatem rationabili documento, hic secundo *manuducit exemplo*. Et quoniam duplex est radix pietatis spiritualis, scilicet *fides fervida* et *humilitas timorata*, secundum illud Ecclesiastici vigesimo quinto[10]: « Timor Dei initium dilectionis eius; fidei autem initium agglutinandum est illi »; ideo hic primo proponit exemplum, per quod manuducitur ad *fervidam fidem;* secundo vero, per quod manuducitur ad *timoratam humilitatem*, ibi[11]: *Quis autem vestrum habens servum.*

Divisio.

Circa igitur *exemplum, quo manuducuntur ad fidem* tria insinuantur, quae ad perfectionem fidei concurrunt, scilicet *fidei ortus*, *profectus* et *virtus*. *Fidei ortus* consistit in susceptione doni divini, *profectus* in cooperatione liberi arbitrii, *virtus* vero in exsecutione mirandi imperii.

De primo exemplo tria.

13. (Vers. 5.). Primo ergo quantum ad *fidei ortum* consistentem in *susceptione doni divini* praemittit: *Et dixerunt Apostoli Domino: Adauge nobis fidem.* Videntes enim Apostoli, se non sufficere ad illa sublimia opera pietatis, quae consistunt in scandalis vitandis et iniuriis remittendis, sine magnitudine fidei, petunt, sibi fidem augeri per donum divinum, a quo fides habet originem, quae non est homini a se ipso, sed ex dono et munere divino. Unde primae ad Corinthios duodecimo[12]: « Alii quidem

Primum.

[1] Vers. 12. et 14. seq.

[2] Vers. 2-5.

[3] Libr. V. in Luc. 17, 4; sententia exhibetur verbis Glossae *ordinariae*. — Sequitur Prov. 24, 16. — Glossa *interlinearis: Et si septies peccaverit in te*, si enim in Deum, non erit nostri arbitrii (Hieron., III. in Matth. 18, 15. seqq.).

[4] Vers. 19. Cfr. supra c. 16. n. 54. — Pro *de quibus* A C D *pro quibus*.

[5] Vers. 32. et 33. — Superius pro *mentalem compunctionem* G *poenitentialem compunctionem,* H *cordis compunctionem et humilem satisfactionem.*

[6] Vers. 12. Cfr. supra c. 11. n. 35. et Matth. 7, 11.

[7] Homil. 61. (alias 62.) in Matth. n. 1. Ibid. ait: Non numerum statuit hic, sed infinite, perpetuo et semper denotat; sicut enim *millies* saepe saepius significat, ita et dictum superius [*septuagies septies*].

[8] Scilicet *ordinaria* in Luc. 17, 3, in qua pro *petenti* (ita etiam Beda in Luc. 17, 4.) textus originalis *poenitenti*, et pro *praecipimur* nonnulli codd. *praecipitur* (contra Bedam et Glossam). — Superius post *quandocumque* Vat. addit *et in quemcumque,* et subinde pro *non petenti* ipsa substituit *persequenti.*

[9] Vers. 34, cui subiunguntur Ps. 7, 5. et Act. 7, 59.

[10] Vers. 16. — Cfr. supra n. 1.

[11] Vers. 7.

[12] Vers. 8. et 9. Cfr. Cyrill. Alexandr. in Luc. 17, 5. — Glossa *interlinearis* (vide Theophylact. in Luc. 17, 5.): *Adauge*

datur per Spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae secundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu ». Petunt autem, fidem a Domino sibi augeri tanquam donum *primarium;* ad Hebraeos undecimo[1]: « Fides est fundamentum sperandarum rerum, argumentum non apparentium » etc.; et post: « Sine fide impossibile est placere Deo; accedentem ergo oportet credere » etc. Petunt similiter tanquam donum aliorum donorum *impetrativum;* Iacobi primo[2]: « Postulet in fide nihil haesitans »; Matthaei vigesimo primo: « Omnia, quaecumque petieritis in oratione credentes, accipietis »; et Matthaei decimo quinto: « O mulier, magna est fides tua; fiat tibi, sicut petisti » etc. Petunt etiam tanquam donum aliorum *custoditivum;* ad Ephesios tertio[3]: « Huius rei gratia flecto genua ad Patrem Domini Iesu Christi », « ut det vobis secundum divitias gloriae suae virtutem, corroborari per Spiritum eius in interiori homine, Christum habitare per fidem in cordibus vestris ». Et ideo Dominus dicebat Petro infra vigesimo secundo[4]: « Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos ». Ob hoc etiam dictum est ipsi Petro Matthaei decimo sexto: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam ».

Fides donum primarium. — Impetrativum donum aliorum donorum. — Et custoditivum.

14. (Vers. 6.). Secundo quantum ad *fidei profectum* consistentem in *cooperatione liberi arbitrii* subditur: *Dixit autem Dominus: Si habueritis fidem sicut granum sinapis.* Per *granum sinapis*, quod in se est quantitate parvum, acumine fervidum et incremento magnum, intelligimus liberi arbitrii cooperationem quantum ad *captivationem intellectus*, *accensionem affectus* et *multitudinem boni effectus.* Unde *interlinearis*[5] determinat, cuiusmodi fidem debeant quaerere, scilicet humilem et ferventem, cui nunquam sufficiat quod bene gessit. In grano namque sinapis propter parvitatem intelligitur fides, in qua est *purificatio intellectus;* Matthaei decimo tertio[6]: « Simile est regnum caelorum grano sinapis, quod est minimum omnibus seminibus ». Nulla enim virtus adeo captivat intellectum humanum, sicut fides; secundae ad Corinthios decimo: « In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi » etc. — Propter *acumen* autem intelligitur *accensio affectus;* unde Glossa[7]: « Fidem perfectam grano sinapis comparat, quae in facie est humilis et nullarum virium apparens, sed pressuris trita, quantum intus ferveat, ostendet ». Unde de Apollo Actuum decimo octavo[8] dicitur: « Hic erat edoctus viam Domini et fervens spiritu loquebatur ea quae sunt Iesu ». — Propter *incrementum* intelligitur per illud *multiplex boni effectus*, secundum illud Matthaei decimo tertio[9]: « Simile est regnum caelorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit; quod cum creverit, maius est omnibus oleribus et fit arbor ». In quo intelligitur bonorum operum multitudo et congeries cumulata; Iacobi secundo[10]: « Vis scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham, pater noster, nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus fides consummata est » etc.

Secundum. — Fides purificat intellectum. — Accendit affectum. — Multos profert effectus.

15. Tertio quantum ad *fidei virtutem* in *exsecutione mirandi imperii* subiungit: *Dicetis huic arbori moro: Eradicare et transplantare in mare; et obediet vobis.* In quo datur intelligi mira virtus fidei quantum ad ea quae aguntur secundum *cursum naturae* et secundum *impetum culpae* et secundum *meritum iustitiae.* Omnia enim haec subsunt regimini divinae providentiae et quodam modo imperio fidei perfectae, secundum illud Marci nono[11]: « Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti ». Secundum *litteram* enim per imperium fidei supra morum transplantandam intelligitur imperium respectu *corporalium elementorum.* Unde Glossa[12]: « Species ponitur pro genere, quia fides consummata etiam elementis potest imperare »; unde et Matthaei vigesimo primo[13]: « Si habueritis fidem et non haesitaveritis et dixeritis huic monti: Tolle et iacta te in mare; ita fiet ». Unde ad Hebraeos undecimo exemplificat Apostolus de Sanctis dicens, quod « per fidem vicerunt regna, obturaverunt ora leonum, exstinxerunt impetum ignis, effugaverunt aciem gladii et fortes facti sunt in bello ».

Tertium. — Virtus fidei quoad tria. — Quoad naturam.

16. Secundum autem *tropologiam* intelligitur in hoc imperium respectu *diaboli et tentationum*

Quoad diaboli tentationes.

*nobis fidem*, quasi dicant: Dicis erogandam pecuniam, condonanda peccata, sed ut habeamus perfectam notitiam horum faciendorum, *adauge in nobis fidem.* Vide etiam Glossam *ordinariam* ex Beda; cfr. Gregor., XXII. Moral. c. 20. n. 49.

[1] Vers. 1. (ubi pro *fundamentum* Vat. cum Vulgata et H *substantia;* cfr. III. Sent. d. 23. a. 1. q. 5. ad 1: Dicitur enim *substantia*, quia est fundamentum fabricae spiritualis etc.) et 6.

[2] Vers. 6, post quem Matth. 21, 22. et 15, 28.

[3] Vers. 14. et 16. seq. Pro *in interiori homine* (ita etiam August., Epist. 140. alias 120. c. 26. n. 63; Comment. in Eph., quod habetur inter opera Ambrosii et Petr. Lombard. in hunc loc.) Vulgata *in interiorem hominem.*

[4] Vers. 32. et deinde Matth. 16, 18.

[5] Lyranus hanc Glossam *interlinearem* non affert, sed Glossam tantum *ordinariam* (ex Beda), quae etiam inferius allegatur. Cfr. supra pag. 346, nota 6. et 7.

[6] Vers. 31. et 32. — Sequitur II. Cor. 10, 5.

[7] Scilicet *ordinaria* (ex Beda; cfr. Ambros., VII. in Luc. c. 13. n. 178, et Gregor., Praefat. libr. Moral. c. 2. n. 6.) apud Lyranum (similis exhibetur etiam a Strab. in Matth. 17, 19.), in cuius fine II cum textu originali *ostendit*, Vat. *ostenditur*, quae etiam pro *quae in facie est humilis* (ita et Glossa et Beda) substituit *quod in facie est humile.*

[8] Vers. 25.

[9] Vers. 31. et 32. — Superius post *Propter incrementum* Vat. prosequitur *illud intelligitur multiplicatio boni effectus* etc.

[10] Vers. 20. seqq.

[11] Vers. 22. Cfr. supra c. 8. n. 85. et 89.

[12] Scilicet *interlinearis* (ex Beda; cfr. Ambros., VIII. in Luc. c. 17. n. 28.).

[13] Vers. 21. et deinde Hebr. 11, 33. seq., ubi pro *effugaverunt* (C D *effugarunt*) Vulgata *effugerunt.*

*eius.* Unde Ambrosius [1]: « Fructus mori in flore albet, formatus rutilat, maturitate nigrescit; sic diabolus, flore angelicae naturae et potestate rutilans, praevaricando tetro inhorruit odore peccati, qui per fidem excluditur ». Unde primae Petri ultimo [2]: « Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret; cui resistite fortes in fide »; et ad Ephesios sexto: « In omnibus sumentes scutum fidei; in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere ».

Quoad praedicationem et Sacramenta.

17. Secundum *allegoriam* autem intelligitur imperium respectu *praedicationis crucis* et *evangelicorum Sacramentorum.* Unde Glossa [3]: « *Per morum,* cuius colore sanguineo fructus et virgulta virent, Evangelium crucis exprimitur, quae per fidem Apostolorum de gente Iudaeorum, in qua velut in stirpe generis tenebatur, verbi praedicatione eradicata est et in mare gentium transplantata ». Huius sanguis accendit nos ad conflictum contra monstra vitiorum; unde primi Machabaeorum sexto [4]: « Ostenderunt elephantis sanguinem uvae et mori » etc. Haec transplantatio per fidem Apostolorum et docentium et miracula facientium facta est in Ecclesia de gentibus congregata. Unde Ioannis decimo quarto [5]: « Qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet et maiora horum faciet ». In huius figuram dicitur ad Hebraeos undecimo: « Fide muri Iericho corruerunt circuitu dierum septem. Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis ». In quo intelligitur transplantatio mori in mare per reprobationem Iudaeorum et electionem gentilium peccatorum [6].

Figura.

De secundo exemplo triplex propositio.

18. (Vers. 7.). *Quis autem vestrum, habens servum.* Post exemplum manuducens ad fidem fervidam subditur hic *exemplum manuducens ad humilitatem timoratam* [7]. In huius autem exempli descriptione hoc ordine procedit. *Proponit* namque *obsequiositatem servitutis, assumit necessitatem serviendi* et *concludit humilitatem spiritualis servitutis.*

Propositio maior.

Primo igitur quantum ad *obsequiositatem servitutis,* quam quaerendo *proponit,* dicitur: *Quis autem vestrum, habens servum arantem aut boves pascentem,* per laborem vitae *activae,* quae consistit in *operando viriliter;* et hoc insinuatur in actu *arandi,* secundum illud Osee decimo [8]: « Arabit Iudas, et confringet sibi sulcos Iacob »; et supra nono: « Nemo mittens manum ad aratrum » etc. Consistit etiam in *praesidendo sollicite;* et hoc insinuatur in actu *pascendi,* secundum illud quod dictum est Petro Ioannis ultimo [9]: « Pasce oves meas ». Unde Glossa: « Servus arans vel pascens doctor est Ecclesiae, de quo dicitur: *Nemo mittens manum ad aratrum* etc.; et Dominus Petro ait: *Pasce oves meas* ». — *Qui regresso de agro dicat illi* [10]*: Statim transi, recumbe,* per dulcorem *contemplativae,* in quo est *regressus ad cor;* Ezechielis primo [11]: « Animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis »; est etiam *transitus ad delectationis convivium,* secundum illud Ecclesiastici vigesimo quarto: « Transite ad me, omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini; spiritus enim meus super mel est dulcis ». Haec autem refectio non statim datur homini venienti de exercitio actionis; unde Canticorum tertio [12]: « In lectulo meo quaesivi per noctes quem diligit anima mea; quaesivi eum, et non inveni »; quia Dominus non statim se offert, ut humilius et vigilantius requiratur.

Servitus in vita activa.

In praesidendo.

In contemplando.

Quomodo paretur coena.

19. (Vers. 8.). Unde subdit: *Et non dicat: Para quod coenem et praecinge te et ministra mihi, donec manducem et bibam,* scilicet per gemitum *compunctionis internae,* in qua quilibet convivium *parat;* Ecclesiastici decimo octavo [13]: « Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum ». *Se ipsum praecingit,* restringendo mentales defluxus; primae Petri primo: « Succincti lumbos mentis vestrae » etc. In hac etiam *ministrat,* se ipsum deiiciendo, et Deum *cibat et potat,*

---

[1] Libr. VIII. in Luc. c. 17. n. 29; sententia ipsius exhibetur verbis Glossae *ordinariae,* ubi pro *rutilat* et *rutilans* textus originalis *irrutilat* et *rutilantis* (Ambros. *rutilanti); pro* *tetro* (ita Ambros.) Glossa *terror,* codd. *retro,* qui etiam fere omnes pro *inhorruit odore* substituunt *corruit horrore* (B *odore vel horrore,* H *odore vel colore*). Vat. non verba Glossae, sed ipsius Ambrosii affert.

[2] Vers. 8. seq. et deinde Eph. 6, 16.

[3] Scilicet *ordinaria* (ex Beda; cfr. August., II. Qq. Evangelior. q. 39. n. 2.), in qua pro *virent* H cum Beda et Glossa *rubent,* et pro *verbi praedicatione* cum Beda *verbis praedicationis,* Vat. cum Glossa *verbum praedicationis.*

[4] Vers. 34. — Superius pro *vitiorum* Vat. *virorum.*

[5] Vers. 12, cui subiungitur Hebr. 11, 30. et 31.

[6] Cod. H addit *et ad missionem istius ligni indulcorata* [? indulcata] *est aqua amara.* Cfr. Exod. 15, 25, respectu cuius Eccli. 38, 5. dicitur: Nonne a ligno indulcata est aqua amara? — Vat. substituit *praedictorum.*

[7] Cfr. supra n. 12. — Inferius pro *obsequiositatem* Vat. *obsequium.*

[8] Vers. 11. et deinde Luc. 9, 62.

[9] Vers. 17, dein Glossa *ordinaria* (ex Beda in Luc. 17, 7).

[10] Codd. C D G H *ei;* cfr. B. Albert. — Glossa *interlinearis: Transi,* a labore, *et recumbe,* ad mensam.

[11] Vers. 14; cfr. supra pag. 373, nota 5. — Subinde allegantur Eccli. 24,,26. et 27. — Inferius pro *delectationis convivium* (ita C D, plures codd. sunt dubiae lectionis) Vat. *dilectionis convivium.*

[12] Vers. 1. — Glossa *ordinaria* apud Strab. et Lyranum (ex Beda): Qui servus *de agro regreditur,* cum, intermisso opere praedicandi, quasi ad curiam conscientiae rediens, sua dicta vel facta pertractat; cui Dominus *non statim* iubet, ab hac vita *transire* et aeterna quiete refoveri, sed *domi parare quod coenet,* id est post laborem apertae locutionis humilitatem propriae conversationis exhibere; in tali enim conscientia Deus coenat; unde [Apoc. 3, 20.]: *Coenabo cum illo, et ipse mecum.*

[13] Vers. 23. — Sequitur I. Petr. 1, 13. Glossa *ordinaria* apud Lyranum (ex Beda): *Et praecinge te,* id est, fluctuantium cogitationum sinus, quibus gressus operum impediri solet, constringe. — Superius pro *in qua quilibet* [C G *quis*] *convivium parat* H *per quam quis Deo convivium praeparat,* Vat. *in qua convivium paratur.*

dum facit quod maxime acceptat; Apocalypsis tertio[1]: « Si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum et coenabo cum illo ». Unde Glossa: « *Ministrat* Conditori qui, eius misericordiam considerans et eius iudicia pertimescens, de suis virtutibus se humiliat ». Et quia post hanc compunctionem sequitur *devotio*, ideo subdit: *Et post haec tu manducabis et bibes*, per gustum *suavitatis aeternae*. Glossa[2]: « Postquam tua praedicatione et compunctione refectus ero, tunc tandem aeternis meae sapientiae dapibus reficieris »; Psalmus[3]: « Renuit consolari anima mea, memor fui Dei et delectatus sum » etc.; et iterum: « Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte »; et post: « In voce exsultationis et confessionis sonus epulantis »; et iterum: « Convertisti planctum meum in gaudium mihi » etc. Hoc autem totum facit Dominus ad humilitatem conservandam, quae ceterarum virtutum est radix, conservatio et custodia. Ideo et Paulus iam perfectus dicebat secundae ad Corinthios duodecimo[4]: « Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae angelus satanae »; et Ecclesiastici tertio: « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam »; nam Ecclesiastici decimo octavo: « Cum consummaverit homo, tunc incipiet ».

Notandum de humilitate.

20. (Vers. 9. 10.). Secundo quantum ad *necessitatem serviendi*, quam *assumit*, subdit: *Nunquid gratiam habet servo illi, quia fecit quae*[5] *ei imperaverat? Non puto*, id est, puto, quod non. Glossa: « Quid mirum, si facit servus quod debet, cuius est laborare et servire assidue »? Ecclesiastici trigesimo tertio: « Servum inclinant operationes assiduae ». — Et nota, quod Dominus dicere videtur, quod dominus non habet agere gratiam servo, non quod eius opera non acceptet, cum dicatur Ecclesiastici trigesimo tertio[6]: « Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic eum tracta, quoniam in sanguine animae comparasti eum »; sed hoc dicitur, quia quod facit magis est debitum quam donum, magis iustitia tentionis quam gratia supererogationis. Et hoc maxime verum est in Deo; unde Iob trigesimo quinto[7]: « Porro, si iuste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua recipiet »? Unde Glossa: « Si homo ab homine servo non uniforme, sed multiplex ministerium exigit nec gratum habet; quanto magis nec vos, qui *sine me nihil potestis*, non unius usum operis vel laboris exercere debetis, sed semper novis studiis augere priora »? Si enim verum istud est in homine, servo alterius hominis, quia servitia eius magis sunt debita quam grata; hoc multo verius est in homine, servo Dei; tum quia omnia sunt *ab ipso;* Isaiae vigesimo sexto[8]: « Omnia opera nostra in nobis operatus es, Domine »; et primi Paralipomenon vigesimo nono: « Tua sunt, Domine, omnia, et quae de manu tua accepimus dedimus tibi ». « Deus enim est, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate », ad Philippenses secundo. Tum quia omnia sunt *sub ipso;* Isaiae quadragesimo[9]: « Quis appendit tribus digitis molem terrae et libravit in pondere montes et colles in statera »? « Ecce, gentes quasi stilla situlae et quasi momentum staterae reputatae sunt ». « Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo et quasi nihil et inane reputatae sunt ei ». Item, quia omnia sunt *propter ipsum;* Proverbiorum decimo sexto[10]: « Propter semetipsum omnia operatus est Dominus ». Et ideo Apostolus primae ad Corinthios decimo: « Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite ».

Propositio minor.

Notandum.

Omnia a Deo.

Sub Deo.

Propter Deum.

21. Tertio quantum ad *humilitatem spiritualis servitutis*, quam *concludit*, subiungit: *Sic et vos, cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis*, per *completionem obedientiae;* haec enim est vera obedientia, in qua omnia implentur mandata. Nam Iacobi secundo[11]: « Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus »; et Deuteronomii vigesimo septimo: « Maledictus, qui non permanet in sermonibus Legis huius

Conclusio.

---

[1] Vers. 20. — Glossa seq. est *ordinaria* (ex Beda), in cuius fine B cum textu originali addit: *Minister enim a minori statu dicitur*. Codd. A C D legunt: *Ministrant Conditori, qui... considerant et... pertimescunt et de suis virtutibus se humiliant.*

[2] Scilicet *interlinearis* (ex Beda).

[3] Psalm. 76, 3. seq. — Subinde allegantur Ps. 41, 4. 5. et Ps. 29, 12.

[4] Vers. 7, in quo plures codd., ut A C D, omittunt *carnis meae*. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 3, 20. et 18, 6. — Superius pro *ceterarum virtutum* Vat. *aeternarum virtutum;* cfr. tamen S. Bonav., Vita sive Legenda S. Francisci, c. 6. Vide etiam Bernard., Tractat. de moribus et officio episcoporum (alias Epist. 42.), c. 5. n. 17, ubi ait: In tantum est [humilitas] necessaria, ut absque ista illae nec esse virtutes videantur. Nempe ut castitas seu caritas detur, humilitas meretur; quoniam *humilibus Deus dat gratiam* [Iac. 4, 6.]. Humilitas ergo virtutes alias accipit. Servat acceptas, quia non requiescit Spiritus Domini, nisi super *quietum et humilem* [Isai. 66, 2. secundum Septuaginta]. Servatas consummat; *nam virtus in infirmitate*, hoc est in humilitate, *perficitur* [II. Cor. 12, 9.] etc.

[5] Codd. C D G H *quod;* cfr. B. Albert. — Glossa seq. est *interlinearis* (cfr. Ambros., VIII. in Luc. c. 17. n. 31. seq.), cui subiungitur Eccli. 33, 27.

[6] Vers. 31, in quo A C D omittunt *animae*. — Superius Vat. omittit *Dominus dicere videtur*, G legit *quod Dominus dixit: Non habet* etc. Inferius pro *tentionis* Vat. substituit *mercationis*.

[7] Vers. 7. — Glossa seq. est *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 17, 10. In ipsa allegatur Ioan. 15, 5, ubi post *nihil potestis* G cum Beda addit *facere;* pro *nec gratum habet* H cum Glossa et Beda *nec gratiam habet*, et subinde ante *vos* Beda et Glossa omittunt *nec*. In fine Glossae B addit *nec vos iactetis, quia bene servistis* (Glossa *servitis*).

[8] Vers. 12; cfr. supra pag. 261, nota 12. — Duo seqq. loci sunt I. Paralip. 29, 14. et Phil. 2, 13.

[9] Vers. 12; deinde v. 15. et 17. — Superius pro *sub ipso* G *ab ipso*, Vat. *per ipsum*.

[10] Vers. 4, post quem I. Cor. 10, 31.

[11] Vers. 10, cui subnectitur Deut. 27, 26, ubi pro *permanet* et *perficit* A C D *permanserit* et *perfecerit*.

et eos opere perficit ». Et ideo Dominus dicit Ieremiae prophetae Ieremiae primo [1]: « Ad omnia, quae mittam te, ibis et universa, quaecumque mandavero tibi, loqueris ad eos »; et Propheta in Psalmo: « Propterea ad omnia mandata tua dirigebar » etc.

Humilitas. — Qui sic est obediens in opere debet esse humilis in reputatione, et ideo subdit: *Dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere fecimus,* per *recognitionem infirmitatis propriae; servi,* inquam, quia empti, ultra quam valeatis; primae ad Corinthios sexto [2]: « Empti estis pretio magno; glorificate et portate » etc.; et primae Petri primo: « Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione, sed pretioso sanguine quasi

Ratio prima. Agni immaculati » etc. *Inutiles,* non quia opera nostra bona nullam habeant mercedem vel fructum, quia utilia sunt *nobis,* sed quia nihil ex hoc *divinae bonitati* conferimus; Psalmus [3]: « Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non

Secunda. eges ». — Nihil est quod *facimus* comparatione eius, quod recepimus et Deo debemus; unde Glossa [4]: « *Qui venit ministrare et non ministrari,* nos debitores sibi fecit, ne nostris operibus confidentes, sed eius examen expavescentes, omnibus, quae praecepta sunt, impletis, nos imperfectos esse cognoscamus ». Ideo dicebat Propheta [5]: « Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi »? —

Tertia. Item, nihil est quod *sustinemus* respectu eius quod exspectamus; ad Romanos octavo [6]: « Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis ». Unde Glossa super hoc: *Servi inutiles sumus,* « quia bonorum operum nostrorum non indiget Deus; vel quia non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis ». Qui igitur se humiliat sic, ille est qui disponit se ad perfectam gloriam et

Notandum. aeternam. Unde haec humilitas, quae totum Deo tribuit et nihil sibi, perfecte erit in *patria,* secundum illud Apocalypsis quarto [7]: « Procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno et adorabant viventem in saecula saeculorum et mittebant coronas suas ante thronum dicentes: Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem » etc. Et in *statu viae* hoc est in viris perfectis, secundum illud Danielis nono [8]: « Nobis confusio faciei, regibus nostris et principibus nostris et patribus nostris, qui peccaverunt; tibi autem, Domino Deo nostro, misericordia et propitiatio » etc. Ideo singulis diebus dicere debemus illud primae ad Timotheum primo: « Regi autem saeculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in saecula saeculorum. Amen ».

**Confirmatio per factum mirabile.**

22. *Et factum est, dum iret Iesus* [9] etc. Postquam discipulos ad spiritualia opera pietatis informavit documento rationabili et manuduxit exemplo sensibili, hic iam tertio *confirmat facto mirabili* [10]; in quo ipsi discipuli *ex viso opere mirabili* confirmantur ad *credendum,* et *ex intellecto* accenduntur ad *imitandum;* et ideo simul *litteraliter* et *spiritualiter* hoc miraculum tractandum est.

In huius autem miraculi descriptione primo prae- Divisio. mittitur *curatio aegritudinis incurabilis.* Secundo additur *approbatio gratitudinis commendabilis,* ibi [11]: *Unus autem ex illis, ut vidit.*

Circa *curationem* autem *aegritudinis incura-* Primo, de curatione aegritudinis tria. *bilis* tria introducuntur ad expressionem et commendationem miraculi et ad mysterium significationis, scilicet *congruitas loci, calamitas morbi* et *facilitas modi curandi.*

23. (Vers. 11.). Primo igitur quantum ad *con-* Congruitas loci. *gruitatem loci* dicit: *Et factum est, dum iret Iesus in Ierusalem;* per quam significatur *status quietis;* nam interpretatur *visio pacis;* Psalmus [12]: « Lauda, Ierusalem, Dominum, lauda » etc.; et post: « Qui posuit fines tuos pacem ». — *Transibat per mediam Samariam et Galilaeam;* per quas designatur *decursus praesentis itineris. Samaria* namque interpretatur *custodia,* quae debet esse in actione quantum ad *actum,* secundum illud Ecclesiastae quarto [13]: « Custodi pedem tuum, ingrediens domum Dei »; item, quantum ad *affectum;* Deuteronomii quarto: « Custodi temetipsum et animam tuam sollicite »; item, quantum ad *verbum;* Psalmus [14]: « Dixi:

---

[1] Vers. 7. et dein Ps. 118, 128.

[2] Vers. 20, post quem I. Petr. 1, 18. et 19.

[3] Psalm. 15, 2.

[4] Scilicet *ordinaria* (ex Beda), in cuius initio allegatur Matth. 20, 28, in fine B adiungit cum Glossa *quamdiu peregrinamur a Deo* (II. Cor. 5, 6.). Vox *ne* (ita codd. et origin.) valet quod *ut, non.* — Superius vocibus *Nihil est* Vat. interserit *etiam;* H legit *Sive quia nihil est.*

[5] Psalm. 115, 12.

[6] Vers. 18. — Sequitur Glossa *interlinearis* in Luc. 17, 10: *Servi inutiles sumus,* quia empti pretio; quia bonorum operum non eget Deus, vel etc. Vat. cum uno alteroque cod. hanc Glossam omittit.

[7] Vers. 10. et 11. — Superius pro *perfecte erit* G *perfecta erit.*

[8] Vers. 8. et 9. — Subinde allegatur I. Tim. 1, 17. — Superius pro *hoc est in viris perfectis* G *haec est viris perfectis,* Vat. *quantum ad viros perfectos.*

[9] Cfr. supra pag. 425, nota 12.

[10] Vide supra n. 1, ubi etiam ponitur *rationabili,* pro quo hic cum Vat. nonnulli codd. *rationali.*

[11] Vers. 15.

[12] Psalm. 147, 12. et 14. Cfr. supra pag. 42, nota 6, ubi habetur interpretatio nominis *Ierusalem.*

[13] Vers. 17. — Sequitur Deut. 4, 9, post quem Vat. cum F G addit: *Et illud potissime competit praelatis secundum illud III. Reg. 20, 39:* Custodi virum istum, qui, si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima eius (hoc sumtum videtur ex c. 6. n. 47.). — De interpretatione nominis *Samaria* cfr. supra pag. 147. nota 3. et pag. 271, nota 8.

[14] Psalm. 38, 2.

Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea ». *Galilaea* autem interpretatur *transmigratio*[1], quae debet esse in contemplatione, secundum illud Ecclesiastae secundo: « Transivi ad contemplandam sapientiam » etc.; et in Psalmo: « Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei ». — Et nota, quod dicitur *transire per mediam Samariam*, et post exprimitur *Galilaea*; quia prius oportet transire per *activam*, postea per *contemplativam*; unde Iacob non habuisset Rachelem, nisi prius habuisset Liam[2]. Et dicitur *per mediam transire*; nam in *actione* medium teneri debet, declinando superfluum et diminutum[3]; in *praelatione* similiter, declinando acceptionem personarum; Exodi trigesimo secundo: « Ite et redite de porta ad portam per medium castrorum » etc.; in *contemplatione* similiter medium tenetur; in cuius figuram dicitur de Seraphim Isaiae sexto[4], quod « duabus alis velabant faciem et duabus velabant pedes et duabus intermediis volabant ».

Notandum.

Figura.

24. (Vers. 12.). Secundo quantum ad *calamitatem morbi* subdit: *Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi. Ad litteram* lepra est morbus miserabilis calamitatis, quia aufert remedium artis, privat solatio societatis, affligit gravamine infirmitatis[5]. — Et tales desolati recursum habere debent ad Patrem misericordiae; ideo addit: *Qui steterunt a longe*, suam recognoscentes immunditiam.

Calamitas morbi.

25. (Vers. 13.). *Et levaverunt vocem*, suam exprimentes miseriam; *dicentes: Iesu praeceptor, miserere nostri*, divinam implorantes misericordiam, iuxta quod Propheta in Psalmo[6]: « Afflictus sum et humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei ».

26. *Spiritualiter* autem per *decem leprosos* intelligitur *universitas peccatorum* peccantium contra decalogum; unde Glossa[7]: « Qui contra decalogum peccant, nec amando Deum, de quo male sentiunt, nec proximum, a quo dividuntur, sub denario numero ad Deum clamant ». Oritur autem *universitas peccatorum* ex quatuor causis, scilicet ex *timore male humiliante*; et sic designatur per lepram *Mariae* Numerorum duodecimo[8], ubi dicitur, quod postquam murmuravit contra Moysen, « apparuit candens lepra quasi nix ». — Secundo, ex *amore male inflammante ad concupiscentiam carnis*; et hoc significatur per lepram *Naaman Syri*, de quo dicitur, quod « erat vir fortis et dives, sed leprosus », quarti Regum quinto[9]. — Tertio, ex *amore male inflammante ad concupiscentiam oculorum*; quae intelligitur per lepram *Giezi*, quarti Regum quinto[10]. Nam dictum est ei propter cupiditatem et simoniam: « Lepra Naaman adhaerebit tibi et semini tuo » etc. — Quarto, ex *amore male inflammante ad superbiam vitae*; et hoc intelligitur per lepram *Oziae*, de quo dicitur secundi Paralipomenon vigesimo sexto[11], quod cum vellet ponere incensum in domo Domini et dignitatem usurpare sacerdotalem, percussus est lepra. — In figura harum quatuor causarum leprae dicitur quarti Regum septimo[12], quod « *quatuor* viri leprosi erant in porta Samariae », ad designandam *quadriformitatem causae*; et hic sunt *decem* ad designandam *universitatem culpae*.

Expositio spiritualis de decem leprosis.

Peccatorum causa prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Figura.

27. *Spiritualiter* autem per *lepram* intelligitur vitium contra christianam religionem, quod quatuor modis habet fieri; unde Glossa[13]: « Quisquis haeretica pravitate, vel gentili superstitione, vel Iudaica perfidia, vel fraterno schismate, per Dei gratiam mundatus, caruerit; necesse est, ut ad Ecclesiam redeat ». — His autem quatuor vitiis praedictis praecipue impugnatur lex veritatis, quae consistit in observatione decalogi; et ideo merito per *quatuor* et per *decem* habent figurari. Huiusmodi autem peccatores, licet per vias tenebrosas incedant, secundum illud Proverbiorum quarto[14]: « Via impiorum tenebrosa, nesciunt, ubi corruant », Domino tamen *intrante castellum*, id est veniente in carnem, illuminantur ad videndam viam, secundum illud Isaiae nono: « Habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis ». Et *occurrunt ei*, per *poenitentiam*, quae faciem aversam facit converti; Ieremiae trigesimo primo[15]: « Converte me, Domine, et convertar ». « Postquam convertisti me, egi poenitentiam ». Haec autem poenitentia facit *stare a longe*, per *humilitatem propriae abiectionis*; infra decimo octavo[16]: « Publicanus a longe stans » etc.; facit *levare vocem*, per *amaritudinem compunctionis*; Habacuc tertio: « Dedit

Item, de lepra.

---

[1] Hieron., de Nominib. Hebraic. nov. testam. Lucae: *Galilaea*, volutabilis, aut transmigratio perpetrata, vel rota. — Duo seqq. loci sunt Eccle. 2, 12. et Ps. 41, 5.

[2] Respicitur Gen. 29, 18. seqq.; cfr. supra c. 10. n. 75.

[3] Vide supra pag. 379, notam 4. — Sequitur Exod. 32, 27.

[4] Vers. 2. — Superius pro *tenetur* Vat. *teneri debet in considerando.*

[5] Cfr. supra c. 5. n. 25. — Inferius pro *habere debent* C D F H *habent.*

[6] Psalm. 37, 9.

[7] Scilicet *ordinaria* (ex Gregor., XVIII. Moral. c. 16. n. 26.) in Luc. 17, 12.

[8] Vers. 1: Loculaque est Maria et Aaron contra Moysen; v. 10: Ecce, Maria apparuit candens etc. — De timore male humiliante et amore male inflammante cfr. supra pag. 309, nota 11. Pro *murmuravit* C D F *murmuraverat.*

[9] Vers. 1, ubi pro *fortis* codd. *potens;* Septuaginta: vir erat *potens fortitudine*, leprosus. — De concupiscentia carnis etc. vide supra pag. 90, notam 9.

[10] Vers. 27. — Superius pro *quae intelligitur* Vat. *et hoc intelligitur.*

[11] Vers. 19. — Superius ante *inflammante* C D F H omittunt *male.*

[12] Vers. 3; cfr. supra c. 4. n. 54. — Inferius pro *quadriformitatem* Vat. *quandam conformitatem.*

[13] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 17, 14.

[14] Vers. 19. — Subinde allegatur Isai. 9, 2.

[15] Vers. 18. et 19. — Superius pro *Et occurrunt ei* A H *Et occurrerunt ei.*

[16] Vers. 13. — Duo seqq. loci sunt Habac. 3, 10. et Ps. 40, 5.

abyssus vocem suam », id est peccator; facit etiam *petere sanitatem,* per *fiduciam orationis,* secundum illud Psalmi: « Ego dixi: Domine, miserere mei, sana animam meam ».

28. (Vers. 14.). Tertio quantum ad *facilitatem*

Facilitas modi curandi.

*modi curandi* subiungit: *Quos ut vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Ad sacerdotes enim spectat leprae iudicium, secundum illud Levitici decimo quarto[1]: « Leprosus, quando mundandus est, adducetur ad sacerdotem » etc., per totum capitulum. — *Et factum est, dum irent, mundati sunt,* scilicet per divinum imperium, cui hoc est *dicere* quod *facere;* Ecclesiastae octavo[2]: « Sermo illius potestate plenus est »; et « omne, quod voluerit, faciet ».

29. *Spiritualiter* autem intelligitur hic modus

Curatio a lepra spirituali.

curandi a *lepra spirituali,* videlicet per ministerium sacerdotis; et hoc insinuat in hoc quod dicit: *Ostendite vos sacerdotibus;* Levitici decimo quarto[3]: « Hic est ritus leprosi, qui mundandus est: adducetur ad sacerdotem ». Ideo Ecclesiastici septimo: « In tota anima tua time Deum et sacerdotes eius sanctifica ». « Honora Deum ex tota anima tua et honorifica sacerdotes et propurga te cum brachiis ». Ho-

Laudatur confessio.

norificentia autem ista est per sui ipsius accusationem, secundum illud Iosue septimo[4]: « Fili, confitere et da gloriam Deo ». Ideo Ecclesiastici decimo septimo: « Cognosce iustitias et iudicia Dei et sta in sorte propositionis et orationis altissimi Dei; in partes vade saeculi sancti cum vivis et dantibus confessionem Deo ». Ideo dicit: *Ostendite* etc.; Ecclesiastici decimo octavo: « In tempore infirmitatis ostende

Notandum.

conversationem ». — Qui sic vult confiteri iam incipit in voluntate rectificari; et ideo dicit: *Dum irent, mundati sunt,* secundum illud Psalmi[5]: « Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino » etc. Ex hoc manifeste apparet *efficacia confessionis* curantis omnem morbum atque languorem. Apparet etiam *dignitas sacerdotalis,* quam qui contemnit a Domino sanari non potest. Unde Iob trigesimo quarto[6]: « Nunquid qui non amat iudicium sanari potest » ? Apparet etiam mira *Dei pietas,* quae omnes occurrentes curat, secundum illud Ioannis sexto[7]: « Omnis, qui venit ad me, non eiiciam foras ». Apparet etiam ex hoc, quanta debet esse *pietas in ministris Dei* ad infirma membra Christi; primae ad Thessalonicenses ultimo[8]: « Rogamus vos, fratres, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte, ne quis malum » etc. Propter hoc divina dispositio caput Apostolorum cadere permisit, ut in suo casu disceret, qualiter aliis misereri debuisset[9].

30. (Vers. 15.). *Unus autem ex illis* etc. Post curationem incurabilis morbi vel aegritudinis describitur hic secundo[10] *commendatio approbabilis gratitudinis,* circa quam introducuntur tria, scilicet *gratiarum actio, ingratitudinis argutio* et *gratitudinis approbatio.*

Secundo, de commendatione gratitudinis tria.

Primo igitur quantum ad *gratiarum actionem* praemittitur: *Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est,* per recognitionem scilicet beneficii; ad Romanos undecimo[11]: « Vide ergo in te bonitatem Dei, si permanseris in bonitate ». — *Regressus est, cum magna voce magnificans Deum,* per glorificationem benefactoris, secundum illud Tobiae duodecimo[12]: « Benedicite Deum caeli et coram omnibus viventibus confitemini illi, quia fecit vobiscum misericordiam suam »; et Psalmus: « Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi » etc.

Gratiarum actio.

31. (Vers. 16.). *Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens ei*[13], scilicet per exhibitionem reverentiae et honoris; Ezechielis secundo: « Vidi et cecidi in faciem meam »; et Apocalypsis primo: « Cum vidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus ». — *Et hic erat Samaritanus,* ad expressionem figurae et significationis. Iste enim, quia Samaritanus et alienigena, significat gentiles ad cultum Christi redeuntes, sicut et illa mulier Samaritana, Ioannis quarto[14]. Designat autem, non solum quia *gentilis,* verum etiam quia *unus;* in quo intelligitur unitas ecclesiastica. Unde Glossa: « Unus regressus significat unius Ecclesiae devotam Christo humilitatem ». In cuius designationem Canticorum sexto[15]: « Una est columba mea »; et primae ad Corinthios nono: « Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium ». Propter hoc unus introducitur hic regressus, sicut in illa multitudine unus sanatur; Ioannis

Com reverentia.

Huius significatio.

---

[1] Vers. 2.

[2] Vers. 4. et 3. Cfr. supra pag. 120, nota 2.

[3] Vers. 2, ubi pro *adducetur* codd. male *adducere.* — Subinde allegantur Eccli. 7, 31. (quem Vat. omittit) et 33. Glossa *interlinearis: Ostendite vos sacerdotibus,* qui sunt figura sacerdotii futuri in Ecclesia (ex Beda, qui sequitur August., II. Qq. Evangelior. q. 40. n. 3.).

[4] Vers. 19. — Sequuntur Eccli. 17, 24. seq. et 18, 21.

[5] Psalm. 31, 5. Cfr. supra pag. 121, nota 1. verba Anselmi.

[6] Vers. 17, quem Vat. omittit. — Superius post *languorem* B addit: *Apparet etiam humilitas peccatoris, quia statim isti iverunt; Iosue 7, 19:* Fili mi, da gloriam Domino etc. Subinde pro *non potest* Vat. perperam *potest.*

[7] Vers. 37; cfr. supra pag. 210, nota 4. — Cod. B legit: *Apparet etiam mira Dei potestas, quae occurrentes curat, qui occursus est per poenitentiam, quae faciem aversam facit converti; Ier. 31, 18:* Converte me, Domine etc.

[8] Vers. 14. et 15.

[9] Secundum auctorem Serm. 79. (alias 124. de Tempore) in Append. August. n. 2; cfr. infra c. 22, 59. seq. n. 70. — Vat. *misereri posset atque deberet.*

[10] Cfr. supra n. 22, ubi melius sic: *approbatio gratitudinis commendabilis.* — Inferius pro *argutio* Vat. *increpatio;* idem recurrit infra n. 32.

[11] Vers. 22.

[12] Vers. 6, post quem Ps. 12, 6.

[13] Vulgata et II omittunt *ei,* quod tamen exhibet textus Graecus (εὐχαριστῶν αὐτῷ). — Duo seqq. loci sunt Ezech. 2, 1. et Apoc. 1, 17, in quo codd. omittunt *eum.*

[14] Vers. 7. seqq. — Glossa seq. est *ordinaria* (ex Beda). — Vat. omittit *Designat autem... unitas ecclesiastica.*

[15] Vers. 8, cui subiungitur I. Cor. 9, 24.

quinto[1]: « Movebatur aqua, et sanabatur unus »; et Christus unum tantum ibi curavit, ut, sicut dicit Augustinus, ostenderet, quod nullus sanari potest nisi intra ecclesiasticam unitatem; de qua unitate ad Ephesios quarto[2]: « Solliciti, servare unitatem spiritus in vinculo pacis ». « Unus Dominus, una fides, unum baptisma » etc. Hic autem unus dicitur *cadere in faciem*, quia Ecclesia non tantum habet *unitatem* per amorem, verum etiam *humilitatem* per gratitudinem et timorem[3]. Hoc significat ipse *casus in faciem;* casus enim *in faciem* significat *reverentiam*, secundum illud Apocalypsis septimo[4]: « Et omnes Angeli stabant in circuitu throni » etc.; sed casus *post tergum* significat *ruinam;* Ioannis decimo octavo: « Abierunt retrorsum et ceciderunt in terram »; et primi Regum quarto: « Cecidit Heli de sella retrorsum ». Unde Glossa[5]: « Qui in faciem cadit videt, quo cadat; qui retro cadit non videt. Boni ergo in *faciem* cadunt, quia humiliant se in his *visibilibus*, ubi vident, quid eos sequatur, ut ad invisibilia erigantur. Mali *retro* cadunt, quia cadunt in *invisibilibus*, ubi non vident, quid eos sequatur ». Cadit autem quis *in faciem* in *supernorum mirabilium revelatione*, sicut dicitur Danielis decimo[6]: « Audivi vocem sermonum eius, et audiens iacebam consternatus super faciem meam, et vultus meus haerebat terrae ». In *divinorum charismatum postulatione;* Iudith sexto[7]: « Omnis populus cecidit in faciem, adorantes Deum, et communi lamentatione et fletu unanimes preces suas Domino effuderunt » etc. In *beneficiorum susceptione;* Genesis decimo septimo: « Cecidit Abraham in faciem suam et risit » etc.

Notandum.

32. (Vers. 17.). Secundo quantum ad *ingratitudinis argutionem* subdit: *Respondens autem Iesus dixit: Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt?* Non quaerit de novem sicut ignorans cuiuslibet eorum personam, sed reprobans ingratitudinis irreverentiam, sicut quaerebat Dominus Genesis tertio[8]: « Adam, ubi es »? Unde Glossa: « Ingratos quasi ignotos, ubi sint, requirit »; ita ut in eis verificetur illud primae ad Corinthios decimo quarto: « Ignorans ignorabitur ».

Ingratitudinis argutio.

33. (Vers. 18.). Et ideo, ut ostendat, quod hoc reprobando dixit[9], subdit: *Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* In quo manifeste ostenditur Iudaeorum ingratitudo, quia, cum essent novem, nullus ex eis rediit, sed solus iste Samaritanus, qui unicus erat et solus. In quo intelligitur electio gentium et reprobatio Iudaeorum, secundum illud ad Ephesios secundo[10]: « Vos, qui eratis aliquando gentes in carne, qui eratis in illo tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes et sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Iesu vos, qui eratis aliquando longe, facti estis prope » etc. *Alienigena* dicitur qui alibi habitat et alibi natus est; sic est de omnibus, qui carnaliter nati ad spiritum transeunt, secundum illud ad Romanos nono[11]: « Non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis aestimantur in semine »; quia, sicut dicitur Ioannis tertio, « quod natum est ex carne caro est » etc. Et ideo in Psalmo[12] dicitur Ecclesiae: « Obliviscere populum tuum et domum patris tui » etc.; et *in figura* dicitur Abrahae Genesis duodecimo: « Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui et veni in terram » etc. Et ideo primae Petri secundo: « Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis » etc.

Iudaeorum ingratitudo.

Quid alienigena.

34. (Vers. 19.). Tertio quantum ad *gratitudinis approbationem* subiungit: *Et ait illi*[13]*: Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit. Surge,* per poenitentiam; ad Ephesios quinto: « Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis »; et Actuum duodecimo: « Excitavit eum, dicens: « Surge velociter ». *Vade,* per iustitiam; Matthaei octavo[14]: « Dico huic: Vade, et vadit », scilicet per obedientiam, quae est nobilissima pars iustitiae, quae potissime fuit in Christo, secundum illud Matthaei vigesimo sexto: « Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo », hoc est, ire a Deo ad Deum et secundum Deum et propter Deum; Ioannis decimo tertio[15]: « Sciens, quia a Deo exivit et ad Deum vadit »; et decimo sexto: « Vado ad eum qui misit me » etc. *Fides tua te*

Gratitudinis approbatio.

---

[1] Vers. 4. — Sententia August. exhibetur Serm. 125. (alias 15. ex Sirmondianis) n. 6; in Ioan. Evang. tr. 17. n. 3; cfr. tom. VI. pag. 305, nota 13. [2] Vers. 3. et 5.

[3] Vat. omittit in hac propositione *Ecclesia* et post *verum etiam* addit *per*. Cfr. paulo superius Glossa allegata ex Beda, qui deinde addit: Qui bene cadens ante pedes Domini gratias egit. Ille enim vere Deo gratias agit, qui, repressis praesumtionis suae cogitationibus, quam in semetipso infirmus sit, humiliter videt, qui nihil sibi virtutis tribuit etc.

[4] Vers. 11. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 18, 6. et I. Reg. 4, 18.

[5] Scilicet *ordinaria* (ex Beda).

[6] Vers. 9, ubi C D F G post *audiens* prosequuntur *consternatus eram in faciem meam* etc.

[7] Vers. 14. — Subinde allegatur Gen. 17, 17.

[8] Vers. 9. — Glossa seq. est *interlinearis* (ex Beda), post quam I. Cor. 14, 38.

[9] Beda, V. in Luc. 17, 17, Glossae *interlineari* paulo superius allegatae addit: Scire enim Dei eligere, nescire reprobare est.

[10] Vers. 11-13. Cfr. August., II. Qq. Evangelior. q. 40. n. 4, quem sequitur Beda, V. in Luc. 17, 17. seq. — Superius post *sed* A omittit *solus*.

[11] Vers. 8. (pro *aestimantur* A C D F H *existimantur),* post quem Ioan. 3, 6.

[12] Psalm. 44, 11. — Duo seqq. loci sunt Gen. 12, 1. et I. Petr. 2, 11.

[13] Plures codd., ut A C F, omittunt *Et ait illi;* D legit: *Et ait illi*, per exhortationem: *surge*, per beneficii cogitationem; *vade*, per gratiarum actionem (secunda manus addidit *vel sic): Surge, vade* etc. — Subinde allegantur Eph. 5, 14. et Act. 12, 7.

[14] Vers. 9. et deinde 26, 24.

[15] Vers. 3. et 16, 5.

*salvum fecit,* per confidentiam; Beda [1]: « Quae ad agendas gratias inclinavit »; est enim *fides* nostrae salutis *initium,* quae facit, cognosci nomen Domini Iesu Christi, de quo Actuum quarto: « Non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri ». *Spes* autem est huius salutis *incrementum,* secundum illud ad Romanos octavo [2]: « Spe salvi facti sumus »; sed caritas, *complementum,* secundum illud Psalmi: « Tuus sum ego, salvum me fac, quoniam iustificationes tuas exquisivi » etc. — Et nota, quod Christus attribuit *salutem* fidei; quam [3] ipse virtuose fecerat, ut sic ex hoc miraculo fiat confirmatio praecedentium quoad *pietatem animi* in Christo miserente, *humilitatem obsequii* in liberato procidente, *firmitatem fidei* in leproso curationem promerente; ut sic ex praedicto miraculo praedicta omnia firmiter confirmentur. Unde Glossa [4]: « In superiori parabola decernitur, fidem per humilitatem debere augeri; in ista rebus ipsis manifeste ostenditur, non fidei tantum agnitam rationem, sed fidei exsecutam operationem esse, quae salvum faciat credentem ».

Notandum.

### Curiositas Iudaeorum confutatur dupliciter.

35. *Interrogatus autem a Pharisaeis* etc. Terminatis duabus partibus principalibus, in quibus confutata est Iudaeorum dolositas et impietas, et per oppositum simplicitas et pietas commendata; hic sequitur pars tertia, in qua *confutatur curiositas* [5]. Et quoniam curiositas non tantum consistit in perscrutatione scientiae, verum etiam in possessione pecuniae, secundum beatum Augustinum [6]; ideo ista pars dividitur in duas: in quarum prima confutat *curiositatem in perscrutando;* in secunda vero, *curiositatem in possidendo,* infra decimo octavo [7]: *Interrogavit eum quidam princeps.*

Divisio.

**Primo curiositas in perscrutando confutatur per tria.**

Prima pars dividitur in tres: in quarum prima introducitur *reprehensio Iudaicae curiositatis;* in secunda, *assignatio rationis,* ibi [8]: *Nam sicut fulgur coruscans* etc.; in tertia, *persuasio studiositatis,* ibi: *Dicebat autem et parabolam ad illos* etc.

**De reprehensione Iudaicae curiositatis tria.**

In *reprehensione* autem *curiositatis Pharisaeorum* tria introducuntur, scilicet *improbatio curiositatis Pharisaeorum* interrogantium, *approbatio caritatis discipulorum* desiderantium et *reprobatio contrarietatis haereticorum* decipientium.

36. (Vers. 20.). Primo igitur quantum ad *improbationem curiositatis Pharisaeorum interrogantium* dicit: *Interrogatus autem a Pharisaeis: Quando venit regnum Dei?* per curiosam scilicet inquisitionem. Haec interrogatio erat curiosa, quia de re secreta, quam Deus in suo secreto occultat, secundum illud Actuum primo [9]: « Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate »; et ideo Ecclesiastici tertio: « Altiora te ne quaesieris et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quae praecepit tibi Deus, haec cogita semper, et in pluribus operibus eius ne fueris curiosus »; et Ecclesiastae septimo: « Quid necesse est homini maiora se quaerere, cum ignoret, quid conducat sibi in vita sua numero dierum peregrinationis suae et tempore, quod velut umbra praeterit? Aut quis poterit ei indicare, quid post eum futurum sit »?

Primum.

37. (Vers. 20. 21.). Et ideo subdit: *Respondens eis dixit* [10]: *Non venit regnum Dei cum observatione; neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic,* per humanam comprehensionem. Humana enim comprehensio non se extendit ad cognoscendum *iudicii*

Humanae comprehensionis limitatio.

---

[1] Libr. V. in Luc. 17, 19; sententia exhibetur verbis Glossae *ordinariae:* Fides, quae ad agendas gratias inclinavit; econtra perfidia illos damnat, qui de acceptis beneficiis sunt ingrati. — Sequitur Act. 4, 12.

[2] Vers. 24. — Subinde allegatur Ps. 118, 94.

[3] Cod. H addit *tamen,* Vat. legit *salutem, quam ipse virtuose fecerat, fidei.*

[4] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 17, 19. Parabola *superior* est illa de servo arante aut pascente supra v. 7. seqq. In ipsa Glossa pro *decernitur* (ita Beda et Glossa) A D F G *discernitur,* et pro *agnitam* A C D *augmentatam* (contra Glossam et Bedam); in fine Glossae Vat. cum H (secundum Bedam, sed non secundum Glossam) addit *detque gloriam Patri, qui est in caelis.*

[5] Vide supra c. 11. n. 36.

[6] Cfr. X. Confess. c. 35. n. 54. seq.; de Vera Relig. c. 38. n. 70; in Epist. I. Ioan. tr. 2. n. 13; Enarrat. in Ps. 8. n. 13, ubi docet, curiositatem esse idem, quod I. Ioan. 2, 16. vocatur *concupiscentia oculorum,* sub qua, ut exponit Alex. Hal., S. p. II. q. 142. m. 1, comprehenditur *avaritia* tam generaliter quam specialiter (cfr. supra pag. 317, nota 4.) accepta: « Est enim oculus interior ipsius animae et exterior, et secundum interiorem oculum rationis est immoderatus appetitus circa cognitionem et scientiam, secundum autem exteriorem est immoderatus appetitus habendi res exteriores, subiacentes fortunae. Avaritia generaliter, quae dicitur concupiscentia oculorum, se habet respectu omnium, quae inordinate possunt appeti secundum oculum interiorem vel exteriorem, quaerendo in illis sufficientiam; proprie tamen, ut dicitur quoddam speciale peccatum, est respectu bonorum fortunae, quae nomine pecuniae intelliguntur ». Ibid. m. 4. ostendit, quod, secundum August., II. de Lib. Arb. c. 19. n. 53, anima ad creaturam conversa « aut convertitur ad bonum proprium *interius,* et sic est superbia, aut *exterius,* et sic fit curiosa, aut ad *inferius,* et sic fit carnalis... Quia ergo bona exteriora maxime apprehenduntur a sensu *visus*... et respectu illorum dicitur concupiscentia illa: ideo dicitur concupiscentia *oculorum.* Cfr. ibid. q. 159. m. 3. a. 2. Beda, in I. Ioan. 2, 16: *Concupiscentia oculorum* est omnis curiositas, quae fit in discendis artibus nefariis... in acquirendis rebus temporalibus etc. Cfr. supra c. 14. n. 40. seqq.

[7] Vers. 18: *Et interrogavit* etc. — Inferius pro *dividitur* D *subdividitur.*

[8] Vers. 24; tertia habetur c. 18, 1.

[9] Vers. 7. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 3, 22. et Eccle. 7, 1.

[10] Codd. C D cum Beda: *Respondit eis et dixit.*

*tempus;* unde dicit: *Non venit cum observatione;* Glossa [1]: « Temporis »; Matthaei vigesimo quarto: « De die autem illa et hora nemo scit, neque Angeli caelorum, nisi solus Pater »; et primae ad Thessalonicenses quinto: « Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet ». Non extendit se etiam ad sciendum *locum;* propter quod dicit: *Nec dicent: Ecce, hic* etc.; Glossa [2]: « Nec scietur determinatus locus ». — Sed contrarium videtur dici Ioelis tertio: « Congregabo omnes gentes et disceptabo cum eis in valle Iosaphat ». Sed illud intelligendum est, quod *Iosaphat* accipitur pro interpretatione; interpretatur enim *vallis iudicii.* Iudicium enim non erit, Domino existente in terra, sed potius in aëre, sicut dicit Hieronymus super hunc locum [3]. — Et quoniam curiosa inquisitio non excluditur nisi per studiosam, ideo subdit: *Ecce enim, regnum Dei intra vos est,* per divinae gratiae oblationem, quae quidem facta fuit in adventu Christi; de quo Ioannis primo [4]: « Medius vestrum stetit, quem vos nescitis ». Unde Beda: « *Regnum Dei* se ipsum dicit intra ipsos positum, id est in cordibus eorum qui crediderunt, regnantem ». Propter quod dicitur supra undecimo [5]: « Si in digito Dei eiicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei », illud scilicet, de quo dicitur ad Romanos decimo quarto: « Regnum Dei non est esca et potus » etc. Vult igitur dicere, quod adventum primum debent considerare et secundi adventus tempus desinant indagare; unde Beda [6]: « Quando veniat, neque ab hominibus neque ab Angelis potest observari, sicut dominicae incarnationis tempus certissimis et Prophetarum vaticiniis praefatum et Angelorum praeconiis est manifestatum ».

Difficultas solvitur.

38. (Vers. 22.). Secundo quantum ad *approbationem caritatis discipulorum desiderantium* subdit: *Et ait ad discipulos suos: Venient dies, quando desideretis videre unum diem Filii hominis,* scilicet dies tribulationis, in quibus augetur desiderium aeternitatis, secundum illud Psalmi [7]: « In die tribulationis meae Deum exquisivi, manibus meis » etc. Et illa erit dies tribulationis asperrimae, secundum illud Matthaei vigesimo quarto: « Erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo ».

Secundum.

39. Et nota, quod pluraliter dicit *dies* propter pluralitatem tribulationum, quas Ecclesia post Christi ascensionem erat passura. Sunt autem quatuor principales: prima, *tyrannorum;* secunda, *haereticorum;* tertia, *falsorum Christianorum;* et quarta erit conflata *ex omnibus,* quae erit antichristi et suorum complicum. Et hae designatae sunt in quatuor bestiis, quas vidit Daniel, Danielis septimo [8]. Prima erat similis leoni, secunda urso, tertia pardo, quarta non describitur, quia in ea erit omnium perversitatum concursus. Et haec tribulatio parit desiderium diei gloriae, de qua Zachariae ultimo [9]: « Erit dies una, quae nota est Domino exercituum ». Et haec est *desiderabilis,* secundum illud Psalmi: « Melior est dies una in atriis tuis super millia ». Et hanc desiderant viri *iusti,* sicut Paulus; ad Philippenses primo: « Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo magis melius ». Desiderant etiam *afflicti,* sicut discipuli; unde Beda [10]: « Post ascensionem meam vos, in hoc exilio mundi ingemiscentes, desiderabitis me videre in gloria mea. Quae voluntas laudanda est, non tamen in hoc mundo implenda ». — Et ideo sequitur: *Et non videbitis.* Implebitur tamen hoc aliquando, quia, Proverbiorum decimo [11], « desiderium suum iustis dabitur ». Excitatur autem hoc desiderium ex tribulatione, tum quia mundus iste magis despicitur, tum quia spes aeternorum fortior concipitur, tum quia ignis amoris vehementius inflammatur. Propter quod secundae ad Corinthios quinto [12]: « Scimus, quia, si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed aeternam in caelis. Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quae de caelo est, superindui cupientes » etc.

Tribulationes quatuor. — Dies gloriae. — Tribulationis effectus.

40. (Vers. 23.). Tertio quantum ad *reprobationem contrarietatis haereticorum decipientium* subiungit: *Et dicent vobis: Ecce hic, et ecce illic;* Glossa [13]: « In hac persona, vel in hoc tempore est Christus ».

Tertium.

---

[1] Scilicet *interlinearis,* post quam Matth. 24, 36. et I. Thess. 5, 2.

[2] Nempe *interlinearis.* — Subinde allegatur Ioel 3, 2.

[3] In Ioelis 3, 1. seqq., ubi ait: « Non descendere [sicut increduli], sed ascendere cohortantur [credentes; cfr. v. 9.]. Omnis enim, qui iudicatur propter peccata sua, in *valle* positus est, quae appellatur *Iosaphat,* id est Domini iudicium. Qui enim credit in Domino non iudicabitur » etc. Haec sententia exhibetur etiam a Glossa *ordinaria* (in eundem loc.); praemittitur tamen in ipsa, quod Dominus « non in terra (valle Iosaphat; cfr. Cyrill. Alexandr. in Ioel 3, 2, qui contrariam opinionem vocat frivolam et anilem), sed in spatio huius aëris sedebit contra locum montis Oliveti, ex quo ascendit ». Vide IV. Sent. lit. Magistri, d. XLVIII. c. 4, et Glossam *ordinariam* in Isai. 24, 13. (ex Haym.). — Inferius post *studiosam* A addit *responsionem.*

[4] Vers. 26, post quem allegatur Beda, V. in Luc. 17, 21; pro *qui crediderunt* (ita etiam Glossa *interlinearis)* Vat. cum Beda *ubi credidere.*

[5] Vers. 20. et deinde Rom. 14, 17.

[6] Libr. V. in Luc. 17, 21; pro *praefatum* (ita A C G) Vat. cum Beda et H *praefixum,* B D *prophetatum.* C D G omittunt *Quando veniat,* quod H transponit post *ab Angelis.*

[7] Psalm. 76, 3, cui subiungitur Matth. 24, 21. — Glossa *interlinearis: Et ait ad discipulos,* quos etiam intelligimus de adventu quaesisse, et isti sunt Petrus, Iacobus, Andreas et Ioannes, ut Marcus [13, 3. seq.] testatur. — Superius post *scilicet* C D G H omittunt *dies.*

[8] Vers. 3-7. Pro *leoni* Vat. cum H et Vulgata *leaenae.* Eadem doctrina proponitur a Card. Hug.

[9] Vers. 7. — Duo seqq. loci sunt Ps. 83, 11. et Phil. 1, 23.

[10] In Glossa *ordinaria* in Luc. 17, 22, a qua voci *vos* praefigitur *quando.* Pro *Beda* H *Ambrosius in Glossa.*

[11] Vers. 24.

[12] Vers. 1. seqq.

[13] Scilicet *interlinearis* secundum Bedam, V. in Luc. 17, 23, ubi etiam invenitur seq. Bedae sententia, quae verbis Glossae *ordinariae* apud Lyranum exhibetur.

Hoc enim haeretici aliquando ausi sunt et audebunt dicere, et maxime ille filius perditionis. Unde Beda: « Multi haeretici fuerunt et futuri sunt, qui se Christos asserunt, quorum primus Simon magus, et ultimus antichristus ». Unde etiam ille qui fuit dux sectae Manichaeorum, dixit, se esse Spiritum sanctum, sicut dicit Augustinus [1]. Unde quia haeretici discordant; unus dicit unum, alter sentit contrarium; ideo dicit, quod unus dicit: *ecce hic*, alter: *ecce illic*. Unde Matthaei vigesimo quarto [2]: « Multi venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, et multos seducent ». Seducuntur autem qui suscipiunt eorum doctrinam et subsequuntur vitam. — Ideo addit: *Nolite ire*, cum illis; Glossa [3]: « Ut credatis quae dicunt »; Isaiae vigesimo octavo: « Qui crediderit non festinet »; *nec sectemini;* Glossa [4]: « Vitam eorum »; Proverbiorum primo: « Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis ». Ideo autem tam diligenter monet, quia difficile erit illorum pseudoprophetarum et praedicatorum vitare seductiones; Matthaei vigesimo quarto [5]: « Surgent pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem mittantur, si fieri potest, etiam electi ». Unde Chrysostomus [6]: « Homo circa mortem phantasias videt; sic et mundus in exitu suo multos patietur errores ».

Notandum.

**De ratione huius reprehensionis tria.**

41. *Nam sicut fulgur* etc. Post reprehensionem Iudaicae curiositatis subditur hic *ratio reprehensionis* [7], quae sumitur ex modo veniendi ipsius Filii Dei, qui non poterit latere, cum venerit, nec ante praevideri. Dividitur autem haec pars in tres: in quarum prima agit de modo *apparendi;* in secunda, de modo *veniendi*, ibi [8]: *Et sicut factum est in diebus Noe;* in tertia, de modo *evadendi*, ibi: *In illa die* etc.

Circa modum *apparendi* duo introducuntur, scilicet Christi *apparentis manifestatio* et *apparitionis ordo*.

De modo apparendi duo.

42. (Vers. 24.). Primo ergo quantum ad *apparitionis manifestationem* dicit: *Nam sicut fulgur coruscans de sub caelo in ea quae sub caelo sunt, fulget*, scilicet velociter et aperte. Chrysostomus [9]: « Coruscatio non indiget praecone, sed in momento in thalamis et in domibus et per universum orbem manifestatur ». — *Ita erit Filius hominis in die sua;* Glossa [10]: « Subitus et coruscus, ut nullus in sua mente latere permittatur, quin iudicis fulgore penetretur ». Et nota, quod apparitio Domini in iudicio comparatur *coruscationi fulguris*, quia *manifesta;* Psalmus [11]: « Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit »; quia *terribilis;* Ezechielis primo: « Haec erat visio discurrens, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens »; quia *repentina;* Isaiae vigesimo nono: « Eritque repente; a Domino exercituum visitabitur in tonitruo et commotione terrae et voce magna turbinis et tempestatis et flammae ignis devorantis ». — Sicut igitur stultum est de nocte sollicitari de apparitione solis, quando apparebit, cum eius ortus nullo modo possit latere, et magis stultum est de apparitione fulguris; sic et de adventu diei illius, inquirendo certum momentum temporis, cum illud omnibus manifeste innotescat, secundum illud Apocalypsis primo [12]: « Ecce, venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus » etc. Et ex hoc manifeste possumus discernere Christum ab antichristo, quia antichristus in momento temporis non poterit se cunctis reddere manifestum.

Primum.

Rationes tres.

Notandum.

43. (Vers. 25.). Secundo quantum ad *apparitionis ordinem* subdit: *Primum autem oportet, illum multa pati et reprobari a generatione hac.* Hoc autem intelligitur de Christo capite et Iudaeorum perfida generatione, a qua multa perpessus est, de qua Deuteronomii trigesimo secundo [13]: « Generatio perversa est, et infideles filii »; et Proverbiorum trigesimo: « Generatio, quae patri suo maledicit, et quae matri suae non benedicit ». Ab hac generatione Christus multa passus est opprobria, convitia, verbera et tormenta, secundum illud Isaiae quinquagesimo tertio [14]: « Nos reputavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra ».

Secundum.

44. Haec autem passio incepit a capite et descendit in omnia Christi membra; qua consummata, tunc finis erit et tempus adventus secundi. Unde Glossa [15]: « *Oportet, reprobari a generatione hac,* non tantum

Notanda doctrina.

---

[1] Libr. V. Confess. c. 5. n. 8; cfr. Epist. 237. (alias 253.) n. 2; de Utilitate credendi, c. 3. n. 7; contra Epist. Manichaei, c. 7. n. 8. seq.; XIII. contra Faustum, c. 17. et I. de Actis cum Felice Manichaeo, c. 9.

[2] Vers. 5.

[3] Scilicet *interlinearis: Nolite ire*, cum illis, ut credatis etc.; cfr. Hieron., IV. Comment. in Matth. 24, 25. seq.: Si quis sub nomine Christi se iactare voluerit, non statim accommodetis fidem. — Sequitur Isai. 28, 16.

[4] Nempe *interlinearis*, cui subiungitur Prov. 1, 10.

[5] Vers. 24, ubi pro *mittantur* H cum Vulgata *inducantur*.

[6] Homil. 48. in Matth. 24, 5. (Op. imperfect.).

[7] Cfr. supra n. 35.

[8] Vers. 26; tertia incipit v. 31, ubi pro *die* (ita etiam Card. Hugo, B. Albert., Gorranus et Lyranus) Vulgata *hora*.

[9] Homil. 76. (alias 77.) in Matth. n. 3.

[10] Scilicet *interlinearis*, quae post *Subitus* omittit *et;* cfr. Du Cange, Glossarium etc.: *Coruscus*, Fulgetrum... Plinius: Fulgetrum prius cernitur, quam tonitrum auditur... *Coruscus*. Ugutio: *Coruscus*, splendidus, crispus, tremulus.

[11] Psalm. 49, 3. — Duo seqq. loci sunt Ezech. 1, 13. et Isai. 29, 6.

[12] Vers. 7. — Superius pro *momentum temporis* D *nomen loci vel temporis*, H *momentum temporis vel locum vel diem vel etiam personam.* Inferius pro *cunctis* A C D G H *ceteris*.

[13] Vers. 20, post quem Prov. 30, 11.

[14] Vers. 4. et 5. — Glossa *interlinearis* (secundum Bedam): *Primum autem* etc., ita clarus veniet, sed ad hanc claritatem oportet venire per passionem; et si diligitis hanc gloriam, ne pro hac timeatis pati mortem.

[15] Scilicet *interlinearis*, cui subnectitur Col. 1, 24.

Iudaeorum, sed omnium reproborum, a quibus quotidie patitur Christus in suo corpore »; propter quod et Paulus ad Colossenses primo: « Adimplebo ea quae desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia ». — Hac autem passione in corpore Christi consummata, non restat nisi glorificatio et retributio plena; propter quod Apocalypsis sexto [1] dicitur Sanctis desiderantibus secundam stolam: « Adhuc sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum »; et Apocalypsis septimo: « Nolite nocere terrae et mari neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus suis ». Hoc est signum Dei vivi, quod est signum crucis, quo omnes electos oportet consignari; Ezechielis nono [2]: « Signa thau supra frontes virorum gementium et dolentium »; et post: « Transite, inquit, per medium civitatis et occidite ». « Omnem autem, super quem videritis thau, ne occidatis ». — Et nota, quod passio iustorum praecedit reprobationem reproborum, quia excitatur iustitia ad vindictam propter summae iniquitatis perfidiam; Isaiae quinquagesimo nono [3]: « Conversum est retrorsum iudicium, et iustitia longe stetit, quia corruit in platea veritas, et aequitas non potuit ingredi. Et facta est veritas in oblivionem, et qui recessit a malo praedae patuit; et vidit Dominus, et malum apparuit in oculis eius, quia non est iudicium ». « Et indutus est iustitia ut lorica, et galea salutis in capite eius; et indutus est vestimentis ultionis et opertus est quasi pallio zeli, sicut ad vindictam » etc.

Notandum.

45. (Vers. 26.). *Et sicut factum est in diebus* etc. Postquam descripsit modum apparendi, hic secundo [4] describit *modum veniendi*. Describitur autem repentinus esse Christi adventus respectu peccatorum per duplex simile et exemplum. Primo quidem ostenditur per simile ex parte *diluvii inundantis;* secundo vero, ex parte *incendii consumentis*, ibi [5]: *Similiter, sicut factum est in diebus Lot.* — Circa similitudinem *diluvii inundantis* tria introducuntur, scilicet ipsius diluvii *figura, causa* et *poena.*

De modo veniendi duplex simile.

De diluvio inundante tria.

Primo igitur quantum ad ipsius *diluvii figuram* dicit: *Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit et in diebus Filii hominis.* Hoc enim congruum erat, quia *Noe* figuram gerebat Christi, qui se vocat Filium hominis: *Noe* enim interpretatur requies, et in solo Christo est requies et pax. Nam, ad Ephesios secundo [6], « ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum »; et Ioannis decimo sexto: « In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem ». Unde Augustinus [7]: « Inquietum est cor meum, Domine, donec quiescat in te ». Ideo ipse dicit: « Tollite iugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris ».

Diluvii figura.

Noe significat Christum nomine.

46. Non tantum *nomine* Christum significat, verum etiam *facto*. Nam sicut Noe salvavit semen hominum per lignum, sic Christus et per crucis patibulum; Sapientiae decimo quarto [8]: « Spes orbis terrarum, ad ratem confugiens, remisit saeculo semen nativitatis, quae manu tua erat gubernata. Benedictum est enim lignum, per quod fit iustitia ». Unde et praemittit: « Exiguo ligno committunt homines animas suas » etc. Et sicut Noe fabricavit arcam, sic et Christus Ecclesiam, quae ad modum arcae de lignis levigatis bitumine caritatis contextae aedificatur, habens coenacula et tristega propter diversitates officiorum, graduum et dignitatum; ad Ephesios quarto [9]: « Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam quidem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios vero pastores et doctores, ad consummationem Sanctorum, ad aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi »; in qua scilicet erit longitudo, latitudo et altitudo arcae nobilissime consummata [10]. Sicut etiam qui intra arcam fuerunt salvati sunt, sic qui intra Ecclesiam sunt salvantur per aquam et baptismum; primae Petri tertio [11]: « In diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est octo animae salvae factae sunt per aquam. Quod et vos nunc similis formae salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum, per resurrectionem Domini nostri Iesu Christi ». Et sicut qui extra arcam fuerunt deleti sunt, sic omnes, qui extra Ecclesiam sunt, per finale iudicium damnabuntur; in cuius designationem Actuum vigesimo septimo [12] « dixit Paulus: Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis ».

Item, facto.

Notandum.

---

[1] Vers. 11, qui allegatur iuxta Breviar. Roman. pro festo Ss. Innocent. Resp. I. Noct. lect. 2; Vat. affert verba Vulgatae. — Sequitur Apoc. 7, 3, in cuius fine pro *suis* Vulgata *eorum.*

[2] Vers. 4. 5. et 6.

[3] Vers. 14. seq. et dein v. 17. seq.

[4] Cfr. supra n. 41.

[5] Vers. 28. — Glossa *ordinaria* (ex Beda): Subitum adventus sui diem pluribus astruit exemplis, et quem fulguri cito omnia transvolanti comparaverat, diebus Noe vel Lot aequiparat, quando repentinus mortalibus supervenit interitus.

[6] Vers. 14. et deinde Ioan. 16, 33. — Hieron., de Nominib. Hebraic. vet. testam. de Gen.: *Noe*, requies.

[7] Libr. I. Confess. c. 1. n. 1, ubi pro *cor meum* H cum textu originali *cor nostrum.* — Sequitur Matth. 11, 29.

[8] Vers. 6. seq. (pro *quae* C D *et quae)* et dein v. 5.

[9] Vers. 11-13. — Superius respicitur Gen. 6, 14: Fac tibi arcam de lignis levigatis... et bitumine linies intrinsecus et extrinsecus; v. 16: Deorsum coenacula et tristega facies in ea. — Pro *bitumine caritatis contextae* (ita C D) Vat. *per bitumen caritatis connexis.* Cfr. August., Epist. contra Donatistas (de unitate Ecclesiae), c. 5. n. 9.

[10] Cfr. Gen. 6, 15. seq.; August., XV. de Civ. Dei, c. 26. n. 1. et XII. contra Faustum, c. 14. Vide tom. V. pag. 258, notam 2.

[11] Vers. 20. et 21. Cfr. Hieron., Dialog. contra Luciferianos, n. 22; August., in Ioan. Evang. tr. 6. n. 19. et V. de Baptismo contra Donatistas, c. 28. n. 39.

[12] Vers. 31, ubi pro *manserint* A C D *manseritis.* — Hieron., Epist. 15. (alias 57.) n. 2: Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio.

47. (Vers. 27.). Secundo quantum ad *diluvii causam* subdit: *Edebant et bibebant, uxores ducebant et dabantur ad nuptias usque in diem, qua intravit Noe in arcam,* hoc est, operibus carnis totaliter intenti erant, et ideo in carne corruptibili corrumpi et deleri digni erant. Unde Glossa Ambrosii [1]: « Non connubia vel alimenta damnantur, cum in his successionis, in illis naturae sint posita subsidia, sed immoderatus licitorum usus arguitur. Quia enim his se totos dedendo Dei iudicia contemnebant, igne vel aqua perierunt ». Unde in his actibus insinuatur eorum carnalitas, propter quod digni erant ira divina; Genesis sexto [2]: « Cumque vidisset Deus, terram esse corruptam; omnis quippe caro corruperat viam suam super terram; dixit ad Noe: Finis universae carnis venit coram me; repleta est terra iniquitate, et ego disperdam eos cum terra ». Principalis autem culpa eorum venit ex carnalitate, et hoc insinuat in quatuor actibus, quos tangit: *edebant,* id est, esui erant dediti ut *gulosi,* et ideo ira digni; Psalmus [3]: « Adhuc escae eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos ». *Bibebant,* ut *ebriosi,* et ideo ira digni, secundum illud Proverbiorum vigesimo tertio [4]: « Cui vae? cuius patri vae »? « Nonne his qui commorantur in vino » etc.; Isaiae quinto: « Vae! qui potentes estis ad bibendum vinum et viri fortes ad miscendam ebrietatem »; et vigesimo secundo: « Ecce, gaudium et laetitia, comedere carnes et bibere vinum »; « et revelata est vox ista in auribus meis: Si dimitteretur iniquitas haec vobis, donec moriamini, dicit Dominus exercituum ». *Uxores ducebant,* ut *lascivi;* Genesis sexto [5]: « Cumque coepissent homines multiplicari super terram et filios procreassent, videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulcrae; acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant ». Et sequitur: « Dixit Dominus: Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est ». Et *dabantur ad nuptias,* ut *securi,* et ideo ad interitum dispositi, secundum illud primae ad Thessalonicenses quinto [6]: « Cum dixerint: Pax et securitas; tunc repentinus eis superveniet interitus ». Unde qui his vitiis est absorptus, necesse est, quod a diluvio involvatur; propter quod primae ad Thessalonicenses quinto: « Vos, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat ». « Igitur non dormiamus sicut et ceteri, sed vigilemus et sobrii simus ». Modus autem describitur ad Romanos decimo tertio [7]: « Nox praecessit, dies autem appropinquavit. Abiiciamus ergo » etc.; et post: « Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis ». « Sed induimini Dominum Iesum Christum ».

(De diluvii causa. — Carnalitatis actus primus. — Secundus. — Tertius. — Quartus.)

48. Tertio quantum ad *diluvii poenam* subdit: *Et venit diluvium et perdidit omnes,* scilicet qui erant extra arcam, statim post ingressum Noe, secundum illud Genesis septimo [8]: « In articulo diei illius ingressus est Noe in arcam ». « Factumque est diluvium quadraginta diebus et quadraginta noctibus », « consumtaque est omnis caro, quae movebatur super terram ». Unde et secundae Petri secundo: « Originali mundo non pepercit, sed octavum Noe iustitiae praeconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens ». Ex quo intelligitur, quod poena futuri iudicii super eos veniet, qui sunt extra Ecclesiam Christi, salvatis nihilominus raris iustis; quia Glossa [9]: « Noe arcam aedificat, cum Dominus fideles in Ecclesia congregat; quam consummatam ingreditur, cum hanc in die iudicii praesentia sua illustrat; sed dum arca aedificatur, iniqui luxuriantur; et dum intratur, aeterna damnatione plectuntur ». Dicitur autem hoc fieri *in articulo diei,* quia in exordio octavae resurrectionis; unde Psalmus [10]: « Mane astabo tibi et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es; neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos »; et secundae Petri secundo: « Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos autem in diem iudicii reservare cruciandos ». — Ex hoc exemplo figurative [11] apparet, tam ex significatione allegorica quam ex similitudine expressa, quod dies iudicii super homines carnales et animales veniet *subito* et *ad ipsorum perditionem* universalem, qui sunt extra Ecclesiae unitatem; his autem, qui in arca sunt, etsi *subito* veniet, *non nocet,* quia eos invenit paratos. Unde infra vigesimo primo [12]: « Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra crapula et ebrietate et curis huius vitae, et superveniat in vos repentina dies illa. Tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terrae » etc.

(De diluvii poena. — Notandum. — Epilogus.)

49. (Vers. 28.). *Similiter, sicut factum est* etc. Post similitudinem sumtam ex parte diluvii inundantis introducit similitudinem ex parte *incendii consumentis* [13]; circa quam similitudinem introducuntur

(De incendio consumente tria.)

---

[1] Scilicet *ordinaria* ex Ambros., VIII. in Luc. c. 17. n. 37, quem sequitur Beda, V. in Luc. 17, 27. Pro *dedendo* (ita etiam Beda) C H cum Glossa *dando*, D a secunda manu *dederunt et.* — Superius A omittit *corrumpi et.*

[2] Vers. 12. et 13.

[3] Psalm. 77, 30. et 31.

[4] Vers. 29. et 30, post quos Isai. 5, 22. et 22, 13. seq.

[5] Vers. 1. seq. et deinde v. 3.

[6] Vers. 3. — Subinde allegantur I. Thess. 5, 4. et 6.

[7] Vers. 12. 13. et 14.

[8] Vers. 13. 17. et 21., quibus subiungitur II. Petr. 2, 5.

[9] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 17, 27. — Superius pro *nihilominus*, quod G omittit, H *tamen*, C D *tamen nihilominus*, et pro *raris iustis* A H *viris iustis.*

[10] Psalm. 5, 5. seq. et deinde II. Petr. 2, 9. — Superius pro *in exordio octavae* (cfr. supra pag. 55, nota 8. et pag. 56, nota 2.) G *in exordio universalis*, Vat. *in exordio unius omnium.*

[11] Ita D H; A C G *figuratio*, Vat. *figura.* — Inferius post *veniet subito* C D addunt *repente*, H *et repente*, et subinde Vat. omittit *universalem.*

[12] Vers. 34. et 35.

[13] Cfr. supra n. 45.

tria, scilicet ipsorum Sodomitarum *demeritum*, *supplicium* et *exemplum*.

Primum. Primum quantum ad *demeritum* dicit: *Similiter, sicut factum est in diebus Lot*, scilicet viri iusti. Et nota, quod in descriptione iniquitatis populi impudici praemittitur iustitia viri iusti, quia ex hoc magis apparet eorum impietas, quod vir iustus inter eos erat; propter quod secundae Petri secundo[1]: « Iustum Lot, oppressum a nefandorum iniuria atque luxuria eripuit. Aspectu enim et auditu iustus erat, habitans inter eos qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant ». Unde propter iustitiam viri iusti aggravatur in impiis enormitas peccati. — Carnalitatis actus primus. Quantum ad quam subdit: *Edebant et bibebant*, scilicet Sodomitae, ut *lascivi*, sicut illi, de quibus Exodi trigesimo secundo[2]: « Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere »; et non addit, quod uxores ducebant, sicut prius[3], quia non peccabant secundum naturam, sed contra naturam; Genesis decimo tertio: « Homines Sodomitae pessimi erant et peccatores nimis coram Domino »; et Genesis decimo nono dicitur, quod « vallaverunt domum Lot a puero usque ad senem, omnis populus simul, vocaveruntque Lot et dixerunt ei: Ubi sunt viri, qui ingressi sunt ad te? Adduc eos huc, ut Secundus. cognoscamus eos ». — *Emebant et vendebant*, ut *avari*; Ecclesiastici vigesimo septimo[4]: « Qui quaerit locupletari avertit oculum suum. Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic inter medium emptionis et venditionis angustiabitur peccator ». Propter quod contra hos dicitur primae ad Corinthios septimo[5]: « Qui emunt, tanquam non possidentes, et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur; praeterit enim figura huius mundi ». — Tertius. *Plantabant et aedificabant*, sicut *securi*, qui deberent in domibus habitare et fructum arborum comedere, sicut ille dives supra duodecimo[6]: « Anima mea, habes multa bona reposita in annos plurimos ». « Sed Dominus dixit ei: Stulte, hac nocte » etc. Et ideo Amos quinto: « Domos aedificabitis lapide quadro, et non habitabitis in eis; vineas amantissimas plantabitis, et non bibetis vinum earum, quia cognovi multa scelera vestra ». Ideo Isaiae quinto[7]: « Vae! qui coniungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci ». Quia igitur Sodomitae et *lascivi* erant et *avari* et *securi*, ideo erant ira divina digni; Ezechielis decimo sexto: « Haec fuit iniquitas Sodomae, sororis tuae: superbia, saturitas panis et abundantia et otium ipsius et filiarum eius, et manum egeno et pauperi non porrigebant ».

50. (Vers. 29.). Secundum quantum ad *supplicium* subdit: *Qua die autem exiit Lot a Sodomis*, per aequitatem divinae iustitiae liberantis; Genesis decimo nono[8]: « Apprehenderunt Angeli manum Lot et manum uxoris eius et manum duarum filiarum eius, eo quod parceret Dominus eis. Deduxerunt eum et posuerunt extra civitatem ibique locuti sunt ad eum, dicentes: Salva animam tuam » etc.; et infra eodem: « Liberavit Dominus Lot a subversione urbium, in quibus habitaverat ». In quo Lot gerit typum iustorum, qui egrediuntur de medio malorum; unde Glossa[9]: « Lot, qui interpretatur *declinans*, est populus electorum, qui, dum in Sodomis, id est inter reprobos, ut advena moratur, quantum valet, scelera eorum declinat »; et hoc secundum illud secundae ad Corinthios sexto[10]: « Exite de medio eorum et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis, et ego recipiam vos et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias ». Liberavit igitur divina iustitia Lot iustum, et e contrario perdidit populum impium. — Et ideo addit: *Pluit ignem et sulphur de caelo et omnes perdidit*, scilicet Dominus, per severitatem iustitiae ulciscentis; Genesis decimo nono[11]: « Igitur pluit Dominus super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem de caelo a Domino et subvertit civitates has et omnem circa regionem, universos habitatores urbium et cuncta terrae virentia ». — Et nota, quod signanter dicit, quod *pluit Dominus a Domino*, quia, licet omne iudicium debeatur Domino Filio, secundum illud Ioannis quinto[12]: « Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio », « quia Filius hominis est »; tamen huius peccati iudicium specialiter sibi debetur, quia directe est contra Verbum incarnatum et naturam, quam Filius Dei fecit caelestem, angelicam et divinam, facit viliorem, quam sit natura brutalis, subvertendo naturae leges, quas bruta animalia servant. Et ideo non tantum *igne*, sed etiam *sulphure* punitur hoc vitium propter

Secundum. Notandum. Notandum.

[1] Vers. 7. et 8. Pro *atque luxuria* Vat. cum Vulgata *ac luxuriosa conversatione*.

[2] Vers. 6.

[3] Supra v. 27. n. 47. — Subinde allegantur Gen. 13, 13. et 19, 4. seq.

[4] Vers. 1. seq. Pro *peccator* (ita codd.) Vat. *peccatis*, Vulgata *peccatum*; cfr. supra pag. 372, nota 4.

[5] Vers. 30. et 31.

[6] Vers. 19. seq. et deinde Amos 5, 11. seq.

[7] Vers. 8. — Subinde allegatur Ezech. 16, 49 (ubi pro *filiarum* A C D *filiorum*), post quem B H allegant Glossam *ordinariam* in Luc. 17, 28: *Praetermisso* etc.

[8] Vers. 16. seq. et deinde v. 29, in cuius fine pro *habitaverat* C D G *habitabat*.

[9] Scilicet *ordinaria* (ex Beda), in qua pro *moratur* A D *morabatur*. Cfr. Gregor., I. Moral. c. 1. n. 1. — Hieron., de Nominib. Hebraic. vet. testam. de Gen.: *Lot*, vinctus, sive declinatio.

[10] Vers. 17. et 18.

[11] Vers. 24. et 25.

[12] Vers. 22. et 27. Beda, IV. Hexaëm. Gen. 19, 24: Quod vero dicitur, quia *Dominus pluit a Domino sulphur et ignem de caelo*, manifeste distincta est Patris et Filii persona, et Sabellii haeresis repudiata, quae ipsum Patrem dicit esse quem Filium. *Pluit* autem *Dominus a Domino*, Filius a Patre; unde et alibi [Ps. 103, 24.] dicitur Patri: *Omnia in Sapientia fecisti*, hoc est in Filio etc. — Superius ante *Filio* C D G H omittunt *Domino*. Aliquanto inferius pro *subvertendo naturae leges, quas* Vat. *non tenendo legem, quam*.

inordinatissimae libidinis incendium et foetorem. De *incendio,* ad Romanos primo [1]: « Exarserunt in concupiscentiis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes »; de *foetore,* Isaiae trigesimo quarto: « De cadaveribus eorum ascendet foetor, tabescent montes a sanguine eorum » etc.; et Psalmus: « Corrupti sunt et abominabiles facti sunt » etc. Propter haec merito sunt igne et sulphure concremati; unde Bernardus [2]: « Flamma gehennalis, moram non sustinens, exsecrabilem istam praevenit tollere nationem nec non etiam tellurem ipsam, utpote consciam tantae confusionis, absumsit ignis et spiritus procellarum ».

51. (Vers. 30.). Tertio quantum ad *exemplum* subdit: *Secundum haec* [3] *erit, qua die Filius hominis revelabitur.* Haec est dies iudicii, in qua fiet *revelatio* ipsius Christi ut *Salvatoris* respectu bonorum; primae Petri primo: « Custodimini per fidem, in salutem paratam revelari tempore novissimo ». Fiet etiam revelatio Christi *iudicis* respectu malorum; primae ad Corinthios quarto [4]: « Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium ». De utroque Isaiae quinquagesimo sexto: « Iuxta est salus mea, ut veniat, et iustitia mea, ut reveletur ». Haec dies revelationis similis est incendio Sodomorum, quia in illo ipsius praecessit exemplum; in Canonica Iudae [5]: « Sicut Sodoma et Gomorrha et finitimae civitates simili modo exfornicatae et abeuntes post carnem alteram, factae sunt exemplum, ignis aeterni poenam sustinentes »; et similiter secundae Petri secundo: « Civitates Sodomorum et Gomorrhaeorum, in cinerem redigens, eversione damnavit, exemplum eorum qui impie acturi sunt, ponens ».

Tertium.

52. Et ideo dicit: *Secundum haec,* ut simile sit *exemplum* quantum ad *demeritum,* quantum ad *iudicandi modum* et quantum ad *supplicium.* Quantum ad *demeritum,* quia, sicut in Sodomis multi erant mali et paucissimi boni, sic tempore finalis iudicii, secundum illud infra decimo octavo [6]: « Putasne, cum venerit Filius hominis, inveniet fidem super terram »? Unde Glossa: « Qui interim non apparens omnia videt, tunc apparens omnia iudicabit, quando cunctos iudiciorum suorum oblitos huic saeculo conspexerit mancipatos, ut merito debeant cum ipso quem inhabitant orbe deleri ». — *Secundum haec* etiam *erit* quantum ad *iudicandi modum,* quia dicitur *Dominus descendisse;* Genesis decimo octavo [7]: « Dixit Dominus Abrahae: Clamor Sodomorum et Gomorrhaeorum multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint ». Sic et *Dominus descendet* in die iudicii; primae ad Thessalonicenses quarto [8]: « Quoniam ipse Dominus in iussu et in voce Archangeli et in tuba Dei descendet de caelo ». Sicut etiam *liberavit* Lot iustum, damnando impios; Sapientiae decimo: « Haec iustum a pereuntibus liberavit, descendente igne in Pentapolim, quibus in testimonium nequitiae fumigabunda constat terra deserta, et incerto tempore fructus habentes arbores, et incredibilis animae memoria stans figmentum salis » etc.; sic etiam erit in finali iudicio. Unde Glossa [9]: « Exeunte Lot, Sodoma perit, quia *in consummatione saeculi exibunt Angeli et separabunt malos de medio iustorum et mittent eos in caminum ignis »,* sicut dicitur Matthaei decimo tertio. Sicut etiam *subito* ira Dei impiis supervenit, sic etiam erit in iudicio finali; Isaiae trigesimo [10]: « Subito, dum non speratur, veniet contritio eius, et conteretur velut lagena » etc.; et Matthaei vigesimo quinto: « Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes » etc. — *Secundum haec* etiam *erit* quantum ad *supplicium.* Illi enim puniti sunt igne et sulphure; Genesis decimo nono [11]: « Surrexit Abraham mane », « et vidit favillam ascendentem de terra sicut fumum fornacis ». Sic erit in supplicio impiorum in iudicio; Psalmus [12]: « Pluet super peccatores laqueos, ignis et sulphur et spiritus procellarum, pars calicis eorum »; et Ezechielis trigesimo octavo: « Ignem et sulphur pluam super eum et super exercitum eius et super populos multos, qui sunt cum eo »; unde et Apocalypsis decimo quarto: « Si quis adoraverit bestiam, bibet de vino irae Dei, quod mistum est mero in calice irae

Similitudo triplex in exemplo. Prima. Secunda. Tertia.

[1] Vers. 27. — Duo seqq. loci sunt Isai. 34, 3. et Ps. 13, 1. Gregor., XIV. Moral. c. 19. n. 23: In ipsa qualitate ultionis notavit [Dominus] maculam criminis. *Sulphur* quippe foetorem habet, *ignis,* ardorem. Quia itaque ad perversa desideria ex carnis foetore arserant [Sodomitae], dignum fuit, ut simul igne et sulphure perirent, quatenus ex iusta poena discerent, ex iniusto desiderio quid fecissent.

[2] Serm. seu libr. de Conversione ad clericos, c. 20. n. 35: « Nunquid non gehennalis flamma, moram non sustinens, exsecrabilem illam praevenit tollere nationem, quod ipsius specialiter essent peccata manifesta praecedentia ad iudicium? Nunquid non et ipsam, utpote consciam tantae confusionis, tellurem absumsit *ignis, sulphur et spiritus procellarum* [Ps. 10, 7.] »? Pro *nec non etiam tellurem ipsam* (ita H cum Card. Hug.) D (C a secunda manu) *naturam collidere ipsam,* Vat. *nec non collidere ipsam,* quae etiam pro *utpote consciam* substituit *et servam.* Pro *Bernardus* E G *Gregorius.*

[3] Nonnulli codd., ut D H (quibus inferius etiam alii codd. consentiunt), *Secundum hoc;* cfr. B. Albert. et S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 17. n. 8.), in quae verba Glossa *interlinearis:* Ita subitum et inevitabile erit. — Sequitur I. Petr. 1, 5.

[4] Vers. 5. — Subinde allegatur Isai. 56, 1.

[5] Vers. 7. et deinde II. Petr. 2, 6.

[6] Vers. 8. — Glossa seq. est *ordinaria* (ex Beda).

[7] Vers. 20. et 21.

[8] Vers. 16, post quem Sap. 10, 6. seq.

[9] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 17, 28. seq.; allegatur in ipsa Matth. 13, 49. seq.

[10] Vers. 13. seq. et deinde Matth. 25, 5.

[11] Vers. 27. seq.: *Abraham autem consurgens mane... intuitus est Sodomam... viditque* etc.

[12] Psalm. 10, 7, cui subiunguntur Ezech. 38, 22. et Apoc. 14, 9-11.

ipsius, et cruciabitur igne et sulphure in conspectu Angelorum sanctorum ». « Et ascendet fumus tormentorum in saecula saeculorum ».

53. *In illa die*[1] *qui fuerit in tecto* etc. Post- De modo evadendi tria. quam descripsit modum apparendi et modum veniendi, hic tertio describit *modum evadendi*[2]. Habet autem pars ista partes tres; in quarum prima describitur *evadendi modus;* in secunda vero, *evadentium status,* ibi[3]: *Dico vobis: In illa nocte;* in tertia vero, *evasionis terminus* sive locus, ibi: *Respondentes dicunt illi.*

Circa *modum evadendi* quatuor introducuntur, Circa modum evadendi tanguntur quatuor. scilicet *modus effugiendi, modus periclitandi, ratio periculi* et *ratio remedii.*

54. (Vers. 31.). Primo igitur quantum ad *mo-* Primum. *dum effugiendi* dicit: *In illa die qui fuerit in tecto,* per amorem spiritualium; unde Glossa[4]: « *In tecto est* qui, carnalia excedens, velut in aura libera spiritualiter vivit ». Super hoc tectum debet ascendere praedicator veritatis, ut faciat illud quod aliis persuadet; Matthaei decimo[5]: « Quod in aure auditis praedicate super tecta ». Nam Isaiae quadragesimo dicitur: « Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion » etc. — *Et vasa eius in domo,* per contemptum carnalium; Glossa[6]: « *Vasa eius in domo* sunt concupiscentiae carnales, quas prius amaverat, sed superna petens, in mundo reliquerat », secundum illud primae ad Thessalonicenses quarto[7]: « Sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et honore et non in passione desiderii, sicut et gentes, quae ignorant Deum »; de quibus Isaiae sexagesimo quinto: « Comedunt carnem suillam, et ius profanum in vasis eorum ». — *Non*[8] *descendat tollere illa,* per peccati recidivum, sicut ille, de quo supra decimo: « Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho et incidit in latrones »; Isaiae trigesimo primo: « Vae! qui descendunt in Aegyptum ad auxilium, in equis sperantes » etc. *Et qui in agro*, per exercitium virtutum; Glossa[9]: « *In agro* est qui operatur in Ecclesia, plantans et rigans »; Proverbiorum vigesimo quarto: « Diligenter exerce agrum tuum, ut postea aedifices domum tuam »; *similiter non redeat retro,* ad opera vitiorum; quia, sicut dicitur supra nono[10], « nemo mittens manum suam ad aratrum et aspiciens retro » etc. Vult igitur dicere, quod qui vult illam iudicii diem evadere, ut non pereat, despiciendo mundana perseverantissime tendat ad aeterna, sicut Paulus et faciebat et dicebat ad Philippenses tertio: « Quae retro sunt obliviscens, ad ea quae sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu ». Licet autem haec perseverantia sit omnibus necessaria, maxime tamen, imminente futuro iudicio, quando instabunt tribulationes et multa mala exempla et documenta; Matthaei vigesimo quarto[11]: « Surgent pseudoprophetae et seducent multos. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum; qui autem perseveraverit usque in finem » etc.

55. (Vers. 32.). Secundo quantum ad *modum* Secundum. *periclitandi*, qui debet declinari, subiungit: *Memores estote uxoris Lot,* de qua dicitur Genesis decimo nono[12]: « Respiciens uxor Lot post se, versa est in statuam salis ». Et ratio huius est, quia contra mandatum Domini fecit, quo praedicitur Genesis decimo nono: « Noli respicere post tergum tuum, neque stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas ». In quo intelligitur, quod totum periculum salutis in conversis ad Christum consistit in retrocedendo; unde secundae Petri secundo[13]: « Melius est viam veritatis non agnoscere, quam post agnitionem retrorsum converti ». Et rationem huius reddit, cum praemittit[14]: « Si enim Ratio. refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri et Salvatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus ». Et propterea ad detestationem apostasiae et recidivi et retrocessionis Dominus memoriale illud posuit de uxore Lot; de qua Sapientiae decimo[15]: « Incredibilis animae memoria stans figmentum salis ». Ideo signanter dicit: *Memores estote uxoris Lot.* Nam ideo versa est in statuam salis, ut sic

---

[1] Cfr. supra pag. 439, nota 8. Explicationem vide infra n. 58. [2] Vide supra n. 41.

[3] Vers. 34; tertia pars incipit v. 36. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 17, 31: Hucusque de hoc, quod regnum, id est Christus, *non cum observatione,* sed insperatus adveniat; nunc a qualibus ipse adventus exspectari debeat ostenditur.

[4] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur August., II. Qq. Evangelior. q 41.). Cfr. Ambros., VIII. in Luc. c. 17. n. 40.

[5] Vers. 27. et deinde Isai. 40, 9.

[6] Nempe *ordinaria* (ex Beda; cfr. August., loc. cit.).

[7] Vers. 4. et 5, quibus subnectitur Isai. 65, 4.

[8] Ita etiam Ambros. (VIII. in Luc. c. 17. n. 43.), August. (II. Qq. Evangelior. q. 41.) et S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 17. n. 9.); Vulgata et H *Ne.* — Duo seqq. loci sunt Luc. 10, 30. et Isai. 31, 1. — *Recidivum* est iteratus lapsus; cfr. Ducange, Glossarium etc.

[9] Scilicet *interlinearis* (secundum Bedam, qui sequitur August., II. Qq. Evangelior. q. 42.), in qua respicitur I. Cor. 3, 6: *Ego plantavi, Apollo rigavit.* In fine Glossae textus originalis addit: *Non respiciat spem saecularem, cui renuntiavit* — Sequitur Prov. 24, 27, ubi pro *ut postea* (ita etiam Vulgata) Vat. cum pluribus codd. *et postea.*

[10] Vers. 62. — Subinde allegantur Phil. 3, 13. et 14. Glossa *ordinaria* (ex Beda, V. in Luc. 17, 34.) in Luc. 17, 31: Ostendit multos, qui, cum faciem in anteriora videntur tenere, animo tamen retro respiciunt.

[11] Vers. 11-13.

[12] Vers. 26. et deinde v. 17, ubi codd.: *Ne respicias post* etc. — Superius pro *declinari* (C D *determinari?*) H *vitari,* qui etiam inferius pro *mandatum Domini* cum C D substituit *mandatum dominicum.*

[13] Vers. 21: *Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiae, quam* etc. Pro *veritatis* A C *virtutis,* et pro *agnitionem* G H *agnitam,* C D *agnitum.*

[14] Vers. 20. — Ambros., VIII. in Luc. c. 17. n. 45: Quae [uxor Lot] ideo, quia respexit retro, perdidit naturae suae munus; retro enim satanas, retro Sodoma.

[15] Vers. 7. — Superius post *apostasiae* Vat. omittit *et.*

ostendendo suam fatuitatem det aliis sapientiae condimentum, ut nullus aspiciat retrorsum, secundum illud quod dicitur supra decimo quarto [1]: « Bonum est sal; quodsi sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra » etc. Unde Glossa: « Uxor Lot significat eos qui in tribulatione retro respiciunt et se a spe divinae promissionis avertunt; et ideo statua salis facta est, quia admonendo homines, ne similia faciant, corda eorum condit, ne sint fatui ». Hoc autem non tantum est exemplum, verum etiam figura et [2] praesagium. (Figurae.) Nam sicut illud *incendium* significat finale iudicium imminens, sic *uxor Lot* retro aspiciens animas effeminatas et carnales, quae retrocedent et apostatabunt in illa tribulatione.

56. (Vers. 33.). Tertio quantum ad *rationem periculi* (Tertium.) subdit: *Quicumque quaesierit animam suam salvam facere,* per amorem privatum; accipitur enim hic *anima* pro vita carnali, de qua Levitici decimo septimo [3]: « Anima omnis carnis in sanguine est »; Glossa, ibi: « Vitam corporis vocavit *animam,* non animam, quae migrat a corpore, sed quae morte finitur ». Hanc quaerit salvare qui nimis eam diligit; unde Glossa [4] super illud *quicumque quaesierit animam suam salvam facere:* « Qui vitam carnalem negando, Christum in mundo salvare voluerit ». — De quo subdit: *Perdet eam* [5], id est per divinum iudicium; Ioannis duodecimo: « Qui amat animam suam perdet eam ». (Notandum.) Et quidem hoc fiet iusto Dei iudicio, ut qui sui amore immoderato offendit Deum simul perdat divinam felicitatem et animae salutem. Et hoc est, quia, amando bonum commutabile supra incommutabile, diligit iniquitatem; Psalmus [6]: « Qui diligit iniquitatem odit animam suam »; et vere, quia, sicut dicitur Matthaei decimo sexto, « quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur »? (Amor privati boni.) Totius igitur illius periculi ratio est conversio ad *privatum bonum,* quo quis nimis se ipsum diligit et se ipsum nimis diligendo, plus debito afficitur circa bonum privatum sperando et gaudendo de eius praesentia, timendo et dolendo de eius absentia. Et hoc totum venit ex amore privati boni, qui maxime regnabit in fine mundi; secundae ad Timotheum tertio [7]: « In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati » etc.; et nimis se ipsos diligendo, Deo se reddent exosos; Isaiae vigesimo octavo: « Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat, et pallium breve utrumque operire non potest » etc.

57. Quarto quantum ad *rationem remedii* subdit: (Quartum.) *Et quicumque perdiderit illam,* per odium omnis carnalitatis. *Vitam* namque *perdere* dicitur qui carnalitatem ipsius crucifigendo persequitur, sicut Paulus dicit ad Galatas quinto [8]: « Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis ». Ideo ipse dicebat ad Galatas secundo: « Christo confixus sum cruci. Vivo autem ego, iam non ego, vivit vero in me Christus ». Huius (Exemplum Pauli.) exemplum ostendit Actuum vigesimo [9]: « Vincula et tribulationes Ierosolymis me manent. Sed nihil horum vereor; non enim facio animam meam pretiosiorem quam me ipsum, dummodo consummem cursum meum et verbum ministerii, quod accepi ». Ille igitur perdit, qui perditioni exponit pro amore Iesu Christi; et de hoc subditur: *Vivificabit eam,* per praemium aeternae felicitatis; Ioannis duodecimo [10]: « Qui odit animam suam in hoc mundo in vitam aeternam custodit eam ». Et ratio huius est, quia di- (Ratio.) gnus est a Domino liberari qui diligit eum usque ad odium sui; Apocalypsis duodecimo [11]: « Ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque in mortem ». Qui sic diligit Deum summe diligit, secundum illud Ioannis decimo quinto: « Maiorem caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis ». Et quoniam sic est diligens, dignus est *diligi,* secundum illud Proverbiorum octavo [12]: « Ego diligentes me diligo »; etiam merito dignus est aeternaliter *vivificari* et ab omni periculo liberari; Apocalypsis septimo: « Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt et unde venerunt? Et dixit mihi: Hi sunt qui venerunt de magna tribulatione et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo ante thronum Dei sunt, non esurient neque sitient amplius, neque cadet super illos sol neque ullus aestus, quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos et deducet eos ad vitae fontes aquarum ».

58. (Vers. 34.). *Dico vobis: In illa nocte* etc. (Circa evadentium statum tanguntur tria.) Postquam descripsit evadendi modum, hic describit

---

[1] Vers. 34; cfr. Matth. 5, 13. — Glossa seq. est *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur August., II. Qq. Evangelior. q. 43.) in Luc. 17, 32. — Superius pro *suam fatuitatem* B C D G H *suam sterilitatem.*

[2] Vat. *verum etiam significat,* quae etiam inferius pro *effeminatas* substituit *effoetas.*

[3] Vers. 14; cfr. v. 11, in quem Glossa seq.; ipsa est *ordinaria* (ex August., Qq. in Lev. q. 51. n. 1.), in qua pro *non animam* textus originalis *non vitam.*

[4] Scilicet *ordinaria* (ex Beda), in cuius fine H cum textu originali addit *in futuro perdet eam.* — Ex eodem Beda Glossa etiam aliam expositionem subiungit.

[5] Vat. cum Vulgata *illam;* cfr. supra pag. 228, nota 12. et Marc. 8, 35. — Sequitur Ioan. 12, 25.

[6] Psalm. 10, 6, post quem Matth. 16, 26, ubi pro *prodest* codd. *proficit,* de quo supra c. 9. n. 40.

[7] Vers. 1. et deinde Isai. 28, 20.

[8] Vers. 24, post quem 2, 19. seq. — Superius pro *crucifigendo* C D H *cruciando.*

[9] Vers. 23. et 24.

[10] Vers. 25. — Superius vocibus *perditioni exponit* Vat. praefigit *se.*

[11] Vers. 11. — Subinde allegatur Ioan. 15, 13.

[12] Vers. 17, et deinde Apoc. 7, 13-17.

*evadentium statum* [1], quem describit triplicem, scilicet *contemplativorum, activorum* et *praelatorum*, secundum illud Ezechielis decimo quarto: « Si fuerint in medio eius tres viri isti: Noe, Daniel et Iob; ipsi animas suas liberabunt »; in quibus intelligitur triplex status salvandorum, ita quod in Noe, qui praefuit arcae, *praelati;* in Daniele, *contemplativi;* et in Iob, *activi.* In omni tamen statu sunt aliqui boni et aliqui mali, aliqui iusti et aliqui iniusti, ut sic omnis status timore sollicitetur, « et [2] subditus fiat omnis mundus Deo ».

**Status contemplativorum.**

Primo igitur quantum ad *statum contemplativorum* dicit: *Dico vobis: In illa nocte erunt duo in lecto uno,* quantum ad *statum contemplantium,* qui recte dicitur *lectulus,* secundum illud Canticorum tertio [3]: « In lectulo meo quaesivi per noctes quem diligit anima mea » etc. Intelligitur autem per *lectulum* status contemplativorum, quia ipse est locus *quietis;* Canticorum tertio [4]: « En, lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt »; item, locus *solitudinis;* Matthaei sexto: « Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum » etc.; item, locus *contubernii nuptialis;* Canticorum primo: « Ecce, tu pulcra es, amica mea; ecce, tu pulcra es, oculi tui columbarum. Ecce, tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. Lectulus noster floridus ». —

**Habet electos et reprobos.**

In hoc igitur lecto admittuntur etiam aliquando et electi et reprobi; propter quod addit: *Unus assumetur,* scilicet ad divinum consortium. In cuius figuram Matthaei decimo septimo [5]: « Assumsit Iesus Petrum, Iacobum et Ioannem, fratrem eius, et duxit eos in montem excelsum seorsum ». Unde ille Sanctus contemplativus dicebat in Psalmo: « Tenuisti manum dexteram meam et in voluntate tua deduxisti me et cum gloria suscepisti me »; et iterum: « Quoniam Domini est assumtio nostra et sancti Israel regis nostri ». — *Et alter relinquetur,* scilicet ad aeternum supplicium; Iob vigesimo [6]: « Devorabit eum ignis, qui non succenditur, et affligetur relictus in tabernaculo suo ». —

**Notandum.**

Et nota, quod cum prius praemisisset [7] *in illa die,* nunc dicit *in illa nocte;* nam finalis tribulatio dicitur *dies* propter ipsius iudicis revelationem, et dicitur *nox* propter tribulationum horribilitatem, secundum illud Sapientiae decimo septimo [8]: « Nec siderum limpidissimae flammae illuminare poterant illam noctem horrendam ». Unde Glossa: « *In illa nocte,* id est in illa tam tenebrosa tribulatione, *ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* ». Et de hoc Psalmus [9]: « Posuisti tenebras, et facta est nox; in ipsa pertransibunt omnes bestiae silvae ». In hac non solum cadent simplices, verum etiam aliqui contemplativi et magni. In cuius figuram dicitur Matthaei vigesimo quarto: « Stellae cadent de caelo, et virtutes caelorum commovebuntur ».

**Status activorum.**

59. (Vers. 35.). Secundo quantum ad *statum activorum* subdit: *Duae erunt molentes in unum,* per exercitium circa *activam,* quae recte intelligitur per *molam,* quia qui versantur circa actus vitae activae ad modum molae circumeunt et decurrunt nec in uno opere sistunt, sicut dictum est Marthae supra decimo [10]: « Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima ». —

**Aliter.**

Vel quia tales debent *erigi* spe aeternorum praemiorum et *deprimi* terrore suppliciorum, per spem scilicet et timorem, quibus tanquam molis spirituale molendinum movetur; unde Deuteronomii vigesimo quarto [11]: « Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam ». Et quoniam circa hanc versatur homo quantum ad inferiorem rationis portionem, ideo dicit in feminino genere: *Duae erunt molentes;* unde Glossa [12]: « Duae differentiae sequentium orbem rerum mobilium, quae feminino genere designantur, quia maiorum consilio reguntur, ut feminae a viris, quae tamen *in unum* molunt, in quantum de suis negotiis Ecclesiae usibus deserviunt ». —

**Habet electos et reprobos.**

Et quia inter hos sunt aliqui boni, ideo additur: *Una assumetur,* scilicet ad gloriam, secundum illud Psalmi [13]: « Misit de summo et accepit me et assumsit me de aquis multis ». — *Et altera relinquetur,* scilicet ad gehennam; Isaiae primo: « Derelinquetur filia Sion sicut umbraculum in vinea et sicut tugurium in cucumerario et velut civitas, quae vastatur »; et Matthaei vigesimo tertio: « Ecce, relinquetur vobis domus vestra deserta ».

---

[1] Cfr. supra n. 53. — Sequitur Ezech. 14, 14; cfr. supra pag. 348, nota 6, et August., II. Qq. Evangelior. q. 44. n. 2, quem sequitur Beda, V. in Luc. 17, 35.

[2] Ut dicitur Rom. 3, 19. Iob 23, 15: Et idcirco a facie eius turbatus sum et considerans eum *timore sollicitor.*

[3] Vers. 1. — Beda, V. in Luc. 17, 34. (ex quo Glossa *ordinaria): Duo erunt in lecto,* illi videlicet, qui otium et quietem eligunt, neque negotiis saecularibus neque negotiis ecclesiasticis occupati; quae illorum quies lecti nomine significata est. Idem dicit August., II. Qq. Evangelior. q. 44. n. 1.

[4] Vers. 7. — Duo seqq. loci sunt Matth. 6, 6. et Cant. 1, 15.

[5] Vers. 1. — Subinde allegantur Ps. 72, 24. et 88, 19.

[6] Vers. 26. Cfr. Beda, V. in Luc. 17, 34, ex quo est Glossa tam *ordinaria* quam *interlinearis.*

[7] Vers. 31; vide supra n. 53.

[8] Vers. 5. — Glossa seq. est *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 17, 34; in ipsa allegatur Matth. 24, 24.

[9] Psalm. 103, 20. — Sequitur Matth. 24, 29.

[10] Vers. 41. — Beda, V. in Luc. 17, 35: Unaquaeque enim huius mundi *actio* mola est, quae, dum multas curas congerit, humanas mentes quasi per gyrum vertit atque ex se velut farinas proiicit, quia inquieto cordi semper minutissimas cogitationes gignit.

[11] Vers. 6, cuius explicatio est secundum Gregor., XXXIII. Moral. c. 12. n. 24; cfr. tom. II. pag. 992, nota 7. — Superius pro *per spem scilicet* A C D *per spem autem;* ad huius lectionis incongruitatem tollendam secunda manus in D delevit *quibus.*

[12] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur August., II. Qq. Evangelior. q. 44. n. 1.), in qua pro *quae feminino* (Glossa et Vat. *femineo)* C D H *qui feminino.*

[13] Psalm. 17, 17. — Duo seqq. loci sunt Isai. 1, 8. et Matth. 23, 38.

60. Tertio quantum ad *statum praelatorum*

Status praelatorum.

subiungit: *Duo in agro*, per custodiam Ecclesiarum; Glossa [1]: « Duae differentiae praedicatorum in Ecclesia quasi in agro laborantium ». Unde et Apostolus praelatum et praedicatorem etiam *agricolam* vocat; secundae ad Timotheum secundo [2]: « Laborantem agricolam oportet primum de fructibus eius edere »; et ideo primae ad Corinthios tertio: « Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis ». Propter quod dictum est Ieremiae primo: « Ecce, constitui te super gentes et super regna, ut evellas et destruas et disperdas et dissipes et aedifices et plantes ». In hoc agro Ecclesiae crescunt *fructus bonorum operum;* Genesis vigesimo septimo [3]: « Ecce, odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus »; crescunt etiam *flores* Sanctorum, scilicet rosae Martyrum, lilia Virginum et violae Confessorum; Psalmus: « Pulcritudo agri mecum est ». — Inter hos tamen agricultores aliqui salvabuntur, et ideo addit: *Unus assumetur,* scilicet ad culmen aeternorum bonorum; Aggaei secundo [4]: « Assumam te, Zorobabel, fili Salathiel, et ponam te quasi signaculum, quia elegi te ». — *Et alter relinquetur*, scilicet in calamitate infernalium opprobriorum; Isaiae vigesimo septimo [5]: « Civitas munita desolata erit, speciosa relinquetur et dimittetur quasi desertum ». — Ex his omnibus colligitur, quod in quolibet statu salvandorum aliqui erunt boni et aliqui mali; et sic omnes formident, secundum illud Ecclesiastae nono [6]: « Sunt iusti atque sapientes, et opera eorum in manu Dei; et tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta ». Propter quod, si quis vult futurum iudicium evadere, necessarius est ei non tantum mundi contemptus, verum etiam timor divinus, secundum illud Isaiae secundo: [7] « Ingredere in petram et abscondere in fossa humo a facie timoris Domini et a gloria Maiestatis »; « cuius enim vult miseretur, et quem vult indurat ». Ideo unusquisque territus cum Apostolo exclamet et dicat: « O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius » etc.

Habet electos et reprobos.

Corollarium.

61. (Vers. 36.). *Respondentes dicunt illi* etc. Postquam descripsit evadendi modum et evadentium statum, subditur hic ultimo [8] *evasionis terminus* et locus quietis, quem Apostoli requirunt, cum dicitur: *Respondentes,* scilicet Apostoli, *dicunt illi: Ubi, Domine?* scilicet assumetur et relinquetur. Unde Apostoli utrumque requirunt, sed unum Dominus respondet expresse et aliud innuit tacite; unde Glossa [9]: « Duo quaerentibus unum respondet, Sanctos scilicet secum assumendos, aliud subticendo innuit, malos scilicet a se repulsos cum diabolo damnandos ».

Circa evasionis terminum responsio.

62. (Vers. 37.). Et ideo subdit: *Qui dixit illis: Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae.* Nota hic notabile exemplum: electi congregabuntur ad Christum sicut ad suae refectionis abundantiam, quemadmodum aquilae congregantur ad corpus sicut ad escam; Iob, trigesimo nono [10], loquens de aquila dicit: « Ubicumque fuerit cadaver, statim adest ». Unde Hieronymus [11]: « Aquilae et vultures transmarina sentire dicuntur cadavera ». Congregantur autem [12] per vivacissimum olfactum, limpidissimum aspectum, velocissimum motum et avidissimum appetitum. Sic Sancti ad Christum congregabuntur, ad Verbum incarnatum, per ardentissimum *desiderium,* limpidissimum *contuitum,* sapidissimum *gustum* et per *motum amoris* excessivum. Propter quod et Propheta David [13], exprimens harum aquilarum accessus ad Christum, exprimit in se ipso *desiderium:* « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus »; *contuitum:* « Quia apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen » etc.; *gustum:* « Satiabor, cum apparuerit gloria tua »; *amorem:* « Quia inflammatum est cor meum ». In horum figuram Iob trigesimo nono [14] dicitur: « Nunquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila et ponet in arduis nidum suum? In petris manet et in praeruptis silicibus

Exemplum.

Notandum.

---

[1] Scilicet *interlinearis* (ex Beda; cfr. August., loc. cit.), quae in fine addit: Eorum qui Christum sincere annuntiant, et eorum qui verbum Dei adulterant [II. Cor. 2, 17; cfr. Phil. 1, 17.].

[2] Vers. 6. — Duo seqq. loci sunt I. Cor. 3, 9. et Ier. 1, 10.

[3] Vers. 27. — Sequitur Ps. 49, 11. Cfr. Breviar. Roman. in festo Omnium Ss. II. Noct. lect. 5. (ex Beda, Serm. 18. de Sanctis, nunc Homil. 70. homiliar. subdititiarum): O vere beata mater Ecclesia... Floribus eius nec rosae nec lilia desunt etc.

[4] Vers. 24. — Superius pro *Inter hos tamen agricultores* Vat. cum G *In hac autem* [G *tamen*] *agricultura.*

[5] Vers. 10, ubi pro *speciosa* C D G *sponsa.*

[6] Vers. 1. et 2. Pro *in manu Dei* C D *in manu Domini.*

[7] Vers. 10, post quem Rom. 9, 18. et 11, 33.

[8] Cfr. supra n. 53. — Superius pro *dicunt illi* etc. C D H *dicunt ei.* Inferius pro *locus quietis* C D H *locus quietativus*, et pro *assumetur et relinquetur* C *assumentur et relinquentur*, G H *assumuntur et relinquuntur.*

[9] Scilicet *ordinaria* (ex Beda), in qua Vat. cum Glossa pro *subticendo* substituit *subiiciendo* (Beda: *aliud subintelligendum reliquit).*

[10] Vers. 30; cfr. Gregor., in hunc loc. (XXXI. Moral. c. 58. n. 105; vide etiam IV. Dialog. c. 25.). — Superius vocibus *electi congregabuntur* C D H interserunt *enim,* et pro *suae refectionis* Vat. *summae refectionis.*

[11] Libr. IV. Comment. in Matth. 24, 28. Idem dicit Chrysost., Homil. 49. in Matth. 24, 28. (Op. imperfect.). Pro *Aquilae* C D H *Aquila.*

[12] Codd. A C D *Congregantur etiam*, H *Item congregantur.* Inferius pro *ad Verbum* (ita D) C H *et Verbum*, Vat. *et ad Verbum.* — Glossa *ordinaria* (ex Beda; cfr. August., I. Qq. Evangelior. q. 42.): *Ubicumque fuerit* Dominus corporaliter, *illo congregabuntur* electi, qui eius passionem humiliter imitando tanquam de carne eius saturantur, quorum per resurrectionem *renovabitur ut aquilae iuventus* [Ps. 102, 5.].

[13] Psalm. 41, 2. — Tres seqq. loci sunt Ps. 35, 10; 16, 15. et 72, 21. — Inferius pro *amorem* A C (D primitus) *desiderium*, B *motum*, H (D a secunda manu) *motum amoris excessivum.*

[14] Vers. 27-30; cfr. supra pag. 357, nota 7.

commoratur »; « oculi eius de longe respiciunt, et pulli eius lambunt sanguinem » etc. De natura aquilae dicit Ambrosius[1], quod aquila alta petit, humilia derelinquit, longaevam fertur habere aetatem. Sic Sancti post resurrectionem, renovati ad modum aquilae, secundum illud Psalmi[2]: « Renovabitur ut aquilae iuventus tua », et sursum tendent et semper cum Domino vivent, secundum illud primae ad Thessalonicenses quarto: « Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, et sic semper cum Domino erimus ».

## Capitulum XVIII.

**De persuasione studiositatis exhibentur duo.**

1. *Dicebat autem et parabolam ad illos* etc. Post confutationem Iudaicae curiositatis in perscrutando futura subditur hic *persuasio studiositatis* in postulando divina suffragia[3]. Et quoniam oratio studiosa est oratio Deo placita, in qua simul est fervor affectionis et humilitas reputationis; ideo pars ista habet duas: in quarum prima exemplo parabolico inducit ad *orationis instantiam;* in secunda vero, ad *orationis reverentiam*, ibi[4]: *Dixit autem ad quosdam* etc.

Divisio.

Ad *orationis* igitur *instantiam* movet introducendo parabolam de *iudice et vidua;* circa cuius descriptionem primo introducitur *ratio* parabolae introducendae; secundo additur *introductio ipsius parabolae*, ibi[5]: *Iudex quidam erat;* tertio subdit *aptationem introductae*, ibi: *Ait autem Dominus.*

Ad orationis instantiam movet parabola, de qua tria.

2. (Vers. 1.). Primo igitur quantum ad *rationem introducendi parabolam* dicit: *Dicebat autem et parabolam ad illos.* Notandum est autem, quod haec parabola non est intelligenda per metaphoram *similitudinis*, quia iudex civitatis nullo modo Deo assimilabatur, qui rogandus est[6]; sed potius per *dissimilitudinem* et per contrarium intelligenda est, ut quasi *a minori* Dominus manuducat ad cognoscendam efficaciam orationis; unde hic non comparatur persona personae, sed negotium negotio. Et hoc est quod Beda dicit in Glossa[7]: « Nota, quod Dominus parabolas ponit vel secundum similitudinem, ut de homine, qui habuit duos filios, qui personam Dei gerit; vel secundum dissimilitudinem, ut de iniquo iudice, qui personam Dei nullatenus tenet ». — Introducit ergo hanc parabolam ad persuadendam orationis instantiam; propter quod addit: *Quoniam oportet orare semper et non deficere;* quod debet intelligi, ut *semper* non distribuat pro omni parte temporis, sed pro horis statutis, iuxta quod secundum institutionem propheticam dicitur in Psalmo[8]: « Septies in die laudem dixi ». Et hunc modum observat Ecclesia; unde Glossa: « *Semper*, canonicis horis quotidie secundum morem Ecclesiae ». — Vel *semper orare* hic intelligitur, ut oratio semper vel sit in *ore* per postulationem, vel sit in *corde* per desiderium, vel sit in *opere* per praeparationem. Qui enim bona agit ad hoc se disponit, ut eius oratio debeat audiri; et secundum hoc dicitur primae ad Thessalonicenses quinto[9]: « Sine intermissione orate »; ibi Glossa: « Semper orat qui semper bene agit; ipsum enim desiderium bonum oratio est; et si continuum est desiderium, continua est oratio ». Et hoc est quod hic dicit Beda in Glossa[10]: « Semper orat qui semper agit bona, nec desinit orare, nisi cum desinit iustus esse »; ideo Ecclesiastici decimo octavo: « Non impediaris orare semper, et non veteris usque ad mortem iustificari »; et vigesimo nono: « Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et ipsa orabit pro te » etc. Hoc autem intelligitur de *opportunitate necessitatis.* Si autem intelligatur de *opportunitate congruitatis*, tunc oportet *semper orare*, id est frequentissime et instantissime ad orationem recurrere. Unde Hieronymus[11]: « Frequens oratio

Primum. Notandum. Oratio continua explicatur. Alia explicatio.

---

[1] Libr. VIII. in Luc. c. 17. n. 55: Iustorum enim animae aquilis comparantur, quod alta petant, humilia derelinquant, longaevam ducere ferantur aetatem. Unde et David animae suae dicit [Ps. 102, 5.]: *Renovabitur sicut aquilae iuventus tua.* Cfr. Aristot., IX. Histor. animal. c. 32, ubi inter alia dicit: Volant [aquilae] sublimes, ut perquam maxime procul aspiciant; quapropter homines solam avium omnium aquilam esse divinam perhibent.

[2] Psalm. 102, 5. et deinde I. Thess. 4, 17, ubi pro *relinquimur* C D G *residui sumus*, quod occurrit v. 14. — Cfr. Origen., in Matth. Commentar. series (Matth. 24, 28.), n. 47. in fine; Hilar., Comment. in Matth. c. 25. n. 8; Ambros., in Ps. 48, 17. n. 23; I. de Sacram. c. 2. n. 6. seq. et IV. c. 2. n. 7.

[3] Cfr. supra c. 17. n. 35.

[4] Vers. 9, ubi Vulgata post *Dixit autem* addit *et;* idem recurrit infra n. 13. et 14.

[5] Vers. 2, ubi Vulgata: *Dicens: Iudex* etc.; idem recurrit infra n. 4. (Vat. hanc partem omittit); tertia habetur v. 6. — Superius pro *movet* C D H *monet.*

[6] Vat. *qui non est imitandus.*

[7] Scilicet *ordinaria* apud Lyranum in Luc. 18, 2, qui sequitur August., II. Qq. Evangelior. q. 45. n. 1. Cicero, I. Rhetor. c. 24. seqq., duplex genus circumstantiarum seu attributorum distinguit, scilicet eorum quae *personis*, et eorum quae *negotio* sive facto conveniunt; cfr. tom. IV. pag. 400, nota 1.

[8] Psalm. 118, 164. — Glossa seq. est *ordinaria* (ex Beda) apud Lyranum in Luc. 18, 1.

[9] Vers. 17. Glossa in hunc loc. allegata est *ordinaria*, de qua vide tom. IV. pag. 368, notam 4.

[10] Scilicet *ordinaria* apud Lyranum in Luc. 18, 1. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 18, 22. et 29, 15. In primo loco Vulgata substituit *et ne verearis* pro *et non veteris*, id est, ut explicat Card. Hugo, non credas vetari sive prohiberi; in secundo loco pro *in sinu* (ita etiam Card. Hugo) Vat. cum Vulgata *in corde*, quae etiam subinde legit *et haec pro te exorabit.*

[11] Cfr. Epist. 79. (alias 9.) n. 9; sed verbotenus invenitur apud Isidor., III. Sent. c. 7. n. 1; cfr. ibid. n. 21. et 33, ubi insinuatur, quod oratio deleat peccata sitque remedium eorum. — Subinde allegatur Eccli. 3, 4. — Superius Vat. omittit *Hoc autem intelligitur de opportunitate necessitatis.*

vitiorum impugnationem exstinguit »; instans vero oratio impetrat veniam de peccatis, secundum illud Ecclesiastici tertio: « Qui diligit Deum exorabit pro peccatis et in oratione dierum exaudietur » etc.

3. Et ideo utile est orare semper propter decem, Orationis utilitas prima. videlicet quia impetrat *relaxationem divinae sententiae*, sicut apparet in Ezechia Isaiae trigesimo octavo[1]: « Oravit Ezechias Dominum et dixit: Obsecro, Domine, memento, quaeso, quomodo ambulaverim coram te »; et post subditur, quod Dominus revocavit sententiam de morte; et Sapientiae decimo octavo: « Properans homo sine querela deprecari pro populis, proferens servitutis suae scutum orationem, et per incensum deprecationem allegans, restitit irae ». Secunda. — *Remissionem culpae perpetratae;* Matthaei decimo septimo[2]: « Hoc genus daemonii non eiicitur nisi per orationem et ieiunium »; super quo loco Hieronymus: « Ieiunio sanantur pestes corporis, oratione pestes mentis »; Psalmus: « Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei »; et post: « Pro hac Tertia. orabit ad te omnis sanctus » etc. — *Repulsionem spiritualis pugnae;* Matthaei vigesimo sexto[3]: « Vigilate et orate, ne intretis in tentationem »; et primi Machabaeorum quarto: « Tuba cecinerunt hi qui fuerunt cum Iuda, et contritae sunt gentes et fuge- Quarta. runt » etc. — *Reparationem virtutis naturae;* Iacobi quinto[4]: Oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum » etc.; et Ecclesiastici trigesimo octavo: « Fili, in infirmitate tua ne despicias te ipsum, sed ora Do- Quinta. minum, et ipse curabit te ». — *Conservationem pacis in tempore;* primae ad Timotheum secundo[5]: « Obsecro, primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et ca- Sexta. stitate » etc. — *Custoditionem tranquillitatis conscientiae;* ad Philippenses quarto[6]: « Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione et obsecratione petitiones vestrae innotescant apud Deum. Et pax Dei, quae Septima. exsuperat omnem sensum, custodiat » etc. — *Inflammationem divinae gratiae;* in cuius figuram dicitur de Elia tertii Regum decimo octavo[7]: « Invocabo nomen Domini mei, et Deus, qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus ». Unde Actuum primo dicitur, quod « perseverantes erant unanimiter in oratione »; et post: « Cum complerentur dies Pentecostes, apparuerunt illis dispertitae linguae » etc. — *Illustrationem supernae sapientiae;* cuius exemplum Octava. habetur in Salomone tertii Regum tertio[8], ubi dicitur, quod oravit et petiit sapientiam, quam et obtinuit; et Iacobi primo: « Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter ». — *Adaperitionem caelestis ianuae,* quae virtute Nona. orationis clauditur malis et aperitur bonis; Iacobi quinto[9]: « Elias erat homo similis nobis, passibilis, in oratione oravit, ut non plueret super terram, et non pluit annos tres et menses sex. Et rursus oravit, et caelum dedit pluviam ». — *Acquisitionem* Decima. *mercedis aeternae;* Matthaei sexto[10]: « Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi »; Psalmus: « Quoniam tu, Deus meus, exaudisti orationem meam; dedisti hereditatem timentibus nomen tuum »; et Ecclesiastici ultimo: « Laudabo nomen Domini assidue et collaudabo illud in confessione, et exaudita est oratio mea ». — In figuram autem harum decem ef- Figura. ficaciarum sol ad orationem Ezechiae legitur decem gradibus retrocessisse, quarti Regum vigesimo[11]. Ex Epilogus. quibus colligitur, quod oratio praevalet naturae inferiori, praevalet virtuti caeli, imperat naturae spirituali, attrahit Spiritum sanctum, inclinat Dei Filium et mitigat Patrem aeternum, ac per hoc quodam modo dominium habet respectu universorum.

4. (Vers. 2.). *Iudex*[12] *quidam erat* etc. Post Secundum, de quo tria. rationem parabolae introducendae subditur hic *introductio ipsius parabolae;* circa cuius expressionem tria introducuntur, scilicet *duritia iudicis, instantia pauperis* et *efficacia precis.*

Primo quantum ad *duritiam iudicis* dicit: *Iudex* Duritia iudicis. *quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat,* propter duritiam cordis, quae facit Deum non timere, secundum illud Isaiae sexagesimo tertio[13]: « Indurasti cor nostrum, ne timeremus te ». Tales obdurati Deum non timent, sed potius contemnunt; in quorum persona Iob vigesimo primo[14]: Quis est Omnipotens, ut serviamus ei »? et vigesimo secundo: « Quasi nihil posset Omnipotens, aestimabant eum ». Tales sunt qui dicunt illud Deuteronomii trigesimo secundo: « Manus nostra excelsa, et

---

[1] Vers. 2. seq. et 5: Audivi orationem tuam... ecce, ego adiiciam super dies tuos quindecim annos. — Sequitur Sap. 18, 21.

[2] Vers. 20; idem habetur Marc. 9, 28, super quo habetur sententia Hieronymo tributa; cfr. supra pag. 63, nota 6. — Subinde allegantur Ps. 31, 5. et 6.

[3] Vers. 41, post quem I. Mach. 4, 13. seq.

[4] Vers. 15. et deinde Eccli. 38, 9.

[5] Vers. 1. et 2.

[6] Vers. 6. seq., ubi pro *et obsecratione* (Vat. cum Vulgata addit *cum gratiarum actione)* C D *cum obsecratione.*

[7] Vers. 24. (pro *Domini mei* C D *Domini nostri),* post quem Act. 1, 14. et 2, 1: *Et cum complerentur* etc.; v. 3: *Apparuerunt* etc.

[8] Vers. 11. seq. et deinde Iac. 1, 5. — Superius pro *habetur* C D *habes.*

[9] Vers. 17. et 18; pro *in oratione* Vat. cum Vulgata *et oratione.*

[10] Vers. 6, post quem Ps. 60, 6. et Eccli. 51, 15.

[11] Vers. 11. — Superius pro *In figuram* C D G *In figura.*

[12] Cfr. supra pag. 448, nota 5.

[13] Vers. 17. — Cfr. Gregor., XIV. Moral. c. 27. n. 31.

[14] Vers. 15, post quem 22, 17. (post *posset* Vat. cum Vulgata addit *facere)* et Deut. 32, 27.

Et superbia. non Dominus, fecit haec omnia ». — Et quia ad duritiam concomitatur superbia, ideo addit: *Et hominem*[1] *non reverebatur*, propter arrogantiam mentis. Unde hic de numero illorum fuit, de quibus Sapientiae secundo[2]: « Opprimamus pauperem iustum et non parcamus viduae nec veterani revereamur canos multi temporis ». Tali dicit Isaias trigesimo tertio: « Vae! qui praedaris; nonne et ipse praedaberis? Et qui spernis, nonne et ipse sperneris? Cum consummaveris depraedationem, depraedaberis, et cum fatigatus desieris contemnere, contemneris ».

5. (Vers. 3.). Secundo quantum ad *instantiam* Instantia pauperis. *pauperis* subdit: *Vidua autem quaedam erat in civitate illa; vidua* scilicet destituta solatio viri; et talibus maxime est *subveniendum*, secundum illud Isaiae primo[3]: « Quaerite iudicium, subvenite op- Notandum. presso, iudicate pupillo et defendite viduam ». Talibus magis *debet fieri iustitia*, quia minus se possunt defendere et frequentius opprimuntur; et ideo Ecclesiastici quarto[4]: « Libera eum qui iniuriam patitur, de manu superbi ». « In iudicando esto pupillis misericors ut pater et pro viro matri illorum; et eris velut filius Altissimi obediens, et miserebitur tui magis quam mater ». — De hac igitur vidua indigente iudicis patrocinio propter oppressionem malorum subdit: *Et veniebat ad eum dicens: Vindica me de adversario meo*, per districtionem iudicii iusti; et hoc quidem iustum erat tali personae; Ecclesiastici vigesimo primo[5]: « Deprecatio pauperis ex ore usque ad aures perveniet, et iudicium festinato adveniet illi », scilicet a Deo; et trigesimo quinto: « Deprecationem laesi exaudiet; nec despiciet preces pupilli nec viduam, si effundat loquelam gemitus. Nonne lacrymae viduae ad maxillam descendunt, et exclamatio eius super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad caelum ». Et tamen non perveniunt usque ad cor hominis induratum.

6. (Vers. 4.). Unde subdit: *Et nolebat per mul-* Perfidia animi obdurati. *tum tempus*[6], propter perfidiam animi obdurati; unde hic erat de numero illorum, de quibus Isaiae primo[7]: « Principes tui infideles, socii furum. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, et causa viduae non ingreditur ad illos »; et Ieremiae quinto: « Causam viduae non iudicaverunt, causam pupilli non direxerunt » etc.

7. Tertio quantum ad *efficaciam precis* subdit: Efficacia precis. *Post haec autem dixit intra se: Etsi Deum non timeo nec hominem vereor*[8], per audaciam cordis, propter quam similis erat illi superbo, de quo Iob decimo quinto: « Cucurrit adversus Deum erecto collo et pingui cervice armatus est ». Unde et de numero illorum erat, de quibus in Psalmo: « Contritio et infelicitas in viis eorum » etc.

8. (Vers. 5.). *Tamen, quia molesta est mihi haec vidua*, per instantiam precis, quae omnia vincit, secundum illud Iudicum decimo quarto[9] de Exemplum. uxore Samsonis, quae « septem diebus convivii flebat apud eum, tandemque die septimo, cum ei esset molesta, exposuit ». Propter quod supra undecimo: « Et ille deintus respondeat: Noli mihi molestus esse, quia pueri mei mecum sunt in cubili ». « Et si ille perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget et dabit illi quotquot habet necessarios ». — Sic et iudex iste improbitate Improbitate iudex vincitur. vincitur; unde addit: *Vindicabo illam*, secundum exigentiam sui iuris; hoc enim est officium iudicis, ut relevet oppressos et puniat opprimentes; Numerorum trigesimo primo[10]: « Locutus est Dominus ad Moysen: Ulciscere prius filios Israel de Madianitis, et sic colligeris ad patres tuos ». Hoc non debet iudex facere ex odio personae, sed ex amore iustitiae, sicut Mathathias, de quo primi Machabaeorum secundo: « Accensus est furor eius secundum iudicium Legis, et insiliens trucidavit hominem illum ». — Hic autem iudex non exercebat vindictam propter zelum legis, sed propter vitandum taedium precis; et ideo subdit: *Ne in novissimo veniens sugillet me*, per frequen- Quid sugillare. tiam clamoris. Beda[11]: « *In novissimo*, id est, ne iterum et iterum veniens strangulet me taediosis clamoribus ». Unde Glossa dicit, quod « *sugillo* a *sugo*, tractum a lamiis, id est strangulo ». Lamiae enim

---

[1] Codd. A C D G *homines* (cfr. B. Albert.); inferius n. 7. iidem codd. exhibent *hominem*.

[2] Vers. 10, in quo C D legunt *nec veterani, nec revereamur canos*; Card. Hugo: *nec veterano, nec revereamur canos* (in margine: *nec veteranos revereamur canos*). — Sequitur Isai. 33, 1.

[3] Vers. 17. — Cfr. August., Epist. 130. (alias 121.) c. 16. n. 29. in fine, ubi huius parabolae mentionem facit et n. 30. adiungit: Quid autem in hoc operis genere in viduis electum est nisi destitutio et desolatio? Quapropter, si se *omnis anima* intelligat in hoc saeculo destitutam ac desolatam, quamdiu peregrinatur a Domino [cfr. II. Cor. 5, 6.], profecto quandam viduitatem suam Deo defensori assidua et impensissima precatione commendat etc. Vide II. Qq. Evangelior. q. 45. n. 2, ubi ipse dicit: Ipsa vero vidua potest habere similitudinem *Ecclesiae* etc.

[4] Vers. 9. et 10. seq.

[5] Vers. 6. et deinde 35, 16-19.

[6] Codd. C D G H *per multos dies*.

[7] Vers. 23, post quem Ier. 5, 28.

[8] Vulgata et H *revereor*; pro *nec hominem* C H et *hominem non*, D *hominem non*. — Duo seqq. loci sunt Iob 15, 26. et Ps. 13, 3.

[9] Vers. 17, cui subiunguntur Luc. 11, 7. et 8; cfr. supra c. 11. n. 22. in fine.

[10] Vers. 1. seq. (pro *filios* A C D *viros*, et pro *patres tuos* Vat. cum Vulgata *populum tuum*) et deinde I. Mach. 2, 24.

[11] Sive potius Glossa *ordinaria* apud Lyranum, quae verbis Bedae hanc explicationem addit. — Glossa seq. est *interlinearis*, quae a Lyrano sic exhibetur: « *Sugillat*, a suggero, tractum a lamiis, id est strangulo ». B. Albert. ait: Suggillare autem tantum valet quantum subgulare. Componitur autem, sicut dicit Isidorus, a *sugo* et *gula*, quasi: ne sugat tandem sanguinem de gula mea; quod proprium dicitur esse lamiarum, quae occulte veniunt ad homines et sugunt sanguinem de gula eorum. Unde alia littera haec habet: *Ne iterum et iterum veniens suggulet me*.

parvulos occidunt et sanguinem sugunt, ac per hoc suffocant et strangulando occidunt. Dicitur igitur *sugillari* qui verbis et rationibus[1] tanto taedio afficitur, quod prae taedio sanguis sugitur et diminuitur. Unde sensus est: sugillet me, id est, sanguinem meum sugat, sicut lamiae, de quibus Threnorum quarto[2]: « Lamiae nudaverunt mammas, lactaverunt catulos suos ».

9. (Vers. 6.). *Ait autem Dominus* etc. Post rationem parabolae introducendae et introductionem ipsius parabolae sequitur hic *adaptatio introductae*[3]; circa quam tria introducuntur. *Excitatur* enim *humana audientia, erigitur fiducia* et *arguitur diffidentia.* (Tertium, de quo tria.)

Primo igitur quantum ad *excitationem audientiae* dicitur: *Ait autem Dominus: Audite, quid iudex iniquitatis dicit,* id est, considerate huius iudicis responsionem; in qua considerandum est quidem, quantae sit efficaciae orationis instantia, quia instantia peperit molestiam, et molestia extorsit iustitiam. Unde licet haberet cor lapideum, motus tamen est propter frequentiam precum, ut verificetur in illo illud poeticum[4]: (Primum.)

« Gutta cavat lapidem, non vi, sed saepe cadendo ».

Licet esset in eo iniquitas, compulsus est tamen ad reddendam iustitiam per viduae importunam instantiam; ex quo intelligimus, quodsi instantia precis emollivit iudicem durissimum et inclinavit iniustissimum ad faciendum iudicium; quod multo fortius inclinabit Deum pium et iustum. Unde Chrysostomus[5]: « Non iudex talis, fide dilectionis carens, taedio compulsus, nec actio eius hic laudari potest; sed, si iste quocumque animo ultus est viduam, Deus iudex maxime ulciscetur suorum iniuriam ». Ex quo miro modo instantis orationis ostenditur efficacia, quia ille qui nec Deum timebat nec hominis curabat verecundiam nec amabat iustitiam, victus est a vidua per precum instantiam importunam. (Notandum.)

10. (Vers. 7.). Secundo quantum ad *erectionem humanae fiduciae* subdit: *Deus autem non faciet vindictam electorum suorum,* ex districtione sui iudicii; ad Romanos duodecimo[6]: « Mihi vindictam, et ego retribuam »; et Deuteronomii trigesimo secundo: « Mea ѐst ultio, et ego retribuam illis in tempore, ut labatur pes eorum ». — *Clamantium ad se die ac nocte,* scilicet ex afflictione animi; Apocalypsis sexto[7]: « Vidi subtus altare Dei animas interfectorum propter Verbum Dei, et clamabant voce magna dicentes: Usquequo, Domine, sanctus et verus, non iúdicas et non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra » etc.; immo, ipsis ore tacentibus, tribulationes eorum clamant; Genesis quarto[8]: « Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra ». — *Et patientiam habebit in illis?* per remissionem zeli; quasi dicat: non; quia Ecclesiastici trigesimo quinto[9]: « Dominus iudicabit iustos et faciet iudicium, et Fortissimus non habebit in illis patientiam, ut contribulet dorsum illorum ». Hoc autem dicitur, non quia Dominus non exspectat peccantes, sed quia, iudicio imminente, iam amplius nolit exspectare; ad Romanos secundo: « An divitias bonitatis eius et patientiae et longanimitatis contemnis »? « Secundum duritiam autem tuam et cor impoenitens thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique iuxta opera sua, his qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem; his autem, qui sunt ex contentione, qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam operantis malum ». (Secundum.) (Notandum.)

11. (Vers. 8.). *Dico vobis, quia cito faciet*[10] *vindictam illorum;* et hoc per ultionem peccati; Deuteronomii trigesimo secundo: « Sanguinem servorum suorum ulciscetur », « et vindictam retribuet in hostes eorum, et propitius erit terrae populi sui »; et Ecclesiastici trigesimo quinto: « Gentibus reddet vindictam, donec tollat plenitudinem superborum; et sceptra iniquorum contribulet, donec reddat hominibus secundum actus suos et secundum opera Adae et secundum praesumtionem, donec iudicet iudicium plebis suae ». — Sed nunquid Sanctorum (Difficultas.)

---

[1] Vat. cum G prosequitur: *hinc inde adeo coarctatur, ut vix possit loqui neque respirare permittatur. Vel dicitur sugillari, qui tanto taedio afficitur* etc. Pro *sugitur* C D *fugit.*

[2] Vers. 3, in quo pro *mammam* (ita Vulgata) posuimus cum A C D H et Septuaginta *mammas* (ita hic etiam Card. Hugo et B. Albert.). — Secundum August., II. Qq. Evangelior. q. 45. n. 1, haec propositio *ne veniens sugillet me* aequivalet illi *ne sibi ab illa taedium fieret.* Cfr. Epist. 130. (alias 121.) c. 8. n. 15, ubi ait: Iudicem iniquum saepe interpellando flexit ad audiendum, non iustitia vel misericordia permotum, sed *taedio* superatum.

[3] Cfr. supra n. 1.

[4] Ovid., IV. ex Ponto, epist. 10. v. 5:

Gutta cavat lapidem, consumitur anulus usu.

Ibid. II. epist. 7. v. 40:

Percussu crebro saxa cavantur aquis.

Cfr. I. Artis amator. v. 475. seq.; Lucret., I. de Rerum natura, v. 314. et IV. v. 1279-1282. Pro *non vi* C H *non bis.*

[5] Sententia haec insinuatur Orat. 2. de Precatione (inter opera Chrysost.; alias II. de Orando Deum). Pro *Non iudex* G *Si iudex;* A C D omittunt *taedio compulsus... viduam;* H cum Card. Hug. post *taedio compulsus* prosequitur *sed actio eius hic laudari potest; quia si iste* etc.

[6] Vers. 19, ubi Vulgata *vindicta* pro *vindictam,* quod exhibent etiam Comment. in Rom. inter opera Ambrosii, Rabanus, Haymo, Petr. Lombard., Card. Hugo et Lyranus; Petr. Lombard.: *Mihi vindictam,* reservavi, vel vos reservate [ita Haymo], *et ego* etc. — Sequitur Deut. 32, 35.

[7] Vers. 9. et 10. — Paulo superius vocibus *ex afflictione* A bene interserit *illata.*

[8] Vers. 10. — Pro *tribulationes* A C D H *retributiones.*

[9] Vers. 22. — Subinde allegatur Rom. 2, 4-9, ubi post *et incorruptionem* Vat. cum Vulgata addit *quaerunt, vitam aeternam,* et post *animam* subiungit *hominis.*

[10] Codd. C D *facit.* — Duo seqq. loci sunt Deut. 32, 43. Eccli. 35, 23-25.

est clamare ad Deum pro vindicta, cum dicatur Ecclesiastici vigesimo octavo [1]: « Qui vindicari vult a Domino inveniet vindictam, et peccata eius servans servabit »? — **Solutio.** Respondeo: Est *vindicta* [2] *afflictionis facientis ad Deum redire*, vel *facientis a stultitia cessare*. Possunt appetere primam absolute, secundam, si Deo placet. *Vindictam* autem *afflictionis personae* debent horrere et contra *vindictam damnationis* aeternae debent interpellare.

12. Tertio quantum ad *argutionem diffidentiae* **Tertium.** subdit: *Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Hoc quidem dicit, quia, licet *fides credulitatis* in multis videatur esse, *fides fidelitatis* et *confidentiae* reperitur in paucis; Proverbiorum vigesimo [3]: « Multi homines misericordes vocantur, virum autem fidelem quis inveniet »? et Ieremiae septimo: « Periit fides et ablata est de ore eorum ». Et hoc maxime erit, approximante adventu Filii Dei; Matthaei vigesimo quarto [4]: « Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum »; et Isaiae vigesimo quarto: « Haec erunt in medio terrae, in medio populorum, quomodo si paucae olivae, quae remanserunt, excutiantur ex olea, **Notandum.** et racemi, cum fuerit finita vindemia ». — Et nota, quod Dominus dicit *putas*, non quia dubitet, sed quia dubitationem reprobat et condemnat. Unde Glossa [5]: « *Putas?* In verbo dubitationis infidelitas increpatur, non opinatur Divinitas; scit enim omnia per quem facta sunt omnia; sed dubitando increpat infidelium corda ». Unde illa putativa Domini inquisitio designat dubitationem et nutationem, quae erit in tribulatione illa finaliter imminente, ob quam non erit qui consurgat et teneat eum, ne consurgat ad delendam terram, secundum illud Isaiae sexagesimo quarto [6]: « Non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat et teneat te; abscondisti faciem tuam a nobis et allisisti nos in manu iniquitatis nostrae ».

13. *Dixit autem* [7] *ad quosdam, qui in se confidebant* etc. Postquam induxit ad orationis instantiam, in hac parte intendit inducere ad *orationis reverentiam* [8]. **Ad orationis reverentiam inducitur duplici exemplo.** Quoniam autem *reverentia* haberi non potest in oratione, nisi habeatur et *humilitas* in conversatione; ideo in hac parte primo introducit *exemplum parabolicum* ad commendandam *humilitatem orationis*; **Divisio.** secundo vero *exemplum expressum* ad commendandam *humilitatem conversationis*, ibi [9]: *Afferebant autem ad illum infantes.*

In parabola autem explicanda procedit per hunc modum. **De exemplo parabolico ad humilitatem commendandam tria.** Primo enim tangit *conditiones personarum*; secundo, *conditiones precum*, ibi [10]: *Pharisaeus autem stans apud se orabat;* tertio, *conditiones exauditionum*, ibi: *Amen dico vobis, descendit hic* etc.

Circa conditiones personarum hoc ordine procedit. **Quoad conditiones personarum tanguntur duo.** Tangit enim conditiones personarum [11], *quibus loquitur*, et *de quibus loquitur*.

14. (Vers. 9.). Primo igitur quantum ad *conditiones personarum, quibus loquitur*, dicit: **Personae, quibus loquitur.** *Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti*, per magnificationem virtutis propriae; et hoc est contra Deum superbire, secundum illud ad Romanos decimo [12]: « Ignorantes Dei iustitiam et suam volentes statuere, iustitiae Dei non sunt subiecti ». Tunc autem confidit quis in se tanquam iustus, **Notandum.** quando se iustum reputat ex suis operibus, sicut faciebant Iudaei; ad Romanos secundo: « Probas utiliora, instructus per Legem; confidis, te ipsum esse ducem caecorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiae et veritatis in Lege ». Haec autem confidentia potius est verae iustitiae inimica; Proverbiorum undecimo [13]: « Qui confidit in divitiis suis corruet »; propter quod Ieremiae quadragesimo octavo: « Pro eo, quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis et in thesauris tuis, tu quoque capieris ». Et hoc totum est propter defectum humilitatis,

---

[1] Vers. 1. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 18, 3: Cum iusti pro persecutoribus orare moneantur [Matth. 5, 44.], tamen de malis, salva iustitia, hanc vindictam expetunt, ut pereant omnes mali, vel conversi ad iustitiam, vel amissa per supplicium potestate, qua nunc contra bonos, quamdiu hoc ipsum bonis expedit vel temporaliter aliquid possunt. Quem finem cum iusti venire desiderant, quamvis pro inimicis orent, tamen non absurde vindictam desiderare dicuntur.

[2] Vat.: *Responsio: Quod sic pro vindicta*, quae subinde omittit *Possunt appetere primam absolute, secundam.*

[3] Vers. 6, post quem Ier. 7, 28. August., Serm. 115. (alias 36. de Verbis Domini) c. 1. n. 1: *Putas, inveniet fidem in terra?* De fide dixit, quae perfecta est. Ipsa enim vix invenitur in terra. Ecce, plena est Dei Ecclesia; quis huc accederet, si nulla esset fides? Quis non montes transferret, si plena esset fides [cfr. Matth. 17, 19. et I. Cor. 13, 2.]? etc.

[4] Vers. 12, cui subnectitur Isai. 24, 13.

[5] Scilicet *ordinaria* (ex Beda); in ipsa respicitur Ioan. 1, 3: Omnia per ipsum facta sunt. — Superius Vat. *infidelitatem reproborum reprobat* loco *dubitationem reprobat.*

[6] Vers. 7. — Cfr. Gregor., I. Moral. c. 23. n. 31.

[7] Cfr. supra pag. 448, nota 4.

[8] Vide supra n. 1.

[9] Vers. 15, ubi Vulgata voci *infantes* praefigit *et*, quod etiam S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 18. n. 3.) et Gorranus omittunt. — Superius pro *exemplum expressum* (ita H, D a secunda manu; infra n. 27. omnes codd. et Vat.) alii codd. et Vat. *exemplum parabolicum.*

[10] Vers. 11. Vat. cum Vulgata: *Pharisaeus stans haec apud se orabat* (idem recurrit infra n. 17; cfr. B. Albert. et S. Thom., Cat. aurea in Luc. 18. n. 2.); tertium habetur v. 14, in quo Vat. cum Vulgata omittit *Amen*, quod tamen exhibent August., Serm. 115. (alias 36. de Verbis Domini) c. 2. n. 2; Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 18. n. 2.) et Lyranus.

[11] Vat. omittit *hoc ordine... personarum.*

[12] Vers. 3. et deinde 2, 18-20. — Glossa *interlinearis: Qui in se confidebant tanquam iusti*, cum tamen parva bona facerent. — Superius pro *contra Deum superbire* Vat. *contra Deum superbiae.*

[13] Vers. 28, post quem Ier. 48, 7.

quae est totius iustitiae fundamentum. Unde Gregorius[1]: « Eam quippe, quam non invenit humilem, veritas fugit mentem »; et iterum idem: « Qui sine humilitate virtutes congregat quasi pulverem in ventum portat ». — Et quia praesumtio sui ducit in contemptum proximi, ideo subdit: *Et aspernabantur ceteros*, quantum ad contemptum scilicet meriti alieni, sicut illi, de quibus Isaiae sexagesimo quinto[2]: « Qui dicunt: Recede a me, ne appropinques mihi. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die ». Et ideo ad Romanos decimo quarto: « Is qui manducat non manducantem non spernat, et qui non manducat manducantem non iudicet »; et Ecclesiastici undecimo: « Ne spernas hominem in visu suo. Brevis in volatilibus apis, et initium dulcoris habet fructus eius ». — Ad hos igitur *dixit parabolam istam* in detestationem superbiae et laudem humilitatis; unde Glossa[3]: « In hac parabola ostendit, non fidei tantum verba, sed opera examinanda; inter quae maxime humilitas regnat, quam quia non habent superbi, de sua iustitia praesumentes et infirmos despicientes, quasi fide vacui, cum orant, despiciuntur ».

Notandum.

15. (Vers. 10.). Secundo quantum ad *conditiones personarum, de quibus* loquitur, subdit: *Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent*, per intentionem conformem et etiam laudabilem. Ad hoc enim debemus in templum conscendere, ut oremus, secundum illud Matthaei vigesimo primo[4]: « Domus mea domus orationis vocabitur ». Unde Augustinus: « Nemo in oratorio aliquid agat nisi illud, ad quod factum est, unde et nomen accepit ». Unde et Dominus eos qui in templo non orabant, sed mercabantur, eiecit non sine asperitate verborum; Ioannis secundo[5]: « Invenit Iesus in templo vendentes oves et boves et columbas, et nummularios sedentes. Et cum fecisset flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo. Et dixit eis: Auferte ista hinc et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis »; et hoc, quia domus illa erat domus orationis[6]. Et propterea, ut competeret ei, propter quod erat, ideo in alto erat, et per gradus ascendere oportebat, ad insinuandum, quod qui vult orare, oportet sursum erigere se. Unde et in Praefatione dicitur: « Sursum corda »; et Bernardus[7] dicit, quod « licet Deus ubique sit, tamen in oratione sursum est cogitandus, ut sursum cor nostrum elevetur ». In cuius figuram Exodi vigesimo quarto « dixit Dominus ad Moysen: Ascende ad me in montem ». — Licet autem ad unum consimiliter tenderent locum, valde tamen habebant differentiam morum; et ideo subdit: *Unus Pharisaeus, et alter publicanus*, per conversationem difformem[8]. Unde Pharisaeus *apparenter* erat iustus, quia *Pharisaei* dicebantur quasi ab aliis habitu, gestu et observantiis distincti tanquam ipsius Legis observatores praecipui, secundum illud Actuum vigesimo sexto[9]: « Vitam meam a iuventute noverunt omnes Iudaei, praescientes me ab initio, si velint testimonium perhibere, quoniam secundum certissimam sectam nostrae religionis vixi Pharisaeus ». Econtra publicanus erat *patenter* malus, quia *publicani* dicebantur exactores vectigalium publicorum, sicut saepe expositum est; unde supra decimo quinto[10]: « Erant appropinquantes ad Iesum publicani et peccatores, ut audirent illum. Et murmurabant scribae et Pharisaei » etc. Magna igitur differentia est inter Pharisaeum et publicanum quantum ad *apparentiam*, magna etiam quantum ad *existentiam*, quia Pharisaeus per arrogantiam suam iustitiam labefactabat, et publicanus per poenitentiam suam iniustitiam expurgabat. Ideo Matthaei vigesimo primo[11] dicitur Pharisaeis: « Publicani et meretrices praecedent vos in regnum Dei ». Hoc autem dicitur Pharisaeis non ideo, quia apparebant boni, sed quia erant mente superbi; propter quod dicitur supra decimo sexto[12]: « Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem novit corda vestra, quia quod altum est apud homines abominatio est apud Deum ».

Personae, de quibus loquitur. — Notandum. — Differentia morum in duobus.

16. *Pharisaeus autem stans*[13] etc. Postquam descripsit conditiones personarum orantium, hic secundo describit *conditiones orationum*[14]. Et describitur hic primo conditio precis *ex parte Pharisaei superbientis;* secundo, *ex parte publicani se ipsum humiliantis*, ibi[15]: *Et publicanus a longe stans.*

Quoad conditiones precum tanguntur duo.

Tria autem insinuantur in *modo orandi ipsius Pharisaei*, in quibus manifestatur arrogantia suae

De oratione Pharisaei tria.

---

[1] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 18. n, 5; ibid. homil. 7. n. 4. habetur seq. sententia.

[2] Vers. 5. — Duo seqq. loci sunt Rom. 14, 3. et Eccli. 11, 2. seq.

[3] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 18, 10: In hac parabola *diligentius* ostendit *a Deo* non fidei verba, sed opera etc. — Superius pro *Ad hos* A C D F *Ad hoc.*

[4] Vers. 13. — Sententia August. habetur in Regula ad servos Dei, n. 3.

[5] Vers. 14-16. — Superius pro *asperitate verborum* C D G *asperitate verberum.*

[6] Matth. 21, 13: Scriptum est [Isai. 56, 7.]: Domus mea domus orationis vocabitur.

[7] Serm. 25. de Diversis, n. 8: Porro, quamvis ubique sit Deus, in caelo tamen orandus est ibique orationis tempore cogitandus, ut mens nostra non oratorii tecto, non aëris spatio, non ipsa retardetur nubium densitate, iuxta eam formam, quae nobis a Christo tradita est, ubi ait [Matth. 6, 9.]: *Sic orabitis: Pater noster, qui es in caelis.* Pro *elevetur* C D G H *levetur.* — Subinde allegatur Exod. 24, 12.

[8] Glossa *interlinearis: Duo homines ascenderunt* etc., uterque fidelis, sed unus verbotenus, alius et facto.

[9] Vers. 4. et 5. — De Pharisaeis cfr. supra pag. 123, nota 9.

[10] Vers. 1. seq. — De publicanis cfr. supra pag. 382, nota 2, ubi alii loci, in quibus de ipsis agitur, indicati sunt.

[11] Vers. 31. — Superius pro *magna etiam* Vat. *maior etiam*, et pro *labefactabat* ipsa substituit *labefaciebat.*

[12] Vers. 15.

[13] Cfr. supra pag. 452, nota 10.

[14] Vide supra n. 13.

[15] Vers. 13.

mentis tam respectu *Dei* quam *proximi* quam etiam *sui*. Introducuntur [1] enim hic ipsius Pharisaei *gratiarum actio fastuosa, reprehensio aliorum praesumtuosa* et *commendatio sui vane gloriosa*.

Primum. 17. (Vers. 11.). Primo igitur quantum ad *gratiarum actionem fastuosam* dicit: *Pharisaeus autem stans apud se orabat: Deus, gratias ago tibi;* in quo arguitur Pharisaeus, non quia gratias agit Deo, sed quia hoc facit modo superbo. Unde Gregorius [2]: « Si reprehenditur ille qui superbe gratias agit, quid ergo ille qui impugnat gratiam »? Tria signa fastus. Apparet autem fastus ipsius ex hoc, quod *non incurvato corpore orabat,* sed erecta fronte, cum dicatur Isaiae sexagesimo [3]: « Venient ad te curvi filii eorum qui te humiliaverunt, et adorabunt vestigia pedum tuorum ». Apparet etiam fastus, quia *apud se orabat* tanquam sibi placens, contra illud quod dicitur ad Romanos decimo quinto [4]: « Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere et non nobismetipsis placere ». « Etenim Christus non sibi placuit ». Et ideo Proverbiorum tertio: « Noli esse sapiens apud temetipsum. Time Dominum et recede a malo » etc. Apparet nihilominus fastus, quia *incepit a magnificatione bonorum,* quae acceperat, cum potius a sui accusatione debuisset incepisse; Proverbiorum decimo octavo [5]: « Iustus in principio est accusator sui »; incepit ab altis, cum debuisset incipere ab infimis, ut perveniret ad summa. Unde Hieronymus [6]: « Humilitas est prima virtus Christianorum », et ideo, ipsa praetermissa, in vacuum laboratur. Unde Beda [7]: « Ecce, Pharisaeus ad referendas gratias oculum habet, ad humilitatis custodiam non habet. Et quid prodest, si tota civitas custodiatur, et unum foramen, per quod intrent hostes, relinquatur »?

Secundum. 18. Secundo quantum ad *reprehensionem proximi praesumtuosam* subdit: *Quia non sum sicut ceteri hominum,* quasi dicat: ceteri sunt peccatores, ego autem iustus; unde *interlinearis* [8]: « Quid est *ceteri homines,* nisi omnes praeter ipsum? quasi: solus iustus sum, ceteri peccatores ». Et in hoc dupliciter dicebat falsum: Duplex falsitas. et quia se dicebat non esse peccatorem, cum dicatur primae Ioannis primo [9]: « Si dixerimus, quia peccatum non habemus, mendaces sumus, et veritas in nobis non est ». Falsum etiam dicebat, quia se solum dicebat iustum, cum Dominus Eliae dicenti: « Relictus sum ego solus », dicat tertii Regum decimo nono [10]: « Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua sua ante Baal ». Hic autem, cum sit in infinitum inferior [11], non solum se dicit solum iustum, verum etiam ceteros asserit peccatores, notans eos de multitudine vitiorum. — Et ideo addit: *Raptores, iniusti, adulteri:* ut *raptores* dicantur per concupiscentiam oculorum, *iniusti* per superbiam vitae et *adulteri* per concupiscentiam carnis; in quibus notat, communiter alios a se esse infectos hoc triplici vitio, ex quo manat universalis transgressio et perpetratio peccatorum, secundum illud primae Ioannis secundo [12]: « Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitae ». — Et ne videretur loqui sicut incertus, adducit etiam publicanum in exemplum, cum subdit: *Velut etiam hic publicanus;* quod non dicit publicano compatiendo, sed potius despiciendo et irridendo; quocontra Ecclesiastici septimo [13]: « Ne irrideas hominem in amaritudine animae suae. Est enim qui humiliat et qui exaltat circumspector Deus ». — Et nota, quod Pharisaeus ex Notandum. consideratione publicani consurrexit in *temeritatem iudicii,* quia, cum videret, illum esse peccatorem, non solum ipsum, verum etiam ceteros condemnabat. Consurrexit etiam in *elationem animi;* unde Bernardus [14]: « Incentivum elationis est consideratio deterioris, sicut incentivum humilitatis est consideratio melioris ».

---

[1] Codd. C D F H *Introducitur.*

[2] Cod. H *Gregorius in Glossa*, scilicet *interlineari,* quae tamen, quantum scimus, non est ex Gregorio, sed ex August., Serm. 115. (alias 36. de Verbis Domini) c. 3. n. 3: « Quid est ergo qui impie oppugnat gratiam, si reprehenditur qui superbe agit gratias »? Pro *quid* [F G addunt *est*] *ergo ille* Vat. *quid ergo erit illi.*

[3] Vers. 14. — Theophylact., in Luc. 18, 9-14: Ostendit autem Dominus et per *stationem* [σταθεὶς, i. e. *stans*] superbiam eius et humilitatis inopiam. Humilis enim viri est et aspectus humiliatus; hic autem et habitu et gestu superbus agnoscitur. Quamvis autem et de publicano dictum sit, quod steterit, tamen vide et quae sequuntur, quod neque oculos in caelum voluerit extollere, unde statio eius incurvata erat. Illius autem et oculi in caelum extollebantur, et cor simul extollebatur.

[4] Vers. 1. et 3, post quos Prov. 3, 7. — Basil., Comment. in Isai. 1, 15. (inter opera Basilii) n. 36: « *Stans autem Pharisaeus haec apud se orabat*, non apud Deum; respiciebat namque ad se ipsum, siquidem in superbiae peccato versabatur ». August., loc. cit. c. 2. n. 2: Quid rogaverit *Deum*, quaere in verbis eius; nihil invenies. Ascendit *orare;* noluit Deum rogare, sed se laudare. Parum est non Deum rogare, sed se laudare, insuper et roganti [publicano] insultare.

[5] Vers. 17. — Superius pro *quae acceperat* E quae *fecerat.*

[6] Epist. 47. (alias 154.) n. 1: Scis enim dogma nostrum [Christianorum], humilitatis tenere vexillum, et per ima gradientes, ad summa nos scandere. Cfr. Epist. 148. (alias 14.) n. 20.

[7] Libr. V. in Luc. 18, 12, ubi sequitur Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 7. n. 6. et XIX. Moral. c. 21. n. 33. Sententia Bedae exhibetur verbis Glossae *ordinariae* in Luc. 18, 12.

[8] Ex August., loc. cit. c. 2. n. 2; in qua post *quasi* Glossa addit *dicat* et omittit *ceteri peccatores;* pro *sum* C *cum*, Vat. *sit.*

[9] Vers. 8; cfr. supra pag. 287, nota 13.

[10] Vers. 14: Derelictus sum ego solus; v. 18: Derelinquam mihi in Israel septem millia etc.; cfr. Rom. 11, 4.

[11] Vat. *in immensum Elia inferior*, quae etiam subinde pro *notans* et *vitiorum* (H *peccatorum)* substituit *vocans* et *virorum.*

[12] Vers. 16; cfr. supra pag. 371, nota 7. — Superius pro *per*, quod ter occurrit, G *propter.*

[13] Vers. 12. — Glossa *interlinearis* (ex August., loc. cit.): *Velut etiam hic publicanus*, ecce, ex vicino publicano maior tumoris occasio.

[14] Cfr. Serm. 36. de Diversis, n. 3. seq. et de Statu virtutum (inter opera Bernardi), p. I. n. 9, ubi docet, ad adipi-

Tertium. 19. (Vers. 12.). Tertio quantum ad *commendationem sui vane gloriosam* subdit: *Ieiuno bis in Sabbato, decimas omnium do, quae possideo,* quasi dicat: perfectam iustitiam servo, et erga me ipsum et erga Deum, quia carnem macero ieiunio bis in Sabbato, id est in septimana [1]; et pietatem ad Deum servo reddendo decimas et eleemosynas. Et haec duo sunt, quae maxime placent Deo; unde et Angelus dixit Tobiae duodecimo [2]: « Bona est oratio cum ieiunio et eleemosyna magis quam thesauros auri condere ». Vana gloria. Unde et hic multum se ipsum commendat, sed in hoc suam iustitiam per vanam gloriam foedat; Proverbiorum vigesimo septimo [3]: « Laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua »; quia, sicut dicitur secundae ad Corinthios decimo, « non qui se ipsum commendat, ille probatus est », immo certe reprobatus. Unde Ecclesiastici septimo [4]: « Non te iustifices apud Deum, quoniam agnitor cordis ipse est »; et Ieremiae secundo: « Ecce, ego iudicio contendam tecum, eo quod dixeris: Non peccavi »; et Iob nono: « Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me; si innocentem ostendero, pravum me comprobabit ». Et hoc totum propter vitium elationis, quae maxime displicet Deo; ad Ephesios secundo [5]: « Gratia salvati estis per fidem. Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur ».

20. Sed cum iste Pharisaeus bona, quae habet, Difficultas. a Domino recognoscat; non videtur inaniter gloriari; quia ille inaniter gloriatur, qui « gloriatur, quasi Solutio. non acceperit [6] »; hic autem gratias Deo agit. — Ad quod respondet Bernardus [7], quod non recte recognovit bona, quae accepit; ait enim sic: « Gratias agit, non quia bonus, sed quia solus, non tam de bonis, quae habet, quam de malis, quae in aliis videt ». Talis autem modus est elationis; unde Gregorius [8]: Quatuor species superbiae. « Quatuor sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur: cum vel aliquis bonum, quod habet, *a se* habere se existimat; aut, si datum a Deo credit, *pro meritis* datum putat; aut cum iactat, se habere *quod non habet;* aut cum, despectis ceteris, appetit *singulariter videri habere* quod habet ». Hac peste Pharisaeus laborabat, qui sua merita extollendo se ceteris praeferebat.

In oratione publicani tria signa humilitatis. 21. (Vers. 13.). *Et publicanus a longe stans* etc. Postquam expressit conditiones in prece superbi Pharisaei, hic secundo [9] exprimit *conditiones precis humilis publicani,* in qua describitur perfectae humilitatis insinuatio quantum ad *gestum,* quantum ad *motum* et quantum ad *verbum.*

Per gestum. Primo quantum ad *insinuationem humilitatis per gestum* dicit: *Et publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad caelum levare.* Beda [10]: « Sicut humilis, non audet appropinquare, ut Deus ad eum appropinquet; non aspicit, ut aspiciatur ». Nihil enim placet Deo tantum in poenitente, sicut dicit Bernardus [11], quantum humilis verecundia; et taliter vult orari. Unde iste publicanus erat de illis, de quibus Isaiae quadragesimo nono: « Vultu in terra demisso, adorabunt te et pulverem pedum tuorum lingent ». Non audebat *oculos levare ad caelum,* quia recognoscebat, se offendisse Deum caeli, ita ut diceret sicut filius prodigus poenitens, supra decimo quinto [12]: « Pater, peccavi in caelum et coram te »; et illud secundi Paralipomenon ultimo: « Peccavi super numerum arenae maris, et multiplicata sunt peccata mea, et non sum dignus videre altitudinem caeli prae multitudine iniquitatis meae ». Ideo igitur non audebat levare faciem propter peccati verecundiam, ita ut intra se diceret illud primi Esdrae nono: « Domine Deus meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostrae multiplicatae sunt super caput nostrum, et delicta nostra creverunt usque ad caelum ».

Per corporis motum. 22. Secundo quantum ad *insinuationem humilitatis* quantum ad *corporis motum* subdit: *Sed percutiebat pectus suum;* in quo reddebat se ipsum culpabilem et ostendebat dolentem. In hoc enim, quod pectus percutitur, ostenditur cor introrsus supplicio

---

scendam et conservandam humilitatem duo esse necessaria, scil. ut consideremus meliora et non peccata proximi. Clarius tamen hanc sententiam exhibet *Beda*, V. in Luc. 18, 14: Quapropter et de verbis elati Pharisaei, quibus humiliari meruit, possumus ex diverso formam humilitatis, qua sublimemur, assumere, ut sicut ille, consideratis et peiorum vitiis et suis virtutibus, est elatus ad ruinam, ita nos, non nostra solum pigritia, sed et meliorum virtutibus inspectis, humiliemur ad gloriam etc.

[1] Theophylact. in Luc. 18, 9-14: *Ieiuno bis in Sabbato,* hoc est bis in hebdomade. Sabbatum enim hebdomas est, quae a consummatione et quieto die nominatur... Ieiunabant autem Pharisaei secunda et quinta [die in hebdomade]. — Pro *ieiunio* Vat. *ieiunando*, H *ieiuno enim.*

[2] Vers. 8. — Superius pro *reddendo* C D F *reddo*, H legit *reddendo scilicet decimas et faciendo eleemosynas.*

[3] Vers. 2, post quem II. Cor. 10, 18.

[4] Vers. 5. — Duo seqq. loci sunt Ier. 2, 35. et Iob 9, 20.

[5] Vers. 8. et 9.

[6] Epist. I. Cor. 4, 7; Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? (Cfr. August., Enarrat. in Ps. 31. enarrat. 2. n. 10).

[7] De Gradibus humilitatis, c. 5. n. 17.

[8] Libr. XXIII. Moral. c. 6. n. 13, quem sequitur Beda, V. in Luc. 18, 11, ex quo est Glossa *ordinaria*, secundum quam haec sententia exhibetur; ipsa Glossa etiam aliam propositionem adiungit: Hac Pharisaeus peste laborabat, qui ideo non iustificatus descendit, quia merita bonorum operum sibi singulariter tribuens, publicano se praetulit.

[9] Cfr. supra n. 16.

[10] Cod. H *Beda in Glossa*, scilicet *ordinaria*, quae est ex August., Serm. 115 (alias 36. de Verbis Domini) c. 2. n. 2.

[11] Serm. 3. in Cant n. 4: Quantum displicet Deo impudentia peccatoris, tantum poenitentis verecundia placet. — Subinde allegatur Isai. 49, 23.

[12] Vers. 21. — Duo seqq. loci sunt *II. Paralip. ult.* (ita codd.), sed est *Oratio Manasse* (cfr. supra pag. 396, nota 6.), et I. Esdr. 9, 6.

dignum; in cuius rei signum, secundi Regum ultimo[1], « percussit autem cor David eum, postquam numeratus est populus; et dixit David ad Dominum: Peccavi valde in hoc facto, sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui ». Sic iste percutiebat pectus, quasi indignatus contra se ipsum. Unde Glossa[2]: « Percutit pectus et poenas de se exigit, ut Deus parcat ». Unde et consuetudinis nostrae est in confessione et in dicendo culpam tundere pectora nostra in redargutionem et poenitentiam nostrorum cordium et contestationem conscientiarum. Unde infra vigesimo tertio[3] dicitur, quod « turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud et videbant quae fiebant, percutiebant pectora sua ». Propter quod et *tunsio pectorum*, sicut dicit Augustinus[4], valet ad remissionem venialium; unde est unum de octo, quibus venialia remittuntur. Venialia enim dicuntur remitti confessione, pectoris tunsione, aquae benedictae aspersione, cordis contritione, crucis signatione, oratione, sacra communione, iniuriarum remissione; unde versus[5]:

Tunsio pectoris.

Octo media ad remittenda venialia.

Confiteor, tundo, respergor, conteror, oro,
Signor, edo, dono; per haec venialia pono.

23. Tertio quantum ad *insinuationem humilitatis per verbum* subiungit: *Dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori.* Nota hic brevissimam orationem et efficacissimam, quia in hac orans se *ipsum humiliat* et *Deum exaltat;* et talis oratio est Deo acceptabilis, secundum illud Ecclesiastici trigesimo quinto[6]: « Oratio humiliantis se nubes penetrabit ». Deum etiam magnificat *humiliter petendo veniam;* Ecclesiastici ultimo: « Laudabo nomen Domini assidue, et exaudita est oratio mea » etc. Magnificat etiam eum *vocando ipsum Deum,* quia hoc est nomen *summae maiestatis;* Psalmus[7]: « Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus; ipse fecit nos, et non ipsi nos »; et iterum: « Quoniam Deus magnus Dominus et rex magnus » etc. — Est nomen *summae veritatis;* Numerorum vigesimo tertio[8]: « Non est Deus ut homo, ut mentiatur »; et ad Romanos tertio: « Est enim Deus verax » etc. — Est similiter nomen *summae caritatis;* unde primae Ioannis quarto[9]: « Deus caritas est, et qui manet in caritate in Deo manet, et Deus in eo ». — Est nihilominus nomen *summae pietatis;* secundae ad Corinthios primo: « Benedictus Deus et pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum et Deus totius consolationis » etc. — Dicit igitur publicanus orando tam humiliter quam devote: *Deus, propitius esto mihi peccatori;* Deus *summae maiestatis: propitius esto mihi peccatori,* ad manifestandam tuam *potentiam,* secundum illud Sapientiae undecimo[10]: « Misereris omnium, Domine, qui omnia potes, dissimulans peccata hominum propter poenitentiam » etc.; *summae veritatis: propitius esto mihi peccatori,* ad manifestandam tuam *iustitiam;* Psalmus[11]: « In veritate tua, exaudi me in tua iustitia », in *veritate,* inquam, quam promisisti; Ezechielis trigesimo tertio: « Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab iniquitate »; *summae caritatis: propitius esto mihi peccatori,* ad manifestandam tuam *benevolentiam;* Sapientiae undecimo[12]: « Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas »; et Ieremiae trigesimo primo: « In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui » etc.; *summae pietatis: propitius esto mihi peccatori,* ad manifestandam tuam *misericordiam,* pro quo orabat Propheta in Psalmo[13]: « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam »; et Ecclesiastici trigesimo sexto: « Miserere nostri, Deus omnium, et respice nos et ostende nobis » etc.

Per humilitatis verbum. Notandum.

Nomen Dei habet quatuor conditiones.

Notandum.

24. (Vers. 14.). *Amen dico vobis*[14]. Postquam descripsit conditiones personarum et precum, hic iam tertio describit *conditiones exauditionum*[15]. Describitur autem hic exauditionis conditio quantum ad *iudicium personale* et quantum ad *edictum universale.*

Quoad conditiones exauditionum tangentur duo.

Primo igitur quantum ad *iudicium personale* dicit: *Amen dico vobis: Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo,* id est « plus quam ille[16] »

Iudicium personale.

---

[1] Vers. 10. — Superius pro *dolentem* Vat. *dolorem.*

[2] Scilicet *ordinaria* (ex August., loc. cit.) in Luc. 18, 13.

[3] Vers. 48, ubi F G *turba, quae convenerat* (A C D *convenerunt).*

[4] Epist. 265. (alias 108.) n. 7, quae allegatur a Magistro Sent., lib. IV. d. XVI. c. 5. Vide etiam Enarrat. in Ps. 31. enarrat. 2. n. 11; Serm. 19. (alias 4. ex Sirmondianis) n. 2; Serm. 67. (alias 8. de Verbis Domini) c. 1. n. 1; Serm. 136. n. 2; Serm. 351. (alias 50. inter 50 Homilias) c. 3. n. 6. et Glossam paulo superius allegatam.

[5] Quos affert etiam Card. Hugo. — Vat. superius pro *de octo* posito *de novem* (sed vide, quanta subinde ab ipsa addantur) post *sacra communione* prosequitur *eleemosynarum largitione, iniuriarum remissione, extrema unctione, levi poenitentia et compassione fraterna.* Ipsa etiam duobus versibus addit tertium (qui invenitur in Centiloq. p. I. sect. 6, de quo vide Prolegom. tom. V. 10. § 1.):

Unctio, poena levis, compassio, quae fit egenis.

De modo, quo per haec remittuntur venialia, cfr. IV. Sent. d. 21. p. I. a. 1. q. 2. in corp.

[6] Vers. 21. — Subinde allegatur Eccli. 51, 15, cui Vat. subiungit v. 16. et 17.

[7] Psalm. 99, 3. et deinde 94, 3.

[8] Vers. 19, post quem Rom. 3, 4.

[9] Vers. 16. — Sequitur II. Cor. 1, 3.

[10] Vers. 24. Cfr. S. Bonav. in hunc loc.

[11] Psalm. 142, 1. et deinde Ezech. 33, 12.

[12] Vers. 27. (in quo pro *Domine* A F G *omnia),* post quem Ier. 31, 3.

[13] Psalm. 50, 3. et Eccli. 36, 1.

[14] Cfr. supra pag. 452, nota 10.

[15] Vide supra n. 13. — Vat. *conditio exauditionis,* quae etiam subinde pro *personale* substituit *particulare.*

[16] Ut dicit Glossa *interlinearis.* Paul. Diaconus, Homil. 171. de Tempore (in Dominica 12. post Pent. ex Herico, monacho Antissiodorensi): « Quod vero dicit *ab illo* dupliciter auctores exponunt: vel *ab illo,* scilicet templo, vel *ab illo,* subaudiendum

quia Pharisaeus descendit iustificatus secundum suam opinionem, sed iste secundum veritatem. Unde Dominus plus pensat unam humilem supplicationem peccatoris poenitentis quam innumerabiles actiones alicuius iusti de se praesumentis. Propter quod dicit supra decimo quinto[1]: « Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente quam super nonaginta novem iustis, qui non indigent poenitentia », id est, qui se reputant non egere; in quo miro modo reprimitur superbia humana, ut non de suis meritis praesumat. Propter hoc etiam Deus reprobavit superbum populum Iudaicum et elegit plebem humilem gentilium populorum, quorum figuram gerunt hic Pharisaeus et iste publicanus. Unde Glossa[2]: « Typice Pharisaeus Iudaeorum populum designat, qui ex iustificationibus Legis extollit merita sua et superbiendo recedit; humiliatus publicanus gentilem, qui longe a Deo positus peccata confitetur et lamentando appropinquat Deo et exaltatur ». Ideo dicitur ad Romanos undecimo[3]: « Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat ». Si ergo Deus repellit iustos propter superbiam, quanto magis impios et superbos; primae Petri quarto: « Si iustus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt »?

Notandum.

25. Secundo quantum ad *edictum universale* subdit: *Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat exaltabitur.* Hic datur generalis sententia de humilibus et superbis; unde Glossa[4]: « Posita Pharisaei et publicani controversia, ponitur iudicis sententia, ut caveatur superbia ». In qua sententia universaliter praefertur humilis superbo, quia superbus debet deiici, secundum quod dicitur in Abdia[5]: « Si exaltatus fueris ut aquila et si inter sidera posueris nidum tuum » etc.; et Iob vigesimo: « Si ascenderit usque ad caelum superbia eius, et caput eius nubes tetigerit; quasi sterquilinium in fine perdetur ». Propter quod Proverbiorum decimo sexto[6]: « Contritionem praecedit superbia », et e contrario humilis iustus exaltatur; Iob vigesimo secundo: « Qui humiliatus fuerit erit in gloria, et qui inclinaverit oculos suos, ille salvabitur ». Et ideo primae Petri ultimo: « Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis ». De his duobus simul Proverbiorum decimo octavo[7]: « Antequam conteratur, exaltatur cor hominis, et antequam glorificetur, humiliatur »; quia, sicut dicitur Proverbiorum vigesimo nono, « superbum sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria ». Et hoc est quod dicitur Ecclesiastici vigesimo[8]: « Est propter gloriam minoratio, et est qui ab humilitate elevabit caput suum ». — Unde exemplum habemus hic in Pharisaeo et publicano, exemplum in populo Iudaico et gentili, exemplum in Saule reprobo et David electo, exemplum summum in lucifero et Iesu Christo. Unde secundum hanc sententiam decurrit totius regimen universi.

Edictum universale.

Exempla.

26. Et nota, quod haec eadem sententia supra decimo quarto[9] fuit posita circa invitatos ad nuptias et nunc iteratur hic; sed non sine causa, quia duplex est humilitas: una est *caritatis*, qua voluntarie quis se humiliat; alia est humilitas *veritatis*, qua quis parva de se sentit[10]. Supra ergo hoc dixit, ut incitaret ad humilitatem *caritatis;* hic iterat id ipsum, ut incitet ad humilitatem *veritatis*, sicut apparet, quia publicanus propter conscientiam mali meriti de se compellebatur infima sentire. Haec autem humilitas duplex est nobis necessaria, scilicet *veritatis* in intellectu et *caritatis* in affectu, ut excludatur a nobis superbia praesumtionis et ambitionis; et ideo ad haec insinuanda haec sententia non irrationabiliter iteratur.

Notandum de duplici humilitate.

27. (Vers. 15.). *Afferebant autem ad illum infantes*[11] etc. Postquam exemplo parabolico induxit ad humilitatem in oratione, hic consequenter exemplo expresso etiam inducit ad *humilitatem in conversatione*[12], et hoc exemplo infantium, qui Christo fuerunt oblati et acceptati ab ipso in signum approbationis humilitatis. In huius autem exempli explicatione quinque introducuntur ab Evangelista: primo *oblatio importuna* infantium; secundo, *carnalis increpatio* offerentium; tertio, *benigna susceptio* oblatorum; quarto, *iudicialis approbatio* humilium; quinto, *severa reprobatio* superborum.

De exemplo expresso ad humilitatem in conversatione commendandam quinque tanguntur.

---

Pharisaeo, id est plus quam ille ». Haym., Homil. 123. de Tempore (in Dominica 12. post Pent.): *Ab illo,* hoc est magis quam Pharisaeus. Iste enim se accusando iustificatus est, ille se excusando reprobatur.

[1] Vers. 7; cfr. v. 10.

[2] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 18, 14. apud Lyranum.

[3] Vers. 20. et 21, quibus subiungitur I. Petr. 4, 18.

[4] Nempe *ordinaria* (secundum August., Serm. 115. alias 36. de Verbis Domini, c. 2. n. 2.).

[5] Vers. 4, post quem Iob 20, 6. et 7. — Superius pro *quia superbus* A C D *qua superbus.*

[6] Vers. 18. — Duo seqq. loci sunt Iob 22, 29. et I. Petr. 5, 6.

[7] Vers. 12. et deinde 29, 23.

[8] Vers. 11. — De Saule et David cfr. I. Reg. 16, 1.

[9] Vers. 11. — Inferius pro *circa invitatos* (ita D F) Vat. cum aliis codd. *contra invitatos.*

[10] Bernard., Serm. 42. in Cant. n. 6: Est humilitas, quam nobis *veritas* parit et non habet calorem, et est humilitas, quam *caritas* format et inflammat. Atque haec quidem in affectu, illa in cognitione consistit. Etenim tu, si temetipsum intus ad lumen veritatis et sine dissimulatione inspicias et sine palpatione diiudices, non dubito, quin humilieris et tu in oculis tuis, factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui, quamvis necdum fortasse id esse patiaris in oculis aliorum. Eris igitur humilis, sed de opere interim veritatis et minime adhuc de amoris infusione etc. Cfr. Serm. 4. de Adventu Domini, n. 4. et Serm. 20. de Diversis, n. 5. — Inferius pro *infima* H *humilia*, Vat. *mala.*

[11] Cfr. supra pag. 452, nota 9.

[12] Vide supra n. 13.

Oblatio infantium importuna.

Primo igitur quantum ad *infantium oblationem* dicit: *Afferebant*[1] *autem ad illum infantes, ut eos tangeret*. Glossa: « Post dictam controversiam et datam sententiam humili magistro offeruntur infantes, ut ostendatur, quod innocens et simplex aetas ad gratiam pertineat »; unde in Psalmo[2]: « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem ». Offerebant autem, ut eis daret benedictionem per manuum impositionem; in quo praefigurabatur et quodam modo insinuabatur Sacramentum confirmationis, in quo datur copia gratiae et benedictionis, secundum illud Actuum octavo[3]: « Imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum ». Hic autem Spiritus sanctus requiescit super parvulos, secundum illud Isaiae ultimo[4]: « Quae est domus, quam aedificabitis mihi? Et quis est iste locus requietionis meae »? « Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu et trementem sermones meos »? ubi dicit alia translatio: « Super quem requiescet Spiritus meus nisi super humilem et quietum »? Et hoc maxime verum est, quando Domino offertur; Psalmus[5]: « Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me ». Et ideo in figuram huius dicitur Levitici ultimo: « Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino ».

Increpatio offerentium.

28. Secundo quantum ad *offerentium increpationem* subdit: *Quod cum viderent discipuli, increpabant illos,* scilicet offerentes, et hoc, quia carnaliter afficiebantur circa Christum. Unde Glossa[6]: « *Increpabant,* non quod nollent, infantes manu et voce Salvatoris benedici, sed quia nondum perfecti in fide putabant, eum in similitudinem hominum lassari importunitate offerentium ». Unde propter quietem Magistri impediebant opus alienae salutis, sicut et Petrus Matthaei decimo sexto[7] Domino dicenti, quod oporteret, eum pati, dicebat: « Absit a te, Domine, non erit hoc ». (Aliter.) Vel, quia carnaliter afficiebantur circa populum suum; unde Glossa[8]: « *Increpabant,* hoc ideo fortasse, quia prius populum Iudaeorum, ex quo secundum carnem erant, volebant salvari ». Et ideo carnali misericordia movebantur, de quo Ecclesiastici decimo octavo: « Miseratio hominis circa proximum suum, misericordia autem Dei » etc. In hoc autem facto discipuli gerebant typum *carnalium sacerdotum et pontificum,* qui magis amant carnalem quietem et sanguinis proximitatem quam populorum salutem; sicut et in contentione eorum, scilicet discipulorum, quam habuerunt, figuram gerunt *ambitiosorum,* de qua infra vigesimo secundo[9]: « Facta est contentio inter discipulos, quis eorum videretur esse maior ». (Notandum.) Et haec duo vitia sunt, quae maxime Ecclesiam Dei corrumpunt, scilicet *ambitio* dignitatum et *negligentia* salutis proximorum. Pro utroque istorum dicitur Ieremiae quadragesimo octavo[10]: « Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter, et maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine »; alia translatio habet *negligenter;* in quo simul fraudulenta ambitio et desidiosa negligentia reprobatur.

Benigna susceptio oblatorum.

29. (Vers. 16.). Tertio quantum ad *benignam oblatorum susceptionem* additur: *Iesus autem, convocans illos, dixit: Sinite pueros venire ad me et nolite vetare eos*[11], quos scilicet magis debetis attrahere et vocare; unde Proverbiorum nono: « Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem et ad moenia civitatis: Si quis est parvulus veniat ad me ». Hos ergo non debebant vetare, sed vocare; Proverbiorum tertio[12]: « Noli prohibere benefacere eum qui potest; si potes, et ipse benefac ». Unde Chrysostomus[13]: « Si sancti futuri sunt, quid vetatis, filios ad patrem venire? Si peccatores futuri sunt, quid sententiam damnationis profertis, antequam culpam videatis? Quales modo sunt, meum est; quales vero futuri sunt, ipsorum est; quod meum est honorate, quod ipsorum erit miseremini ». — (Notandum.) Ex quo manifeste apparet, quod pueri non sunt prohibendi, ne accedant ad Christum. In cuius etiam signum, ut ipse se praeberet pueris in exemplum, dicitur de ipso supra secundo[14], quod « cum factus esset annorum duodecim, relictis parentibus, remansit in Ierusalem ». In cuius etiam signum infantium puerorum acceptavit martyrium, de quo Matthaei secundo[15]: « Mittens Herodes, interfecit omnes pueros, qui erant in

---

[1] Codd. A C D G *Offerebant.* — Glossa seq. est *ordinaria* (secundum August., Serm. 115. alias 36. de Verbis Domini, c. 4. n. 4. et Bedam) in Luc. 18, 15.

[2] Psalm. 8, 3. — Card. Hugo ait, puerorum Domino oblatorum « creditur Martialis unus fuisse »; cfr. supra pag. 244, nota 2.

[3] Vers. 17. Cfr. IV. Sent. d. 7. a. 1. q. 1. ad 1. et Breviloq. p. VI. c. 4.

[4] Vers. 1. et 2; cfr. supra pag. 256, nota 3, in qua de diversis translationibus huius loci.

[5] Psalm. 26, 10. et deinde Lev. 27, 28.

[6] Scilicet *ordinaria* (ex Beda; cfr. Ambros., VIII. in Luc. c. 18. n. 60.).

[7] Vers. 22, in cuius fine Vat. cum Vulgata *non erit tibi hoc.*

[8] Scilicet *ordinaria* (ex Ambros., VIII. in Luc. c. 18. n. 60.). — Subinde allegatur Eccli. 18, 12.

[9] Vers. 24; cfr. supra 9, 46.

[10] Vers. 10. Alia translatio est Septuaginta: Maledictus, qui facit opera Domini *negligenter* etc.

[11] Retinuimus cum Vat. *et nolite vetare eos,* quod codd. omittunt; H haec verba transponit aliquanto inferius post *sed vocare,* legens *unde subditur: Et nolite eos vetare.* — Subinde allegantur Prov. 9, 3. et 4.

[12] Vers. 27, ubi pro *si potes* (cfr. supra c. 9. n. 91.) A C D *sed si potes,* Vulgata *si vales.* — Glossa *interlinearis* (ex Ambros., VIII. in Luc. c. 18. n. 60.): *Sinite, pueros* etc., respuenda est vestrae servitutis officiosa sedulitas, ubi Divinitatis est iniuria.

[13] Homil. 32. in Matth. 19, 14. (Op. imperfect.); in fine pro *miseremini* (ita Vat. cum textu originali) C D G H et Card. Hugo *miserebimini.*

[14] Vers. 42. et 43.

[15] Vers. 16. et deinde 21, 15. seq. — Inferius pro *puerorum praeconium laudativum* (ita B) C D *puerorum praedictorum laudationem,* H *puerorum laudationem in templo,* Vat. *puerorum praeconium laudantium.*

Bethlehem a bimatu et infra ». In cuius etiam signum acceptavit puerorum praeconium laudativum; Matthaei vigesimo primo: « Videntes principes sacerdotum mirabilia, quae faciebat, et pueros clamantes in templo et dicentes: Hosanna filio David! indignati sunt. Et dixerunt ei: Audis, quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Non legistis, quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem ». Licet igitur pueri occidantur ab Herode, repellantur a Pharisaeis, suscipiendi sunt a discipulis, quia suscipiuntur a Christo et a Deo; unde Psalmus [1]: « Laudate, pueri, Dominum ».

Iudicialis approbatio humilium.

30. Quarto quantum ad *iudicialem humilium approbationem* [2] subiungitur: *Talium est enim regnum Dei,* id est pueris similium. — Et nota, quod pueri habent aliqua in se, in quibus assimilantur eis *mali,* et aliqua, in quibus assimilantur eis *boni.* Propter quod primae ad Corinthios decimo quarto [3]: « Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote ». — Habent namque pueri *stoliditatem in ratione;* Proverbiorum vigesimo secundo: « Stultitia colligata est in corde pueri »; Sapientiae duodecimo: « Tanquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti ». — Habent *concupiscentiam in affectione;* Ecclesiastae decimo [4]: « Vae terrae! cuius rex puer est, et cuius principes mane comedunt »; et Proverbiorum vigesimo nono: « Puer, qui dimittitur voluntati suae, confundet matrem suam ». — Habent etiam *instabilitatem in operatione;* Isaiae quadragesimo [5]: « Deficient pueri et laborabunt, et iuvenes in infirmitate sua cadent »; et ad Ephesios quarto: « Non simus sicut parvuli fluctuantes » etc. Et ideo Isaiae sexagesimo quinto: « Puer centum annorum morietur, et peccator » etc.

Tres defectus puerorum.

Item, septem virtutes.

31. Habent praeter haec pueri *puritatem;* Danielis primo [6]: « Praecepit rex praeposito eunuchorum, ut introduceret et pueros, in quibus nulla esset macula »; ideo primi Regum vigesimo primo: « Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus? Et David: Equidem; fuerunt vasa puerorum sancta » etc. — Habent *simplicitatem;* Proverbiorum vigesimo [7]: « Ex studiis suis intelligitur puer, si recta et munda sint opera eius »; Osee undecimo: « Puer Israel, et dilexi eum », scilicet propter simplicitatem; et primi Paralipomenon ultimo: « Scio, Domine, quod probes corda et simplicitatem diligas ». — Habent *docilitatem;* Sapientiae octavo [8]: « Puer eram ingeniosus et sortitus sum animam bonam »; Proverbiorum vigesimo tertio: « Noli subtrahere a puero disciplinam; si enim percusseris eum virga, non morietur ». — Habent *amicabilitatem;* Iob vigesimo nono [9]: « Omnipotens erat mecum, et in circuitu meo pueri mei »; et supra undecimo: « Noli mihi molestus esse, quia pueri mei mecum sunt in cubili ». — Habent *tractabilitatem;* primi Regum secundo [10]: « Samuel ministrabat ante Dominum, puer accinctus ephod lineo »; et de Ioseph Genesis trigesimo septimo: « Ioseph pascebat gregem cum fratribus suis, adhuc puer ». — Habent *veracitatem;* Danielis decimo tertio [11]: « Suscitavit Dominus spiritum sanctum pueri iunioris, et ait: Mundus ego sum a sanguine huius »; Ieremiae primo: « Nescio loqui, quia puer ego sum. Et dixit: Noli dicere, quia puer sis »; et supra primo: « Tu puer, Propheta » etc. — Habent etiam *humilitatem;* Marci septimo [12]: « Catelli comedunt sub mensa de micis puerorum »; et ratione huius maxime Deo placent, et hic introducuntur in exemplum; et Matthaei decimo octavo: « Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo me suscipit »; quia « excelsus Dominus et humilia respicit ». Ideo Matthaei duodecimo: « Ecce, puer meus electus, quem elegi » etc. — Talium igitur, id est habentium *puritatem* in carne, *simplicitatem* in intentione, *docilitatem* in cognitione [13], *amicabilitatem* in affectione, *tractabilitatem* in operatione, *veracitatem* in sermone et *humilitatem* in conversatione, est regnum caelorum. Et ratione huius *humilitatis* vocatur Abraham *puer* in Scriptura; Psalmus [14]: « Memor fuit testamenti sui, quod habuit ad Abraham, puerum suum »; et supra primo similiter Israel vocat puerum: « Suscepit Israel, puerum suum ». Christus autem *puer* dicitur Ecclesiastae quarto: « Melior est puer pauper et sapiens rege sene et stulto » etc. Et ratione *omnium praedictorum* et maxime ratione *humilitatis* dicitur: *Talium est regnum caelorum.* Propter quod supra primo [15]: « Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles »; et Iob vigesimo secundo: « Qui humiliatus fuerit erit in gloria; et qui inclinaverit oculos suos, ipse salvabitur ».

Notandum.

---

[1] Psalm. 112, 1.

[2] Codd. C D *acceptationem,* H legit *sequitur iudicialis humilium acceptatio et approbatio.* Subinde pro *regnum Dei* C D *regnum caelorum.*

[3] Vers. 20. — Duo seqq. loci sunt Prov. 22, 15. et Sap. 12, 25.

[4] Vers. 16, post quem Prov. 29, 15.

[5] Vers. 30. — Sequuntur Eph. 4, 14. et Isai. 65, 20.

[6] Vers. 3. seq.; deinde I. Reg. 21, 4. et 5.

[7] Vers. 11. — Duo seqq. loci sunt Osee 11, 1. et I. Paralip. 29, 17.

[8] Vers. 19, cui subnectitur Prov. 23, 13.

[9] Vers. 5, post quem Luc. 11, 7.

[10] Vers. 18. et deinde Gen. 37, 2.

[11] Vers. 45. et 46. — Duo seqq. loci sunt Ier. 1, 6. seq. et Luc. 1, 76.

[12] Vers. 28. — Subinde allegantur Matth. 18, 5. (pro *unum parvulum talem* A D *puerum illum,* C *puerum unum,* G *puerum istum)* Ps. 137, 6. et Matth. 12, 18. (cfr. Isai. 42, 1.). — Inferius pro *et hic introducuntur* D *et hoc introducitur* (ita etiam C primitus, sed postea pro *hoc* positum est *ob hoc).*

[13] Codd. A C D *in cogitatione.*

[14] Psal. 104, 42, ubi pro *testamenti sui* Vat. cum Vulgata *verbi sancti sui.* — Sequitur Luc. 1, 54, qui a Vat. omittitur, pro quo codd. perperam allegant v. 73: *Iusiurandum, quod iuravit ad Abraham, puerum suum* (Vulgata *patrem nostrum).* Subinde allegatur Eccle. 4, 13.

[15] Vers. 52, post quem Iob 22, 29.

Severa reprobatio superborum.

32. (Vers. 17.). Quinto quantum ad *severam superborum reprobationem* subinfertur: *Amen dico vobis: Quicumque non acceperit regnum Dei ut*[1] *puer, non intrabit in illud;* quasi dicat: qui recusat humiliari propter superbiam cordis sui, non introibit in illud regnum per sententiam veritatis Dei. Unde Matthaei decimo octavo[2]: « Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non introibitis in regnum caelorum ». Nam oportet, eum qui vult intrare in regnum, esse sicut puerum, id est purum et parvum. *Regnum* autem *caelorum* dicitur *sacra doctrina*, ad quam qui vult venire, oportet, quod semetipsum faciat sicut puerum. Unde Glossa[3]: « *Regnum caelorum*, id est doctrinam Evangelii, sicut puer iubemur accipere. Puer in discendo non contradicit doctoribus, non rationes et verba ad resistendum componit, sed fideliter suscipit, obtemperat et quiescit ». Ideo dicitur Matthaei undecimo[4]: « Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis »; et Danielis primo: « Pueris autem his dedit Deus scientiam et disciplinam in omni libro » etc.

Regnum caelorum est sacra doctrina.

33. *Regnum* etiam *caelorum* dicitur *gratia*, de qua supra decimo septimo[5]: « Regnum Dei intra vos est ». Et hoc non datur nisi pueris per munditiam et humilitatem; Iacobi quarto: « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam ». — *Regnum caelorum* nihilominus dicitur *gloria aeterna;* Matthaei decimo tertio[6]: « Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum ». Et hoc non datur nisi *parvulis*, secundum illud Matthaei quinto: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum »; et etiam *pueris*, qui sunt puri; Matthaei quinto: « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt ». Unde Glossa[7]: « Sicut puer non perseverat in ira, laesus non meminit, non concupiscit mulierem, non cogitat vel loquitur malum; sic vos, nisi talem innocentiam et puritatem habueritis, non intrabitis in regnum caelorum ». Qui ergo recusat parvitatem humilitatis et puritatem sanctitatis, ille despicit vitae aeternae meritum; et ideo necesse est reprobari per divinum iudicium, ut non intret in regnum caelorum, sed foras pellatur procul; Apocalypsis ultimo[8]: « Foris canes et venefici et impudici et idolis servientes ». Propter quod in Psalmo: « Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suae »; ideo Iudith nono[9]: « Superbi non tibi placuerunt ab initio, sed humilium tibi semper et mansuetorum placuit deprecatio ». Qui igitur non vult damnari necessarium habet humiliari; ideo Ecclesiastici septimo: « Humilia valde spiritum tuum; quoniam vindicta carnis impii, ignis et vermis ».

Item, est gratia.

Item, gloria.

Notandum.

**Secundo curiositas in possidendo confutatur dupliciter.**

34. *Et interrogavit eum quidam* etc. Post confutationem curiositatis in perscrutando sequitur hic secunda pars huius partis[10], in qua fit *confutatio curiositatis in possidendo;* et hoc quidem facit dupliciter, primo scilicet *commendando paupertatem*, secundo *approbando liberalitatem*, infra decimo nono[11]: *Et ingressus perambulabat Iericho.* Divisio.

**Primo, commendando paupertatem quadrupliciter.**

*Paupertatem* autem *ostendit commendabilem et approbabilem* ex quatuor: primo, ratione *perfectionis in merito suo;* secundo, ratione *imperfectionis in contrario*, ibi[12]: *His auditis, contristatus est;* tertio, ratione *consummationis in praemio*, ibi: *Ait autem Petrus: Ecce* etc.; quarto, ratione *dignationis Christi in exemplo*, ibi: *Assumsit autem Iesus duodecim discipulos.* Subdivisio.

In explicando autem *meritum perfectae paupertatis* quatuor introducuntur, scilicet *interrogatio*, qua quaeritur, quid agendum; *responsio*, qua ostenditur, quo tendendum; *informatio*, qua declaratur iter salutiferum; *exhortatio*, qua suadetur iter perfectum. Paupertas commendatur ratione meriti per quatuor.

35. (Vers. 18.). Primo igitur quantum ad *interrogationem*, qua quaeritur, *quid agendum*, dicit: *Et interrogavit eum quidam princeps.* — Hic videtur, quod Ambrosius et Beda sibi contradicant. Ambrosius enim dicit, quod iste interrogavit Iesum interrogatione *tentativa et curiosa;* et hoc colligitur tum ex hoc, quod Dominus ipsum reprehendit, tum ex hoc, quod ipse Domini consilium non acceptavit. Unde Ambrosius in Glossa[13]: « Versuta fuit interrogatio, et ideo arguta responsio ». Beda autem dicit, quod Primum. Quaestio incidens.

---

[1] Vat. cum Vulgata *sicut;* cfr. B. Albert. et Gorranus. In hac propositione C D omittunt *vobis*, et substituunt cum G *receperit* pro *acceperit;* G in fine legit *puer iste, non intrabit illud.*

[2] Vers. 3. — De etymologia nominis *puer* cfr. supra pag. 283, nota 7.

[3] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 18, 17: *Regnum Dei*, id est etc. Cfr. supra pag. 346, nota 4.

[4] Vers. 25, post quem Dan. 1, 17.

[5] Vers. 21. Cfr. supra c. 9. n. 3; c. 11. n. 46. et c. 12. n. 44. seq., ubi etiam de tertia acceptione *regni caelorum*. — Sequitur Iac. 4, 6.

[6] Vers. 43. — Duo seqq. loci sunt Matth. 5, 3. et 8.

[7] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 18, 16.

[8] Vers. 15, post quem Ps. 32, 16.

[9] Vers. 16. — Subinde allegatur Eccli. 7, 19.

[10] Cfr. supra c. 17. n. 35.

[11] Vers. 1. — Pro *liberalitatem* Vat. *libertatem*.

[12] Vers. 23: *His ille auditis* (ita Vat. cum Vulgata; idem recurrit infra n. 42.); tertium habetur v. 28. et quartum v. 31, ubi Vat. cum Vulgata omittit *discipulos* (quod etiam codd. infra n. 52. [excepto H] et 53. omittunt).

[13] Scilicet *ordinaria* (ex Ambros., VIII. In Luc. c. 18. n. 65.) in Luc. 18, 19. Glossa *interlinearis* (ex Hieron., III. Comment. in Matth. 19, 16.) in Luc. 18, 18: Hic dives et superbus, non voto discentis, sed tentantis interrogat.

interrogavit interrogatione *fideli et studiosa;* quod elicit ex hoc, quod maxime dicitur Dominus Iesus eum dilexisse; unde Beda in Glossa [1]: « Non putandus est iste, ut quidam aiunt, vel Deum tentasse, vel de sua vita mentitum esse; alioquin, ut Marcus ait, intuitus arcana cordis eius, diligere eum non diceretur Iesus ». — Sed hoc solvitur per quoddam verbum Ioannis Chrysostomi [2]: « Iste, inquit, dives et tentator et superbus erat, sed Iesus oculis misericordiae intuitus est eum ». Et ita non dilexit in eo quod prius erat per superbiam, sed quod coepit esse per gratiam.

Solutio.

36. Qualicumque autem intentione hoc fecerit, utilem fecit interrogationem; et ideo subdit: *Dicens: Magister bone, quid faciens vitam aeternam possidebo?* Haec est recta et utilis interrogatio, secundum illud Ieremiae sexto [3]: « State super vias vestras et videte et interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, et ambulate in ea »; et hoc consilio Domini, Matthaei sexto: « Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius », per quam acquiritur regnum; et Tobiae quarto: « Consilium semper a sapiente perquire »; et maxime consilium salutare semper perquirendum est ab uno sapientissimo Christo et summo magistro. Et ideo vocat eum *magistrum,* a quo tanquam a peritissimo petit consilium sanum, secundum illud Ecclesiastici sexto [4]: « Multi pacifici sint tibi, consiliarius vero unus ex mille ». Et hic Christus est, de quo Canticorum quinto: « Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus »; et Ecclesiastae septimo: « Virum de mille unum reperi ». Ab isto igitur, qui solus est *magister,* secundum illud Matthaei vigesimo tertio [5]: « Unus est magister vester, Christus », qui solus est *sapientia;* primae ad Corinthios primo: « Christum dicimus Dei virtutem et Dei sapientiam », qui solus est verus *consiliarius,* secundum illud Isaiae nono: « Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius » etc.; hoc consilium et documentum est requirendum, secundum illud Isaiae quadragesimo octavo [6]: « Ego Dominus docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas ».

Interrogatio utilis.

Christus verus consiliarius.

37. (Vers. 19.). Secundo quantum ad *responsionem,* qua ostenditur, *quo tendendum,* subditur: *Dixit autem*[7] *Iesus: Quid me dicis bonum?* quod non dicit arguendo eum tanquam mendacem, sed quia, vocans eum *bonum,* intentionem figebat in humanitate. Unde Augustinus de Trinitate [8]: « Vocas me, secundum illud quod vides, *magistrum bonum;* huius formae visio non erit in bonum his qui male agunt »; quasi dicat: bonitas, ad quam tendere debes, non est in me secundum quod homo, sed secundum quod Deus. — Et ideo addit: *Nemo bonus nisi solus Deus;* quod non intelligit de bonitate per *participationem,* quae omnibus communicatur a Deo, secundum illud Genesis primo [9]: « Vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona »; sed de bonitate per *essentiam,* quae facit beatos et bonos, secundum illud Exodi trigesimo tertio: « Ego ostendam tibi omne bonum »; et hoc solum est desiderandum, secundum illud Proverbiorum undecimo: « Desiderium iustorum omne bonum ». Hoc bonum quaerendum est sicut finis omnis boni; unde Matthaei decimo nono [10]: « Quid me interrogas de bono? Nemo bonus » etc., id est, bonum finale in solo Deo est, qui est finis omnium, quia « bonum et finis idem ». Et ipse dicit Apocalypsis primo [11]: « Ego sum alpha et omega, principium et finis »; et ideo Nahum primo: « Bonus Dominus et confortans in die tribulationis et sciens sperantes in se ». Ab hoc bono manat in nos bonitas per Spiritum sanctum; Sapientiae duodecimo [12]: « O quam bonus et suavis est, Domine, Spiritus tuus in nobis »; et Psalmus: « Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde ». Haec autem bonitas nostra, ad divinam bonitatem comparata, non est bonitas; unde Iob quarto [13]: « Nunquid

Secundum.

Notandum de bonitate.

---

[1] Nempe *ordinaria* (ex Beda, V. in Luc. 18, 21.) in Luc. 18, 18. In ipsa allegatur Marc. 10, 21: Iesus autem, intuitus eum, dilexit eum etc. Cfr. Hieron., III. Comment. in Matth. 19, 18. seq., ubi docet, « adolescentem istum tentatorem esse », et in v. 20. ait: Mentitur adolescens. Si enim hoc, quod positum est in mandatis: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum,* opere complesset, quomodo postea audiens: *Vade et vende quae habes et da pauperibus,* tristis recessit, quia habebat *possessiones multas?*

[2] Homil. 63. (alias 64.) in Matth. n. 1: Quidam hunc iuvenem ut fraudulentum et improbum criminantur, ut qui tentandi causa Iesum adierit; ego vero illum avarum et pecuniarum amantem dicere non dubitem, quando Christus talem illum esse demonstravit; fraudulentum vero nequaquam, quandoquidem non tutum est de occultis audacter iudicare, cum maxime de quopiam accusando agitur, atque etiam quod Marcus illam suspicionem removerit; nam ait [10, 17. et 21.]: *Accurrens et genuflectens rogabat eum,* et: *Respiciens Iesus dilexit eum.* — Card. Hugo et B. Albert. aliam addunt solutionem, scil. quod forte fuerint diversi, de quo hic et de quo in Marco mentio fit. — Inferius pro *Et ita* Vat. *Et infra.*

[3] Vers. 16. — Duo seqq. loci sunt Matth. 6, 33. et Tob. 4, 19.

[4] Vers. 6. (pro *Multi* C D *Mille)* et deinde Cant. 5, 10. et Eccle. 7, 29.

[5] Vers. 10, post quem I. Cor. 1, 24. et Isai. 9, 6.

[6] Vers. 17, ubi pro *qua* C D G *in qua.*

[7] Cod. H cum Vulgata addit *ei.*

[8] Libr. I. c. 13. n. 31. Codd. A C D H allegant *de Civitate Dei* (?). — Inferius pro *tendere* D (in margine) *attendere.*

[9] Vers. 31. — Duo seqq. loci sunt Exod. 33, 19. et Prov. 11, 23. (quem Vat. omittit). Glossa *interlinearis* in Marc. 10, 18: *Nemo bonus* etc., qui solus bonus ex se, alii per ipsum boni.

[10] Vers. 17, in cuius fine Vat. cum Vulgata *Unus est bonus Deus;* cfr. Marc. 10, 18. — De sententia Aristot.: « Bonum et finis idem », cfr. tom. I. pag. 769, nota 1. et tom. II. pag. 808, nota 5. Codd. C D primitus legebant *quia bonum et finis rerum, ipse dicit Apoc. 1;* secunda manus in C post *rerum* addidit *idem,* in D vero secunda manus post *rerum* quaedam addens grammaticalem constructionem mutavit *est ipse, qui dicit Apoc. 1.*

[11] Vers. 8. et Nahum 1, 7.

[12] Vers. 1, post quem Ps. 72, 1.

[13] Vers. 17. Glossa in hunc loc. est *ordinaria* (ex Gregor., V. Moral. c. 37. n. 67.).

homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit »? Ibi Glossa: « Humana iustitia, divinae comparata, iniustitia est ». Et ideo Iob vigesimo quinto [1]: « Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo »? quasi dicat: non; Ecclesiastici decimo octavo: « Deus solus iustificabitur et manet invictus rex in aeternum ». Christus igitur, responsurus quaestioni utili ad salutem totius mundi, tanquam magister morum et moralis totius philosophiae incepit a summo bono per essentiam, a quo et secundum quod et ad quod ordinari debet omne bonum; alioquin desinit esse bonum [2].

Notandum.

38. (Vers. 20.). Tertio quantum ad *informationem*, qua declaratur *iter salutiferum*, subdit: *Mandata nosti;* quod expressius Matthaei decimo nono [3]: « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata ». Explicat autem ea, cum subinfert: *Non occides,* per iracundiam; primae Ioannis tertio: « Qui odit fratrem suum homicida est »; et ideo Matthaei quinto: « Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides ». « Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio ». *Non moechaberis,* per lasciviam, quia Deuteronomii vigesimo septimo [4]: « Maledictus omnis, qui dormit cum uxore proximi sui »; et Matthaei quinto: « Audistis, quia dictum est antiquis: Non moechaberis. Ego autem dico vobis, quod omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est in corde suo ». *Non furtum facies,* per avaritiam; ad Ephesios quarto [5]: « Qui furabatur iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis » etc. *Non falsum testimonium dices,* per fraudulentiam; Proverbiorum decimo nono [6]: « Falsus testis non erit impunitus, et qui loquitur mendacia peribit ». *Honora patrem tuum et matrem,* scilicet per beneficentiam; Ecclesiastici tertio: « Qui honorat patrem suum iucundabitur in filiis. Et qui honorat matrem suam vita vivet longiore; et qui obedit patri refrigerabit matrem ». Unde Ambrosius [7]: « Primus gradus pietatis est iste; nam hos auctores tibi voluit esse Deus. Honora obsequiis et abstineas a contumeliis; quia nec vultu quidem laedenda pietas est parentum »; ideo Ecclesiastici tertio [8]: « Qui timet Dominum honorat parentes et quasi dominis serviet his qui se genuerunt ».

Tertium. Contra iracundiam. Contra lasciviam. Contra avaritiam. Contra fraudulentiam. Pro benevolentia.

39. Attende autem hic, quod Dominus enumerat hic praecepta *ordinate* et *sufficienter: ordinate* quidem, quia prius est declinare a malo quam facere bonum [9]; et ideo prius ponit negativa quam affirmativa. *Sufficienter,* quia mandata primae tabulae non sunt de agendis, sed potius dirigunt in illud summum bonum [10] desiderandum; duo vero ultima de concupiscentia uxoris et rei alienae reducuntur ad prohibitionem moechiae et furti. Unde in hoc sufficienter docet declinare omnem *deordinationem* respectu proximi et quantum ad irascibilem et quantum ad concupiscibilem, et quantum ad operativam et quantum ad interpretativam; et docet etiam perfectam *beneficentiam* per ultimum mandatum. Et sic in his continentur duo praecepta legis naturalis, de quorum primo Tobiae quarto [11]: « Quod ab alio oderis tibi fieri vide, ne tu aliquando alteri facias »; de secundo Matthaei septimo: « Omnia, quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis ». In his etiam continetur sufficienter mandatum de dilectione proximi, de qua dicitur ad Romanos decimo tertio: « Qui diligit proximum legem implevit ».

Enumeratio ordinata et sufficiens.

40. (Vers. 21.). Et quoniam haec mandata non iustificant per simplicem notitiam, sed per experimentalem observantiam; ideo non quaerebat Dominus de notitia simplici, cum dicebat: *Mandata nosti,* sed de experimentali, quia, sicut dicitur ad Romanos secundo [12], « non auditores legis, sed factores legis iusti sunt apud Deum ». Ideo ad hoc respondet iste legisperitus sicut intelligens, cum sequitur: *Qui ait: Haec omnia custodivi a iuventute mea;* et hoc quidem secundum consilium Sapientis Proverbiorum tertio [13]: « Fili, ne obliviscaris legis meae, et praecepta mea cor tuum custodiat. Longitudinem enim dierum et annos vitae et pacem apponent tibi »; quia dicitur Ecclesiastae octavo: « Qui custodit praeceptum non experietur quidquam mali ».

Notandum.

41. (Vers. 22.). Quarto quantum ad *exhortationem*, qua suadetur *paupertatis iter perfectum,*

Quartum.

---

[1] Vers. 4. Cfr. tom. VI. pag. 53, nota 3. verba Gregorii. — Sequitur Eccli. 18, 1.

[2] Cfr. Aristot., I. Ethic. c. 2. et XII. Metaph. text. 52. (XI. c. 10.). — Superius pro *a summo bono* C D *a trino bono* (in D secunda manus *trino* delendum notavit).

[3] Vers. 17. — Duo seqq. loci sunt I. Ioan. 3, 15. et Matth. 5, 21. seq. — Inferius pro *Explicat autem ea* A C D *Explicat autem ei.*

[4] Vers. 20. (pro *proximi sui* Vulgata *patris sui;* cfr. Lev. 18, 20.) et deinde Matth. 5, 27. seq.

[5] Vers. 28. Codd. C D G omittunt *operando.*

[6] Vers. 5. — Subinde allegantur Eccli. 3, 6. et 7, ubi pro *matrem suam* Vat. cum Vulgata *patrem suum.*

[7] Libr. VIII. in Luc. c. 18. n. 74, ubi pro *et abstineas* (ita C D G; H cum Card. Hug. omittit *et)* Vat. cum textu originali *ut abstineas.*

[8] Vers. 8.

[9] Psalm. 36, 27: Declina a malo et fac bonum.

[10] Codd. C D H *illud trinum bonum;* cfr. III. Sent. d. 37. a. 2. q. 1; Breviloq. p. V. c. 9. et Collat. 1. de Decem Praecept. n. 22, ubi tria primae tabulae praecepta *tribus* personis Trinitatis appropriantur. Ibid. etiam inveniuntur quae respiciunt praecepta respectu proximi. — Superius post *sed potius* G addit *de his quae.*

[11] Vers. 16. — Duo seqq. loci sunt Matth. 7, 12. et Rom. 13, 8.

[12] Vers. 13. — Glossa *ordinaria* in Matth. 19, 17: *Serva mandata.* Iste quaesierat: *Quid faciam?* Contra non ait, Disce, quia Deus eum docuerat, factor rationalis creaturae; ostendens, quia ille non est bonus, qui quaerit de bono, sed qui facit quod bonum est.

[13] Vers. 1. seq. et deinde Eccle. 8, 5.

subditur: *Quo audito, Iesus ait illi*[1]: *Adhuc unum tibi deest;* Glossa: « Ad perfectionem ». Est autem perfectum, cui nihil deest; Iacobi primo: « Sitis per-

Notandom.

fecti et integri, in nullo deficientes »: Et hoc fit perfecte implendo voluntatem divinam, non solum faciendo praecepta et vitando prohibita, verum etiam implendo consilia, secundum illud ad Romanos duodecimo[2]: « Probetis, quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta »; et supra sexto: « Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius », id est

'erfectio per aupertatem.

Christus, qui nihil prorsus habuit. — Propter quod adiungit: *Omnia, quaecumque habes, vende et da pauperibus;* Glossa[3]: « Non partem », sicut fecit Ananias, de quo dicitur Actuum quinto, quod « fraudavit de pretio agri »; et hoc, quia « regnum caelorum, ut dicit Gregorius[4], tantum valet, quantum habes ». « Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro » etc. Et ne hoc grave videatur, adiungit: *Et habebis thesaurum in caelo;* Iob vigesimo secundo[5]: « Dabit pro terra silicem, et pro silice torrentes aureos »; et hi sunt in gloria aeterna, ubi sunt thesauri incorruptibiles; Matthaei sexto: « Thesaurizate vobis thesauros in caelo, ubi neque aerugo nec tinea demolitur, nec fures effodiunt nec

Et vitae ısperitatem.

furantur ». — Et « quia, ut dicit Glossa[6], non sufficit relinquere sua, nisi sequatur Dominum imitando »; ideo subdit: *Et veni, sequere*[7] *me,* per summam *vitae asperitatem;* secundum illud primae Petri secundo: « Christus passus est pro nobis, vobis

Et mendicitatem.

relinquens exemplum » etc. Per summam *rerum mendicitatem.* Nam discipulo volenti eum sequi ex cupiditate et dicenti: « Magister, sequar te, quocumque ieris », respondet: « Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet », Matthaei octavo[8].

Et cordis ıamilitatem.

Per summam *cordis humilitatem;* Ecclesiastici vigesimo tertio: « Gloria magna est sequi Dominum »; et Ioannis octavo: « Qui sequitur me non ambulat in tenebris ». Et de his supra nono[9]: « Qui vult venire post me abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me ». *Sequi* igitur *Christum* est se perfecte illi configurare, secundum illud Iob vigesimo tertio: « Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodivi nec declinavi ex ea » etc.

42. (Vers. 23.). *His auditis*[10], *contristatus est* etc. Postquam ostendit paupertatem commendabilem ratione perfectionis suae in merito, hic ostendit eam *commendabilem ratione imperfectionis in suo contrario*[11], quod quidem est tenacitas divitiarum. Circa quod quatuor introducuntur ab Evangelista, scilicet humanae tenacitatis *indicium, periculum, obstaculum* et *remedium,* quod est divinae gratiae donum.

Ratione imperfectionis in contrario paupertas commendatur per quatuor.

Primo igitur quantum ad *humanae tenacitatis indicium* dicitur: *His auditis, contristatus est, quia dives erat valde.* Quia enim abundabat divitiis, horruit penuriam paupertatis, et ideo de paupertatis laude et consilio tristis effectus fuit. Et haec est sequela cupiditatis et indicium tenacitatis, cum quis tristatur pro horrore paupertatis; Ecclesiastici decimo quarto[12]: « Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis; non satiabitur, donec consumat arefaciens animam suam ». « Et non satiabitur pane indigens et in tristitia erit super mensam suam ». Haec autem tristitia mala est, quia est tristitia saeculi, de qua secundae ad Corinthios septimo[13]: « Saeculi tristitia mortem operatur ». Nam dicitur Ecclesiastici trigesimo octavo: « A tristitia festinat mors et cooperit virtutem, et tristitia cordis flectit cervicem ». Qui igitur hanc tristitiam vult fugere, oportet, eum odire cupiditatem divitiarum, quae pungunt ad modum spinarum, sicut insinuatur Matthaei decimo tertio[14]. Nam de divite dicitur Iob decimo quinto: « Sonitus terroris semper in auribus, et cum pax sit, ille insidias suspicatur ». His autem contrarii sunt viri

Tenacitatis indicium.

---

[1] Cod. H et Vat. cum Vulgata *ei.* — Glossa seq. est *interlinearis*, post quam allegatur Iac. 1, 4. — Definitionem *perfecti*, i. e. cui nihil deest, insinuat Aristot., III. Phys. text. 63. seq. (c. 6.): Cuius autem nihil est extra, id est perfectum et totum; sic enim definimus totum, cuius nihil abest... Totum autem et perfectum aut idem penitus, aut proxima natura sunt. Cfr. V. Metaph. text. 21. et 31. (IV. c. 16. et 26.). Vide tom. II. pag. 697, notam 3. et tom. III. pag. 95, notam 10.

[2] Vers. 2. post quem Luc. 6, 40, ubi pro *si sit* A C *qui sit.*

[3] Scilicet *interlinearis* (ex Beda, qui sequitur Hieron., III. Comment. in Matth. 19, 21.) et plenius in Marc. 10, 21: *Quaecumque habes, vende,* omnia omnino, non partem, sicut Ananias. — Sequitur Act. 5, 3.

[4] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 5. n. 2. Pro *Gregorius* (G omittit *ut dicit Gregorius*) Vat. *Augustinus,* pro quo ipsa allegat Enarrat. in Ps. 102. n. 12; cfr. etiam Enarrat. in Ps. 49. n. 13. — Sequitur Matth. 13. 44, cui Vat. cum G praemittit Luc. 14, 33: *Qui non renuntiat* etc.

[5] Vers. 24. et deinde Matth. 6, 20.

[6] Scilicet *interlinearis* (ex Beda, qui sequitur Hieron., III. Comment. in Matth. 19, 21.) in Marc. 10, 21: *Et,* quia hoc [vendere sua etc.] solum non sufficit, *veni, sequere me,* imitando, sicut ego ambulo, ambulando [cfr. I. Ioan. 2, 6.].

[7] Plures codd., ut A C D, *et sequere.* — Subinde allegatur I. Petr. 2. 21.

[8] Vers. 19. et 20. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 23, 38. et Ioan. 8, 12. — Superius pro *respondet* C D H *respondit.*

[9] Vers. 23. — Sequitur Iob 23, 11.

[10] Cfr. supra pag. 460, nota 12.

[11] Vide supra n. 34. — Inferius pro *Circa quod* C H *Circa quam.*

[12] Vers. 9. et 10. Pro *in parte* C D et Card. Hugo *in partem,* et subinde *donec consummat iniustitiam* (Card. Hugo legit: *donec consummet iniustitiam);* voci *indigens* Vulgata praefigit *sed.* — Superius pro *Et haec est* H *Et hoc est.*

[13] Vers. 10, post quem Eccli. 38, 19.

[14] Vers. 22. et deinde Iob 15, 21, in quo post *in auribus* Vulgata addit *illius,* C D *suis est,* qui etiam subinde omittunt *ille* (Vulgata legit *ille semper).* — Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Contristatus est,* haec est tristitia, quae mortem operatur [cfr. II. Cor. 7, 10.]; hae sunt spinae et tribuli, quae semen Dei suffocaverunt [cfr. Matth. 13, 7. et 22.], *quia dives erat valde,* possidens cum amore. Cfr. Hieron., III. Comment. in Matth. 19, 22. seq. — Superius post *pungunt* B addit *mentem.*

iusti et perfecti Christiani, ad quos dicitur ad Hebraeos decimo[1]: « Rapinas bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes, vos meliorem et manentem habere substantiam ».

Tenacitatis periculum.

43. (Vers. 24.). Secundo quantum ad *humanae tenacitatis periculum* subditur: *Videns autem illum Iesus tristem factum*, propter affectum pusillanimitatis; quocontra Ecclesiastici septimo[2]: « Noli esse pusillanimis in animo tuo. Exorare et facere eleemosynam ne despicias ». — *Dixit: Quam difficile qui pecunias habent in regnum Dei intrabunt!* propter vitium tenacitatis; Glossa[3]: « *Qui pecunias habent*, id est, cum amore possident et in eis confidunt ». Unde Marci decimo dicitur expressius: « Quam difficile confidentes in divitiis in regnum Dei introibunt »! Et ratio huius est, quia qui temporalia hic amplectuntur tanquam magna contemnunt illa aeterna; unde Glossa[4]: « Qui divitiis multiplicandis incumbunt, alterius vitae gaudia contemnunt ». — Praeterea, qui haec temporalia diligunt multis tentationum iaculis exponuntur; primae ad Timotheum ultimo[5]: « Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et in laqueum diaboli et in desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt hominem » etc. — Alia ratio est, quia qui his affectu iunguntur haud facile separantur; unde et de talibus in Psalmo[6]: « Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster ». Unde Bernardus[7]: « Plus mundi concupiscentia quam substantia nocet. Et haec fugiendarum divitiarum causa praecipua est, quia aut vix aut nunquam absque amore valent possideri. Limosa enim et glutinosa est substantia mundi huius, et cor humanum facile omnibus, quae frequentat, adhaeret ». Et ideo Glossa[8]: « Difficulter divitiae contemnuntur; de omnibus ergo tutius est divitias nec habere nec amare ». In quo dat intelligere quatuor hominum differentias, quas exponit Beda[9], et habentur in Glossa super decimum Marci: « Multi habent et non amant; multi non habent et amant; alii habent et amant; alii vero nec habere nec amare se gaudent, qui tutiores sunt, quia cum Apostolo dicere possunt: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* », ad Galatas sexto.

(Margin: Ratio 1. — Ratio 2. — Ratio 3. — Notandum.)

Tenacitatis obstaculum.

44. (Vers. 25.). Tertio quantum ad *ipsius tenacitatis obstaculum* subiungit: *Facilius est enim, camelum per foramen acus transire*, licet sit contra naturam, *quam divitem intrare in regnum Dei*, quia hoc est contra divinam iustitiam. Hoc enim minus impossibile est, quod res magna pertranseat per parvam acum, quam quod anima cupida et avara intret in caelum, ubi est sufficientia bonorum; quia, sicut dicit Ecclesiastes quinto[10], « avarus non implebitur pecunia, et qui amat divitias fructum non capiet ex eis », immo certe interitum sempiternum, quia pondus divitiarum trahit deorsum; Ecclesiastae quinto: « Divitiae conservatae in malum domini sui. Pereunt in afflictione pessima ». Unde quantum distat caelum a terra, tantum distat cor avari, quod circa terrena conversum est, a regno Dei, quod est in caelo. Propter quod Isaiae quinquagesimo quinto[11]: « Sicut exaltantur caeli a terra, sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris ». Et attendendum, quod recta est comparatio avari *ad camelum*, quia camelus ingentibus membris est animal enorme[12], monstruosum et gibbosum; sic avarus, per amorem copulatus suis possessionibus, est quasi animal monstruosum. Aditus autem regni caelestis comparatur *foramini acus* propter arctitudinem et spiritualitatem; unde Matthaei septimo[13]: « Angusta est porta et arcta via, quae ducit ad vitam, et pauci intrant per illam ». Unde maior est impossibilitas ipsius avari ad aditum in regnum caelorum quam cameli ad transeundum foramen acus. Propter quod Bernardus[14]: « Per angustam contendamus ingredi portam, necesse est. Quid, tu camele, gibbum, quid, tu pecuniose, Iudae proditoris loculos tollis? Non sic, impie, non sic ingredieris; foramen acus huiusmodi sarcinas non admittit. Sed excusant se aliqui dicentes: Abraham, Isaac et Iacob ceterique Sancti nunquid non terrenas divitias habuisse leguntur[15]? Sufficit nobis; neque enim sumus patribus meliores ». — « Quid respondebimus

(Margin: Notandum. — Comparatio recta. — Excusatio refellitur.)

---

[1] Vers. 34. Vulgata *Rapinam*.

[2] Vers. 9. et 10.

[3] Scilicet *interlinearis* (secundum Bedam). — Sequitur Marc. 10, 24.

[4] Nempe *interlinearis* (ex Beda) in Luc. 18, 24.

[5] Vers. 9. Pro *hominem* Vat. cum Vulgata *homines*.

[6] Psalm. 43, 25. Theophylact. in Luc. 18, 24-30: Tenaciores enim visco adhaerent pecuniae, et difficile abstrahitur qui a talibus est comprehensus.

[7] Declamat. (cfr. supra pag. 228, nota 8.) II. n. 2. — Pro *Unde Bernardus* Vat. *Unde et haec*.

[8] Scilicet *interlinearis* (secundum Bedam) in Luc. 18, 24: *Quam difficile* etc., nec impossibile, sed difficile dixit, quia difficulter etc.

[9] Libr. V. in Luc. 18, 24. et III. in Marc. 10, 24, ex quo est etiam seq. Glossa *ordinaria*, in cuius fine allegatur Gal. 6, 14.

[10] Vers. 9. et deinde v. 12. seq., ubi pro *conservatae* A C D *congregatae*. — De diversis modis impossibilium cfr. I. Sent. d. 42. q. 3. in corp.

[11] Vers. 9.

[12] Beda, V. in Luc. 18, 25. nominat « camelum ingentibus membris enormem ».

[13] Vers. 14. Cfr. Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 18, 25. — Inferius pro *in regnum*, H *regni*, qui etiam cum A C D G omittit *caelorum*, et pro *transeundum* (ita G) A C D H *intrandum*.

[14] Declamat. (cfr. supra pag. 228, nota 8.) V. n. 5. et VI. n. 6. — Ioan. 12, 6. de Iuda dicitur, « quia fur erat et loculos habens » etc.

[15] Gen. 13, 1. seqq. et 36, 7. Cfr. Hieron., III. Comment. in Matth. 19, 23. — Post *Sufficit nobis* textus originalis (et Card. Hugo) addit *esse, sicut illi fuerunt*, qui etiam post *meliores* plura subiungit.

novis imitatoribus Sanctorum veterum? Imponant vitulos super altare Domini, mactent arietes, hircos immolent, quia etiam hoc Abraham fecit[1]. Sicut autem sacrificiis illis, sic et divitiis carnalibus adhuc populis dispensatio divina morem gerebat; ubi sane caelestis promissio sonuit, necesse est, spiritualia spiritualibus comparari[2], et mutari sacrificium, spe mutata ».

Tenacitatis remedium.

45. (Vers. 26.). Quarto quantum ad *ipsius tenacitatis remedium* per divinum adiutorium subdit: *Et dixerunt qui*[3] *audiebant: Et quis potest salvus fieri?* Quod dicunt quaerentes remedium et horrentes periculum. Cum enim paucissimi sint, qui divitias perfecte contemnant; videtur ex hoc, quod quasi nullus possit adipisci salutem perpetuam. Unde Augustinus[4]: « Cum plures sint pauperes quam divites, non hoc dixissent Apostoli, nisi in numero *divitum* intellexissent cunctos, qui divitias adipisci volunt »; pauci autem sunt, qui non sunt tales, quia, sicut dicitur ad Philippenses secundo, « omnes quae sua sunt quaerunt, non quae sunt Iesu Christi ». Omnes igitur in periculo damnationis esse videntur.

Per gratiae donum.

46. (Vers. 27.). Ideo Dominus ostendit remedium per suae gratiae donum, cum subdit: *Ait*[5] *illis: Quae impossibilia sunt apud homines*, per virtutem virium suarum, *possibilia sunt apud Deum*, id est, possibilia fiunt per eius adiutorium; quod dicit, quia, etsi difficile sit haec temporalia contemnere per vim naturae, efficitur tamen facile per donum gratiae, secundum illud Canticorum ultimo[6]: « Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam ». Unde non est intelligendum, quod Dominus cupidum manentem cupidum introducat per potentiam in caelum, sed quod per gratiae donum convertit ipsum de vitio ad virtutem. Unde Glossa[7]: « Deus ab amore terrenorum ad caritatem aeternorum convertit, non quod superbi et cupidi intrent ». Et hoc est magnae potentiae, quod tanta fiat mutatio, ut de cupido fiat caritativus, de terreno caelestis, de divite pauper, de superbo humilis, de filio perditionis filius regis, ut possit dici illud Psalmi[8]: « Haec mutatio dexterae Excelsi »; quia ipse est, qui potest dare sufficientiam cordis per gratiam, quae non potest dari per pecuniam, vel aliquam creaturam, secundum illud secundae ad Corinthios nono[9]: « Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes » etc., quia, sicut dicitur supra primo, « non erit impossibile apud Deum omne verbum ».

Notandum.

Ratione consummationis in praemio paupertas commendatur quadrupliciter.

47. (Vers. 28.). *Ait autem Petrus.* Postquam commendavit paupertatem per perfectionem in merito et per imperfectionem in contrario, hic tertio[10] *commendabilem eam ostendit propter consummationem in praemio.* Circa cuius descriptionem proceditur hoc ordine. Introducitur enim hic perfectae paupertatis altitudo ut *authenticata* per apostolicam observantiam, ut *approbata* per divinam sententiam, ut *locupletata* per gratiam, ut *praemiata* per gloriam.

Primo, ut authenticata per apostolicam observantiam.

Primo igitur quantum ad paupertatis *authenticationem per apostolicam observantiam* dicit: *Ait autem Petrus: Ecce, nos dimisimus*[11] *omnia et secuti sumus te.* Hoc dicit Petrus tanquam princeps Apostolorum, super quem ecclesiastica perfectio est superaedificata, secundum illud Matthaei decimo sexto: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam ». Dicit autem hoc non ad ostentationem, sed ad sciendam remunerationis sublimitatem; unde Matthaei decimo nono[12]: « Ecce, nos reliquimus omnia et secuti sumus te; quid ergo erit nobis » etc. Hoc etiam dicit Petrus, ut ostendat paupertatis consilium per Apostolos adimpletum; unde Hieronymus[13]: « Grandis fiducia: Petrus piscator erat, dives non fuerat, cibos manu et arte quaerebat; et tamen confidenter loquitur dicens: *Dimisimus omnia* ». Et rationem huius reddit Gregorius dicens sic[14]: « Tanta quippe a sequentibus dimissa sunt, quanta a non sequentibus concupisci potuerunt ». Quoniam ergo omnia poterant concupisci; cum concupiscentiam dimiserunt, omnia dimiserunt. Hoc etiam dicit Petrus, non iactanter ad ostentationem, sed sapienter, ut alios invitet ad imitationem. Unde Bernardus[15] super hoc verbum: *ecce, nos reliquimus omnia*: « Bene, Petre, et non ad insipientiam tibi, quia *mundus transit et concupiscentia eius*, et relinquere magis expedit quam relinqui ».

---

[1] Cfr. Gen. 22, 13. — Textus originalis hic plura addit.

[2] Epist. I. Cor. 2, 13: Spiritualibus spiritualia comparantes. — Superius post *divina morem* (Vat. *Dei timorem*) *gerebat* in textu originali plura subnectuntur.

[3] Codd. C D addunt *haec*; cfr. S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 18. n. 5.).

[4] Libr. 1. Qq. Evangelior. q. 26. et II. q. 47. Sententia exhibetur verbis Glossae *ordinariae* in Marc. 10, 26; idem insinuat Beda, in hunc loc.; III. in Matth. 19, 25. et V. in Luc. 18, 26. — Subinde allegatur Phil. 2, 21.

[5] Codd. A C D H *Et ait*; cfr. B. Albert. et Gorranus.

[6] Vers. 7. Cfr. Origen., Comment. in Matth. tom. 15. n. 20.

[7] Scilicet *interlinearis* (ex Beda, qui sequitur August., II. Qq. Evangelior. q. 47.): *Quae impossibilia sunt apud homines*, ut per se a suis cupiditatibus convertantur, *possibilia sunt apud Deum*, Deus ab amore etc.

[8] Psalm. 76, 11.

[9] Vers. 8. et deinde Luc. 1, 37.

[10] Cfr. supra n. 34. — Inferius pro *Introducitur enim* C D *Introducitur autem*, H. *Introducitur*.

[11] Codd. C D *reliquimus*; cfr. Matth. 19, 27. — Sequitur Matth. 16, 18. — Superius pro *authenticationem* (cfr. supra pag. 88, nota 12.) Vat. *auctoritatem*.

[12] Vers. 27. Glossa *interlinearis* in Luc. 18, 28: *Ecce, nos dimisimus omnia*, etiam voluntatem habendi, *et secuti sumus te*, quod perfectius est.

[13] Libr. III. Comment. in Matth. 19, 27; in fine pro *Dimisimus* textus originalis *Reliquimus*.

[14] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 5. n. 2.

[15] Declamat. (cfr. supra pag. 228, nota 8.) I. n. 2, super Matth. 19, 27: *Ecce, nos reliquimus* etc. Allegatur in hac sententia I. Ioan. 2, 17.

Notandum. 48. Et nota, quod optime hic duo coniungit: *reliquimus* et *te secuti sumus;* quia Christum currentem sequi non possumus, nisi post eum curramus; et currere non possumus, nisi exoneremur; unde ad Hebraeos duodecimo [1]: « Deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, curramus per patientiam ad propositum nobis certamen, aspicientes » etc. Et de hoc Bernardus [2]: « Bene, inquit, Petre, et non ad insipientiam tibi, quia currentem sequi non poteras oneratus; sed nec inutilis commutatio est pro eo quod super omnia est, omnia reliquisse ». Christum etiam, quem *sequimur,* non possumus *consequi,* nisi exoneremur; et frustra sequimur, nisi consequamur, secundum illud ad Philippenses tertio [3]: « Sequar autem, si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum ». Et de hoc Bernardus: « Felices liquet esse qui exonerati sunt et sequuntur Dominum expediti; arctissimum foramen nos exspectat, si quem sequimur consequi volumus ». Et sic sequebatur Paulus, qui dicebat ad Philippenses tertio [4]: « Posteriora oblitus, ad anteriora extendens me ipsum, ad destinatum persequor bravium supernae vocationis ». Sic et alii Apostoli, de quibus Matthaei quarto [5]: « Relictis retibus et patre, secuti sunt Dominum », dicitur de Iacobo et Ioanne; et Marci primo dicitur de Petro et Andrea: « Relictis retibus et navi, secuti sunt eum »; similiter de beato Matthaeo dicitur Lucae quinto, quod « relictis omnibus, secutus est Dominum ».

Secundo, ut approbata per divinam sententiam. 49. (Vers. 29.). Secundo quantum ad *paupertatis approbationem per divinam sententiam* subditur: *Qui dixit eis: Amen dico vobis: Nemo est, qui reliquerit* [6] *domum,* quoad hereditatis *fundamentum;* Ieremiae duodecimo: « Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam, dedi dilectam animam meam » etc. — *Aut parentes,* quoad hereditatis *principium;* Psalmus [7]: « Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam et obliviscere populum tuum et domum patris tui ». — *Aut fratres,* quoad hereditatis *consortium,* fratres scilicet carnales, de quibus Iob sexto [8]: « Fratres mei praeterierunt me sicut torrens, qui raptim transit in convallibus ». — *Aut uxorem,* quoad hereditatis *condominium,* quia uxor et vir sunt unum corpus; ideo dicitur ad Ephesios quinto [9]: « Viri debent diligere uxores suas sicut corpora sua »; possunt tamen dimitti propter amorem Christi, ut non ducantur, vel si ductae sunt, ex earum consensu, vel propter fornicationis peccatum. Nam Matthaei decimo nono: « Qui dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur ». De hoc Apostolus primae ad Corinthios septimo: « Dico autem non nuptis et viduis, bonum est illis, si sic permanserint sicut et ego ». « His qui matrimonio iuncti sunt, praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere » etc. Quod ergo dicitur de dimissione uxoris intelligitur secundum modum praedictum. — *Aut filios,* quoad hereditatis *successionem;* Matthaei decimo [10]: « Qui amat filium aut filiam super me non est me dignus ». — *Aut agros* [11], quoad hereditatis *dilatationem;* de quo Isaiae quinto: « Vae! qui coniungitis domum ad domum et agrum agro copulatis usque ad terminum loci ». — *Propter regnum Dei,* hoc est secundum rectam intentionem, qua quaerendum est regnum Dei; Matthaei sexto [12]: « Primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis ». Hanc autem derelictionem Dominus acceptat, in qua derelinquitur simul *cupiditas* et *carnalitas.* Ideo dicitur Abrahae Genesis duodecimo: « Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstravero tibi ». Non enim sufficit, quod relinquatur *possessio corporalis,* nisi etiam relinquatur et *affectio carnalis;* propter quod dicitur Deuteronomii trigesimo tertio [13]: « Qui dixerunt patri suo et matri suae: Nescio vos, et fratribus suis: Ignoro illos, et nescierunt filios suos; hi custodierunt eloquium tuum et pactum tuum servaverunt, o Iacob, et legem tuam et iudicia tua, o Israel ». Notandum.

Tertio, ut locupletata per gratiam. 50. (Vers. 30.). Tertio quantum ad *paupertatis locupletationem per gratiam* adiungitur: *Et non recipiat multo plura in hoc tempore;* quod non est intelligendum de temporalibus, ut multo plures uxores habeat, vel filios, vel fratres carnales, sed intelligitur de spiritualibus charismatibus gratiarum,

---

[1] Vers. 1. seq.

[2] Vide supra pag. 228, notam 8. et pag. 380, notam 12.

[3] Vers. 12. — Sententia Bernardi habetur in praenotatis Declamat., V. n. 5. Verbis hic allegatis subnectuntur quae supra n. 44. habentur.

[4] Vers. 13. et 14.

[5] Vers. 22, post quem Marc. 1, 18. et Luc. 5, 28.

[6] Vat. cum Vulgata *reliquit,* sed cfr. Marc. 10, 29, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 18. n. 5.) et Gorranus. — Sequitur Ier. 12, 7. — Glossa *interlinearis* (cfr. Beda, qui sequitur Hieron., III. Comment. in Matth. 19, 28. seqq.): *Nemo est,* non tantum de vobis Apostolis, sed et de quibuscumque fidelibus, *qui reliquerit domum* etc., omnes affectus carnis meae caritati postposuerit.

[7] Psalm. 44, 11.

[8] Vers. 15, in cuius explicatione Gregor. (VII. Moral. c. 25. n. 30.) ait: Recte ergo [reprobi] et *fratres* et *praetereuntes* vocantur, quia ex uno matris nobiscum gremio per fidem prodeunt, sed in uno caritatis studio erga Deum et proximum non figuntur. Unde apte etiam torrenti, *qui raptim transit in convallibus,* comparantur etc.

[9] Vers. 28. — Subinde allegantur Matth. 19, 9; I. Cor. 7, 8. (pro *permanserint* C D *permaneant)* et 10. — Superius pro *condominium* (ita C H) A *commercium,* D in margine *unionem,* Vat. *dominium.*

[10] Vers. 37.

[11] Vulgata omittit *Aut agros,* quod habetur Matth. 19, 29; cfr. B. Albert. et S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 18. n. 5.). — Sequitur Isai. 5, 8.

[12] Vers. 33. — Subinde allegatur Gen. 12, 1. — Inferius pro *simul cupiditas* A C D H *finis cupiditatis,* et pro *et carnalitas* H *et amor carnalitatis.*

[13] Vers. 9. et 10: *Qui dixit patri* etc.

quibus paupertas incomparabiliter locupletatur sine aliena iactura[1]; et hoc per donum *caritatis*, quae facit omnia communia, secundum illud primae ad Corinthios tertio[2]: « Omnia vestra sunt, sive praesentia, sive futura »; per donum etiam *abundantissimae simplicitatis;* unde secundae ad Corinthios octavo: « Altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis »; et secundae ad Corinthios sexto: « Sicut egentes, multos autem locupletantes » etc. In huius figuram dicitur Genesis vigesimo sexto[3]: « Sevit Isaac in terra illa et invenit in ipso anno centuplum, benedixitque ei Dominus, et locupletatus est ». Unde dicitur Matthaei decimo nono[4]: « Centuplum accipiet » etc.; super quem locum dicit Hieronymus: « Qui carnalia pro Domino dimiserit spiritualia recipiet, quae comparatione et merito sui ita erunt, quasi parvo numero centenarius comparetur ». Unde ne intelligatur de temporali locupletatione, dicitur in Marci decimo[5]: « Nemo est, qui dimittat » etc., « qui non accipiat centies tantum in hoc tempore cum persecutionibus ». Super quo loco dicit Bernardus[6]: « Signanter additur *cum persecutionibus;* forte enim quis, cum audisset, hic promitti centuplum, coniecturabatur, hoc et de temporalibus exhiberi; sed praeripit hunc intellectum nomen additum *persecutionis*. Quid enim est terrenae consolationis, quod non facile persecutio tollat? Quid terrenum inter persecutiones sancti Martyres acceperunt[7]? Interim tamen, undecumque centuplum sint accepturi, dummodo sit centuplum, dum centuplum valeat, centupliciter placeat, consoletur, delectet et ametur; quid insaniae est, quod cunctantur homines relinquere simpla pro centuplis »?

Notandum. Figura. Notandum.

51. Quarto quantum ad *paupertatis remunerationem per gloriam* subiungitur: *Et in futuro*[8] *vitam aeternam.* Recto autem nomine *gloria* vita aeterna dicitur, quia, sicut separatio a fonte vitae *mors* est et damnatio aeterna, sic coniunctio cum illo est *vita aeterna.* Propter quod in Psalmo[9] signanter dicitur: « Torrente voluptatis tuae potabis eos; quoniam apud te est fons vitae ». Et recte additur *aeternitas* vitae, quia aeternitas nihil aliud est quam « incommutabilis vitae tota simul et perfecta possessio ». Et tale est quod excedit temporalia in infinitum, ita ut vere dicatur ad Romanos octavo[10]: « Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis »; quia, secundae ad Corinthios quarto, « id quod est in praesenti momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternae gloriae pondus operatur in nobis ». Hoc pondus immensum pro levi pondere rerum mercari possumus, quia praemium superexcellit meritum per omnem modum; supra sexto[11]: « Mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum ». Et ideo dicitur Ecclesiastici decimo octavo: « Non impediaris orare semper, nec verearis usque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in aeternum ».

Quarto, ut praemiata per gloriam.

52. *Assumsit autem Iesus duodecim*[12] etc. Postquam paupertatem ostendit commendabilem et appetibilem per perfectionem meriti sui et per imperfectionem contrarii et consummationem praemii cumulati, hic quarto[13] ostendit eam *approbabilem et eligibilem ratione exempli perfectissimi,* videlicet Christi crucifixi. Et quoniam exemplum illud posset videri aliquibus contemptibile ratione infirmitatis, ideo in hac parte praemittitur hic *exemplum dignationis Christi;* secundo ad illius confirmationem adiungitur *miraculum virtutis* in illuminatione pauperis caeci, ibi[14]: *Factum est autem, cum appropinquaret Iericho.*

Ratione dignationis Christi in exemplo perfectissimo paupertas commendatur dupliciter.

Divisio.

Circa *exemplum dignationis*, quod consistit in sustinentia crucis, perfecte describendum quatuor introducuntur, scilicet *benignitas Magistri, profunditas mysterii, acerbitas supplicii* et *caecitas cordis humani* respectu talis exempli.

Primo, per exemplum dignationis, de quo quatuor.

53. (Vers. 31.). Primo igitur quantum ad *benignitatem Magistri* praemittit: *Assumsit autem Iesus duodecim,* hoc est familiariter ad se sumsit, et hoc fuit mirae dignationis et benignitatis; Deuteronomii trigesimo secundo[15]: « Expandit alas suas et assumsit eos atque portavit in humeris suis ». *Assumsit* autem, ut eos docendo consolaretur et consolando doceret. — Unde subdit: *Et ait illis: Ecce, ascendimus Ierosolymam,* tanquam ad locum scilicet passionis. Glossa[16]: « Praevidens, ex passione sua discipulos perturbandos, praedicit locum et passionis poenam et gloriam resurrectionis, ut, cum morientem cernerent,

Benignitas Magistri.

---

[1] Cfr. Cyrill. Alexandr. in Luc. 18, 29.

[2] Vers. 22. — Duo seqq. loci sunt II. Cor. 8, 2. et 6, 10.

[3] Vers. 12. et 13;

[4] Vers. 29. — Hieronymi sententia habetur III. Comment. in Matth. 19, 29. seq. Recentiores edd. *quasi si* pro *quasi.*

[5] Vers. 29. et 30.

[6] In praenotatis Declamat. XLV. et XLVI. n. 56. et 57. Pro *forte enim quis... coniecturabatur* (ita C D H; Du Cange, Glossarium etc.: *Coniecturari*, Coniicere, coniectare) textus originalis *forte enim.. coniectabatur*, Vat. *forte enim quis... coniectaret.*

[7] Textus originalis addit: *quando et ipsa quoque beatorum corporum terra data est in manus hominum impiorum?* Inferius pro *dum centuplum valeat* ipse et Vat. substituunt *dum valeat centupliciter.*

[8] Vulgata *Et in saeculo venturo*, H et Vat. *Et in saeculo futuro* (ita etiam Card. Hugo, B. Albert., S. Thom., Gorranus et Lyranus).

[9] Psalm. 35, 9. et 10. — Subinde allegatur definitio aeternitatis ex Boeth., V. de Consolat. prosa 6: Aeternitas igitur est interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio.

[10] Vers. 18. et deinde II. Cor. 4, 17, in cuius fine pro *operatur* A C D *operabitur.*

[11] Vers. 38, post quem Eccli. 18, 22; cfr. supra n., 2.

[12] Cfr. supra pag. 460, nota 12.

[13] Vide supra n. 34.

[14] Vers. 35

[15] Vers. 11, ubi pro *eos* (pullos) Vat. cum Vulgata *eum.*

[16] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 2. n. 1.), quae omittit *locum*, quod habent A D.

resurrecturum non dubitarent ». Praedicit autem hanc futuram in Ierusalem. Nam, sicut supra decimo tertio [1] dictum est, « non capit, Prophetam perire extra Ierusalem ». Ratio autem huius est, quia Ierosolyma erat locus, in quo erat sedes *regni, sacerdotii, magisterii* et *iudicii;* et ideo ibi debebat pati ille qui est *rex* et *sacerdos, magister* et *iudex,* ut sic ex Ierusalem exiret et inciperet Christi *regnum,* secundum illud Psalmi [2]: « Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion » etc.; exiret *salus* seu remedium; Isaiae sexagesimo secundo [3]: « Propter Sion non tacebo et propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustus eius »; exiret etiam *lex* et *iudicium;* Isaiae secundo: « Venite, et ascendamus ad montem Domini »; et post: « Quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem ». Ideo in *Ierosolymam ascendit* Christus, ut, in cruce patiens, *regnum* virtutis, *sacerdotium* sanctitatis et *legem* iudicii et veritatis gentibus daret. Propter quod et ipsa Ierusalem typum gerit *Ecclesiae, animae sanctae* et *Ierusalem supernae.* Unde Isaiae quarto [4]: « Omnis, qui relictus fuerit in Sion et residuus in Ierusalem, sanctus Domino vocabitur, omnis, qui scriptus fuerit in vita in Ierusalem ».

Ratio.

54. Secundo quantum ad *profunditatem mysterii* subditur: *Et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per Prophetas de Filio hominis;* in quo apparet mira profunditas mysterii passionis dominicae, pro eo quod in ipsa est consummatio totius revelationis propheticae. Omnes enim Prophetae principalem aspectum habuerunt ad praenuntiandum Christum secundum triplicem *dignitatem,* scilicet *regni, magisterii* et *sacerdotii;* et secundum triplicem *perfectionem, virtutis* scilicet, *veritatis* et *bonitatis,* secundum quod dicitur de Christo Isaiae trigesimo tertio [5]: « Dominus rex noster, Dominus legifer noster, Dominus iudex noster; ipse veniet et salvabit nos ». Secundum quod *rex* regit nos per praecepta et iudicia; secundum quod *magister* erudit per mysteria et exempla; secundum quod *sacerdos* sanctificat per sacrificia et Sacramenta. — Quoniam ergo in cruce sunt haec sex consummata, ideo dicuntur *consummata omnia, quae dicta sunt per Prophetas.* Consummata namque sunt *praecepta* propter nimiam caritatem, quia « finis praecepti est caritas », primae ad Timotheum primo [6], de qua in Psalmo: « Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis ». Consummata sunt *iudicia* propter nimiam severitatem, quam habuit ad se; Isaiae decimo [7]: « Consummatio abbreviata inundabit iustitiam »; et iterum vigesimo octavo: « Consummationem et abbreviationem audivi a Domino » etc. Consummata *mysteria;* Apocalypsis decimo [8]: « In diebus vocis septimi Angeli consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos Prophetas ». Consummata *exempla;* ad Hebraeos secundo [9]: « Decebat eum, propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios adduxerat in gloriam, auctorem salutis eorum per passionem consummare » etc. Consummata sunt *sacrificia;* unde ad Hebraeos decimo [10]: « Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos »; ideo secundi Machabaeorum primo: « Orationem faciebant sacerdotes, dum consummaretur sacrificium » etc. Consummata sunt *Sacramenta;* ad Hebraeos octavo [11]: « Consummabo super domum Israel et super domum Iuda testamentum novum »; et hoc testamentum consummatum est in sanguine Christi; ad Hebraeos nono: « Iste sanguis testamenti, quod mandavit » etc. Et ex hoc impletum est testamentum vetus, et omnia sunt consummata. Et ideo in huius figuram supra decimo tertio [12]: « Ecce, sanitates perficio hodie et cras et tertia die consummor »; et ideo Ioannis decimo nono: « Sciens Iesus, quia omnia consummata sunt, dixit: Sitio ». « Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite, emisit spiritum ». Et sic verificatum est illud Ecclesiastici trigesimo quarto [13]: « Sine mendacio consummabitur verbum legis, et sapientia in ore fidelis complanabitur ».

Profunditas mysterii.

Triplex dignitas Christi et perfectio.

In cruce sex sunt consummata.

Praecepta.

Iudicia.

Mysteria.

Exempla.

Sacrificia.

Sacramenta.

55. (Vers. 32.). Tertio quantum ad *acerbitatem supplicii* subdit: *Tradetur enim gentibus,* ut *extraneus,* secundum quod praedicitur a David in Psalmo [14]: « Traditus sum et non egrediebar ». Huius figura praecessit in Ioseph, de quo dicitur Genesis trigesimo septimo, quod « fratres sui tradiderunt eum Ismaelitis », et in Samsone, de quo Iudicum decimo sexto dicitur,

Acerbitas supplicii. Christus traditur.

Figura.

---

[1] Vers. 33. n. 69, ubi etiam tanguntur tres priores rationes, quae inferius allegantur.

[2] Psalm. 109, 2.

[3] Vers. 1. et deinde 2, 3.

[4] Vers. 3, quem Hieron. ita exponit: Et nota, quod non omnis Israel salvetur, sed reliquiae populi Sion et residuus in Ierusalem; omnis, qui scriptus est in vita in Ierusalem, quibus et Dominus loquebatur [Luc. 10, 20.]: *Gaudete, quoniam nomina vestra scripta sunt in caelis.* Significat autem Apostolos et eos qui per Apostolos crediderunt.

[5] Vers. 22. — Glossa *ordinaria* (ex Beda): *Et consummabuntur;* in hoc ostendit, quidquid Prophetae praedixerunt ad suae dispensationis mysterium intendisse etc. — Superius pro *ad praenuntiandum Christum* Vat. *ad praesentiam Christi,* et subinde pro *secundum quod* C D F *secundum quam.*

[6] Vers. 5, post quem Ps. 118, 96.

[7] Vers. 22. et deinde 28, 22.

[8] Vers. 7.

[9] Vers. 10.

[10] Vers. 14, cui subnectitur II. Mach. 1, 23.

[11] Vers. 8. (cfr. Ier. 31, 31.), ubi pro *domum Israel* A C D F G *domum David;* et deinde 9, 20.

[12] Vers. 32. — Sequuntur Ioan. 19, 28. et 30.

[13] Vers. 8, ubi pro *fidelis* C D F *fideli* (Septuaginta: et sapientia ori fideli consummatio).

[14] Psalm. 87, 9. — Duo seqq. loci sunt Gen. 37, 28. et Iudic. 16, 6. seqq. (Vat. hunc omittit). — Glossa *interlinearis* (cfr. Raban. in eundem loc.) in Matth. 20, 19: *Et tradent,* Iudaei, *eum gentibus,* Pilato et ministris Romanorum.

Illuditur. quod uxor eius tradidit eum Philisthaeis. — *Et illudetur, ut stultus;* cuius figura praecessit in Iob, de quo Iob trigesimo[1]: « Nunc derident me iuniores tempore, quorum patres non dignabar ponere cum canibus » etc.; et Marci decimo quinto: « Induunt eum purpura et imponunt ei plectentes spineam coronam, et coeperunt eum salutare dicentes: Ave rex Iudaeorum; et percutiebant caput eius arundine ».

Flagellatur. — *Et flagellabitur, ut infimus;* unde in Psalmo[2]: « Et fui flagellatus tota die »; et Isaiae quinquagesimo: « Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus »; unde Ioannis decimo nono: « Apprehendit Pilatus Iesum et flagellavit ». — *Et conspuetur, ut immundus,* Isaiae quinquagesimo[3]: « Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me »; et Iob trigesimo: « Longe fugerunt a me et in faciem meam conspuere non verentur »; Matthaei vigesimo sexto: « Exspuerunt in faciem eius et colaphis eum ceciderunt ». (Conspuitur.)

56. (Vers. 33.). *Et postquam flagellaverunt*[4], *occident eum, quasi esset iniquus;* unde dicitur Danielis nono: « Post sexaginta duas hebdomadas occidetur Christus; et non erit eius populus, qui eum negaturus est »; et Isaiae quinquagesimo tertio: « Sicut ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus coram tondente se sic obmutescet »; et Matthaei vigesimo septimo[5]: « Postquam illuserunt ei, induerunt eum vestimentis suis et duxerunt, ut crucifigeretur ». « Et cum eo crucifixerunt duos latrones ». « Et impleta est Scriptura, quae dixit: Et cum iniquis reputatus est ». — *Et tertia die resurget, ut verus Deus,* quod dicitur, ne ex passione terreantur. Huius resurrectionis figura praecessit in Iona; unde dicitur Matthaei duodecimo[6]: « Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terrae ». Unde et Osee sexto: « Vivificabit nos post duos dies et in tertia die suscitabit nos »; et de hoc Ioannis secundo: « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud ». « Hoc autem dicebat de templo corporis sui ». — (Occiditur.) (Resurgit.)

Epilogus. In his autem sex, quae facta sunt in nostra redemptione: in traditione, illusione, flagellatione, conspuitione, occisione et resurrectione, recte clauditur radicaliter universitas operum reparationis; ut, sicut in sex diebus totus mundus fuit perfectus, sic etiam in his sex opus reparationis consistat; et tandem sequitur Spiritus sancti datio, sicut in die septima; in cuius mysterium dicitur Genesis secundo[7]: « Complevit Deus die septimo omne opus suum »; « et benedixit diei septimo et sanctificavit illum ». In quo intelligitur datio gratiae septiformis; Ioannis septimo[8]: « Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus » etc.

57. (Vers. 34.). Quarto quantum ad *caecitatem cordis humani* subiungit: *Et ipsi nihil horum intellexerunt,* quia hanc veritatem non advertebant; Psalmus[9]: « Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant ». Et in hoc gerunt figuram *ignorantium praelatorum,* qui ignorant documenta Scripturarum, secundum illud Isaiae quinquagesimo sexto: « Ipsi pastores nescierunt intelligentiam ». — *Et erat verbum istud absconditum ab eis,* quia hanc veritatem non perquirebant, tanquam animales et sensibiles; Iob vigesimo octavo[10]: « Unde venit sapientia, et quis est locus intelligentiae? Abscondita est ab oculis omnium viventium ». Et in hoc gerebant Apostoli figuram *Iudaeorum,* quibus divina secreta velantur; secundae ad Corinthios tertio[11]: « Cum legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum »; quia nondum velum erat scissum per passionem, secundum illud Matthaei vigesimo septimo: « Velum templi scissum est ». — *Et non intelligebant quae dicebantur,* et hoc, quia hanc veritatem non diligebant. Cum enim Christum carnaliter diligerent, displicebat eis, quod Christus debebat pro nobis mori; sicut et Petrus dicebat Matthaei decimo sexto[12]: « Absit a te, Domine, non erit tibi hoc ». Unde Glossa Bedae: « Discipuli sermonem dominicae passionis toties replicatum ideo intelligere non valent, quia, quem maxime videre desiderant, eius mortem audire non possunt; et quem non solum hominem innocentem, sed etiam verum Deum esse sciunt, mori posse non putant. Et quoties dicit aliquid de sua passione, hoc allegorice dictum putant ». — Ex quo apparet caecitas cordis humani, quae mysteria suae redemptionis non intelligit, nisi Deus tanquam caeco lumen ostendat suae lucis et reddat contuitum veritatis. Ideo recte sequitur miraculum de illuminatione (Caecitas cordis humani.) (Notandum.) (Ratio.) (Notandum.)

---

[1] Vers. 1, post quem Marc. 15, 17-19. (codd. allegant *Matth. 27,* ubi v. 28-30. eadem quidem sententia, sed non verba occurrunt); pro *Induunt* et *imponunt* codd. *Induerunt* et *imposuerunt.*

[2] Psalm. 72, 14. — Subinde allegantur Isai. 50, 6. et Ioan. 19, 1.

[3] Vers. 6. — Duo seqq. loci sunt Iob 30, 10. (ubi pro *fugerunt* Vat. cum Vulgata *fugiunt,* et pro *conspuere* C D F *spuere)* et Matth. 26, 67.

[4] Vat. cum Vulgata *flagellaverint,* et pro *occident eum* A H *occiderunt eum* (ita etiam C D primitus). — Sequuntur Dan. 9, 26. et Isai. 53, 7.

[5] Vers. 31, post quem Marc. 15, 27. seq.: *Et cum eo crucifigunt* etc.; cfr. Isai. 53, 12.

[6] Vers. 40; deinde Osee 6, 3; Ioan. 2, 19. et 21.

[7] Vers. 2. et 3. — Superius Vat. omittit *radicaliter.*

[8] Vers. 39.

[9] Psalm. 81, 5. — Subinde allegatur Isai. 56, 11.

[10] Vers. 20. et 21. — Superius pro *non perquirebant* C D H *perquirebant;* cfr. I. Cor. 2, 14: Animalis autem homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei etc.

[11] Vers. 15, et deinde Matth. 27, 51.

[12] Vers. 22. — Glossa seq. est *ordinaria* in Luc. 18, 34, in qua pro *videre desiderant* (ita etiam Glossa) Vat. *vivere desiderant* (Beda legit: *cuius vitam maxime videre desiderabant).* Ultima propositio: *Et quoties... putant,* exhibetur a Lyrano, omittitur autem a Strabone.

caeci, in quo intelligitur illuminatio generis humani, quia genus humanum per se ignorat redemptionis opus et quantum ad *factum* et quantum ad *rationem* et quantum ad *mysterium;* primae ad Corinthios primo[1]: « Nos praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam ». Necesse est ergo, quod Christus sensum aperiat ad intelligentiam Scripturarum.

Secundo, per miraculum virtutis, de quo quatuor.

58. (Vers. 35.). *Factum est autem, cum appropinquaret* etc. Postquam proposuit exemplum imitabile in passione Crucifixi, hic exponit *factum admirabile in illuminatione pauperis caeci,* in quo simul manifestatur Christi potestas et benignitas, et etiam acceptatur mendicantis paupertas[2]. Ad huius igitur miraculi instructionem plenarie explicandam quatuor introducuntur ab Evangelista, scilicet *opportunitas mendicantis, importunitas supplicantis, liberalitas medentis, integritas sanitatis.*

Primum.

Primo igitur quantum ad *opportunitatem* seu necessitatem *mendicantis* dicit: *Factum est autem, cum appropinquaret Iericho, caecus quidam sedebat secus viam mendicans.* Vere hic *mendicus* erat, qui simul indigebat pane et luce, quae omnibus communiter se offerunt. Et designat hic caecus genus humanum, quod est *caecum* per carentiam lucis sapientiae et *mendicans* per defectum gratiae et iustitiae; unde sibi potest dici illud Apocalypsis tertio[3]: « Nescis, quia tu es miser et miserabilis et pauper et caecus et nudus »; et de Pharisaeis dicitur Matthaei decimo quinto: « Caeci sunt et duces caecorum ». Excaecatum est autem genus humanum per cupiditatem temporalium; Psalmus[4]: « Supercecidit ignis, et non viderunt solem ». Unde huius notabilis figura praecessit in Tobia, qui, sicut dicitur Tobiae secundo, excaecatus est de stercoribus hirundinum. Et huic consonat, quia caecus iste erat iuxta Iericho; *Iericho* enim interpretatur luna et designat mutabilitatem rerum, ex quarum amore homo excaecatur et stultus efficitur; Ecclesiastici vigesimo septimo[5]: « Homo sanctus in sapientia permanet sicut sol, stultus vero ut luna mutatur ». Et hic caecus non est *in via,* sed *secus viam,* secundum illud Sapientiae quinto[6]: « Erravimus a via veritatis, lumen iustitiae non luxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis ». Sed tunc caecus sedet *secus viam,* quando ad lumen veritatis *appropinquat* ex consideratione suae defectibilitatis et variabilitatis; unde Glossa[7]: « *Iericho* luna interpretatur, per quam defectus mortalitatis intelligitur. Dum ergo Verbum Dei infirmitatem nostrae carnis suscipit, homo ad cognoscenda divina redit ».

Caecus designat genus humanum.

Figura.

Secundum.

59. (Vers. 36.). Secundo quantum ad *importunitatem postulantis* subditur: *Et cum audiret turbam praetereuntem;* in quo explicatur importunitas caeci orantis et dantis nobis exemplum orandi; *quaerit, petit* et *pulsat,* secundum illud Matthaei septimo[8]: « Quaerite, et invenietis; petite, et accipietis; pulsate, et aperietur vobis ». — *Quaerit* igitur *sollicite* ex auditu turbae; propter quod dicit: *Interrogabat, quid hoc esset,* scilicet a turba praetereunte. Turba ista transiens est decursus creaturarum, quae interrogatae aliquo modo manuducunt nos ad Salvatorem; propter quod Iob duodecimo[9]: « Interroga iumenta, et docebunt te; et volatilia caeli, et indicabunt tibi. Loquere terrae, et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod haec omnia manus Domini fecerit? In cuius manu anima omnis viventis et spiritus universae carnis ». Ideo haec omnia ducunt ad suum factorem et reparatorem.

Quaerit sollicite.

Notandum.

60. (Vers. 37.). Propter quod additur: *Dixerunt autem ei, quod Iesus Nazarenus transiret.* Omnes hae creaturae, secundum quod loquuntur nobis per librum *creaturae,* respondent nobis de *Verbo increato;* Danielis tertio[10]: « Benedicite, omnia opera Domini, Domino »; et Sapientiae decimo tertio: « A magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri »: quia, ad Romanos primo, « invisibilia Dei a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur ». Secundum autem quod loquuntur nobis per verbum *Scripturae,* respondent nobis de *Verbo incarnato;* unde Ioannis quinto[11]: « Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis vitam habere. Illae sunt, quae testimonium

Quid doceat liber creaturae.

Quid liber Scripturae.

---

[1] Vers. 23. — Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 2. n. 1: Sed quia carnales adhuc discipuli nullo modo valebant capere verba mysterii, venitur ad miraculum. Ante eorum oculos caecus lumen recipit, ut, qui caelestis mysterii verba non caperent, eos ad fidem caelestia facta solidarent... Quis iuxta historiam caecus iste fuerit, ignoramus; sed tamen, quem per mysterium significet, novimus. Caecus quippe est genus humanum etc.

[2] Cfr. supra n. 52. — Inferius pro *instructionem* Vat. *insinuationem*, quae etiam cum F G pro *plenarie explicandam* (ita A C D H) substituit *explanandam* (E *explorandam).*

[3] Vers. 17, cui subiungitur Matth. 15, 14.

[4] Psalm. 57, 9. et deinde Tob. 2, 11; cfr. supra pag. 317, nota 3.

[5] Vers. 12. — Hieron., de Nominib. Hebraic. nov. testam. de Matthaeo: *Iericho,* odor eius, sive luna. — Superius post *rerum* Vat. addit *temporalium.*

[6] Vers. 6. — Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 2. n. 2: Qui videlicet *caecus* recte et *iuxta viam* sedere et *mendicans* esse describitur; ipsa enim Veritas dicit [Ioan. 14, 6.]: *Ego sum via.*

[7] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Gregor., loc. cit.) in Luc. 18, 35. Pro *mortalitatis* (ita etiam Gregor., Beda et Glossa) A C D F G *mortis.*

[8] Vers. 7; cfr. supra 11, 9. et Ioan. 16, 24.

[9] Vers. 7-10, in cuius fine Vulgata addit *hominis.*

[10] Vers. 57, post quem Sap. 13, 5. et Rom. 1, 20. August., Enarrat. in Ps. 26. enarrat. 2. n. 12: Circumeat animus tuus per universam creaturam; undique tibi clamabit creatura: Deus me fecit. Cfr. X. Confess. c. 6. n. 9; vide etiam S. Bonav., Itinerarium mentis in Deum, c. 1. n. 10-15.

[11] Vers. 39. — Duo seqq. loci sunt Rom. 10, 4. et Deut. 32, 7.

perhibent de me »; quia, ad Romanos decimo, « finis legis, Christus ad iustitiam ». Unde in Cantico Deuteronomii trigesimo secundo: «Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi » etc.

[P]etit devote. [C]um desiderio. Cum spe. Cum fide.

61. (Vers. 38.). *Petit* etiam *devote*, et ideo sequitur: *Et clamavit dicens: Iesu, fili David, miserere mei.* In hoc, quod *clamat*, ostendit, se habere *excedentiam desiderii;* propter quod dicitur ad Romanos octavo[1]: « Spiritus est, qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus ». In hoc, quod dicit: *Iesus*, ostendit, se habere *confidentiam spei;* Psalmus[2]: « Speravit in Domino, eripiet eum, salvum faciet eum ». Spe enim vocat *Iesum;* id est salvatorem, quia, ad Romanos octavo, « spe salvi facti sumus ». In hoc, quod dicit: *Fili David*, ostendit, se habere *intelligentiam fidei*, qua credimus, Christum ex semine David natum, secundum illud ad Romanos primo[3]: « Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute ». Unde et Matthaei vigesimo primo dicitur, quod « clamabant: Hosanna filio David! benedictus, qui venit in nomine Domini ».

Obstaculum nostrae orationis. Pulsat continue.

62. (Vers. 39.). Et quoniam orationi nostrae praebent obstaculum rerum imaginationes, quae deberent nos in Deum ducere; ideo subdit: *Et qui praeibant increpabant eum, ut taceret.* Unde Glossa[4]: « Qui Iesum venientem praeeunt significant tumultus carnalium desideriorum, quae dissipant cogitationem hominis et perturbant vocem orationis, ne Iesus ad illuminandum venire possit cor hominis ». Unde huiusmodi imaginationes, retrahentes nos ab oratione per strepitum suum, nihil aliud sunt quam quoddam obstaculum inter nos et Christum, secundum illud Threnorum tertio[5]: « Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio »; et ideo opus est importuna *pulsatione.* — Propter quod caecus *pulsat continue*, cum subiungitur: *Ipse vero multo magis clamabat: Fili David, miserere mei;* Psalmus[6]: « Domine Deus salutis meae, in die clamavi et nocte coram te ». Et haec est virtus orationis, quae ex vera fide procedit. Unde Chrysostomus[7]: « Talis est natura fidei, quod quanto magis vetatur, tanto magis accenditur; propter quod servi Dei in persecutionibus non vincuntur ». Unde Glossa[8] dicit, quod « credens, sentiens se gravari phantasmate priorum vitiorum, et vocem orationis suae impediri, ne pro se exorare possit, ardentius clamat ».

Tertium. Notandum. Figura.

63. (Vers. 40.). Tertio quantum ad *liberalitatem medentis* subiungitur: *Stans autem Iesus, iussit, illum adduci ad se.* Dicitur autem *Iesus stare*, quia ipse in se immutabilis est: Psalmus[9]: « Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient »; unde Glossa: « Iesus *transiens* caecum audit, *stans* illuminat, quia per humanitatem suam nostrae caecitatis vocibus compatitur, sed Divinitatis suae potentia lumen nobis gratiae suae infundit ». Et licet per orationem videamur eum trahere ad nos, ipse magis trahit nos ad se, sicut navis ad petram trahitur, sicut dicit Dionysius[10]. Ideo sponsa in Cantici primo dicit: « Trahe me post te ». Unde ad ipsum trahimur, quando mente ad ipsum excitamur et supra nos excedimus. In cuius figuram Marci decimo[11] dicitur de hoc caeco: « Proiecto vestimento suo, exsiliens venit ad eum ». Et tunc et arcana verba audimus, secundum illud Prophetae in Psalmo: « Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus ».

Christus offert se voluntati petentis.

64. (Vers. 40. 41.). Et ideo additur: *Et cum appropinquasset, interrogavit illum, dicens: Quid tibi vis faciam?* In quo apparet liberalitas dantis, quia offert se beneplacito petentis. Unde Glossa[12]: « Non ex ignorantia Dominus quaerit, sed ideo, ut rogetur, ut mentem ad orationem excitet », secundum illud Ioannis decimo sexto: « Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis ». — Et quoniam qui in nomine Iesu petit petit salutaria, ideo subdit: *At ille dixit: Domine, ut videam.* Glossa[13]: « Non petit caecus aurum, vel aliquid temporale, sed tantum lumen. Imitemur ergo eum quem corpore et

[1] Vers. 26, ubi A C D: *Ipse est, qui postulat* etc. — Superius pro *excedentiam* Vat. *excessum*. Chrysost., Homil. 36. in Matth. 20, 30. (Op. imperfect.): Soli [duo caeci] sedebant indissolubili tenebrarum catena ligati, nihil solutum habentes de toto corpore praeter vocem. Et ideo... voce tenebant dicentes: *Miserere nobis* etc.

[2] Psalm. 21, 9. et deinde Rom. 8, 24. — Inferius pro *Spe enim vocat* C D F G H *Spes enim vocat.*

[3] Vers. 3. et 4, quibus subiungitur Matth. 21, 9. Glossa *interlinearis* in Luc. 18, 38: Homo pro hominibus factus, miserere hominis.

[4] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 2. n. 3.), in qua cum A C D et textu originali posuimus *cogitationem* pro *cogitationes.*

[5] Vers. 44. — Glossa *interlinearis* in Matth. 20, 31: *At illi* [duo caeci] *magis clamabant* etc., orando, pulsando insistebant, donec strepitum turbae vincerent.

[6] Psalm. 77, 2.

[7] Homil. 36. in Matth. 20, 31. (Op. imperfect.). Pro *vincuntur* Vat. *minuuntur.*

[8] Scilicet *ordinaria*, de qua cfr. Beda et Gregor., loc. cit. n. 4.

[9] Psalm. 101, 28. — Glossa seq. est *ordinaria*, (ex Gregor. loc. cit. n. 6.), in qua pro *per humanitatem suam* (ita etiam Gregor. et Glossa) Vat. cum pluribus codd. *per humilitatem suam.*

[10] Libr. de Div. Nom. c. 3. § 1: Nos igitur ipsos orationibus extendamus in divinorum et optimorum radiorum excelsiorem respectum... velut in navim ascendentes et recipientes ex quadam petra extensos funes et velut nobis in receptionem datos, non ad nos petram, sed nosmetipsos in veritate et navim ad petram adducimus... Proinde et ante omne et magis ex theologia oratione inchoari oportet, non ut trahentes ubique praesentem et nusquam virtutem, sed ut divinis memoriis et invocationibus nosmetipsos immitentes ei et adunantes (versio Scoti Erigenae). Ex D supplevimus *trahitur;* pro *ad petram* F H (D a secunda manu) *ad portum.* — Sequitur Cant. 1, 3.

[11] Vers. 50. et deinde Ps. 84, 9.

[12] Scilicet *ordinaria* (ex Gregor., loc. cit. n. 7, et Beda), cui subnectitur Ioan. 16, 23.

[13] Nempe *ordinaria* (ex Gregor., loc. cit., et Beda).

mente audivimus sanatum ». Unde Iacobi primo [1]: « Si quis vestrum indiget sapientia, postulet illam a Deo, et dabitur ei ». Exemplum huius habetur in Salomone tertii Regum tertio, ubi dicitur, quod « apparuit Dominus Salomoni et dixit: Postula quod vis, ut dem tibi ». At ille dixit: « Dabis servo tuo cor docile » etc. « Et placuit sermo coram Domino, quod rem huiusmodi postulasset. Et dixit Dominus: Quia tu postulasti sapientiam, ecce, dedi tibi cor sapiens et intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit nec post te surrecturus sit » etc.

65. (Vers. 42.). Quarto quantum ad *integritatem sanitatis* subiungit: *Et Iesus dixit illi* [2]*: Respice; fides tua te salvum fecit,* per *infusionem divinae gratiae.* Per respectum namque fidei cor nostrum erigitur ad iustitiam; ad Romanos quinto [3]: « Iustificati per fidem, pacem habeamus ad Deum ». Et haec est prima virtus, de qua ad Hebraeos undecimo: « Accedentem oportet credere », nam « ipsa est substantia rerum sperandarum » etc.

Quartum.

66. (Vers. 43.). *Et confestim vidit,* per *circumspectionem prudentiae;* ad Ephesios quinto [4]: « Videte, fratres, quomodo caute ambuletis »; Proverbiorum quarto: « Oculi tui recta videant, et palpebrae tuae praecedant gressus tuos ». — *Et sequebatur illum, magnificans Deum,* per *subiectionem obedientiae.* Glossa [5]: « Videt et sequitur qui bonum, quod intelligit, operatur et Iesum praetereuntem imitatur »; Ioannis octavo: « Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae ». — *Et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo,* per manifestationem *divinae gloriae.* Hoc enim est opus, in quo summe manifestatur potentia, sapientia et misericordia, quando scilicet de peccatore fit iustus, de stulto sapiens, de errante fidelis et de impio virtuosus. Et ideo de hoc maxime laudandus Deus; unde ad Galatas primo [6]: « Ignotus eram facie », dicit Paulus, « Ecclesiis Iudaeae, quae erant in Christo; tantum autem auditum habebant: quoniam qui persequebatur nos aliquando nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat; et in me glorificabant Deum ». Et hoc debemus facere, secundum illud Ecclesiastici quadragesimo tertio [7]: « Glorificantes Dominum, quantumcumque potueritis, supervalebit adhuc, et admirabilis magnificentia eius, benedicentes Dominum, exaltate illum, quantumcumque potestis; maior enim est omni laude ».

Restituitur visus.

## Capitulum XIX.

**Secundo confutat curiositatem in possidendo approbando liberalitatem duplicem.**

1. *Et ingressus perambulabat Iericho* etc. Supra confutavit cupiditatem per approbationem paupertatis, hic secundo [8] confutat *tenacitatem per approbationem liberalitatis.* Et quoniam dispersio et communicatio temporalium est via ad multiplicationem spiritualium, ideo in hac parte primo approbat *liberalitatem distribuentem temporalia;* secundo vero, *sedulitatem multiplicandi spiritualia,* ibi [9]: *Haec illis audientibus adiiciens* etc. Primum facit per *exemplum expressum;* secundum vero, per *parabolicum.*

Divisio.

Introducitur ergo *exemplum,* per quod commendatur liberalitas, per quam Zachaeus de impio factus est iustus; et cum esset camelus, transiit per foramen acus et formam dedit divitibus intrandi in caelum [10]. In hoc igitur exemplo introducuntur tria *commendabilia* in Zachaeo, per quae ipsius exemplar est imitandum, et est signum etiam vocationis gentium; propter quod et Evangelium istud legitur in dedicatione ecclesiarum. Et haec sunt ipsius Zachaei *studiositas ad Christum videndum;* ipsius Zachaei *hospitalitas* ad Christum *suscipiendum,* ibi [11]: *Et cum venisset ad locum;* ipsius Zachaei *liberalitas ad distributionem suorum,* ibi: *Stans autem Zachaeus* etc.

Exemplum expressum liberalitatis in temporalibus, de quo tria.

Subdivisio.

*Studiositas* autem Zachaei commendatur ex tribus, scilicet ex parte *attractivi, retardativi* et *expeditivi.* Vera enim studiositas est, in qua animus attrahitur ad Christum, et si occurrant impedimenta, tamen non frangitur desiderium, sed plus inardescit [12].

Zachaei studiositas ad videndum Christum commendatur tripliciter.

2. (Vers. 1.). Primo igitur quantum ad *attractivum,* quod quidem erat praesentia Iesu Christi, dicit: *Et ingressus perambulabat Iericho,* id est, ambulabat per Iericho. *Iericho* enim civitas erat,

Quoad attractivum.

---

[1] Vers. 5. — Subinde allegantur III. Reg. 3, 5. 9. 10-12.

[2] Codd. C D F G omittunt *illi.*

[3] Vers. 1; deinde Hebr. 11, 6. et 1.

[4] Vers. 15, post quem Prov. 4, 25.

[5] Scilicet *ordinaria* (ex Gregor., loc. cit. n. 8, et Beda), quae voci *praetereuntem* praefigit *praesentem vel.* — Sequitur Ioan. 8, 12.

[6] Vers. 22-24. — Superius pro *manifestatur* A *notatur,* C D *nominatur.*

[7] Vers. 32. et 33.

[8] Cfr. supra c. 18. n. 34. — Codd. C D F omittunt *secundo.*

[9] Vers. 11. — Superius pro *distribuentem* Vat. *distrahentem.*

[10] Respicitur supra c. 18, 25. — Pro *formam dedit* Vat. *foramen dedit,* et inferius pro *signum etiam* B *significativum.*

[11] Vers. 5; tertium habetur v. 8. — Superius Vat. omittit *ad Christum videndum; ipsius Zachaei hospitalitas.*

[12] Ita A D; C H. *ardescit,* alii codd. et Vat. *acceleratur.*

quam, transito Iordane, subverterunt Iudaei, secundum quod dicitur Iosue sexto [1]; sed reaedificata fuit sub Achab, rege Israel; unde tertii Regum decimo sexto: « In diebus Achab aedificavit Hiel de Bethel Iericho. In Abiram, primitivo suo, fundavit eam et in Segub, novissimo suo, posuit portas eius, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat Dominus in manu Iosue, filii Nun ». Hanc Dominus sua illustravit praesentia, qua peccatoribus condescendebat, qua etiam peccatores ad se attrahebat. Pietas enim attrahit miseros, sicut adamas ferrum [2].

Attractio peccatoris.

3. (Vers. 2.). Ideo subditur *attractio peccatoris;* propter quod sequitur: *Et ecce, vir nomine Zachaeus;* cuius nomen erat notum et vulgatum, non propter famam virtutis, sed infamiam rapacitatis. — Unde subdit: *Et hic erat princeps publicanorum,* qui scilicet lucra saeculi sectabantur per fas et nefas [3]. Hunc autem *principatum* non habebat propter iustitiam, sed propter pecuniam. — Et ideo addit: *Et ipse dives,* et ita gibbosus sicut camelus et ineptus ad regnum; supra decimo octavo [4]: « Facilius est, camelum intrare per foramen acus » etc.; et tamen divina virtute fuit introductus, quia amore ipsius Christi fuit attractus.

Notandum.

4. (Vers. 3.). Unde et subditur: *Et quaerebat videre Iesum, quis esset;* quod non ita faceret studiose, nisi amaret, nec amaret vel crederet, nisi eius gratia praeventus esset, quia Ioannis sexto [5]: « Nemo venit ad me, nisi Pater meus, qui misit me, traxerit eum ». Hunc traxit Iesus, ut esset in exemplum aliis. Unde iste iam implebat consilium Sapientis, secundum illud Proverbiorum octavo [6]: « Accipite disciplinam meam et non pecuniam, doctrinam magis quam aurum eligite ». Qui sic quaerit Iesum invenit, secundum illud Sapientiae primo: « In simplicitate cordis quaerite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum » etc.

Quoad retardativum.

5. Secundo quantum ad *retardativum,* quod fuit frequentia populi, subdit: *Et non poterat prae turba, quia statura pusillus erat.* Haec *turba* eum impediebat, quae semper impedire consuevit volentes venire ad Christum. Haec namque turba impediebat *illuminationem caeci;* supra decimo octavo [7]: « Cum audiret turbam praetereuntem » etc. « At illi increpabant eum, ut taceret »; *curationem paralytici;* Marci secundo: « Venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui a quatuor portabatur; et non poterant offerre illi prae turba »; *liberationem surdi et muti;* Marci septimo: « Apprehendens eum seorsum de turba, misit digitos in auriculas eius et exspuens tetigit linguam eius »; *suscitationem mortui;* Matthaei nono [8]: « Cum eiecta esset turba, intravit et tenuit manum eius ». Impedit etiam *approximationem Zachaei,* sicut dicitur hic, quia *non poterat prae turba* [9]. Turba enim prona ad malum a Iesu revocat potius quam ad ipsum perducat; propter quod Ecclesiastici decimo octavo [10]: « Ne oblecteris in turbis nec in modicis; assidua enim est commissio illorum ». Ideo Exodi vigesimo tertio: « Non sequeris turbam ad faciendum malum nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiae, ut a vero devies ». Ideo dicitur Matthaei decimo quarto: « Dimissa turba, ascendit Iesus in montem solus orare ».

Turba impedivit in 5 casibus.

Quoad expeditivum.

6. (Vers. 4.). Tertio quantum ad *expeditivum,* quod quidem erat eminentia arboris sycomori, subiungit: *Et praecurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret illum* [11], *quia inde erat transiturus.* In quo apparet eius studiositas et in praecurrendo et in ascendendo in altum, ut quod sibi deerat suppleret per adiutorium alienum. Unde Glossa [12]: « Quia devotione fidei ad videndum Salvatorem quod natura minus habet per ascensum arboris supplet; iuste, quod rogare non audebat, dominicae susceptionis benedictionem accepit, quam desiderabat ».

Mysterium in narratione insinuatum.

7. Sed hic attendendum, quod Evangelista sic diligenter nomen *civitatis,* nomen *hominis* [13] et nomen *arboris* propter *mysterium* magis exprimit quam propter exigentiam narrationis *facti.* — Propter quod intelligendum, quod *iste publicanus* recte designat populum gentilem. *Iericho,* quae luna interpretatur, sicut supra [14] tactum est, designat *mundum* propter sui defectum et mutabilitatem; quia,

De Iericho.

---

[1] Vers. 20. et deinde III. Reg. 16, 34, in cuius fine allegatur Iosue 6, 26. Pro *Hiel* A C D et Card. Hugo *Ahiel,* F *Achiel* (ita etiam Septuaginta et Rabanus).

[2] Seneca, Thyestis act. 3. v. 550:

Nulla vis maior pietate vera est.

[3] Ut insinuat Glossa *interlinearis* in Luc. 15, 1; cfr. supra pag. 382, nota 2.

[4] Vers. 25. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 19, 1. seq.: Ecce, camelus, deposita sarcina gibbi, per foramen acus transit, dum, contempto censu fraudium, angustam portam, *quae ducit ad vitam* [Matth. 7, 14.], ascendit.

[5] Vers. 44. — Cyrill. Alexandr., in Luc. 19, 2: Cupiebat Iesum videre, quia salutis semen iam in eo germinabat.

[6] Vers. 10, ubi pro *aurum* A F et Card. Hugo *thesaurum,* C D *thesauros.* — Sequitur Sap. 1, 1. seq.

[7] Vers. 36. et 39. — Sequuntur Marc. 2, 3. seq. et 7, 33.

[8] Vers. 25. — Pro *suscitationem mortui* (ita B H) Vat. cum aliis codd. *curationem mortui.*

[9] Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 19, 1. seq. apud Lyranum: Sed turba, id est vitiorum consuetudo, quae caecum clamantem increpabat, etiam hunc suspicientem tardat. Sed sicut amplius clamando caecus turbam vicit, ita pusillus terrena relinquendo, arborem crucis ascendendo turbam obstantem transcendit; clamans cum Apostolo [Gal. 6, 14.]: *Mihi absit gloriari nisi in cruce* etc.

[10] Vers. 32. — Duo seqq. loci sunt Exod. 23, 2. et Matth. 14, 23.

[11] Ita etiam Beda et Card. Hugo; Vat. cum Vulgata *eum.*

[12] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 19, 1. seq., in qua pro *minus habet* textus originalis substituit *minus habebat.* Vat. verba Bedae, non Glossae affert.

[13] Vat. cum paucis codd. omittit hic *nomen hominis,* et inferius *facti.*

[14] Cap. 18, 35. n. 58. — Sequitur I. Ioan. 2, 17.

primae Ioannis secundo, « mundus transit et concupiscentia eius ». Hanc civitatem destruxit *Iosue* — nec aliquis salvatus est in ea nisi Raab meretrix, quae credidit nuntiis Iosue et ipsos recepit [1] — quia verus *Iesus* hanc mundanam conversationem in carne apparendo damnavit; nec aliquis potest salvari, nisi qui credit; Ioannis primo: « In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit »; et post: « Quotquot autem receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt » etc.; unde ad Hebraeos undecimo: « Fide muri Iericho corruerunt. Fide Raab meretrix non periit ». Unde illa *Raab* Ecclesiam significat gentium ad Christum conversam. — Et hoc ipsum significatur per

De Zachaeo.

*Zachaeum publicanum,* qui quaerebat videre Iesum, ut scilicet cognosceret verum Deum; in quo significat populum gentium, sicut et Naaman Syrus, de quo quarti Regum quinto [2]: « Naaman, princeps militiae regis Syriae, dives, sed leprosus », qui veniens ad Eliseum curatus est. Unde et Ioannis duodecimo dicunt gentiles: « Volumus Iesum videre »; sed non possunt tum propter perturbationem phantasmatum, tum propter defectum naturalis lucis, quia hoc est supra rationem; et ideo opus est *ascendere* per fidem ad cognoscendum eum. — Unde per

De sycomoro.

*sycomorum*, quae ficus fatua interpretatur, intelligitur *eminentia fidei,* quae stultitia esse videtur, secundum illud primae ad Corinthios primo [3]: « Nos praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam ». In huius

Notandum.

fatuitatis credulitatem oportet conscendere eum qui vult ad sapientiam pervenire, secundum illud primae ad Corinthios tertio: « Si quis videtur esse sapiens inter vos, stultus fiat, ut sit sapiens ». Nam stultitia fidei deducit ad eminentiam sapientiae Christi, et hoc quasi per sex gradus, quia fides disponit ad prudentiam, prudentia ad scientiam, scientia ad consilium, consilium ad intellectum et intellectus ad sapientiam. Et hic thronus est Salomonis, ad quem per sex gradus ascenditur, secundum quod insinuatur tertii Regum decimo [4]. Unde et in Psalmo dicitur:

Dispositio ad sapientiam per sex gradus.

« Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit » etc. « Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem » etc. Haec igitur studiositas Zachaei et *exemplar* fuit imitandum et *figura* conversionis gentium ad Christum, per cuius fidem adiuti elevantur ad ipsum contuendum. Unde Glossa [5]: « Per laudabilem fatuitatem transeuntem prope Dominum cernit, quia, etsi nondum ita solide, ut est, iam tamen raptim et quasi in transitu luci caelestis sapientiae intendit ». Ideo Isaiae septimo [6], secundum aliam translationem: « Nisi credideritis, non intelligetis ».

8. (Vers. 5.). *Et cum venisset* etc. Postquam expressit Zachaei studiositatem ad Christum videndum, hic secundo [7] exprimit *hospitalitatem ad Christum suscipiendum.* Circa quam describendam introducuntur tria, scilicet *dignatio* ex parte Christi, *devotio* ex parte Zachaei et *murmuratio* ex parte populi perversi.

Zachaei hospitalitas ad Christum suscipiendum de quo tria

Primo igitur quantum ad *dignationem ex parte Christi* dicit: *Et cum venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum,* per aspectum benignitatis; in quo ostendebat, se approbare affectum publicani per signum; Psalmus [8]: « Oculi Domini super metuentes eum et in eis qui sperant super misericordia eius ». Hunc *aspiciebat,* « quia [9] statura pusillus erat »; « excelsus enim Dominus et humilia respicit », scilicet per dignationem. — *Et dixit ad eum: Zachaee, festinans descende,* ad impendendum beneficium hospitalitatis; et hoc facit in signum magnae dignationis, qui hospitium petere non erubuit. Unde Glossa [10]: « Non invitatus, se invitat, quia, etsi nondum audierat vocem invitantis, audiebat tamen affectum ». — Et nota, quod dicit *festinans,* quia ad opera et beneficia hospitalitatis debemus esse prompti exemplo Zachaei et etiam Abrahae; Genesis decimo octavo [11]: « Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram et dixit ei: Accelera, tria sata similae commisce et fac subcinericeos panes. Ipse vero cucurrit ad armentum et tulit vitulum tenerrimum et dedit puero, qui festinavit et coxit illum ». — Et

Dignatio Christi.

[1] Iosue 6, 16. seqq. — Subinde allegantur Ioan. 1, 10. et 12; Hebr. 11, 30. seq. — Pro *verus Iesus* (ita A D; C H omittunt *verus)* Vat. *veniens Iesus,* F *venit Iesus.*

[2] Vers. 1. seqq. et deinde Ioan. 12, 21. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 19, 1. seq.: Zachaeus, qui interpretatur *iustificatus,* significat credentes ex gentibus, qui per occupationem temporalium depressi erant et minimi, sed a Domino sanctificati. Qui intrantem Iericho Salvatorem videre volunt, dum fidei, quam in mundo attulit, participare quaerunt [Haec ultima propositio omittitur a Strab.]. Cfr. Ambros., VIII. in Luc. c. 19. n. 81.

[3] Vers. 23. — Sequitur I. Cor. 3, 18. August., Serm. 174. (alias 8. de Verbis Apostoli) c. 3. n. 3: Sycomora fici fatuae Latine interpretantur... Hunc [Iesum] ergo volens videre Zachaeus, in quo figurabatur persona humilium, non attendit turbam impedientem, sed ascendit sycomorum, quasi fatui pomi lignum. *Nos enim,* inquit Apostolus [I. Cor. 1, 23.], *praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum;* attende sycomorum; *gentibus autem stultitiam* etc. Cfr. Gregor., XXVII. Moral. c. 46. n. 79. — Inferius pro *In huius* C D H *In cuius.*

[4] Vers. 18. et 19; cfr. supra pag. 231, nota 7. — Subinde allegantur Ps. 83, 6. et 8.

[5] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Gregor., XXVII. Moral. c. 46. n. 79.) in Luc. 19, 4. Vat. non Glossae, sed Bedae verba affert.

[6] Vers. 9, secundum translationem septuaginta interpretum; cfr. supra pag. 4, nota 8.

[7] Cfr. supra n. 1.

[8] Psalm. 32, 18. — August., Serm. 174. (alias 8. de Verbis Apostoli) c. 4. n. 4: Et vidit Dominus ipsum Zachaeum. Visus est, et vidit; sed nisi visus esset, non videret. *Quos enim praedestinavit, illos et vocavit* [Rom. 8, 30.]. — Superius pro *affectum* H *factum.*

[9] Ut dicitur supra v. 3, post quem Ps. 137, 6.

[10] Scilicet *interlinearis* (ex Ambros., VIII. in Luc. c. 19. n. 82.) in Luc. 19, 5.

[11] Vers. 6. et 7.

hoc petebat Christus, quia indigebat; unde subdit: *Quia hodie in domo tua oportet me manere,* ad exemplum humilitatis. Exemplum namque humilitatis erat, quod in domo peccatoris esse volebat; exemplum etiam humilitatis, quod necessitatem suam et opportunitatem humiliter indicabat, qua alieno hospitio indigebat, secundum illud Matthaei octavo[1]: « Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos » etc. Et istud est verbum potius humilitatis quam urbanitatis, quia Christus magis venit in mundum ad docendum humilitatem quam ad docendum curialitatem. Ideo dicebat ipse discipulis Matthaei undecimo[2]: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde ». Hanc dignationem admiratur Ieremias dicens Ieremiae decimo quarto: « Quare sicut colonus futurus es in terra et quasi vir vagus, declinans ad manendum »? et Baruch tertio: « Cum hominibus conversatus est ».

xemplum umilitatis.

9. (Vers. 6.). Secundo quantum ad *devotionem Zachaei* subdit: *Et festinans descendit et excepit illum gaudens;* in quo ostenditur eius devotio, quia non tantum praebuit hospitalitatem *festinanter,* verum etiam *laetanter.* Talis enim conditio est maxime necessaria; primae Petri quarto[3]: « Ante omnia mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes »; et post: « Hospitales invicem sine murmuratione ». Non enim debet esse tristitia, sed iucunditas; secundae ad Corinthios nono[4]: « Hilarem datorem diligit Deus »; et ad Hebraeos ultimo: « Caritas fraternitatis maneat in vobis, et hospitalitatem nolite oblivisci. Per hanc enim quidam placuerunt, Angelis hospitio receptis ». Propter quod et sanctus Iob dicebat, trigesimo primo[5]: « Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit ». Et hoc debet fieri, quia quicumque recipit Christi membra, recipit et ipsum Christum; Matthaei vigesimo quinto: « Hospes eram, et collegistis me »; et post quaerentibus, quomodo haec fecerunt, respondet: « Quod uni ex minimis meis fecistis mihi fecistis ». Unde et Zachaeus per hanc hospitalitatem salvatus est; similiter et Lot liberatus est a Sodomis per Angelos hospitio receptos, Genesis decimo nono[6]. Et similiter mulier Sunamitis per Eliseum, quem hospitio recepit, et habuit prolem, cum esset sterilis, et post filius eius a morte suscitatus est, quarti Regum quarto. Et mulier Sareptana suscipiendo Eliam periculum famis evasit, tertii Regum decimo septimo. Et universaliter qui hospitales fuerunt divinam gratiam adepti sunt, quia, sicut dicitur Deuteronomii decimo[7], « Dominus amat peregrinum et dat ei victum et vestitum »; unde Proverbiorum decimo nono: « Feneratur Domino qui miseretur pauperis ».

evotio Zachaei.

Notandum.

10. (Vers. 7.). Tertio quantum ad *murmurationem populi perversi* subdit: *Et cum viderent omnes,* scilicet oculo iudicii perversi, de quo Ecclesiastici undecimo[8]: « Sicut prospector videns casum proximi sui; bona enim in mala convertens insidiatur et in electis imponit maculam ». — Et quia ad malum iudicium sequitur murmur, ideo subdit: *Murmurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem divertisset,* scilicet susurrio verbi dolosi, quod valde vitandum; ideo dicitur Sapientiae primo[9]: « Custodite vos a murmuratione, quae nihil prodest, et a detractione parcite linguae ». Hoc autem *murmur* multum displicet Deo per omnem modum; ideo Threnorum tertio[10]: « Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis »? Hic autem populus semper libenter murmuravit; Exodi decimo sexto: « Murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen et contra Aaron »; et Numerorum undecimo: « Ortum est murmur populi contra Dominum ». Et ideo primae ad Corinthios decimo: « Neque murmuraveritis, sicut et quidam eorum murmuraverunt et perierunt ab exterminatore ». Et nunc murmurabant contra Dominum — et in hoc figuram gerebant illius gentis murmurantis contra Dominum — quia suscepit gentes. Unde Glossa[11] dicit: « Manifestum est, Iudaeos semper odisse populum gentium, vel non intellexisse salutem; unde et adversus Petrum dicitur: *Quare introisti ad viros praeputium habentes*»? Actuum undecimo. — Propter quod intelligendum, quod, sicut praetactum est[12], per ingressum Christi in domum Zachaei, principis publicanorum, intelligitur eius ingressus in Ecclesiam gentium, a qua libenter susceptus est. Ideo Christus dixit Zachaeo, ut *descenderet* ad humilitatem, quia opportunum erat, quod in eius domo maneret, synagoga deserente

Murmuratio populi.

Notandum.

Notandum.

[1] Vers. 20. — Vat. omittit *qua alieno hospitio indigebat.*

[2] Vers. 29. — Duo seqq. loci sunt Ier. 14, 8. (pro *vir vagus,* quod sumtum est ex v. 9, Vat. cum Vulgata *viator)* et Baruch 3, 38. — August., Serm. 174. (alias 8. de Verbis Apostoli) c. 4. n. 5: Iam ergo Dominus, qui Zachaeum in corde susceperat, in domum eius dignatus est suscipi et dixit: *Zachaee, festinans descende...* Magnum beneficium ille arbitrabatur, Christum videre. Qui magnum et ineffabile beneficium putabat transeuntem videre, subito meruit in domo habere.

[3] Vers. 8. et 9.

[4] Vers. 7, post quem Hebr. 13, 1. seq., ubi pro *placuerunt* (ita etiam August., Specul. de Epist. ad Hebr.) Vulgata *latuerunt.*

[5] Vers. 32. — Sequuntur Matth. 25, 35. et 40.

[6] Vers. 15. seqq. — Subinde allegantur IV. Reg. 4, 1. seqq. et III. Reg. 17, 9. seqq.

[7] Vers. 18. et deinde Prov. 19, 17.

[8] Vers. 32. et 33.

[9] Vers. 11; cfr. supra c. 15. n. 4.

[10] Vers. 39, cui subnectuntur Exod. 16, 2; Num. 11, 1. et I. Cor. 10, 10.

[11] Scilicet *ordinaria* (ex Beda), in cuius fine allegatur Act. 11, 3, ubi pro *viros* C D F H cum Glossa *gentes.* Cod. H cum textu originali omittit *populum.*

[12] Supra n. 1. et 7. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) apud Lyranum in Luc. 19, 5: Hodie tamen in domo pusilli Zachaei oportet illum manere, id est, novae lucis gratia coruscante, in humili credentium nationum corde quiescere.

fidem; Actuum decimo tertio[1]: « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam illud repellitis et indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce, convertimur ad gentes ».

Septiformis domus Christi.

11. Et nota, quod domus, in qua Christus manet, est septiformis, prima scilicet est domus *habitationis materialis,* in qua manet in persona pauperis; Isaiae quinquagesimo octavo[2]: « Frange esurienti panem tuum et egenos vagosque induc in domum tuam » etc. — Secunda est domus *basilicae materialis,* in qua manet in Sacramento altaris; Matthaei vigesimo primo[3]: « Domus mea domus orationis vocabitur »; et Psalmus: « Introibo in domum tuam » etc. — Tertia est domus *Ecclesiae militantis,* in qua manet in membris suis; primae ad Timotheum tertio[4]: « Haec scribo tibi, fili, ut scias, quomodo te oporteat in domo conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna » etc. — Quarta est domus *uteri virginalis,* in qua manet per praesentiam carnis; Psalmus[5]: « Domum tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum ». — Quinta est domus *conscientiae mundae,* in qua manet spiritu sanctitatis; Sapientiae octavo[6]: « Intrans in domum meam conquiescam cum ea; non enim habet amaritudinem » etc.; et iterum Ecclesiastici trigesimo secundo: « Praecurre prior in domum tuam et illic lude et age conceptiones tuas ». — Sexta domus est *Scripturae sacrae,* in qua manet in lumine veritatis; Psalmus[7]: « Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam »; et Proverbiorum nono: « Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem » etc. — Septima domus est *Ierusalem supernae,* in qua manet in gaudio felicitatis; Ioannis decimo quarto[8]: « In domo Patris mei mansiones multae sunt »; et iterum Psalmus: « Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus ». — Quoniam igitur his septem modis suscipitur in Ecclesia gentium, quae designatur per Zachaeum; ideo hoc Evangelium legitur in Dedicationibus ecclesiarum, quae designant domus spirituales, de quibus primae Petri secundo[9]: « Ad quem accedentes, lapidem vivum », « et ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini domus spirituales, sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptabiles » etc.

Notandum.

Zachaei li-ralitas d[…] scribitu[…] triplicite[…]

12. (Vers. 8.). *Stans autem Zachaeus* etc. Postquam descripsit Zachaei studiositatem et hospitalitatem, hic describit *liberalitatem*[10]*;* quam quidem describit quantum ad conditionem triplicem, scilicet quantum ad *Zachaei oblationem* sufficientem, *Christi acceptationem* suscipientem et *rationem* principaliter moventem.

Quoad Z[…] chaei obl[…] tionem.

Primo igitur quantum ad Zachaei *oblationem sufficientem* praemittit: *Stans autem Zachaeus,* ex cordis *virilitate;* ad Ephesios sexto[11]: « State ergo, succincti lumbos vestros in veritate »; *dixit ad Dominum: Ecce, dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus,* ex cordis *liberalitate;* in quo ostenditur perfecta liberalitas, quia dat *abunde;* dat enim *dimidium,* secundum illud Tobiae quarto[12]: « Fili, si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si autem parum, etiam illud libenter » etc., ad imitationem illius « qui dat omnibus affluenter et non improperat », Iacobi primo. — Dat *licite,* unde dicit: *Bonorum meorum;* Proverbiorum tertio[13]: « Honora Dominum de tua substantia »; quocontra Ecclesiastici trigesimo quarto: « Dona iniquorum non probat Altissimus »; et ideo ibi subditur: « Qui offert sacrificium de substantia pauperis » etc. — Item dat *accelerate;* unde dicit: *Do;* Proverbiorum tertio[14]: « Ne dicas amico tuo: Vade et revertere, cum statim possis dare »; et Ecclesiastici quarto: « Cor inopis ne afflixeris et ne protrahas datum angustianti ». — Item dat *discrete,* quia *pauperibus;* Ecclesiastici duodecimo[15]: « Si benefeceris, scito, cui feceris »; et supra decimo quarto: « Voca pauperes, debiles, caecos et claudos ». — Item dat *ordinate,* quia propria, restituendo aliena, et non solum restituendo ablatum, verum etiam damnum. — Unde dicit: *Si aliquem*[16] *defraudavi, reddo quadruplum.* Hoc dicit secundum Legem, Exodi vigesimo secundo: « Si quis furatus fuerit ovem, reddet quatuor ». Hoc autem necessarium est ad perfectam liberalitatem; unde Augustinus[17]: « Alterum horum non est satis; nec habet gratiam liberalitatis, quia non spolia, sed dona quaeruntur ».

Dat abun[…]

Dat licite

Dat accel[…]rate.

Dat discre[…]

Dat ordinate.

Quoad Chr[…]sti accept[…]tionem.

13. (Vers. 9.). Secundo quantum ad *Christi suscipientem acceptationem* subdit: *Ait autem*[18] *Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est,*

---

[1] Vers. 46, ubi pro *repellitis* G H *repulistis,* et pro *iudicatis* C D H *iudicastis.* Cfr. supra pag. 345, nota 15.

[2] Vers. 7. — Superius post *Christus* Vat. addit *opportune.*

[3] Vers. 13, post quem Ps. 5, 8. [4] Vers. 14. et 15.

[5] Psalm. 92, 5, ubi Vat. cum nonnullis codd. *in longitudine dierum.* — Codd. A C D omittunt *in qua manet per praesentiam carnis.*

[6] Vers. 16. et dcinde Eccli. 32, 15. seq.

[7] Psalm. 47, 4, cui subiungitur Prov. 9, 1.

[8] Vers. 2, post quem Ps. 121, 1. — Superius pro *supernae* Vat. *superna.*

[9] Vers. 4. et 5, in cuius fine codd. legunt: *domus spirituales, sacrificium sanctum offerre et hostias* etc. — Superius post *suscipitur* Vat. addit *Christus.* [10] Cfr. supra n. 1.

[11] Vers. 14. — Superius pro *virilitate* Vat. *humilitate;* H legit *virilitate, non territus murmuratione;* cfr. Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 19, 8.

[12] Vers. 9. et deinde Iac. 1, 5.

[13] Vers. 9, post quem Eccli. 34, 23. et 24.

[14] Vers. 28, cui subiungitur Eccli. 4, 3. — Superius pro *unde dicit: Do* (B addit *in praesenti,* H *non: dabo cras)* Vat. *unde dicit Dominus.* [15] Vers. 1. et Luc. 14, 21.

[16] Vat. cum Vulgata et H *Et si quid aliquem.* — Sequitur Exod. 22, 1.

[17] Ita codd.; substituendum est *Ambrosius,* qui, VIII. in Luc. c. 19. n. 85, ait: Alterum enim non sat est; nec habet gratiam liberalitas, si iniuria perseverat, quia non spolia, sed dona quaeruntur.

[18] Vat. cum Vulgata et H omittit *autem,* quod etiam Gorranus exhibet.

per divinae gratiae collationem, quae data est ad Christi praesentiam, per quam dedicatur et sanctificatur Ecclesia; Glossa[1]: « *Salus*, quae olim Iudaeorum domum implebat, hodie populo gentium illuxit », secundum illud Isaiae quadragesimo nono: « Parum est, ut sis servus meus ad faeces Israel convertendas. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae ». Et haec *salus* debetur praedestinatis. — Ideo subdit: *Eo quod et ipse sit filius Abrahae;* Glossa[2]: « *Filius*, non carne, sed fide »; ad Romanos nono: « Neque qui semen Abrahae sunt, omnes filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen ». Nam « non qui filii carnis, hi filii, sed qui filii sunt promissionis aestimantur in semine ». Et de his filiis supra tertio: « Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae »; et Ioannis undecimo: « Iesus passus est, ut filios Dei, qui dispersi erant, congregaret in unum ».

Quoad rationem motivam.

14. (Vers. 10.). Tertio quantum ad *motivam rationem* subiungit: *Venit autem*[3] *Filius hominis quaerere,* per *sapientiam;* Psalmus: « Erravi sicut ovis, quae periit; quaere servum tuum, Domine » etc. — *Et salvum facere quod perierat,* scilicet per *misericordiam;* secundi Paralipomenon ultimo[4]: « Indignum salvabis me secundum magnam misericordiam tuam »; et haec est misericordia salvans. Propter quod et *Iesus* vocatur; Matthaei primo[5]: « Vocabis nomen eius Iesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum »; et Actuum quarto: « Neque enim in alio aliquo est salus. Non est enim aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri ». Unde ad Romanos decimo: « Omnis, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit ».

Exemplum parabolicum sedulitatis in multiplicando spiritualia et contrariae negligentiae.

15. *Haec illis audientibus* etc. Postquam exemplo expresso approbavit liberalitatem in distribuendo temporalia, hic *exemplo parabolico commendat sedulitatem in multiplicando spiritualia,* et e contrario *reprobat negligentiam*[6]. Est autem ista *sedulitas* per ipsorum spiritualium liberalem distributionem, et *negligentia* per ipsorum absconsionem.

Parabola exprimitur dupliciter.

In hac igitur parabola exprimenda proceditur hoc ordine. Primo namque praemittit *occasionem introducendi parabolam;* secundo vero subdit ipsius *parabolae descriptionem ordinatam,* ibi[7]: *Dixit ergo: Homo quidam nobilis* etc.

Primo exprimitur duplex occasio producendi parabolam.

Circa *occasionem* attendendum, quod duplicem notat istius parabolae introducendae occasionem, rationalem scilicet *confutationem rebellium* et *instructionem simplicium.*

Ad confutationem rebellium.

16. (Vers. 11.). Primo igitur quantum ad *confutationem rebellium* dicit: *Haec illis audientibus,* scilicet illis qui murmurabant, *adiiciens dixit parabolam, eo quod esset prope Ierusalem,* in qua scilicet a Iudaeis rebellibus occidendus erat, secundum quod Evangelista passionem ipsius in Ierusalem factam in sequentibus[8] narrat. Ideo parabolam dicit, in qua confutatio rebellium explicatur, secundum quod in fine parabolae[9] ponitur: « Verumtamen inimicos meos, qui noluerunt, me regnare super se, adducite huc et interficite ante me ». In hanc autem rebellionem inciderunt, quia non habuerunt sedulitatem ad Christi gratiam cognoscendam; et ideo excaecati sunt et obdurati, quia[10] gratiam, quam debebant suscipere, impugnabant. Et propterea iusto Dei iudicio veritas eis proponebatur non explicite, sed parabolarum aenigmatibus obvoluta, secundum illud Matthaei decimo tertio[11]: « In parabolis loquor eis, quia videntes non vident, et audientes non audiunt neque intelligunt, ut impleatur in eis prophetia Isaiae dicentis: Auditu audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non videbitis. Incrassatum est enim cor populi huius, et auribus graviter audierunt et oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis et auribus audiant et corde intelligant, et sanem eos », Matthaei decimo tertio de Isaiae sexto.

Ad eruditionem simplicium.

17. Secundo quantum ad *eruditionem simplicium* subdit: *Et quia existimarent*[12], *quod confestim regnum Dei manifestaretur.* Hoc aestimabant ipsi discipuli, quia credebant, Christum redemptorem et salvatorem ire in Ierusalem ad suae regiae potestatis ostentationem. Unde et secundum seriem narrationis historiae evangelicae hoc tempore « accessit mater filiorum Zebedaei ad Iesum », quando, secundum quod dicitur Matthaei vigesimo[13], « dixit Domino: Dic, ut sedeant hi duo filii mei,

---

[1] Scilicet *interlinearis* (ex Beda, V. in Luc. 19, 9.) in Luc. 19, 10, in qua pro *quae olim* Vat. cum nonnullis codd. perperam *quae hodie.* — Sequitur Isai. 49, 6. — Inferius pro *debetur praedestinatis* Vat. cum paucis codd. *dabitur praedestinatis.*

[2] Nempe *ordinaria* (ex Beda). — Subinde allegantur Rom. 9, 7. seq.; Luc. 3, 8. et Ioan. 11, 51. seq.

[3] Cod. H cum Vulgata *Venit enim.* — Sequitur Ps. 118, 176.

[4] Ita codd.; habetur tamen in fine Orationis Manassae.

[5] Vers. 21. — Duo seqq. loci sunt Act. 4, 12, et Rom. 10, 13.

[6] Cfr. supra n. 1. — Inferius pro *exprimenda* Vat. *exponenda.*

[7] Vers. 12.

[8] Cap. 22. et 23. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 19, 11: Suscepta et commendata poenitentia publicani divitis, per parabolam docet, sibi magis poenitentiam peccatorum quam iustitiam placere superborum, latiusque in gentibus de ignorantia Legis humilibus quam in Iudaeis de iustitia Legis superbientibus se esse regnaturum.

[9] Vers. 27. huius cap.

[10] Ita G, alii codd. omittunt *quia,* pro quo Vat. addit *et;* H post *ideo* habet *sicut excaecati et.*

[11] Vers. 13-15, ubi pro *ut impleatur* Vat. cum Vulgata *et impletur;* citantur Isai. 6, 9. et 10.

[12] Codd. A C D F H *aestimarent,* et subinde pro *manifestaretur* G *manifestaret.*

[13] Vers. 20. et 21.

unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo ». Unde Glossa [1]: « Quia discipuli existimabant, regnum Dei mox esse venturum, hanc eorum ignorantiam illuminat, docens, se regni sui fidem toto orbe dispersurum et in fine saeculi iudicem omnium regemque venturum ». Unde et haec parabola est ad instructionem omnium volentium pervenire ad regnum, ut intelligant, se non posse in illud pervenire nisi per multiplicationem spiritualium et fidele obsequium, secundum quod dicitur Matthaei septimo [2]: « Non omnis, qui dicit: Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, hic intrabit in regnum caelorum ». Haec autem voluntas Dei consistit in fideli usu et dispensatione bonorum spiritualium commissorum, secundum illud supra duodecimo [3]: « Quis, putas, est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam »? « Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua, quae possidet, constituet eum ».

Secundo datur expressio parabolae quoad duo. 18. (Vers. 12.). *Dixit ergo: Homo quidam* etc. Post occasionem introducendae parabolae subditur hic *ordinata expressio introductae* [4]; circa quam primo describitur *status meriti et demeriti*; secundo vero, *status et forma iudicii*, ibi [5]: *Et factum est, ut rediret, accepto regno* etc.

De statu meriti et demeriti tria. Circa *statum meriti et demeriti* tria introducuntur, scilicet *subtractio divinae praesentiae* in Christi ascensione, *collatio supernae gratiae* in Spiritus sancti missione, *obduratio humanae perfidiae* in Iudaeorum rebellione.

Primum. Primo igitur quantum ad *subtractionem divinae praesentiae in ascensione Christi* dicit: *Dixit ergo: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam.* Homo iste nobilis est Christus, qui *nobilis* erat secundum *carnem,* cum esset de genere regio; supra decimo octavo [6]: « Iesu, fili David » etc.; *nobilior* erat quantum ad *superadditam potestatem,* secundum quod Proverbiorum ultimo: « Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terrae », et hoc erit in iudicio; sed *nobilissimus* est quantum ad *originem ipsius ex Patre.* Ideo Apocalypsis decimo nono [7]: « Habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium ». Vere nobilis, a cuius generatione laudanda, exprimenda et cogitanda deficit omnis lingua; Isaiae quinquagesimo tertio [8]: « Generationem eius quis enarrabit »? Ideo Angelus ad Virginem, supra primo: « Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus » etc. Hic *abiit in regionem longinquam,* cum ascendit in caelum et in altissimum caelum, quod maxime elongatur a terra et locali distantia et qualitativa differentia. Ideo in huius figuram Proverbiorum septimo [9]: « Non est vir in domo sua, abiit via longissima ». Et hoc quidem factum est in ascensione; Psalmus: « Psallite Deo, qui ascendit super caelos caelorum ad orientem ». Et tunc verificatum est illud Isaiae quinquagesimo quinto: « Sicut exaltantur caeli a terra, sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris ». Et quoniam sic abiit in caelum, quod reversurus est ad iudicium; ideo subdit: *Accipere sibi regnum et reverti*; *abiit* scilicet ad regnum, sed *regnans revertetur* ad iudicium, secundum illud Actuum primo [10]: « Viri Galilaei, quid statis aspicientes in caelum » etc. Veniet autem ut rex cum potestate, secundum illud Matthaei vigesimo quarto [11]: « Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna », et tunc *revertetur de terra longinqua;* Isaiae trigesimo: « Ecce, nomen Domini de longinquo, ardens furor eius et gravis ad portandum ».

19. (Vers. 13.). Secundo quantum ad *collationem gratiae in missione Spiritus sancti* subdit: *Vocatis autem decem servis suis, dedit illis* [12] *decem mnas.* Per *vocationem servorum* intelligimus vocationem praedicatorum et praelatorum, qui debent *vocari*, quia ad Hebraeos quinto [13]: « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron ». Hi dicuntur *servi* et a *serviendo* et a *servando: a serviendo,* per reverentiam humilitatis, secundum illud Matthaei vigesimo [14]: « Quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester Secundum. Notandum.

---

[1] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) apud Lyranum in Luc. 19, 11: Et quia discipuli, audita passione et resurrectione Ierosolymis implenda, existimabant etc. Ita etiam II. Pro *existimabant* A C D F *aestimabant.*

[2] Vers. 21.

[3] Vers. 42. et 44.

[4] Cfr. supra n. 15.

[5] Vers. 15. — Cyrill. Alexandr. in Luc. 19, 11: Scopus parabolae est breviter repraesentandi totam quae nostri causa suscepta fuit incarnationis rationem Christique a primordiis ad finem usque mysterium. Factus est enim Deus Verbum homo, in servili conditione se gessit, sed tamen erat et est nobilis, quod attinet ad ineffabilem ex Patre nativitatem. Peracto autem in suscepta carne mysterio, ad... gloriam reversus est atque in longinquam veluti regionem profectus etc.

[6] Vers. 38. — Sequitur Prov. 31, 23.

[7] Vers. 16. — Cfr. Basil., Comment. in Isai. 13, 8. n. 263.

[8] Vers. 8. — Subinde allegatur Luc. 1, 32. — Superius post *Vere nobilis* Vat. prosequitur *ad cuius generationem laudandam, exprimendam et cogitandam deficit* etc.

[9] Vers. 19. — Duo seqq. loci sunt Ps. 67, 33. seq. et Isai. 55, 9.

[10] Vers. 11. — August., II. Qq. Evangelior. q. 46: *Homo quidam nobilis abiit... et reverti,* ipse Dominus noster Iesus Christus intelligitur. Regio longinqua, Ecclesia gentium usque ad fines terrae. Reverti tamen se dicit; abiit enim, ut *plenitudo gentium intraret* [Rom. 11, 25.]; revertetur, ut *omnis Israel salvus fiat* [ibid. v. 26.]... Rediit autem, accepto regno, quia in manifestissima et eminentissima claritate venturus est, qui eis humilis apparuit, cum diceret [Ioan. 18, 36.]: *Regnum meum non est de hoc mundo.*

[11] Vers. 30; cfr. Luc. 21, 27. — Sequitur Isai. 30, 27.

[12] Ita etiam Beda et Gorranus; Vat. cum Vulgata *eis.*

[13] Vers. 4. Cfr. Rom. 10, 15: Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?

[14] Vers. 27. — August., XIX. de Civ. Dei, c. 15: Origo autem vocabuli *servorum* in Latina lingua inde creditur ducta, quod hi qui iure belli possent occidi, a victoribus cum servabantur, servi fiebant, a *servando* appellati. Cfr. Isidor., V.

servus ». Dicuntur etiam servi a *servando*, per custodiam gregum, quia debent gregem dominicum servare et custodire; tertii Regum vigesimo [1]: « Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima eius ». Et de his primae Petri quinto: « Seniores, pascite qui in vobis est gregem, non ut dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo ». Hi dicuntur esse *decem* sive propter numeri sufficientiam, sive propter hoc, quod omne Christi servitium reducitur ad observantiam perfectam decem mandatorum; quorum *notitiam litteralem* Apostoli habebant ex lege decalogi; sed *spiritualem* intelligentiam et *observantiam perfectam* non habebant nisi per gratiam datam. Ideo dicitur *dedisse decem mnas*, id est gratiam sufficientem ad illa praecepta intelligenda, implenda et praedicanda. Unde Beda [2]: « *Vocat decem servos*, dum eligit discipulos littera decalogi imbutos; *dat decem mnas*, dum post resurrectionem aperit sensum eis, ut spiritualiter intelligant Legis dicta ». Et hoc plene factum est, quando per Spiritum sanctum edocti sunt veritatem; unde Ioannis decimo sexto [3]: « Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos » etc. Dedit autem *decem* mnas ad insinuandam intelligentiam perfectam Scripturarum; unde Glossa [4]: « Mna decem drachmas appendit; et omnis Scripturae sermo, quia vitae caelestis perfectionem suggerit, quasi centenarii numeri pondere fulget ». In cuius designationem Spiritus ille venit post ascensionem decem diebus et descendit super duodecies decem, id est « centum viginti [5] » ad perfectionem ministerii et corporis mystici, secundum illud ad Ephesios quarto: « Qui descendit, ipse est et qui ascendit, ut adimpleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii ».

Necessitas gratiae.

Decem mnae.

20. Dedit autem eis sapientiam propter universalem Ecclesiam instruendam; et ideo addit: *Et ait illis* [6]: *Negotiamini, dum venio; negotiamini*, scilicet praedicando et fructificando; primae ad Corinthios duodecimo: « Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem ». Est autem triplex negotiatio: *indifferens, pessima* et *optima*: *indifferens*, qua temporalia commutantur in temporalia; Baruch tertio [7]: « Filii Agar, qui exquisierunt » etc. — Alia vero est *mala*, qua spiritualia commutantur in temporalia per simoniam; et haec est Deo displicens, de qua Ioannis secundo [8]: « Dicit ad vendentes columbas: Auferte ista hinc et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis ». — Alia negotiatio est *optima*, qua quis spiritualia dat, ut spiritualia colligat; et haec est bona et Deo placita, secundum illud Isaiae vigesimo tertio [9]: « Erunt negotiationes eius et merces eius sanctificatae Domino ». Et de hac Proverbiorum ultimo: « Gustavit et vidit, quoniam bona est negotiatio eius »; quia « simile est regnum caelorum homini negotiatori » etc. Unde Glossa [10]: « Verba Legis mystica interpretatione discussa populis offerte et ab eis fidei confessionem morumque probitatem recipite ». — Qui ergo praedicat propter lucrum temporale malus negotiator est; qui autem propter lucrum animarum spiritualis negotiator est, qualis erat Paulus, qui dicebat secundae ad Corinthios duodecimo [11]: « Non quaero vestra, sed vos ». Si tamen et hic metat carnalia, ut non ponat ibi finem, sed potius e contrario; non recedit a spirituali negotiatione nec ponit Evangelium venale. Hoc enim licet ut fiat non sicut principale intentum, sed sicut ad aliud ordinatum, quia, sicut dicitur primae ad Corinthios nono [12], « si nos vobis spiritualia seminamus, non magnum est, si vestra carnalia metamus ».

Ad quem finem dederit sapientiam.

Triplex negotiatio.

Corollarium.

21. (Vers. 14.). Tertio quantum ad *obdurationem humanae perfidiae in rebellione populi Iudaici* subiungitur: *Cives autem eius oderant eum* [13]. *Cives* isti dicuntur Iudaei; unde Glossa: « *Cives*, id est Iudaei, ex quibus est Christus secundum carnem », secundum illud ad Romanos nono: « Quorum est adoptio filiorum et gloria et testamentum et

Tertium.

---

Etymolog. c. 27. n. 32. et l. Differentiar. n. 525: *Servi* sunt in bello capti, quasi *servati*; n. 526: *Servitus* est conditio serviendi.

[1] Vers. 39. et deinde I. Petr. 5, 1-3, ubi pro *clero* Vat. cum Vulgata *cleris*. — Superius pro *custodiam gregum* C D H *custodiam gregis*.

[2] Libr. V. in Luc. 19, 13, cuius sententia exhibetur verbis Glossae *ordinariae* in eundem loc., in cuius fine respicitur Luc. 24, 45: Tunc aperuit illis sensum etc.

[3] Vers. 13. — Superius vocibus *edocti sunt* Vat. cum pluribus codd. praefigit *omnem* (A C D omittunt).

[4] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 19, 13.

[5] Act. 1, 15, de quibus Lucas ibid. c. 2, 1. seqq. ait: « Et cum complerentur dies Pentecostes, erant *omnes* pariter in eodem loco » etc. Ita Chrysost., Homil. 4. in Act. Apostol. n. 1; August., Serm. 267. (alias 186. de Tempore) c. 1. n. 1: « Hoc exspectantes discipuli eius, animae, ut scriptum est [Act. 1, 15.], *centum viginti*, decuplato numero Apostolorum; duodecim enim elegit et in centum viginti Spiritum misit » etc. Restrictio ergo verborum *Et erant omnes* etc., ad solos Apostolos (cfr. Glossa *interlinearis* et Card. Hugo in hunc loc.) est nimis arcta. — Sequitur Eph. 4, 10-12.

[6] Ita etiam Beda; Vulgata *ad illos*. — Subinde allegatur I. Cor. 12, 7. — Superius Vat. omittit *universalem*.

[7] Vers. 23. — Pro *qua temporalia commutantur in temporalia* A H *quoad temporalia* (ita etiam D a secunda manu).

[8] Vers. 16.

[9] Vers. 18. (pro *merces* Vulgata *mercedes*). — Duo seqq. loci sunt Prov. 31, 18. et Matth. 13, 45.

[10] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 19, 13.

[11] Vers. 14. — Superius e codd. A C D H supplevimus *qui autem... negotiator est*.

[12] Vers. 11. Cfr. supra c. 9. n. 6. et c. 10. n. 13. — Superius pro *ad aliud ordinatum* D *ad illud* [principale intentum] *ordinatum*.

[13] Codd. C D F H cum Beda *illum*. — Subinde allegantur Glossa *interlinearis* (August., II. Qq. Evangelior. q. 46: *Cives... Iudaei sunt*) et Rom. 9, 4. seq.

legislatio et obsequium et promissa, quorum sunt patres, et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia benedictus Deus ». Hi cives oderunt eum, secundum illud Ioannis decimo quinto [1]: « Ut adimpleatur sermo, qui in Lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis », cum potius debuerint eum diligere; et Ioannis primo: « In propria

Notandum. venit, et sui eum non receperunt ». — Et quia Iudaei non tantum oderunt Christum praesentem, verum etiam resurgentem et ascendentem; ideo subdit: *Et miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus, hunc regnare super nos. Legationem* dicuntur post Christum *mittere,* quando non solum persecuti sunt eum in se, verum etiam in suo corpore; unde Glossa [2]: « Non solum praesentem usque ad mortem crucis oderant, sed etiam post resurrectionem eius miserunt persecutionem Apostolis et praedicationem caelestis regni spreverunt ». Unde dicitur Actuum octavo [3]: « Facta est persecutio magna in Ecclesia, quae erat Ierosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones »; et primae ad Thessalonicenses secundo: « Imitatores facti estis omnium Ecclesiarum, quae sunt in Iudaea in Christo Iesu, quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Iudaeis, qui et Dominum occiderunt et nos persecuti sunt et omnibus adversantur, prohibentes, nos gentibus loqui, ut salvae fiant, ut impleant peccata sua semper ». Unde ipsum negaverunt; Ioannis decimo nono [4]: « Non habemus regem nisi caesarem ». Nolendo autem Christum regnare super eos, perdiderunt regnum; unde Danielis nono: « Non erit eius populus, qui eum negaturus est »; et nolendo eum regnare, desierunt esse cives, secundum illud Isaiae primo: « Quomodo facta est meretrix civitas fidelis » etc. Ideo autem noluerunt regnare caelestem, quia amabant regnum carnale; Ioannis tertio [5]: « Lux venit in mundum, et dilexerunt magis tenebras quam lucem ». Et sic verificatum est illud Isaiae primo: « Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me ».

22. (Vers. 15.). *Et factum est, ut rediret* etc.

De forma et statu iudicii tanguntur quatuor. Postquam descripsit statum meriti, describit hic *formam et statum iudicii* [6]; quem quidem describit Evangelista, primo scilicet *generaliter respectu omnium;* secundo, *respectu servorum fidelium,* ibi [7]: *Venit autem primus dicens;* tertio *respectu negligentium,* ibi: *Et tertius venit dicens;* quarto *respectu rebellium,* ibi: *Verumtamen inimicos meos* etc.

In genera status iud cii describ tur triplic ter. Statum autem iudicii *in generali* describit tripliciter, scilicet quantum ad ipsius iudicis *apparitionem manifestam, iussionem potestativam* et *inquisitionem* [8] *districtam.*

Quoad iud cis appar tionem m nifestam. Primo igitur quantum ad *iudicis apparitionem manifestam* dicit: *Et factum est, ut rediret, accepto regno.* Glossa [9]: « Hoc erit, quando ille qui humilis apparuit, in manifestissima claritate iudicaturus adveniet »; Apocalypsis primo: « Ecce, veniet cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt ». Tunc enim erit *manifestus* ille adventus eius; unde supra decimo septimo [10]: « Sicut fulgur de caelo in ea quae sub caelo sunt, fulget; ita erit et adventus Filii hominis »; quia, sicut dicitur primae ad Corinthios quarto, « illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium ». Quod autem dicitur Amos quinto: « Dies Domini tenebrae et non lux, caligo et non splendor », intelligitur quantum ad superbos et impios, quos tenebrosus turbo involvet, et tollentur, ne videant Domini claritatem.

Quoad ipsiu iussionem potestativam. 23. Secundo quantum ad *iussionem potestativam* subdit: *Iussit* [11], *vocari servos, quibus pecuniam dedit.* Haec autem iussio *summae potestatis* erit, quia etiam mortuos suscitabit; primae ad Thessalonicenses quarto: « Ipse Dominus in iussu et in voce Archangeli et in tuba Dei descendet de caelo, et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi ». Haec autem iussio erit et *in propria virtute,* secundum illud Ioannis quinto [12]: « Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei ». Erit etiam *per angelicum ministerium;* secundae ad Thessalonicenses primo: « In revelatione Domini nostri Iesu Christi de caelo cum Angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam »; unde Matthaei decimo tertio: « Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala et eos qui faciunt iniquitatem ». Congregant etiam bonos virtute et velocitate naturae; Psalmus [13]: « Benedicite Domino,

---

[1] Vers. 25. et deinde 1, 11.

[2] Scilicet *interlinearis* (ex Beda, qui sequitur August., loc. cit.) in Luc. 19, 14. — Superius pro *post Christum* (B addit *mortuum)* Vat. *post mortem.*

[3] Vers. 1, post quem I. Thess. 2, 14-16.

[4] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt Dan. 9, 26. et Isai. 1, 21. Cfr. August., Enarrat. in Ps. 73. n. 3; in Ps. 88. enarrat. 2. n. 7. et in Ioan. Evang. tr. 49. n. 26. — Inferius pro *regnare super eos* (B H *super se)* Vat. *regem.*

[5] Vers. 19. et deinde Isai. 1, 2.

[6] Cfr. supra n. 18. — Immediate post pro *quem quidem* C D F H *quam quidem.*

[7] Vers. 16; tertium habetur v. 20, ubi pro *Et tertius* (ita etiam B. Albert., S. Thom., Cat. aurea in Luc. 19, n. 2. et Gorranus) Vat. cum Vulgata *Et alter;* quartum est v. 27.

[8] Codd. C D H *disquisitionem;* idem recurrit infra n. 24.

[9] Scilicet *interlinearis* (ex Beda, qui sequitur August. supra pag. 479, nota 13. allegatum), post quam Apoc. 1, 7.

[10] Vers. 24; cfr. Matth. 24, 27. — Duo seqq. loci sunt I. Cor. 4, 5. et Amos 5, 20, quem explicans Hieron. ait: In *caligine* autem et *tenebris,* quae contraria sunt luci et splendori, tormentorum diversitas explicatur. — Inferius voci *intelligitur* codd. praefigunt *ita.*

[11] Cod. H cum Vulgata *Et iussit.* — Subinde allegatur I. Thess. 4, 16.

[12] Vers. 28, post quem allegantur II. Thess. 1, 7. seq. et Matth. 13, 41.

[13] Psalm. 102, 20. — Cfr. IV. Sent. d. 43. dub. 1. seq. et d. 47. dub. 3.

omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum eius ad audiendam vocem sermonum eius ».

24. Tertio quantum ad *inquisitionem districtam* subdit: *Ut sciret, quantum quisque negotiatus esset;* Glossa [1]: « *Sciri* faciet; tunc omnium opera et cogitationes omnibus palam ostendentur ». Unde Danielis septimo: « Iudicium sedit, et libri aperti sunt »; haec autem *apertio* est ponderatio meritorum et demeritorum secundum comparationem factorum ad rationes faciendorum. Unde Apocalypsis vigesimo [2]: « Vidi mortuos pusillos et magnos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt, et alius liber apertus est, qui est liber vitae; et iudicati sunt mortui ex his quae scripta erant in libris »; quia, secundum quod dicitur secundae ad Corinthios quinto, « omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis sui, prout gessit, sive bonum sive malum ». Unde cuilibet dicetur illud quod dicitur villico supra decimo sexto [3]: « Redde rationem villicationis tuae ».

Quoad inquisitionem districtam.

25. *Venit autem primus* etc. Postquam descripsit iudicii formam respectu omnium, hic consequenter describit eam *respectu servorum fidelium* [4]. Et quoniam duplex fuit ordo praedicantium, secundum duplicem parietem Ecclesiae coniunctum per lapidem angularem [5], quidam scilicet, qui converterunt populum Iudaeorum, alii vero, qui converterunt populum gentium: ideo primo describit iudicium remunerativum fidelis servi *in eruditione Iudaeorum;* secundo vero, *in conversione gentilium populorum,* ibi [6]: *Et alter venit dicens* etc.

Respectu servorum fidelium status iudicii describitur dupliciter.

Circa *iudicium servorum fidelium in conversione Iudaeorum* tria introducuntur, scilicet *multiplicatio talenti commissi, approbatio superni iudicii* et *retributio praemii cumulati.*

Primo, in conversione Iudaeorum per tria.

26. (Vers. 16.). Primo igitur quantum ad *multiplicationem talenti commissi* dicit: *Venit autem primus dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisivit. Primus* autem servus dicitur ille cui primo commissum est praedicationis officium, sicut fuit Petrus, cui commissa est convertenda synagoga Iudaeorum; unde Glossa [7]: « Primus servus est ordo doctorum in circumcisionem missus », qui ideo dicitur *primus,* quia, sicut dicitur Actuum decimo tertio, « vobis primum oportebat evangelizare regnum Dei ». Hic enim servus dicitur *unam mnam accepisse* propter unitatem gratiae et doctrinae; unde Glossa [8]: « Mnam unam negotiationis accepit, quia unum Deum, unam fidem, unum baptisma iussus est praedicare »; ad Ephesios quarto: « Solliciti, servare unitatem spiritus in vinculo pacis, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma ». Dicitur etiam *decem mnas acquisivisse* propter conversionem eorum qui erant sub Lege; unde et Glossa [9]: « Decem mnas acquisivit, dum populum sub Lege constitutum docendo sibimet sociavit »; Actuum quinto: « Magis augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita ut in plateas eiicerent infirmos, ut, veniente Petro, obumbrarentur et liberarentur ab infirmitate ». Hanc ergo plebem acquisitam Domino offert tanquam meritum. In cuius figuram Genesis vigesimo septimo [10]: « Surge, comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua ». — Et nota, quod non dicit: *ego acquisivi,* sed: *mna,* ut dicat illud Isaiae vigesimo sexto: « Omnia opera nostra in nobis operatus es, Domine »; et illud primae ad Corinthios decimo quinto: « Non autem ego, sed gratia Dei mecum ».

Primum.

Figura.

Notandum.

27. (Vers. 17.). Secundo quantum ad *acceptationem superni iudicii* subdit: *Et ait illi: Euge, serve bone, quia in modico fuisti fidelis.* Et nota, quod *euge* aliquando est *irrisorium,* secundum illud Psalmi [11]: « Dixerunt: Euge, euge, viderunt oculi nostri ». Aliquando *adulatorium;* Psalmus: « Avertantur statim erubescentes qui dicunt mihi: Euge, euge »; et iterum: « Ferant confestim confusionem suam qui dicunt mihi: Euge, euge »; quia adulatio est citissime repellenda. Aliquando est *adhortatorium,*

Secundum.

[1] Scilicet *interlinearis* (ex Beda). Vat. et H cum textu originali: *Id est, sciri faceret* [etiam D F *faceret*]; *tunc enim omnium* etc.; G omittit *Sciri faciet.* — Sequitur Dan. 7, 10. — Superius pro *inquisitionem* C D H *disquisitionem;* cfr. supra pag. 480, nota 8.

[2] Vers. 12. et deinde II. Cor. 5, 10. Cfr. IV. Sent. d. 43. a. 2. et 3; Breviloq. p. VII. c. 1. — Superius voci *ponderatio* Vat. praefigit *disquisitio et.*

[3] Vers. 2. — Glossa *interlinearis: Quantum quisque negotiatus esset,* ut simul de iudicantibus et negotiatis iudicet. Cfr. Beda, in hunc loc.

[4] Cfr. supra n. 22.

[5] Vide Eph. 2, 14. seqq.; cfr. Isai. 28, 16. et I. Petr. 2, 6. seqq.

[6] Vers. 18. — Vat. omittit *in conversione gentilium... servorum fidelium.*

[7] Scilicet *ordinaria* (ex Beda), post quam Act. 13, 46, ubi pro *evangelizare regnum Dei* (cfr. Luc. 4, 43.) H et Vat. cum Vulgata *loqui verbum Dei.*

[8] Nempe *ordinaria* (ex Beda), in qua pro *iussus est praedicare* (ita etiam Beda) Glossa *missus est praedicare.* — Sequitur Eph. 4, 3-5.

[9] Scilicet *ordinaria* (ex Beda), cui subnectuntur Act. 5, 14. et 15.

[10] Vers. 19; cfr. v. 31. — Duo loci seqq. sunt Isai. 26, 12. (cfr. supra pag. 261, nota 12.) et I. Cor. 15, 10. — Inferius post *sed mna* H addit *tua,* Vat. *acquisivit.*

[11] Psalm. 34, 21. (pro *oculi nostri* A C D F H *animae nostrae),* super quo Petr. Lombard. (ex August.): Vel dixerunt insultando *euge, euge.* Vox irrisoria est et insultatoria; iam *viderunt oculi nostri* facta tua et mirabilia tua. Hic est Christus, et si ipse est Christus *rex Israel, descendat de cruce, et credimus ei* [Matth. 27, 42.]. — Duo seqq. loci sunt Ps. 69, 4. et 39, 16. In priorem loc. ait Petr. Lombard. (ex August. et Cassiodor.): « *Euge, euge,* irrisorie, vel adulatorie. Duo enim sunt genera persequentium: vituperantium et adulantium. *Sicut enim igne aurum probatur, ita vir lingua adulantium* » [Prov. 27, 21.] etc. Idem in posteriorem loc. (ex August.): *Qui dicunt mihi,* adulatorie, *euge, euge,* id est, qui applaudunt mihi quasi bono animo.

sicut hic et Matthaei vigesimo quinto [1]: « Euge, serve bone et fidelis, super multa te constituam ». Hic autem servus dicitur *bonus* in obsequio faciendo et *fidelis* in commisso servando et dispensando; primae ad Corinthios quarto: « Hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur »; et Proverbiorum vigesimo: « Multi homines misericordes vocantur, virum autem fidelem quis inveniet »? Ideo autem *fidelis* dicitur simpliciter, quia fidelitatem circa parva servavit. Nam supra decimo sexto [2]: « Qui fidelis est in minimo et in maiori fidelis est ». « Modicum autem, sicut dicit Glossa, est quidquid in praesenti percipimus donorum ad comparationem futurorum. *Ex parte enim cognoscimus et ex parte prophetamus* », sicut dicitur primae ad Corinthios decimo tertio. In his autem est fidelis qui ea fideliter communicat, « non quaerens quae sua sunt, sed quae Iesu Christi [3] ». Bernardus: « Fidelis re vera servus Domini es, si de multa gloria Domini tui, etsi non exeunte ex te, tamen per te transeunte, nihil manibus tuis adhaerere contigerit ». Talis servus fuit Paulus, qui dicebat secundae ad Corinthios secundo [4]: « Non sum sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur ».

Tertium. 28. Tertio quantum ad *retributionem praemii cumulati* subiungit: *Eris potestatem habens super decem civitates.* Nota, quod *decem civitates* istae intelliguntur esse animae *beatificatae*, sicut per *decem mnas* acquisitas animae *ad Christum conversae;* quas vocat *mnas* in statu viae propter vertibilitatem, sed in statu patriae *civitates* propter immutabilitatem gloriae. Et de hoc Glossa [5]: « Decem civitates sunt animae per verba Legis ad gratiam Evangelii pervenientes, quibus tunc glorificandus praeponitur qui eis pecuniam verbi digne Deo commendaverit. Unde primae ad Thessalonicenses secundo: *Quae est spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriae?*

Notandum. *Nonne vos ante Dominum Iesum* » etc. Dicuntur autem eis *praeponi* propter quandam excellentiam gloriosam, non per imperium potestativum, quia, primae ad Corinthios decimo quinto [6], « cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem » etc.; quod dicitur quantum ad imperium dominationis, non quantum ad gradum excellentiae et dignitatis, quia magna erit dignitas de multorum conversione; ideo dicitur primae ad Timotheum tertio [7]: « Qui bene ministrant gradum bonum sibi acquirunt »; et iterum quinto: « Qui bene praesunt presbyteri duplici honore digni habeantur », quia et ratione sui et ratione populi acquisiti. Unde et Danielis duodecimo [8]: « Qui ad iustitiam erudiunt multos erunt quasi stellae » etc. Et propterea Ecclesiastae septimo: « Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis ». Licet igitur Iudaeorum populi pro maxima sui parte fuerint obdurati, non frustra tamen eis praedicaverunt Apostoli. Unde ad Romanos undecimo [9]: « Nunquid Deus repulit plebem suam? Absit; nam et ego Israelita sum ex semine Abraham. Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit »; et post: « Sic ergo et in hoc tempore reliquiae secundum electionem per gratiam salvae factae sunt », quae quidem sunt in gloriam praedicantium, secundum illud Isaiae quadragesimo nono [10]: « His omnibus velut ornamento vestieris ».

29. (Vers. 18.). *Et alter venit dicens* etc. Postquam expressit iudicii formam circa ordinem praedicantium, qui fideliter laboraverunt in conversione Iudaeorum, hic secundo [11] exprimit circa ordinem praedicantium, qui fideles fuerunt *in conversione gentilium populorum.* Circa quem ordinem duo introducuntur, scilicet *fidelitas ministerii* et *sublimitas praemii.* Secundo, in conversione gentilium tanguntur duo.

Primo igitur quoad *ministerii fidelitatem* dicitur: *Et alter venit dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas;* Glossa [12]: « Mna una quinque facit, quia gentes quinque sensibus antea mancipatas ad gratiam fidei evangelicae convertit ». In cuius figuram dictum est illi mulieri Samaritanae, quae figuram gentium gerebat: « Quinque viros habuisti », Ioannis quarto [13]. Sed quando isti quinque sensus convertuntur ad Dei obsequium, tunc mna gratiae dicitur quintuplicari, secundum illud Isaiae decimo nono [14]: « In die illa erunt quinque civitates in terra Aegypti loquentes lingua Chananaea et iurantes per Dominum exercituum. In die illa erit altare Domini exercituum in medio terrae Aegypti et titulus Domini iuxta terminum eius ». Dicuntur ergo animae de gentibus conversae *quinque*, non propter hoc, quod pauciores sint illis quae de Iudaeis conversae sunt, sed quia illae agebantur secundum legem decalogi, istae vero secundum leges sensuum et carnalium

Fidelitas ministerii. Figura. Notandum.

[1] Vers. 21. — Subinde allegatur I. Cor. 4, 2. et Prov. 20, 6. (quem H omittit, A C D omittunt primam partem *Multi.., vocantur).*

[2] Vers. 10. — Sequitur Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 19, 17; in fine allegatur I. Cor. 13, 9.

[3] Epist. I. Cor. 13, 5; cfr. Phil. 2, 21. — Sententia Bernardi habetur Serm. 13. in Cant. n. 3. Pro *etsi non exeunte a te* A C D H *etsi non ex te gerente* (B *genita*, F *genuit).*

[4] Vers. 17.

[5] Scilicet *ordinaria* (ex Beda), in cuius fine allegatur I. Thess. 2, 19.

[6] Vers. 24. Cfr. II. Sent. d. 9. q. 6.

[7] Vers. 13, et deinde 5, 17.

[8] Vers. 3. — Sequitur Eccle. 7, 20.

[9] Vers. 1. seq. et 5.

[10] Vers. 18.

[11] Cfr. supra n. 25.

[12] Scilicet *ordinaria* (ex Beda), in qua post *sensibus* H addit *corporis* ita etiam Glossa, quae tamen omittit *antea* et Beda *quinque.*

[13] Vers. 18; cfr. supra c. 16. n. 58.

[14] Vers. 18. seq. — Superius pro *quintuplicari* Vat. *quinque lucrari*, G *quinque multiplicari;* A C D H *quinqueduplari* (D a secunda manu *quintuplari);* cfr. Forcellini, Lexicon, ubi recenset verba *Quinqueplicari*, *Quinquiplicari* et *Quintuplicari.*

voluptatum. Propter quod et Iudaei dicuntur vocati de *prope*, gentiles vero de *longe;* ad Ephesios secundo [1]: « Evangelizavit pacem his qui prope, et pacem his qui longe ».

Sublimitas praemii. 30. (Vers. 19.). Secundo quantum ad *praemii sublimitatem* subdit: *Et huic ait: Et tu esto super quinque civitates,* id est, gloriam habeas de universitate fidelium conversorum. Unde Glossa [2]: « Respectu earum animarum, quas imbuisti fide et conversatione, magnus et sublimis esto, et non tantum de tuis, sed et de auditorum profectibus honoreris ». De his gentibus Paulus, nobilissimus praedicator, licet minimum se diceret et sentiret Apostolorum [3], maximam multitudinem adduxit ad ovile dominicum, cum, secundum illud Isaiae sexagesimo, « minimus erit in mille, et erit parvulus in gentem fortissimam ». Unde et ipse dicebat ad Galatas secundo: « Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes ».

Notandum. 31. Et notandum, quod licet decem servos dixerit vocatos propter universitatem [4] praedicatorum, non resumit nisi de tribus, duobus scilicet bonis et uno malo, ad insinuandum, quod omnis *praedicatio bonorum* est bipartita secundum duplicem *populum* et duplicem *parietem,* ratione cuius etiam *duplex sacerdotium* fuit et *duplex testamentum;* et *duplex* dicitur esse *ordo praedicantium bonorum* secundum duplicem differentiam ovium pascendarum. In cuius figuram Genesis trigesimo secundo [5]: « In baculo meo transivi Iordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior »; et Ioannis decimo: « Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili »; et ad Ephesios secundo: « Ut duos condat in semetipsum in unum novum hominem, faciens pacem ». In cuius etiam designationem duos principes Apostolorum tanquam duos praedicatores praecipuos et duces praedicantium Dominus praemisit, Petrum scilicet et Paulum, dans Petro praecipuam potestatem faciendi miracula, Paulo vero profundissimam sapientiam ad intelligenda mysteria; quia, sicut dicitur primae ad Corinthios primo [6], « Iudaei signa petunt, et Graeci sapientiam quaerunt ». — Quicumque igitur boni praedicatores sunt, imitatores sunt horum duorum et adducunt ad praesepe dominicum vel bovem, vel asinum [7], id est decem mnas, vel quinque, secundum horum differentiam populorum. — Et ex hoc apparet differentia inter parabolam, quam proponit Matthaeus [8] de talentis, et quam hic ponit Lucas; quia ista differentiam respicit praedicatorum respectu *audientium,* illa vero respectu *propriorum meritorum.* Ideo hic dicitur, quod tantundem omnibus dedit; ibi vero, quod uni plus, alii minus. Unde et illa in Ierusalem proposita fuit, haec autem in via [9]; in utraque tamen fidelium praedicatorum studiosa sedulitas approbatur, et negligentia reprobatur; in hac specialiter Iudaeorum rebellium perfidia condemnatur, cum in fine parabolae [10] subditur de interfectione inimicorum, hoc est rebellium Iudaeorum.

Figura. De Petro et Paulo. Corollarium.

Respectu negligentium status iudicii describitur per quatuor. 32. (Vers. 20.). *Et tertius* [11] *venit dicens* etc. Postquam descripsit iudicii formam respectu omnium et respectu fidelium, hic describit eam *respectu negligentium,* qui omnes in persona istius servi tertii designantur [12]. Circa hoc autem introducuntur quatuor ab Evangelista, scilicet servi pigri *absconsio, nequam excusatio* et *recta redargutio* et *condemnatio iusta.*

Primum. Primo igitur quantum ad ipsius *servi absconsionem pigram* subdit: *Et tertius venit dicens: Domine, ecce, mna tua, quam habui repositam in sudario;* Glossa [13]: « Tertius servus sunt illi qui post collectos Iudaeos et gentes negligenter utuntur commisso praedicationis officio ». De quibus dicitur Ieremiae quadragesimo octavo: « Maledictus qui facit opus Dei negligenter et qui prohibet gladium suum a sanguine ». Tunc *negligenter* fit, quando donum sapientiae absconditur et occultatur; ideo dicit, *repositam esse in sudario;* de quo Beda [14]: « In sudario pecuniam reponit qui, ad praedicandum idoneus, officium praedicandi vel suscipere renuit, vel susceptum non bene gerit; sed percepta dona sub otio torporis abscondit dicens: Sufficit mihi, ut de me rationem reddam. Cur aliis praedicem, vel de aliis cogar reddere rationem »? Talis est merito maledicendus, quia, Proverbiorum undecimo [15], « qui

---

[1] Vers. 17.

[2] Scilicet *interlinearis* (ex Beda), in qua pro *Respectu* ponitur *Ex* et pro *et non tantum* apud Lyranum *ut non tantum.*

[3] Epist. I. Cor. 15, 9: Ego enim sum minimus Apostolorum etc. — Duo seqq. loci sunt Isai. 60, 22. et Gal. 2, 8.

[4] Vat. *humilitatem.*

[5] Vers. 10, ubi Glossa *ordinaria* (ex Beda): Per baptismum coniunctus est paries de gentibus ei qui ex Iudaeis; primitivae tamen Ecclesiae non deest timor Iudaeorum, quod significat Esau. — Subinde allegantur Ioan. 10, 16. et Eph. 2, 15, de quo vide supra pag. 345, notam 14; codd. hic legunt *in semetipsum unum novum* etc.

[6] Vers. 22. — Superius pro *designationem* Vat. *dissipationem* (!).

[7] Cfr. supra pag. 47, nota 4; pag. 345, nota 13. et pag. 361, nota 13.

[8] Cap. 25, 15. seqq. — Inferius pro *illa vero* C D F G *ibi vero*.

[9] Cfr. c. 18, 31. et 19, 11. 28.

[10] Vers. 27.

[11] Cfr. supra pag. 480, nota 7.

[12] Vide supra n. 22.

[13] Scilicet *interlinearis* (cfr. verba Bedae paulo inferius allegata; eadem sententia est August., II. Qq. Evangelior. q. 46.). — Sequitur Ier. 48, 10, ubi pro *negligenter* Vat. cum Vulgata *fraudulenter;* cfr. supra pag. 458, nota 10.

[14] Libr. V. in Luc. 19, 20; sententia Bedae exhibetur verbis Glossae *ordinariae,* in qua pro *susceptum non bene gerit* (ita cum Glossa G H et D a secunda manu) Vat. *susceptum verbum negligenter gerit,* quae etiam subinde pro *otio torporis* (ita B et D a secunda manu; Beda: *otio lenti torporis;* Glossa *otio temporis)* substituit cum aliis codd. *torpore corporis,* et pro *vel de aliis* (ita etiam Glossa) ponit *ut de aliis* (Beda: *Quid opus est aliis praedicare, ut etiam de ipsis rationem* etc.).

[15] Vers. 26. — Subinde allegatur Eccli. 29, 13.

abscondit frumenta maledicetur in populis ». Pravus enim pastor est, qui cibum habens, permittit, oves fame mori. Propter quod Ecclesiastici vigesimo nono: « Perde pecuniam propter fratrem et amicum, et ne abscondas illam sub lapide in perditionem ». Et si hoc de pecunia dicitur, multo fortius de scientia; unde Ecclesiastici quadragesimo primo[1]: « Sapientia absconsa et thesaurus invisus, quae utilitas » in utrisque? Unde Ezechielis tertio: « Si me dicente ad impium » etc.; ibi Glossa: « Magnum discrimen est Dei celare sermones ».

33. Sed hoc intelligitur non de occultatione, (Occultatio prima.) quae venit *ex prudentia* — nam Ecclesiastae tertio[2] dicitur: « Tempus tacendi et tempus loquendi »; et in Psalmo: « In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi »; propter quod dicitur Proverbiorum decimo: « Sapientes abscondunt scientiam »; et Ecclesiastici vigesimo: « Est tacens, qui invenitur sapiens, et est odibilis, qui procax est ad loquendum » — (Secunda ex 4 rationibus.) sed intelligitur de absconsione *ex timore*, vel *adulatione*, vel *avaritia*, vel *negligentia*[3]; ideo signanter dicit: *reposita est in sudario*. In *sudario* enim involvuntur mortui; et tunc mna reposita est in sudario, quando affectio mortua ad proximum abscondit loquelam et doctrinam propter *malam vitam*, sicut illi, de quibus ad Romanos primo[4]: « Qui veritatem Dei in iniustitiam detinent »; vel propter *cordis desidiam*, quia non habet caritatem fraternam; propter quod Ecclesiastici trigesimo: « Bona abscondita in ore clauso quasi appositiones epularum circumpositae sepulcro ». (Figura.) Et propterea in huius figuram manna absconditum computruit, Exodi decimo sexto[5]. Et mna in sudario non multiplicatur, et frumentum in horreo non excrescit, sed a tineis manducatur, solum autem fructificat, quando seminatur; sic et verbum Dei, quod pretio et semini comparatur; et ideo Proverbiorum decimo quinto[6]: « Labia sapientium disseminabunt scientiam, cor stultorum dissimile erit ».

34. (Vers. 21.). Secundo quantum ad *excusationem nequam* (Secundum. Excusatio ut pigri.) subdit: *Timui enim te, quia homo austerus es;* in quo se excusat ut *piger* per timorem; Proverbiorum vigesimo secundo[7]: « Dicit piger: Leo est in via, leaena in itineribus, et in medio platearum occidendus sum ». Unde et talibus competit illud Psalmi: « Trepidaverunt timore, ubi non erat timor ». — Excusat *nequiter*, (Excusatio nequam.) quia culpam suae negligentiae imponit austeritati Domini iudicantis, cum e contrario ipse dicat Matthaei undecimo[8]: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde »; et ad Romanos secundo: « An ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit »? — Excusat etiam *insipienter*, (Et insipiens.) quia, cum deberet loqui pro se, loquitur contra se, cum subdit: *Tollis quod non posuisti, et metis quod non seminasti;* Glossa[9]: « Metit Dominus, ubi non seminavit, id est, eos reos impietatis tenet, quibus verbum Legis, vel Evangelii non ministravit ». In quo allegat severitatem divini iudicii, quia Dominus punit etiam ignorantes; et ideo timere debet, quod multo fortius puniet negligentes; unde Ecclesiastici secundo[10]: « Qui timent Dominum inquirent quae beneplacita sunt ei ». Punit autem Dominus illos etiam, quibus Legem non dedit, a quibus requirit iustitiam, quia, etsi non habent legem scriptam, habent tamen legem naturae interius impressam; propter quod dicitur ad Romanos secundo[11]: « Qui sine Lege peccaverunt sine Lege peribunt ». Unde et ibidem: « Cum enim gentes, quae Legem non habent, naturaliter ea quae Legis sunt, faciunt, eiusmodi Legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum », « cum iudicabit Deus occulta hominum per Iesum Christum ».

35. (Vers. 22.). Tertio quantum ad *servi redargutionem rectam* (Tertium.) subditur: *Dicit ei: De ore tuo te iudico, serve nequam.* (Notandum.) *Servum nequam* vocat, quia *piger* erat in negligendo, quia *superbus* fuit se iustificando et *nequam* dominum accusando. Glossa[12]: « *Nequam,* quia piger ad exercendum officium, superbus, ad accusandum divinum iudicium ». Et ideo *ex suo ore*, dum se credit iustificare, potius accusat, secundum illud Iob nono[13]: « Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me; si innocentem

---

[1] Vers. 17, post quem Ezech. 3, 18. Glossa in hunc loc. est *ordinaria* (ex Hieron.), in qua pro *celare* textus originalis *tacere*.

[2] Vers. 7. — Sequuntur Ps. 118, 11; Prov. 10, 14. et Eccli. 20, 5.

[3] Glossa *ordinaria* in Ezech. 3, 18. (paulo superius allegata): Vel timore, vel pigritia, vel adulatione; unde Isai. [6, 5.]: *Vae mihi, quia tacui.* — Ioan. 11, 44. de Lazaro narratur, quod « facies illius *sudario* erat ligata », et 20, 7. dicitur: *Sudarium*, quod fuerat super caput eius [Iesu] etc.

[4] Vers. 18. — Subinde allegatur Eccli. 30, 18.

[5] Vers. 20.

[6] Vers. 7. Pro *Labia* A D F G *Verba.*

[7] Vers. 13. Pro *Dicit piger: Leo est in via, leaena in itineribus* (ex c. 26, 13.) Vat. cum Vulgata *Dicit piger: Leo est foris.* — Sequitur Ps. 52, 6. — Superius pro *excusationem nequam* (cfr. supra n. 31.) C D F *excusationem iniquam.*

[8] Vers. 29. et deinde Rom. 2, 4. — Glossa *interlinearis: Quia homo austerus es,* quoniam ardua est via, quae ducit ad vitam [Matth. 7, 14.], et quia quanto gradus altior, tanto casus gravior. Idem dicit Glossa *ordinaria* in Matth. 25, 24.

[9] Scilicet *ordinaria* (ex Beda).

[10] Vers. 19. — Superius pro *timere debet* (F G *debent)* H *timere debuit* (ita etiam D a secunda manu correctus, primitus habuisse videtur *debuerit*, quod habet C, et immediate post in D alia manus substituit *cum multo fortius puniat negligentes).*

[11] Vers. 12. et deinde v. 14-16. Pro *qui ostendunt* C D F G H *quia ostendunt.*

[12] Scilicet *interlinearis* (ex Beda), in qua pro *divinum iudicium* H cum textu originali *Domini iudicium.*

[13] Vers. 20. — Sententia Augustino attributa habetur in libro Sententiarum ex Augustino delibatarum a Prospero Aquitano (inter opera August.), n. 6. Cfr. August., Enarrat. in Ps. 102, 21. n. 28. Pro *sua lingua* F cum textu originali *sua voce,* H *sua voce sive lingua.*

ostendero, pravum me comprobabit»; quia, ut dicit Augustinus, «bene loqui et male vivere nihil aliud est, quam se sua lingua damnare». — Hic igitur negligens, dum iudicium et severitatem Dei ostendit se scire, loquitur contra se; unde et subdit: *Sciebas, quod*[1] *ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi,* per severitatem vindictae, secundum illud Psalmi: «Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo».

36. (Vers. 23.). *Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam?* per sedulitatem vigilantiae, per quam pecuniam evangelicae praedicationis debuit multiplicare evangelizando, ne propter negligentiam divinam incurreret iram. Unde Glossa[2]: «Si me durum et crudelem noveras, quare ista cogitatio non incussit tibi timorem, ut scires, me mea diligentius quaesiturum»? — Et nota, quod vocat mnam *pecuniam suam,* quia scientia et gratia et doctrina Dei potius est quam nostra; et ideo Ezechielis secundo[3]: «Loqueris verba mea ad eos»; Glossa: «Non tua»; unde et Matthaei decimo: «Non enim vos estis, qui loquimini» etc. — Sed haec est pecunia nobis concessa ad fructificandum, et ideo addit: *Et*[4] *ego veniens cum usuris utique exegissem illam,* scilicet per aequitatem iustitiae, per quam exigit usuras multiplicis fructificationis. Unde Glossa[5]: «Qui verbi pecuniam a doctore emit credendo, necesse est, ut eam cum usuris solvat operando». Qui ergo neglexit alios docere, quos potuit, illorum negligentiae sibi imputabuntur. Unde Chrysostomus[6]: «Qui seminandi causa semen accepit et tempore seminationis non seminat damnum facit domino, etsi semen custodiat, tantum, quantum poterat lucrum facere, si opportuno tempore seminasset». Unde et Dominus, veniens ad iudicium, non requirit solum donum, quod dedit, verum etiam fructum, quem ex dono exspectavit. Ideo dicit Matthaei tertio[7]: «Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur». Unde et de ficulnea supra decimo tertio: «Ecce anni tres sunt, ex quo venio quaerens fructum in ea et non invenio. Succide ergo eam, ut quid etiam terram occupat»? Quaerit igitur et de arboribus fructum et de pecunia spirituali usuras; unde Gregorius[8] dicit, quod «cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum».

Notandum.

37. (Vers. 24.). Quarto quantum ad *ipsius servi condemnationem iustam* subiungitur: *Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam et date illi qui habet decem mnas. Astantes* vocat illos qui assistunt ei in iudicio, sive Angelos sive Sanctos alios, quorum iudicio et approbatione praemium correspondens dono inutiliter habito auferetur, et dabitur gloria et gaudium dispensatori fideli, secundum illud Apocalypsis tertio[9]: «Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam». Hoc etiam iudicium Dominus exercet in praesenti, auferendo dona etiam concessa propter negligentium desidiam et abusionem. Unde Glossa[10]: «Collatam gratiam amittit qui eam communicando aliis praedicare neglexerit; augetur vero illi qui in ea laboravit, sicut regium chrisma, quod superbiendo Saul amisit, David obediendo promeruit. *Spiritus enim Domini, qui a Saule recessit, directus est a die illa et deinceps in David*», primi Regum decimo sexto. Unde et dicitur Matthaei vigesimo primo[11]: «Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius». — Magis autem datur ei qui habet *decem mnas*, propter mysterium, quia ille designat ordinem eorum qui Iudaico populo praedicaverunt, qui etiam finaliter ad Christum convertendus est. Unde Glossa[12]: «Cum omnis Israel salvus erit, tunc omnis plenitudo spiritualis gratiae, quam modo torpenter exercemus, doctoribus illius temporis abundanter conferetur». Unde ad Romanos nono[13]: «Isaias clamat pro Israel: Si fuerit numerus filiorum Israel velut arena maris, reliquiae salvae fient».

Quartum.

Notandum.

Mysterium.

38. (Vers. 25.). Et quia hoc videtur irrationabile et incredibile, quod det abundanti; ideo subditur: *Et dixerunt ei*[14]*: Domine, habet decem mnas,* quasi dicant: non videtur esse recta sententia.

39. (Vers. 26.). Ideo pro omnibus generaliter sententiat, subdens: *Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, et abundabit;* Glossa[15]: «Utenti eo quod habet». — *Ab eo autem, qui non habet,*

Sententia generalis.

---

[1] Codd. C D F H et Gorranus *quia.* — Subinde allegatur Ps. 74, 3.

[2] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Hieron., IV. Comment. in Matth. 25, 26-28.), in cuius principio H cum textu originali: *Si me ita durum* etc., et in fine pro *me mea diligentius* nonnulli codd., ut C D F G, *me meam* [pecuniam; F *me mnam*, G *me illam*] *diligenter.*

[3] Vers. 7. — Glossa seq. est *ordinaria* (secundum Bedam) in Luc. 19, 23: *Pecuniam,* id est evangelicam praedicationem, promptis paratisque fidelium cordibus non intimasti; *meam...*, non tuam. Unde Apostolus [I. Petr. 4, 11]: *Si quis loquitur, quasi sermones Dei.* (Haec Glossa a S. Bonav. applicatur Ezech. 2, 7.). Sequitur Matth. 10, 20.

[4] Ita etiam Beda, Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 19. n. 2.), Gorranus et Lyranus; Vulgata *Ut.*

[5] Scilicet *ordinaria* (ex Beda).

[6] Homil. 53. in Matth. 25, 18. (Op. imperfect.).

[7] Vers. 10. — Sequitur Luc. 13, 7.

[8] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 9. n. 1.

[9] Vers. 11. — Inferius post *in praesenti* Vat. addit *saeculo.*

[10] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 19, 24: Collatam gratiam amittit qui *praedicando* aliis *communicare* neglexit etc. In ipsa allegatur I. Reg. 16, 13. seq.

[11] Vers. 43. — Inferius pro *quia ille designat* Vat. *quia illum designat.*

[12] Nempe *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 19, 26. In principio respicitur Rom. 11, 26: Et sic omnis Israel salvus fieret etc. Pro *torpenter* et *illius temporis* (ita etiam Glossa) Vat. cum Beda *repenter* et *illius populi.*

[13] Vers. 27. Cfr. Isai. 10, 22.

[14] Codd. C D F G H *illi;* cfr. B. Albert. et S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 19. n. 2.).

[15] Scilicet *interlinearis.* August., II. Qq. Evangelior. q. 46: Quod autem ab illo qui uti noluit, aufertur quod acceperat et

scilicet rectum usum, *et quod habet,* scilicet divinum donum, *auferetur ab eo,* per divinum iudicium. Quod expressius dicitur in Matthaei vigesimo quinto[1]: « Quod habere videtur auferetur ab eo ». Unde tunc verificabitur illud Proverbiorum undecimo: « Alii dividunt propria et ditiores fiunt, alii rapiunt aliena et semper in egestate sunt ». Et ideo generaliter omni *habenti,* habenti scilicet *desiderium audiendi,* dabitur sensus intelligendi; Ecclesiastici sexto[2]: « Si dilexeris audire, sapiens eris ». Habenti *voluntatem operandi* dabitur facultas perficiendi; ad Philippenses secundo: « Deus est, qui operatur in vobis velle et perficere ». Habenti *opera* dabitur intelligentia; Psalmus[3]: « A mandatis tuis intellexi ». « Super senes intellexi » etc. Habenti *iustitiam* dabitur sapientia; Ecclesiastici primo: « Fili, concupiscens sapientiam, conserva iustitiam ». Habenti *gratiam* dabitur gloria; Psalmus[4]: « Gratiam et gloriam dabit Dominus ». Habenti *arrham* dabitur hereditas aeterna; ad Ephesios primo: « In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae » etc. Habenti *cumulum meritorum* dabitur cumulus praemiorum, quia, secundae ad Corinthios nono[5], « qui parce seminat parce et metet, et qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet »; supra sexto: « Date, et dabitur vobis. Mensuram bonam » etc.

Gradus septem in habendo.

40. *Verumtamen inimicos meos* etc. Post formam iudicii respectu omnium et fidelium et negligentium hic subiungitur *poena respectu rebellium*[6]. Unde ex hac parabola possunt quinque differentiae hominum elici, quarum *duae bonae* et *tres malae.* Nam *boni* sunt fideliter docentes, *boni* fideliter eorum doctrinae adhaerentes. *Mali* vero sunt negligentes et ignorantes et malignantes. Omnes enim boni aut sunt subditi, aut praelati. Mali vero aut ex infirmitate, aut ex ignorantia, aut malitia universaliter peccant. Unde Glossa[7] dicit: « His quinque personis omne genus hominum in futuro iudicio discutiendum significat ». In hac igitur parabola circa iudicium rebellium duo insinuantur, scilicet rebellium *poena* et rebellium *persona.*

Respectu rebellium tanguntur et poena et persona. Quinque differentiae.

41. (Vers. 27.). Primo igitur quantum ad *rebellium poenam* dicit: *Verumtamen inimicos meos,* per suam arrogantiam, secundum illud Psalmi[8]: « Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper ». Ille enim maxime inimicatur Deo, qui contra eum erigit cervicem suam per superbiam, secundum illud Iob decimo quinto[9]: « Cucurrit adversus eum erecto collo et pingui cervice armatus est ». Talis est qui quaerit gloriam in hoc mundo; Iacobi quarto: « Nescitis, quia amicitia huius mundi inimica est Dei? Quicumque ergo » etc.; et primae Ioannis secundo: « Qui diligit mundum non est caritas Dei in eo » etc. — *Illos qui noluerunt, me regnare super se,* per inobedientiam; Ieremiae secundo[10]: « A saeculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea et dixisti: Non serviam ». Et haec oritur ex arrogantia; Iob vigesimo secundo: « Qui dicebant Deo: Recede a nobis, et quasi nihil posset Omnipotens, aestimabant eum ». — *Adducite huc et interficite ante me,* per severam vindictam, qua interficientur per gladium divinae sententiae et deiicientur in mortem damnationis aeternae; Psalmus[11]: « Gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus ». Unde Apocalypsis primo: « Ex ore eius gladius ex utraque parte acutus exibat ». Et hoc comminatur Deuteronomii trigesimo secundo[12]: « Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit iudicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis ». Et de hoc in figura Ezechielis nono: « Transite per medium civitatis et interficite ».

Primo, eorum poena.

Figura.

42. (Vers. 28.). Secundo quantum ad *rebellium personam insinuandam* subdit: *Et his dictis, praecedebat ascendens Ierosolymam,* quasi ex ipso facto ostendat[13], se dicere praedicta propter Ierosolymitas, qui erant eum negaturi non esse suum regem. Propter quam etiam causam statim consequenter agitur, quomodo ut rex venit in Ierusalem, sedens super asinam. Sed post illam magnam gloriam sustinere debebat contumeliam. Et quia ad illam non ibat compulsus, sed voluntarius, ideo signanter dicitur, quod *praecedebat,* ut animaret ceteros ad tolerantiam passionum, secundum illud primae Petri secundo[14]: « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius »; et ad Hebraeos duodecimo: « Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum » etc. Ideo etiam *praecedebat,* ut formam daret praelatis praecedendi oves, contra ferocitatem

Secundo eorum persona.

Notandum.

---

ei datur, qui decem habebat, significatur, et illum posse amittere munus Dei, qui habens non habet, id est non utitur; et in eo augeri, qui habens habet, hoc est bene utitur.

[1] Vers. 29, post quem Prov. 11, 24.

[2] Vers. 34. — Sequitur Phil. 2, 13.

[3] Psalm. 118, 104. et deinde v. 100. — Subinde allegatur Eccli. 1, 33. — Post *intelligentia* Vat. addit *spiritus.*

[4] Psalm. 83, 12. — Sequitur Eph. 1, 13. seq.

[5] Vers. 6, post quem Luc. 6, 38.

[6] Cfr. supra n. 22.

[7] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, V. in Luc. 19, 27.) in Luc. 19. 21. apud Lyranum, quae in fine pro *significat* substituit *signatur* (Beda *exprimitur).* — Superius pro *adhaerentes* D *inhaerentes.*

[8] Psalm. 73, 23. — Glossa *interlinearis* (ex Beda; cfr. August., II. Qq. Evangelior. q. 46.): *Verumtamen inimicos meos,* id est Iudaeos et omnes nolentes converti ad Christum.

[9] Vers. 26. — Duo seqq. loci sunt Iac. 4, 4. et I. Ioan. 2, 15.

[10] Vers. 20. et deinde Iob 22, 17.

[11] Psalm. 149, 6. et 7, post quos Apoc. 1, 16. — Superius pro *mortem damnationis* Vat. *locum damnationis.*

[12] Vers. 41, ubi codd. *et arripuerint iudicium manus meae.* — Subinde allegatur Ezech. 9, 5.

[13] Vat. *ostendebat.*

[14] Vers. 21. et deinde Hebr. 12, 1. seq.

lupinam; Ioannis decimo[1]: « Bonus pastor, cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves illum sequuntur, quia noverunt vocem eius ». In huius figuram dicitur de Iuda primi Machabaeorum quinto, quod, « cum videret populum trepidantem ad transfretandum torrentem, transfretavit primus ». Huius nobilis imitator fuit Paulus, qui, licet sciret, quod multa a Iudaeis deberet pati in Ierusalem, secure ascendit ad subditorum salutem; Actuum vigesimo[2]: « Spiritus sanctus per omnes civitates protestatur mihi, quod vincula et tribulationes Ierosolymis me manent. Sed non facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum et ministerium verbi, quod accepi ». Sic et Christus faciebat; unde licet ad tempus Iudaeam declinasset, quia nondum venerat hora eius; nunc ibat tradere animam suam propter nos in manus inimicorum, secundum illud Ieremiae duodecimo[3]: « Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius ». Ideo igitur ascendebat Ierusalem, « quia », sicut supra decimo tertio dictum est, « non capit, Prophetam perire extra Ierusalem ». — Quare autem hoc? Ratio supra[4] reddita est, quia hoc exigit excellentia pontificalis, magistralis et regiae dignitatis. Unde Glossa: « Finita parabola, vadit Ierosolymam, ut ostendat, de eiusdem maxime civitatis eventu parabolam fuisse praemissam ».

**Figura.** **Ratio.**

### Incredulitas Iudaeorum confutatur tum per facta tum per verba et documenta.

43. *Et factum est, cum appropinquasset Iesus*[5] etc. Postquam confutavit Iudaeorum dolositatem, impietatem et curiositatem, hic sequitur quarta pars principalis, in qua *confutat incredulitatem*[6], quae in cordibus Iudaeorum fuit causa et radix omnium praedictorum. Dividitur autem haec pars in duas, in quarum prima confutat incredulitatem Iudaeorum *per facta;* in secunda vero, *per verba et documenta*, infra vigesimo[7]: *Et factum est in una dierum* etc.

**Primo per facta confutat horum incredulitatem ostendendo, se habere quatuor dona in Lege promissa.**

*Confutat* ergo *incredulitatem Iudaeorum per facta,* per quae ostendit se Christum Dominum in Lege promissum primo quoad *potestatem regalem;* secundo, quoad *pietatem pontificalem*, ibi[8]: *Et ut appropinquavit, videns civitatem* etc.; tertio quoad *aequitatem iudicialem*, ibi: *Et ingressus in templum* etc.; quarto quoad *auctoritatem magistralem*, ibi: *Et erat docens quotidie in templo* etc.

**Potestatem regalem promissam se habere, ostendit per tria.**

*Potestatem* autem *regalem* ostendit se Christus habere tripliciter: primo per *excellentiam in imperando;* secundo, per *discipulorum obedientiam in obsequendo*, ibi[9]: *Abierunt autem qui missi fuerant;* tertio, *per populorum reverentiam in laudando*, ibi: *Excunte autem illo* etc.

**Primo, per excellentiam potestatis triplicem.** *Excellentia* igitur regiae potestatis in Christo ostenditur *per imperium* ipsius *pium, providum* et *potestativum.* Tale namque imperium decet regem clementissimum, sapientissimum et potentissimum. Ostenditur autem imperium eius *pium* secundum mysterium gratiae[10] et *providum* secundum spiritum prophetiae et *potestativum* per culmen auctoritatis praecelsae.

**Imperium pium.** 44. (Vers. 29.). Primo igitur quantum ad *imperium pium per mysterium gratiae* dicitur: *Et factum est, cum appropinquasset Iesus ad*[11] *Bethphage et Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliveti;* quod etsi verum fuerit *ad litteram*, hoc aliud tamen praetendebat *per figuram* et *mysticam intelligentiam.* Unde Ambrosius[12]: « Venit ad montem olivarum, ut novellas olivas in sublimi virtute plantaret ». Et nota, quod tria dicit, scilicet *Bethphage,* quae est in monte Oliveti et viculus sacerdotum, ut dicit Hieronymus[13], et interpretatur *domus buccae*, per quam confessio et poenitentia significantur; *Bethania*, domus obedientiae; et *mons Oliveti* propter **Notandum.**

---

[1] Vers. 4. — Sequitur I. Mach. 5, 43. Codd. allegant *I. Mach. ultimo*, ubi non de Iuda, sed de Ioanne simile narratur; cfr. supra pag. 201, nota 4.

[2] Vers. 23. et 24. — Superius pro *licet sciret* C D *cum sciret,* et subinde pro *secure ascendit* Vat. *secrete ascendit.*

[3] Vers. 7, cui subiungitur Luc. 13, 33.

[4] Cap. 18. n. 53. seq. — Glossa seq. est *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 19, 28. — Inferius post *regiae dignitatis* Vat. addit *et iudaicae perfidiae excaecandae*, in D manus secunda spatium pro pluribus vocibus vacuum relictum (idem occurrit in C) replevit addens *quae erant in Ierusalem;* H legit *quia hoc exigit dignitas sive excellentia pontificalis, regalis, sacerdotalis et iudicialis; et iste fuit ultimus adventus.*

[5] Cfr. supra pag. 288, nota 6. in fine.

[6] Vide supra c. 11. n. 36.

[7] Vers. 1.

[8] Vers. 41; tertium habetur v. 45. et quartum v. 47.

[9] Vers. 32, ubi Vat. cum Vulgata et H *erant* pro *fuerant,* quod habent etiam B. Albert., Gorranus et Lyranus (in margine); idem recurrit infra n. 48; tertium habetur v. 36, in quo pro *Exeunte* (ita etiam B. Albert. et S. Thom., Cat. aurea in Luc. 19. n. 3.) Vat. et Vulgata *Eunte;* cfr. infra n. 53. et 54.

[10] Codd. hic et paulo inferius *ministerium gratiae.*

[11] Codd. C D F G H omittunt *ad.*

[12] Libr. IX. in Luc. c. 19. n. 2, ex quo formata est Glossa *interlinearis* in Luc. 19, 29.

[13] Libr. III. Comment. in Matth. 21, 1. seq.: Cumque appropinquaret Ierosolymis et venisset Bethphage ad *domum maxillarum*, qui sacerdotum viculus erat et confessionis portabat typum et erat situs in monte Oliveti, ubi lumen scientiae, ubi laborum et dolorum requies, misit duos discipulos etc. Cfr. Epist. 108. (alias 27.) n. 12. et lib. de Nominib. Hebraic. nov. testam. de Matthaeo: « *Bethphage*, domus oris vallium, vel domus buccae. Syrum est, non Hebraeum. Quidam putant domum maxillarum vocari ». Origen., Homil. 37. in Luc. (habetur etiam in op. Hieron.): *Bethania* interpretatur domus obedientiae, *Bethphage* vero domus maxillarum; sacerdotalis quidam locus; maxillae enim sacerdotibus dabantur, sicut in Lege praecipitur. Cfr. Beda, V. in Luc. 19, 29.

unctionem olei, quae insinuat eminentiam unctionis et sapientiae. Et per haec tria Dominus *appropinquat nobis*, id est, facit appropinquare sibi, scilicet per *poenitentiam;* supra decimo quinto [1]: « Erant appropinquantes ad Iesum publicani » etc.; per *obedientiam;* Ecclesiastici ultimo: « Appropinquate ad me indocti et congregamini in domum disciplinae ». Haec est domus obedientiae seu religionis; per *sapientiam;* Deuteronomii trigesimo tertio: « Qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina eius ». — Pedes autem Domini venientis, ascendentis et iudicantis steterunt super *montem Olivarum*, quia qui vult vias eius videre, quae sunt misericordia et veritas [2], indiget *unctione*, per quam in eminentiam sapientiae elevetur, ut per contemplationem conscendat in caelum per tres praedictos gradus. Primus gradus est *incipientium*, secundus *proficientium*, tertius *perfectorum;* et ad hoc omnis Christi operatio et evangelica praedicatio ordinatur, scilicet ut sic tripliciter Christo appropinquemus.

Tres gradus sapientiae.

45. (Vers. 29. 30.). Et ideo subdit: *Misit duos discipulos suos, dicens: Ite in castellum, quod contra vos* [3] *est.* Per *duos discipulos missos* intelligitur universitas discipulorum missorum ad convertendum mundum et maxime populum gentium. Unde Chrysostomus [4] dicit, quod isti duo discipuli fuerunt Petrus et Philippus, qui duo primo praedicaverunt gentibus: Philippus in Samaria, Actuum octavo; et Petrus in Caesarea, Actuum decimo. Ideo autem sunt *duo*, ad commendandum nexum caritatis, seu propter duplicem ordinem praedicantium, secundum dualitatem populorum convertendorum. Unde Glossa [5]: « Duos mittit propter scientiam veritatis et munditiam operis, vel geminae dilectionis sacramentum toto orbe praedicandum, vel propter duos ordines praedicatorum, unum in circumcisione et alterum in gentibus ». In cuius etiam designationem dicitur supra decimo [6]: « Misit eos binos ante faciem suam »; unde et Ecclesiastae quarto: « Melius est, duos esse simul quam unum ». — Per *castellum* illud, quod est contra Christi discipulos, intelligitur mundus, de quo Ioannis decimo quinto [7]: « Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit »; et tamen in hunc misit discipulos ad praedicandum. Unde Glossa: « Mittit discipulos ad praedicandum in *castellum*, quod est *contra eos*, ut per eos totius contra se positi orbis munitiones penetret ». In hoc igitur praesignatur discipulorum missio ad convertendum mundum, quae facta est post passionem et resurrectionem, secundum illud Marci ultimo [8]: « Dixit eis: Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae ». — Hoc igitur fuit imperium pium, et hoc designat appropinquatio ad montem Oliveti, de quo Christus ascendit in caelum.

Quid duo discipuli significent.

Quid castellum.

Nota.

46. Secundo quoad *mandatum providum per spiritum prophetiae* subdit: *In quod introeuntes, invenietis pullum asinae alligatum*, quod quidem dicere non poterat certitudinaliter, nisi quia habebat praescientiam futurorum; verumtamen et hoc ipsum sine mysterio esse non potest, quod Rex caeli et terrae quaerit *pullum* et non quemcumque, sed indomitum. — Unde subdit: *In quo* [9] *nemo unquam hominum sedit;* nec qualitercumque, sed *alligatum;* propter quod addit: *Solvite illum et adducite mihi.* Ex quo manifeste apparet, quod hoc sine mysterio esse non potest. Propter quod intelligendum, quod sicut per *asinam* intelligitur synagoga, ita per *pullum* gentilitas designatur. Unde Glossa [10]: « Tres Evangelistae, qui Graece scripserunt, *pullum* tantum commemorant; Matthaeus, qui Hebraice scripsit, et *asinam* solutam et adductam refert, ut Hebraicae quoque gentis, si poenituerit, non desperandam monstret esse salutem ». Unde Matthaei vigesimo primo [11]: « Invenietis asinam alligatam et pullum cum

Imperium providum.

Mysterium quoad pullum.

---

[1] Vers. 1. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 51, 31. et Deut. 33, 3. — Superius post *et mons Oliveti* Vat. prosequitur *propter mixtionem olei insinuat unctionem et eminentiam sapientiae* etc.

[2] Psalm. 24, 10: Universae viae Domini misericordia et veritas etc. — Cfr. supra pag. 438, nota 3, in qua de loco iudicii universalis. — Inferius pro *in eminentiam sapientiae* Vat. *in eminentiam sapiens.*

[3] Vulgata omittit *vos*, quod etiam exhibent Beda, Card. Hugo, B. Albert., B. Thom. (Cat. aurea in Luc. 19. n. 3.), Gorranus et Lyranus; cfr. Matth. 21, 2. et Marc. 11, 2, ubi *quod contra vos est.*

[4] Homil. 37. in Matth. 21, 2. (Op. imperfect.): « Quidam autem istos duos Petrum et Philippum Apostolos exponit intelligi oportere, quoniam hi primum transgredientes Iudaicos fines gentes adduxerunt ad Christum, Philippus quidem Samariam [Act. 8, 5.], quam ipsam Samariam asinam esse interpretatur; Petrus autem gentes, accipiens Cornelium ex gentibus [Act. 10, 24. seqq.] quasi Samariae pullum ». Ita etiam Hilar., Comment. in Matth. c. 21. n. 1. Origenes tamen (Comment. in Matth. tom. 16. n. 17.) et Theophylact., in Matth. 21, 1. seqq. censent, per hos duos discipulos designatos fuisse Petrum et Paulum (cfr. Gal. 2, 8.).

[5] Scilicet *interlinearis* (ex Beda, V. in Luc. 19, 29. et 30, ubi ultimam expositionem exhibet). De prima expositione vide Hieron., III. in Matth. 21, 1. seqq.: « *Misit duos discipulos suos*, θεωρητικὸν καὶ ἐργαστικὸν, id est *scientiam et operam*, ut ingrederentur castellum »; de secunda cfr. supra pag. 253, nota 5; de tertia cfr. Hieron., loc. cit. v. 4. et 5. in fine. — Superius pro *dualitatem populorum* Vat. *qualitatem populorum.*

[6] Vers. 1. et deinde Eccle. 4, 9.

[7] Vers. 18. — Glossa seq. est *ordinaria* (ex Beda). Vat. non verba Glossae, sed ipsius Bedae affert, Hieron., III. Comment. in Matth. 21, 1. seqq.: Dixitque eis: *Ite in castellum, quod contra vos est;* contra Apostolos enim erat nec iugum doctrinarum volebat accipere.

[8] Vers. 15. — De seq. propositione cfr. Act. 1, 12.

[9] Vat. cum Vulgata et II *Cui;* sed etiam Ambros., IX. in Luc. c. 19. n. 1. et 5. *in quo*. Paulo inferius post *adducite* Vat. cum Vulgata omittit *mihi;* cfr. Matth. 21, 2.

[10] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) apud Lyranum in Luc. 19, 30. Cfr. Glossa *ordinaria* in Matth. 21, 2.

[11] Vers. 2. — Hieron., III. Comment. in Matth. 21. 1. seqq.: Alligata erat asina multis vinculis peccatorum. Pullus quoque lascivus et frenorum impatiens cum matre etc. Ibid. in v. 4. seq.: Asina ista, quae subiugalis fuit et edomita et iugum Le-

ea ». Dicitur autem populus gentilis *pullus asininus* propter stoliditatem ignorantiae; Iob undecimo [1]: « Vir vanus in superbiam erigitur et tanquam pullum onagri liberum se natum putat »; sed *alligatus* dicitur funibus peccatorum, secundum illud Proverbiorum quinto: « Funibus peccatorum quisque constringitur ». Et his funibus non tantum populus gentium ligatus erat, verum etiam synagoga; unde supra decimo tertio: « Hanc autem filiam Abrahae, quam alligavit satanas, ecce, iam decem et octo annis, nonne oportuit solvi a vinculo »? Et dicitur etiam esse *indomitus*, quia carebat omni regimine disciplinae Dei. Unde Glossa [2]: « Introeuntes in mundum, praedicatores invenerunt populum nationum perfidiae vinculis irretitum, liberum et lascivum, *cui nemo unquam hominum insederat*, id est, nullus rationalis doctor frenum correctionis imposuit ». De hoc ergo mandat discipulis, ut solvant, secundum illud Matthaei decimo octavo [3]: « Amen dico vobis: Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo ». Hoc autem non est virtute humana, sed divina; propter quod Iob trigesimo nono: « Quis dimisit onagrum liberum, et vincula eius quis solvit »? Et tunc qui solvitur ad Iesum adducitur; Isaiae sexagesimo [4]: « Aperientur portae tuae iugiter, ut afferatur ad te fortitudo gentium, et reges earum adducantur ».

Notandum.

47. (Vers. 31.). Tertio quoad *mandatum potestativum per culmen auctoritatis praecelsae* subditur: *Et si quis vos interrogaverit: Quare solvitis?* scilicet contrectantes rem alienam; *sic dicetis ei: Quia Dominus operam eius desiderat*, ut eo utatur tanquam re propria. Hic *ad litteram* ostendit, quod Christus dominus erat omnium, quia, qua ratione dominus erat asini, et universorum. Et ut dominum se significet omnium, generaliter se ipsum vocat *dominum*. Unde ipse dicit de se Ioannis decimo tertio [5]: « Vos vocatis me *magister* et *domine*, et bene dicitis; sum etenim ». Nam « ipse est, qui habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium ». Unde et sibi dicitur illud Esther decimo tertio: « Domine Deus omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui tuae resistere possit voluntati ». « Dominus universorum tu es ». — Secundum *mysterium* autem haec debet esse responsio praedicantium et absolventium, qui non faciunt hoc ad aliud, nisi ut ad Christum trahant tanquam ad verum Dominum, qui habet desiderium animarum. Nam ipse dicit Proverbiorum octavo [6]: « Deliciae meae esse cum filiis hominum ». Ipse enim desiderat principari cordi, quia ipse solus est Dominus. Unde etsi diabolus ligare permittatur per peccata, non tamen vindicat sibi super rationalem spiritum dominium verum. Et hoc est quod dicit Ambrosius [7]: « Dominatum inquit, sibi vindicare non poterat, quem *dominum* fecerat, non natura, sed culpa. Et ideo cum *dominus* dicitur, unus agnoscitur. Nam etsi *multi dii* et *multi domini*, generaliter tamen *unus Deus* et *unus Dominus*»; unde primae ad Corinthios octavo [8]: « Nam etsi sunt qui dicantur dii sive in caelo, sive in terra; siquidem sunt dii multi et domini multi; nobis tamen unus est Deus et unus Dominus Iesus». Hic Dominus nullo indiget, secundum illud Psalmi [9]: « Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges »; et tamen desiderat operam nostrae salutis; primae ad Timotheum secundo: « Vult, omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire ». « Haec enim est voluntas Dei, sanctificatio vestra ».

Imperium potestativum.

Expositio mystica.

Notandum.

48. (Vers. 32.). *Abierunt autem qui missi fuerant* [10] etc. Postquam manifestavit regiam potestatem in Christo per excellentiam in imperando, hic secundo [11] manifestat eam per *discipulorum obedientiam in obsequendo*. Circa quod explicandum ostenditur in discipulis perfectio obedientiae in *eundo*, *exsequendo* et *redeundo*.

Secundo regiam potestatem ostendit per discipulorum obedientiam triplicem.

Primo igitur quantum ad *obedientiam discipulorum per praeceptum euntium* dicitur: *Abierunt autem qui missi fuerant, et invenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum*. In quo apparet, quod qui Christo obtemperat, decipi non potest, quia ipse sic praecipit praesentia, quod praescit futura. Unde ad Hebraeos quarto [12]: « Omnia nuda et aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo ». — Secundum *mysterium* autem significationis discipuli *invenerunt*

Obedientia in eondo.

Mysterium.

gis traxerat, synagoga intelligatur; pullus asinae lascivus et liber, gentium populus.

[1] Vers. 12. — Duo seqq. loci sunt Prov. 5, 22. et Luc. 13, 16. — Superius post *populus gentilis* Vat. prosequitur *pullus asinae propter stoliditatem ingenii.*

[2] Scilicet *ordinaria* (ex Beda), in cuius fine pro *correctionis* A C D cum Beda *correptionis.*

[3] Vers. 18. — Sequitur Iob 39, 5.

[4] Vers. 11, ubi pro *reges earum* (ita etiam Vulgata) Vat. cum pluribus codd. *reges eorum.* — Ambros., IX. in Luc. c. 19. n. 3: « Non poterat [pullus] solvi nisi iussu Domini; solvit eum manus apostolica; talis actus, talis vita, talis gratia. Esto talis, ut et tu possis ligatos solvere ». Ibid. n. 6: Alieni alligant, ut possideant, iste solvit, ut teneat; vehementiora enim dona novit esse quam vincula.

[5] Vers. 13. — Sequuntur Apoc. 19, 15. seq. et Esther 13, 9. et 11.

[6] Vers. 31, post quem Vat.: *Ipse desiderat cor hominis, Prov. 23, 26:* Praebe, fili mi, cor tuum mihi; *quia ipse solus* [A C D F *solum*] etc. — Superius pro *hoc ad aliud* F G *hoc ob aliud.*

[7] Libr. IX. in Luc. c. 19. n. 5. Pro *quem dominum fecerat* (hanc lectionem etiam Maurini in nota adiecta recensent) Vat. cum textu originali *quem reum fecerat.* Sententia allegatur secundum Glossam *ordinariam* in Luc. 19, 30.

[8] Vers. 5. et 6.

[9] Psalm. 15, 2, cui subiunguntur I. Tim. 2, 4. et I. Thess. 4, 3.

[10] Cfr. supra pag. 487, nota 9.

[11] Vide supra n. 43.

[12] Vers. 13.

*pullum stantem*, quia invenerunt gentilem populum otiosum, secundum illud Matthaei vigesimo [1]: « Vidit alios stantes in foro otiosos et ait illis » etc. — Statum autem et modum standi expressius dicit Marcus, undecimo [2], ubi dicitur, quod « abeuntes invenerunt pullum ligatum ante ianuam foris in bivio ». Nam gentes, antequam ad Christum venirent, *foris* erant; unde primae ad Corinthios quinto: « Quid enim mihi de his qui foris sunt, iudicare »? « Nam de his qui foris sunt, Deus iudicabit ». Unde Glossa [3]: « Marcus ait: *Ante ianuam ligatum*, quia, extra Christum quicumque est, foris in via est; qui est in Christo foris non est ». Ideo Ioannis decimo quinto: « Si quis in me non manserit, mittetur foras et are-

Notandum.

scet ». Ideo autem dicitur esse *in bivio*, quia non sequebatur aliquam certam viam; unde Glossa [4]: « *In bivio ligatus* stabat qui non unam fidei vitaeque viam tenebat, sed pluribus erroribus deserviebat »; ideo ad Ephesios quarto [5]: « Testificor coram Deo, ut iam non ambuletis, sicut gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, abalienati a via Dei per ignorantiam, quae est in illis ». In hoc ergo invenerunt discipuli populum gentium, qui per diversas sectas et vias idololatrabant, secundum illud Ieremiae tertio [6]: « In viis sedebas, quasi latro exspectans eos, et polluisti ter-

Figura.

ram in fornicationibus tuis ». Ideo recte designatur per Thamar, de qua dicitur Genesis trigesimo octavo: « Mutato habitu, sedit in bivio »; Iacobi primo: « Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis ».

Obedientia in exsequendo.

49. (Vers. 33.). Secundo quantum ad *obedientiam discipulorum praeceptum exsequentium* subditur: *Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini eius ad illos: Quid solvitis pullum?* per contrectationem rei alienae; qui dicuntur *plures domini*, quia secundum veritatem historiae tam asina quam pullus dicitur fuisse totius illius castelli, quo utebantur pauperes ad afferendum aquam [7].

Virtus praecepti divini.

50. (Vers. 34.). *At illi dixerunt: Quia Dominus eum necessarium habet*, per dominium rei propriae. Unde ex hoc apparet *virtus divini praecepti*, quia nec amplius quaesierunt nec restiterunt. Unde Chrysostomus [8]: « Virtus Christi praeparavit eorum cor ad dandum ignotis ». Ex hoc etiam apparet, *virtus obedientiae* quantae sit efficaciae, quia ei qui obedit, nullus dominus valet contradicere; unde et Proverbiorum vigesimo primo [9]: « Vir obediens loquetur victorias ».

Expositio mystica.

Et nota hic secundum *mysterium*, quod plurimi dicuntur populi gentilis *domini*, quia servus erat ille populus non unius Domini et Dei, sed multorum vitiorum et daemonum; quia, secundae Petri secundo [10], « a quo quis superatus est, huius et servus est ». Unde Glossa: « Multos habebat dominos qui non uni superstitioni deditus, sed pro libitu immundorum spirituum ad varios raptabatur errores ». Ideo Isaiae vigesimo sexto [11]: « Domine Deus noster, domini possederunt nos absque te ». Hi resistunt Apostolis volentibus solvere pullum, quia tam daemones quam peccata quam etiam diaboli membra resistunt et obstaculum ponunt gratiae, sicut Simon magus Petro, et Elymas magus Paulo, Actuum decimo tertio: « Resistebat autem illis Elymas magus, quaerens avertere proconsulem a fide ». Sed audito Christi nomine, et eius virtute per miracula patefacta, obmutescunt, quia omnes tales in Christi nomine superantur. Unde Glossa [12]: « Qui doctoribus ad salutem gentium venientibus obstiterunt suas tenebras defendunt, donec, miraculis attestantibus, veri possessoris virtus innotescat ». Unde et Petrus cum Apostolis dixit his qui prohibebant eos praedicare ad pulli solutionem, Actuum quinto [13]: « Obedire oportet Deo magis quam hominibus »; et hoc, quia ipse est solus verus Dominus et personarum nostrarum et rerum; Psalmus: « Quoniam meae sunt omnes ferae silvarum, iumenta in montibus et boves ».

---

[1] Vers. 3. et 4. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 19. n. 1: Ad undecimam [horam] vero gentiles vocantur, quibus et dicitur: *Quid hic statis tota die otiosi?* Qui enim, transacto tam longo mundi tempore, pro vita sua laborare neglexerant quasi tota die otiosi stabant.

[2] Vers. 4. — Subinde allegantur I. Cor. 5, 12. et 13. — Superius pro *Statum autem et modum* Vat. *Statum autem ad modum*.

[3] Scilicet *ordinaria* (ex Ambros., IX. In Luc. c. 19. n. 6.) apud Lyranum in Luc. 19, 30. — Sequitur Ioan. 15, 6.

[4] Nempe *ordinaria* (ex Beda) apud Lyranum in Luc. 19, 30. Cfr. Glossa *ordinaria* in Matth. 21, 2.

[5] Vers. 17. et 18, ubi pro *coram Deo* (cfr. II. Tim. 4, 1.) Vulgata *in Domino*, et *alienati a vita Dei* pro *abalienati a via Dei*. — Inferius pro *sectas* C *semitas*.

[6] Vers. 2. — Duo seqq. loci sunt Gen. 38, 14. et Iac. 1, 8.

[7] Petr. Comestor, Histor. scholast. in Evang. c. 117: Asina haec dicitur fuisse communis pauperibus, qui propria iumenta non habebant. Cumque quis in ea operatus fuerat, pabulum dabat ei et pullo, qui pariter ad opera communia nutriebatur. Nondum enim quisque ascenderat eam, et ob eius ita commune obsequium quidam eam dictam *subiugalem* [cfr. Matth. 21, 5.] putant, quasi omnium dominio expositam. Sed Graecum nomen est *subiugalis; asina* enim Latine, Graece dicitur *subiugalis*. Et utrumque nomen ob eandem causam institutum est. Hoc enim iumentum primum insedit homo, et *a sedendo* asinum Latinus dixit, et Graecus *subiugalis*. Cfr. Isidor., XII. Etymolog. c. 1. n. 38.

[8] Homil. 37. in Matth. 21, 7. (Op. imperfect.).

[9] Vers. 28, ubi pro *victorias* Vat. cum Vulgata *victoriam*.

[10] Vers. 19. — Glossa seq. est *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 19, 33, in cuius fine pro *raptabatur* (ita etiam Beda et Glossa) A C *reptebatur*, Vat. *sectabantur*. Cfr. Glossa *ordinaria* in Marc. 11, 2.

[11] Vers. 13. — Subinde respicitur Act. 8, 18. seqq. (de Simone mago) et allegatur Act. 13, 8. — Inferius pro *ponunt gratiae* C D F G H *ponunt ad gratiam*.

[12] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 19, 33: Qui solvendo pullo contradixerant, audito nomine [Domini], quiescunt, quia magistri errorum, qui doctoribus... obsistunt... virtus emineat [Beda *emicuit*].

[13] Vers. 29. — Sequitur Ps. 49, 10.

bedientia redeundo.

51. (Vers. 35.). Tertio quantum ad *discipulorum obedientiam secundum praeceptum redeuntium* subiungitur: *Et duxerunt illum ad Iesum,* ut adimplerent Christi mandatum, quibus supra[1] dixerat: « Solvite et adducite mihi ». — *Et iactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Iesum,* ut ostenderent, Christum esse regem promissum. Unde Matthaei vigesimo primo[2]: « Hoc totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Dicite filiae Sion: Ecce, rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum filium subiugalis ». Sic enim habetur Zachariae nono: « Exsulta satis, filia Sion, iubila, filia Ierusalem: Ecce, rex tuus veniet tibi iustus et salvator: ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinae ». Ex hoc ergo manifesto indicio et praehabito verbo[3] colligebatur, quod Christus erat verus rex Iudaeorum.

uaestio solvitur.

52. Sed hoc est mirabile, quod Christus, cum esset verus Deus et « Rex regum[4] », ascendere voluit super animal tam despectum. — Sed tamen hoc valde rationabiliter fecit et propter *mysterium* et propter *exemplum.* Propter *mysterium,* inquam, quia, sicut tactum est[5], per *pullum* intelligitur populus gentilis, per *asinam* Iudaicus. Et ideo, licet alter deberet sibi sufficere, tamen super utrumque ascendit, primum super pullum et deinde super asinam, ut ostenderet, se primo vocaturum populum gentium, deinde in fine mundi populum Iudaeorum. Unde et in illa nobilissima prophetia Iacob, Genesis quadragesimo nono[6], dicitur: « Non auferetur sceptrum de Iuda nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est; et ipse erit exspectatio gentium, ligans ad vineam pullum suum et ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam et in sanguine uvae pallium suum »; hoc fuit in torculari crucis. Quoniam ergo hunc pullum, scilicet populum gentium, Christus ad se duci fecit et super eum ascendit per ministerium Apostolorum; ideo dicitur, quod discipuli *iactaverunt vestimenta sua,* id est exempla bona, per quae converterunt gentem illam; de quibus vestimentis, Apocalypsis decimo sexto[7]: « Beatus, qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet ». In cuius figuram etiam dicitur tertii Regum decimo nono, quod « Elias misit pallium suum super Eliseum ». Quoniam igitur ista conversio facta est non solum per Apostolos, verum etiam per septuaginta discipulos, quibus deputatae sunt particulares Ecclesiae gentium conversarum; ideo in huius figuram dicitur Iudicum duodecimo[8] de iudice quodam, qui « habuit quadraginta filios et triginta ex eis nepotes, ascendentes super septuaginta pullos asinarum ». Et de hoc Glossa[9]: « *Vestimenta* Apostolorum doctrina virtutum, vel discretio Scripturarum et gratia spiritualis, quibus illi corda hominum prius nuda et frigida contegunt, ut mereantur habere sessorem Christum ». — Fecit etiam hoc propter *exemplum* ad conterendum supercilium superborum, qui delectantur in multitudine equorum et curruum; Psalmus[10]: « Hi in curribus, et hi in equis » etc.; et Isaiae trigesimo primo: « Vae! qui descendunt in Aegyptum ad auxilium, in equis sperantes et habentes fiduciam super quadrigis, quia multae sunt » etc. Quod exemplo suo Christus condemnans, non multitudinem equorum habuit, immo nec unum equum, sed super contemptibilem pullum ascendit in die praecipui honoris sui. Unde Chrysostomus[11]: « Vis cognoscere mansuetudinem venientis? Considera speciem adventus eius. Non sedet in curru aureo, purpura fulgens; non ascendit super fervidum equum, discordiae amatorem; non habuit in circuitu splendentes gladios aut cetera ornamenta terribilium armorum, sed quid? Ramos frondentes testimonia pietatis ». Et sic ostendit, verum esse quod in Psalmo[12] dicitur: « Non in fortitudine equi voluntatem habebit nec in tibiis » etc.

rima ratio est mystica. — Figura. — Secunda ratio est exemplum.

Tertio regiam potestatem tripliciter ostendit per populorum reverentiam in collaudando.

53. *Exeunte autem illo*[13] etc. Postquam ostendit, se potestatem habere regalem per suam excellentiam in imperando et discipulorum obedientiam in obsequendo, hic ostendit tertio[14] *per populorum honorificentiam in collaudando.* Ad hoc autem exprimendum primo explicatur *devotio laudantium;* secundo vero, *celsitudo laudum,* ibi[15]: *Benedictus, qui venit in nomine Domini;* tertio vero, *confutatio invidorum,* ibi: *Et quidam Pharisaeorum* etc.

Primo, de devotione populi duo.

Circa *devotionem* igitur *laudantium* exprimendam duo introducuntur, scilicet expressio *devotionis in opere* et expressio *in sermone et voce.*

---

[1] Vers. 30.

[2] Vers. 4. et 5, post quos Zach. 9, 9.

[3] Vat. ponit *iudicio* pro *indicio* et omittit *verbo*, pro quo G *facto;* B substituit *prophetico* pro *praehabito.*

[4] Apoc. 19, 16; cfr. supra n. 47.

[5] Num. 46. seqq. — Vocibus *sicut tactum* G interserit *superius.* Inferius pro *Et ideo* A C D F *Ideo et.*

[6] Vers. 10. et 11. — Cfr. Comment. S. Bonav. in Ioan. c. 12. n. 27. ad 2, ubi explicatur, quomodo Christus et super asinam et super pullum sederit.

[7] Vers. 15, post quem III. Reg. 19, 19.

[8] Vers. 14. Iudex ille vocabatur Abdon. Cfr. supra pag. 253, nota 1.

[9] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Hieron., III. Comment. in Matth. 21, 6. seq.; cfr. Origen., Homil. 37. in Luc.) in Luc. 19, 35.

[10] Psalm. 19, 8. et deinde Isai. 31, 1, ubi pro *descendunt* C D F *descenditis.*

[11] Homil. 37. in Matth. 21, 5. (Op. imperfect.). Post *discordiae amatorem* textus originalis plura addit. Pro *aut cetera ornamenta* D *aut coctum ornatum.*

[12] Psalm. 146, 10.

[13] Cfr. supra pag. 487, nota 9.

[14] Vide supra n. 43.

[15] Vers. 38, ubi Vat. cum Vulgata *Benedictus, qui venit rex in* etc.; inferius n. 56. codd. legunt: *Benedictus est rex, qui venit in* etc.; tertium habetur v. 39. — Pro *celsitudo laudum* (ita etiam infra n. 60.) A C H *celsitudo laudis.*

Devotio expressa in opere.

54. (Vers. 36.). Primo igitur quantum ad *expressionem devotionis in opere* dicit: *Exeunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via,* quod signum erat magnae devotionis. Non autem exprimit, qui erant illi qui sternebant, quia communiter hoc faciebant omnes et maxime turbae. Unde Matthaei vigesimo primo[1]: « Plurima turba straverunt vestimenta sua in via, alii autem caedebant ramos de arboribus et sternebant in via ». — Et nota, quod hic a *mysterio* non vacat, quod discipuli vestimenta *posuerunt super asellum*[2], sed turba *sternebat vestimenta sua sub pedibus* asini ad conculcandum. In quo intelligimus, quod populus gentium convertendus documenta Apostolorum debebat venerari, sed eruditiones Iudaeorum et caeremonias conculcare. Unde Chrysostomus[3]: « Super iumentum Apostoli posuerunt vestimenta sua; sub pedibus vero ceteri, quia mandatis Apostolorum evangelicis substernuntur Christiani, Legis autem consuetudines conculcant ». Unde ad Philippenses tertio[4]: « Quae mihi fuerunt lucra arbitratus sum ut stercora, ut Christum lucrifacerem ». — Secundum *moralitatem* autem per *strationem vestimentorum in via* intelligimus conculcationem nostrorum corporum per abstinentiam et patientiam ad dandum aliis bona exempla, per quae dirigantur in via. Unde Glossa[5]: « Turba, Martyrum exempla sequens, carnem per abstinentiam edomat, ut Domino iter ad mentem paret et sequentibus praebeat bona exempla ». In cuius etiam rei figuram dicitur quarti Regum secundo[6], quod Elias reliquit pallium suum Eliseo. Quia bonum exemplum quasi quodam odore trahit ad imitationem, ideo Canticorum quarto[7]: « Odor vestimentorum tuorum super omnia aromata ». Et haec in via strata videmus; unde ad Hebraeos duodecimo: « Habentes tantam nubem testium » etc.

Expositio mystica.

Expositio moralis.

Figura.

Devotio expressa in sermone.

55. (Vers. 37.). Secundo quantum ad *expressionem devotionis in sermone* subditur: *Et cum appropinquaret iam ad descensum montis Oliveti,* propter congruentiam loci, quia prope Ierusalem. Unde et de illo loco ascendit; Actuum primo[8]: « Reversi sunt in Ierosolymam a monte Oliveti, qui est iuxta Ierusalem, Sabbati habens iter ». Per *descensum* autem illum intelligitur descensus dignationis misericordiae Dei, propter quem merito a nobis debet laudari, secundum illud Psalmi[9]: « Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi; quoniam confirmata est super nos misericordia eius » etc. — Et ideo subdit: *Coeperunt omnes turbae descendentium*[10] *gaudentes laudare Deum voce magna,* per congruentiam *modi;* Ecclesiastici trigesimo nono: « Date nomini eius magnificentiam et confitemini illi in voce labiorum vestrorum »; et Psalmus: « Bene psallite ei in vociferatione ». — Ratio autem huius laudis magnificae fuit consideratio mirabilium Christi; et ideo addit: *Super omnibus quas viderant virtutibus,* per congruentiam *ex parte motivi.* Nam visio mirabilium inducit et movet ad laudandum; Psalmus[11]: « Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit ». Inter omnia autem mirabilia, quae fecit, maximum fuit de suscitatione mortui quatriduani; ratione cuius praecipue turba obviam Christo venit; Ioannis duodecimo[12]: « Testimonium perhibebat turba, quae erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento et suscitavit eum a mortuis. Propterea et obviam venit ei turba, quia audierat, eum fecisse hoc signum ». Turbae autem movebantur ad signa, ut crederent, ipsum esse Christum regem promissum in Lege. Unde Ioannis sexto[13]: « Illi homines, cum vidissent, quod fecerat Iesus signum, dicebant, quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum ».

Ratio.

Secundo, de celsitudine divinarum laudum duo.

56. (Vers. 38.). *Dicentes: Benedictus* etc. Post devotionem laudantium describitur hic secundo[14] *celsitudo divinarum laudum.* Describitur ergo laus Christi excellens ex ore turbarum excellenter laudantium regem Christum et quantum ad *venientis excellentem personam* et quantum ad ipsius *adventus excellentem efficaciam.*

Venientis excellens persona.

Primo igitur quantum ad *venientis excellentem personam* dicitur: *Dicentes: Benedictus est rex, qui venit in nomine Domini*[15]. Benedicitur autem

---

[1] Vers. 8. Beda, V. in Luc. 19, 36. ait: Iuxta alios Evangelistas [praeter Matth. loc. cit. cfr. Marc. 11, 8.] non discipuli tantum, sed et plurimi de turba sternebant vestimenta sua in via.

[2] Codd. C D *asellam,* et subinde pro *asini* A *asinae.*

[3] Homil. 37. in Matth. 21, 8. (Op. imperfect.).

[4] Vers. 7. et 8. Pro *lucrifacerem* Vat. cum Vulgata *lucrifaciam.*

[5] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) apud Lyranum in Luc. 19, 36: Iuxta alios Evangelistas non discipuli, sed turba substernebat, quae Martyrum exempla sequens etc.

[6] Vers. 13, quem Card. Hugo (in Luc. 19, 36.) explicans dicit: Elias pallium suum reliquit Eliseo, id est caritas [caritatis?] exemplum.

[7] Vers. 11, ubi pro *super omnia aromata* (cfr. v. 10.) Vat. cum Vulgata *sicut odor thuris.* — Subinde allegatur Hebr. 12, 1.

[8] Vers. 12. — Glossa *ordinaria* (ex Beda): Descendente Domino de monte Oliveti, id est humiliante se ad infirmitatem nostrae carnis illo qui erat in forma Dei [cfr. Phil. 2, 6. seq.], cum eo descendunt turbae, id est, humiliantur sub manu eius qui misericordia indigent, ut ab eo exaltentur.

[9] Psalm. 116, 1. seq. — Superius Vat. *propter quod* loco *propter quem.*

[10] Ita etiam Beda, Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 19. n. 4.), Gorranus et Lyranus; Vulgata *discipulorum.* — Duo seqq. loci sunt Eccli. 39, 20. et Ps. 32, 3.

[11] Psalm. 97, 1.

[12] Vers. 17. et 18. Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 19, 37: *Gaudentes* etc., maxime de resurrectione Lazari, quae nuper facta erat. Nam et propterea obviam venit ei turba etc.

[13] Vers. 14. — Superius pro *movebantur ad signa* Vat. *admonebantur a signis.* [14] Cfr. supra n. 53.

[15] Vide supra pag. 491, notam 15.

Christus, non quia ex benedictione humana aliquid sibi acquiratur, sed tanquam summe bonus laudatur. Unde Hieronymus[1]: « Benedictio, quae fit *in Deo,* confessio sola est et laudatio bonorum, quae praestita sunt; benedictio vero, quae fit *a Deo,* in nobis impletur, dum eius beneficiis implemur ».

Benedictio prima.

Benedicunt ergo et laudant eum tanquam *regem ex semine David* secundum carnem natum; supra primo[2]: « Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit » etc.; et ad Romanos decimo quinto allegans Apostolus auctoritatem Isaiae dicit: « Et rursus Isaias ait: Erit radix Iesse, et qui exsurget regere gentes, in eum gentes sperabunt »; quod sumtum est de Isaiae undecimo secundum aliam translationem; et Ieremiae vigesimo tertio: « Ecce, dies venient, et suscitabo David germen iustum, et regnabit rex » etc.

Secunda.

— Benedicunt etiam eum tanquam *divinitus missum,* cum dicunt: *Qui venit in nomine Domini. In nomine Domini venit* qui ex parte Dei venit; Ioannis quinto[3]: « Ego veni in nomine Patris mei ».

57. Venit autem Christus in nomine Domini tripliciter, scilicet *in carnem;*

Adventus Christi primus.

Ioannis primo[4]: « In propria venit, et sui eum non receperunt »; et hic adventus est *memorandus* propter nimiam dignationem; Aggaei secundo: « Adhuc modicum, et ego movebo caelum et terram »; « et veniet desideratus » etc.

Figura.

In huius figuram dicitur secundi Regum ultimo: « Quid causae est, ut veniat dominus meus rex ad servum suum » etc.

Secundus.

— Venit *in mentem;* de quo Iob nono[5]: « Si venerit ad me, non videbo eum »; et hic adventus est *acceptandus* propter nimiam dilectionem; Ioannis decimo quarto: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus »; et illud Sapientiae septimo: « Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa ».

Tertius.

— Venit *ad iudicium finale,* de quo Apocalypsis primo[6]: « Ecce, venit cum nubibus » etc.; et hic adventus est *praestolandus* per nimiam discretionem; Malachiae tertio: « Ecce, venit, et quis poterit cogitare diem adventus eius » etc.; quia supra duodecimo: « Beatus ille servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem ».

Notandum.

— In quolibet autem trium adventuum ille qui venit, scilicet Christus, est benedicendus; Psalmus[7]: « O Domine, salvum me fac, o Domine, bene prosperare. Benedictus, qui venit in nomine Domini ». Et pro hoc triplici adventu Ecclesia solemnizat, unum recolens, alium petens et tertium ut propinquum praevidens.

Adventus excellens efficacia.

58. Secundo quantum ad *adventus excellentem efficaciam* subdit: *Pax in caelo et gloria in excelsis,* in quo datur intelligi duplex efficacia adventus Christi.

Prima.

Prima est in *reconciliatione peccantium per gratiam;* et hanc notat, cum dicit *pax in caelo;* ad Colossenses primo[8]: « Pacificans per sanguinem crucis suae quae in caelis sunt et quae in terris. Et vos, cum essetis aliquando alienati et inimici in operibus malis, nunc reconciliati estis in corpore carnis eius ». Et pro hac facienda venit; ad Ephesios secundo[9]: « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum ». « Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui fuistis longe, et pacem his qui prope » etc.

Secunda.

— Secunda est *beatificatio iustorum per gloriam;* Psalmus[10]: « Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum ». Et de hoc duplici effectu rursus in Psalmo: « Quoniam misericordiam et veritatem diligit Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus »; et hic duplex effectus est per Christum venientem, secundum illud ad Romanos quinto[11]: « Iustificati ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem accessum habemus per fidem in gratiam istam, in qua et stamus et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei ».

De hoc duplex laus.

59. Et de hoc duplici effectu nobili debet Christus veniens collaudari et in sua nativitate et imminente passione; unde, sicut Angeli cantaverunt: « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus » etc., supra secundo[12]; sic versa vice cantant nunc homines, imminente passione. Et ideo Glossa: « Sicut, nascente Domino hominum et Angelorum, agmina caelestia decantabant: *Gloria in excelsis Deo* etc., sic eidem mox triumphaturo homines concinunt: *Pax in caelo et gloria in excelsis* ». Alii autem Evangelistae dicunt, quod cantabant: « Hosanna filio David, hosanna in excelsis »! Matthaei vigesimo primo[13] et Marci undecimo; in quo continetur et intellectus gloriae et multorum aliorum, et ideo non fuit translatum. Unde Chrysostomus[14]: « Quidam

---

[1] Apud *Hieronymum* haec non invenimus; B substituit *Chrysostomus.* Similis sententia exhibetur a Glossa *ordinaria* (ex Comment., quod habetur inter opera Ambrosii) in Eph. 1, 3: Unum quidem benedictionis verbum, sed per congruentia personae varie debet intelligi. Benedicitur ab homine Deus, cum laudibus dignis extollitur; homo autem a Deo, cum Deus ei gratiae suae dona impartitur etc. Cfr. Glossa *ordinaria* (ex August.) in Ps. 66, 2.

[2] Vers. 32. — Subinde allegantur Rom. 15, 12. (cfr. Isai. 11, 10. translatio septuaginta interpretum) et Ier. 23, 5.

[3] Vers. 43. — Post *ex parte Dei* Vat. addit *Patris.*

[4] Vers. 11. — Duo seqq. loci sunt Aggaei 2, 7. seq. et II. Reg. 24, 21.

[5] Vers. 11. — Sequuntur Ioan. 14, 23. et Sap. 7, 11.

[6] Vers. 7. — Subinde allegantur Malach. 3, 1. seq. et Luc. 12, 43. (cfr. v. 37. et Breviar. Roman. Commun. pro Confess. non pontif. ant. 4. ad Laudes). De triplici Christi adventu cfr. Bernard., Serm. 3. et 5. de Adventu Domini. — Inferius Vat. *propter nimiam* loco *per nimiam.*

[7] Psalm. 117, 25, ubi pro *venit* C D *venturus es,* F *venturus est.* — Inferius pro *unum* Vat. *primum.*

[8] Vers. 20-22, ubi Vulgata *reconciliavit.*

[9] Vers. 14. et 17.

[10] Psalm. 5, 12. et deinde 83, 12.

[11] Vers. 1. et 2.

[12] Vers. 14. — Glossa seq. est *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 19, 38.

[13] Vers. 9. et Marc. 11, 9. seq. — Inferius post *et ideo* B addit *Hosanna.*

[14] Homil. 37. in Matth. 21, 9. in fine (Op. imperfect.).

Quid sit Hosanna. interpretantur Hosanna *gloriam,* quidam *redemptionem,* alii *salvifica* sive *salvum me fac* ». Augustinus [1] autem dicit, quod « Hosanna est vox laetantis vel obsecrantis, ut dicunt nonnulli Hebraei, magis affectum indicans quam aliquam rem significans, sicut *racha* interiectio indignantis esse perhibetur. Unde secundum vocem nec Latinus neque Graecus hoc interpretari potuit, sed secundum sensum ». Et hoc vult beatus Lucas dicere, cum dicit: « Pax in caelo et gloria in excelsis ». — Corollarium. Unde quia ista laus fuit laus sublimis humilitatis Christi, ideo ex ipsa cum laude Seraphim, quae est laus Trinitatis, constituitur laus immediate antecedens canonem Missae in consecratione Sacramenti altaris, qua dicitur: Sanctus, Sanctus, Sanctus [2] etc.

60. (Vers. 39.). *Et quidam Pharisaeorum* etc. Tertio, de confutatione invidorum duo. Post devotionem laudantium et celsitudinem laudum subditur *confutatio invidorum* [3], circa quam describendam duo introducuntur, scilicet *indignatio invidentium* et *approbatio laudatorum.*

Indignatio invidentium. Primo igitur quantum ad *indignationem invidentium* dicit: *Et quidam Pharisaeorum de turbis dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos.* Hoc autem dixerunt ex indignatione; unde Matthaei vigesimo primo [4]: « Videntes principes sacerdotum et scribae mirabilia, quae fecit, et pueros clamantes et dicentes: Hosanna filio David, indignati sunt ». Haec autem indignatio ortum habebat ex invidia, quae praecipitabat eos in stultitiam et dementiam. Unde Glossa [5]: « Mira invidentium dementia: quem vera docentem noverunt, cum *magistrum* nominari audiunt, discipulos eius, quasi melius edocti, redarguendos aestimant, quos ille instruxerat, quem *Deum* apparet esse per miracula ». Unde ex laude et gloria Christi maxime commoti sunt ad iracundiam scribae et Pharisaei, cum potius deberent laetari; secundum illud Ioannis duodecimo [6]: « Pharisaei dixerunt ad semetipsos: Videtis, quia nihil proficimus. Ecce, mundus totus post eum abiit ». Tristati sunt igitur, unde debuissent laetari, et excaecati, unde debuissent illuminari; et hoc iusto iudicio Dei, qui dicit Ioannis nono: « In iudicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant ». Unde et propter illuminationem fidelium et confutationem rebellium Dominus acceptavit honorem istum, sicut Glossa [7] dicit: Notandum. « Frequenter ingressus est civitatem Ierusalem, sed non cum his laudibus, non *rex* vocatus, quod semper fugerat, nisi modo, cum ascendit passurus; quod ideo factum est, ut amplius illorum adversum se excitaret invidiam, quia iam tempus passionis instabat »; non quia Dominus malum eorum vellet intendi, sed quia, iusto iudicio suo faciendo quod debuit, illi occasionem acceperunt, ut ardentius inflammarentur ad odium, ex quo Deus magnum eliceret bonum. Unde Chrysostomus [8]: « Excitavit eos, non ut facerent quod ante noluerunt, sed ut possent facere quod prius volebant. Facultas data est, non mutata voluntas ». Unde impletum est in his illud Sapientiae secundo: « Gravis est nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatae sunt viae illius ».

61. (Vers. 40.). Secundo quantum ad *approbationem laudatorum* subditur: Approbatio laudatorum. *Quibus ipse ait: Dico vobis, quia, si hi tacuerint, lapides clamabunt,* quasi dicat, quod haec voluntas Dei est, quod ipsi laudent, secundum illud Matthaei vigesimo primo [9]: « At ille dixit: Nunquam legistis, quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem »? Hoc enim scriptum est in Psalmo; quod voluit Dominus facere ad confusionem Pharisaeorum, unde statim subditur: « Propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem ». Hic autem plus dicit, quod sit voluntas Dei, ut a Pharisaeis non possit [10] impediri.

62. Voluit autem Dominus sic fieri, imminente passione, et propter *exemplum* et propter *mysterium:* Duplex ratio. propter *exemplum,* ut ignominia passionis subsequentis gravior esset ex magnitudine gloriae praecedentis, Propter exemplum. secundum illud Iob decimo sexto [11]: « Ego, ille quondam opulentus, repente contritus sum ». In hoc etiam ostenditur, quale sit gaudium huius mundi, quia citissime transit; Proverbiorum decimo quarto: « Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat ». Et per hoc ostenditur,

---

[1] In Ioan. Evang. tr. 51. n. 2. Cfr. tom. VI. pag. 414, nota 4.

[2] Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. tr. de Officio missae, p. II. § 1: Ter dicitur *Sanctus* et semel *Deus,* ut trinitatis et unitatis mysterium comprobetur. Hoc non solum Seraphim clamabant sub excelso Dei solio, secundum quod dicitur Isai. 6, 3; sed et quatuor animalia, secundum illud Apoc. 4, 8: *In circuitu sedis requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus...* Quia vero necessarium est ad aeternam salutem incarnationis quoque mysterium confiteri, recte subiungitur: *Benedictus, qui venit...* Bis autem dicitur *Hosanna* propter duas partes salutis, quae sunt stola carnis et stola mentis, quibus Sancti beatificantur in gloria... Hoc autem canticum est canticum Angelorum, quod nos cantantes significamus, quod per hoc sacrificium iungi caelestibus debemus, et ideo salvari; cum illis in excelsis clamamus canentes. — Superius pro *in consecratione* Vat. *etiam paulo ante consecrationem.*

[3] Vide supra n. 53.

[4] Vers. 15. — Inferius pro *quae praecipitabat* (ita D) Vat. cum aliis codd. *et* [H *et invidia*] *praecipitabat.*

[5] Scilicet *ordinaria* (ex Beda), in cuius principio pro *magistrum* (ita etiam Beda et Glossa) Vat. cum pluribus codd. *magnum.*

[6] Vers. 19. et deinde 9, 39.

[7] Scilicet *ordinaria* (cfr. Beda, III. in Marc. 11, 10.) in Luc. 19, 37.

[8] Homil. 37. in Matth. 21, 1. (Op. imperfect.). Vat. omittit (contra textum originalem et codd.) *sed ut... volebant.* — Sequitur Sap. 2, 15.

[9] Vers. 16, in quo allegatur Ps. 8, 3, ubi etiam est loc. seq.: *Propter inimicos* etc.

[10] Vat. *possint.*

[11] Vers. 13. — Subinde allegatur Prov. 14, 13.

mundanum gaudium et praeconium laudis et gloriam mundi esse contemnendam; et quod per famam et infamiam oportet transire eum qui vult ire in Ierusalem supernam, secundum illud secundae ad Corinthios sexto[1]: « Per arma iustitiae a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, ut seductores et veraces, quasi tristes, semper autem gaudentes, tanquam nihil habentes et omnia possidentes ». — Voluit etiam hoc propter *mysterium*, quia laus parvulorum significat laudem ipsius in Ecclesia gentium. Ideo dicit, quod *lapides clamabunt*, id est gentes, quae dicuntur *lapides*, quia corda habebant dura et lapidea. Ideo in huius figuram supra tertio[2]: « Dico vobis, quod potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae », duritiam scilicet cordium auferendo, secundum illud Ezechielis trigesimo sexto: « Auferam a vobis cor lapideum et dabo vobis cor carneum ». Emollitum est autem cor eorum durum per virtutem Crucis, quae petram convertit in aquam. In huius figuram dicitur Matthaei vigesimo septimo[3], quod in morte Christi « petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt ». Unde Glossa[4]: « Si caecitas contigerit in Israel, ut a laude Dei conticeat; populus gentium, mollito corde lapideo, Creatorem suum credet et annuntiabit »; secundum illud ad Romanos undecimo: « Caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret ». Unde in huius designationem expressam dicitur Ioannis duodecimo[5] statim post murmur Pharisaeorum: « Erant autem quidam gentiles, qui ascenderant ad diem festum. Et venerunt ad Philippum dicentes: Domine, volumus Iesum videre »; et sequitur ibi, quod « Philippus et Andreas dixerunt ad Iesum »; « Iesus autem dixit: Pater, venit hora; clarifica Filium tuum ». — Ex quo manifeste apparet, quod haec facta sunt ad manifestandum nomen Christi et ad praesignandum vocationem populi Christiani, excaecatis Iudaeis, de quorum proxima subversione in consequentibus agit, deplorans excidium Ierusalem, civitatis regalis.

Propter mysterium.

Figura.

Figura.

Notandum.

**Pietatem pontificalem promissam se habere, ostendit per quatuor.**

63. (Vers. 41.). *Et ut appropinquavit* etc. Postquam descripsit, qualiter Dominus ostendit, se esse Christum promissum quantum ad potestatem regalem; hic secundo[6] ostendit id ipsum quoad *pietatem pontificalem*. Sicut enim potestas et honor decent regem, sic pietatis dolor decet pontificem, secundum illud ad Hebraeos quarto: « Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato ». Ostenditur autem huiusmodi pietas Christi magna, quia in die summi honoris sui in terris non cessabat a lacrymis per affectum compassionis. Describitur igitur pietas Christi, ut *plorans*[7] et deplorans civitatis sacerdotalis *gaudium stultum, excidium proximum* et *peccatum praeambulum*.

Primo igitur quantum ad *Christi pontificis fletum piissimum* dicit: *Et ut appropinquavit, videns civitatem, flevit super illam. Appropinquavit* non tantum corporis situ, verum etiam cordis affectu, secundum illud Iacobi quarto[8]: « Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis »; et Deuteronomii quarto: « Quae est enim alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi »? *Vidit* etiam *civitatem* non tantum oculis corporis, verum etiam aspectu pietatis; Psalmus[9]: « Quoniam prospexit de excelso sancto suo; Dominus de caelo in terram aspexit, ut audiret gemitus » etc.; et Exodi tertio: « Vidi afflictionem populi mei in Aegypto » etc. *Flevit super illam* per affectionem piissimam et compassionem affectuosam.

Pietas magna plorans per affectum compassionis.

64. Et nota, quod Christus legitur ter flevisse pro nobis: super *Lazarum suscitandum;* Ioannis undecimo[10]: « Et lacrymatus est Iesus »; super *civitatem Ierusalem*, sicut hic; et tandem *in cruce;* ad Hebraeos quinto: « Cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia »; ex quo perfectissime fuit pietas Christi manifestata ad nos. Creditur etiam flevisse *in sua infantia*, quando intravit in praesentis status miseriam, secundum quod Ecclesia de ipso cantat[11]:

Ter flevit Christus.

Fortasse quater.

Vagit infans, inter arcta conditus praesepia.

In hoc autem quadruplici fletu quatuor in nobis ostendit debere esse differentias lacrymarum et fletuum: ex *compunctione;* Psalmus[12]: « Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo »; et Matthaei vigesimo sexto dicitur de Petro, quod « egressus foras, flevit amare ». — Ex

Quatuor differentiae lacrymarum; prima.

Secunda.

---

[1] Vers. 7. 8. et 10.

[2] Vers. 8. et deinde Ezech. 36, 26.

[3] Vers. 51. seq. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 19, 40: Crucifixo Domino, Apostolis prae timore tacentibus, petrae, quae scissae sunt, apertis monumentis Deum et mundi Dominum aperte clamabant.

[4] Scilicet *ordinaria* (secundum Bedam) in Luc. 19, 40, post quam Rom. 11, 25. seq.

[5] Vers. 20. seq.; deinde v. 22. et 23: Iesus autem respondit eis dicens: Venit hora, ut clarificetur Filius hominis (c. 17, 1: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum).

[6] Cfr. supra n. 43. — Subinde allegatur Hebr. 4, 15.

[7] Verba *plorans et* desunt in codd. et Vat.; sed quia in seqq. *quatuor* membra referuntur, quorum primum est *fletus piissimus*, hic textus mutilus erat supplendus saltem brevissime.

[8] Vers. 8, cui subnectitur Deut. 4, 7.

[9] Psalm. 101, 20. seq. et deinde Exod. 3, 7.

[10] Vers. 35. — Sequitur Hebr. 5, 7. Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 11. n. 57, ubi docet, Christum, ter flendo, tres origines et poenas peccatorum (infirmitatem, caecitatem et malignitatem) deflevisse.

[11] Pro Dominica Passionis in hymno ad Matut.: *Pange lingua gloriosi* etc. Hymnus ille est Venantii Hon. Clem. Fortunati, Pictaviensis episc. (circa an. 600) et habetur II. Miscellan. c. 2.

[12] Psalm. 6, 7, post quem Matth. 26, 75.

*compassione;* Iob trigesimo[1]: « Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi »; et Ieremiae nono: « Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum »? — **Tertia.** Pro *incolatu praesentis miseriae;* Ioannis decimo sexto[2]: « Plorabitis » etc.; et Psalmus: « Heu mihi! **Quarta.** quia incolatus meus prolongatus est ». — Pro *appetitu felicitatis aeternae;* Matthaei quinto[3]: « Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur ». Has lacrymas debemus petere, quamdiu sumus super asellum mortalitatis nostrae. Sicut enim Christus super asinum flevit, sic et anima, quae insidet corpori misero **Figura.** tanquam asello, flere debet. In cuius figuram Iudicum primo[4] dicitur, quod « Axa, filia Caleb, sedens in asino suspiravit » etc.; et post subditur, quod dixit: « Terram arentem dedisti mihi, da et irriguam aquis; deditque ei Caleb irriguum superius et irriguum inferius ». — His modis lacrymandi irrigari **Figura.** debet paradisus conscientiae. In cuius designationem dicitur Genesis secundo[5], quod « fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui dividitur in quatuor capita »; in quo intelligitur, quod ex pietate cordis nostri debet quadruplex lacrymarum fluvius derivari.

65. (Vers. 42.). Secundo quantum ad *regiae* **Pietas deplorans gaudium stultum.** *civitatis gaudium stultum* subdit: *Dicens: Quia, si cognovisses et tu,* per providentiam, flevisses, supple: per poenitentiam; unde Glossa[6]: « *Si cognovisses* ruinam, quae imminet, flevisses ». Et hic est defectus necessariae dictionis, sed Dominus decise loquitur ad modum dolentis et supplet ex ipso actu dolendi et flendi, ut affectus suppleat conceptum, et factum suppleat verbum: flevisses utique. — Et si quaeras: *quando? Et quidem,* hoc est certe, *in hac die tua, quae ad pacem tibi,* in qua scilicet exsultas; unde Glossa[7]: « Quae modo exsultas ». — Et si quaeras *causam,* quare exsultat et non plorat, est improvidentia. Unde subdit: *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis;* Glossa[8]: « Tempore laetitiae non praevidentur futurae mise- **Stulti gaudii ratio triplex.** riae »; ideo ergo habebat gaudium stultum propter *considerationem diei praesentis,* de quo die dicit: *In hac die tua;* propter *obtentum praesentis pacis,* de qua addit: *Quae ad pacem tibi;* et propter *absconsionem calamitatis,* de qua subiungit: *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Unde Glossa[9]: « Dum carnem das voluptatibus, mala futura non prospiciens, habes bona praesentia, quae ad pacem tibi possunt esse temporalem. Et cur hoc subdit, scilicet quod non praevidet mala, quae ventura sunt? Si enim praevideret, in praesentibus prosperis laeta non fuisset ». — Et hinc est, quod *viri iusti praesentem* **Corollarium de viris iustis.** *diem* despiciunt, secundum illud Ieremiae decimo septimo[10]: « Diem hominis non desideravi, tu scis »; et vigesimo: « Maledicta dies, in qua natus sum »; et de Iob dicitur Iob tertio: « Maledixit Iob diei suae dicens: Pereat dies, in qua natus sum, et nox, in qua dictum est » etc. *Praesentem pacem* contemnunt; Psalmus[11]: « Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns »; et Ezechielis decimo tertio: « Prophetae deceperunt populum meum, dicentes: Pax, pax, et non erat pax ». *Futura conspiciunt et attendunt,* secundum illud Ecclesiastici trigesimo octavo[12]: « Memento novissorum et noli oblivisci ». — Sed **De viris malis.** e contrario *viri mali* non cogitant iudicium, et ideo laetantur, secundum illud Proverbiorum secundo: « Laetantur, cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis ». Et hoc est, quia diem istum considerant, non extremum; Iob vigesimo primo[13]: « Tenent tympanum et citharam et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt ». Ideo ironice dicitur Ecclesiastae undecimo[14]: « Laetare, iuvenis, in adolescentia tua, et in bonis sit cor tuum in diebus iuventutis tuae ». « Et scito, quod pro his omnibus adducet te Deus in iudicium ». Ex hoc igitur apparet illud quod dicitur Ecclesiastae septimo: « Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii » etc.

66. (Vers. 43.). Tertio quantum ad *regiae civi-* **Pietas deplorans civitatis excidium.** *tatis excidium proximum* subdit: *Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo,* per obsidionem, secundum illud Ezechielis quarto[15]: « Sume tibi laterem, et describes in eo civitatem Ierusalem. Et ordinabis adversus eam obsidionem et aedificabis munitiones et comportabis aggerem et dabis contra eam castra per gyrum et pones munitiones » etc.

---

[1] Vers. 25. et deinde Ier. 9, 1.

[2] Vers. 20, cui subiungitur Ps. 119, 5.

[3] Vers. 5.

[4] Vers. 13. et 14, quos Rabanus exponens ait: Spiritualiter autem anima super asinam sedit, cum irrationabilibus carnis suae motibus anima praesedit, quae suspirans a Patre terram irriguam petit, quia a Creatore nostro cum magno gemitu quaerenda lacrymarum gratia... Principaliter tamen compunctionum genera duo sunt, quia Deum sitiens anima prius timore compungitur, post amore... Quia ergo, ut dixi, duo sunt compunctionis genera, dedit ei Pater suus irriguum superius et irriguum inferius. Irriguum quippe superius accipit anima, cum sese lacrymis caelestis desiderio regni affligit; irriguum vero inferius accipit, cum Inferni supplicia flendo pertimescit etc.

[5] Vers. 10.

[6] Scilicet *interlinearis: Si cognovisses,* ruinam, quae imminet, *et tu,* subaudis: flevisses (ex Beda, qui sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 39. n. 1.). Cfr. supra pag. 340, nota 2.

[7] Nempe *interlinearis* (ex Gregor. et Beda; cfr. nota praecedens). Post *Quae modo* Vat. non cum Glossa, sed cum Gregor. et Beda addit *quia nescis quod imminet.*

[8] Scilicet *interlinearis* (cfr. nota seq.). Vat. omittit *Glossa.*

[9] Nempe *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Gregor., loc. cit.).

[10] Vers. 16; deinde 20, 14. et Iob 3, 1-3.

[11] Psalm. 72, 3, post quem Ezech. 13, 10.

[12] Vers. 21. seq. (Vat. allegat 28, 6: Memento novissimorum et desine inimicari). — Sequitur Prov. 2, 14.

[13] Vers. 12. et 13.

[14] Vers. 9. et deinde 7, 3.

[15] Vers. 1. et 2.

Impletum tempore Romanorum. Hoc autem impletum est tempore Romanorum; unde Glossa [1]: « *Inimici*, scilicet Romani principes », qui ad litteram dicuntur tres aggeres fecisse contra Ierusalem ad eius captionem. — *Et circumdabunt te et coangustabunt te undique*, per obsidionis continuationem, secundum illud Ezechielis quarto [2]: « Pones sartaginem in murum ferreum inter te et civitatem et obfirmabis faciem tuam ad eam et eris in obsidionem et circumdabis eam; signum est domui Israel ». Et hoc factum est, quia, ut dicit Iosephus [3], sic fuit obsessa strictissime, ut mater comederet filium, et unus alterum devoraret. Unde impletum est illud Threnorum secundo: « Matribus suis dixerunt: Ubi est triticum et vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum »; et infra ibidem: « Ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmae »?

67. (Vers. 44.). *Et ad terram prosternent te* Continuatio. *et filios tuos, qui in te sunt*, per civitatis destructionem; Threnorum secundo [4]: « Cogitavit Dominus dissipare murum filiae Sion, tetendit funiculum suum et non avertit manum suam a perditione. Luxitque antemurale, et murus pariter dissipatus est ». Nec tantum ipsa dissipata, sed etiam tota gens dispersa, secundum illud Threnorum secundo: « Defixae sunt in terra portae eius; perdidit et contrivit vectes eius, reges eius et principes eius in gentibus; non est lex, et Prophetae eius non invenerunt visionem a Domino ». — *Et non relinquent in te lapidem super lapidem*, Notandum. per omnimodam eversionem. Unde Glossa [5]: « Cum Ierusalem modo sit constructa extra portam, ubi Dominus crucifixus erat; apparet, illam Ierusalem ex toto fuisse destructam ». Et sic impletum est illud Threnorum secundo [6]: « Fecit Dominus quae cogitavit; complevit sermonem suum, quem praeceperat a diebus antiquis; destruxit et non pepercit et laetificavit super te inimicum tuum et exaltavit cornu hostium tuorum »; et statim subditur: « Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem » etc.

68. Hoc autem *spiritualiter* contingit contra Expositio spiritualis. quemlibet peccatorem *morientem temporaliter*: qui primo *circumdatur* in infirmitate, *coangustatur* in infirmitatis aggravatione, *ad terram prosternitur* in morte et prorsus *evertitur* in incineratione, secundum illud Iob septimo [7]: « Ecce, nunc in pulvere dormiam, et si mane me quaesieris, non subsistam ». — Potest etiam intelligi de peccatore ad *iudicium accedente*, qui *circumdatur* a multitudine iniquitatum accusantium; Psalmus [8]: « Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus; comprehenderunt me iniquitates meae, et non potui, ut viderem ». *Coangustatur* in districtione divinorum iudiciorum; Ecclesiastae octavo [9]: « Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis nec sinitur quiescere ingruente bello, nec salvabit impietas impium ». Ad *terram prosternitur* in latione sententiarum; Iob vigesimo septimo [10]: « Si multiplicati fuerint filii eius, cadent in gladio », scilicet divinae sententiae. Et tandem *omnino evertitur* in acerbitate poenarum; Psalmus [11]: « Dissipata sunt ossa nostra secus infernum ». Tunc enim non relinquitur excusatio impiis; Isaiae quinto: « Auferam maceriam eius, et erit in conculcationem ». — Et de his omnibus dicitur Amos tertio [12]: « Tribulabitur et circuietur terra, et detrahetur ex te fortitudo tua, et diripientur aedes tuae, dicit Dominus ». Propter quod Anselmus: « Superius erit iudex iratus, subtus horrendum chaos, patens infernus, a dextris peccata accusantia, a sinistris infinita daemonia ad infernum trahentia, intus conscientia urens, foris mundus ardens; miser peccator sic deprehensus quo effugiet? Latere erit impossibile, apparere erit intolerabile ».

69. Quarto quantum ad *peccatum praeambulum* subiungit: *Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae;* et hoc propter incredulitatem; Pietas deplorans peccatum praeambulum. Ieremiae octavo [13]: « Milvus in caelo cognovit tempus suum, turtur et hirundo et ciconia custodierunt tempus adventus sui; populus autem meus non cognovit iudicium Domini ». Sicut igitur fides fundamentum

---

[1] Scilicet *interlinearis*. — De *aggeribus* a Tito contra Ierusalem ultimo exstructis cfr. Flav. Ioseph., V. de Bello Iud. c. 12. (alias 31.) n. 1. seqq. et VI. c. 1. (alias 6.) n. 7. (ubi de expugnatione tertii muri) et c. 2. (alias 13.) n. 7.

[2] Vers. 3.

[3] Libr. VI. de Bello Iud. c. 3. (alias 20. seq.) n. 3. seq. — Subinde allegantur Thren. 2, 12. et 20.

[4] Vers. 8, post quem v. 9.

[5] Scilicet *ordinaria* (ex Gregor., loc. cit. et Beda) apud Lyranum.

[6] Vers. 17, cui subnectitur v. 18.

[7] Vers. 21. — Superius pro *morientem temporaliter* (ita H; D F a secunda manu) Vat. *manentem in prosperitate temporaliter*.

[8] Psalm. 39, 13. Cfr. Rom. 2, 15. seq.: Testimonium reddente illis [gentibus] conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus, in die, cum iudicabit Deus occulta hominum etc.

[9] Vers. 8, ubi pro *potestate* C F G *ditione* (A D *citatione*).

[10] Vers. 14, in quo pro *cadent* Vat. cum Vulgata *erunt*.

[11] Psalm. 140, 7. — Sequitur Isai. 5, 5: Auferam sepem eius, et erit in direptionem; diruam maceriam etc.

[12] Vers. 11. — Sententia Anselmi habetur Libr. Meditationum, medit. 2: de Terrore iudicii etc. Cfr. medit. 1. n. 12. Vide etiam Bernard., Tract. de interiori domo, c. 22. n. 46. Pro *Anselmus* F in margine *vel Gregorius in Moralibus* (ita etiam Card. Hugo), H *Anselmus sive Gregorius*. Pro *trahentia* C D F H *detrahentia*, et pro *effugiet* C D H *fugiet*. — Simili modo expugnationem Ierusalem exponunt de morte peccatoris Origen., Homil. 38. in Luc. et Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 39. n. 4. seq.

[13] Vers. 7. Gregor., loc. cit. n. 1: Creator quippe omnium per incarnationis suae mysterium hanc [Ierusalem] visitare dignatus est, sed ipsa timoris et amoris illius recordata non est. Unde etiam per Prophetam in increpatione cordis humani aves caeli ad testimonium deducuntur, dum dicitur: *Milvus in caelo* etc.

est totius aedificii spiritualis, per quam Christus habitat in nobis, qui est fundamentum; propter quod dicitur ad Hebraeos undecimo[1], quod « fides est substantia rerum sperandarum »: sic infidelitas origo est destructionis omnium spiritualium aedificiorum. Ideo dicitur Iob quarto: « Quia nullus intelligit, in aeternum peribunt »; et ad Romanos primo: « Quia non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit eos Deus in reprobum sensum »; unde et Iudaei, quia noluerunt in Christum credere, excaecati sunt et reprobati; et hoc fuit maximum peccatum, secundum illud Ioannis decimo sexto[2]: « Arguet mundum de peccato quidem », scilicet « quia non crediderunt in me ». Ideo Marci ultimo[3]: « Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur »; immo, quod plus est, iam incipit sua damnatio; Ioannis tertio: « Qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii eius ».

**Aequitatem iudicialem promissam se habere, ostendit per tria.**

70. (Vers. 45.). *Et ingressus in templum* etc. Postquam descripsit Evangelista, qualiter Christus se ostendit ex facto habere potestatem regalem et pietatem pontificalem, hic tertio[4] explicatur, quomodo se ostendit habere *aequitatem iudicialem*. Divisio. Ad cuius declarationem tria introducuntur, scilicet *aequitas iudicis, veritas iuris* et *enormitas* sive impietas *sceleris*. In his autem tribus ostendit, se quasi syllogistice recte iudicare. *Proposita* enim veritate Scripturae sacrae, et *assumta* perversitate nequitiae Iudaicae, recte *concluditur* severitas divinae vindictae, secundum illud Ioannis decimo sexto[5]: « Arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio ». Proponit enim *iustitiam*, assumit *peccatum* et concludit *iudicium*.

Primo igitur quantum ad *aequitatem iudicis* Aequitas iudicis. dicit: *Et ingressus in templum, coepit eiicere vendentes in illo et ementes;* in quo ostenditur aequitas iudicis, qui, licet esset mansuetus in tolerando iniuriam propriam, secundum illud Ieremiae undecimo[6]: « Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam »; tamen in ulciscendo iniuriam divinam fuit severus iudex et iustus. Et quia maxima iniuria Dei est, cum dehonestatur, ubi debet honorari; ideo dicitur, quod *ingressus est in templum*, ut ibi faceret iudicium; quod fecit et in suae praedicationis *exordio*, secundum quod narratur Ioannis secundo[7] post miraculum de mutatione aquae in vinum, et in *termino* post miraculum de Lazaro suscitato, ut sic verificetur illud Psalmi[8]: « Zelus domus tuae comedit me » etc.; et Ioannis secundo dicitur, hoc tunc verificatum esse. — Et attendendum, quod Dominus statim post annuntiationem excidii Ierusalem intravit templum ad purgandum, ut ostendat, quod maxima causa destructionis eius fuit peccatum sacerdotum. Unde Glossa[9]: « Post enumerata mala ingressus templum, eiecit vendentes et ementes, per hoc innuens, quod ruina populi maxime ex culpa sacerdotum fuit; cum vendentes et ementes percutit, ostendit, unde radix perditionis processit ». Unde Michaeae tertio[10]: « Audite haec, principes domus Iacob et iudices domus Israel, qui abominamini iudicium et omnia recta pervertitis, qui aedificatis Sion in sanguinibus et Ierusalem in iniquitate. Principes eius in muneribus iudicabant, et sacerdotes eius in mercede docebant, et prophetae eius in pecunia divinabant; propter hoc Sion quasi ager arabitur, et Ierusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi Domini in excelsa silvarum »; et Threnorum quarto: « Propter peccata prophetarum eius et iniquitates sacerdotum eius, qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum ». In hoc autem, quod Dominus eiecit ementes et vendentes, ostendit, se maxime damnare in clericis avaritiam et potissime simoniam. Unde Matthaei vigesimo primo[11] dicitur, quod « cathedras vendentium columbas evertit ». Omnibus talibus dicit Petrus Actuum octavo: « Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti, donum Dei pecunia possideri ».

Notandum. Notandum. Notandum.

71. (Vers. 46.). Secundo quantum ad *veritatem*[12] *iuris* subdit: *Dicens illis: Scriptum est: Quia* Veritas iuris.

[1] Vers. 1; cfr. supra pag. 430, nota 1. — Duo seqq. loci sunt Iob 4, 20. et Rom. 1, 28.

[2] Vers. 8. et 9. — Superius pro *et hoc* Vat *quia hoc*.

[3] Vers. 16. et deinde Ioan. 3, 18, in cuius fine pro *Filii eius* Vulgata *Filii Dei*.

[4] Vide supra n. 43.

[5] Vers. 8. Cfr. S. Bonav., Collat. 56. in Ioan. n. 3, ubi idem ponitur.

[6] Vers. 19. — Chrysost., Homil. 38. in Matth. 21, 12. (Op. imperfect.): Hoc erat proprium *boni filii*, ut et veniens ad domum curreret Patris et illi honorem redderet, qui genuit eum, ut tu, imitator Christi factus, cum in aliquam ingressus fueris civitatem, primum ante omnem actum ad ecclesiam curras. Hoc erat *boni medici*, ut ingressus ad infirmam civitatem salvandam primum ad originem passionis intenderet. Nam sicut de templo [bonis sacerdotibus] omne bonum egreditur, sic et de templo [malis sacerdotibus] omne malum procedit etc.

[7] Vers. 13. seqq. — De secunda eiectione post miraculum de Lazaro resuscitato (cfr. supra n. 55.) agitur hic (cfr. Matth. 21, 12. et Marc. 11, 17.). Vide S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 2. n. 26. — Superius pro *cum dehonestatur* A C H *ut dehonoretur* (ita etiam D primitus, sed secunda manus substituit *dehonestaretur*).

[8] Psalm. 68, 10. et deinde Ioan. 2, 17: Recordati sunt vero discipuli eius, quia scriptum est: *Zelus domus tuae* etc.

[9] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 39. n. 2.). Post *cum* H addit *enim* (Glossa legit *dum enim*).

[10] Vers. 9-12. et deinde Thren. 4, 13.

[11] Vers. 12. Codd. allegant *Ioan. 2, 15*, ubi non praedicta, sed haec habentur: *Nummulariorum effudit aes et mensas subvertit*. — Sequitur Act. 8, 20.

[12] Vat. cum pluribus codd. *aequitatem*.

*domus mea domus orationis est* [1]. Hoc autem scriptum est Isaiae quinquagesimo sexto: « Holocausta eorum et victimae eorum placebunt mihi super altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis, ait Dominus Deus, qui congregat dispersos Israel ». Unde et David in Psalmo [2] dicit: « Domum tuam decet sanctitudo »; et iterum: « Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum »; et in consecratione templi dicitur: « Sint oculi tui aperti super domum hanc die ac nocte, super domum, de qua dixisti: Erit nomen meum ibi », tertii Regum octavo [3]; et secundi Paralipomenon septimo: « Oculi mei erunt aperti, et aures meae erectae ad orationem eius qui adoraverit in loco isto. Elegi enim et sanctificavi locum istum, ut sit ibi nomen meum in sempiternum ». Et ideo dicebant sacerdotes primi Machabaeorum septimo [4]: « Tu, Domine, elegisti domum istam ad invocandum nomen tuum in ea, ut esset domus orationis et obsecrationis populo tuo ». — Ad hoc autem praecipue ordinata est domus ecclesiastica, quae facta est, ut illic quidem praecipue colatur per actum orationis, in qua Deus oratur et adoratur, et impletur principium praeceptorum legalium, quo praecipitur, ut adoretur Deus, Levitici vigesimo [5] et Deuteronomii quinto, et Matthaei quarto replicatur: « Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies ».

Notandum.

72. Tertio quantum ad *enormitatem sceleris* subiungit: *Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Hoc autem dicitur ipsis sacerdotibus; unde Glossa [6]: « Qui ad hoc residetis in templo, ut vel non dantes munera persequamini corporaliter, vel dantes spiritualiter necetis », secundum illud Michaeae tertio: « Si quis non dederit in ore eorum quippiam » etc. Tunc autem domus Dei fit *spelunca latronum,* quando contra voluntatem Christi contrectatur patrimonium Crucifixi. Hoc enim est furari, et latrocinari, quando publice fit; propter quod Ieremiae septimo [7]: « Nunquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris »? « Ite ad locum meum in Silo et videte, quae fecerim ei propter malitiam populi mei Israel ». Haec autem malitia principaliter sacerdotibus imputatur; ideo eis specialiter dicit: *Vos,* quorum erat eam purgare et in sanctitate custodire. Unde Chrysostomus [8]: « Unusquisque Christianus pro suo peccato reddet rationem, sacerdotes autem non tantum pro suis, sed pro omnium subditorum peccatis. Quemadmodum enim, videns arborem pallentibus foliis marcidam, intelligis, quod causam aliquam habeat in radice; sic, cum videris populum indisciplinatum, cognosce, quia sacerdotium eius non est sanum ». Ideo Malachiae secundo [9]: « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent de ore eius, quia angelus Domini exercituum est. Vos autem recessistis de via et scandalizastis plurimos, irritum fecistis pactum Levi ». « Propter quod ego dedi vos contemptibiles omnibus populis ».

Enormitas sceleris. Notandum.

**Auctoritatem magistralem promissam se habere, ostendit per tria.**

73. (Vers. 47.). *Et erat docens quotidie* etc. Postquam descripsit, qualiter Christus facto ostendit se regem, pontificem et iudicem, hic quarto [10] describit, *quomodo Christus ostendit se doctorem.* Ad cuius explicationem tria introducuntur, *in Christo* scilicet *assiduitas docendi, in Pharisaeis* autem *assiduitas malignandi, in populis* vero *assiduitas addiscendi.* Ex quibus apparet, quod Christus verus erat doctor, quia doctrina eius erat *publica cunctis* [11], *exosa perversis* et *gratiosa bonis;* et hoc propter suam *celebritatem, veracitatem* et *gratiositatem.*

Divisio.

Primo igitur quantum ad *doctrinae Christi celebritatem, quae erat publica cunctis,* dicit: *Et erat docens quotidie in templo,* in quo insinuatur perfecta publicatio doctrinae, quia erat *sine intermissione;* nam quotidie docebat. Sic Paulus bonus doctor faciebat, de quo Actuum vigesimo [12]: « Non subterfugi, quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei ». « Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte et die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrum ». Hoc etiam

Celebritas doctrinae Christi. Perfectio publicationis ob 3 rationes.

---

[1] Codd. C D F H legunt: *Dicens illis, quia scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur (vocabitur,* quod etiam H habet, exhibetur Matth. 21, 13. et Marc. 11, 17.). — Subinde allegatur Isai. 56, 7. seq.

[2] Psalm. 92, 5, post quem 5, 8.

[3] Vers. 29; II. Paralip. 7, 15. seq.: *Oculi quoque mei erunt aperti* etc. — Pro *in consecratione templi* Vat. *in constructione templi.*

[4] Vers. 37.

[5] Vers. 3, ubi immolantibus idolo Moloch dicit: Ego ponam faciem meam contra illum... eo quod dederit... Moloch et contaminaverit sanctuarium meum etc. (cfr. 19, 4: Nolite converti ad idola etc.). Deut. 5, 6. seqq. praecepta decalogi exponuntur (cfr. 6, 13: Deum tuum timebis et illi soli servies etc.). — Sequitur Matth. 4, 10. — Superius pro *principium praeceptorum* B G *primum praeceptorum.*

[6] Scilicet *interlinearis* (ex Beda, qui sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 39. n. 2.), post quam Mich. 3, 5.

[7] Vers. 11. et 12, ubi post *Silo* in F secunda manus addidit *ubi habitavit nomen meum a principio* (ita etiam Vulgata), et subinde codd. *quid fecerim eis* substituunt pro *quae fecerim ei.*

[8] Homil. 38. in Matth. 21, 12. (Op. imperfect.). Pro *cognosce* C D H *agnosce.*

[9] Vers. 7. seq. et deinde v. 9.

[10] Cfr. supra n. 43.

[11] Codd. C H *omnibus,* D F *ceteris* (paulo inferius pro *cunctis* A C D F G H substituunt *ceteris).*

[12] Vers. 27. et 31. — Glossa *interlinearis* (ex Beda, qui sequitur Gregor., loc. cit.): *Et erat docens* etc., quia Dominus nec indignis verba praedicationis subtrahit, post vigorem disciplinae in electos perseverat in gratia docendi.

fieri hortatur secundae ad Timotheum quarto[1]: « Testificor coram Deo et Christo Iesu: praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina ». — Perfecta publicatio erat, quia *sine alicuius exclusione,* quia non in secreto, sed in loco publico, scilicet in templo; Ioannis decimo octavo[2]: « Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Iudaei conveniunt, et in occulto locutus sum nihil ». — Perfecta etiam publicatio, quia *sine alicuius utilis celatione;* ideo generaliter dicit *docens,* quia omnem veritatem docebat, secundum illud Isaiae quadragesimo octavo[3]: « Ego Dominus docens te utilia »; et Ioannis decimo quinto: « Omnia, quae audivi a Patre meo, nota feci vobis ». Et ipse erat iuste docens, quia proprie ipse solus doctor, secundum illud Matthaei vigesimo tertio[4]: « Unus est magister vester Christus »; quod exponens Augustinus dicit: « Cathedram habet in caelo qui intus docet corda ». — Perfecta ergo erat communicatio doctrinae ex parte *loci* et ex parte *documenti,* iuxta quod Actuum vigesimo[5] Paulus de se dicit: « Nihil subtraxi vobis utilium, quominus annuntiarem vobis et docerem vos publice et per domos, testificans Iudaeis et gentibus poenitentiam et fidem in Dominum Iesum Christum ».

Veracitas eiusdem.

74. Secundo quantum ad *doctrinae Christi veracitatem, qua exosa erat incredulis,* subdit: *Principes autem sacerdotum,* propter ambitionem *dignitatis sacerdotalis,* de quibus Isaiae primo[6]: « Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera » etc. — *Et scribae,* propter ambitionem *cathedrae magistralis,* secundum illud Matthaei vigesimo tertio[7]: « Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei »; et infra vigesimo: « Cavete a scribis, qui volunt ambulare in stolis et amant salutationes in foro et primas cathedras in synagogis ». — *Et principes plebis,* propter ambitionem *potestatis iudicialis;* et de his primi Esdrae nono[8]: « Manus principum et magistratuum fuit in transgressione hac prima ». Et quia primo eis imputatur delictum populorum, ideo Numerorum vigesimo quinto: « Tolle cunctos principes et suspende eos contra solem in patibulis ». — De his dicitur, quod *quaerebant illum perdere,* per odium malignitatis; ideo Ioannis septimo[9] dicebat eis: « Quid me quaeritis interficere, hominem, qui vera locutus sum vobis »? Ideo autem isti magis quaerebant quam alii, quia minus volunt sustinere, vitia sua tangi, secundum illud Amos quinto[10]: « Odio habuerunt corripientem in porta »; vel quia potius timebant perdere honorem suum. Et haec fuit principalis ratio, quae movit illos ad occidendum Christum. Et hac ratione totus hic mundus, quia amat privatum bonum, quasi coniuravit contra Christum, qui dicit ipsum contemnendum; unde Psalmus[11]: « Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum ». Unde Bernardus[12]: « O bone Iesu! totus mundus videtur contra te coniurasse, et hi primi in persecutione tua sunt, qui videntur regere populum et diligere principatum ».

Notandum.

Gratiositas eiusdem.

75. (Vers. 48.). Tertio quantum ad doctrinae *Christi gratiositatem, qua placita erat devotis,* subiungitur: *Et non inveniebant, quid facerent illi,* quia acceptus erat plebi. Unde infra vigesimo[13]: « Quaerebant principes sacerdotum et scribae mittere in illum manus, sed timuerunt populum »; et hoc, quia diligebant eum sicut magistrum fidelem et bonum. — Et ideo subdit: *Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum;* unde Ioannis septimo[14] dixerunt illi qui missi fuerant ad eum capiendum: « Nunquam sic homo locutus est, sicut hic homo loquitur »; unde suspensi erant *admiratione;* propter quod dicitur Matthaei septimo: « Admirabantur turbae super doctrina eius ». Suspensi etiam erant ex *devotione;* supra sexto: « Multitudo copiosa plebis venerat, ut audirent illum et sanarentur a languoribus suis ». Suspensi etiam erant ex *aviditate et desiderio,* secundum illud Ecclesiastici tertio[15]: « Auris bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam » et maxime sapientiam sapientissimi, qui est ipsa Sapientia, quae dicit Proverbiorum octavo[16]: « Beatus homo, qui audit me et qui vigilat ad fores meas

Suspensus populus tripliciter.

[1] Vers. 1. et 2.

[2] Vers. 20. Cfr. supra c. 4. n. 29.

[3] Vers. 17, post quem Ioan. 15, 15.

[4] Vers. 10. — Sententia Augustini habetur in I. Epist. Ioan. tr. 3. n. 13; cfr. tom. V. pag. 324, nota 2. et pag. 331, nota 6.

[5] Vers. 20. et 21.

[6] Vers. 23. Cfr. supra c. 10. n. 55. et c. 13. n. 28. seq.

[7] Vers. 2, cui subnectitur Luc. 20, 46.

[8] Vers. 2. — Sequitur Num. 25, 4. — Inferius pro *debitum populorum* substituimus ex B H (D a secunda manu) *delictum populorum.*

[9] Vers. 20, ubi: Quid me quaeritis interficere? cfr. 8, 40: Nunc autem quaeritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum.

[10] Vers. 10. Cfr. supra c. 13. n. 73.

[11] Psalm. 2, 2. — Superius pro *quia amat* A D *amans,* F G *amat.*

[12] Serm. in Conversione S. Pauli, n. 3: Coniurasse videtur contra te universitas populi Christiani a minimo usque ad maximum... Heu, heu! Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum! — Cfr. Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Quaerebant illum perdere,* quia quotidie docebat in templo et eiiciebat latrones, recipiebat laudem turbarum.

[13] Vers. 19. — Glossa *ordinaria* (ex Beda): Ideo non poterant perdere, quia timebant tumultum populi; vel ideo volebant illum perdere, quia, neglecto suo magisterio, totum populum videbant ad eius doctrinam confluere.

[14] Vers. 46. — Duo seqq. loci sunt Matth. 7, 28. et Luc. 6, 17. seq.

[15] Vers. 31. — Inferius pro *sapientissimi, qui* Vat. cum pluribus codd. *sapientum, quae.*

[16] Vers. 34. et 35, post quos Eccli. 24, 30. seq. — Hic finit cod. F, qui etiam in praecedentibus capp. plura omisit.

quotidie et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit inveniet vitam et hauriet salutem a Domino »; et Ecclesiastici vigesimo quarto: « Qui audit me non confundetur, et qui operantur in me non peccabunt. Qui elucidant me vitam aeternam habebunt ».

## Capitulum XX.

**Secundo confutat Iudaeorum incredulitatem per verba et documenta et hoc in tribus partibus.**

1. *Et factum est in una dierum* etc. Postquam confutavit incredulitatem Iudaeorum per facta, hic *confutat per verba et documenta* [1]. Dividitur autem

Divisio. haec pars in tres. In quarum prima documentis confutat *Pharisaeos errantes ex malitia.* In secunda confutat *Sadducaeos errantes ex ignorantia*, ibi [2]: *Accesserunt autem quidam Sadducaeorum* etc. In tertia informat *discipulos ad sapientiam*, ibi: *Audiente autem omni populo* etc.

**Confutatio Pharisaeorum errantium ex malitia per tria.**

Prima pars, in qua *Pharisaeos confutat*, tres

Subdivisio. habet partes. In quarum prima *repellit obiectam calumniam.* In secunda *arguit occultam perfidiam*, ibi [3]: *Coepit autem dicere ad plebem* etc. In tertia vero *convincit versutiam adinventam*, ibi: *Et quaerebant principes sacerdotum* etc.

*Confutationem* igitur *calumniae obiectae* descri-

Confutatio calumniae describitur per quatuor. bit Evangelista hoc ordine. Primo introducitur *Pharisaeorum protervitas in impetendo* [4]; secundo, *Christi sagacitas in resistendo;* tertio, *Pharisaeorum dolositas in fugiendo;* quarto, *Christi veracitas adversarios refellendo.*

2. (Vers. 1.). Primo igitur quantum ad *proter-*

Pharisaeorum protervitas. *vitatem Pharisaeorum in impetendo* praemittit: *Et factum est in una dierum, docente illo populum in templo et evangelizante*, secundum evangelicam veritatem, quae omnibus declaranda est, secundum quod ipse discipulis suis dixit Matthaei decimo [5]: « Quod in aure auditis praedicate super tecta »; et Marci ultimo: « Praedicate Evangelium omni creaturae ». Sic et ipse faciebat, secundum illud Ecclesiastici vigesimo quarto: « Doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus et enarrabo illam usque in longinquum »; et post: « Videte, quoniam non solum mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus sapientiam ». — Haec autem doctrina veritatis odiosa est malis, quia « qui male agit odit lucem », Ioannis tertio [6]; ideo subditur: *Convenerunt principes sacerdotum et scribae cum senioribus*, per fastuosam protervitatem. In principibus namque erat fastus Tria genera fastus.
propter excellentiam *dignitatis;* in scribis, propter excellentiam *cognitionis;* in senioribus, propter *canitiem senectutis.* Ideo non conveniebant sicut humiles ad addiscendum, sed sicut superbi ad calumniandum, secundum illud Psalmi [7]: « Principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius ». Unde in his impletur illud Iob vigesimo quarto: « Ipsi rebelles fuerunt lumini et ignoraverunt vias eius ». Rebellio autem ortum habuit ex invidia, quae est filia superbiae. Haec est « fera pessima, quae devoravit Ioseph [8] »; et de hac Chrysostomus: « Dicebant sacerdotes apud se: Nos sumus columnae templi; et ecce, super illum tota reclinatur Ecclesia. Nos fuimus tacentium Scripturarum quasi lingua visibilis; et ecce, ille resonat in medio templi, et nos contempti quasi cithara dissipata tacemus. Nos fuimus patres, ille generat filios, et nos steriles sumus ». Quod dicit quantum ad praedicta tria genera personarum, quae per invidiam excaecata sunt, et propter hoc manifesta dederunt [9] in dubium et calumniantur.

3. (Vers. 2.). Propter quod adiungitur: *Et* Malitiosa interrogatio.
*aiunt dicentes ad illum: Dic nobis: In qua potestate haec facis? Aut quis est, qui dedit tibi hanc potestatem?* Hoc autem requirunt ut dubium, cum tamen per evidentissima miracula sit manifestum, secundum illud Ioannis quinto [10]: « Opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me »; sed ipsi quaerendo totam plebem in dubitationem ducere volebant, quasi illa miracula non essent a Deo, sed potius a diabolo. Unde Glossa [11]: « De Dei potestate

---

[1] Cfr. supra c. 19. n. 43.

[2] Vers. 27; tertia pars incipit v. 45.

[3] Vers. 9; tertia est v. 19.

[4] Vat. *impediendo;* idem recurrit infra n. 2.

[5] Vers. 27, post quem Marc. 16, 15; Eccli. 24, 44. et 47, in cuius fine pro *sapientiam* Vat. cum Vulgata *veritatem.*

[6] Vers. 20.

[7] Psalm. 2, 2, cui subiungitur Iob 24, 13.

[8] Gen. 37, 33. — Sententia Chrysostomi habetur Homil. 39. in Matth. 21, 23. (Op. imperfect.). Pro *nos sumus columnae* Vat. cum H et textu originali *nos fuimus columnae;* subinde Vat. omittit *quasi* [plures codd. *ipsi*] *cithara dissipata*, et pro *tacemus* textus *tacuimus.*

[9] Cod. B *deducunt.*

[10] Vers. 36. — Cyrill. Alexandr. in Luc. 20, 2: Moysis lex solos, ut aiebant, attingere sacerdotalia officia Levitas mandabat, ipsi res divini templi administrabant, ipsis religiosam doctrinam tradere datum erat... tu vero, inquiebant, ex alia oriundus tribu, quippe de Iudae posteris, cur concessos nobis usurpas honores?... Atqui si inspiratas a Deo, o insipiens Pharisaee, calleres Scripturas, meminisses utique beati prophetae Davidis universali Servatori Christo dicentis [Ps. 109, 4.]: *Iuravit Dominus, et non poenitebit eum: Tu es sacerdos* etc.

[11] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 20, 2.

dubitant et subintelligi volunt, diaboli esse quod facit ». Haec autem dubitatio veniebat illis ex corruptione conscientiae suae; unde Chrysostomus[1]: « Omnis homo secundum se existimat alterum, et fornicarius neminem putat castum, castus non facile de fornicario suspicatur, superbus neminem putat humilem; sic qui non est ex Deo sacerdos nullius sacerdotium putat esse ex Deo ». Unde et caecus illuminatus arguebat Pharisaeorum caecitatem, qui dicebant, se nescire, unde Christus esset, secundum illud Ioannis nono[2]: « In hoc mirabile est, quod vos nescitis, unde sit ». « Scimus autem, quod peccatores Deus non audit, sed si quis Dei voluntatem facit » etc. Ideo dicitur Ecclesiastici decimo: « In manu Dei potestas hominis »; et ad Romanos decimo tertio: « Non est potestas nisi a Deo » etc.

Notandum.

4. (Vers. 3.). Secundo quantum ad *sagacitatem Christi in resistendo* subditur: *Respondens autem Iesus dixit ad illos: Interrogabo vos et ego unum verbum.* Cum deberet respondere, interrogabat, non quia nesciret, sed quia melius ligantur per interrogationem factam quam per responsionem absolutam. Unde Beda[3]: « Poterat aperta responsione tentatorum calumniam confutare, sed prudenter interrogat, ut vel suo silentio, vel sua sententia condemnentur », sicut supra decimo nono: « Ex ore tuo te iudico, serve nequam ». Cautela enim est, quod « omnino adversanti omnino adversandum est[4] », et contra tergiversantes oportet ex datis procedere, ut vincantur.

Sagacitas Christi.

5. (Vers. 4.). Ideo caute quaerit et interrogat, ut, quidquid respondeant, convincantur, cum subdit: *Respondete mihi: Baptismus Ioannis unde erat*[5]*? De caelo, an ex hominibus?* Ad hoc non poterant respondere nisi tripliciter: vel simpliciter *tacendo*, et sic erant confusi; vel dicendo, quod erat *de hominibus*, et sic ab hominibus essent lapidati; vel dicendo, quod *de Deo*, et sic Christus haberet propositum, quia Ioannes perhibuit testimonium de Christo in suo baptismo, secundum illud Ioannis quinto[6]: « Vos misistis ad Ioannem, et ipse testimonium perhibuit veritati ». Nam dicitur Ioannis primo: « Testimonium perhibuit Ioannes dicens: Quia vidi Spiritum sanctum sicut columbam descendentem de caelo et manentem super eum »; « et ego vidi et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei ». Unde Glossa[7]: « Quem confitemini de caelo habuisse prophetiam, mihi perhibuit testimonium, et ab illo audistis, in qua potestate haec faciam ». Quoniam ergo, ut dicitur Ioannis primo[8], « non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine », dubitatores de *lumine* remittuntur ad considerationem *lucernae;* nam, sicut dicitur Ioannis quinto, « ille erat lucerna ardens et lucens »; et dubitatores de *Verbo* remittuntur ad *vocem;* Ioannis primo: « Ego vox clamantis in deserto ».

Cauta quaestio.

Notandum.

6. (Vers. 5.). Tertio quantum ad *Pharisaeorum dolositatem in subterfugiendo* subiungitur: *At illi cogitabant intra se dicentes, quia, si dixerimus: De caelo,* confitendo veritatem; *dicet* nobis: *Quare ergo non credidistis ei*[9]*?* arguendo scilicet nostram *incredulitatem,* qua scilicet viro caelesti credere recusabant, secundum illud Matthaei undecimo: « Venit Ioannes non manducans neque bibens, et dicunt: Daemonium habet ».

Dolositas Pharisaeorum.

7. (Vers. 6.). *Si autem dixerimus: Ex hominibus, plebs universa lapidabit nos,* abhorrendo *mendacitatem.* Nam blasphemi lapidandi erant secundum Legem; Levitici vigesimo quarto[10]: « Educ blasphemum extra castra, et ponant omnes, qui audierunt, manus suas super caput eius, et lapidet eum omnis populus ». — *Certi sunt enim, Ioannem Prophetam esse,* propter evidentissimam sanctitatem, ob quam de Ioanne dicitur Matthaei undecimo[11]: « Quid existis in desertum videre? Prophetam? Etiam, dico vobis, et plus quam Prophetam ». Unde supra tertio: « Existimante omni populo de Ioanne, ne forte ipse esset Christus; dixit Ioannes: Ego baptizo vos aqua, veniet fortior me post me, cuius non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum eius ».

Confusi sunt.

---

[1] Homil. 39. in Matth. 21, 23. (Op. imperfect.). Textus originalis post *alterum* addit *nec potest ipse melius sentire de alio, quam ipse senserit de se,* et post *humilem* subiungit *humilis neminem credit esse superbum.* Pro *fornicario* G H *fornicatione.*

[2] Vers. 30. et 31. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 10, 5. (ubi pro *potestas,* quod etiam Rabanus, Card. Hugo et Lyranus exhibent, Vulgata *prosperitas)* et Rom. 13, 1.

[3] Lib. V. in Luc. 20, 3. (ex quo est Glossa *ordinaria).* — — Sequitur Luc. 19, 22. — Superius pro *interrogabat* A C D H *interrogat.*

[4] Aristot., II. Elench. c. 2. (c. 17.): Nam omnino adversus contentiosos est reluctandum, non ut ad eos qui redarguunt, sed qui redarguere apparent; non enim dicimus, eos syllogizare; quare, ut non videantur, emendandi sunt... Non ergo redargui, sed videri redargui cavendum est etc. Cfr. ibid. c. 3. (c. 22.), ubi de responsione *ad hominem* sive *ex datis* (concessis), de qua vide etiam IV. Metaph. text. 9. in fine (III. c. 4.) et S. Thom., in V. Metaph. lect. 6. Vide tom. VI. pag. 393, notam 11.

[5] Vat. cum Vulgata omittit *unde erat,* et subinde post *De caelo* addit *erat;* de lectione codd., quae ex Matth. 21, 25. est, cfr. D. Albert. — Superius A C D H omittunt *Ideo caute quaerit et interrogat, ut, quidquid respondeant, convincantur,* et pro *cum subdit* substituunt *ideo subdit.*

[6] Vers. 33, post quem 1, 32. et 34. — Superius pro *ab hominibus* C G *ab omnibus.*

[7] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, V. in Luc. 20, 5.).

[8] Vers. 8. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 5, 35. et 1, 23.

[9] Ita etiam Beda; Vat. cum Vulgata *illi.* — Subinde allegatur Matth. 11, 18. — Glossa *interlinearis: Quia, si dixerimus: De caelo,* sicut verum est, *dicet: Quare ergo non credidistis illi,* mihi testimonium perhibenti? *Si autem dixerimus: Ex hominibus,* si ex invidia istius Ioanni etiam derogaverimus, *plebs universa* etc.

[10] Vers. 14. — Superius pro *mendacitatem* (ita C G) alii codd. et Vat. *mendacium,* D a secunda manu *blasphemiae perversitatem.*

[11] Vers. 9; deinde Luc. 3, 15. et 16.

8. (Vers. 7.). Et quia odium veritatis ex una parte urgebat et ex alia timor lapidationis; ideo praetendunt ignorantiam responsionis, cum subditur: *Et responderunt, se nescire, unde esset;* Glossa [1]: « Timentes lapidationem, sed magis timentes veritatis confessionem ». Huius autem confessio ignorantiae superba erat et dolosa, quia falsum dicebant et contra conscientiam, ut vitarent redargutionem apertam. Unde Chrysostomus [2]: « Mendacia, etsi non habent quem decipiant, tamen ipsa sibi mentiuntur »; Psalmus: « Mentita est iniquitas sibi »; et iterum: « Filii alieni mentiti sunt mihi »; et ideo Ioannis octavo: « Si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis, mendax ».

Veracitas Christi.

9. (Vers. 8.). Quarto quantum ad *Christi veracitatem in refellendo* subiungit: *Et Iesus ait illis: neque ego dico vobis, in qua potestate haec facio.* Quia enim veritatem denegant, digni sunt, ut eis a Veritate notitiae veritas denegetur, secundum illud ad Romanos primo [3]: « Quia non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit eos Deus in reprobum sensum ». — Et nota, quod Dominus eis veritatem occultavit duplici de causa; unde Glossa [4]: « Propter duas causas veritas quaerentibus est abscondenda: vel quia minus capaces sunt ad audiendum; unde dicitur Ioannis decimo sexto: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo;* vel quia ex odio vel contemptu quaerunt; unde dicitur Matthaei septimo: *Nolite dare sanctum canibus* ». Hinc Chrysostomus [5] dicit: « Quia ipse dixit: *Nolite sanctum dare canibus;* condecebat, ne ipse transgrederetur praeceptum, quod posuit »; Psalmus: « Praeceptum posuit et non praeteribit ». Informamur ergo ex hoc ad celandum *mysteria sacra* malevolis; Isaiae vigesimo quarto [6]: « Secretum meum mihi, secretum meum mihi »; et ad occultandum *nostram excellentiam;* Proverbiorum vigesimo septimo: « Laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua ».

Veritas occultatur ob duplicem causam.

Redargutio occultae perfidiae per parabolam tria insinuantem.

10. *Coepit autem dicere ad plebem* etc. Postquam repulit Pharisaeorum calumniam, hic consequenter arguit et detegit *occultam ipsorum perfidiam per parabolam* ad plebem propositam [7]. In hac autem parabola tria insinuantur. Primum est *benignitas liberalitatis divinae.* Secundum est *malignitas perversitatis Iudaicae,* ibi [8]: *Et in tempore vindemiae misit* etc. Tertium est *severitas ultionis iudiciariae,* de qua ibi: *Quid ergo faciet illis dominus vineae?*

Divisio.

Primo, benignitas Dei circa synagogam ostenditur tripliciter.

*Benignitatem* autem *liberalitatis divinae circa synagogam* ostendit tripliciter, scilicet in *vocando* [9] *synagogam ad sui culturam;* in *dando debitam custodiam,* et in *committendo libertatem voluntariam.*

Vocatur synagoga ad divinam culturam.

11. (Vers. 9.). Primo igitur quantum ad *parabolicam expressionem vocationis synagogae ad divinam culturam* dicit: *Coepit autem dicere ad plebem parabolam hanc;* quia scilicet maiores non erant digni audire. — *Homo quidam* [10] *plantavit vineam;* per *hominem* istum Deus intelligitur, ad cuius imaginem homo est formatus; Genesis primo [11]: « Faciamus hominem ad imaginem » etc. *Vinea* autem ista est synagoga; Isaiae quinto: « Vinea Domini exercituum domus Israel est ». Hanc vineam Dominus *plantavit,* quando in Patriarchis eos ad culturam suam elegit et vocavit; propter quod Ieremiae secundo [12]: « Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum ». De istius vineae plantatione Isaiae quinto: « Vinea facta est dilecto meo in cornu, filio olei. Et sepivit eam et lapides elegit ex ea et plantavit vineam electam et aedificavit turrim in medio eius ». Per *sepem* autem huius vineae intelligitur Angelorum custodia; Psalmus [13]: « Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te » etc. Per *lapides electos* intelligitur Patriarcharum stabilitas; unde in duodecim lapidibus *rationalis* erant nomina duodecim filiorum Israel, Exodi penultimo [14]. Per *turrim* autem, sacra Scriptura; Canticorum quarto: « Sicut turris

Quid sit ille homo.

Quid vinea et plantatio.

Quid sepes.

Quid turris.

---

[1] Scilicet *interlinearis* (ex Beda, V. in Luc. 20, 6.).

[2] Homil. 39. in Matth. 21, 27. (Op. imperfect.); in fine textus originalis addit: sic et veritas, si non invenit quem salvet, ipsa se sibi conservat immaculatam. — Sequuntur Ps. 26, 12; 17, 46. et Ioan. 8, 55. — Superius post *dolosa* Vat. prosequitur *quia tales dicebant contra conscientiam* etc.

[3] Vers. 28. — Superius pro *refellendo* A C D perperam *resistendo;* cfr. supra n. 1. et 4.

[4] Nempe *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 20, 8. In ipsa allegantur Ioan. 16, 12. et Matth. 7, 6. Pro *vel contemptu* Glossa *et contemptu.*

[5] Homil. 39. in Matth. 21, 24. (Op. imperfect.): « Sciens Dominus inconvertibilem eorum malitiam, proponit eis quaestionem undique catenatam, non ut respondentes audiant, sed ut impediti non interrogent, quia praeceperat [Matth. 7, 6.]: *Nolite sanctum dare canibus,* et non decebat, ut transgrederetur praeceptum, quod ipse praeposuit ». Pro *condecebat* (ita C a secunda manu) A D *cum dicebat,* Vat. *non dicebat.* — Sequitur Ps. 148, 6.

[6] Vers. 16. et deinde Prov. 27, 2. — Superius pro *Informamur* Vat. *Informantur.*

[7] Cfr. supra n. 1.

[8] Vers. 10, ubi Vat. cum Vulgata omittit *vindemiae* (quod habet etiam B. Albert. et S. Thom., Cat. aurea in Luc. 20. n. 2.); idem recurrit infra n. 14. et 15. Tertium habetur v. 15, in quo hic solum pro *illis* codd. *eis.*

[9] Vat. *in invitando.*

[10] Vulgata omittit *quidam,* quod exhibent etiam Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (loc. cit.) et Lyranus. — Glossa *ordinaria* (ex Beda): Principibus sacerdotum... confutatis, Dominus quod coeperat [cfr. v. 1.] exsequitur, et, illis audientibus, plebem... alloquitur, inferens parabolam, qua et illos impietatis arguat et regnum Dei ad gentes transferendum ostendat.

[11] Vers. 26. Vide supra pag. 390, notam 1. — Sequitur Isai. 5, 7; cfr. supra pag. 339, nota 3; Ambros., IX. in Luc. c. 20. n. 23. et Beda, V. in Luc. 20, 9.

[12] Vers. 21. et deinde Isai. 5, 1. seq.

[13] Psalm. 90, 11. — Hieron., II. in Isai. 5, 2: Per metaphoram... vineae describit populum Iudaeorum, quem sepsit Angelorum custodia. Cfr. III. in Matth. 21, 33. et Ambros., loc. cit. n. 24.

[14] Vers. 14. seqq.; cfr. 28, 21. Pro *rationalis* Vat. *rationabiliter.* — Subinde allegatur Cant. 4, 4.

David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis » etc.

Datur synagogae debita custodia.

12. Secundo quantum ad *debitam custodiam datam* subdit: *Et locavit eam colonis.* Per *colonos* intelliguntur duces et proceres synagogae; Glossa [1]: « Coloni sunt operarii, qui ad colendam vineam hora prima, tertia, sexta et nona sunt conducti », secundum illud Matthaei vigesimo: « Simile est regnum caelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam ». Et de his in Canticorum ultimo [2]: « Vinea fuit pacifico in ea quae habuit populos; tradidit eam Dominus custodibus ». Ideo autem dicitur *locasse,* quia exigit pensionem; unde Canticorum octavo; « Vir offert pro fructu eius mille argenteos. Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, et ducenti his qui custodiunt fructus ». Huius coloni in Ecclesia, quae vinea Domini est, sunt episcopi et sacerdotes; unde primae ad Corinthios tertio [3]: « Ego plantavi, Apollo rigavit » etc. De hoc dicit Chrysostomus: « Coloni sunt sacerdotes, qui curam populi susceperunt, vel ad magnam gloriam, vel ad magnum periculum: ad gloriam, si diligenter; ad periculum, si negligenter egerunt ». Hanc igitur coloniam debent isti coloni diligentissime exercere, quia ad hoc instituti sunt, ut dicit Chrysostomus [4]: « Sacerdos non tantum placet Deo propter suam iustitiam, quantum pro populi sanctitate, quia sua iustitia una est, populi autem multiplex ». Valde igitur timendum est illud Proverbiorum vigesimo quarto [5]: « Per agrum hominis pigri transivi et per vineam viri stulti; et ecce, totum repleverant urticae », id est peccata luxuriae, « et operuerunt superficiem eius spinae », id est peccata avaritiae. Et ideo Augustinus Contra quinque Haereses [6]: « Ubi estis, o boni agricolae? Quid agitis? Quare vacatis? Videtis, quot malis plena sit terra: hinc spinae, hinc tribuli, hinc foenum surgit. Spinas incendite, tribulos eradicate, semina bona spargite ».

Notandum.

Committitur cuique libertas voluntaria.

13. Tertio quantum ad *libertatem voluntariam unicuique concessam* subiungitur: *Et ipse peregre fuit multis temporibus* [7]; Beda: « *Peregre fuit* qui ubique praesens est, quia vinitoribus liberum operandi arbitrium reliquit »; Ecclesiastici decimo quinto [8]: « Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui ». « Apposuit tibi aquam et ignem, ad quodcumque volueris, extende manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei dabitur illi ». Dicitur autem *peregre esse diebus multis,* quia magnam habet patientiam in exspectando ad poenitentiam. Unde Ambrosius [9]: « Longo tempore abfuit, ne praepropera videretur exactio. Et ideo, quo indulgentior liberalitas, eo inexcusabilior pervicacia ». Ideo ad Romanos secundo: « An ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit »? et secundae Petri ultimo: « Patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad poenitentiam reverti et ad agnitionem veritatis eius venire ».

Notandum.

Secundo, malignitas perversitatis Iudaicae describitur dupliciter.

14. *Et in tempore vindemiae* [10] *misit* etc. Postquam descripsit benignitatem liberalitatis divinae, describit hic *malignitatem perversitatis Iudaicae* [11]. Describitur autem perversitas malignitatis Iudaeorum dupliciter: primo, scilicet *ante Christi adventum;* secundo, *post Christi adventum,* ibi [12]: *Dixit autem dominus vineae: Quid faciam?*

Divisio.

De hac perversitate ante Christi adventum tria.

*Ante Christi adventum* describitur tripliciter, scilicet respectu *legislatoris,* respectu *regalis potestatis* et respectu *cunei prophetalis* [13]; et secundum tria, per quae populus ille manuduci poterat ad iustitiam, scilicet per *Legem, psalmodiam* et *prophetiam,* secundum *altitudinem* potestatis, *dulcedinem* bonitatis et *certitudinem* veritatis.

Respectu legislatoris.

15. (Vers. 10.). Primo quantum ad *perversitatem Iudaicae gentis respectu legislatoris Moysi* dicit: *Et in tempore vindemiae misit ad cultores servum, ut de fructu vineae darent illi;* Glossa [14]: « Primus servus, qui mittitur, est Moyses legislator, qui per quadraginta annos fructum Legis, quam dederat, a cultoribus inquirebat »; Psalmus: « Misit Moysen servum suum, Aaron, quem elegit ipsum ». De hac missione Exodi tertio: « Veni, mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israel de Aegypto ». — Sed quia hunc servum Iudaeorum perversitas non acceptavit, ideo subdit: *Qui caesum dimiserunt*

---

[1] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Hieron., III. Comment. in Matth. 21, 33.), cui subnectitur Matth. 20, 1; cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 19. n. 1.

[2] Vers. 11; deinde ibid. v. 11. seq., ubi pro *Vir offert* Vat. cum Vulgata et H *Vir affert.*

[3] Vers. 6. — Sententia Chrysostomi habetur Homil. 40. in in Matth. 21, 33. (Op. imperfect.), in cuius fine pro *egerunt* (ita A C D) Vat. cum aliis codd. *egerint* (textus originalis *tractaverint populum Dei).*

[4] Loc. cit. paulo inferius. Pro *multiplex* C D G H *multa.*

[5] Vers. 30, et 31.

[6] Vide supra pag. 339; notam 7; codd. etiam hic diversimode legunt; nam pro *quot malis* (ita textus originalis) A C D *quod malo,* H et Vat. *quo malo.*

[7] Codd. A C D G H *multis diebus;* cfr. supra pag. 450, nota 6. — Sententia Bedae exhibetur verbis Glossae *ordinariae* apud Lyranum in Luc. 20, 9. Beda sequitur Hieron., III. Comment. in Matth. 21, 33. Pro *vinitoribus* (ita B G cum Hieron. et Beda) A C D H *unicuique,* Vat. cum Lyrano *imitatoribus.*

[8] Vers. 14. et 17. seq.

[9] Libr. IX. in Luc. c. 20. n. 23; cfr. Glossa *ordinaria* in Luc. 20, 9. — Duo seqq. loci sunt Rom. 2, 4. et II. Petr. 3, 9, in quo ultima pars *(et ad agnitionem* etc.) sumta est ex I. Tim. 2, 4.

[10] Cfr. supra pag. 503, nota 8.

[11] Vide supra n. 10.

[12] Vers. 13.

[13] Respicitur I. Reg. 10, 10: Ecce, cuneus Prophetarum; cfr. ibid. 19, 20. — Inferius Vat. omittit *dulcedinem bonitatis.*

[14] Scilicet *ordinaria* (ex Beda; cfr. Hieron., III. Comment. in Matth. 21, 34. seqq.), cui subnectuntur Ps. 104, 26. et Exod. 3, 10.

*eum inanem.* Glossa[1]: « Caesum dimittunt inanem, quia *irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini;* et iterum: *Vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum eius* ». Unde Deuteronomii trigesimo primo[2]: « Ego scio contentionem tuam et cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me et ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum; quanto magis, cum mortuus fuero »? Hoc autem fecerunt *coloni specialiter,* id est proceres synagogae; Numerorum decimo sexto[3]: « Ecce, Core, filius Isaar, et Dathan et Abiron surrexerunt contra Moysen, alii quoque filii Israel, ducenti quinquaginta viri proceres synagogae, et qui tempore concilii per nomina vocabantur ». Et hos sequebantur minores; unde et sequitur[4] post, quod « murmuravit omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Moysen et Aaron. Cumque oriretur seditio et tumultus incresceret, Moyses et Aaron fugerunt in tabernaculum foederis ».

Notandum.

Respectu regalis potestatis.

16. (Vers. 11.). Secundo quantum ad *perversitatem respectu regis David,* praecipui cultoris Dei, subdit: *Et addidit alterum servum mittere;* Glossa[5]: « Alter servus, David propheta, qui post Moysen colonos vineae psalmodiae modulamine et citharae dulcedine ad exercitium boni operis invitavit ». Hunc Dominus misit, quando de pascuis elegit eum ad regendum et pascendum populum suum, secundum quod ipse propheta David dicit in Psalmo[6]: « Elegit David servum suum et sustulit eum de gregibus ovium. De post foetantes accepit eum, pascere Iacob servum suum et Israel hereditatem suam ». Unde secundi Regum septimo: « Haec dices servo meo David: Ego te tuli de pascuis sequentem greges, ut esses dux super populum meum Israel; et fui tecum in omnibus, ubicumque ambulasti, fecique tibi nomen grande iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra »; unde et ei, scilicet David, dedit sedem regalem in sempiternum; eidem dedit prophetiae spiritum, eidem dedit psalmodiae cantum, ut sic inclinaret populum illum durum[7]. — Et tamen mitigare non potuit duritiam Iudaeorum, propter quod addit: *Illi autem, hunc quoque caedentes et afficientes contumelia, dimiserunt inanem,* quia contempserunt eius regimen et ducatum. Unde Glossa[8]: « Contumelia affectum dimittunt inanem dicentes: *Quae nobis pars in David, aut quae hereditas in filio Isai* »? secundi Regum vigesimo. Ubi etiam praemittitur, qualiter David cum Absalome persecuti sunt; secundi Regum decimo quinto[9]: « Venit nuntius ad David dicens: Toto corde universus Israel sequitur Absalom. Et ait David servis suis: Surgite, fugiamus; non erit nobis effugium a facie Absalom ». Et post decimo sexto dicitur de contumeliis ei illatis: « Ita loquebatur Semei, cum malediceret regi: Egredere, egredere, vir sanguinum et vir Belial. Reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul; et ecce, premunt te mala, quoniam vir sanguinum es ».

Respectu cunei prophetalis.

17. (Vers. 12.). Tertio quantum ad *perversitatem illius populi respectu cunei prophetalis* subiungitur: *Et addidit tertium mittere;* Glossa[10]: « Tertius servus est chorus Prophetarum, qui populum corripiebant et mala, quae vineae imminebant, praedicebant ». De missione huius servi dicitur Ieremiae septimo[11]: « Misi ad vos omnes servos meos Prophetas per diem, consurgens diluculo et mittens. Et non audierunt me nec inclinaverunt aurem suam, sed induraverunt cervicem suam et peius operati sunt quam patres eorum ». — Unde et addit: *Qui et illum vulnerantes eiecerunt.* Nam Isaiam serraverunt, Ieremiam lapidaverunt et Ezechielem excerebraverunt. Ideo Matthaei vigesimo tertio[12]: « Ierusalem, Ierusalem, quae occidis Prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt »; et Actuum septimo dicebat Stephanus Iudaeis: « Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri, ita et vos. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui praenuntiabant de adventu Iusti ». Ideo ipsi Prophetae, videntes eius duritiam, et arguebant et deplorabant. Nam dicitur Isaiae quinto[13] de vinea: « Exspectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas »; et Ieremiae secundo: « Quomodo conversa es mihi in pravum, vinea aliena »? et Ezechielis decimo nono: « Mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquam plantata est ». « Et evulsa est in ira, in terram proiecta est, et ventus urens siccavit fructum eius ». In hoc autem mira apparet Iudaeorum perfidia, quia omnes isti quos persecuti sunt, maxime diligebant eos. Nam Moyses pro populo non cessavit orare; Exodi trigesimo secundo[14]: « Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de Aegypto »? « Aut dimitte

Notandum.

---

[1] Nempe *ordinaria* (ex Beda), integra apud Lyranum (a Strab. exhibetur: *Caesum dimittunt inanem),* in qua allegantur Ps. 105, 16. et 32. seq.

[2] Vers. 27.

[3] Vers. 1. et 2.

[4] Vers. 41-43. Codd. C D G pro *post, quod* substituunt *Postquam,* et pro *tumultus incresceret* C D *tumultus in castris.*

[5] Scilicet *ordinaria* (ex Beda). — Superius post *perversitatem* in D secunda manus addidit *Iudaeorum.*

[6] Psalm. 77, 70. seq.; deinde II. Reg. 7, 8. et 9.

[7] Cfr. I. Reg. 16, 13. et 18. seqq.; II. Reg. 7, 12-16. et 23, 1. seqq.

[8] Scilicet *ordinaria* (ex Beda), in qua allegatur II. Reg. 20, 1.

[9] Vers. 13. seq.; deinde 16, 7. seq.

[10] Nempe *ordinaria* (ex Beda).

[11] Vers. 25. et 26. Pro *Misi ad vos* A C D G *Misi ad eos;* cfr. supra pag. 307, nota 8.

[12] Vers. 37, post quem Act. 7, 51. seq. (cfr. supra pag. 290, nota 6. et pag. 356, nota 14. in fine). Vide tom. V. pag. 375, nota 1.

[13] Vers. 2, post quem Ier. 2, 21; Ezech. 19, 10. et 12.

[14] Vers. 11. et deinde v. 31, ubi pro *dimitte* C D G *remitte.*

eis hanc noxam » etc. Similiter et David[1]: « Domine Deus virtutum, convertere; respice de caelo et vide et visita vineam istam ». Similiter chorus Prophetarum, unde Ieremiae decimo octavo: « Recordare, quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum et averterem iram indignationis tuae ab eis ». Et hi omnes figuram Christi gesserunt, de quo Isaiae quinquagesimo tertio[2]: « Ipse peccata multorum tulit et pro transgressoribus exoravit ».

18. (Vers. 13.). *Dixit autem dominus vineae* etc.

**De eadem perversitate post Christi adventum tria.** Post descriptam perversitatem Iudaeorum ante Christi adventum in personas servorum hic describit *malignitatem perversitatis eorundem post adventum contra ipsum Dei Filium Iesum Christum*[3]. Circa cuius descriptionem tria introducuntur, scilicet *gratuitum Dei beneficium, Iudaeorum propositum perversum* et *eorundem factum flagitiosum.*

Primo quantum ad *gratuitum Dei beneficium*

**Gratuitum Dei beneficium.** praemittit: *Dixit autem dominus vineae: Quid faciam? Mittam filium meum dilectum*, hoc fuit maximum beneficium, secundum illud primae Ioannis quarto[4]: « In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum »; et Ioannis tertio: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret ». Haec autem missio fuit ex occulto et secretissimo proposito et consilio Dei[5]. — Et quoniam hoc proposuerat definito consilio, ideo dicit: *Quid faciam?* Propter quod Moyses Exodi quarto[6] dicebat: « Obsecro, Domine, mitte quem missurus es »; sed Dominus reservavit eum mittere in fine, tum propter consummationem ordinis, secundum illud ad Galatas quarto[7]: « Cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum »; tum etiam, ut appareret, quod per nullum alium poterat subveniri humanae perfidiae et obdurationi. — Propter quod addit: *Forsitan, cum hunc viderint, verebuntur. Forsitan* non praenotat dubitationem in Deo, qui certissime cuncta praevidet, sed arbitrii libertatem, quod est ad utrumque vertibile. Unde Glossa[8]: « Quod ambigit, id est, verbo dubitationis utitur, non est Dei ignorantia, sed ut reservetur homini libera voluntas ». Unde quod Christum non sunt veriti Iudaei, non fuit defectus ex parte Dei, sed ex parte duritiae cordis humani; Isaiae quinto[9]: « Quid est, quod ultra debui facere vineae meae et non feci »? Qui enim Filium Dei non verentur nunquam amplius Deum nec eius nuntium verebuntur, quia, Ioannis quinto, « Pater omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem; qui non honorificat Filium non honorificat Patrem, qui misit illum ».

19. (Vers. 14.). Secundo quantum ad *propositum perversum* subditur: *Quem cum vidissent, coloni cogitaverunt intra se dicentes: Hic est heres,* **Propositum Iudaeorum perversum.** per coniecturationem veritatis; nam certa scientia non cognoverunt, sicut dicitur primae ad Corinthios secundo[10]: « Quem nemo principum huius saeculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent ». Cognoverunt tamen, etsi non per fidem, per aliqua signa manuducentia ad credendum, quod esset Messias in Lege promissus. Ideo non ex ignorantia, sed ex certa malitia contra Christum conspiraverunt. Unde Glossa[11]: « Aperte probat, Iudaeos non per ignorantiam crucifixisse Filium Dei, sed per invidiam. Intellexerunt enim, eum esse hunc cui dictum est: *Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam* ». **Notandum.** Quod ergo dicitur Actuum tertio[12]: « Nunc scio, fratres, quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri », non excludit a Iudaeis qualemcumque notitiam, sed notitiam certam; vel dicitur quoad minores, qui peccaverunt ex ignorantia. Nam maiores hoc fecerunt ex certa malitia, quia timebant temporalem perdere gloriam. — Ideo addit: *Occidamus eum*[13], *ut nostra fiat hereditas,* per machinationem perversitatis; quod dixerunt, non ut hereditatem novam acquirerent, cum Christus esset summe pauper, sed ut habitam conservarent. Unde Ioannis undecimo[14]: « Collegerunt pontifices et Pharisaei consilium, dicentes: Quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes

---

[1] Psalm. 79, 15. — Sequitur Ier. 18, 20, in quo pro *iram indignationis tuae* (cfr. 30, 24.) Vat. cum H et Vulgata *indignationem tuam.*

[2] Vers. 12, ubi pro *exoravit* Vat. cum Vulgata *rogavit.*

[3] Cfr. supra n. 14.

[4] Vers. 9, post quem Ioan. 3, 16.

[5] Cfr. Eph. 1, 10. et 11.

[6] Vers. 13. — Inferius post *mittere* ex C D supplevimus *in fine.*

[7] Vers. 3. seq. Plura de his rationibus vide III. Sent. d. 1. a. 2. q. 4. et dub. 1; Breviloq. p. IV. c. 4. — Superius post *consummationem ordinis* in C secunda manus addidit *vel temporis*, in D *temporis.*

[8] Scilicet *interlinearis* (ex Beda), in qua pro *non est Dei ignorantia* H cum Lyrano *non* [H addit *est*] *de ignorantia;* Beda: Quod dominus vineae dubitative et non deliberativo modo loqui dicitur, non de ignorantia venit. Quid enim nesciat dominus vineae, qui hoc loco Deus Pater intelligitur? Sed semper ambigere dicitur Deus, ut libera voluntas homini reservetur. Idem dicit Hieron., III. Comment. in Matth. 21, 37. seq. Cfr. tom. VI. pag 292, nota 6.

[9] Vers. 4. — Subinde allegatur Ioan. 5, 22. seq. — Inferius pro *nec eius nuntium* A C *nec Dei Filium* (ita etiam primitus D, secunda manus tamen haec verba delenda esse notavit).

[10] Vers. 8, quem Vat. omittit, quae etiam superius pro *coniecturationem* substituit *coniecturam.* Inferius post *fidem* H prosequitur *certam, per aliqua signa certa et manifesta manuducentia* etc.

[11] Scilicet *ordinaria* (ex Beda), in qua allegatur Ps. 2, 8. Codd. A C D omittunt *sed per invidiam.*

[12] Vers. 17, de cuius expositione cfr. tom. VI. pag. 455, nota 12.

[13] Vat. cum Vulgata *illum;* cfr. B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 20. n. 2.) et Gorranus, qui etiam exhibent *eum.*

[14] Vers. 47. et 48, quos August. (tr. 49. n. 26.) exponens ait: Temporalia perdere timuerunt et vitam aeternam non cogitaverunt, ac sic utrumque amiserunt etc.

credent in eum, et venient Romani et tollent locum nostrum et gentem ». Unde istud propositum nequam originem traxit ex *avaritia*, traxit etiam ortum ex *invidia;* unde Sapientiae secundo [1]: « Circumveniamus virum iustum, quoniam contrarius est operibus nostris et improperat in nos peccata legis et diffamat in nos peccata disciplinae nostrae »; et inferius: « Morte turpissima condemnemus eum. Haec cogitaverunt et erraverunt, excaecavit enim eos malitia eorum »; quoniam « invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum ». Huius figura praecessit in Ioseph; Genesis trigesimo septimo [2]: « Cogitaverunt fratres eius occidere eum et mutuo loquebantur dicentes: Ecce, somniator venit; venite, occidamus eum et mittamus in cisternam veterem dicemusque: Fera pessima devoravit eum » etc. — Ideo Evangelium istud legitur simul cum historia Ioseph imminente passione [3].

Figura. — Notandum.

20. (Vers. 15.). Tertio quantum ad *factum flagitiosum* subiungitur: *Et eiectum illum extra vineam occiderunt,* id est extra Ierusalem, quia dicitur ad Hebraeos ultimo [4]: « Extra portam Christus passus est. Exeamus ergo ad eum extra castra, improperium eius portantes ». *Occiderunt* autem, dum tradiderunt eum Pilato ad occidendum et petierunt, quod crucifigeretur; unde Actuum tertio [5]: « Iesum, Filium Dei tradidistis et negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem petistis, virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitae interfecistis ». Et sic impletum est illud Isaiae quinto de vinea plantata [6]: « Exspectavi, ut faceret iudicium, et ecce, iniquitas; et iustitiam, et ecce, clamor »; *clamor* scilicet ad Christum occidendum, de quo Marci decimo quinto: « Clamabant: Crucifige eum. Pilatus vero dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifige eum ». Unde de hac vinea non exivit vinum, sed fel, secundum illud Deuteronomii trigesimo secundo [7]: « De vinea Sodomorum vinea eorum et de suburbanis Gomorrhae, uva eorum uva fellis et botrus amarissimus. Fel draconum vinum eorum et venenum aspidum insanabile ».

Factum Iudaeorum flagitiosum.

21. (Vers. 15. 16.). *Quid ergo faciet illis* etc. Postquam descripsit parabolice benignitatem liberalitatis divinae et perversitatem malignitatis Iudaicae, hic iam tertio [8] describit *severitatem ultionis iudiciariae.* Circa quam tria insinuantur, scilicet *severitas ultionis divinae, incredulitas rebellionis Iudaicae, firmitas attestationis Scripturae.*

Tertio, severitas ultionis divinae describitur tripliciter.

Primo igitur quantum ad *severitatem ultionis divinae* dicit: *Quid ergo faciet illis dominus vineae?* Hoc quaerit non ut dubitans, sed ut excitet ad intelligentiam sententiae [9], quantum ad quam subdit: *Veniet et perdet colonos istos et vineam dabit aliis;* in quo datur sententia reprobationis Iudaeorum et electionis gentium; et haec sub figura vineae et vinitorum, de qua Isaiae quinto [10]: « Nunc ostendam vobis, quid faciam vineae meae: auferam sepem eius, et erit in direptionem; diruam maceriam eius, et erit in conculcationem. Et ponam eam desertam, non putabitur et non fodietur, et ascendent super eam vepres et spinae; et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem ». Hanc *reprobationem* plangit Propheta in Psalmo [11] dicens: « Ut quid destruxisti maceriam eius, et vindemiant eam omnes, qui praetergrediuntur viam? Exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam ». De *electione* vero *gentium* dicitur ad Romanos undecimo [12]: « Caecitas ex parte contigit in Israel, ut plenitudo gentium subintraret »; et de hoc ad Romanos nono: « Vocabo non plebem meam plebem meam; et non misericordiam consecutam misericordiam consecutam »; quod sumtum est de Osee secundo [13]. Et de hoc Matthaei vigesimo primo: « Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius ».

Severitas ultionis divinae. — Reprobantur Iudaei. — Eliguntur gentes.

22. Secundo quantum ad *incredulitatem rebellionis Iudaicae* subdit: *Quo audito, dixerunt illi: Absit,* quasi dicant: non ita eveniet, ut dixisti. Sed contrarium huius videtur Matthaei vigesimo primo [14], ubi dicitur sic: « Cum venerit dominus vineae, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis ». Hic autem dicitur, quod contradixerunt. — Sed hanc apparentem contrarietatem dissolvit Augustinus in libro de Concordia Evangelistarum [15], ubi dicit sic: « Intelligimus,

Incredulitas rebellionum Iudaeorum. — Apparens contrarietas solvitur ab Augustino.

[1] Vers. 12; deinde v. 20. seq. et 24: *Invidia autem diaboli* etc.

[2] Vers. 18-20.

[3] Historia Ioseph in Breviar. Romano legitur Dominica 3. Quadrages., in qua tamen Evangelium, de quo hic sermo, non occurrit. Cfr. tamen feria 6. infra 2. hebdom. Quadrag., ubi idem Evangelium ex Matth. 21, 33. habetur. Vocibus *historia Ioseph* G interserit *de.*

[4] Vers. 12. et 13. — Glossa *interlinearis* (ex Beda; cfr. Hieron., III. Comment. in Matth. 21, 39.): *Et eiectum illum* etc., quia Dominus extra portas passus est, vel quia prius a cordibus Iudaeorum est eiectus et deinde cruci est addictus.

[5] Vers. 13-15.

[6] Vers. 7, cui subiungitur Marc. 15, 13. seq.

[7] Vers. 32. et 33, ubi pro *et botrus amarissimus* Vulgata *et botri amarissimi,* Septuaginta *botrus amaritudinis eis.* Codd. A C D G omittunt *uva eorum uva fellis et botrus amarissimus,* a quibus verbis H hunc locum incipit, prioribus omissis.

[8] Cfr. supra n. 10.

[9] Hieron., III. Comment. in Matth. 21, 40. seq.: Interrogat eos Dominus, non quod ignoret, quid responsuri sint, sed ut propria responsione damnentur. — Vat. *ad intelligendum scientiam.*

[10] Vers. 5. seq. — Superius pro *et vinitorum* Vat. *et inimicorum.*

[11] Psalm. 79, 13. et 14.

[12] Vers. 25. et deinde 9, 25.

[13] Vers. 24, post quem Matth. 21, 43.

[14] Vers. 40. et 41. Pro *reddent* Vulgata *reddant.*

[15] Libr. II. c. 70. n. 136: Restat ergo, ut intelligamus, in plebe, quae audiebat, quosdam respondisse quod Matthaeus

quosdam respondisse quod Matthaeus commemorat; quosdam vero, quod Lucas ». — Aliter respondet Chrysostomus [1], quod « *unum* dixerunt corde, scilicet quod Matthaeus dicit; *aliud* ore, scilicet quod dicit Lucas. Unde conscientia erat consona divinae sententiae et parabolae, sed lingua erat contraria ». Unde Glossa [2]: « Contradicunt sententiae, quam contra perfidiam suam dictam cognoscunt; quod enim in mente gerebant in parabola contineri intelligebant ». Et ex hoc mirum Dei apparet iudicium, quod contradicendo volebant latere, et tamen se ipsos detegebant, dum veritati se ipsos opponebant, contra illud Ecclesiastici quarto [3]: « Non contradicas verbo veritatis ullo modo, et de mendacio » etc.

Aliter a Chrysostomo.

23. (Vers. 17.). Tertio quantum ad *firmitatem attestationis Scripturae* subiungit: *Ille autem respiciens* [4] *eos, ait: Quid est ergo hoc quod scriptum est: Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli?* Hoc scribitur in Psalmo [5], ubi statim additur: « A Domino factum est istud » etc. In hoc autem ostenditur *mira Christi humilitas,* qui voluit reprobari; propter quod admiratur Isaias quinquagesimo tertio [6]: Domine, « quis credidit auditui nostro? Et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo et sicut radix de terra sitienti ». « Et nos reputavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum ». In hoc etiam ostenditur *mira Christi potestas,* quod disiuncta maxime ad unitatem reduxit quasi lapis angularis. — Dicitur autem Christus *lapis* propter permanentiam stabilitatis, de qua Danielis secundo [7]: « Post haec videbas, donec abscissus est de monte lapis sine manibus et percussit statuam ». « Lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus et implevit universam terram ». — Dicitur autem *angularis* propter virtutem connexionis; ad Ephesios secundo [8]: « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens »; « ut duos condat in semetipsum in unum novum hominem, faciens pacem ». De hoc Iob trigesimo octavo [9]: « Ubi eras, quando ponebam fundamenta terrae? Quis posuit mensuras eius, aut quis demisit lapidem angularem eius »? Hic lapis angularis terrae est lapis unitivus Ecclesiae, de quo Isaiae vigesimo octavo [10]: « Ecce, ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum ». — Dicitur etiam *caput anguli* propter summitatem perfectionis; ad Ephesios secundo [11]: « Ipso summo angulari lapide Christo, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino » etc. Et ideo primae Petri secundo: « Ad quem accedentes, lapidem vivum, ab hominibus reprobatum ». « Et ipsi tanquam lapides vivi » etc. — Imaginandus est ergo Christus tanquam lapis centralis [12] in toto corpore Ecclesiae, quod circumferentiae circuli comparatur; ad quem quidem omnes lineae deductae angulum faciunt et uniuntur in ipso tanquam in puncto indivisibilitatis, in quo fit osculum linearum crucis in medio sui concurrentium in unum. Est igitur lapis iste stabiliens electos, et econtra est conterens adversarios et reprobos.

Firmitas attestationis Scripturae. — Christus mire humilis. — Et potens. — Dicitur lapis. — Angularis. — Caput anguli. — Notanda imago.

24. (Vers. 18.). Et ideo subdit: *Omnis, qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur,* per corruptionem peccati; *super quem autem ceciderit, comminuet eum* [13], per ultionem iudicii futuri. Culpa enim naturam infirmam reddit, sed poena aeterna totaliter conterit et in pulverem reducit. Unde Glossa [14]: « Qui modo contemnit et iniuriis afficit, nondum penitus interit, sed quassatur, ut non ambulet rectus; cadet autem super eum lapis, quem veniens in iudicio opprimet ». Ad hunc ergo lapidem pedem

Correptio peccati. — Ultio iudicii.

---

commemorat dicens: *Aiunt illi: Malos male perdet... aliis agricolis,* quosdam vero illud quod Lucas non tacuit, hoc est *Absit.*

[1] Homil. 40. in Matth. 21, 41. (Op. imperfect.): In prima quidem facie videntur esse contraria, revera autem non sunt contraria, sed diversa ratione sunt dicta. Ille enim [Lucas] secundum responsionem sermonis illorum exposuit, iste autem secundum responsionem cordis. Nam vere visibiliter quidem in facie contradixerunt, dicentes *Absit,* in corde autem et in conscientia sua susceperunt, dicentes: *Malos male perdet...* Posuit enim Deus quendam spiritum scientiae boni et mali in hominibus, ut, quotiescumque peccamus, ille in silentio quasi factum nostrum accuset... Propterea, si fecerit homo malum et deprehensus fuerit in eo, verbis quidem denegat et excusat, ab intus autem conscientia eius recognoscit et sibi ipsa discussa per spiritum confitetur quod fecit etc. — Pro *quod unum dixerunt* A C D *quod bene dixerunt.*

[2] Scilicet *ordinaria* (ex Beda).

[3] Vers. 30. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 20, 16: Negantibus ergo Iudaeis, iustum fore divinae scientiam legis, quam ipsi spernebant, ad gentes transferri, quid Salvator respondeat attende: *Ille autem aspiciens* etc.

[4] Vulgata *aspiciens;* cfr. B. Albert., qui etiam cum C D G H pro *ait* substituit *dixit.*

[5] Psalm. 117, 22. et deinde v. 23, quem Vat. omittit una cum vocibus *In hoc autem ostenditur.* Cfr. Hieron., III. Comment. in Matth. 21, 42.

[6] Vers. 1. seq. et 4.

[7] Vers. 34. et 35.

[8] Vers. 14. et 15; cfr. supra pag. 345, nota 14. et pag. 483, nota 5.

[9] Vers. 4-6.

[10] Vers. 16; cfr. supra pag. 142, nota 2. et pag. 164, nota 9. Pro *in fundamento* A C D H *in fundamentis.*

[11] Vers. 20. seq.; deinde I. Petr. 2, 4. et 5.

[12] Vat. *essentialis,* quae etiam inferius omittit *indivisibilitatis.* Subinde pro *adversarios* C D G H *adversos.*

[13] Vat. cum Vulgata *illum;* cfr. Matth. 21, 44: *conteret eum* (itam etiam H).

[14] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur August., I. Qq. Evangelior. q. 30.); quae etiam aliam explicationem praemittit (ex Beda, qui sequitur Hieron., III. Comment. in Matth. 21, 44.): Qui credit et tamen peccat cadit super lapidem et non conteritur, sed confringitur, quia per patientiam ad salutem reservatur; sed cui lapis irruit, id est, qui negat penitus, conteritur, ut nec testa remaneat. Cfr. Chrysost., Homil. 40. in Matth. 21, 44. (Op. imperfect.).

offendunt qui in ipsum non credunt, vel non imitantur; primae Petri secundo [1]: « Vobis honor credentibus, non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli; et lapis offensionis et petra scandali his qui offendunt verbo et non credunt, in quo et positi sunt ». Et sic factum est Iudaeis, secundum illud Isaiae octavo [2]: « Erit vobis Dominus in sanctificationem, in lapidem autem offensionis et petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum et in ruinam habitantibus Ierusalem. Et offendent ex eis plurimi et cadent et conterentur et irretientur et capientur ». « Exspectabo Dominum, qui abscondit faciem suam a domo Iacob ». Qui ergo scandalizantur super hunc lapidem cadunt, sed qui condemnantur ab hoc lapide conteruntur, secundum illud Isaiae trigesimo [3]: « Subito, dum non speratur, veniet contritio eius, et conteritur velut lagena figuli contritione pervalida, et non invenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquae de fovea ». Propter quod [4] « non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis, quem proiicit ventus a facie terrae ». — In hac igitur auctoritate confirmat Dominus intentionem parabolae, scilicet quod ipse *reprobandus* est a Iudaeis, *electurus gentes, repulsurus Iudaeos* propter suam perfidiam, et tandem *condemnaturus* per sententiam definitivam.

Epilogus.

25. (Vers. 19.). *Et quaerebant principes sacerdotum* etc. Post repulsam calumniam et detectam perfidiam sequitur hic tertia pars [5], in qua *deprehendit adinventam versutiam.* Huius autem versutiae primo describit Evangelista *adinventionem fallacem;* secundo vero, *confutationem veracem*, ibi [6]: *Considerans autem dolum illorum* etc.

Convictio versutiae adinventae describitur quoad duo.

Divisio.

*Adinventionem autem versutiae* describit Evangelista quantum ad tria, scilicet quantum ad Pharisaeorum *indignationem malevolam, insidiationem malignam* et *interrogationem malitiosam.*

Primo, adinventio versutiae quoad tria descripta.

Primo igitur quantum ad *Pharisaeorum indignationem malevolam* dicit: *Et quaerebant principes sacerdotum et scribae mittere in illum manus illa [7] hora; quaerebant,* inquam, ad ipsum occidendum, secundum illud Ioannis septimo: « Quid me quaeritis interficere, hominem, qui vera locutus sum vobis »? Ex animi ergo indignatione quaerebant, sed ex populi formidine non audebant. — Unde addit: *Et timuerunt populum,* non Deum; contra quod Proverbiorum vigesimo nono [8]: « Qui timet hominem cito corruet ». Populum autem magis timebant quam Deum, quia plus amabant populi laudem quam Christi veritatem; laus enim populi ungebat, sed veritas Christi arguebat. — Unde subditur: *Cognoverunt enim, quod ad ipsos dixerit similitudinem istam* [9]. Et sic veritas odium peperit, et verificatum est illud Amos quinto: « Odio habuerunt corripientem in porta et loquentem perfecte abominati sunt ». In huius figuram dicitur Ieremiae vigesimo sexto: « Locuti sunt sacerdotes et Prophetae ad principes et omnem populum dicentes: Iudicium mortis est viro isti, quia prophetavit adversus civitatem istam, sicut audistis auribus vestris ». Isti autem Pharisaei, dum volebant Christum occidere, impugnando veritatem auditam ipsam veritatem implebant, secundum illud Actuum decimo tertio [10]: « Qui habitabant Ierusalem et principes eius, hunc Iesum ignorantes et voces Prophetarum, quae per omne Sabbatum leguntur, iudicantes impleverunt; et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato, ut interficerent eum. Cumque consummassent omnia, quae de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento ».

Indignatio malevola.

Figura.

Notandum.

26. (Vers. 20.). Secundo quantum ad *insidiationem malignam* subdit: *Et observantes miserunt insidiatores, qui se iustos simularent,* contra illud Proverbiorum vigesimo quarto [11]: « Ne insidieris et quaeras iniquitatem in domo iusti et ne vastes requiem eius ». Insidiae autem fiunt per simulationes; contra quos Iob trigesimo sexto: « Simulatores et callidi provocant iram Dei »; quia, Proverbiorum undecimo, « simulator ore decipit amicum suum ». — Et quia simulatio adiunctam habet intentionem perversam, ideo addit: *Ut caperent eum in sermone et [12] traderent illum principatui et potestati praesidis,* scilicet Herodis. Unde Marci duodecimo dicitur: « Mittunt ad eum quosdam ex Pharisaeis et Herodianis, ut eum caperent in verbo ». Et haec fuit

Insidiatio maligna.

---

[1] Vers. 7. seq. — Superius pro *qui in ipsum* C D H *qui ipsum.*

[2] Vers. 14. seq. et 17.

[3] Vers. 13. et 14.

[4] Ut dicitur in Ps. 1, 4.

[5] Cfr. supra n. 1.

[6] Vers. 23.

[7] Ita etiam Beda, Card. Hugo, B. Albert., S. Thom., Gorranus et Lyranus cum Vulgata; Hieron., Biblioth. *in illa.* — Subinde allegatur Ioan. 7, 20; cfr. supra pag. 500, nota 9.

[8] Vers. 25. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 20, 19: Quasi mentientem quaerunt interficere, in quo vera probantur quae dixerat. Ipse est enim heres, illi pravi coloni, qui solo humano terrore retardantur, donec veniret hora eius.

[9] Ita etiam Card. Hugo et B. Albert. (Lyranus in margine); Vat. cum Vulgata *hanc;* pro *dixerit* C D *dixerat.* — Duo seqq. loci sunt Amos 5, 10. et Ier. 26, 11.

[10] Vers. 27-29.

[11] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt Iob 36, 13. et Prov. 11, 9.

[12] Ita etiam Beda, Card. Hugo, B. Albert., S. Thom., Lyranus; Vat. cum Vulgata *ut.* — Glossa *interlinearis: Ut caperent eum in sermone,* ut aliquid, velut eo ignorante, extorquerent, unde argui posset, *et traderent... potestati praesidis,* Herodis, qui in illis diebus erat Ierosolymis. — Subinde allegatur Marc. 12, 13, in quem Theophylact.: Diximus etiam alias de Herodianis, quod fuerit haeresis quaedam tunc nuper orta dicentium, Herodem esse Christum, eo quod in temporibus illius defecisset successio regum Iudaicorum. Alii autem dicunt, Herodianos hoc loco dictos esse milites Herodis, quos Pharisaei in testes eorum quae Christus dicturus erat, assumunt, ut consequenter comprehendant illum et abducant. Cfr. Hieron., III. Comment. in Matth. 22, 15.

magna versutia; unde Glossa[1]: « Quod prae timore populi per se non possunt manibus praesidis efficere volunt, ut velut immunes a morte ipsius videantur ». Ideo in persona talium dicitur Sapientiae secundo[2]: « Circumveniamus iustum, quoniam inutilis est nobis et contrarius operibus nostris, et improperat in nos peccata legis et infamat in nos peccata disciplinae ». **Figura.** Unde etiam in figuram huius dixerunt Philisthiim ad Dalilam Iudicum decimo sexto: « Decipe eum et disce ab eo, in quo habeat tantam fortitudinem, et quomodo eum superare valeamus ».

27. (Vers. 21.). **Interrogatio malitiosa.** Tertio quantum ad *interrogationem malitiosam* subiungit: *Et interrogaverunt illum*[3] *dicentes: Magister, scimus, quia recte dicis et doces.* **Approbant recte verbum.** Quantum ad *verbum* verum quidem dicunt, quia Ioannis decimo septimo: « Sermo tuus veritas est ». Hoc ipsi dicebant blandiendo, ut extorquerent secretum cordis ab ipso. Unde Chrysostomus[4]: « Haec est prima hypocritarum prudentia, ficta laudatio, sicut qui taurum non potest viribus subiugare mollibus manibus fricat cervicem eius, ut per blandimenta comprehendat ». Et de talibus Proverbiorum decimo sexto[5]: « Vir malus lactat amicum suum et ducit eum per viam non bonam »; et Proverbiorum vigesimo septimo: « Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens maledicenti similis erit ». — **Item, animum.** *Et non accipis personam hominis*[6], quantum ad *animum;* et hoc verum, secundum illud Actuum decimo: « In veritate comperi, quoniam non est personarum acceptor Deus »; et Deuteronomii decimo: « Deus magnus et potens et terribilis, qui personam non accipit nec munera ». — **Item, exemplum.** *Sed viam Dei in veritate doces,* quantum ad *exemplum;* propter quod ipse dicebat Ioannis decimo quarto[7]: « Ego sum via, veritas et vita ». — **Aliter.** Vel: *recte dicis,* quantum ad *veritatem vitae; personam non accipis,* quoad *veritatem iustitiae;* sed *viam Dei in veritate doces,* quoad *veritatem doctrinae.* In quo laudant Christum laude vera, sed fallaci corde.

28. (Vers. 22.). Et hoc patet ex ipsorum versuta interrogatione, **Interrogatio versuta.** cum subditur: *Licet nobis dare tributum Caesari, an non?* secundum divinae legis decretum; in quo quaestionem dolosam proponunt, quia, utrolibet dato, ipsum ad inconveniens deducere intendunt. Nam aut diceret, quod sic, et ita videretur dicere contra Legem et contra populum Iudaeorum et opinionem communem; aut diceret, quod non, et tunc traderent eum principatui, sicut Caesari rebellem et totius imperii hostem. Unde Glossa[8]: « Pharisaei, qui de iustitia sibi applaudebant, qui decimas et primitias Deo dabant, tributa homini solvenda negabant ». Et hinc est, quod Christo blandiebantur, ut hoc ex ore Christi extorquerent huiusmodi documentum, ut sic post possent dicere illud Ioannis decimo nono[9]: « Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris; omnis enim, qui se regem facit, contradicit Caesari ».

29. (Vers. 23.). *Considerans autem dolum illorum.* **Secundo, confutatio quoad tria descripta.** Postquam descripsit versutiae adinventionem fallacem, hic secundo[10] describit *confutationem veracem.* Circa quam tria introducuntur, scilicet *circumspecta consideratio sapientiae respondentis, verax dissolutio propositae quaestionis* et *evidens confutatio astutiae versipellis.*

**Considerati circumspecta.** Primo igitur quantum ad *circumspectam considerationem sapientiae respondentis* dicit: *Considerans autem dolum illorum,* in animo; unde Hieronymus[11]: « Prima virtus respondentis est interrogantium mentes cognoscere ». In horum mentibus ipsa Sapientia videbat dolum; unde Sapientiae septimo: « Sapientiam non vincit malitia »; et Ecclesiastici decimo sexto: « Omne cor intelligitur ab illo, et vias illius quis intelligit »? quia, ad Hebraeos quarto, « vivus est sermo Dei et efficax et discretor cogitationum et intentionum cordis ». — Ideo iste Sermo *dixit ad eos: Quid me tentatis?* scilicet in verbo, secundum illud Ecclesiastici decimo tertio[12]: « Ex multa loquela tentabit te et subridens interrogabit te de absconditis tuis ». In persona horum dicitur Sapientiae secundo: « Tentemus, quae ventura sunt illi, et sciemus, quae erunt novissima illius ».

30. (Vers. 24.). **Manifestatio veritatis.** Et quia cautela tentationis revincitur per manifestationem veritatis, ideo subditur: *Ostendite mihi denarium. Cuius habet imaginem et*

---

[1] Scilicet *ordinaria* (ex Beda).

[2] Vers. 12, ubi pro *infamat* Vat. cum Vulgata *diffamat.* — Sequitur Iudic. 16, 5.

[3] Ita etiam Beda, Card. Hugo, B. Albert. et S. Thom.; Vat. cum Vulgata *eum;* subinde A C D omittunt *Magister.* — Subinde allegatur Ioan. 17, 17.

[4] Homil. 42. in Matth. 32, 16. (Op. imperfect.). Textus originalis hinc inde plura interserit. Glossa *interlinearis* (ex Beda, III. In Matth. 22, 16.): *Magister,* quasi laudatus mysterium cordis sui simpliciter eis aperiat eosque velit habere discipulos.

[5] Vers. 29, post quem 27, 14.

[6] Ita etiam B. Albert., S. Thom. et Gorranus (cfr. Matth. 22, 16: *personam hominum); Vat.* cum Vulgata omittit *hominis.* — Duo seqq. loci sunt Act. 10, 34. et Deut. 10, 17. — Glossa *interlinearis: Et non accipis personam,* non times praelatam personam, sed indiscrete dicis veritatem maioribus et minoribus.

[7] Vers. 6. — De triplici veritate, vitae, iustitiae et doctrinae cfr. supra c. 17. n. 3. — Glossa *interlinearis* (ex Beda, qui sequitur Hieron., III. in Matth. 22, 16.): *Sed viam... doces;* illic provocant, ut Deum magis timeat quam Caesarem et dicat, non debere solvi tributa, ut inde seditionis auctor fiat.

[8] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, V. in Luc. 20, 20, qui sequitur Hieron., III. in Matth. 22, 15.) in Luc. 20, 22. — Superius pro *aut diceret... aut diceret* C D H *aut dicet... aut dicet.*

[9] Vers. 12. — Superius ante *ex ore* Vat. omittit *hoc* [ablativus] (quod substituit pro *huiusmodi),* et deinde cum pluribus codd. omittit *post.*

[10] Cfr. supra n. 25.

[11] Libr. III. Comment. in Matth. 22, 18. Pro *mentes* textus originalis *mentem.* — Subinde allegantur Sap. 7, 30; Eccli. 16, 20. seq. et Hebr. 4, 12.

[12] Vers. 14. et deinde Sap. 2, 17. — Glossa *interlinearis: Quid me tentatis?* Respondet non secundum verba eorum blande, sed secundum conscientias eorum aspere (ex Chrysost., Homil. 42. in Matth. 22, 18; Op. imperf.). — Superius pro *scilicet in verbo* C D *scilicet verbo.*

*superscriptionem*[1]*? Respondentes dixerunt ei: Caesaris,* scilicet in exteriori signo. Hoc Dominus non quaerit, quia dubitet, sed ut ex eorum responsione ipsos confutet. — Vel ideo quaerit imaginem et superscriptionem denarii, ut ex ipsa forma et figura et qualitate rei ostendat manare debere iudicium aequitatis. — Vel ideo hoc requirit, ut ostendat, quod unusquisque iudicandus est secundum superscriptionem, quam superscriptam habet imagini mentis suae. Nam per *denarium* intelligitur homo, quia denarius est de materia terrestri, scilicet de metallo, et homo de limo; Genesis secundo[2]: « Formavit Deus hominem de limo terrae »; et ipse *decimus* est post novenarium Angelorum et per *drachmam unam* designatur supra decimo quinto: « Aut quae mulier » etc. Per *imaginem denarii* intelligitur Trinitas personarum, de qua Ecclesiastici decimo septimo[3]: « Deus de terra creavit hominem et secundum imaginem suam fecit illum »; et Genesis primo: « Faciamus hominem ad imaginem » etc. Per *superscriptionem* intelligitur qualitas morum, et haec est duplex: una *divina*, alia *mundana*. *Divina* est per lumen gratiae et iustitiae; Psalmus[4]: « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine »; *mundana* autem, quae est Caesaris, est per appetitum cupiditatis et avaritiae. De hac Ambrosius[5]: « Imago Caesaris non reperitur nisi in mari, ubi dracones »; in quo tangit illud quod legitur Matthaei decimo septimo, ubi Christus misit Petrum ad mare; et invenit piscem et in pisce staterem, quem Caesari solvit; in quo intelligitur, quod superscriptio terrenitatis non est nisi in mundanis mentibus, in quibus pro cupiditatibus variis est procella et impetus tempestatis.

Ratio triplex. Quid sit denarius. Quid imago denarii. Quid superscriptio duplex. Notandum.

31. (Vers. 25.). Secundo quantum ad *veracem dissolutionem propositae quaestionis* subdit: *Et ait illis: Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari;* in quo manifeste iustam dat responsionem; est enim actus iustitiae « reddere unicuique quod suum est[6] ». Si ergo res est eius cuius habet superscriptionem; cum temporalia superscriptionem Caesaris habeant, non est contra Deum, si terrenis principibus persolvantur. Ideo ad Romanos decimo tertio[7] dicitur: « Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis ». — Et quia non est sufficiens iustitia, nisi suum unicuique reddatur; ideo addit: *Et quae sunt Dei Deo;* Glossa[8]: « Sicut Caesar exigit impressionem suae imaginis, sic et Deus animam lumine vultus sui insignitam »; propter quod primae ad Corinthios decimo quinto: « Sicut portavimus imaginem terreni, sic portemus imaginem caelestis ».

Solutio verax.

32. Et nota, quod prius praemittit, ut reddantur quae sunt mundi, quia, sicut dicitur primae ad Corinthios decimo quinto[9], « non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale ». Prius etiam deponendum est pondus, quam quis erigatur sursum; unde Glossa[10]: « Si non vis esse obnoxius Caesari, noli habere quae sunt mundi; et si habes divitias, obnoxius es Caesari. Si vis terreno regi nihil debere, omnia tua relinque, Christum sequere. Et bene prius quae sunt Caesaris reddenda decrevit, quia non potest quis esse Domini, nisi prius mundo renuntiet »; supra decimo quarto[11]: « Nisi quis renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus ». Dei autem sunt anima et corpus, quia ipse corpus et animam formavit, corpus de limo terrae, animam de nihilo; et ideo utrumque reddendum et offerendum Deo. Quod designatur in illa vidua, quae misit « duo aera minuta in gazophylacium » Domini, infra vigesimo primo[12]. Et ideo ad Romanos duodecimo: « Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri ». Unde in hoc verbo clauditur summa totius iustitiae et perfectionis[13].

Rationes, quare praemittitur, ut mundo suum reddatur. Figura. Notandum.

33. (Vers. 26.). Tertio quantum ad *evidentem confutationem astutiae versipellis* subiungit: *Et non potuerunt reprehendere verbum eius coram plebe,* per apparentem contradictionem. Nec mirum, quia ad Romanos nono[14]: « Tu quis es, qui respondeas

Confutatio evidens astutiae.

---

[1] Ita etiam B. Albert. et S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 20. n. 3.); cfr. Matth. 20, 20. Vulgata *inscriptionem*. — Hieron., III. in Matth. 22, 19. seqq.: *Ostendite*, inquit, *mihi denarium*, hoc est genus nummi, quod pro decem nummis imputabatur et habebat imaginem Caesaris. *Et ait illis Iesus: Cuius est imago haec et superscriptio?* Qui putant, interrogationem Salvatoris ignorantiam, esse et non dispensationem, discant ex praesenti loco, quod utique potuerit scire Iesus, cuius imago esset in nummo, sed interrogat, ut ad sermonem eorum competenter respondeat... *Caesarem* non putemus Augustum, sed Tiberium significari, privignum eius... sub quo passus est Dominus.

[2] Vers. 7. — Subinde allegatur Luc. 15, 8.

[3] Vers. 1, post quem Gen. 1, 26.

[4] Psalm. 4, 7.

[5] Libr. IX. In Luc. c. 20. n. 35: Imaginem Caesaris non habet Christus, quia imago est Dei. Imaginem Caesaris non habet Petrus, quia dixit [Matth. 19, 27.]: *Reliquimus omnia et secuti sumus te.* Imago Caesaris non reperitur in Iacobo vel Ioanne, quia *filii tonitrui* sunt [Marc. 3, 17.]; sed reperitur in mari, ubi dracones illi contritis capitibus super aquam, et ipse draco maior, comminutus caput, datur in *escam populis Aethiopum* [Ps. 73, 14.]. Si ergo non habuit [Christus] imaginem Caesaris, cur dedit censum? Non de suo dedit, sed reddidit mundo quod erat mundi. Et tu, si vis non esse obnoxius Caesari, noli habere quae mundi sunt etc. — Sequitur Matth. 17, 26. — Inferius pro *terrenitatis* Vat. *strenuitatis*.

[6] Cfr. tom. III. pag. 728, nota 1.

[7] Vers. 7. et 8.

[8] Scilicet *ordinaria* (ex Beda). — Subinde allegatur I. Cor. 15, 49.

[9] Vers. 46.

[10] Scilicet *ordinaria* (ex Ambros., IX. In Luc. c. 20. n. 35. seq.; cfr. supra nota 5.) in Luc. 20, 24. — Superius pro *Prius etiam* (ita C D) Vat. *Prius enim*.

[11] Vers. 33.

[12] Vers. 2. et deinde Rom. 12, 1. seq.

[13] Vat. *clauditur sententia totius iustitiae perfectae.*

[14] Vers. 20, post quem Iob 9, 12.

Deo »? Unde Iob nono: « Si repente interroget, quis respondebit ei? Aut quis potest ei dicere: Cur ita facis »? — Et ideo qui cum Christo contendunt necessario confunduntur; propter quod subdit: *Et mirati in responso eius tacuerunt,* per evidentem confusionem; unde Glossa[1]: « Qui credere debuerunt mirati sunt, quod non habent locum tentandi ». Unde Chrysostomus[2]: « Malitia confunditur aliquando, corrigitur autem nunquam; sicut qui vult claudere aquae currentis meatum, aliunde semitam rumpit, ita et malitia ». Unde non tacebant ex *prudentia,* sicut dicitur Ecclesiastici vigesimo[3]: « Est tacens qui invenitur sapiens ». « Homo sapiens tacebit usque ad tempus ». Nec ex *reverentia,* sicut ille, de quo Ecclesiastici trigesimo secundo: « Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia ». Nec ex *patientia,* sicut ille Isaiae quadragesimo secundo[4]: « Tacui, semper silui, patiens fui ». Nec ex *pace intrinseca;* Threnorum tertio: « Sedebit solitarius et tacebit ». Sed ex *confusione aperta,* sicut illi, a quibus Dominus quaesivit Marci tertio[5]: « Si licet Sabbatis bene facere, an male; animam salvam facere, an perdere? At illi tacebant »; et primi Regum secundo: « Impii in tenebris conticescent » etc.

Quare Pharisaei tacuerint.

**Confutatio Sadducaeorum errantium ex ignorantia quoad duo.**

34. *Accesserunt autem quidam.* Postquam confutavit infidelitatem errantium ex malitia, hic secundo[6] confutat *incredulitatem errantium ex ignorantia;* et habet haec pars duas. In prima confutat errorem circa *resurrectionem;* in secunda vero, circa *incarnationem,* ibi[7]: *Dixit autem ad illos.*

Divisio.

**Primo confutatur error circa resurrectionem per duo.**

In describendo autem *confutationem erroris Sadducaeorum de finali resurrectione* procedit hoc ordine: primo namque praemittit *quaestionem erroneam;* secundo adiungit *responsionem veridicam,* ibi[8]: *Et ait illis Iesus: Filii huius* etc.

Subdivisio.

Circa *quaestionem erroneam* introducuntur Sadducaei ut *negantes verum,* ut *allegantes praeceptum,* ut *proponentes casum,* ut *interrogantes dubium,* per quod praecipitabantur in errorem praedictum.

Quaestio erronea per quatuor descripta.

35. (Vers. 27.). Primo igitur quantum ad *errorem Sadducaeorum negantium verum* dicit: *Accesserunt autem quidam Sadducaeorum, qui negant, esse resurrectionem,* et per consequens destruebant fundamentum divinae culturae. Unde Chrysostomus[9]: « In omni re aut actu agendi virtus spes est praemii futuri. Qui enim arat arat, ut metat; et qui pugnat pugnat, ut vincat ». Et post: « Tolle ergo spem resurrectionis, et soluta est tota observantia pietatis »; primae ad Corinthios decimo quinto[10]: « Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid et baptizantur pro illis? Ut quid et nos periclitamur omni hora »? Resurrectionem autem negabant Sadducaei tum propter animarum mortalitatem, quam credebant; unde Glossa[11]: « Sadducaei credebant, animas interire cum corpore »; tum etiam propter corporum irreparabilitatem. — Et pro eis videtur esse quod dicitur in Psalmo[12]: « Exibit spiritus eius et revertetur in terram suam » etc.; item: « Sepulcra eorum domus illorum in aeternum »; et Iob decimo quarto: « Homo, cum dormierit, non resurget, donec atteratur caelum » etc. Sed hic non dicunt, resurrectionem non esse futuram, sed potius usque ad finem iudicii differendam. — Nam quod *spiritus* sint immortales, hoc probat ipsorum *intellectus, appetitus* et *actus virtuosus*[13]; quod vero *corpora* reparentur, hoc manifestat simul divina *iustitia,* divina *clementia* et divina *potentia.* Unde contra tales dicitur primae ad Corinthios decimo quinto[14]: « Sed dicet aliquis: Quomodo resurgent mortui? Aut quali corpore venient? Insipiens tu, quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, utputa tritici, aut alicuius ceterorum. Deus enim dat illi corpus, sicut vult et unicuique seminum proprium corpus »; et post[15]: « Oportet, corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem ».

Sadducaei negant verum. Notandum. Rationes pro Sadducaeis. Contra.

36. (Vers. 27. 28.). Secundo quantum ad *inquisitionem Sadducaeorum allegantium praeceptum*

Allegant praeceptum.

---

[1] Scilicet *interlinearis* (ex Beda, qui sequitur Hieron., III. Comment. in Matth. 22, 22.), in qua pro *debuerunt* textus originalis *debuerant.*

[2] Homil. 42. in Matth. 22, 15. in principio (Op. imperfect.). Textus originalis post *nunquam* plura addit et ultimam propositionem sic exhibet: Quemadmodum, si aliquis claudere voluerit aquae currentis meatum, si una ex parte exclusa fuerit aqua, violentia aliunde sibi semitam rumpit; sic et eorum malignitas ex una parte confusa, aliunde sibi aditum adinvenit.

[3] Vers. 5. et 7; deinde 32, 9.

[4] Vers. 14. — Sequitur Thren. 3, 28.

[5] Vers. 4, cui subnectitur I. Reg. 2, 9.

[6] Cfr. supra n. 1.

[7] Vers. 41.

[8] Vers. 34.

[9] Hom. 42. in Matth. 22, 23. (Op. imperfect.), ubi etiam altera habetur sententia. In priori sententia C D G H omittunt *praemii.*

[10] Vers. 29. et 30.

[11] Scilicet *interlinearis* (ex Beda, qui sequitur Hieron., III. in Matth. 22, 23.): *Accesserunt autem,* ut vel per frequentiam vincerent, *quidam Sadducaeorum,* qui interpretantur iusti, *qui negant, esse resurrectionem,* Pharisaei credebant corporis et animae resurrectionem, Sadducaei et animas interire cum corpore. — Superius pro *mortalitatem* A C D *mortem.*

[12] Psalm. 145, 4, post quem Ps. 48, 12. et Iob 14, 12.

[13] Cfr. II. Sent. d. 19. a. 1. q. 1. et Breviloq. p. II. c. 9. De resurrectione corporum cfr. IV. Sent. d. 43. a. 1. q. 1. et 4; Breviloq. p. VII. c. 5.

[14] Vers. 35-38.

[15] Vers. 53.

subditur: *Et interrogaverunt eum dicentes: Magister, Moyses scripsit nobis,* scriptura scilicet authentica et iusta, secundum illud Ecclesiastici vigesimo quarto[1]: « Legem mandavit Moyses in praeceptis iustitiarum »; unde Deuteronomii trigesimo primo: « Postquam scripsit Moyses verba Legis huius in volumine atque complevit, praecepit Levitis, qui portabant arcam foederis, dicens: Tollite librum istum et ponite in latere arcae » etc. Quidquid igitur Moyses scripsit, est authenticum, ideo scripturam eius tanquam authenticam proponunt. — Propter quod subditur: *Si frater alicuius mortuus fuerit habens uxorem, et hic sine liberis fuerit, ut accipiat eam frater eius uxorem et suscitet semen fratri suo.* Hoc scribitur Deuteronomii vigesimo quinto[2]: « Quando habitaverint fratres simul, et unus ex illis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius et suscitabit semen fratris sui et primogenitum ex eà filium nomine fratris sui appellabit, ut non deleatur nomen eius ex Israel ».

37. *Litteralis* autem ratio huius erat ad fovendam caritatem inter propinquos et refrenandam[3] cupiditatem et servandam fidelitatem et conservandam generationem carnalem. Secundum *spiritualem* intelligentiam *frater noster* est Christus; Canticorum octavo[4]: « Quis det te mihi fratrem meum, sugentem ubera matris meae » etc.; et Psalmus: « Narrabo nomen tuum fratribus meis ». *Uxor eius* est Ecclesia; Apocalypsis decimo nono[5]: « Venerunt nuptiae Agni, et uxor eius praeparavit se ». Hic *mortuus est* ante fidelium multitudinem, qui sunt filii Dei; Ioannis primo: « Dedit eis potestatem filios Dei fieri » etc., et hoc in *morte;* Ioannis undecimo[6]: « Iesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum ». Ut *frater* huius uxorem accipit qui gerit Ecclesiae curam, non ut generet filios carnales, sed spirituales, sicut Paulus; primae ad Corinthios quarto[7]: « In Christo Iesu per Evangelium ego vos genui ». Et hos non nomine proprio, sed *fratris* debet appellare, quia non in nomine suo, sed Christi debet eos baptizare, secundum illud primae ad Corinthios primo: « Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? Aut in nomine Pauli baptizati estis »? Ei autem, qui hoc negligit implere, imponi debet poena *discalceationis,* secundum illud Deuteronomii vigesimo quinto[8]: « Si responderit: Nolo eam uxorem accipere; accedet mulier ad eum coram senioribus populi et tollet calceamentum de pede eius et spuet in faciem eius et dicet: Sic fiet homini, qui non aedificat domum fratris sui »; quia ei qui non vult semen Christi suscitare, debet auferri auctoritas praedicandi, quae intelligitur per ablationem calceamenti, secundum illud ad Ephesios sexto[9]: « Calceati pedes in praeparationem Evangelii pacis ». Propter quod Deuteronomii vigesimo tertio[10]: « Non intrabit eunuchus, attritis vel amputatis testiculis, Ecclesiam Domini ». Quocontra dicitur de viris sanctis Ecclesiastici quadragesimo quarto: « Cum semine eorum permanent bona, hereditas sancta nepotes eorum ».

*Ratio litteralis huius praecepti.*

*Intelligentia spiritualis.*

38. (Vers. 29. 30. 31. 32.). Tertio quantum ad *allegationem ipsorum introducentium casum* subditur: *Septem ergo fratres erant, et primus accepit uxorem et mortuus est sine filiis. Et sequens accepit illam, et ipse mortuus est sine filio. Et tertius accepit illam. Similiter et omnes septem et non reliquerunt semen et mortui sunt. Novissima*[11] *omnium mortua est et mulier.* Potuit esse, quod hoc fingerent tanquam possibile; unde Glossa[12]: « Qui resurrectionem corporum non credunt et animas putant interire cum corpore turpitudinem fabulae confingunt ». Talibus fabulis vacare solent Iudaei; propter quod primae ad Timotheum primo[13]: « Rogavi te, ut remaneres Ephesi, ut denuntiares quibusdam, ne aliter docerent neque intenderent fabulis et genealogiis interminatis, quae quaestiones magis praestant quam aedificationem ». — Vel potuit esse, quod hoc fuit ad litteram et introducatur hic secundum divinae ordinationis spiritum propter figuram. Nam *spiritualiter* per istos *septem,* qui mortui sunt sine liberis, intelligitur universitas reproborum, qui nullum fructum reliquerunt; unde Glossa[14]: « Hi septem omnes reprobi sunt, qui tota hac vita, quae septem

*Proponunt casum.*

*Casus vel est fictus.*

*Vel factus.*

*Quid sint isti septem.*

---

[1] Vers. 33. et deinde Deut. 31, 24-26.

[2] Vers. 5. et 6, ubi pro *nomine* [A C D G H *ex nomine*] *fratris sui* Vat. cum Vulgata *nomine illius.*

[3] Codd. A D *removendam.* Subinde Vat. omittit *et conservandam generationem carnalem.*

[4] Vers. 1, post quem Ps. 21, 23.

[5] Vers. 7. — Sequitur Ioan. 1, 12. — Inferius post *multitudinem* B addit *seu multiplicationem.*

[6] Vers. 51. 52. — Locus hic saltem in codd. corruptus est. A C a verbis *fieri etc.* usque *huius uxorem* omnia omittunt; D pro *et hoc in morte* habet *hoc...* [verbum, quod legi non potest], deinde *Christus Iesus passus, ut frater huius;* G *hoc innuitur Ioan. 11.* Secuti sumus praecipue B, qui tamen cum G pro *moriturus* habet *passurus,* omisso *congregaret in unum. Ut frater.* Vat. post *fieri etc.* legit *Ipsa enim fidelium multitudo per mortem Christi congregata est, ut dicitur.* Et post *congregaret in unum* prosequitur *Postquam ergo Christus passus est, ipsius uxorem.*

[7] Vers. 15. et subinde 1, 13.

[8] Vers. 8. et 9. — De poena *discalceationis* (Vat. hanc vocem omittit) cfr. supra pag. 79, nota 5.

[9] Vers. 15, ubi pro *in praeparationem* (cfr. supra pag. 397, nota 5.) H cum Vulgata *in praeparatione.*

[10] Vers. 1, cui subiungitur Eccli. 44, 11. seq.

[11] Ita etiam Beda et Card. Hugo (cfr. Marc. 12, 22.); Vat. cum Vulgata *Novissime.*

[12] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Hieron., III. Comment. in Matth. 22, 24. seqq.), in qua pro *corpore* textus originalis *corporibus.* — Superius pro *tanquam possibile* G *tanquam falsum,* Vat. *tanquam mendaces.*

[13] Vers. 3. et 4.

[14] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) apud Lyranum in Luc. 20, 28, in qua C D omittunt *omnes.* Ibid. (etiam apud Strab.)

diebus est, steriles a bono opere sunt ». Hi possunt intelligi per *septem viros Sarae,* de quibus dicitur Tobiae tertio [1], quod interfecti fuerunt a daemonio, nomine Asmodaeo; quia Sapientiae tertio dicitur: « Ab iniquo toro semen exterminabitur ». — Aliter. Vel per *septem viros* intelliguntur septem capitalia vitia, quibus anima servit, de quibus Lucae undecimo [2]: « Assumit septem spiritus nequiores se ». — Aliter. Vel quinque sensus et duplex consideratio rationis, quae intelliguntur per *mulierem* septemviram; de qua dicitur Ioannis quarto [3]: « Voca virum tuum ». Qui enim subiicit se sensibus carnis fructum non parit; Iob vigesimo quarto: « Pavit sterilem, quae non parit, et viduae non bene fecit »; quia, sicut dicitur ad Galatas sexto, « qui seminat in carne de carne et metet corruptionem »; et primae Ioannis secundo: « Transit mundus et concupiscentia eius ».

Interrogant cavillantes dubium.

39. (Vers. 33.). Quarto quantum ad *cavillationem Sadducaeorum interrogantium dubium* subditur: *In resurrectione ergo* [4] *cuius eorum erit uxor? Siquidem septem habuerunt eam uxorem,* quasi dicant: non magis est unius quam alterius: ergo aut habebunt omnes, aut nullus. Si ergo utrumque est inconveniens, contra Legem est ponere resurrectionem. — Notandum. Ex quo apparet, quod isti errabant circa resurrectionem propter carnalem intellectum spiritualis Scripturae et spiritualis gloriae; unde carnalis intelligentia necat, dum spirituales depravat Scripturas; propter quod secundae ad Corinthios tertio [5]: « Littera occidit, spiritus autem vivificat ». Ideo Ioannis sexto: « Verba, quae locutus sum vobis, spiritus et vita sunt »; propter quod primae ad Corinthios decimo quinto: « Hoc autem dico, quia caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, neque corruptio incorruptionem », id est, qui carnaliter sapiunt. Et tales erant hi Sadducaei, qui, non intelligentes nobilitatem spiritus rationalis nec intellectum Scripturae spiritualis nec potestatem Dei omnipotentis, non putabant resurrectionem futuram. Ideo dicitur Matthaei vigesimo secundo [6]: « Erratis, nescientes Scripturam neque virtutem Dei ».

Responsio veridica per quatuor descripta.

40. (Vers. 34.). *Et ait illis Iesus* etc. Post inquisitionem erroneam subiungit hic *responsionem veridicam* [7]. Circa quam introducuntur quatuor, scilicet *veritatis assertio, assertionis ratio, rationis confirmatio* et *confirmationis laudatio.*

Veritatis assertio.

Primo quantum ad *veritatis assertionem* dicit: *Et ait illis Iesus: Filii huius saeculi nubunt et traduntur ad nuptias,* propter *habendam successionem,* sicut Tobiae octavo [8]: « Tu, Domine, scis, quia non luxuriae causa accipio sororem meam coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in saecula saeculorum ». Et hoc matrimonium, licet posset esse virorum spiritualium, non est tamen nisi in carne viventium; unde *filii saeculi* non sonat in vitium. (Finis 1. nubentium.) Alii vero nubunt propter *solam delectationis expletionem,* de quibus Genesis sexto [9]: « Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulcrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant »; et supra decimo quarto: « Uxorem duxi, et ideo non possum venire ». (Finis 2.) Et tunc *filii saeculi* sonat in vitium, sicut et supra decimo sexto: « Filii huius saeculi prudentiores sunt filiis lucis » etc. Et hi sunt *filii ancillae,* de quibus ad Galatas quarto: « Non heres erit filius ancillae cum filio liberae ». Sed neutrum horum erit in resurrectionibus, nec successio nec carnalis delectatio.

41. (Vers. 35.). Ideo subdit: *Illi vero, qui digni habebuntur* [10] *saeculo illo et resurrectione ex mortuis, neque nubent neque ducent uxores; neque nubent,* quantum ad feminas, *neque ducent uxores,* quantum ad viros. *Dignos resurrectione* vocat iustos. (Resurrectio iustorum.) Loquitur enim hic specialiter de resurrectione iustorum, qui non tantum resurgent, verum etiam immutabuntur, secundum illud primae ad Corinthios decimo quinto [11]: « Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur ». « Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti ». Licet igitur mali resurgant cum bonis, sicut dicitur Ioannis quinto [12]: « Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei »; tamen de bonis specialiter loquitur, (Notandum.) qui erunt elevati supra tempus et temporales motus, ac per hoc et supra coniugium et omnem carnalem actum.

Assertionis ratio.

42. (Vers. 36.). Secundo quantum ad *assertionis rationem* subdit: *Neque enim ultra mori*

secundum Bedam, qui sequitur Hieron., III. Comment. in Matth. 22, 24. seqq.; dicitur: Potest autem fieri, ut in gente eorum hoc aliquando acciderit.

[1] Vers. 8. seq. post quem Sap. 3, 16.

[2] Vers. 26. — Pro *quibus anima servit* Vat. *quibus peccator servit.*

[3] Vers. 16; cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 4. n. 33, ubi quae hic proponuntur, fusius explicantur *(duplex consideratio rationis,* i. e. *mulier* est pars inferior rationis, *vir...* est pars superior etc.). — Subinde allegantur Iob 24, 21; Gal. 6, 8. et I. Ioan. 2, 17. — Superius pro *quae intelliguntur* [ita C D] Vat. *qui intelliguntur,* et pro *mulierem septemviram; de qua* Vat. *et quinque viros eius, de quibus.* Post *dicitur,* ut sensus recte percipiatur, videtur supplendum esse: simili modo ut.

[4] Codd. C D H addunt *eorum* (cfr. B. Albert.), et subinde pro *cuius eorum* D substituit *cuius horum.*

[5] Vers. 6. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 6, 64. et I. Cor. 15, 50, ubi pro *incorruptionem* Vat. cum Vulgata *incorruptelam.*

[6] Vers. 29.

[7] Cfr. supra n. 34.

[8] Vers. 9.

[9] Vers. 2. — Sequuntur Luc. 14, 20. et 16, 8; Gal. 4, 30.

[10] Codd. C D H *habentur* (cfr. B. Albert.), et subinde A C D H bis *neque nubunt, neque ducunt uxores.* — Hieron., III. Comment in Matth. 22, 30: Latina consuetudo Graeco idiomati non respondet. *Nubere* enim proprie dicuntur mulieres, et viri *uxores ducere* etc.

[11] Vers. 51. et 52. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 20, 35: Cum omnes boni et mali sint resurrecturi et absque nuptiis mansuri, Dominus tamen, ut ad *gloriam* resurrectionis incitet, de solis electis disserit etc.

[12] Vers. 28.

*poterunt;* ex quo sequitur, quod uxores non habebunt. Unde Beda[1]: « Cum connubia propter filios, filii propter successionem, successio sit propter mortem; ubi ergo non est mors, neque connubia ». — Sed tunc potest ex hoc argui, quod cum in paradiso non esset mors ante peccatum, quod connubia non fuissent. — Et responsio est ad hoc, quod licet non esset mors ex *necessitate,* sicut nunc, erat tamen ex *possibilitate,* quia primi parentes habebant corpus *animale,* sed post resurrectionem erit corpus *spirituale,* secundum illud primae ad Corinthios decimo quinto[2]: « Seminatur corpus animale, surget spirituale; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur in ignobilitate, surget in gloria ». — Ideo subdit: *Aequales enim Angelis sunt et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis,* id est, sicut Angeli sunt immortales, incorruptibiles, supra tempus et variationes motuum temporalium; sic erunt boni, quia post resurrectionem tunc erimus aequales Angelis secundum gloriae dignitatem; propter quod Apocalypsis vigesimo primo[3]: « Mensura hominis, quae est Angeli ». Nec mirum, quia tunc erimus Deo per gloriam assimilati, secundum illud primae Ioannis tertio[4]: « Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est ». Unde Rabanus[5]: « Sunt sicut Angeli Dei in caelis, qui gloria resurrectionis innovati, absque ullo mortis metu, absque ulla labe corruptionis, absque ullo terreni status actu perpetua Dei visione fruuntur. Ad quam necesse est, angelicae dignitatis aequalitatem quisquis ascendere desiderat, minimis fratribus pie agendo condescendat ». Et hoc recte dicit, quia non potest Angelis esse in gloria similis qui non vult in ministerio assimilari.

Difficultas. — Solutio.

43. (Vers. 37.). Tertio quantum ad *rationis confirmationem* subiungitur: *Quia vero resurgant*[6] *mortui, et Moyses ostendit secus rubum,* id est verbum Domini, quod dixit Moysi in visione illius rubi ardentis et non combusti, secundum quod dicitur Exodi tertio[7]: « Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, et videbat, quod rubus arderet et non combureretur »; et sequitur, quod Dominus locutus est verba, quae sequuntur hic: *Sicut dicit Dominum Deum Abraham et Deum Isaac et Deum Iacob;* Exodi tertio[8]: « Vocavit Dominus Moysen de medio rubi » « et ait: Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob ».

Rationis confirmatio.

44. (Vers. 38.). Ex hoc autem vult Dominus inferre resurrectionem futuram, cum addit: *Deus autem non est mortuorum, sed viventium*[9]. *Omnes enim vivunt ei.* Ex quo sequitur, quod vivunt ei vel actu vel potentia; sed omnes isti erant mortui actualiter: ergo vivebant Deo quantum ad *posse* et dispositionem. Necesse est igitur futuram ponere resurrectionem[10]. — Sunt autem multa testimonia in veteri testamento, per quae probari potest resurrectio mortuorum; Isaiae vigesimo sexto[11]: « Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent »; et Ezechielis trigesimo septimo: « Ossa arida, audite verbum Domini: Ecce » etc.; item, Danielis duodecimo: « Multi de his qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt »; item, Iob decimo nono: « Scio, quia Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum »; item, Osee sexto[12]: « Post duos dies vivificabit nos, in die tertia suscitabit nos »; item, Ioelis tertio: « Consurgant et ascendant gentes in vallem Iosaphat » etc.; item, secundi Machabaeorum septimo: « Ipse spiritum cum misericordia vobis dabit et vitam ». — Sed Dominus nullum horum septem testium introduxit, quia Sadducaei, quibus respondebat, solum Pentateuchum recipiebant; unde Glossa[13]: « Poterat apertiora de resurrectione dare testimonia Prophetarum, sed Prophetas Sadducaei non recipiunt ». Vel ideo, quia per hoc probat vitam animarum post mortem, quam Sadducaei negabant, et haec erat radix sui erroris. Vel ideo, quia in istius verbi allegatione simul clauditur mysterium *Trinitatis* in trina *Dei* iteratione, mysterium *triplicis virtutis,* scilicet fidei, spei et caritatis, in tribus

Conclusio. — Testimonia 7 in V. T. de resurrectione. — Ratio omissionis. — Aliter. — Aliter.

---

[1] Libr. V. in Luc. 20, 36; idem dicit Glossa *ordinaria* in Luc. 20, 35.

[2] Vers. 44. et 43. Cfr. II. Sent. d. 19. a. 2. q. 1. et d. 20. q. 1. ad 1.

[3] Vers. 17. — Superius pro *incorruptibiles* (H addit *et ingenerabiles)* Vat. *incorporales*, A D *docibiles* [Ioan. 6, 45: *Et erunt omnes docibiles Dei*].

[4] Vers. 2, ubi A C D H: *Filii, nondum apparuit, quid erimus. Scimus* [H addit *tamen*], *cum apparuerit, quod similes* etc.

[5] Libr. VI. Comment. in Matth. 22, 30. n. 3; pro *minimis fratribus* textus originalis *nunc minimus fratribus.*

[6] Codd. A C D *resurgunt,* G H *resurgent.* — Superius pro *rationis confirmationem* Vat. *resurrectionis confirmationem* (cfr. n. 40.).

[7] Vers. 2. et 6, quem solum Vat., pluribus omissis, allegat legens: *verbum Domini, quod dixit Moysi de medio rubi:* Et ait: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob. *Ex hoc vult Dominus inferre resurrectionem futuram, cum addit: Sicut dicit Dominum* etc.

[8] Vers. 4. et 6. Vat. hunc locum, sicut etiam seq. propositionem *Ex hoc... addit*, omittit.

[9] Vat. cum Vulgata *vivorum.*

[10] Glossa *interlinearis* (ex Beda, qui sequitur Hieron., III. Comment. in Matth. 22, 31. seqq.): *Et Moyses ostendit secus rubum*, quem vos recipitis; alioquin poterat apertiora dare de resurrectione testimonia Prophetarum, sed Prophetas Sadducaei non recipiunt; *sicut dicit Dominum Deum Abraham* etc., qui iam mortui erant, quando hoc dicebat; probat ergo per hoc, animas post mortem permanere, quia non est Deus non existentium; et sic introducitur corporum resurrectio, quae cum animabus bene vel male gesserunt; *Deus autem non est mortuorum, sed vivorum*, quorum Dominus et Deus est.

[11] Vers. 19. — Sequuntur Ezech. 37, 4; Dan. 12, 2. et Iob 19, 25.

[12] Vers. 3. — Duo seq. loci sunt Ioel 3, 12. et II. Mach. 7, 23.

[13] Scilicet *interlinearis;* cfr. supra nota 10, ubi etiam expositio altera insinuatur.

Patribus praedictis, mysterium *incarnationis* in rubo ardenti[1] et etiam mysterium *passionis*, et in tota auctoritate mysterium *resurrectionis*, et ita quasi Notandum. totum mysterium *fidei christianae*; quia omnis mysteriorum figura et verborum varietas consummata est in Verbo incarnato, secundum illud Isaiae vigesimo octavo[2]: « Consummationem et abbreviationem audivi » etc.; et ad Hebraeos primo: « Multifarie » etc.

45. (Vers. 39.). Quarto quantum ad *confirmationis collaudationem* adiungit: *Respondentes autem quidam scribarum dixerunt ei: Magister, bene dixisti.* Hoc commendabant scribae, quia erant de secta Pharisaeorum, qui dicunt, resurrectionem esse. Unde Matthaei vigesimo secundo[3] dicitur, quod « Pharisaei videntes, quod silentium imposuisset Sadducaeis, convenerunt in unum », quia ex hoc applaudebant ei. De hoc enim erat contentio inter Sadducaeos et Pharisaeos; unde Actuum vigesimo tertio[4]: « Sciens Paulus, quia una pars est Sadducaeorum et altera Pharisaeorum, exclamavit in concilio: Viri fratres, ego Pharisaeus sum; de spe et resurrectione mortuorum ego iudicor. Et cum haec dixisset, facta est dissensio inter Pharisaeos et Sadducaeos, et soluta multitudo. Sadducaei enim dicunt, non esse resurrectionem mortuorum neque Angelum neque spiritum, Pharisaei autem utrumque confitentur ».

Confirmationis collaudatio.

46. (Vers. 40.). Quoniam ergo utrosque confuderat[5], ideo utrique tacebant; unde subditur: *Et amplius non audebant eum quidquam interrogare;* ex quo apparet, quod non interrogabant studio addiscendi, sed vincendi et superandi; unde Glossa[6]: « Confutati in sermonibus, non amplius interrogant, sed aperte comprehensum Romanae potestati tradunt. Ex quo intelligimus, venena invidiae posse superari, sed difficile quiescere ». Ideo non audebant interrogare eum, quia videbant aliquid divinum in se habere, cum quo disputare tutum non est; Iob nono[7]: « Quantus sum, ut respondeam ei et loquar verbis meis cum eo? Qui, etiam si habuero quippiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor ». Verificatum est igitur in his illud Psalmi[8]: « Defecerunt scrutantes scrutinio »; et ideo: « Accedat homo ad cor altum, et exaltabitur Deus ».

Utrique tacent.

**Secundo confutatur error circa mysterium incarnationis, de quo tria.**

47. (Vers. 41.). *Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt* etc. Postquam confutavit errantes circa mysterium resurrectionis, hic *confutat errantes circa mysterium incarnationis*[9], qui scilicet non credunt, Christum esse verum hominem et Deum. Facit autem hoc Christus quaerendo et introducendo quaestionem, quam impossibile est dissolvere, nisi credatur et intelligatur Christus duplicis esse naturae. In hac igitur quaestione Christus, magister fidei, *proponit* ipsius Christi *generationem carnalem* a Iudaeis communiter creditam; secundo *assumit generationem aeternalem* a Propheta praedicatam; et *concludit apparentem utriusque controversiam.* Divisio.

Primo igitur quantum ad *generationem Christi carnalem communiter creditam* dicit: *Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt, Christum filium esse David?* Hoc communiter dicunt Iudaei omnes et etiam omnes viri christiani. Nam ipsi David facta est de Christo repromissio, sicut in Psalmo[10] dicitur: « De fructu ventris tui ponam super sedem tuam »; et secundi Regum septimo: « Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum eius et stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum ». Hoc non potest dici nisi de Christo, Angelo attestante, secundum illud supra primo[11]: « Dabit illi Dominus Deus sedem David, patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum ». Ideo recte « clamabant turbae: Hosanna filio David; benedictus qui venit in nomine Domini »! Matthaei vigesimo primo. Et hoc Apostolus praedicabat secundum illud secundae ad Timotheum secundo[12]: « Memor esto, Dominum Iesum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum »; et Actuum secundo dixit Petrus: « Propheta ergo cum esset David, et sciret, quod iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, providens locutus est de resurrectione ».

Proponitur generatio Christi carnalis.

48. (Vers. 42.). Secundo quantum ad *generationem aeternalem a Propheta praedicatam* subdit: *Et ipse David dicit in libro Psalmorum: Dixit Dominus domino meo: Sede a dextris meis.* Hoc

Assumitur generatio aeternalis.

---

[1] Ut exponit Gregor., XXVIII. Moral. c. 1. n. 8, in quantum scilicet « ex illo populo exiret qui in igne Deitatis carnis nostrae peccata quasi rubi spinas susciperet et inconsumtam humanitatis nostrae substantiam etiam in ipsa Divinitatis flamma servaret ». Quomodo mysterium *passionis* per ipsum exprimatur, ostendit S. Bonav., Collat. 3. in Hexaëm. n. 13.

[2] Vers. 22. et deinde Hebr. 1, 1. — Superius pro *mysteriorum figura* Vat. *mysteriorum, figurarum.*

[3] Vers. 34, ubi pro *videntes* Vat. cum Vulgata *audientes.*

[4] Vers. 6-8.

[5] Cod. C *confutaverat*, H *utrique confutati sunt.*

[6] Scilicet *ordinaria* (ex Beda). — Superius fide codd. supplevimus *ex quo apparet, quod non interrogabant.*

[7] Vers. 14. et 15. — Superius vocibus *disputare tutum* A D interserunt *tunc.*

[8] Psalm. 63, 7, ubi pro *Accedat* Vat. cum Vulgata *Accedet.*

[9] Cfr. supra n. 34. — Inferius pro *dissolvere* B *disputare*, E *displicare*, Vat. *dispicere.*

[10] Psalm. 131, 11, post quem II. Reg. 7, 12. seq. — Glossa *interlinearis* (ex Beda, qui sequitur Ambros., X. in Luc. c. 20. n. 2; cfr. etiam Hieron., IV. Comment. in Matth. 22, 41. seq.): *Quomodo dicunt... David*, non reprehenduntur, quia David filium dicunt, sed quia Dei Filium non credunt.

[11] Vers. 32. — Sequitur Matth. 21, 9.

[12] Vers. 8, cui subnectitur Act. 2, 30. seq.

absque dubio David de verbo ad verbum dicit in Psalmo [1], qui est de duabus naturis Christi excellentissime et profundissime tractans. Constat enim, quod illud intelligitur de Christo. Nam nulli dedit Deus regnum supremum, sacerdotium aeternum et iudicium universorum nisi Christo; et hoc totum in illo Psalmo describitur. Oportet igitur, quod versus iste de Christo intelligatur; in quo exprimit ipse David, Spiritu sancto afflatus, Filii *aeternam generationem* in hoc quod dicit: « Dixit Dominus Domino meo »; *dicere* enim nihil aliud est quam verbum mente concipere; quod quidem *dicere* non potuit esse in Deo nisi ab aeterno, quia, sicut dicitur Iob trigesimo tertio [2], « semel loquitur Deus et secundo idipsum non repetit ». Et ideo Ioannis primo: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum ». Dixit ergo aeternaliter, cum Filium genuit; Psalmus: « Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te ». — Exprimit etiam Filii *aequalitatem cum Patre*, cum dicit: « Sede a dextris meis », id est aequalis mihi; ad Hebraeos primo [3]: « Qui, cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis » etc. usque ibi: « Ego hodie genui te ». Ideo ad Philippenses secundo: « Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo ». *Sessio* ergo illa non dicit positionem localem, sed potius summam quietem, dignitatem et auctoritatem, ac per hoc et aequalitatem, quae soli Filio competit. Ideo corruit lucifer, qui eam appetiit; Isaiae decimo quarto [4]: « Quomodo cecidisti, lucifer! qui mane oriebaris, qui dicebas in corde tuo: Super astra Dei exaltabo solium meum et sedebo in monte testamenti et similis ero Altissimo ».

Exprimitur aeterna generatio.

Et aequalitas cum Patre.

49. (Vers. 43.). Exprimit nihilominus ipsius Filii Dei *imperium universale*, cum addit [5]: *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum;* Psalmus: « Omnia subiecisti sub pedibus eius » etc., quia per virtutem omnipotentem et regit bonos et conculcat perversos. Unde primae ad Corinthios decimo quinto [6]: « Oportet, illum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus suis »; « omnia enim subiecit sub pedibus eius »; Isaiae quadragesimo quinto: « Haec dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, ut subiiciam omnes gentes et dorsa regum vertam » etc. Nam de Christo dicitur Apocalypsis decimo nono: « Habebat in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum » etc.

Et imperium universale.

50. (Vers. 44.). Tertio quantum ad *utriusque apparentem controversiam* subdit: *David ergo dominum illum vocat, et quomodo filius eius est* [7]? Impossibile enim est dicere, quod secundum naturam humanam Christus esset dominus David, quia Christus nondum erat natus nec conceptus; et praeterea, nunquam filius dicitur *dominus* patris sui; et iterum, David, cum esset rex excelsus, non videtur, quod aliquem purum hominem dominum habuerit. Restat igitur, quod cum Christus secundum eandem naturam David regis non possit dici simul esse verus *filius* et *dominus*, necesse est, simul ipsum esse Deum et hominem. Et hoc quidem est verum, quod nullus potest inficiari, nisi totaliter infringat Scripturam [8] et fidem a patribus acceptam.

Concluditur et solvitur utriusque apparens controversia.

51. Sunt autem de hac duplici natura Christi multiplicia testimonia in Scriptura, sed magis hoc testimonium accepit, tum quia David inter Prophetas de Christo excellentissime prophetavit, tum etiam, quia Psalmus ille, ex quo versus iste accipitur, excellentissime exprimit totius veritatis fidei sacramentum. Unde et Cassiodorus [9] de illo Psalmo dicit, quod « est speculum caelestis arcani, armarium sanctarum Scripturarum, ubi totum summatim dicitur, quidquid utriusque testamenti narratione decantatur ». — Nam totius utriusque testamenti intentio principaliter versatur circa Christi utramque naturam, de qua ipse David [10]: « Descendet sicut pluvia in vellus »; et post: « Sit nomen eius benedictum in saecula »; et iterum: « Speciosus forma prae filiis hominum »; et post: « Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi »; et Baruch tertio [11]: « Hic est Deus noster, et non aestimabitur alius adversus eum ». « Post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus est »; et Isaiae septimo: « Ecce, virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel »; et Isaiae nono: « Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis » etc. Item, Isaiae quinquagesimo tertio [12]: « Ascendet sicut virgultum »; et post: « Generationem eius quis enarrabit »? Et Michaeae quinto: « Et tu Bethlehem Ephratha, parvulus es in millibus

Quare hoc testimonium electum sit.

Loci Scripturae notandi.

---

[1] Psalm. 109, 1.

[2] Vers. 14. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 1, 1. et Ps. 2, 7. Cfr. I. Sent. d. 27. p. II. q. 1. seqq. — Anselm., Monolog. c. 32: Ergo summus ille spiritus, sicut est aeternus, ita aeterne sui memor est et intelligit se... at si aeterne se intelligit, aeterne se dicit. Si aeterne se dicit, aeterne est Verbum eius apud ipsum.

[3] Vers. 3-5. (post *Maiestatis* C D addunt *Dei)*, post quos Phil. 2, 6.

[4] Vers. 12-14. — Superius pro *soli Filio* C D *soli Deo*.

[5] Sumtum ex Ps. 109, 1. et deinde Ps. 8, 8.

[6] Vers. 25. et 26. — Duo seqq. loci sunt Isai. 45, 1. et Apoc. 19, 16; Vulgata: *Habet* etc.

[7] Glossa *interlinearis:* Quomodo repugnantia sunt haec secundum nostrum intellectum, si purus homo est! Cfr. Ambros., X. in Luc. c. 20. n. 1. seqq.

[8] Vat.: *Et hoc quidem est verum, nec ullus potest iustificari, nisi totaliter recipiat Scripturam.* Pro *infringat* A C *infringet,* D H *infringeret.*

[9] In expositione tituli Ps. 109. Pro *summatim* C D H *consummatim.*

[10] Psalm. 71, 6. et 17; Ps. 44, 3. et 7.

[11] Vers. 36. et 38. — Duo seqq. loci sunt Isai. 7, 14. et 9, 6.

[12] Vers. 2. et 8, post quos Mich. 5, 2, in quo pro *dominator in Israel* A C D G *Dominus.*

Iuda; ex te enim egredietur qui sit dominator in Israel; et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis ». Ideo ad Romanos primo[1]: « Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis » etc.; et ad Romanos nono: « Quorum est adoptio filiorum et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissa, quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia benedictus Deus ». Et hoc expresse dicitur Ioannis primo[2]: « In principio erat Verbum »; et post: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius » etc. Postremo ipse Christus, Ioannis octavo[3]: « Principium, qui et loquor vobis »; et Apocalypsis ultimo: « Ego sum alpha et omega, primus et novissimus, principium et finis ». « Ego sum radix et genus David, Notandum. stella splendida et matutina ». — In hoc igitur « finem constituit suae doctrinae », sicut dicit Ambrosius[4]; quia in hoc est *fundamentum* christianae religionis, in quo radicatur et clauditur omne credendum, scilicet quod credatur Christus homo et Deus. Nam omnes articuli vel ad Divinitatem vel ad humanitatem reducuntur; et ideo dicebat Apostolus primae ad Corinthios tertio[5]: « Ut sapiens architectus fundamentum posui; fundamentum autem aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus ». Et ipse etiam est *complementum*, secundum illud Ecclesiastici quadragesimo tertio[6]: « Multa dicimus et deficimus in verbis, consummatio autem sermonum ipse est ».

**Informatio discipulorum ad prudentiam, de qua tria.**

52. *Audiente autem omni populo* etc. Postquam confutavit Pharisaeos errantes ex malitia et Sadducaeos errantes ex ignorantia, hic tertio[7] *informat discipulos ad prudentiam*. Et quoniam prudentia in tribus consistit, scilicet in *cautela mali*, *eligentia boni* et *providentia futuri*[8]; ideo pars ista Divisio. habet tres partes. In quarum prima informat discipulos ad *cautelam malorum;* in secunda invitat ad *eligentiam meliorum*, ibi[9]: *Respiciens autem vidit* etc.; in tertia vero, ad *providentiam futurorum*, ibi: *Et quibusdam dicentibus de templo* etc.

**Informatio ad cautelam quatuor malorum.**

*Informat* ergo *discipulos ad cautelam malorum*, quae erant in scribis et Pharisaeis, ne eorum exemplo diverterent a tramite veritatis[10]; et hoc quidem facit revocando discipulos a quadruplici vitio scribarum, scilicet a *cultu vestium*, *ambitione honorum*, *appetitu divitiarum* et *simulatione virtutum*. Subdivisi Primum spectat ad lasciviam, secundum ad vanam gloriam, tertium ad avaritiam, quartum ad fraudulentiam; ad quae quatuor tanquam ad quatuor rotas currus Pharaonis[11] reduci habent omnia mala.

53. (Vers. 45. 46.). Primo ergo quantum ad Cultus vestium. *cultum vestium*, qui erat scribarum vitium *manifestum*, dicit: *Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis: Attendite a scribis, qui volunt ambulare in stolis.* Ideo autem dixit: *omni populo audiente*, quia hoc erat vitium manifestum, et ideo in manifesto redarguendum, secundum illud primae ad Timotheum quinto[12]: « Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant »; et hoc ipsis praesentibus dixit, ne faceret contra illud Levitici decimo nono: « Non maledicas surdo » etc. Ideo autem magis de scribis loquitur, quia efficaciores ad nocendum erant, quia videbantur viri fide digni in verbo et imitandi exemplo. Unde Glossa[13]: « Duplici ratione iubemur attendere a vanae gloriae cupidis, ne vel eorum simulatione decipiamur, vel eorum exemplo ad amorem temporalium inflammemur ». Attendendum est ergo, ne quis eos imitetur in cultu vestium, qui intelligitur in nomine *stolarum*. Dicuntur enim *stolae* camisiae albae et longae, quibus utebantur scribae; unde Glossa[14] super hoc: « *Volunt ambulare in stolis*, id est cultioribus vestimentis induti in publicum procedere; quod reprehenditur in divite, qui *induebatur purpura et bysso* ». Et ideo Augustinus dicit in Regula[15]: « Non affectetis vestibus placere, sed moribus »; et Ecclesiastici undecimo: « In vestitu ne glorieris unquam »; Quid sint stolae.

[1] Vers. 3. seq. et deinde 9, 4. seq., ubi pro *et promissa, quorum patres* A C D *et promissio, quorum sunt* [in C secunda manus addidit *patres*]. [2] Vers. 1. et 14.

[3] Vers. 25, post quem Apoc. 22, 13. et 16.

[4] Libr. X. in Luc. c. 20. n. 1; cuius sententiam Glossa *ordinaria* in Luc. 20, 41. ita exhibet: Consummaturus praecepta Dominus in fine testamenti sui fidem concludit, ut Dominum Iesum verum Deum et verum hominem ad dexteram Patris sedere credamus. — Subinde pro *quia in hoc* A C D H *quia hic*, et pro *radicatur et clauditur* C D a secunda manu *radicaliter clauditur*.

[5] Vers. 10. et 11. Cfr. III. Sent. d. 25. a. 1. q. 1. et Breviloq. p. V. c. 7.

[6] Vers. 29, ubi pro *dicimus* et *deficimus* Vat. cum Vulgata *dicemus* et *deficiemus*.

[7] Cfr. supra n. 1.

[8] Vide tom. III. pag. 728, notam 6.

[9] Cap. 21, 1; tertia pars incipit ibid. v. 5.

[10] Cfr. infra n. 53. Glossa *ordinaria*.

[11] Beda, Comment. in Exod. 14, 6: *Iunxit igitur Pharao currum*, id est diaboli quadrigas. Quadriga diaboli, unusquisque peccator cum gula et fornicatione et ira et superbia.

[12] Vers. 20, post quem Lev. 19, 14, ubi pro *maledicas* Vat. cum Vulgata *maledices*. — Superius pro *vitium manifestum* Vat. *vitium maximum*.

[13] Scilicet *ordinaria* (ex Beda).

[14] Nempe *interlinearis* (ex Beda), in cuius fine allegatur Luc. 16, 19.

[15] Scilicet in Regula ad servos Dei, n. 6. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 11, 4. et I. Tim. 6, 8.

et primae ad Timotheum ultimo: « Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus ».

54. Secundo quantum ad *ambitionem honorum*, **Ambitio honorum.** quae erat scribarum vitium *detestandum*, subdit: *Et amant salutationes in foro*, quantum ad gloriam *in verbo*, **Gloria in verbo.** quasi dicat, quod volunt salutari in loco publico prius tempore, altiori voce et inclinato capite; quocontra supra decimo[1]: « Neminem per viam salutaveritis » etc. — **Item, in officio.** *Et primas cathedras in synagogis*, quantum ad gloriam *in officio;* quocontra Ecclesiastici septimo[2]: « Noli quaerere ab homine ducatum neque a rege cathedram honoris ». — **Item, in signo.** *Et primos discubitus in conviviis*, quantum ad gloriam *in signo;* quocontra supra decimo quarto[3]: « Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco ». **Notandum.** Reprehendit autem scribas, non quia *salutari* sit malum, vel *super cathedram poni*, vel *primo loco in convivio collocari*, sed quia talis *appetitus* et *gloriatio* talis merito debet reprehendi. Unde Beda[4]: « Non salutari in foro, non primas sedes vetat eis quibus debetur ex ordine officii, sed eis qui indebite amant. Animum enim, non gradum redarguit ». Arguitur ergo in scribis non excellentia dignitatis, sed ambitio honoris. Nam in his veritas locum non habet, secundum illud Ioannis quinto[5]: « Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis et gloriam, quae a solo Deo est, non quaeritis »? Et de hac gloria Osee quarto: « Gloriam eorum in ignominiam commutabo ». Et talis debet contemni; Isaiae vigesimo tertio[6]: « Dominus exercituum cogitavit hoc, detrahere superbiam omnis gloriae et ad ignominiam universos inclytos terrae »; et primi Machabaeorum secundo: « Gloria viri peccatoris stercus et vermis est; hodie extollitur et cras non invenietur ».

55. (Vers. 47.). Tertio quantum ad *appetitum divitiarum* **Appetitus divitiarum.** subdit: *Qui devorant domos viduarum*[7], et hoc per cupiditatem; cuius voracitas nunquam satiatur, et maxime, quando carnalitas ei sociatur. Ideo dicit: *Qui devorant domos viduarum*, simul implicans voracitatem cupiditatis ad domum et carnalitatis ad sexum; et de his duobus Proverbiorum trigesimo[8]: « Sanguisugae duae sunt filiae dicentes: Affer, affer »; et statim subdit: « Tria sunt insaturabilia et quartum, quod nunquam dicit: Sufficit. Infernus, os vulvae et terra, quae nunquam satiatur aqua; ignis nunquam dicit: Sufficit »; quia, sicut dicitur Ecclesiastae quinto, « avarus non implebitur pecunia, et qui amat divitias fructum non capiet ex eis ». Devoratio igitur reprehensibilis est propter **Notandum.** avaritiam, sed conversatio cum viduis reprehensibilis est propter suspicionem malam. Unde Chrysostomus[9]: « Dum Iudaicos sacerdotes confundit, Christianos monet, non permanere cum viduis amplius quam cum ceteris, quia, etsi voluntas mala non est, suspicio tamen mala est ». Et Hieronymus ad Nepotianum[10]: « Ostiolum tuum aut raro aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas et virgines Christi aut aequaliter ignora, aut aequaliter dilige. Vide, ne sub eodem tecto manseris nec in praeterita castitate confidas. Nec David sanctior nec Samsone fortior nec Salomone sapientior potes esse. Memento semper, quod paradisi colonum mulier de possessione sua eiecerit ». Non sunt igitur scribae imitandi, nec quantum ad carnalitatem nec quantum ad cupiditatem, quia de imitatoribus horum secundae Petri secundo[11]: « Hi sunt velut irrationabilia pecora », « pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii, derelinquentes viam rectam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit ». Contra tales indignatur Dominus, secundum illud Isaiae tertio[12]: « Vos depasti estis vineam meam, et rapina pauperis in domo vestra ».

56. Quarto quantum ad *simulationem virtutum* **Simulatio virtutum.** subdit: *Simulantes longam orationem;* Glossa[13]: « Ut religiosiores appareant, prolixius orant, ut ab infirmis quibuslibet et peccatorum suorum conscientia turbatis quasi patroni laudes et pecunias accipiant ». — Sed nunquid prolixa oratio mala est? **Notandum.** Certe non est, cum dicatur supra decimo octavo[14]: « Oportet orare semper »; et primae ad Thessalonicenses quinto: « Sine intermissione orate ». Sed hoc dicitur propter simulationem, quia, cum simulatio et fraus in omnibus reprehensibilis sit, potissime reprehenditur in his actibus, qui maxime debent fieri in *veritate;* et talis est actus orationis; Ioannis quarto[15]: « Eos qui adorant eum, in spiritu et veritate adorare oportet ». De illo igitur, qui fraudulenter orat et simulatorie, dicitur in Psalmo: « Oratio

[1] Vers. 4. — Superius Vat. omittit *prius tempore.*

[2] Vers. 4. — Vat. hunc locum et ea quae subinde sequuntur usque *quocontra* transponit post locum ex I. Mach. 2, 62. inferius (in fine huius n. 54.) allegatum.

[3] Vers. 8. et 10.

[4] Libr. V. in Luc. 20, 45. seq.; sententia Bedae exhibetur verbis Glossae *ordinariae* in Luc. 20, 46.

[5] Vers. 44, ubi pro *ab invicem accipitis* A C D G *ad invicem quaeritis.* — Sequitur Osee 4, 7.

[6] Vers. 9, post quem I. Mach. 2, 62. seq.

[7] Glossa *interlinearis: viduarum*, quae habent affectum religionis, sed nesciunt sibi providere. — Subinde Vat. omittit *et maxime... sociatur.*

[8] Vers. 15. et 16, post quos Eccle. 5, 9.

[9] Homil. 44. in Matth. 23, 14. (Op. imperfect.).

[10] Epist. 52. (alias 2.) n. 5. Vat. *Hospitiolum*, sed bene C D G *Ostiolum* (H *Hostiolum*), quae lectio in ed. Maurin. notatur verbis: « Gravius, suffragante pervetusto exemplari, legi iuvet *Ostiolum* ». Vat. *Unde nec*, sed C D H *Vide, ne*, G *Cave ne*, textus originalis *Ne*, qui etiam pro *manseris* substituit *mansites.*

[11] Vers. 12. et 14. seq. [12] Vers. 14.

[13] Scilicet *ordinaria* (ex Beda), quae pro *ut ab infirmis* substituit *ubi ab infirmis.*

[14] Vers. 1. et I. Thess. 5, 17.

[15] Vers. 24. — Duo seqq. loci sunt Ps. 108, 7. et Ier. 48, 10; cfr. supra pag. 458, nota 10.

eius fiat in peccatum », quia, Ieremiae quadragesimo octavo, « maledictus qui facit opus Dei negligenter ». — Et ideo subdit: *Hi accipient damnationem maiorem,* quia, sicut dicitur Iob trigesimo sexto[1], « simulatores et callidi provocant iram Dei ». Ideo Ecclesiastici primo: « Ne fueris hypocrita in conspectu hominum », « ne revelet Deus absconsa tua et in medio synagogae elidat te ». Et ideo scribis tanquam hypocritis imprecatur septies vae, Matthaei vigesimo tertio[2]: « Vae vobis, scribae et Pharisaei hypocritae »! propter septiformem simulationem, propter quam digni erant, cum suis sequacibus in aeternam praecipitari damnationem, secundum illud Apocalypsis decimo nono: « Apprehensa est bestia et cum ea pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos qui acceperunt characterem bestiae; et vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis et sulphuris. Et omnes aves saturatae sunt carnibus eorum ».

## Capitulum XXI.

**Informatio ad eligentiam meliorum per exemplum viduae.**

1. (Vers. 1.). *Respiciens autem vidit* etc. Postquam informavit discipulos ad cautelam malorum, hic secundo[3] *informat eos ad eligentiam meliorum,* et hoc exemplo pauperculae viduae, offerentis totum victum suum, quae praefertur aliis, qui partem dederunt. In hac igitur parte procedit hoc ordine. Introducitur enim hic *munus multitudinis opulentae, oblatio viduae pauperculae, laus oblationis a vidua factae* et *assignatio rationis et causae.*

De hoc exemplo tanguntur quatuor.

Primo ergo quantum ad *munus multitudinis opulentae* dicit: *Respiciens autem vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium, divites.* Nota, quod *gazophylacium* dicitur a gazis, id est divitiis, et phylasse, quod est servare; inde *gazophylacium*, locus, ubi erat repositorium pecuniae[4]. Accipitur autem *gazophylacium* aliquando pro *loco*, in quo reponebatur, sicut Nehemiae decimo[5]: « Levitae offerent decimam partem decimae in domo Dei ad gazophylacium in domo thesauri ». Aliquando pro *domo levitarum et sacerdotum;* Ezechielis quadragesimo secundo[6]: « Eduxit me in atrium exterius et induxit in gazophylacium, quod erat contra aedificium separatum »; et post: « Haec sunt gazophylacia sancta, in quibus vescuntur sacerdotes ». Aliquando accipitur pro *porticu,* in quo fiebant oblationes, sicut Ioannis octavo[7]: « Haec verba locutus est Iesus in gazophylacio, docens in templo ». Aliquando accipitur pro *ipsa arca,* quae servabat oblationes, desuper habens foramen, sicut hic; unde Glossa[8]: « Gazophylacium est arca, habens foramen desuper, in qua mittebant sacerdotes pecunias, quae congregabantur ad necessarios usus templi ». Et haec arca alio nomine dicebatur *musach;* sicut dicitur quarti Regum decimo sexto[9]: « Musach quoque Sabbati convertit in templum Domini propter regem Assyriorum ». Et hoc alio nomine dicebatur *corbona,* sicut Matthaei vigesimo septimo: « Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est ».

Munus multitudinis opulentae.

Quatuor sensus gazophylacti.

Oblatione ad duplicem finem.

2. In hoc autem mittebantur oblationes duplici ex causa: vel ad luminaria concinnanda, vel ad sarta tecta templi reparanda, secundum illud quarti Regum duodecimo[10]: « Omnem pecuniam sanctorum, quae illata fuerit in templum Domini, accipiant illam sacerdotes; et instaurent sarta tecta domus »; et post: « Tulit Ioiada gazophylacium unum aperuitque foramen desuper et posuit illud iuxta altare, ad dexteram ingredientium, mittebantque in eo sacerdotes omnem pecuniam, quae deferebatur ad templum Domini ». Huiusmodi autem oblationes triplici ex causa fiebant, scilicet ad *reverentiam cultus divini,* propter quod secundi Machabaeorum tertio[11]: « Cum civitas habitaretur in omni pace, fiebat, ut ipsi reges et principes locum summo honore dignum ducerent et templum maximis muneribus illustrarent ». Et propter *indulgentiam peccati;* Numerorum trigesimo

Ratio triplex.

[1] Vers. 13, cui subnectuntur Eccli. 1, 37. et 39. — Glossa *ordinaria* (ex Beda), exponens illud *simulantes longam orationem,* dicit: Quorum oratio fit in peccatum [cfr. Ps. 108, 7.], ut non solum pro aliis non possint intercedere, sed nec sibi ad salutem proficere, immo pro ipsis orationibus magis damnabuntur. *Hi accipient damnationem maiorem.* In hoc insinuat, illos etiam, qui *in angulis stantes orant, ut videantur ab hominibus* [Matth. 6, 5.], damnationem quidem mereri, sed istos maiorem.

[2] Vers. 13-29; cfr. supra pag. 295, nota 10. et pag. 304, nota 13. — Subinde alleguntur Apoc. 19, 20. et 21, ubi pro *coram ipso* C D G *coram ipsa.*

[3] Cfr. supra c. 20. n. 52.

[4] Beda, V. in Luc. 21, 1: Quia sermone Graeco φυλάσσειν *servare* dicitur, et *gaza* lingua Persica divitiae vocantur, *gazophylacium* locus appellari solet, quo divitiae servantur.

[5] Vers. 38. (liber *Nehemiae* idem est cum II. Esdr.) in cuius fine Vulgata *in domum thesauri.*

[6] Vers. 1. et 13; Vat. et codd. *vestiuntur* pro *vescuntur.*

[7] Vers. 20. Cfr. S. Bonav., Comment. in hunc loc. et Glossa *ordinaria* in Luc. 21, 1. apud Lyranum, quae sumta est ex Beda, III. in Marc. 12, 41, ubi etiam a Strab. similis Glossa *ordinaria* exhibetur, in qua tres significationes gazophylacii (scil. pro *loco* divitiarum, *arca* donariorum ad usum templi et pro *porticu)* occurrunt.

[8] Scilicet *ordinaria* apud Lyranum (cfr. nota praecedens), in qua C D G omittunt *pecunias,* pro quo II cum textu originali *donaria populi.*

[9] Vers. 18. — Sequitur Matth. 27, 6. Cfr. quae attulimus de *musach* et *corbona* tom. VI. pag. 359, nota 6.

[10] Vers. 4. seq. et dein v. 9.

[11] Vers. 1. seq.; pro *illustrarent* C D G *honorarent.*

primo[1]: « Ob hanc causam offerimus in donariis domus Domini, ut depreceris pro nobis ad Dominum ». — Item pro *gratiarum actione;* unde primi Paralipomenon ultimo: « Laetatus est populus Israel, cum vota sponte promitteret » etc.

Oblatio viduae pauperculae.

3. (Vers. 2.). Secundo quantum ad *oblationem viduae pauperculae* subdit: *Vidit autem et quandam viduam pauperculam mittentem duo aera minuta. Vidit,* inquam, oculo benignitatis, quo ad pauperes respicit, secundum illud Isaiae sexagesimo sexto[2]: « Ad quem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu et trementem sermones meos »? Talium audit Dominus preces; Psalmus: « Respexit in orationem humilium et non sprevit preces eorum »; et Ecclesiastici trigesimo quinto: « Nonne lacrymae viduae ad maxillam descendunt et a maxilla ascendunt usque ad caelum »? Talium suscipit quantumcumque parvas oblationes, quia, sicut dicit Glossa[3], « non perpendit Deus, quantum in sacrificio offertur, sed ex quanto detur ». Unde et Matthaei decimo: « Qui dederit uni ex minimis his calicem aquae frigidae, non perdet mercedem suam ». Ideo dicit Gregorius[4]: « Exteriora nostra quamlibet parva Deo sufficiunt; cor namque et non substantiam pensat »; et post: « Regnum caelorum tantum valet, quantum habes. Valuit namque Zachaeo dimidium bonorum, valuit Andreae et Petro dimissis retibus et navi, valuit viduae duobus minutis, valuit et alteri calicem aquae frigidae. Regnum itaque caelorum tantum valet, quantum habes ». — Et nota, quod in hoc quod dicit, quod misit duo aera minuta, simul *paupertatem* insinuat et *liberalitatem: paupertatem,* quia non habebat nisi duos obolos; *liberalitatem,* quia, cum posset alterum offerre, obtulit utrumque, ut impleret illud Tobiae quarto[5]: « Si exiguum tibi fuerit, etiam illud libenter impartiri stude ».

Notandum.

Laus oblationis a vidua factae.

4. (Vers. 3.). Tertio quantum ad *laudem oblationis a vidua factae* adiungitur: *Et dixit*[6]: *Vere dico vobis, quia vidua haec pauper plus quam omnes misit,* id est, copiosius dedit. Copiosius namque donat qui ex maiori corde donat. Unde Gregorius[7]: « Non est vacua manus a munere, cum arca cordis repleta fuerit bona voluntate ». De numero enim illorum erat haec vidua, de quibus secundae ad Corinthios octavo: « Secundum virtutem testimonium perhibeo illis, quia supra virtutem voluntarii fuerunt ». Unde Chrysostomus[8]: « Nullus dicat: Non possum eleemosynas facere. Non es vidua illa pauperior, non es Petro et Ioanne rusticior. Talenta uniuscuiusque sunt sive praeeminentia in doctrina, sive in pecunia, sive in quolibet negotio »; et post: « Nihil est ita Deo amicum, sicut ad communem utilitatem vivere ». Propter quod etiam primae Petri quarto[9]: « Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes ». Unde, sicut qui dimittit pauca in re et nihil vult habere in voluntate *omnia* dicitur dimittere, sicut Petrus, Matthaei decimo nono[10]: « Ecce, nos reliquimus omnia »; sicut qui nulli subiicitur *omnia* habet et abundat, quemadmodum Paulus, secundae ad Corinthios sexto: « Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes »; et ad Philippenses ultimo: « Habeo omnia et abundo »: sic qui magno corde dat dicitur *abundanter dare,* secundum illud secundae ad Corinthios octavo[11]: « In multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit, et altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis ».

Assignatio rationis et causae.

5. (Vers. 4.). Quarto quantum ad *assignationem rationis et causae* subiungit: *Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei;* et impleverunt *praeceptum* illud supra undecimo[12]: « Verumtamen quod superest date eleemosynam »; quo praecipitur dare *ex abundanti,* sicut Ioannes dicebat supra tertio: « Qui habet duas tunicas det unam non habenti ». — *Haec autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum, quem habuit, misit;* et sic implevit *consilium,* quia nihil sibi reservavit, sed totum dedit, ut mulier evangelica esse inciperet, implens illud consilium Domini, supra decimo octavo[13]: « Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes ». Iam non erat sollicita de crastino, sicut dicitur Matthaei sexto[14]: « Nolite solliciti esse in crastinum »; « sufficit diei malitia sua ».

Obiectio.

6. Sed videtur haec vidua ex hac ratione non esse laudanda, sed potius vituperanda, quia *medium*[15] non servavit, quia *periculo* se exposuit,

---

[1] Vers. 50. — Subinde allegatur I. Paralip. 29, 9, ubi pro *promitteret* Vat. cum Vulgata *promitterent.*

[2] Vers. 2. — Duo seqq. loci sunt Ps. 101, 18. et Eccli. 35, 18. seq.

[3] Scilicet *interlinearis* (ex Beda, qui sequitur Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 5. n. 2.); cfr. tom. II. pag. 906, nota 6. et pag. 929, nota 5. In ipsa post *ex quanto* Vat. addit *affectu.* — Sequitur Matth. 10, 42.

[4] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 5. n. 2. Pro *non substantiam* D *non libram.* Ibid. habetur etiam seq. sententia, in qua respiciuntur Luc. 19, 8. (de Zachaeo), Matth. 4, 20. (de Petro et Andrea), Luc. 21, 2. (de vidua) et Matth. 10, 42. (de calice aquae frigidae). Cfr. supra pag. 463, nota 4.

[5] Vers. 9; cfr. supra pag. 304, nota 12.

[6] Codd. A C D G omittunt *Et dixit.*

[7] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 5. n. 3. — Subinde allegatur II. Cor. 8, 3, ubi pro *perhibeo illis* [cfr. Col. 4, 13.], *quia* Vat. cum Vulgata *illis reddo et.*

[8] Homil. 78. (alias 79.) in Matth. n. 3, ubi etiam seq. sententia invenitur.

[9] Vers. 10.

[10] Vers. 27. — Duo seqq. loci sunt II. Cor. 6, 10. et Phil. 4, 18.

[11] Vers. 2. Cfr. Gregor., loc. cit. n. 3.

[12] Vers. 41. et deinde 3, 11.

[13] Vers. 22, ubi quidem eadem occurrit sententia, sed non verba, quae sumta sunt ex Matth. 19, 21.

[14] Vers. 34. Codd. A C D G: *Et de crastino quid solliciti estis?* Cfr. ibid. v. 28: Et de vestimento quid solliciti estis?

[15] Cfr. supra pag. 379, nota 4. — Subinde allegatur II. Cor. 8, 13. seq.

quia *ordinem caritatis* praetermisit, contra illud Apostoli: « Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex aequalitate. In praesenti tempore vestra abundantia illorum inopiae sit supplementum », secundae ad Corinthios octavo. — Sed ideo divino ore laudatur, quia spem ponens in Christo et divinum implens consilium, quia[1] Dei cultum praeferens suae privatae utilitati. Licet secundum hominem non videatur fuisse discreta eius eleemosyna, prudentissima tamen fuit, dum totum dando facta est imitatrix Christi, de quo secundae ad Corinthios octavo[2]: « Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis ». Ubi ergo Christus promittit stipendium, *non est periculum;* ubi dat exemplum, *non deseritur medium,* quia ipse est omnis perfectionis centrum; ubi approbat affectum, *caritatis ordo non perturbatur,* immo completur; quia, ut dicitur primae ad Corinthios decimo tertio[3], « caritas non quaerit quae sua sunt ».

Solutio.

Corollarium. — Ex his colligitur, quod non est vitium totum relinquere, sed perfectum, quia radix merendi principaliter respicit cordis affectum, et quia magis acceptat Deus fervorem cordis quam magnitudinem muneris. In cuius signum dicitur Genesis quarto[4]: « Respexit Dominus ad Abel et ad munera eius, ad Cain autem et ad munera illius non respexit ». Et ideo contra eum qui est malae voluntatis, de eleemosyna confidentem dicitur Ecclesiastici septimo[5]: « Non alliges tibi duplicia peccata », et: « Ne dicas: In multitudine munerum meorum respiciet Deus, et offerente me Deo altissimo, suscipiet munera mea»; quia, Ecclesiastici trigesimo quarto, « dona iniquorum non probat Altissimus », sed, quod dicitur in Psalmo, « sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum », usque ibi: « altare tuum vitulos ».

7. Haec secundum litteram dicta sunt; secundum *moralem* autem *intellectum* per hanc *viduam pauperculam,* quam benignissime respicit Dominus Iesus, intelligitur *anima,* quae recedit ab amore temporalium; quae ideo *vidua* dicitur, quoniam, quando mundo adhaesit, habuit virum, nunc quasi *vidua* et *paupercula* est: *vidua* quidem, quia sequestrata est a mundo quantum ad *affectum carnalitatis;* Psalmus[6]: « Viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius saturabo panibus ». Et haec vidua omnem suam delectationem ponit in Christo, secundum illud primae ad Timotheum quinto: « Quae vere vidua est et desolata speret in Deum et instet orationibus et obsecrationibus nocte ac die ». — Et haec *paupercula* est, quia sequestrata a mundo quantum ad *affectum terrenitatis;* de qua Isaiae quinquagesimo quarto[7]: « Paupercula tempestate convulsa, absque ulla consolatione ». Huiusmodi igitur est offerre Deo *duo aera minuta,* id est *mortificationem carnis,* in quantum est *vidua,* secundum illud Apostoli ad Romanos duodecimo[8]: « Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum »; et offerre *paupertatem spiritus,* in quantum est *paupercula;* primi Paralipomenon vigesimo secundo: « Ecce, in paupertate mea praeparavi impensas domus Domini ». De hoc duplici minuto offerendo secundae ad Corinthios septimo[9]: « Mundemus nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei ».

Expositio moralis.

8. Secundum autem *allegoricum intellectum* per *divites* intelliguntur Iudaei; unde Glossa[10]: « Divites, qui in gazophylacium munera mittunt, Iudaei sunt, qui de iustitia Legis sunt elati », secundum illud Apostoli ad Romanos decimo: « Dei ignorantes iustitiam et suam volentes statuere, iustitiae Dei non sunt subiecti ». — Per *viduam pauperculam* intelligitur Ecclesia de gentibus congregata; unde Glossa[11]: « *Vidua,* Ecclesia, pro qua vir eius pertulit mortem et in caeli penetralibus, quasi ab oculis eius occultus, quasi in parte alterius regionis vivit ». Ideo ad Ephesios quinto[12]: « Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae »; et post: « Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia ». Iudaeus ergo offert *ex abundantia* propter praesumtionem; unde Glossa[13]: « Iudaeus ex abundanti

Expositio allegorica.

[1] Vat. *et quia.* [2] Vers. 9.

[3] Vers. 5. — Superius pro *promittit* C D H *promisit,* et pro *deseritur* Vat. *discernitur.*

[4] Vers. 4. et 5. Cfr. S. Bonav., Qq. disp. de Perfectione evangelica (tom. V.) a. 1. seq.

[5] Vers. 8. et 11. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 34, 23. et Ps. 50, 19-21. — Superius pro *de eleemosyna confidentem* C D *et eleemosyna confidentem.* — Inferius pro *sed, quod dicitur in Psalmo* A C D *sed quid? illud.*

[6] Psalm. 131, 15. — Sequitur I. Tim. 5, 5.

[7] Vers. 11. — Pro *affectum terrenitatis* (ita C D) Vat. *effectum terrenitatis.*

[8] Vers. 1, post quem I. Paralip. 22, 14, ubi voci *impensas* C D praefigunt *omnes.*

[9] Vers. 1. — Theophylact. in Marc. 12, 41-44: « Gloria tibi, Christe, qui et parva gratiora saepe habes quam magna. Quaeso, ut etiam mea anima vidua talis sit, quae abiiciat satanam, cui adhaesit, et mittat in thesaurum sacrum duo minuta, carnem et mentem, ipsaque imminuat, continentia quidem carnem, humilitate vero mentem, ut et ego audiam, quod totam meam vitam consecrarim Deo, non relicta ulla cogitatione vel affectione huic mundo ». — Inter opera Hieron., Comment. in Marc. 12, 41. seqq.: Paupercula vero quae est nisi et ego et similes mei, qui mitto quod possum, et desidero quod non possum etc.

[10] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) apud Lyranum in Luc. 21, 1; similis exhibetur etiam a Strab. In Marc. 12, 41. — Sequitur Rom. 10, 3.

[11] Nempe *ordinaria* (de qua cfr. nota praecedens), in qua post *penetralibus* textus originalis omittit *quasi.*

[12] Vers. 25. seq. et 32.

[13] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 21, 4; in ipsa allegatur Luc. 18, 11. Cfr. supra c. 18. n. 24, ubi ostenditur, quod Pharisaeus Iudaicum populum designat.

mittit, qui de sua iustitia praesumens orat ita apud se: Deus, *gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum* », secundum illud supra decimo octavo, ubi agitur de Pharisaeo, qui designat populum Iudaeorum. Sed haec vidua offert *totum victum suum*, quia, ut dicit Glossa [1], « Ecclesia omnem victum in munera Dei mittit; quae omne, quod vivit, non sui meriti, sed divini muneris intelligit, dicens: *Deus, propitius esto mihi peccatori* ». *Offert* autem *duo minuta*, id est *fidem* et *caritatem*, vel *geminam fidem*, scilicet de *Divinitate* et *humanitate*, seu *geminam caritatem*, scilicet *Dei* et *proximi*, secundum illud Canticorum quarto [2]: « Omnes gemellis foetibus, et sterilis non est in eis ». Et haec *minuta* sunt propter humilitatem, sed Deo maxime accepta sunt; unde Glossa [3]: « Consideratione suae fragilitatis *minuta*, sed merito piae intentionis magis sunt accepta quam cuncta superbientium Iudaeorum opera », quia, Iacobi quarto [4], « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam ». — Epilogus. In hac igitur vidua commendatur sancta Ecclesia, commendatur nihilominus castitas, humilitas et paupertas, quae tria sunt consilia evangelica et perducunt animam ad perfectionem praecipuam, quae praecipue est a Christi discipulis eligenda.

**Informatio ad providentiam respectu futurorum.**

9. *Et quibusdam dicentibus de templo* etc. Postquam informavit discipulos ad cautelam malorum et ad eligentiam meliorum, hic tertio [5] informat eos ad *providentiam respectu futurorum*. Dividitur autem pars ista in quatuor partes. (Divisio in 4 partes.) In prima praedicit quae ventura sunt *generaliter*. In secunda, quae ventura sunt *circa persecutionem Ecclesiae*; ibi [6]: *Videte, ne seducamini* etc. In tertia, quae ventura sunt *circa destructionem Ierusalem*, ibi: *Cum autem videritis circumdari ab exercitu*. In quarta, quae ventura sunt *circa iudicium finale*, ibi: *Et erunt signa in sole et luna*.

In explicando autem *praedictionem futurorum in quadam generalitate* tria introducuntur, scilicet (De praedictione futurorum in generali tria.) *praedicendi occasio*, ex occasione *praedictio* et ex praedictione *subsequens quaestio*.

10. (Vers. 5.). Primo igitur quoad *occasionem praedicendi futura* dicit: (Occasio praedicendi.) *Et quibusdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus et donis ornatum esset, dixit*. Ad huiusmodi laudatores templi quantum ad permanentiam et opulentiam praedicendo futura respondit, ne confiderent in his transitoriis, quia, sicut dicitur ad Hebraeos decimo tertio [7], « non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus »; et ideo secundae ad Corinthios quarto: « Non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur temporalia sunt; quae autem non videntur aeterna ». Discipuli autem, nondum existentes spirituales, magnificabant templum quantum ad *soliditatem aedificii*; unde Marci decimo tertio [8]: « Cum egrederetur de templo, ait illi unus ex discipulis suis: Magister, aspice, quales lapides et quales structurae »! Magnificabant ipsum quantum ad *sublimitatem cultus Domini*, quia ornatum erat donis, quasi Deus semper in illo deberet coli. Et in hoc triplíciter fallebantur: (Discipuli fallebantur tripliciter.) et quia *parva magnificabant*, tanquam si essent magna, cum tamen dicatur Isaiae ultimo [9]: « Caelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Quae est ista domus, quam aedificabitis mihi? Et quis est iste locus requietionis meae? Omnia haec manus mea fecit, et facta sunt universa ista, dicit Dominus ». Et ideo sapientissimus Salomon tertii Regum octavo: « Si caelum et caeli caelorum te capere non possunt » etc. — Secundo, quia *corporalia et figuralia magnificabant* ut vera et spiritualia. Quocontra dicitur Actuum decimo septimo [10]: « Deus, qui fecit mundum et omnia, quae in eo sunt, hic, caeli et terrae cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat neque manibus humanis colitur, indigens aliquo », cum sit Deus. — Tertio fallebantur, quia *momentanea et caduca magnificabant*, quasi essent perpetua et aeterna, cum dicatur tamen primae ad Corinthios septimo [11]: « Praeterit enim figura huius mundi ».

11. (Vers. 6.). Secundo quantum ad *praedictionem introductam* ex occasione accepta subditur: (Ipsa praedictio.) *Haec quae videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur*. Hoc quidem generaliter dictum est et verum est pro *tempore finalis iudicii*, quando omnia destruentur, secundum illud Matthaei vigesimo quarto [12]: « Caelum et terra transibunt » etc.; et Apocalypsis vigesimo primo: « Primum caelum et prima terra abiit, et

---

[1] De qua vide notam praecedentem; allegatur in ipsa Luc. 18, 13.

[2] Vers. 2. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) apud Lyranum in Luc. 21, 1: Quae [vidua] in gazophylacium *minuta duo* mittit, quia in conspectum divinae maiestatis, ubi nostri operis oblationes quasi certo numero consignatae servantur, vel dilectionem Dei et proximi, vel fidei et operationis suae [Beda orationisque suae] munera defert.

[3] De qua in nota praecedente.

[4] Vers. 6. — Inferius pro *perfectionem praecipuam* (ita C D) Vat. *perfectionem perpetuam*.

[5] Cfr. supra c. 20. n. 52.

[6] Vers. 8; tertia pars incipit v. 20. et quarta v. 25.

[7] Vers. 14, post quem II. Cor. 4, 18, in quo pro *temporalia* A C D *corporalia*. — Glossa *ordinaria* (secundum Bedam) in Luc. 21, 5: Post oblationem viduae, in qua Ecclesia de gentibus signatur, destructio templi supponitur, ut velamento litterae occultantis recondita sacramenta Ecclesiae incipiant patescere. Curavit enim Deus etc. (cfr. infra n. 11.).

[8] Vers. 1. — Superius pro *existentes* C D *entes*, G *consistentes*, et pro *soliditatem* Vat. *solemnitatem*.

[9] Vers. 1. et 2, quibus subnectitur III. Reg. 8, 27.

[10] Vers. 24. et 25, ubi pro *indigens* A C D H *non indigens*.

[11] Vers. 31.

[12] Vers. 35, post quem Apoc. 21, 1. et Ps. 101, 27, ubi pro *permanebis* Vulgata *permanes*; cfr. tamen Hebr. 1, 11.

mare iam non est », ut in Psalmo: « Ipsi peribunt, tu autem permanebis » etc. Est etiam verum pro *destructione Ierusalem* specialiter, quae facta est a Tito et Vespasiano quadragesimo secundo anno post passionem Domini; supra decimo nono [1]: « Venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo et ad terram prosternent te et non relinquent in te lapidem super lapidem ». Unde Gregorius [2] dicit, quod illa Ierusalem cum templo funditus est eversa, et nova postmodum est reaedificata. Ratio autem, quare Dominus distulit per quadraginta duos annos, fuit, ut exspectaret illos ad poenitentiam, sicut dicitur secundae Petri tertio [3]: « Patienter agit propter vos, nolens aliquem perire ». Ratio autem, quare amplius non distulit, fuit propter Iudaeorum perfidiam obduratam, quae veritatem contemnebat propter velamen et umbram. Unde Glossa [4]: « Curavit Deus civitatem et templum et omnia figuralia subvertere, ne quis post adventum Christi ad illa recurreret ». Et pro illo tempore intelligitur illud Isaiae primo [5]: « Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus. Plenus sum ». « Ne offeratis ultra sacrificium frustra; incensum abominatio est mihi. Neomeniam et Sabbatum et festivitates alias non feram ». Et ideo ad Galatas quinto [6]: « State et nolite iterum iugo servitutis contineri. Ecce, ego Paulus dico vobis » etc.

Rationes.

12. (Vers. 7.). Tertio quantum ad *interrogationem subortam* ex praedictione audita subiungit: *Interrogaverunt autem illum dicentes: Praeceptor, quando haec erunt, et quod signum, cum fieri incipient?* Interrogaverunt autem non omnes, sed quatuor principales, scilicet Petrus, Iacobus, Ioannes et Andreas, quia erant ei familiares. Unde Glossa [7]: « Quia laudantibus aedificationes templi praedixerat omnia destruenda, discipuli, sicut Marcus ait, scilicet Petrus, Iacobus, Ioannes et Andreas, separatim quaerunt tempus et signa praedictae destructionis ». Et attendendum, quod dupliciter potest quis inquirere de temporibus futuris: *uno modo*, inquirendo diei finalis horam determinatam, et haec est quaestio *curiosa*, quia, sicut Matthaei vigesimo quarto [8] dicitur, « de die illa et hora nemo scit, neque Angeli caelorum, nisi solus Pater ». Et ideo discipulis quaerentibus, Actuum primo: « Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel »? responsum est: « Non est vestrum scire tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate ». Et ideo primae ad Thessalonicenses quinto: « De temporibus et momentis, fratres, non indigetis, ut scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet ». *Alio modo* potest quis inquirere in quadam generalitate et sine certi temporis significatione; et haec quaestio *studiosa* est. Nam huius ignorantia est periculosa; propter quod de Iudaeis, Ieremiae octavo [9]: « Turtur et hirundo et ciconia cognoverunt tempus adventus sui, populus autem meus » etc.; et supra duodecimo: « Hypocritae, faciem caeli et terrae nostis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis »? Et ideo Dominus quaerentes non reprehendit, sed eis satisfacit. Unde Gregorius [10]: « Dominus ac Redemptor noster perituri mundi praecurrentia mala denuntiat, ut eo minus perturbent venientia, quo fuerint praescita. Minus enim iacula feriunt, quae praevidentur; et nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra haec per praescientiae clypeum munimur ».

Subsequens quaestio.

Duplex modus inquirendi.

13. (Vers. 8.). *Qui dixit: Videte, ne seducamini* etc. Post praedictionem futurorum in quadam generalitate hic specialius descendit ad describendam persecutionem Ecclesiae [11]. Hanc autem describit dupliciter: primo *communiter respectu omnium*; secundo, *specialiter respectu perfectorum*, ibi [12]: *Sed ante haec omnia iniicient vobis manus suas.*

De praedictione speciali quoad persecutionem ponuntur duo.

In describendo autem persecutiones futuras in Ecclesia post passionem Christi introducuntur tria, ex quibus ostenditur persecutio Ecclesiae esse conflanda, scilicet *multiplicatio haeresis* [13], *aggravatio bellorum* et *superventio pestilentiarum.*

Persecutio omnium describitur triplex.

Primo ergo quantum ad *multitudinem haeresum* dicit: *Qui dixit: Videte, ne seducamini,* scilicet per varios errores; propter quod ad Ephesios quarto [14]: « Iam non simus sicut parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia

Quoad multitudinem haeresum.

---

[1] Vers. 43. et 44.

[2] Libr. II. Homil. In Evang. homil. 39. n. 1: Quod, flente Domino, illa Ierosolymorum subversio describatur, quae a Vespasiano et Tito Romanis principibus facta est, nullus, qui historiam eversionis eiusdem legit, ignorat... Hoc quoque, quod additur: *Non relinquent in te lapidem super lapidem,* etiam ipsa iam eiusdem civitatis transmigratio tesfatur, quia, dum nunc in eo loco constructa est, ubi extra portam fuerat Dominus crucifixus, prior illa Ierusalem, ut dicitur, funditus est eversa.

[3] Vers. 9. — Glossa *interlinearis* in Luc. 12, 6: *Venient dies, in quibus non relinquetur* etc.: Hoc quadragesimo secundo anno post passionem Domini factum est a Romanis. Cfr. Hieron., III. Comment. in Isai. 6, 4. et Raban., VII. Comment. in Matth. 24, 1. — Pro *quadraginta duos* C D H *quadraginta.*

[4] Scilicet *ordinaria* (secundum Bedam; cfr. Hieron., IV. Comment. in Matth. 24, 1.) in Luc. 21, 5.

[5] Vers. 11. et 13. — Superius pro *intelligitur* A C D *intelligit.*

[6] Vers. 1. et 2.

[7] Scilicet *ordinaria* (ex Beda), in qua allegatur Marc. 13, 3. seq.

[8] Vers. 36. — Sequuntur Act. 1, 6. et 7, post quos I. Thess. 5, 1. seq.

[9] Vers. 7. (ubi pro *cognoverunt* Vat. cum Vulgata *custodierunt)* et deinde Luc. 12, 56.

[10] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 35. n. 1.

[11] Vide supra n. 9.

[12] Vers. 12.

[13] Cod. H (C D a secunda manu) *haeresum.* Superius pro *Christi* G *Domini.*

[14] Vers. 14, post quem II. Thess. 2, 1-3. (pluribus tamen omissis).

hominum, in astutia ad circumventionem erroris »; sicut secundae ad Thessalonicenses secundo: « Rogamus vos, ut non cito moveamini a vestro sensu; ne quis vos seducat ullo modo ». Et bene opus erit cautela, praecipue propter seducentium improbitatem.

14. Et ideo subdit: *Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Quia ego sum*, praedicando

Multi haeresiarchae per omnia tempora.

scilicet haereses tanquam haeresiarchae. *Multos* quidem dicit propter multitudinem et varietatem haeresum, quae a principio Ecclesiae inceperunt et in fine Ecclesiae per filium perditionis vigebunt. Unde Glossa [1]: « Imminente Ierosolymorum excidio, multi fuerunt principes, qui se Christos dicerent et libertatis tempus appropinquare. Temporibus quoque Apostolorum haeresiarchae multi prodierunt ». Unde primae Ioannis quarto [2]: « Multi pseudoprophetae exierunt in mundum ». Inter hos fuit primus Simon

Simon Magus.

magus, qui dicebat et in suis voluminibus scriptum reliquit, ut dicit Hieronymus [3]: « Ego sum speciosus, ego sum paracletus, ego sum omnipotens, ego sum sermo Dei ». Unde Actuum octavo: « Vir quidam erat, nomine Simon, dicens, se esse aliquem magnum; cui auscultabant omnes a minimo usque ad maximum, dicentes: Hic est virtus Dei, quae vocatur magna ». Refert etiam Iosephus [4], Simonem Es-

Simon Essaeus aliique.

saeum fuisse in campis Iezrahel, qui praedicabat, se esse Christum. Legitur etiam [5], quod cum essent filii Herodis Romae et ibi disceptarent de regno, erant quatuor in Iudaea, quorum unusquisque se

Manichaeus. Mahometus. Antichristus.

Christum praedicabat. Manichaeus etiam dixit, se esse Spiritum sanctum [6]. Mahometus etiam dixit, se esse aliquem magnum. Et finaliter post omnes sequetur impius antichristus, qui erit omnium malorum caput, de quo secundae ad Thessalonicenses secundo [7]: « Tunc revelabitur ille iniquus, cuius adventus erit secundum operationem satanae, in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus et in omni seductione iniquitatis his qui pereunt, eo quod caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent ». Unde Chrysostomus [8]: « Homo circa mortem phantasias videt, sic et mundus in exitu suo multos patitur errores ». — Sed quia post istos errores illucescet veritas, ideo subdit: *Et tempus appropinquabit* [9], scilicet cognoscendae veritatis; de quo tempore primae ad Corinthios quarto: « Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum »; Psalmus: « Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo ». — Et ideo addit: *Nolite ergo ire post illos* [10], per approbationem falsitatis, secundum illud Proverbiorum primo: « Fili mi, ne ambules cum eis. Pedes enim eorum ad malum currunt » etc. Vadunt autem post *Simo-*

Notandum.

*nem* omnes simoniaci, post *Mahometum* omnes luxuriosi, post *antichristum* omnes superbi et ambitiosi; quia omnes tales sunt adversarii Christi, et multi sunt. Ideo primae Ioannis secundo [11]: « Filioli mei, novissima hora est; et sicut audistis, quia antichristus venit; nunc autem antichristi multi facti sunt ». Sed tales non sunt imitandi; propter quod Psalmus: « Noli aemulari in malignantibus »; et post: « Quoniam tanquam foenum velociter arescent ».

Quoad aggravationem bellorum.

15. (Vers. 9.). Secundo quantum ad *aggravationem bellorum* subdit: *Cum autem audieritis proelia et seditiones, nolite terreri.* Sicut enim non est *errantium dolositas* subsequenda, sic non est *bellantium improbitas* formidanda, maxime viris

Non sunt formidanda.

iustis; unde Matthaei decimo [12]: « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere »; quoniam vir iustus per proelia non perdit quod amat, et ideo huiusmodi proelia non formidat; Proverbiorum vigesimo octavo: « Fugit impius, nemine persequente; iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit ». Unde Chrysostomus [13]:

---

[1] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 21, 8.

[2] Vers. 1.

[3] Libr. IV. Comment. in Matth. 24, 5: Quorum unus est Simon Samaritanus, quem in Actibus Apostolorum [8, 9. seq.] legimus, qui se magnam dicebat esse Dei virtutem, haec quoque inter cetera in suis voluminibus scripta dimittens: Ego sum sermo Dei, ego sum speciosus, ego paracletus, ego omnipotens, ego omnia Dei. — Subinde allegatur Act. 8, 9. seq.

[4] Card. Hugo in Luc. 21, 8: « Refert etiam Iosephus, alium Simonem fuisse in campis Iezrael, qui praedicabat, se esse Christum et in proximo liberaturum Iudaeam a tributo Romanorum ». Flav. Ioseph., XVII. Antiq. Iud. c. 13. n. 3. et II. de Bello Iud. c. 2. n. 3, recenset *Simonem Essaeum*, de quo hoc solum narratur, quod ipse somnium Archelai ethnarchae interpretatus sit. Libr. XX. Antiq. Iud. c. 5. n. 2, Iosephus mentionem facit *Simonis*, qui cum fratre suo Iacobo crucifixus est iussu Tiberii Alexandri. Iste Simon fuit filius Iudae Galilaei, qui secundum Iosephum (II. de Bello Iud. c. 8. n. 1; cfr. XVIII. Antiq. Iud. c. 2. n. 1. et 6.) « ad defectionem indigenas excitabat, ignavos dicens, si Romanis tributum pendere sustinerent et post Deum mortales dominos agnoscerent. Erat autem hic propriae sectae sophista, nulla in re aliis similis ». Vide supra pag. 336, notam 5. Petr. Comestor. Histor. scholast. in Act. Apost. c. 29. ait: Iste Iudas Galilaeus fuit *Essaeus* genere. Praeter hunc Iudam Galilaeum B. Albert., in Matth. 24, 5, affert etiam Theodam, de quo Act. 5, 36, quem Iosephus (XX. Antiq. Iud. c. 5. n. 1.) vocat praestigiatorem. Cfr. supra c. 13. n. 2. in fine.

[5] Idem refert Card. Hugo, loc. cit.

[6] Cfr. supra pag. 439, nota 1. — Dogma Mahometi notum est: Praeter Deum nullus Deus, et Mahometus est legatus ipsius.

[7] Vers. 8-10. — Ambros., X. in Luc. c. 21. n. 9: Interrogatus Dominus... de signis docet, de tempore non putat intimandum.

[8] Iam supra pag. 439, nota 6. allegatus.

[9] Ita etiam B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 21. n. 2.) et Gorranus; Vat. cum Vulgata *appropinquavit.* — Duo seqq. loci sunt I. Cor. 4, 5. et Ps. 74, 3.

[10] Ita etiam Beda, Card. Hugo et S. Thom. (loc. cit.); Vat. cum Vulgata *eos.* — Subinde allegatur Prov. 1, 15. seq.

[11] Vers. 18. — Sequuntur Ps. 36, 1. et 2.

[12] Vers. 28. et subinde Prov. 28, 1. — Superius Vat. omittit *sic non est bellantium improbitas formidanda.*

[13] Homil. 48. in Matth. 24, 6. (Op. Imperfect.). Post *extra mundum* textus originalis plura addit.

« Sancti viri in auditione sive corporalium, sive spiritualium proeliorum imperturbabiles permanent, quia ea quae sunt in mundo, non possunt nocere eis qui sunt extra mundum; sicut qui est in tabernaculo sonum quidem tempestatis audit, flatum autem non sentit ». Ideo Proverbiorum duodecimo [1]: « Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit ». Non sunt igitur haec formidanda, quia non sunt *nociva*. — Non sunt etiam formidanda, quia sunt *opportuna;* ideo addit: *Oportet, primum haec fieri, sed nondum statim finis.* Chrysostomus [2]: « Non potest esse signum, quod semper fuit in usu. Nam bella haec corporalia semper fuerunt et erunt ». Quamdiu enim regnat concupiscentia, oportet, quod sint lites et bella; Iacobi quarto [3]: « Unde bella et lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis, quae militant in membris vestris »? Permittit autem Dominus, haec fieri ad subversionem malorum et exercitationem bonorum, ut sic appareat illud Iob septimo [4]: « Militia est vita hominis super terram ». Et ideo ille bonus miles dicebat secundae ad Corinthios septimo: « Cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnae, intus timores ». Nam Ioannis decimo sexto: « In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum ».

Alia ratio.

16. (Vers. 10. 11.). Tertio quantum ad *superventionem pestilentiarum* subiungit: *Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum.* Gregorius [5]: « Ecce, perturbatio hominum »; *et terraemotus magni erunt per loca,* « ecce, respectus irae desuper »; *et pestilentiae,* « ecce, inaequalitas corporum »; *et fames,* « ecce, sterilitas terrae »; *terroresque de caelo,* « ecce, inaequalitas aëris »; *et signa magna erunt,* non solum quia multa, sed etiam quia insolita. — Huiusmodi autem signa magna et multa praecesserunt eversionem Ierosolymorum, secundum quod narrat Iosephus [6], qui dicit, « stellam gladio similem per annum supra Ierusalem pependisse, et currus et equites armatos quadraginta diebus in aëre debellasse, et vitulam inter manus immolantium peperisse agnam ». Et haec signa magna praecesserunt eversionem secundam Ierusalem, sicut praecesserant destructionem ipsius factam sub Antiocho; secundi Machabaeorum quinto [7]: « Contigit, per universam Ierosolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aëra equites discurrentes, auratas stolas habentes, et congressiones fieri cominus et scutorum motus et telorum iactus et aureorum splendorem armorum omnisque generis loricarum ».

Quoad superventionem pestilentiarum.

Haec praecesserunt eversionem Ierosolymorum.

17. Haec multiformis et pestilentialis turbatio, licet secundum partes aliquando fuerit in Ecclesia, sicut Gregorius [8] narrat, plene tamen erit in finali tribulatione, qua imminente, erit *perturbatio hominum* et *elementorum.* Nam perturbatio *hominum* erit, secundum illud Isaiae decimo nono [9]: « Concurrere faciam Aegyptios adversus Aegyptios, et pugnabit vir contra fratrem suum et vir contra amicum suum et civitas adversus civitatem et regnum adversus regnum »; et Zachariae octavo: « Dimisi omnes homines, unumquemque contra proximum suum ». Nec tantum erit perturbatio hominum, verum etiam *elementorum.* Unde Gregorius [10]: « Prius corda hominum et post elementa turbabuntur, ut, cum rerum ordo confunditur, ex qua re tribulatio veniat, monstretur ». Turbabuntur ergo elementa, secundum illud Isaiae vigesimo quarto [11]: « Cataractae de excelsis apertae sunt, et concutientur fundamenta terrae. Confractione confringetur terra » etc. Et Gregorius [12]: « Omnia, quae ad usum vitae accepimus, vertimus in culpam: tranquillitatem humanae pacis in securitatem, peregrinationem viae pro habitatione dileximus patriae, salutem corporum redegimus in usum vitiorum, ubertatis abundantiam non ad necessitatem carnis, sed ad perversitatem intorsimus voluptatis; serenitatem aëris coegimus nobis servire ad amorem terrenae delectationis. Iure ergo nos omnia feriunt, ut, quot in mundo habuimus gaudia, tot postmodum sentiamus tormenta ». Et hoc quidem recte, quia, Sapientiae undecimo [13], « per quae peccat quis, per haec et torquetur »; et iterum Sapientiae quinto: « Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos »; et ideo Sapientiae decimo sexto: « Creatura, tibi Factori deserviens, exardescit in tormentum adversus iniustos; et lenior fit

Item, finalem tribulationem.

Perturbatio hominum.

Item, elementorum.

---

[1] Vers. 21. — Inferius e codd. supplevimus *quia non sunt nociva. Non sunt etiam formidanda.*

[2] Homil. 48. in Matth. 24, 4. (Op. imperfect.): Item, si voluerimus haec signa tantum corporaliter intelligere, non proficiunt ad manifestationem consummationis mundi. Nam et bella haec corporalia semper fuerunt et semper erunt, et fames aut terraemotus carnales semper fuerunt. Non potest autem esse in signum alicuius rei futurae quod semper fuit in usu; sed quod novum fit, illud dicitur signum.

[3] Vers. 1.

[4] Vers. 1. — Duo seqq. loci sunt II. Cor. 7, 5. et Ioan. 16, 33.

[5] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 35. n. 1.

[6] Libr. VI. de Bello Iud. c. 5. n. 3. Sententia Iosephi exhibetur verbis Glossae *ordinariae* (ex Beda) in Luc. 21, 11.

[7] Vers. 2. et 3.

[8] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 1. n. 1. et II. homil. 35. n. 1.

[9] Vers. 2, post quem Zachar. 8, 10. A C D *Divisi.*

[10] Libr. II. Homil. in Evang., homil. 35. n. 2, ubi pro *ex qua re tribulatio* (ita etiam Card. Hugo) textus originalis *ex qua iam retributione* (ita etiam D a secunda manu, omisso tamen *iam),* G *ex qua tribulatio et retributio,* Vat. *ex quo retributio.*

[11] Vers. 18. et 19.

[12] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 35. n. 1. Pro *peregrinationem viae* (C G H *vitae)* textus originalis *peregrinationem terrae* (D a secunda manu *viae vel terrae).*

[13] Vers. 17. et subinde 5, 21. (cfr. paulo inferius verba Gregorii et supra pag. 421, nota 3.) et 16. 24.

ad benefaciendum pro his qui in te confidunt ». Unde et ipse Gregorius [1] dicit: « Quia omnia consummanda sunt, ante consummationem omnia perturbabuntur; et qui in cunctis deliquimus in cunctis ferimur, ut impleatur quod dictum est: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos* », Sapientiae quinto.

Persecutio specialis perfectorum describitur quoad duo.

18. *Sed ante haec omnia iniicient vobis* etc. Postquam persecutionem Ecclesiae descripsit communiter respectu omnium, hic *specialiter describit in persona perfectorum* [2]. Describitur autem hic duplex persecutio contra Apostolos et apostolicos viros: primo *publica*, deinde *privata*, ibi [3]: *Trademini autem a parentibus* etc.

De publica persecutione tanguntur tria.

Circa *publicam persecutionem virorum sanctorum*, scilicet Apostolorum et suorum imitantium, explicandam introducuntur tria, scilicet persecutionis *pugna*, persecutionis *causa* et tribulatorum *victoria aperta*.

Persecutionis pugna.

19. (Vers. 12.). Primo igitur quantum ad *persecutionis pugnam* dicit: *Sed ante haec omnia iniicient vobis manus suas. Ante*, scilicet tribulationem finalem, in qua tribulabuntur omnes, praecedit persecutio impiorum exagitata contra viros perfectos.

Persecutorum violentia.

In qua quidem persecutione ex parte impiorum erit *violentia*; ideo dicit: *Iniicient vobis manus;* Actuum quinto [4]: « Exsurgens princeps sacerdotum et omnes, qui cum illo erant, quae est haeresis Sadducaeorum, repleti sunt zelo et iniecerunt manus in Apostolos et posuerunt eos in custodia publica ». — Erit etiam

Iniuria.

*iniuria* cum violentia; et ideo addit: *Et persequentur, tradentes in synagogas et custodias;* Actuum sexto [5]: « Commoverunt plebem et seniores et scribas, et concurrentes rapuerunt Stephanum et adduxerunt in concilium ». — Erit etiam cum hoc *simulata iustitia;* propter quod subdit: *Trahentes ad* [6] *reges et praesides propter nomen meum,* quasi iniquum sit praedicare Crucifixum; Actuum quinto: « Cum adduxissent Apostolos, statuerunt in concilio. Et interrogavit eos princeps sacerdotum dicens: Praecipiendo praecepimus vobis, ne doceretis in nomine isto; et ecce, replestis Ierusalem doctrina vestra et vultis inducere super nos sanguinem hominis istius »; et Actuum decimo septimo: « Zelantes Iudaei et assumentes de vulgo viros quosdam malos, et turba facta, concitaverunt civitatem et trahebant Iasonem et quosdam fratres ad principes civitatis, clamantes: Quoniam hi sunt, qui orbem concitant et huc venerunt. Et hi omnes contra decreta Caesaris faciunt, regem alium dicentes esse Iesum ». Haec autem persecutio desaeviit contra Apostolos et suos etiam sequaces ab adversariis nominis Christi; secundae ad Timotheum tertio [7]: « Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, persecutiones, passiones, qualia facta sunt mihi Antiochiae, Iconii, Lystris ». « Et ex omnibus eripuit me Dominus. Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur ». Unde Augustinus in sermone de Innocentibus [8]: « In Scripturis sanctis, bonos et iustos viros semper persecutionem malorum sustinuisse, cognoscimus », quia, ut dicit Gregorius, « Abel esse renuit quem Cain malitia non exercet ».

Simulata iustitia. — Notandum.

Persecutionis causa.

20. (Vers. 13.). Secundo quantum ad *persecutionis causam* subdit: *Continget autem vobis in testimonium, dilectionis divinae;* ad Hebraeos duodecimo [9]: « Quem diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseverate. Tanquam filiis vobis se offert Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quodsi extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes; ergo adulteri et non filii estis »; Iudith octavo: « Memores esse debetis, quomodo pater noster Abraham, tentatus et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est ». — *Continget* etiam *in testimonium virtutis propriae.* Propter quod Genesis vigesimo septimo [10]: « Accede huc, ut tangam te, fili mi, et probem, utrum tu sis filius meus, an non ». Unde et Iob secundo dixit satan ad Dominum: « Mitte manum tuam et tange os eius et carnem, et tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi. Dixitque Dominus ad satan: Ecce, in manu tua est. Egressus igitur satan a facie Domini, percussit Iob ulcere pessimo »; et ad Romanos quinto: « Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem ». — *Contingent* etiam *in testimonium damnationis alienae.* Unde Glossa [11]: « Mors iustorum bonis est in adiutorium, malis in testimonium, ut inde perversi sine excusatione pereant, unde electi exemplum capiunt, ut vivant ». Unde Sapientiae quarto [12]: « Condemnat autem iustus mortuus vivos impios, et iuventus celerius consummata longam vitam iniusti »; et ideo primae Petri quarto:

Testimonium primum. — Secundum. — Tertium.

---

[1] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 35. n. 1; in fine allegatur Sap. 5, 21.

[2] Cfr. supra n. 13.

[3] Vers. 16.

[4] Vers. 17. et 18.

[5] Vers. 12.

[6] Codd. C D II *ante.* — Subinde allegantur Act. 5, 27. seq. et 17, 5-7, ubi pro *orbem* (cfr. Translat. ex Syriac.) Vulgata *urbem.*

[7] Vers. 10-12.

[8] Nunc in Appendic. Serm. 220. (alias 10. de Sanctis et post 72. In Appendice) n. 2. — Sententia Gregorii habetur XX. Moral. c. 39. n. 75. et II. Homil. in Evang. homil. 38. n. 7; cfr. I. Homil. in Ezech. homil. 9. n. 22. Vide tom. VI. pag. 132, notam 9.

[9] Vers. 6-8. et deinde Iudith 8, 22, in quo pro *debetis* Vat. cum Vulgata *debent.*

[10] Vers. 21. — Sequuntur Iob 2, 5-7. et Rom. 5, 3. seq.

[11] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 35. n. 2.) in Luc. 21, 13. Post *testimonium* Vat. cum Glossa addit *damnationis,* quod codd. cum Gregorio et Beda omittunt; pro *ut inde* non pauci codd. perperam *unde.*

[12] Vers. 16, post quem I. Petr. 4, 17.

« Tempus est, ut incipiat iudicium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis illorum qui non credunt Dei Evangelio »? — *Contingget* etiam *in testimonium veritatis praedicatae;* nam *martyr* testis dicitur, et martyrium testimonium est veritatis; Apocalypsis sexto [1]: « Vidi sub altari animas interfectorum propter verbum Dei et propter testimonium, quod habebant ». Et haec Martyrum sanctorum testimonia credibilem faciunt fidem christianam; Psalmus [2]: « Testimonia tua credibilia facta sunt nimis », propter mortem praedicantium. Unde et Actuum decimo: « Praecepit nobis praedicare populo et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum ».

Quartum.

Tribulatorum victoria.

21. (Vers. 14.). Tertio quoad *tribulatorum victoriam* subiungit: *Ponite ergo in cordibus vestris non praemeditari, quemadmodum respondeatis,* per investigationem propriam, quia, secundae ad Corinthios tertio [3], « non quod simus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est »; Psalmus: « Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt ».

Duplex donum.

Sapientia datur.

22. (Vers. 15.). *Ego enim dabo vobis os et sapientiam,* per inspirationem internam; Matthaei decimo [4]: « Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis ». Hic autem Spiritus Domini dat *sapientiam* et dat *eloquentiam: sapientiam in corde,* secundum illud Ioannis decimo sexto [5]: « Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem »; ideo Iob trigesimo secundo: « Spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam ». Et ratio huius redditur primae ad Corinthios secundo [6]: quia « Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quae sunt in homine, nisi spiritus hominis, qui est in ipso? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei ». Et ideo Sapientiae nono: « Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis »? — Dat similiter *eloquentiam in sermone* per sapientiam; unde Sapientiae decimo [7]: « Sapientia aperuit os mutorum et linguas infantium fecit disertas »; ideo Exodi quarto: « Quis fecit os hominis? Aut quis fabricatus est mutum et surdum, videntem et caecum? Perge igitur, et ego ero in ore tuo et docebo te, quid loquaris ». Et ideo Isaiae sexagesimo tertio: « Ego, qui loquor iustitiam et propugnator sum ad salvandum ». — Et quia [8] « sapientiam non vincit malitia », ideo subdit: *Cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri,* per cavillationem fraudulentam; Exodi decimo quarto [9]: « Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis ». Huic forti bellatori nullus resistere potest; Psalmus: « Tu terribilis es, et quis resistet tibi »? et Iob nono: « Quis restitit ei et pacem habuit »? Nullus ergo resistit, qui non vincatur a discipulis propter veritatis annuntiationem; quia dicitur tertii Esdrae quarto [10]: « Et veritas manet et invalescit in aeternum et vivit in saecula saeculorum »; et Apocalypsis duodecimo de antichristo dicitur: « Ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni et propter verbum testimonii sui, et quia non dilexerunt animas suas usque ad mortem ».

Eloquentia datur.

Adiungitur fortitudo.

Obiectio.

23. Sed contrarium dici videtur Apocalypsis undecimo [11]: « Dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis »; et post: « Cum finierint testimonium suum, bestia, quae ascendit de abysso, faciet adversum eos bellum et vincet eos ». — Sed hoc non est contrarium, quia, licet veritas ad tempus prosternatur, oportet tamen, quod resurgat. Unde ibidem [12]: « Post dies tres et dimidium spiritus vitae a Deo intravit in eos. Et steterunt super pedes suos, et timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos ». « Et in illa hora factus est terraemotus magnus, et decima pars civitatis cecidit ».

Solutio.

De privata persecutione tanguntur tria.

24. (Vers. 16. 17.). *Trademini autem a parentibus* etc. Postquam descripsit perfectorum persecutionem publicam, hic describit *privatam* [13]; circa quam introducuntur tria, scilicet *domestica pugna, superna tutela* et *interna armatura.*

Domestica pugna.

Tres gradus passionis.

Primo ergo quantum ad *domesticam pugnam* dicit: *Trademini autem a parentibus et fratribus et cognatis et amicis;* et hoc quidem durissimum erit. *Durum* quidem est *tradi ab amico et cognato,* secundum illud Psalmi [14]: « Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos » etc. *Durius* est *tradi a fratre proprio;* Michaeae septimo [15]: « Omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur. Malum manuum suarum dicunt bonum ». Sed *gravissimum* est *pati a genitore suo;* Zachariae decimo tertio [16]: « Configent eum pater eius et

Notandum.

---

[1] Vers. 9. — August., Enarrat. in Ps. 118. serm. 9. n. 2: Testimonia Graece *martyria* nuncupantur, quo verbo iam utimur pro Latino. Unde illos qui propter testimonium Christi diversis passionibus humiliati sunt et usque ad mortem pro veritate certarunt, non *testes,* quod Latine utique possemus, sed Graece *martyres* appellamus.

[2] Psalm. 92, 5, cui subnectitur Act. 10, 42.

[3] Vers. 5. et deinde Ps. 93, 11. Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 35. n. 3.

[4] Vers. 20.

[5] Vers. 13, post quem Iob 32, 8.

[6] Vers. 10. seq. — Subinde allegatur Sap. 9, 17.

[7] Vers. 21. — Duo seqq. loci sunt Exod. 4, 11. seq. et Isai. 63, 1.

[8] Ut dicitur Sap. 7, 30.

[9] Vers. 14. — Sequuntur Ps. 75, 8. et Iob 9, 4.

[10] Vers. 38, cui subiungitur Apoc. 12, 11.

[11] Vers. 3. et deinde v. 7.

[12] Vers. 11. et 13.

[13] Cfr. supra n. 18.

[14] Psalm. 54, 13-15.

[15] Vers. 2. et 3.

[16] Vers. 3.

mater eius, genitores eius, cum prophetaverit ». Et haec quidem tribulatio valde est dura; unde Glossa [1]: « Maius tormentum est, cum aliquis ab illis patitur, de quibus praesumebat, quia cum damno corporis mala cruciant amissae caritatis ». Et ideo Ieremiae nono [2]: « Unusquisque a proximo se custodiat et in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet. Et vir fratrem suum deridebit, et veritatem non loquentur ». — Et quia hoc odium erit pessimum, ideo subdit: *Et morte afficient ex vobis, et eritis odio omnibus hominibus* [3] *propter nomen meum;* Ieremiae decimo quinto: « Vae mihi! mater mea; quare genuisti me virum rixae, virum discordiae in universa terra? Omnes maledicunt mihi ».

25. Ratio autem odii huius est duplex: prima est *discordia voluntatum.* Ideo Ioannis decimo quinto [4]: « Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero non estis de mundo, propterea odit vos mundus ». Nam, sicut dicitur Iacobi quarto, « amicitia huius mundi inimica est Deo » etc. — Alia ratio est *perfidia animorum,* secundum illud Ioannis decimo sexto [5]: « Venit hora, in qua omnis, qui interficit vos, putabit, se obsequium praestare Deo. Et haec facient vobis, quia non noverunt Patrem neque me ». In hoc mira notatur perfidia animorum, quod ex nulla alia causa persequentur viros iustos, nisi quia Christi nomen credunt, amant, praedicant et sequuntur; et ideo dicit: *propter nomen meum.* Et haec [6] fuit causa, propter quam fratres Ioseph oderunt eum; unde dicit Chrysostomus: « O nefanda rabies iniquorum! Non licet Ioseph, non licet, inquam, impunitum esse qui bonus est, non licet, meliorem tutum esse cum malis! Et quasi invidi aliquid perdant, aut dispendium alicuius rei incurrant; sic bonorum vita detrimentum est pessimorum. Zelant modestum superbi, mansuetum invidi, probum improbi, mitem tumidi inimica aemulatione lacessunt. Bonum mali videre non possunt. Nolunt, meliorem se vivere, ne degeneres ipsi possent improperia sustinere. Cur innocentem zelas, inimica fraternitas? Cur invides bono? Cur pati simplicem non potes? Cur modestum persequeris? Cur probum non diligis? Cur rea innocentis sanguinis inveniris? Saltem distractus aliquatenus vivat, ne in te accusator innocens sanguis, ut in Cain [7], aliquando exsistat. Serva tibi, serva, inimica fraternitas, vivum quem sentias aliquando placatum; serva incolumem quem necessitatis tempore invenias provisorem [8] ».

Ratio odii prima.

Secunda.

26. (Vers. 18.). Secundo quantum ad *supernam tutelam* subdit: *Et capillus de capite vestro non peribit;* quod tripliciter exponitur: primum quidem, quia divina providentia curam de omnibus agit et nihil perire sinit; supra duodecimo [9]: « Nonne quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo? Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus pluris estis vos ». — Secundo, quia divina potentia nullam sinet perire particulam; unde Augustinus in Enchiridio [10]: « Non perit Deo terrena materies, de qua mortalium creaturarum caro; sed in quemlibet pulverem cineremve solvatur, in quoslibet halitus aurasque diffugiat, in quamcumque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcumque animalium, etiam hominum cibum cedat carnemque mutetur, illi animae in puncto temporis redit, quae ipsam primitus, ut homo fieret, cresceret, viveret, animavit ». — Tertio, quia in omnibus his tribulationibus non incurrunt laesionem vel modicam; in cuius figura Danielis tertio [11]: « Sidrach, Misach et Abdenago de medio ignis egressi sunt. Et satrapae contemplabantur viros illos, quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, et capillus capitis eorum non esset adustus, et odor ignis non transisset per eos ». Et ideo dicitur primae Petri tertio: « Et quis est, qui vobis noceat, si boni aemulatores fueritis »? Et in hoc mira apparet Dei super iustos protectio; unde Chrysostomus [12]: « Mira Christi virtus et fortitudo Apostolorum. A gentibus habebantur odio ut Iudaei, a Caesare eiiciebantur ut seditiosi, a Iudaeis lapidabantur ut Legis inimici. Contra Apostolos omnes proeliabantur: princeps, dux, idiota et plebs. Infinita millia

Superna tutela.

Expositio prima.

Secunda.

Tertia.

[1] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 35. n. 3.) in Luc. 21, 16.

[2] Vers. 4. et 5.

[3] Ita etiam Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 21. n. 4.), et Lyranus; Vat. cum Vulgata omittit *hominibus.* — Sequitur Ier. 15, 10, ubi pro *quare genuisti* C D G *ut quid genuisti.*

[4] Vers. 19. et deinde Iac. 4, 4.

[5] Vers. 2. seq. — Inferius pro *quod ex nulla* C D H *quia ex nulla,* et pro *persequentur* Vat. *persequitur,* quae etiam vocibus *Christi nomen credunt* praefigit *in* et omittit *et sequuntur.*

[6] Scilicet *perfidia animorum.* — Respicitur Gen. 37, 4. seqq., ubi narratur causa, propter quam fratres Ioseph oderunt eum et vendiderunt Ismaelitis. — Sententia Chrysostomi habetur in Sermone *de Ioseph, ubi a fratribus venditur* (Op. Chrysost. Venetiis 1583 tom. 1. fol. 187. A. et fol. 188.). Textus originalis pro *qui bonus est* substituit *quod bonus est* et post *lacessunt* plura addit; codd. A C D omittunt *mansuetum invidi, probum improbi.*

[7] Gen. 4, 10: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.

[8] Cfr. Gen. c. 42-45.

[9] Vers. 6. et 7.

[10] Cap. 88. n. 23. Textus originalis, quem sequitur Vat., pro *creaturarum caro* substituit *creatur caro* et pro *illi animae in puncto temporis* ponit *illi animae humanae puncto temporis.* Codd. A C D H omittunt *in quorumcumque... mutetur* et in fine legunt *quae ipsam, ut homo primitus fieret, cresceret* etc. Cfr. IV. Sent. d. 44. p. 1. per totam et Breviloq. p. VII. c. 5.

[11] Vers. 93. seq. — Subinde allegatur I. Petr. 3, 13. — Superius pro *vel modicam* C D G *permodicam.*

[12] Homil. 75. (alias 76.) in Matth. n. 3, ubi haec sententia fusius exhibetur.

Iudaeorum tunc ceperunt Romani et duodecim viros inermes non superaverunt ».

Interna armatura.

27. (Vers. 19.). Tertio quantum ad *internam armaturam* subiungit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras,* id est, defendetis tanquam per armaturam perfectam; Proverbiorum decimo quinto [1]: « Qui acquiescit increpationibus possessor est cordis »; hoc autem fit per patientiam. Nam illius rei dicitur quis *possessor,* cuius habet plenum dominium; et patientia facit dominari sibi, secundum illud Proverbiorum decimo sexto [2]: « Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo expugnatore urbium ». Et ideo Gregorius: « Patientia radix est et custos virtutum, et in hac animas, quae corpus possident, possidemus ». — Et hoc manifeste apparet, si quis attendat, quid sit patientia. Nam patientia rectificat *rationalem,* temperat *irascibilem,* modificat *concupiscibilem* et *exteriorem* consummat *operationem. Rationalem,* inquam, illuminat et rectificat; unde Proverbiorum decimo quarto [3]: « Qui patiens est multa gubernatur sapientia »; et Proverbiorum decimo nono: « Doctrina viri per patientiam dignoscitur ». Temperat *irascibilem* et *concupiscibilem;* propter quod Gregorius [4]: « Patientia vera est, cum quis amat quem portat. Nam tolerare et odisse non est virtus, sed velamen furoris ». Consummat etiam *exteriorem operationem,* secundum illud Iacobi primo [5]: « Patientia perfectum opus habet, ut sitis perfecti et integri » etc.; et ad Hebraeos decimo: « Patientia vobis necessaria est, ut, voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem ». Haec autem patientia facit *reportari praemium,* dum conservat et multiplicat merita passionum. Unde Hieronymus [6]: « Exercetur patientia, cum a proximo sustinemus persecutiones, damna, contumelias, ab adversario tentamenta, a Domino flagella. Sine ferro Martyres esse possumus, si patientiam in animo servamus ».

Effectus patientiae.

De praedictione circa destructionem Ierusalem duo.

28. *Cum autem videritis circumdari ab exercitu* etc. Postquam descripsit quae ventura erant generaliter, et etiam persecutiones ipsius Ecclesiae; hic [7] describit *quae ventura sunt circa destructionem Ierusalem,* per quam intelligitur tribulatio, quam Ecclesia passura est tempore antichristi. Habet autem pars ista duas partes. In quarum prima praedicit *bellum praecedens;* in secunda vero, *excidium subsequens,* ibi [8]: *Vae autem praegnantibus et nutrientibus* etc.

Primo, de bello praecedente tria.

*Bellum* autem praecedens describit quantum ad tria, scilicet quantum ad *periculum pugnae, remedium fugae* et *iudicium divinae vindictae.*

Periculum pugnae.

29. (Vers. 20.). Primo quantum ad *periculum pugnae* dicit: *Cum autem videritis, circumdari ab exercitu Ierusalem,* per obsidionem Romanorum, secundum illud Ezechielis quarto [9]: « Fili hominis, sume tibi laterem, et pones eum coram te et describes in eo civitatem Ierusalem et ordinabis adversus eam obsidionem et aedificabis munitiones et comportabis aggerem et dabis contra eam castra et pones arietes in gyro ». — *Tunc scitote, quia appropinquavit* [10] *desolatio eius,* per eversionem omnimodam; Danielis nono: « Civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio » etc.

Expositio spiritualis.

30. *Spiritualiter* autem per *exercitum circumdantem Ierusalem* intelligitur insurrectio perversorum contra ecclesiasticam pacem procurata per antichristum et ministros ipsius, secundum illud Apocalypsis decimo sexto [11]: « Et vidi, de ore draconis et de ore bestiae et de ore pseudoprophetae exire tres spiritus immundos in modum ranarum. Sunt enim spiritus daemoniorum facientes signa, et procedunt ad reges totius terrae congregare eos in proelium ad diem magnum omnipotentis Dei »; et Apocalypsis decimo nono: « Vidi bestiam et reges terrae et exercitus eorum congregatos ad faciendum proelium cum illo qui sedebat in equo ». Sed quia mali incomparabiliter plures erunt, ideo dicuntur *circumdare.* In cuius figuram primi Regum vigesimo tertio [12]: « Saul et viri eius in modum coronae cingebant David et viros eius, ut caperent eos ». Unde Iob decimo nono: « Simul venerunt latrones eius et per me fecerunt sibi viam et obsederunt tabernaculum meum in gyro ».

Figura.

Remedium fugae.

31. (Vers. 21.). Secundo quantum ad *remedium fugae* subdit: *Tunc qui in Iudaea sunt fugiant ad*

---

[1] Vers. 32. — Gregor., V. Moral. c. 16. n. 33: Quid est enim animas possidere, nisi perfecte in omnibus vivere, cunctis mentis motibus ex virtutis arce dominari?

[2] Vers. 32. — Sententia Gregorii, quae habetur II. Homil. in Evang. homil. 35. n. 4, exhibetur verbis Glossae *ordinariae* in Luc. 21, 19. Pro *animas, quae corpus possident* Vat. *animam et corpus.*

[3] Vers. 29, ubi pro *sapientia* (ita etiam Card. Hugo et Lyranus) Vulgata *prudentia.* — Sequitur Prov. 19, 11, in quo pro *dignoscitur* H cum Vulgata *noscitur.*

[4] Libr. I. Homil. in Ezech. homil. 7. n. 12; II. homil. 5. n. 14. et homil. 8. n. 15. In fine textus originalis legit *non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris.* Codd. A C D H omittunt *vera.*

[5] Vers. 4, post quem Hebr. 10, 36.

[6] Ita etiam Card. Hugo; sententiam hanc non invenimus apud *Hieron.,* sed apud *Gregor.,* II. Homil. in Evang. homil. 35. n. 9; ultima propositio insinuatur ibid. n. 7. in fine. Cod. H cum Card. Hug.: *Tripliciter* exercetur etc. (Gregor.: Sciendum praeterea est, quod tribus modis virtus patientiae exerceri solet. Alia namque sunt, quae a Deo; alia, quae ab antiquo adversario; alia, quae a proximo sustinemus. A proximo namque persecutiones etc.).

[7] Cfr. supra n. 9.

[8] Vers. 23.

[9] Vers. 1. et 2. — Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Cum autem videritis* etc. Hucusque ea quae per quadraginta annos, nondum fine adveniente, futura erant, hic finis desolationis, quae a Romanis facta est.

[10] Codd. C D G H *appropinquabit;* cfr. supra pag. 258, nota 1. 2. — Sequitur Dan. 9, 26. seq. — Cfr. August., Epist. 199. (alias 80.) c. 9. n. 25. seqq.

[11] Vers. 13. seq. et dein 19, 19. Cfr. Ambros., X. in Luc. c. 21. n. 15. seqq.

[12] Vers. 26, cui subnectitur Iob 19, 12.

*montes*, ne inveniantur; *et qui in medio eius sunt*[1] *discedant*, ne includantur; *et qui in regionibus non intrent in eam*, ne ibi capiantur. Exercitus enim Romanorum primo per Iudaeam evertit multas civitates, antequam veniret Ierusalem. Et omnes pene Iudaei intraverant ibi, sicut dicit Iosephus[2], propter solemnitatem et propter securitatem; ideo comprehensi sunt omnes iusto iudicio Dei, secundum illud Ieremiae duodecimo: « Congrega eos sicut gregem ad victimam et sanctifica eos in die occisionis ». Sed Christiani per fugam liberati sunt; unde Glossa Bedae[3]: « Ecclesiastica historia narrat, Christianos, qui in Iudaea erant, imminente excidio, ab Angelo monitos fuisse et trans Iordanem in civitate Pella, donec desolatio Iudaeae impleretur, habitasse ».

Expositio spiritualis. 32. *Spiritualiter* autem insinuatur hic remedium, quod erit infirmis in illa valida persecutione antichristi, scilicet *fugae* et *occultationis*. Licet enim *imperfectis* fugere propter cavenda pericula; unde Zachariae secundo[4]: « O, o, o! fugite de terra aquilonis, dicit Dominus ». Quibus Christus condescendens, abscondebat se a Iudaeis, secundum illud Ioannis septimo: « Post haec ambulabat Iesus in Galilaeam. Non enim volebat ambulare in Iudaea, quia quaerebant eum Iudaei interficere ». Licet etiam hoc viris *perfectis*, cum vident, quod magis expedit saluti populi, quod fugiant; unde dixit Dominus discipulis Matthaei decimo[5]: « Cum autem persequentur vos in una civitate, fugite in aliam »; et de Paulo dicitur Actuum nono, quod cum « Iudaei custodirent portas Damasci die ac nocte, ut Paulum interficerent, accipientes eum discipuli, nocte per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta ». Figura. Huius figura praecessit in David; primi Regum decimo nono[6]: « Porro ille abiit et aufugit et salvatus est »; submissus enim fuit a Michol per fenestram.

Iudicium divinae vindictae. 33. (Vers. 22.). Tertio quantum ad *iudicium divinae vindictae* subdit: *Quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia, quae*[7] *scripta sunt.* Decrevit autem Dominus destruere Ierusalem in ultionem sanguinis Iesu Christi et Prophetarum eius; unde Matthaei vigesimo tertio[8]: « Ut veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel iusti usquê ad sanguinem Zachariae. Amen dico vobis: Venient haec omnia super generationem istam ». Nam tantum scelus nullo modo debuit remanere inultum; ideo Threnorum secundo: « Fecit Dominus quae cogitavit, complevit sermonem suum, quem praeceperat a diebus antiquis. Destruxit et non pepercit et laetificavit super te inimicum et exaltavit cornu hostium tuorum ».

34. *Spiritualiter* autem intelligitur per haec ultio divinae indignationis propter peccata *personarum ecclesiasticarum*, tam saecularium quam religiosarum, secundum illud Michaeae tertio[9]: « Principes eius in muneribus iudicabant, et sacerdotes eius in mercede docebant, et prophetae eius in pecunia divinabant ». « Propter hoc Sion quasi ager arabitur » etc. Et specialiter propter peccata *praelatorum;* Isaiae primo[10]: « Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena iudicii! Iustitia habitavit in ea, nunc autem homicidae »; « principes tui infideles, socii furum. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones ». « Propter hoc ait Dominus Deus exercituum: Heu! consolabor super hostibus meis et vindicabor de inimicis meis ». Ideo Isaiae trigesimo quarto[11]: « Dies ultionis Domini, annus retributionum iudicii Sion »; et secundae ad Thessalonicenses secundo: « Mittet eis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati ». Et tunc in ultima tribulatione consummabuntur omnia, secundum illud Apocalypsis decimo[12]: « In diebus vocis septimi Angeli, cum coeperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, quod locutus est per servos suos Prophetas »; et decimo quinto: « Impletum est templum Dei fumo a maiestate Dei, et nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagae septem Angelorum ». Expositio spiritualis.

35. (Vers. 23.). *Vae autem praegnantibus et nutrientibus* etc. Postquam descripsit bellum praecedens, describit hic secundo[13] *excidium subsequens;* circa quod describendum tria insinuantur, scilicet *oppressio civitatis occupandae*, *destructio civitatis oppressae* et *desolatio civitatis destructae*. Secundo, de excidio subsequente tria.

Primo igitur quantum ad *oppressionem civitatis occupandae* dicit: *Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus!* Glossa[14]: « Quarum Oppressio civitatis occupandae.

---

[1] Ita C D G H et etiam S. Thom., Cat. aurea in Luc. 21. n. 5, et Gorranus, Vulgata et Vat. omittunt *sunt.* Pro *discedant* Vat. *descendant.* — Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Tunc* etc., id est tempore proximo ante obsidionem, dum adhuc fugere licebit, dum miles Romanus per Galilaeam et Samariam se diffundere coeperit. — Inferius pro *pene* C D G H *quasi.*

[2] Libr. VI. de Bello Iud. c. 9. n. 3: Et captivorum quidem omnium, qui totius belli tempore capti sunt, numerus erat ad nonaginta septem millia; totius autem obsidionis tempore undecies centena millia perierunt. Horum maior pars eiusdem quidem gentis erat, non vero eiusdem regionis. Nam qui e tota regione ad azymorum festum convenerant derepente bello circumdati erant etc. — Subinde allegatur Ier. 12, 3.

[3] Scilicet *ordinaria* in Luc. 21, 21. Vat. affert verba ipsius Bedae, non Glossae.

[4] Vers. 6. — Sequitur Ioan. 7, 1, ubi pro *in Iudaea* Vulgata *in Iudaeam.*

[5] Vers. 23. et deinde Act. 9, 24. seq.

[6] Vers. 12.

[7] Codd. C D H addunt *inde;* cfr. B. Albert. — Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Quia dies ultionis*, dominici sanguinis.

[8] Vers. 35. seq. — Sequitur Thren. 2, 17.

[9] Vers. 11. et 12.

[10] Vers. 21. 23. et 24.

[11] Vers. 8, post quem II. Thess. 2, 10. seq.

[12] Vers. 7. et deinde 15, 8.

[13] Cfr. supra n. 28.

[14] Scilicet *interlinearis* (ex Beda, qui sequitur Hieron., IV. Comment. in Matth. 24, 19). — Subinde allegatur I. Thess. 5, 3.

uteri vel manus sarcina filiorum praegravatae fugae necessitatem impedient »; quia huiusmodi non poterit prodesse fuga, secundum illud primae ad Thessalonicenses quinto: « Repentinus eis superveniet interitus sicut dolor in utero habentis, et non effugient ». — Ratio autem huius est vehemens oppressio civitatis; ideo addit: *Erit enim*[1] *pressura magna super terram et ira populo huic,* secundum illud Isaiae vigesimo nono: « Vae Ariel! Vae Ariel! civitas, quam expugnavit David. Et circumvallabo Ariel, et erit tristis et moerens. Et circumvallabo ut sphaeram in circuitu tuo et iaciam contra te aggerem et munimenta ponam in obsidionem tuam ».

Ratio.

36. Secundum autem *mysticum intellectum* per *praegnantes* intelliguntur animae peccatrices, quae *concipiunt* per peccati concupiscentiam et *pariunt* per operationem perversam. Unde Augustinus de Verbis Domini[2]: « Quando concupiscit quis rem alienam, anima sua quasi concepisse videtur; quam rem si per aliquam nequitiam potuerit obtinere, quasi natum filium osculari et nutrire cognoscitur ». Unde Iacobi primo[3]: « Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum, cum consummatum fuerit, generat mortem ». Et talibus erit *vae* in illa tribulatione; unde Sapientiae quarto: « Ex iniquis omnes filii qui nascuntur testes sunt nequitiae adversus parentes in interrogatione sua ». — Possunt autem per *praegnantes* intelligi animae, quae bonum habent propositum, sed non perveniunt usque ad partum effectus; unde Isaiae trigesimo septimo[4]: « Venerunt filii usque ad partum, et virtus non erat pariendi ». Et istis erit *vae* in illa tribulatione, quia, sicut flos vineae in frigore laeditur cito, sic propositum bonum in persecutione annihilatur; unde Iob decimo quinto[5]: « Laedetur quasi vinea in primo flore botrus eius », et hoc per mala exempla. Propter quod Amos primo: « Super tribus sceleribus filiorum Ammon et super quatuor non convertam eum, eo quod dissecuerit praegnantes Galaad ad dilatandum terminum suum ». Istis erit *vae* propter *negligentiam,* sicut aliis *vae* propter *concupiscentiam.* Et sic implebitur illud Isaiae vigesimo octavo[6]: « Erit eis verbum Domini: Manda, remanda, manda, remanda; exspecta, reexspecta, exspecta, reexspecta; modicum ibi, modicum ibi, ut vadant et cadant retrorsum et conterantur et illaqueentur et capiantur ».

Expositio spiritualis.

Aliter.

37. (Vers. 24.). Secundo quantum ad *destructionem civitatis oppressae* subditur: *Et cadent in ore gladii et captivi ducentur in omnes gentes. Ad litteram* hoc impletum esse videmus in Iudaeis, de quibus miram narrat Iosephus[7] stragem, et mirabilem videmus viventium dispersionem; et sic verificatum est in eis illud Deuteronomii trigesimo secundo[8]: « Foris vastabit eos gladius et intus pavor, iuvenem simul ac virginem, lactantem cum homine sene »; et illud Threnorum primo: « Foris interficit gladius, et domi mors similis est »; et similiter illud Threnorum secundo: « Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis et occidit omne, quod pulcrum erat visu in tabernaculo filiae Sion ».

Destructio civitatis oppressae.

38. Secundum *mysticum intellectum* per istam *occisionem* intelligitur caedes illa permaxima, quae erit in tribulatione finali, de qua Isaiae vigesimo secundo[9]: « Dies interfectionis et conculcationis et fletuum Domino Deo exercituum in valle visionis ». Et de hoc Danielis undecimo: « Et docti in populo docebunt plurimos; et ruent in gladio et in flamma et in captivitate et in rapina dierum ». « Et de eruditis ruent, ut conflentur et eligantur et dealbentur » etc. Unde dicitur Ezechielis nono[10]: « Transite per medium civitatis et percutite; non parcat oculus vester, neque misereamini senem, adolescentulum et virginem, parvulum et mulieres interficite usque ad internecionem. Et a sanctuario meo incipite » etc. Et ideo Iob decimo nono: « Fugite a facie gladii » etc.

Expositio spiritualis.

39. Tertio quantum ad *desolationem civitatis destructae* subiungit: *Et Ierusalem calcabitur a gentibus;* Threnorum primo[11]: « Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius, quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus praeceperas, ne intrarent ecclesiam tuam »; et Threnorum secundo: « Praecipitavit Dominus nec pepercit ». « Praecipitavit omnia moenia eius, dissipavit munitiones eius et replevit in filia Iuda humiliatum et humiliatam »; et in Psalmo dicitur: « Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam » etc. — Et quoniam non

Desolatio civitatis destructae.

---

[1] Codd. C D *autem.* — Sequitur Isai. 29, 1-3.

[2] Scilicet 20; nunc autem Serm. 75. in Appendice (olim etiam 4. in Appendice) n. 4.

[3] Vers. 15, post quem Sap. 4, 6, in cuius principio Vulgata legit: Ex iniquis enim *somnis* filii etc. (vide tom. VI. pag. 133, notam 12.); et in fine ante *interrogatione* A C D omittunt *in.*

[4] Vers. 3. — Hieron., IV. Comment. in Matth. 24, 19: Vae illis animabus! quae non in perfectum virum sua genimina perduxerunt, sed initia habent fidei, ut enutritione indigeant magistrorum.

[5] Vers. 33. et deinde Amos 1, 13. — Superius pro *annihilatur* C D *annullatur* (cfr. Du Cange, Glossarium etc.).

[6] Vers. 13.

[7] Libr. VI. de Bello Iud. c. 9. n. 2. seq., ex quo iam supra pag. 531, nota 2. quaedam attulimus. Petr. Comestor, Histor. scholast. in Evang. c. 138: Eversa Ierusalem per Titum, Hadrianus statuam suam posuit, ubi arca steterat, quia vestigia civitatis adhuc quaedam manebant, et Iudaei, qui latentes undecumque remanserant, quandoque ad locum sanctum redibant et iterum multiplicati amoverunt statuam. Ob hoc Hadrianus apposuit manum extremam et funditus evertit urbem et edixit, ne quis Iudaeorum remaneret in terra illa. Et de hac ultima eversione videtur subdere Lucas dicens: *Et captivi ducentur in omnes gentes.*

[8] Vers. 25. — Duo seqq. loci sunt Thren. 1, 20. et 2, 4, ubi pro *tabernaculo* C D G *tabernaculis.*

[9] Vers. 5, in quo voci *Domino* C D G praefigunt *a.* — Subinde allegantur Dan. 11, 33. et 35.

[10] Vers. 5. seq. et dein Iob 19, 29.

[11] Vers. 10, post quem Thren. 2, 2. et 5; Ps. 78, 1.

est ira Domini sine misericordia, ideo addit: *Donec impleantur tempora nationum;* Glossa[1]: « Id est, *donec plenitudo gentium intraverit, et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion qui eripiat et avertat impietatem a Iacob* ». Et ideo dicitur Threnorum tertio[2]: « Quia non repellet in sempiternum Dominus; quia, si abiecit, et miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum ».

Expositio spiritualis.

40. Secundum *mysticum intellectum* per *tempora nationum* intelligitur tempus illud, quo filius perditionis Ecclesiam conculcabit; Apocalypsis undecimo[3]: « Atrium, quod est foris templum, ne metiaris, quoniam datum est gentibus », ad conculcandum, « et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus ». Abbreviabitur autem hoc tempus propter meritum electorum; unde Matthaei vigesimo quarto[4]: « Erit tribulatio magna, qualis nunquam fuit ab initio mundi usque modo neque fiet. Et nisi abbreviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur ». Unde et Danielis nono: « Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna ».

De praedictione iudicii finalis tria.

41. (Vers. 25.). *Et erunt signa in sole* etc. Postquam praedixit, quae ventura erant generaliter, circa persecutionem, et circa destructionem Ierusalem, hic quarto[5] praedicit, quae *ventura sunt circa iudicium finale.* In hac autem eruditione primo discipulos *erudit ad providentiam.* Secundo *erigit ad confidentiam,* ibi[6]: *His autem fieri incipientibus* etc. Tertio vero *excitat ad vigilantiam,* ibi: *Attendite autem vobis* etc.

In primo tanguntur quinque.

Circa *iudicium finale* universalem describit *commotionem* ex parte *naturae caelestis, elementaris, rationalis, intellectualis* et ipsius *iudicis apparentis.*

Quoad naturam caelestem.

Primo ergo quantum ad *naturam caelestem* dicit: *Et erunt signa in sole et luna et stellis. Solem* et *lunam* specialiter nominat tanquam duo praecipua luminaria et secundum apparentiam et secundum efficaciam; Genesis primo[7]: « Fecit Deus duo magna luminaria: luminare maius, ut praeesset diei, et luminare minus, ut praeesset nocti, et stellas ». In his ergo luminaribus apparebunt signa obscurationis, secundum illud Ioelis secundo: « Sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis ». *Horribilis* autem erit propter illorum luminum obscurationem, secundum illud Psalmi[8]: « Fecit lunam in tempore, sol cognovit occasum suum. Posuisti tenebras » etc.; et de hac Sapientiae decimo septimo: « Nec siderum limpidissimae flammae illuminare poterunt illam noctem horrendam ». Unde haec luminaria, quae in principio temporis posita sunt in firmamento in signa per sui lucem, secundum illud Genesis primo[9]: « Fiant luminaria in firmamento caeli et sint in signa et tempora » etc.; in fine temporum in signa sunt finis per lucis occultationem. Unde Apocalypsis sexto: « Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis, et stellae ceciderunt de caelo super terram »; et Matthaei vigesimo quarto: « Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de caelo ». — Hic autem beatus Lucas non exprimit, quod stellae *cadent,* sed quod in eis erunt *signa;* quia revera corpora stellarum caelestium non mutabunt situm secundum substantiam, sed secundum apparentiam. Virtute stellarum, imminente iudicio, impressiones plurimae generabuntur, quas Philosophus[10] vocat *assub,* quae ita multiplicabuntur, ut cadere videantur stellae caelorum.

Notandum.

42. Et attendendum est, quod sicut luminaria sunt signa naturalium secundum operationes naturales, sic sunt in signa eorum quae supra naturam eveniunt, per aliqua in eis super naturam facta. Nam in designationem *mirabilis virtutis Christi* sol stetit, secundum illud Iosue decimo[11]: « Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Aialon ». « Stetitque sol in medio caeli et non festinavit occumbere spatio unius diei ». In designationem autem *mirabilis dignationis* sol decem gradibus retrocessit; Isaiae trigesimo octavo[12]: « Reversus est

In luminaribus sunt signa etiam operationum supernaturalium.

[1] Scilicet *ordinaria* (ex Beda), in qua allegantur Rom. 11, 25. seq. et Isai. 59, 20.

[2] Vers. 31. et 32.

[3] Vers. 2.

[4] Vers. 21, cui subiungitur Dan. 9, 24.

[5] Cfr. supra n. 9.

[6] Vers. 28; tertium habetur v. 34.

[7] Vers. 16. — Sequitur Ioel 2, 31.

[8] Psalm. 103, 19. seq. et deinde Sap. 17, 5.

[9] Vers. 14. — Subinde allegantur Apoc. 6, 12. seq. et Matth. 24, 29.

[10] Libr. I. Meteor. Sum. secunda c. 1. (c. 4.), ubi agit de impressionibus sive de ignibus in superiore aëre ex vaporibus generatis et figura diversis. Hos recenset B. Albert., I. Meteor. tr. 4. c. 4; tribus recensitis (quorum forma est vel columnae, vel lanceae, vel candelae), quartum ita describit: Si autem est vapor consertus valde non multum longus, tunc stat ardens sicut candelae duae, quarum una est flamma super flammam alterius, quae figura ignis Arabice vocatur *assub*, quod quidam dicunt interpretari titionem [Aristot., loc. cit., utitur voce δαλός, quae vertitur Latine: titio, fax, trabs], quia figura exprimitur titionis cum longo carbone. Sed in Albumasar, ubi loquimur de figuris ignium in octavo de iunctionibus planetarum, una translatio habet *assub* et altera habet *ignis albus*, et ideo *ignis albus* videtur interpretari, et isti omnes ignes, qui in alto generari videntur. Cfr. ibid. c. 5. seqq. — Vat. omittit *quas Philosophus vocat assub.* Vide tom. IV. pag. 979, notam 6, in qua eadem lectio codd. ad calcem a nobis posita est, cum in textum debuisset recipi; ibi habetur etiam expositio opinionis, de qua hic agitur.

[11] Vers. 13. et 14. — Superius post *aliqua in eis* Vat. addit *signa.*

[12] Vers. 8. Cfr. supra pag. 387, nota 13. — Superius pro *mirabilis dignationis* G *nobilis dignationis*, H *mirabilis designationis*, Vat. *nobilis designationis.*

sol per decem lineas, per gradus, per quos descenderat», quia homo post novem ordines Angelorum decimum tenet locum. In designationem vero *admirabilis passionis* tam in *capite* quam in *membris* sol obscuratus est in passione *capitis;* infra vigesimo tertio[1]: « Tenebrae factae sunt in universam terram, et obscuratus est sol »; similiter in passione *corporis;* Apocalypsis octavo: « Percussa est tertia pars solis et tertia pars lunae et tertia pars stellarum »; quod refertur ad corpus, quia, Apocalypsis duodecimo, « draco traxit tertiam partem stellarum ».

Quoad naturam elementarem.

43. Secundo quantum ad *naturam elementarem* subdit: *Et in terris pressura gentium prae confusione*[2] *sonitus maris et fluctuum.* Beda: « Appropinquante extremo iudicio, sonitus maris et fluctuum confunditur, quia, appropinquante termino suo, elementa quasi paventia nutant et tremunt»; Sapientiae quinto[3]: « Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum ». « Ibunt directe emissiones fulgurum, et tanquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur et ad certum locum insilient. Et a petrosa ira plenae mittentur grandines, et excandescet in illos aqua maris ». Unde tunc verificabitur illud Exodi decimo quinto[4]: « In spiritu furoris tui congregatae sunt aquae ». Ipse enim Dominus, qui conturbat mare; Isaiae quinquagesimo primo: « Ego sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, et intumescunt fluctus eius ». Et hoc quidem iusto iudicio suo; quia, sicut dicitur Isaiae quinquagesimo septimo, « impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus eius in conculcationem ». Et tunc erit confusio omnium elementorum, iuxta quod in Aegypto factum est, secundum illud Exodi nono[5]: « Ignis et grando mixta pariter ferebantur ». Et in hac confusione erit sonitus terribilis; tunc enim verificabitur illud Psalmi: « Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas ». Hic enim sonitus designat sonitum terribilis vocis ipsius iudicis; unde Apocalypsis primo[6]: « Oculi eius tanquam flamma ignis, et pedes eius similes aurichalco sicut in camino ardenti, et vox eius sicut vox aquarum multarum »; Ezechielis primo: « Audiebam sonum alarum quasi sonum aquarum multarum et quasi sonum sublimis Dei; cum ambularent, quasi sonus erat multitudinis, ut sonus castrorum ».

Quoad naturam rationalem.

44. (Vers. 26.). Tertio quantum ad *naturam rationalem* subdit: *Arescentibus hominibus prae timore et exspectatione, quae supervenient universo orbi.* Tunc enim implebitur illud Matthaei vigesimo quinto[7]: « Media nocte clamor factus est: Ecce, sponsus venit » etc.; unde Glossa: « Hoc de ipso adventu intelligitur, cum omnes virgines prudentes et fatuae, insolito clamore suscitatae, lampades ornant, id est, secum opera numerant, pro quibus maximo cum timore iam instantem aeterni discriminis exspectant adventum ». Dicuntur autem *homines arescere*, qui vixerunt secundum carnem; nam Isaiae quadragesimo[8]: « Omnis caro foenum ». « Exsiccatum est foenum » etc.; unde et Iacobi primo: « Exortus est sol cum ardore et arefecit foenum », *sol* iustitiae veniens ad iudicium. Unde Beda[9]: « In exspectatione districti examinis qui in hoc mundo floruerunt exarescent », secundum illud Exodi decimo quinto: « Irruat super eos formido et pavor in magnitudine brachii tui ». Tunc in illis, in quibus securitas fuit et gaudium, non erit nisi timor et luctus; quia, primae ad Thessalonicenses quinto[10], « cum dixerint: Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus ». Unde Chrysostomus[11]: « Nec erit resistendi virtus nec poenitentiae locus nec satisfactionis facultas; ex angustia omnium rerum nihil remanet nisi luctus ». Unde Matthaei vigesimo quarto: « Apparebit signum Filii hominis in caelo, et tunc plangent omnes tribus terrae ».

Quoad naturam intellectualem.

45. Quarto quantum ad *naturam intellectualem* subdit: *Nam virtutes caelorum movebuntur; virtutes* autem *caelorum* sunt Angeli beati, qui ex conturbatione omnium dicuntur *commoveri*, secundum illud Iob vigesimo sexto[12]: « Columnae caeli contremiscunt et pavent ad nutum eius ». Dicuntur autem *pavere* et *contremiscere* non timore poenae, sed timore reverentiae et horrore divinae vindictae, secundum illud Iob quadragesimo primo[13]: « Cum

---

[1] Vers. 44. seq., ubi pro *in universam* C D H *super universam.* — Duo seqq. loci sunt Apoc. 8, 12. et 12, 4.

[2] Codd. C D *propter confusionem.* — Seq. sententia Bedae (VI. in Luc. 21, 25.) exhibetur verbis Glossae *ordinariae,* in qua post *confunditur* H cum textu originali addit *terrarumque orbis, prementibus se undique colonis, inficitur, maxima caeli luminaria, percussis novo horrore radiis, turbatam faciem velant.*

[3] Vers. 18. et 22. seq., ubi pro *a bene* A D *habenae,* de qua lectione vide tom. VI. pag. 143, notam 5.

[4] Vers. 8, cui subnectuntur Isai. 51, 15. et 57, 20. — Inferius pro *conturbat* A C D *conturbabat.*

[5] Vers. 24. — Subinde allegatur Ps. 28, 3. — Inferius pro *sonitus terribilis* D G *sonitus horribilis.*

[6] Vers. 14. et 15, post quos Ezech. 1, 24, ubi pro *sonum alarum* et *sonus castrorum* C D *sonitum alarum* et *sonitus castrorum.*

[7] Vers. 6. — Glossa seq (ex Beda) est *ordinaria* in Luc. 21, 25.

[8] Vers. 6. seq. et deinde Iac. 1, 11.

[9] Libr. VI. in Luc. 21, 26; cfr. Glossa *ordinaria* apud Lyranum in Luc. 21, 25, cum qua B addit (etiam secundum Bedam): *si fides, quae sine operibus viruerat, marcescet.* — Sequitur Exod. 15, 16.

[10] Vers. 3.

[11] Homil. 49. in Matth. 24, 30. (Op. imperfect.), ubi exponens haec verba (paulo inferius allegata): *Tunc apparebit signum Filii hominis, et tunc plangent se omnes tribus terrae,* ait: Quia nec resistendi virtus est contra eum, et fugiendi nulla facultas ante faciem eius nec poenitentiae locus; ex angustia etc. Pro *poenitentiae locus* Vat. *latendi locus.*

[12] Vers. 11. Cfr. Gregor., XVII. Moral. c. 29. n. 42. et I. Homil. in Evang. homil. 1. n. 2.

[13] Vers. 16. — Inferius pro *super montis supercilio* A C D *super montis supercilium,* H *in montis supercilio.*

sublatus fuerit, timebunt Angeli et territi purgabuntur». Unde sicut quis super montis supercilio existens quodam modo terretur ex combustione villae alicuius vel hiatus terrae, sic quodam modo caelestes illae virtutes pavebunt in illa terribili ultione. Unde Hieronymus [1]: « Quid faciet virgula deserti, ubi timore concutitur cedrus Libani paradisi »? Unde Isaiae sexto: « Commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, et domus repleta est fumo ». Unde Chrysostomus [2]: « Si rex, processurus ad bellum contra aliquem, expeditionem mandat in populo, dignitates omnes moventur, exercitus concitatur, tota civitas fervet; quanto magis, rege caelesti exsurgente iudicare vivos et mortuos, angelicae virtutes commoventur, terribiles ministri, terribilem Dominum praecedentes, ante ipsum pro candelabris fulgura viva praecedent, pro tubis horrenda tonitrua? Vere magna vox, cui omnia obediunt elementa, quae petras scindit, inferos aperit, vincula mortis disrumpit ».

46. (Vers. 27.). Quinto quantum *ad iudicem* Quoad iudicem apparentem. *apparentem* dicit: *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate;* Apocalypsis primo [3]: « Ecce, venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt ». Et de hoc adventu Danielis septimo: « Aspiciebam ego in visione noctis, et ecce, cum nubibus caeli quasi Filius hominis veniebat et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem et honorem et regnum. Potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur ». Et hic adventus erit terribilissimus adeo, quod impleatur illud Isaiae secundo [4]: « Incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum, et elevabitur Dominus solus in die illa, et idola penitus conterentur ». « Et ingredietur scissuras petrarum et in cavernas saxorum a facie formidinis Domini et a gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram ». Et ideo in Psalmo [5]: « Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet, et in circuitu eius tempestas valida ».

47. Licet autem multa et mira contingant in iu- Mira multa in iudicio. dicio et quasi inenarrabilia, Hieronymus [6] tamen quaedam narrat, quae dicit se reperisse in annalibus Iudaeorum, quae a diversis diversimode ordinantur. Dicit enim, quod primo die eriget se mare Die primo. super altitudinem montium, ut verificetur illud Psalmi [7]: « Mirabiles elationes maris ». — Secundo die Secundo. in tantum descendet, ut vix videri possit, secundum illud Nahum primo [8]: « Dominus in tempestate et turbine viae eius, et nebulae pulvis pedum eius, increpans mare et exsiccans illud et omnia flumina ad desertum deducens ». Et de his duobus in Psalmo: « Dixit, et stetit spiritus procellae, et exaltati sunt fluctus eius » etc. — Tertio die marinae belluae Tertio. ascendentes super mare dabunt rugitus usque ad caelum, quasi futurum narrantes iudicium; Iob duodecimo [9]: « Loquere terrae, et annuntiabit tibi, et narrabunt pisces maris » etc. — Quarto die ardebit Quarto. aqua, secundum illud Isaiae sexagesimo quarto: « Utinam disrumperes caelos et descenderes, a facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent, aquae arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis ». — Quinto die herbae et arbo- Quinto. res dabunt rorem sanguineum; Apocalypsis decimo quarto [10]: « Et calcatus est lacus extra civitatem, et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum ». — Sexto die ruent aedificia; Apocalypsis decimo Sexto. sexto: « Et fracta est civitas magna in tres partes, et civitates gentium ceciderunt »; et Matthaei vigesimo quarto: « Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur » etc. — Septimo petrae Septimo. collidentur ad invicem, sicut factum fuit in dominica passione; Matthaei vigesimo septimo [11]: « Petrae scissae sunt » etc. — Octavo die fiet generalis ter- Octavo. raemotus; Apocalypsis decimo sexto: « Et factus est terraemotus magnus, qualis non fuit, ex quo homines esse coeperunt ». — Nono adaequabitur Nono. terra; et tunc implebitur illud Isaiae quadragesimo [12]: « Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur »; et Apocalypsis sexto: « Omnis mons et insulae de locis suis motae sunt ». — De- Decimo. cimo exibunt homines de cavernis suis et ibunt velut amentes et non poterunt sibi mutuo loqui, et hoc prae stupore illorum mirabilium, quae videbunt et exspectabunt; et hoc notat hic [13], cum dicit: « Arescentibus hominibus prae timore ». — Un- Undecimo. decimo aperientur sepulcra, et stabunt ossa super

---

[1] Ita etiam Card. Hugo; apud *Hieronymum* tamen hanc sententiam non invenimus, sed apud *Bedam* (quem allegat etiam S. Thom., Cat. aurea in Luc. 21. n. 6.), Vl. in Luc. 21, 26: *Columnae caeli contremiscunt* etc. [Iob 26, 11.]. Quid ergo faciunt tabulae, quando tremunt columnae? Quid virgula deserti patitur, cum cedrus paradisi concutitur? — Sequitur Isai. 6, 4.

[2] Homil. 49. in Matth. 24, 31. (Op. imperfect.). Textus originalis post *praecedentes* plura addit.

[3] Vers. 7. (pro *oculus* C D *populus)* et deinde Dan. 7, 13. seq.

[4] Vers. 17. seq. et 21, ubi pro *Et ingredietur* [homo] A C D *Et ingredientur*.

[5] Psalm. 49, 3.

[6] Cfr. tom. IV. pag. 996, nota 2. seqq. — Cod. H haec signa omittit « quia non sunt authentica ».

[7] Psalm. 92, 4.

[8] Vers. 3. et 4, ubi pro *deducens* A C D *adducens*. — Subinde allegatur Ps. 106, 25. seq.

[9] Vers. 8, in quo pro *narrabunt* C D G *enarrabunt*. — Sequitur Isai. 64, 1. seq.

[10] Vers. 20. — Duo seqq. loci sunt Apoc. 16, 19. (pro *Et fracta* Vat. cum Vulgata *Et facta)* et Matth. 24, 2. seq.

[11] Vers. 51. seq. — Subinde allegatur Apoc. 16, 18.

[12] Vers. 4. et deinde Apoc. 6, 14.

[13] Vers. 26.

ea; et tunc implebitur illud Ezechielis trigesimo septimo[1]: « Ecce, ego aperiam tumulos vestros et educam vos de sepulcris vestris, populc meus » etc. Duodecimo. — Duodecimo stellae cadent de caelo; Matthaei vigesimo quarto: « Stellae cadent de caelo, et virtutes caelorum movebuntur ». — Tertiodecimo. Tertiodecimo morientur homines, ut cum mortuis resurgant, quia, sicut dicit Apostolus primae ad Corinthios decimo quinto[2] secundum aliam translationem, « omnes quidem moriemur, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi » etc. — Quartodecimo. Quartodecimo ardebit caelum et terra, id est superficies terrae et aëris; secundae Petri tertio[3]: « Adveniet dies Domini ut fur, in quo caeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera, exurentur ». — Quintodecimo. Quintodecimo die fiet caelum novum et terra nova, et resurgent homines, et fiet iudicium; de hoc Ioannes in Apocalypsis vigesimo primo[4]: « Vidi caelum novum et terram novam; primum enim caelum et prima terra abiit, et mare iam non est ».

48. (Vers. 28.). *His autem fieri incipientibus* etc. In secundo erigit tripliciter ad confidentiam. Postquam discipulos erudivit ad providentiam, hic secundo[5] *erigit ad confidentiam*, et hoc quidem facit tripliciter, scilicet *exhortatione consolativa, similitudine manuductiva* et *assertione certificativa.*

Primo igitur quantum ad *exhortationem consolatoriam* dicit: Per exhortationem consolatoriam. *His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra;* Gregorius[6]: « *Levate capita,* exhilarate corda, quia, dum finitur mundus, cuius amici non estis, prope est redemptio, quam quaesiistis ». In fide. *Respicite* igitur per veram fidem, secundum illud supra decimo octavo[7]: « Respice, fides tua te salvum fecit ». *Respicite,* inquam, futura, quae non videntur, secundum illud secundae ad Corinthios quarto: « Non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur » etc. Et hoc quidem fit per *fidem,* de qua ad Hebraeos undecimo: « Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium ». — In spe. *Levate* autem per *spem;* et rationem huius subdit: *Quoniam appropinquat redemptio vestra,* ad quam spes vestra suspirat. Unde ad Romanos octavo[8]: « Creatura ingemiscit et parturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus ». Haec autem spes facit, tribulationes patienter ferri; ad Romanos duodecimo[9]: « Spe gaudentes, in tribulatione patientes »; et ratio huius, ad Romanos octavo, quod « non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Nam exspectatio creaturae revelationem filiorum Dei exspectat ».

49. Corollarium. Debent igitur viri spirituales *levare capita* per firmam exspectationem; debent etiam *levare oculos* per claram considerationem, secundum illud Psalmi[10]: « Ad te levavi oculos meos » etc.; et Genesis decimo tertio: « Leva oculos tuos in directum ». « Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo » etc. Debent *levare vocem* per Scripturae praedicationem; Isaiae quinquagesimo secundo[11]: « Vox speculatorum tuorum, levaverunt vocem, simul laudabunt » etc. Debent *levare manus* ad perfectam operationem; Psalmus[12]: « Sic benedicam te in vita mea et in nomine tuo levabo manus meas ». Et hoc est quod maxime nos sursum erigit, propter quod primae ad Timotheum secundo: « Volo, vos orare in omni loco, levantes puras manus sine omni ira et disceptatione ».

50. (Vers. 29. 30.). Per similitudinem manuductivam. Secundo quantum ad *similitudinem manuductivam* subditur: *Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam et omnes arbores: cum producunt iam ex se fructum, scitis, quoniam*[13] *prope est aestas.* Comparat autem *arbores* humano generi, et maxime *ficulneam.* Assimilatur homo arboribus tripliciter. Arboribus enim huiusmodi homo assimilatur et quantum ad *ortum* et quantum ad *occasum* et quantum ad *fructum.* Quantum ad *ortum,* propter quod in Psalmo[14]: « Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum » etc. Quantum ad *occasum,* propter quod Iob decimo quarto: « Lignum habet spem; si praecisum fuerit, rursum virescit, et rami eius pullulant »; sic et homo, cum moritur, spem habet resurgendi. Quantum ad *fructum,* quia, sicut arbor infructuosa inciditur, sic et homo; unde Matthaei tertio[15]: « Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur » etc.; unde supra decimo tertio dicitur de ficu infructuosa: « Succide illam » etc. Sicut enim arbor secus viam non fructificat, sic et homo occupatus circa multa; Matthaei

---

[1] Vers. 12. — Sequitur Matth. 24, 29.

[2] Vers. 51. et 52, ubi tres diversae lectiones; cfr. Hieron., Epist. 119. (alias 152.) n. 6; August., Epist. 205. (alias 146.) c. 2. n. 14; XX. de Civ. Dei, c. 20. n. 3.

[3] Vers. 10.

[4] Vers. 1. Pro *et prima terra abiit, et mare* plures codd. *et mors abiit;* Vat. allegat v. 4: *Et mors ultra non erit.*

[5] Cfr. supra n. 41.

[6] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 1. n. 3. Vat., omisso *Gregorius: Levate capita,* pro *exhilarate corda* substituit *ex hilaritate cordis* (plures etiam codd. habent *ex hilaritate).*

[7] Vers. 42. — Duo seqq. loci sunt II. Cor. 4, 18. et Hebr. 11, 1.

[8] Vers. 22-24.

[9] Vers. 12, post quem 8, 18. seq. — Superius pro *tribulationes patienter ferri* C D G *tribulationes portari,* H *tribulationem venire cum gaudio.*

[10] Psalm. 122, 1. et deinde Gen. 13, 14. et 15. Vat. cum Vulgata et nonnullis codd. omittit *in directum;* cfr. Ier. 3, 2: Leva oculos tuos in directum.

[11] Vers. 8.

[12] Psalm. 62, 5. — Sequitur I. Tim. 2, 8.

[13] Codd. C D *quia.*

[14] Psalm. 1, 3. — Subinde allegatur Iob 14, 7.

[15] Vers. 10, cui subiungitur Luc. 13, 7.

vigesimo primo [1]: « Videns fici arborem secus viam, venit ad eam et nihil invenit in ea nisi folia tantum. Et ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur ». Unde Chrysostomus [2]: « Sicut impossibile est, arborem secus viam fructus ad maturitatem servare; sic difficile est, hominem iuxta mundum viventem iuventutem immaculatam usque ad finem tenere ». Sicut etiam arbores fructificant, abscedente hieme; sic homo fructum habet post tribulationem; Canticorum secundo [3]: « Iam hiems transiit, imber abiit et recessit »; « ficus protulit grossos suos, vineae florentes dederunt odorem suum ». Notandum. Hic fructus est per tolerantiam tribulationis, secundum illud ad Hebraeos duodecimo: « Omnis disciplina in praesenti non est gaudii, sed moeroris, postea autem affert fructum pacatissimum exercitatis per eam ».

51. (Vers. 31.). Et hic fructus colligitur in aestate claritatis aeternae; Fructus aeternus. propter quod subdit: *Ita et vos, cum videritis haec fieri, scitote, quoniam* [4] *prope est regnum Dei;* Glossa: « *Regnum Dei* aestati comparat, quia tunc moeroris nostri nubila transibunt, et aeterni dies vitae sub claritate solis fulgebunt ». In hac aestate cessabit *pluvia lacrymarum;* Isaiae vigesimo quinto [5]: « Aufert Dominus Deus omnem lacrymam ab omni facie »; Psalmus: « Euntes ibant et flebant » etc. Cessabit *nubilum tribulationum;* Tobiae tertio [6]: « Post tempestatem tranquillum facis et post lacrymationem et fletum exsultationem infundis » etc. Cessabit etiam *frigus cupiditatum;* unde Bernardus [7]: « O vera meridies, plenitudo fervoris et lucis, solis statio, umbrarum exterminatio, desiccatio paludum, foetorum depulsio! O perenne solstitium, quando iam non inclinabitur dies; o lumen meridianum, o vernalis temperies, o aestiva venustas, o autumnalis ubertas! Et ne quid videar praeteriisse: O quies et feriatio hiemalis! aut certe, si hoc magis probas, sola tunc *hiems abiit et recessit* »!

52. (Vers. 32.). Tertio quantum ad *assertionem certificativam* subiungit: Per assertionem certificativam. *Amen dico vobis, quod* [8] *non praeteribit generatio haec, donec omnia fiant;* Glossa: « Quae dico vobis sub certitudine exspectate ». *Hanc* autem *generationem* vocat generationem mortalem, secundum illud Ecclesiastae primo [9]: « Generatio praeterit, et generatio advenit ». Haec *praeterit,* quando transit ad immortalitatem per resurrectionem; Glossa [10]: « De mortalitate ad immortalitatem ». Et haec resurrectio non erit ante praedictorum consummationem, quia, Iob decimo quarto, « homo, cum dormierit, non resurget, donec atteratur caelum ».

53. (Vers. 33.). Et ideo subdit: *Caelum et terra transibunt,* Transit figura mundi. quantum ad *exteriorem figuram;* Psalmus [11]: « Tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt caeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes » etc.; et ideo primae ad Corinthios septimo: « Praeterit figura huius mundi ». Unde Isaiae quinquagesimo primo: « Caeli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur »; et Isaiae sexagesimo quinto: « Ecce, ego creo caelos novos et terram novam ». — Et ideo transeunt haec omnia sicut temporalia, sed econtra, Non transeunt verba Dei. *verba autem mea non transibunt,* quantum ad *interiorem sententiam;* Psalmus [12]: « In aeternum, Domine, permanet verbum tuum ». Unde Gregorius: « Omne, quod apud vos durabile et sine mutatione est, ad aeternitatem durabile non est; et omne, quod apud me transire cernitur, fixum et sine transitu tenetur ». Unde Isaiae quadragesimo [13]: « Exsiccatum est foenum, et cecidit flos; verbum autem Domini nostri manet in aeternum ». Qui vult igitur aeternaliter manere, oportet, quod in transitoriis non moretur, sed potius deserendo transitoria per divina verba transeat ad aeterna.

54. Propter quod notandum, quod mundus iste transit quantum ad omne quod habet in se appetibile. Mundus transit quoad celsitudinem. Transit primo quoad *celsitudinem;* Sapientiae

---

[1] Vers. 19. — Superius pro *sic et homo occupatus* Vat. *sic nec homo, qui occupatur.*

[2] Homil. 39. in Matth. 21, 19. (Op. imperfect.): Sicut ergo *difficile* est, arborem... *iustitiam* immaculatam usque in finem servare.

[3] Vers. 11. et 13. — Sequitur Hebr. 12, 11. — Superius pro *fructificant, abscedente hieme* Vat. *fructificabant, absente hieme.* Inferius pro *per tolerantiam tribulationis* C D *per tolerantiam tribulationum.*

[4] Codd. C D *quia.* — Glossa seq. est *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 1. n. 3.) in Luc. 21, 29.

[5] Vers. 8, ubi pro *Aufert* H cum Vulgata *Auferet;* eadem Vulgata omittit *omnem,* quod etiam exhibent Septuaginta. — Sequitur Ps. 125, 6.

[6] Vers. 22, ubi pro *facis* C D G H *facit.*

[7] Serm. 33. in Cant. n. 6; in fine allegatur Cant. 2, 11: Iam enim hiems transiit, imber abiit et recessit. Pro *videar,* quod habet textus originalis, quem sequitur Vat. cum nonnullis codd., A C D *videatur.*

[8] Vat. cum Vulgata *quia,* H *quoniam* (cfr. Marc. 13, 30.). — Glossa seq. est *interlinearis* (cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 1. n. 4. in principio).

[9] Vers. 4.

[10] Scilicet *interlinearis.* Chrysost., Homil. 39. in Matth. 24, 34. (Op. imperfect.): *Generatio ista,* id est, aut facientium hanc tentationem, aut patientium, aut peccatorum hominum, aut daemonum, qui operantur in eis... aut certe Christianorum generationem dicit, id est: *generatio* ista mortalis non transibit ad immortalitatem, *donec,* id est, nisi haec fuerint consummata, ut postea immortalis et impassibilis fiat. — Subinde allegatur Iob 14, 12.

[11] Psalm. 101, 26. seq. — Sequuntur I. Cor. 7, 31; Isai. 51, 6. (A C D: *Caeli sicut fumus et cera liquescunt* etc.) et 65, 17. — Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Caelum,* aëreum, non aethereum, *et terra transibunt,* innovabuntur, deposita priori forma, permanente autem substantia; unde dicitur [Eccle. 1, 4.]: *Terra in aeternum stat.* Cfr. Hieron., IV. Comment. in Matth. 24, 35. Vide etiam tom. IV. pag. 992, notam 8. et pag. 993, notam 7.

[12] Psalm. 118, 89. — Sententia Gregorii habetur I. Homil. in Evang. homil. 1. n. 4. Pro *apud vos* (ita H cum textu originali) Vat. *apud nos.* In fine additur: Quia sine mutabilitate manentes sententias exprimit meus sermo, qui transit.

[13] Vers. 7. et 8.

quinto[1]: « Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia » etc.; Psalmus: « Vidi impium superexaltatum » etc. — **Quoad pulcritudinem.** Secundo quoad *pulcritudinem;* Psalmus[2]: « Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat »; et Iacobi primo: « Glorietur frater humilis in exaltatione sua, dives autem in humilitate sua, quia sicut flos foeni transibit. Exortus est enim sol cum ardore et arefecit foenum ». — **Quoad dulcedinem.** Tertio quoad *dulcedinem;* primae Ioannis secundo[3]: « Mundus transit et concupiscentia eius »; Proverbiorum quinto: « Favus distillans labia meretricis ». — **Triplex transitus mundo adhaerenti.** Ergo qui his transitoriis adhaeret triplicem facit transitum. Primus est *a culpa in culpam;* Sapientiae secundo[4]: « Coronemus nos rosis, antequam marcescant; nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra » etc. Secundus est *a culpa in poenam;* Sapientiae secundo[5]: « Umbrae transitus est tempus nostrum »; et Iob septimo: « Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur ». Tertius est *a poena in poenam;* Iob vigesimo quarto[6]: « Transibunt ab aquis nivium ad nimium calorem ». — **Alius triplex a mundo transeunti.** Qui autem transit a transitoriis triplicem facit transitum. Primus est *a culpa ad poenitentiam;* et de hoc Actuum duodecimo[7]: « Transeuntes primam et secundam custodiam venerunt ad portam ferream »; et hic designatus fuit in transitu *maris rubri,* Exodi decimo quarto. Secundus est *a poenitentia ad sapientiam;* Ecclesiastici vigesimo quarto[8]: « Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini »; et hic designatur in transitu *per desertum,* in quo filii Israel gustaverunt manna, Exodi decimo sexto. Tertius est *a sapientia ad vitam aeternam;* Psalmus[9]: « Transivimus per ignem et aquam » etc.; et Ioannis decimo tertio: « Sciens, quia venit hora eius » etc.; et hic designatur in transitu *Iordanis,* quo ingressi sunt terram promissionis; Iosue quarto: « Festinavit populus, ut transiret; cumque transissent omnes, transivit et arca Dei ». — **Notandum.** Qui hunc triplicem facit transitum, ille solus est Hebraeus et celebrat verum pascha; quia *pascha* nihil aliud est quam transitus[10].

55. (Vers. 34.). *Attendite autem vobis* etc. **In tertio excitat ad vigilantiam quadrupliciter.** Postquam erudivit discipulos ad providentiam et erexit ad confidentiam, hic tertio[11] *excitat ad vigilantiam;* quod quidem facit quadrupliciter, scilicet *dissuadendo contrarium, insinuando periculum, persuadendo propositum* et *introducendo exemplum.*

**Dissuadetur contrarium.** Primo igitur quantum ad *dissuasionem oppositi vigilantiae* dicit: *Attendite autem vobis,* per vigilantiam, *ne forte graventur corda vestra,* per somnolentiam; Sapientiae nono[12]: « Corpus, quod corrumpitur, animam aggravat »; *in crapula et ebrietate et curis huius vitae,* per excessum in gula; Ecclesiastici trigesimo septimo: « Propter crapulam multi perierunt, qui autem abstinens est adiiciet vitam ». **Triplex ineptitudo.** Huiusmodi autem superfluitas ineptos nos reddit ad vigilandum circa *studium veritatis;* Proverbiorum vigesimo[13]: « Luxuriosa res est vinum, et tumultuosa ebrietas. Quicumque his delectatur, non erit sapiens »; et ideo Ecclesiastae secundo: « Cogitavi a vino abstrahere carnem meam; ut transferrem animam meam » etc. Item, circa *exercitium virtutis;* ad Romanos decimo tertio[14]: « Sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus et ebrietatibus » etc.; et ad Philippenses tertio: « Multi ambulant, quos saepe dicebam vobis; quorum finis interitus, quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum »; et ad Romanos decimo sexto: « Huiusmodi Christo non serviunt, sed suo ventri ». Item, circa *excessum contemplationis;* ad Ephesios quinto[15]: « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobis » etc.; ad Hebraeos decimo tertio: « Optimum est gratia stabilire cor, non escis »; quia, ad Romanos decimo quarto, « regnum Dei non est esca et potus, sed iustitia et pax » etc.

56. Secundo quantum ad *insinuationem periculi* **Insinuatur periculum.** subdit: *Et superveniat in vos repentina dies illa,* propter inconsideratum eventum. *Repente* enim evenit quod non praevidetur; Isaiae trigesimo[16]: « Subito, dum non speratur, veniet contritio eius ». Venit enim ille dies iudicii repente his qui se non praeparaverunt contra ipsum; supra duodecimo: « Si dixerit servus ille: Moram facit dominus meus venire, et coeperit edere et bibere et inebriari; veniet dominus servi illius in die, qua non sperat, et hora, qua nescit; et dividet eum partemque eius ponet cum infidelibus ».

57. (Vers. 35.). Et quantum ad tales subdit: **Periculum hominum terrenorum.** *Tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terrae,* id est super omnes, qui terrenis incumbunt. Unde Ieremiae

---

[1] Vers. 8. seq. et deinde Ps. 36, 35.
[2] Psalm. 89, 6, post quem Iac. 1, 9-11.
[3] Vers. 17, cui subnectitur Prov. 5, 3.
[4] Vers. 8.
[5] Vers. 5. et deinde Iob 7, 6.
[6] Vers. 19. Cfr. supra pag. 353, nota 1.
[7] Vers. 10. — Sequitur Exod. 14, 22. seqq.
[8] Vers. 26. — Subinde allegatur Exod. 16, 1. seqq.
[9] Psalm. 65, 12, cui subiunguntur Ioan. 13, 1. et Iosue 4, 10. seq.
[10] Exod. 12, 11: Est enim phase [Graece: *pascha*], id est transitus Domini. — Pro *pascha* Vat. *phase* (cfr. infra c. 22. n. 2. et 10.).
[11] Cfr. supra n. 41. — Vat. omittit *et erexit ad confidentiam.*
[12] Vers. 15. — Subinde allegatur Eccli. 37, 34.
[13] Vers. 1, post quem Eccle. 2, 3.
[14] Vers. 13. — Duo loci seqq. sunt Phil. 3, 18, seq. et Rom. 16, 18.
[15] Vers. 18, seq., ubi pro *implemini* codd. *inebriamini.* — Sequuntur Hebr. 13, 9. et Rom. 14, 17.
[16] Vers. 13. — Subinde allegatur Luc. 12, 45. seq.

quadragesimo octavo[1]: « Pavor et fovea et laqueus super te, o habitator Moab », per quem quidem *carnales* intelliguntur, qui super terram sedent, de quibus in Psalmo[2]: « Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster »; Ezechielis vigesimo sexto: « In terra sedebunt, et attoniti super repentino casu tuo, admirabuntur ». De hoc autem posuit Dominus supra decimo septimo[3] duplex exemplum, scilicet de diebus Noe et de diebus Lot; quia primi perierunt *diluvio*, secundi *incendio*. Et de talibus Iob vigesimo primo: « Domus eorum securae sunt et pacatae ». « Tenent tympanum et citharam et gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt ».

Duplex exemplum.

58. (Vers. 36.). Tertio quantum ad *persuasionem propositi* subiungit: *Vigilate itaque, omni tempore*[4] *orantes*. Attendendum est autem, quod simul iungit *vigilantiam* et *orationem*. Nam *vigilare* oportet contra *hostem extrinsecum*, scilicet diabolum; primae Petri ultimo[5]: « Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus » etc.; et contra *domesticum*, scilicet carnem; et ideo Ecclesiastici trigesimo primo: « Vigilia honestatis tabefaciet carnes ». *Vigilare* oportet ad *profectum virtutis*; secundae ad Corinthios sexto[6]: « In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in vigiliis multis » etc. — *Vigilare* oportet per *desiderium contemplationis*; Canticorum quinto[7]: « Ego dormio, et cor meum vigilat »; et Isaiae vigesimo sexto: « Anima mea desideravit te in nocte » etc. Et quoniam nec possumus *hostes revincere* nec *in bono proficere* nec *consolationes supernas habere* nisi per donum gratiae divinae, ideo oportet *orare;* et propterea Matthaei vigesimo sexto[8]: « Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem »; et Ecclesiastici trigesimo nono: « Iustus cor suum tradet ad vigilandum diluculo » etc. — Quia igitur oportet vigilare propter *declinationem mali*, ideo addit: *Ut digni habeamini fugere ista omnia, quae futura sunt*, secundum illud Matthaei vigesimo quarto[9]: « Orate autem, ne fiat fuga vestra in hieme vel Sabbato ». Et hoc orabat Propheta in Psalmo: « Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam » etc. — Oportet vigilare etiam propter *adeptionem boni*, et ideo addit: *Et stare ante Filium hominis;* Glossa[10]: « Haec est summa beatitudinis, in praesentia iudicis securum consistere »; Iob vigesimo tertio: « Quis mihi tribuat, ut cognoscam et inveniam illum et veniam usque ad solium eius »? Et ideo Apocalypsis septimo: « Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna et laverunt stolas suas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei et serviunt ei die ac nocte in templo eius ». Et hic semper est orandum; unde in Psalmo[11]: « Sitivit anima mea ad Deum, fontem vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei »!

Persuadetur propositum. Notandum.

Triplex vigilantia.

59. (Vers. 37.). Quarto quantum ad *introductionem exempli* subiungitur: *Erat autem diebus docens in templo*, ut vigilans circa *exercitium activae*, ut exemplum daret ad exercitium actionis perfectae, secundum illud secundae ad Timotheum quarto[12]: « Praedica verbum, insta opportune, importune » etc.; et iterum ibidem: « Tu vero vigila, in omnibus labora » etc. — *Noctibus vero exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti*, ut vigilans circa *otium contemplativae*, secundum illud Threnorum secundo[13]: « Consurge in nocte, in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ». Et ex his duobus exemplum dabat perfectae vigilantiae in activa et contemplativa cunctis praelatis, secundum illud Canticorum tertio[14]: « En lectulum Salomonis ambiunt sexaginta fortes ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi »; et Isaiae vigesimo primo: « Super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem, et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus ».

Introducitur exemplum exercitii activae.

Et otii contemplativae.

Notandum.

60. (Vers. 38.). Et quia talis praelatus et doctor libenter auditur, ideo subdit: *Et omnis populus manicabat*[15] *ad eum in templo, audire illum*, ut vigilans ad disciplinam, secundum illud Proverbiorum octavo: « Qui mane vigilaverint ad me

Effectus utriusque.

---

[1] Vers. 43. — Glossa *interlinearis: Tanquam laqueus*, insperatus et perpetuo retinens quod semel ceperit, *superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terrae*, quibus placent illecebrae huius mundi. Cfr. Theophylact. in hunc loc.

[2] Psalm. 43, 25, post quem Ezech. 26, 16.

[3] Vers. 26-29. (cfr. Gen. 7, 7. et 19, 25.). — Sequuntur Iob 21, 9. et 12. seq.

[4] « Non quibusdam certis diebus vel horis », ut explicat Glossa *interlinearis* (ex Beda).

[5] Vers. 8. — Subinde allegantur Eccli. 31, 1.

[6] Vers. 4. seq. — Pro *profectum virtutis* Vat. *perfectionem virtutis*.

[7] Vers. 2, cui subnectitur Isai. 26, 9.

[8] Vers. 41. et dein Eccli. 39, 6.

[9] Vers. 20. — Sequitur Ps. 142, 1. — Superius pro *declinationem mali* Vat. *inclinationem mali*.

[10] Scilicet *interlinearis*. Theophylact. in hunc loc.: Oportet igitur, Christianum non solum fugere aspera, sed et curare, ut gloriam accipiat. Angelica enim dignitas est stare coram Filio hominis et Deo nostro. *Angeli eius*, inquit [Matth. 18, 10.], *semper vident faciem Patris mei.* — Duo seqq. loci sunt Iob 23, 3. et Apoc. 7, 14. seq.

[11] Psalm. 41, 3, de quo cfr. supra pag. 370, nota 12.

[12] Vers. 2. et deinde v. 5.

[13] Vers. 19. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 21, 37: Quod verbo docuit exemplo astruit. Qui ante universale iudicium et singulorum incertum exitum voluptatibus et curis saeculi renuntiare et vigilare monuit et orare, ipse imminente sua passione doctrinae, vigiliis precibusque instat etc.

[14] Vers. 7. seq., post quem Isai. 21, 8.

[15] Card. Hugo et Lyranus *mane ibat;* subinde post *ad eum* C D G H (etiam B. Albert.) addunt *venire;* pro *in templo* G *in templum*, et pro *illum* (ita etiam B. Albert.) Vat. cum Vulgata *eum*. — Sequitur Prov. 8, 17.

invenient me ». *Manicare* autem idem est, quod mane accelerare [1], quia mane surgere oportet ad studium sapientiae; Isaiae quinquagesimo: « Erigit mihi mane aurem, ut audiam eum quasi magistrum »; et Proverbiorum octavo: « Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit inveniet vitam et hauriet salutem a Domino ».

## Capitulum XXII.

### Pars III. De passionis medicamento agitur dupliciter.

1. *Appropinquabat autem dies festus azymorum* etc. Postquam terminata est pars illa, quae est de incarnatione Verbi, et illa quae est de praedicatione eius et doctrina, hic agitur de *passione*, per quam Christus est hostia [2]. Dividitur autem pars ista in duas. In quarum prima agitur de passione quantum ad *antecedentia;* in secunda, quantum ad *concomitantia*, ibi: *Adhuc eo loquente, ecce turba*, infra eodem capitulo [3].

*Primo, de passione quoad quatuor antecedentia.*

*Antecedentia* autem ad passionem fuerunt quatuor, scilicet *perversa machinatio proditoris*, de qua primo. Secundum est *dispensativa institutio Sacramenti altaris*, de quo ibi [4]: *Venit autem dies azymorum.* Tertium vero est *provida eruditio discipulorum*, ibi: *Facta est autem et contentio inter eos.* Quartum autem est *devota supplicatio precis ad Deum*, ibi: *Et egressus, ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum.*

Primo, de machinatione proditoris dicuntur quatuor.

Describitur autem *machinatio proditoris* secundum quadruplicem comparationem, scilicet per comparationem ad *temporis opportunitatem*, ad *Iudaicae machinationis fraudem*, ad *diabolicae suggestionis improbitatem* [5] et ad *Iudae proditoris cupiditatem.* Haec quatuor ad machinationem proditoris concurrebant; nam opportunitas temporis se offerebat, Iudaica perversitas consentiebat, diabolica improbitas suggerebat et propria cupiditas attrahebat.

2. (Vers. 1.). Primo igitur quantum ad *temporis opportunitatem* dicit: *Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur pascha.* Tempus enim paschale, in quo immolabatur agnus, erat opportunum ad occidendum Christum, cuius mors per illud pascha typicum designabatur. *Pascha* enim transitus est [6]; et Ioannis decimo tertio dicitur: « Sciens Iesus, quia venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem ». Hac igitur die appropinquante, in qua debebat offerri agnus, facta est machinatio proditoris per biduum ante, secundum illud Matthaei vigesimo sexto [7]: « Scitis, quia post biduum pascha fiet, et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur ». Unde secundum historiam evangelicam Christus in die Sabbati venit Bethaniam, ubi facta est ei coena, secundum illud Ioannis duodecimo: « Ante sex dies paschae venit Iesus Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus ». « Fecerunt autem ei coenam ibi » etc. In die autem sequenti venit Ierusalem et exceptus est cum magno gaudio; unde Ioannis duodecimo [8]: « In crastinum autem turba multa, quae venerat ad diem festum, cum audissent, quia Iesus venit Ierusalem, acceperunt ramos palmarum et processerunt obviam ei ». Diebus duobus sequentibus in templo docuit; in die Mercurii tractatum est de proditione, et in sero diei Iovis comprehensus, et in die solemni, scilicet die Veneris, crucifixus est. Et ita *appropinquante festo azymorum* debuit tradi, in quo ipse disposuerat pati; nec enim ante aliquis potuit in mortem eius efficaciter machinari, quia, quando disposuit, passus fuit, secundum illud Ioannis septimo [9]: « Nemo misit in illum manum, quia nondum venerat hora eius »; et Ioannis decimo: « Potestatem habeo ponendi eam » etc.

Temporis opportunitas.

3. (Vers. 2.). Secundo quantum ad *Iudaicae machinationis fraudem* subdit: *Et quaerebant principes sacerdotum et scribae, quomodo Iesum interficerent. Principes sacerdotum* quaerebant, in quibus debebat esse praerogativa sanctitatis; unde Exodi vigesimo octavo [10]: « Consecrabis manus filiorum Aaron et sanctificabis eos, ut sacerdotio fungantur mihi ». Sed poterat dici eis illud Isaiae primo:

Iudaicae machinationis fraus.

---

[1] Sive ut Glossa *interlinearis* ait: Id est, mane ire accelerabat. Cfr. August., Qq. in Iudic. q. 46. — Subinde allegantur Isai. 50, 4. et Prov. 8, 34. seq.

[2] Cfr. supra Prooem. n. 23. et c. 1. n. 7.

[3] Vers. 47.

[4] Vers. 7; tertium habetur v. 24. et quartum v. 39.

[5] Codd. A C D G H *importunitatem* (idem recurrit infra n. 4.); vide tamen paulo inferius, ubi etiam dicti codd. legunt *diabolica improbitas suggerebat.*

[6] Cfr. supra pag. 538, nota 10. Beda (qui sequitur Hieron., IV. Comment. in Matth. 26, 1.), VI. in Luc. 22, 1: *Pascha*, quod Hebraice dicitur *phase*, non a passione, ut plerique arbitrantur, sed a transitu nominatur, eo quod exterminator, videns sanguinem in foribus Israelitarum, pertransierit nec percusserit eos, vel ipse Dominus praebens auxilium populo suo, desuper ambularit. — Sequitur Ioan. 13, 1.

[7] Vers. 2. — Subinde allegantur Ioan. 12, 1. et 2.

[8] Vers. 12. seq. Pro *venerat* et *audissent* C D H *convenerat* et *audisset.*

[9] Vers. 30, post quem 10, 18. — Superius Vat. omittit *pati.*

[10] Vers. 41, cui subiungitur Isai. 1, 15.

« Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam ». Unde et hi cum adiutorio *scribarum* quaerebant interficere doctorem veridicum, secundum illud Ioannis septimo[1]: « Quid me quaeritis interficere, hominem, qui vera locutus sum vobis »? — Hi autem fraudulenter quaerebant; ideo addit: *Timebant vero plebem;* unde Hieronymus[2]: « Non seditionem metuentes, sed ne auxilio populi de suis manibus tolleretur ». Et ideo dicitur Marci decimo quarto: « Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo »; et ideo hoc volebant facere quasi in occulto. Nam hic est mos perversorum, secundum illud Proverbiorum primo[3]: « Pedes eorum ad malum currunt et festinant, ut effundant sanguinem »; et post: « Ipsi contra sanguinem suum insidiantur et moliuntur fraudes contra animas suas »; quia, dum quaerunt interficere fontem vitae, inveniunt mortem, secundum illud Proverbiorum undecimo: « Bene consurgit diluculo qui quaerit bona; qui autem investigator malorum est opprimetur ab eis ».

Diabolicae suggestionis improbitas.

4. (Vers. 3.). Tertio quantum ad *diabolicae suggestionis improbitatem* adiungit: *Intraverat*[4] *autem satanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim. Intrasse* autem dicitur non per illapsum essentiae, sed per suggestionem nequitiae, secundum illud Ioannis decimo tertio[5]: « Cum diabolus misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotis ». — Sed Ioannes dicit, quod intraverat *post buccellam* a Domino datam; Ioannis decimo tertio: « Et post buccellam intravit in eum satanas ». Sed Glossa[6] dissolvit dicens: « Ante buccellam invaserat eum satanas, et quem prius intraverat, ut deciperet, postmodum intravit, ut sibi traditum plenius possideret ». — Ideo autem *cognominat* eum, ut distinguat a Iuda, fratre Iacobi; sive quia *Iscariotes*[7] interpretatur memoria mortalitatis, et ideo hoc dicit, quia in hoc insinuatur, quod non repente persuasus, sed diu fuerat meditatus scelus. Exprimit etiam eius *dignitatem*, ut ostendat ipsius ingratitudinem; Ioannis decimo quinto[8]: « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos »; et specialiter Apostolos elegit de numero discipulorum aliorum ad *dignitatem* pontificatus. Unde Ioannis sexto: « Nonne duodecim vos elegi? et ex vobis unus diabolus est. Dicebat autem de Iuda Simonis Iscariotae; hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim ». Hoc autem Dominus dispensative fecit ad *timorem incutiendum*, secundum illud Matthaei vigesimo[9]: « Multi sunt vocati, pauci vero electi »; et ad *iustorum animum confortandum*, ut non scandalizentur pro uno malo contra congregationem iustorum, quia primae Ioannis secundo: « Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis ».

Difficultas solvitur.

Notandum.

Iudae proditoris cupiditas.

5. (Vers. 4.). Quarto quantum ad *Iudae proditoris cupiditatem* subiungitur: *Et abiit*[10] *et locutus est cum principibus sacerdotum et magistratibus.* Cum illis locutus est, quia sciebat, quod sitiebant sanguinem Christi. — Locutus est autem verba proditionis, et ideo addit: *Quemadmodum illum traderet eis;* in qua quidem locutione pretium sanguinis petiit, secundum illud Matthaei vigesimo sexto[11]: « Quid vultis mihi dare? et ego eum vobis tradam ». Unde sitis cupiditatis commovebat Iudam, et sitis crudelitatis commovebat principes sacerdotum; et ideo simul in unum commercium perversum et impium consenserunt.

Iudaeorum gaudium et pactum.

6. (Vers. 5.). Propter quod adiungit: *Et gavisi sunt et pacti sunt pecuniam illi dare. Gavisi sunt* de malitia, secundum illud Proverbiorum secundo[12]: « Laetantur, cum male fecerint » etc. *Pacti sunt*, quasi pactum fecerunt, et summa fuit de triginta argenteis; Matthaei vigesimo sexto: « At illi constituerunt ei triginta argenteos ». Valent autem argentei triginta trecentos denarios usuales. Et hoc fuit pretium unguenti, quod Magdalena super caput Christi effudit, secundum illud Ioannis duodecimo[13]: « Quare hoc unguentum non venditur trecentis denariis et datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea quae mittebantur, portabat ». Et ideo hoc pretium recompensabatur venditione Domini. Huius figura praecessit in venditione Ioseph, Genesis trigesimo septimo[14], ubi dicitur secundum litteram

Figura.

---

[1] Vers. 20. et 8, 40; cfr. supra pag. 500, nota 9.

[2] Libr. IV. Comment. in Matth. 26, 3. seqq., ex quo est Glossa *interlinearis* in Luc. 22, 2. — Sequitur Marc. 14, 2.

[3] Vers. 16. et 18, post quos Prov. 11, 27.

[4] Vat. cum Vulgata *Intravit;* subinde pro *cognominabatur Iscariotes* C D G H *cognominatur* (Beda *vocatur*) *Scarioth* (ita Card. Hugo et B. Albert.); cfr. supra pag. 145, nota 3.

[5] Vers. 2. et deinde v. 27. — Vat. omittit *Cum diabolus... a Domino datam.*

[6] Scilicet *ordinaria* (ex Beda).

[7] Codd. *Scarioth.* Hieron., de Nominib. Hebraic. nov. testam. de Matthaeo: *Iscarioth*, memoriale Domini; quod si voluerimus legere *Issacharioth*, interpretatur: est merces eius. Potest autem dici et memoria mortis.

[8] Vers. 16. et subinde 6, 71. seq., ubi pro *de Iuda Simonis Iscariotae* (cfr. Bonav., Comment. in hunc locum, ubi ponitur *Iscariotis;* codd. C D *Scariotis*) Vulgata *Iudam Simonis Iscariotem.*

[9] Vers. 16. — Subinde allegantur I. Ioan. 2, 19.

[10] Glossa *interlinearis* (ex Beda): Non a principibus invitatur, nulla necessitate constringitur, sed propria sponte sceleratae mentis iniit consilium.

[11] Vers. 15. — Chrysost., Homil. 80. (alias 81.) in Matth. n. 3: Tantum est avaritia malum; haec quippe illum et sacrilegum et proditorem effecit. Audite, omnes avari, qui Iudae morbo laboratis; audite et cavete vobis ab illo morbo etc.

[12] Vers. 14. — Sequitur Matth. 26, 15.

[13] Vers. 5. et 6.

[14] Vers. 28. Romanae correctiones Vulgatae (iussu Sixti V.) in Gen. 37, 28: « Deinde nec hic numerus *viginti* mutandus est cum maiore *triginta* ». Beda, in Gen. 37: « Ille [Ioseph] per Iudae consilium *triginta* distrahitur, et hic [Christus] per consilium Iudae Iscarioth triginta argenteis venundatur ». Ambros., de Ioseph Patriarcha, c. 3. n. 14: « Ideo alibi *viginti*, alibi *viginti et quinque* aureis, alibi *triginta* invenimus emptum

consuetam, quod venditus fuit triginta denariis; et de hoc Zachariae undecimo: « Appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Proiice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis ».

7. (Vers. 6.). Hoc ergo pretio Iudas Christum vendidit, et ideo addit: *Et spopondit. Et quaerebat opportunitatem, ut traderet illum sine turbis.* Hi *turbam* fugiebant, quia ipsum sicut verum Prophetam habebant; unde Ioannis septimo[1]: « Nunquid aliquis de principibus credidit in eum? Sed turba haec, quae ignorat Legem, maledicti sunt ». Fugiebat Iudas publicum et quaerebat secretum, quia, Ioannis tertio[2], « qui male agit odit lucem ». — Et attendendum est, quod Christus traditus fuit a *Patre* per *abundantissimam pietatem;* ad Romanos octavo[3]: « Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum » etc.; a *se,* per *ardentissimam caritatem;* ad Ephesios quinto: « Dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis »; a *proditore,* per *scelestissimam cupiditatem,* infra eodem: « Ecce, manus tradentis me » etc.; et Matthaei vigesimo sexto: « Quid vultis mihi dare » etc.

Iudas quaerebat opportunitatem et secretum.

Tres modi tradendi.

Secundo, de dispensativa institutione Sacramenti altaris dicuntur duo.

8. *Venit autem dies azymorum* etc. Postquam descripsit Evangelista perversam machinationem Iudae proditoris, hic secundo[4] describit *dispensativam institutionem Sacramenti altaris.* Et quoniam hoc Sacramentum succedere debebat agno paschali, ideo pars ista duas habet partes, in quarum prima agitur de *praeparatione cibi paschalis;* in secunda, de *esu agni* et *consecratione Sacramenti altaris,* ibi[5]: *Et cum facta esset hora, discubuit.*

Divisio.

Circa *praeparationem* autem *cibi paschalis describendam* quatuor introducuntur ad hoc concurrentia, scilicet *opportunitas diei, iussio*[6] *Magistri, congruitas loci* et *adimpletio praecepti.*

De praeparatione cibi paschalis tanguntur quatuor.

9. (Vers. 7.). Primo quantum ad *opportunitatem diei observandam* dicit: *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha.* Haec autem dies erat quarta decima luna mensis, secundum illud Exodi duodecimo[7]: « Servabitis agnum usque ad quartam decimam diem mensis huius; immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam »; et Levitici vigesimo tertio: « Mense primo quarta decima die mensis ad vesperum phase Domini est; et quinta decima die mensis huius solemnitas est azymorum Domini. Septem diebus azyma comedetis ». Ex quo apparet, quod Christus celebravit pascha eo die, quo consuetum erat secundum Legem, ac per hoc celebravit in azymis; quia, Deuteronomii decimo sexto[8], « non apparebit fermentatum in omnibus finibus tuis ».

Opportunitas diei.

Notandum.

10. Et ideo de azymo confecit, secundum quod conveniebat *figurae;* Exodi duodecimo[9]: « Et edent carnes nocte illa assas igni et azymos panes cum lactucis agrestibus ». Competit etiam hoc *huic Sacramento,* secundum illud primae ad Corinthios quinto: « Epulemur, non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis » etc. Et hoc confirmatur per alios duos Evangelistas, Matthaeum scilicet et Marcum, quia utrique dicunt, Christum celebrasse phase primo die azymorum, Matthaei vigesimo sexto[10] et Marci decimo quarto. — Sed huic obviare videtur Ioannes. Ioannis decimo tertio[11] dicitur: « Ante diem festum paschae » etc.; et iterum decimo octavo: « Iudaei non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed manducarent pascha ». Et ideo Graeci dicunt, quod Christus celebravit phase ante quartam decimam lunam; nam in illa ipse immolatus est et crucifixus; et ideo dicunt, quod confecit de fermentato. — Sed Graeci falluntur, quia compelluntur dicere, quod alii Evangelistae a Ioanne dixerunt falsum. Falluntur autem, quia nomen *phase* aequivoce accipitur. Aliquando enim accipitur pro ipso agno occidendo, sicut accipitur hic[12]: *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha;* aliquando pro cibo paschali, sicut Ioannis decimo octavo[13]: « Ut manducarent pascha », id est azymos panes, qui erant cibus phaselis; aliquando pro quinta decima die mensis; Levitici vigesimo tertio[14]: « Quinta decima die mensis huius solemnitas est azymorum Domini. Septem diebus azyma comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus » etc. Et sic accipitur Ioannis decimo tertio. Respondet autem

Duplex azymi convenientia.

Obiectio Graecorum.

Solutio.

Ioseph, quia non omnibus unius aestimatione pretii valet Christus » etc. Idem insinuatur Serm. 13. in Append. August. (alias 81. de Tempore) n. 2. Cfr. Hieron., IV. Comment. in Matth. 26, 16, ubi impugnat lectionem Septuaginta *viginti aureis* (pro *viginti argenteis*): « Neque enim pretiosior erat servus [Ioseph] quam Dominus ». — Subinde allegatur Zach. 11, 12. seq., ubi pro *argenteos* A C D H *argenteis.*

[1] Vers. 48. et 49. [2] Vers. 20.

[3] Vers. 32. — Tres seqq. loci sunt Eph. 5, 2; Luc. 22, 21. et Matth. 26, 15. Cfr. III. Sent. d. 20. dub. 3.

[4] Cfr. supra n. 1.

[5] Vers. 14.

[6] Vat. *missio* (idem recurrit infra n. 11.); cfr. tamen quartum membrum divisionis, scilicet adimpletio *praecepti,* sive ut infra n. 17. habetur, *mandati.*

[7] Vers. 6, ubi pro *diem* A C D H *lunam;* cfr. Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 7, infra n. 10. in fine allegata. — Sequuntur Lev. 23, 5. et 6.

[8] Vers. 4, ubi pro *finibus* Vat. cum Vulgata *terminis.*

[9] Vers. 8. — Subinde allegatur 1. Cor. 5, 8.

[10] Vers. 17. et Marc. 14, 12. Plura vide IV. Sent. d. 11. p. II. a. 2. q. 1.

[11] Vers. 1. et deinde 18, 28. — Vat. omittit *Sed huic obviare... festum paschae.*

[12] Cfr. Beda, VI. in Luc. 22, 7.

[13] Vers. 28; cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 18. n. 59. et Beda, VI. in Luc. 22, 1. — Vat. hoc secundum membrum responsionis omittit.

[14] Vers. 6. et 7., post quos Ioan. 13, 1; cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 13. n. 2. et 13.

veritas figurae, licet quinta decima die fuerit crucifixus; unde Glossa[1]: « Licet sequenti die, id est quinta decima luna, sit crucifixus, hac tamen nocte, qua agnus immolabatur, carnis et sanguinis Sacramenta tradidit, et a Iudaeis tentus et ligatus, ipsius immolationis sacravit exordium ».

Iussio Magistri.

11. (Vers. 8.). Secundo quantum ad *iussionem Magistri perficiendam* subdit: *Et misit Petrum et Ioannem dicens: Euntes parate nobis pascha, ut manducemus.* Misit autem Petrum et Ioannem tanquam duos, qui erant inter alios magis principales: unus tanquam magis diligens, alter tanquam magis dilectus[2]; seu propter significationem. Nam Petrus *agnoscens*, et Ioannes, *in quo est gratia*, insinuant nobis fidem cum caritate; et haec sunt, quae praeparant ad manducationem. Nam per fidem est *masticatio*, per caritatem *incorporatio;* propter quod Ioannis sexto[3]: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet, et ego in illo ». Item, per Petrum *scientia*, per Ioannem *virtus et gratia;* et haec sunt quae praeparant hominem; Psalmus[4]: « Iustitia et iudicium praeparatio sedis tuae »; quia quod scientia dictat virtus exsequitur. Insinuatur igitur ex hoc, quod nullus debet accedere ad cibum paschalem nisi praeparatus; propter quod primae ad Corinthios undecimo[5]: « Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat. Nam qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit ». Et ideo e contrario dicitur Apocalypsis decimo nono[6]: « Venerunt nuptiae Agni, et uxor eius praeparavit se ». Nam qui vestem nuptialem non habet expellitur ab hoc convivio; Matthaei vigesimo secundo: « Intravit autem rex, ut videret discumbentes; et invenit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti » etc.

Notandum.

Congruitas loci.

12. (Vers. 9. 10.). Tertio quantum ad *congruitatem loci inveniendam* adiungit: *At illi dixerunt: Ubi vis paremus?* tanquam in loco congruo, quia dicitur Deuteronomii decimo sexto[7]: « Immolabis phase in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus ». — *Et dixit ad eos: Ecce, introeuntibus vobis in civitatem occurret vobis homo quidam amphoram aquae portans,* pro signo directivo. Marcus autem dicit decimo quarto[8]: « Occurret vobis homo lagenam aquae baiulans ». Augustinus etiam de Concordia Evangelistarum dicit, quod « Marcus *lagenam*, Lucas *amphoram* dicit, unus vasis *genus*, alter *modum* significavit ».

Signum directivum.

13. (Vers. 10. 11.). Et quia hoc signum erat directivum, ideo addit: *Sequimini eum in domum, in quam intrat, et dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi Magister: Ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem?* tanquam in loco secreto et quieto. Domum ab alio quaerit, quam non habebat, sicut dicit Matthaei octavo[9]: « Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet ». Requirit autem secretum, quia « in pace factus est locus eius ».

Conceditur coenaculum.

14. (Vers. 12.). Et quia sciebat eius affectum, ideo addit: *Et ipse ostendet vobis coenaculum magnum stratum, et ibi parate,* tanquam in loco honesto. Haec secundum litteram sunt plana.

Expositio spiritualis. Tria de Ecclesia.

15. *Spiritualiter* autem per *civitatem* intelligitur *Ecclesia*, quae est civitas *firma;* Psalmus[10]: « Fundamenta eius in montibus sanctis »; et post: « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei »; et rursus: « Quis deducet me in civitatem munitam »? Civitas *pulcra;* Apocalypsis vigesimo primo[11]: « Vidi sanctam civitatem Ierusalem novam, descendentem de caelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo ». Civitas *iucunda;* Psalmus: « Fluminis impetus laetificat civitatem Dei ». — Per *coenaculum* autem intelligitur *anima sancta*, quae debet esse *elevata* per *contemplationem;* Iob trigesimo nono[12]: « Nunquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila » etc.; *grandis* per *caritatem;* Baruch tertio: « O Israel, quam magna est domus Dei et ingens locus possessionis eius »! Et Psalmus: « Propter hoc dilatatum est cor meum » etc.; *strata virtutum varietate;* Esther primo: « Pavimentum pario stratum lapide mira varietate pictura decorabat ». — Ad hoc *coenaculum* venit Dominus, requirendo domini domus assensum, quia Apocalypsis tertio[13]: « Ego sto ad ostium et pulso » etc. — Venit etiam ad hominem *non nominatum*, quia, ut dicit Glossa[14], « omnibus volentibus Christum suae mentis hospitio suscipere facultas danda significatur ». Vel, sicut dicit alia Glossa, « sine nomine designatur, ut pauper,

Item, de anima.

Dominus venit ad eam.

Non nominatur.

Aliter.

---

[1] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 7.

[2] Ut insinuat Theophylact. in hunc loc. — De interpretatione nominum *Petrus* et *Ioannes* cfr. supra pag. 143, nota 4. et 9.

[3] Vers. 57. Cfr. IV. Sent. d. 9 a. 1. q. 2.

[4] Psalm. 88, 15.

[5] Vers. 28. seq. Cfr. IV. Sent. d. 12. p. II. a. 1. q. 1.

[6] Vers. 7. — Subinde allegatur Matth. 22, 11. seq.

[7] Vers. 6. seq. — Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Ubi vis paremus?* qui non habemus tabernaculum.

[8] Vers. 13. — Sententia Augustini habetur II. de Consensu Evangelist. c. 80. n. 157. in fine.

[9] Vers. 20; cfr. supra 9, 58. — Sequitur Ps. 75, 3. — Inferius pro *Requirit autem secretum* Vat. *Quaeritur autem locus secretus atque quietus.*

[10] Psalm. 86, 1. et 3, post quos Ps. 59, 11.

[11] Vers. 2. — Subinde allegatur Ps. 45, 5.

[12] Vers. 27. — Tres seqq. loci sunt Baruch 3, 24; Ps. 15, 9. (pro *dilatatum* Vat. cum Vulgata *laetatum*, August. *iucundatum;* cfr. II. Cor. 6, 11.) et Esther 1, 6.

[13] Vers. 20.

[14] Scilicet *ordinaria* (ex Beda; cfr. Hieron., IV. Comment. in Matth. 26, 18.) in Luc. 22, 10; ibid. habetur etiam seq. Glossa, nempe *ordinaria*, quae insinuatur ab Ambrosio, X. in Luc. c. 22. n. 46.

ignobilis aestimetur qui a Domino eligitur »; Iacobi secundo[1]: « Nonne pauperes elegit Deus in hoc mundo »? et primae ad Corinthios primo: « Ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius ».

Per baptismum anima fit Christi templum.

16. Venit nihilominus per ducatum *hominis ferentis aquam in amphora;* quia nullus fit Christi templum nisi per baptismum; Ioannis tertio[2]: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei ». Unde et Dominus discipulis coenantibus lavit pedes. Nullus recte vadit ad hoc Sacramentum, postquam baptismum inquinavit, nisi lacrymarum imbre perfusus. In cuius figuram Genesis decimo octavo[3] dicitur: « Afferam pauxillum aquae, et laventur pedes vestri. Ponamque buccellam panis, et confortate cor vestrum ». De hac aqua Ambrosius[4]: « O aqua, quae Sacramentum Christi esse meruisti, quae lavas omnia nec lavaris. Tu incipis primo, tu comples perfecta mysteria. A te principium, in te finis ». Designat igitur *aqua in amphora undam regenerantem,* secundum illud primae Ioannis quinto[5]: « Tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, aqua et sanguis »; et Ioannis decimo nono: « De latere eius exivit sanguis et aqua ». Designat etiam ipsam *sacram doctrinam*, quia Ecclesiastici decimo quinto[6]: « Aqua sapientiae salutaris potabit illum ». Et haec est *in amphora*, id est sub velamine; secundae ad Corinthios quarto: « Habemus thesaurum in vasis ». Designat etiam *gratiam supernam;* Genesis vigesimo quarto[7]: « Da mihi aquam de hydria » etc.; et Ioannis quarto: « Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum ». — Vult igitur Dominus in his insinuare, quod qui vult se praeparare ad pascha, oportet, quod intret Ecclesiam et per baptismum et sacram doctrinam et gratiam divinam sternatur ut coenaculum grande et altum ad suscipiendum Christum.

Figura. Aqua designat tria. Notandum.

Adimpletio praecepti. Insinuantur tria.

17. (Vers. 13.). Quarto quantum ad *exsecutionem mandati perfectam* subiungitur: *Euntes autem invenerunt, sicut dixit illis Iesus*[8], *et paraverunt pascha,* in quo insinuatur *discipulorum vigilantia,* quia quaesierunt, donec invenerunt, sicut illa bona mulier, de qua Lucae decimo quinto[9]: « Evertit domum et quaerit diligenter, donec inveniat ». Insinuatur igitur *Christi sapientia,* quia, sicut praedixit, ita eis evenit, quia dicitur Ecclesiastici vigesimo tertio[10]: « Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt nota ». Insinuatur etiam *discipulorum obedientia,* quia praeparaverunt, secundum quod iniunctum fuerat, ne forte praeterirent voluntatem divinam, quia, supra duodecimo[11], « ille servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non se praeparavit et non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis ».

Expositio spiritualis.

18. *Spiritualiter* autem parant discipuli pascha per *documenta veritatis,* secundum illud Isaiae quadragesimo[12]: « Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini ». Ipsi etiam parant, dum *vocant ad medicamenta salutis;* Matthaei vigesimo secundo: « Misit servos suos hora coenae dicere invitatis: Ecce, prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata; venite ad nuptias ». Unde omnes boni Christi discipuli clamant suadendo auditoribus suis: « Praeparate corda vestra Domino et servite illi soli », primi Regum septimo[13]. Omnes clamant, ut contemnatur mundus, et diligatur Deus. Et hoc est *facere pascha,* id est transitum ex visibilibus ad invisibilia, a temporalibus ad aeterna, de morte ad vitam, secundum illud Ioannis quinto[14]: « In iudicium non veniet, sed transiet de morte ad vitam ».

De consecratione Sacramenti altaris tanguntur tria.

19. *Et cum facta esset hora* etc. Post descriptam praeparationem cibi paschalis describit hic *consecrationem Sacramenti altaris*[15]. Et quoniam hoc Sacramentum impletivum est Legis et infructuosum est ingratis, ideo pars ista habet tres partes. In quarum prima agitur de *observatione paschae;* in secunda vero, de *institutione eucharistiae,* ibi[16]: *Et accepto pane, gratias egit;* in tertia, de *argutione ingratitudinis Iudae,* ibi: *Verumtamen ecce, manus tradentis me.*

Manducatio paschae describitur tripliciter.

Circa *manducationem paschae* introducuntur tria, scilicet *discubitus discipulorum et Christi, transitus agni typici* et *terminus potus figurativi*[17].

---

[1] Vers. 5, cui subnectitur I. Cor. 1, 28. seq. (pro *et ea quae non sunt* etc. codd. *ut confundat* etc. ex v. 27.).

[2] Vers. 5. Cfr. Beda, VI. in Luc. 22, 10. — Subinde respicitur Ioan. 13, 4. seqq. (de lotione pedum). — Superius pro *Christi templum* Vat. *Patri templum.*

[3] Vers. 4. et 5. — Superius pro *Nullus recte vadit* Vat. *Nullus certe vadit.*

[4] Libr. X. in Luc. c. 22. n. 48. Pro *Sacramentum Christi* (ita Ambros.) C D G *Sacramentum Dei*, et pro *Tu incipis primo* Vat. cum textu originali *Tu incipis prima.*

[5] Vers. 7, post quem Ioan. 19, 34.

[6] Vers. 3. et deinde II. Cor. 4, 7.

[7] Vers. 17: Pauxillum aquae mihi ad bibendum praebe de hydria tua. — Sequitur Ioan. 4, 13.

[8] Vat. cum Vulgata omittit *Iesus*, quod etiam exhibent S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 22. n. 3.) et Gorranus; cfr. Card. Hugo et B. Albert.

[9] Vers. 8; vide supra pag. 388, notam 4.

[10] Vers. 29, ubi pro *nota* Vat. cum Vulgata *agnita.*

[11] Vers. 47.

[12] Vers. 3. — Sequitur Matth. 22, 3. seq.

[13] Vers. 3.

[14] Vers. 24. — Hieron., IV. Comment. in Matth. 26, 1. seq.: Transitus autem noster, id est phase, ita celebratur, si terrena et Aegyptum dimittentes ad caelestia festinemus.

[15] Cfr. supra n. 8.

[16] Vers. 19; tertium habetur v. 21. — Pro *observatione paschae* A C D H *observatione phase* (idem recurrit paulo inferius, ubi pro *manducationem paschae* iidem codd. legunt *manducationem phase);* cfr. supra pag. 540, nota 6. Pro *argutione* Vat. *increpatione*, quod etiam infra n. 30. occurrit.

[17] Vat. perperam *terminus agni figuralis;* cfr. infra n. 23.

**Discubitus discipulorum.**

20. (Vers. 14.). Primo igitur quantum ad *discubitum caritativum discipulorum et Christi* dicit: *Et cum facta esset hora, discubuit et duodecim Apostoli*[1] *cum eo,* in quo ostenditur mira Christi familiaritas ad discipulos, quia simul cum discipulis discumbebat, ut exemplo doceret illud Ecclesiastici trigesimo secundo: « Rectorem te posuerunt? Noli extolli; esto in illis quasi unus ex ipsis ». Apparet enim in hoc, quod Dominus miro modo mutuam caritatem acceptat, secundum illud Ioannis decimo tertio[2]: « In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem ad invicem habueritis ». Et hoc est quod ipse praecipiebat Ioannis decimo tertio: « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem »; et iterum decimo quinto: « Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem » etc. Et hoc potissime desiderabat et propter hoc Sacramentum communionis instituebat.

**Quid significet manducatio.**

21. (Vers. 15.). Unde addit: *Et ait illis: Desiderio desideravi, hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Manducatio* ista designat incorporationem et unitatem membrorum in corporis unitatem; quod fit per amoris inflammationem, et hoc praecipue Christus desiderat, secundum illud supra duodecimo[3]: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur? Baptismo autem habeo baptizari, et quomodo coarctor, usque dum perficiatur »! Hoc autem desiderabat Christus manducare propter exclusionem figurae et introductionem veritatis. Unde Chrysostomus[4]: « Desideravi tradere vobis res novas et pascha dare secundum ». In quo insinuat, quod ad cibum paschalem est cum maximo desiderio accedendum; propter quod Ecclesiastici vigesimo quarto[5]: « Transite ad me, omnes, qui concupiscitis me » etc.; et Psalmus: « Dat escam esurientibus »; iterum: « Dilata os tuum, et implebo illud ».

**Transitus agni typici.**

22. (Vers. 16.). Secundo quantum ad *transitum agni typici* subdit: *Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei;* istud scilicet phase figurale; Glossa[6]: « Non ultra Moysaicum pascha celebrabo, donec in Ecclesia, quae est regnum Dei, spiritualiter intellectum compleatur ». **Notandum.** Quod ergo dicitur Exodi duodecimo[7]: « Celebrabitis hanc diem in generationibus vestris cultu sempiterno », refertur potius ad signatum quam ad signum. Nam figura impletur, quando venit quod praefigurabat, et tunc, adveniente veritate, cessat, sicut per lucem cessat umbra; propter quod dicitur primae ad Corinthios decimo tertio[8]: « Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est »; et ideo ad Hebraeos decimo: « Umbram habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, nunquam potest accedentes perfectos facere »; et post: « Et omnis quidem sacerdos praesto est quotidie ministrans, et easdem saepe offerens hostias, quae non possunt auferre peccata. Hic autem, unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei. Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos ». Et iam implevit ipse una passione illius agni oblati praefigurationem, quia, sicut dicitur Matthaei tertio[9], « sic decet nos implere omnem iustitiam »; nam, Matthaei quinto, « non veni solvere Legem, sed adimplere ».

**Terminus potus figurativi.**

23. (Vers. 17.). Tertio quoad *terminum potus figurativi* subditur: *Et accepto calice, gratias egit et dixit: Accipite et dividite inter vos.* Hoc autem dicitur de potu spectante ad pascha vetus; unde Glossa[10]: « Hic calix ad vetus pascha, cui finem imponebat, pertinet ». Quo accepto, *gratias agit,* scilicet quia vetera transitura, et nova omnia erant ventura, secundum illud Levitici vigesimo sexto[11]: « Novis supervenientibus, vetera proiicietis ».

**De quadruplici sensu regni Dei.**

24. (Vers. 18.). Et ideo subditur: *Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis huius*[12], *donec veniat regnum Dei;* quod quidem verum est, sive intelligatur regnum Dei esse *iustitia,* secundum illud ad Romanos decimo quarto: « Regnum Dei non est esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu sancto »; sive *veritatis intelligentia,* secundum illud Matthaei decimo tertio[13]: « Omnis scriba doctus in regno caelorum »; sive etiam *vita aeterna,* secundum illud infra vigesimo tertio: « Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum »; sive etiam *gratia,* secundum illud supra decimo septimo[14]: « Regnum Dei intra vos est ». **Horum impletio in passione.** Nam statim in passione Christi et *iustitia impleta est* et iniquitas deleta, secundum illud Danielis nono: « Ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna ». In passione *aperta fuit intelligentia;* infra

---

[1] Codd. C D G H omittunt *Apostoli* (cfr. B. Albert.), pro quo Card. Hugo *discipuli.* — Subinde allegatur Eccli. 32, 1. — Inferius pro *doceret* A *afferret,* C *ostenderetur.*

[2] Vers. 35. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 13, 34. et 15, 12.

[3] Vers. 49. et 50. Cfr. IV. Sent. d. 9. a. 1. q. 2. — Superius vocibus *corporis unitatem* B interserit *Christi.*

[4] Homil. 82. (alias 83.) in Matth. n. 1: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare,* id est vobis res novas tradere et pascha dare, quo vos spirituales reddam.

[5] Vers. 26, post quem Ps. 145, 7. et 80, 11.

[6] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 16.

[7] Vers. 14.

[8] Vers. 10, cui subiunguntur Hebr. 10, 1. et dein v. 11. 12. et 14. (pro *quotidie ministrans* A C D *quotidie ministeriis*). — Superius pro *quando venit* C D *quando evenit.*

[9] Vers. 15. et deinde 5, 17.

[10] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 17.

[11] Vers. 10. Glossa *interlinearis: Et accepto calice,* bis dicitur accepisse calicem, prior vetus, secundus novus. Cfr. Hieron., IV. Comment. in Matth. 26, 26.

[12] Vat. cum Vulgata et H omittit *huius,* quod etiam exhibent B. Albert. et Gorranus. — Sequitur Rom. 14, 17.

[13] Vers. 52. — Subinde allegatur Luc. 23, 42, ubi pro *cum veneris* A C D G *dum veneris.*

[14] Vers. 21. Cfr. Hieron., IV. Comment. in Matth. 26, 29. — Seq. locus est Dan. 9, 24.

vigesimo quarto [1]: « Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturam »; et hoc signat ipsa scissio veli, quod usque hodie est super mentes eorum qui non credunt. In passione *data est gratia*, secundum illud Ioannis primo [2]: « Gratia et veritas per Iesum Christum facta est ». Item, per passionem *aperta est ianua et gloria acquisita*; et ideo infra vigesimo tertio: « Hodie mecum eris in paradiso ». Quoniam ergo regnum Dei secundum hunc quadruplicem modum statim ad huiusmodi cibum et potum successit, ideo recte dicit, quod « non biberet, donec veniret regnum Dei »; quod ideo dicit, ut ait Glossa [3], « ut horum mutatione sacramentorum cetera Legis sacramenta vel iussa ad spiritualem observantiam doceat transferenda ».

De institutione eucharistiae tanguntur tria.

25. (Vers. 19.). *Et accepto pane* etc. Postquam egit de manducatione phase, hic secundo [4] agit de *institutione eucharistiae;* circa quam introducuntur tria, scilicet *consecratio dominici corporis, collatio potestatis* et *consecratio Christi sanguinis.*

Consecratio dominici corporis.

Primo igitur quantum ad *consecrationem corporis* dicit: *Et accepto pane, gratias egit et fregit et dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur* [5]; in quo Dominus consecravit et formam consecrandi instituit in his verbis: « Hoc est corpus meum ». — Sed quomodo confecerit, quadruplex est opinio. Una est, quod confecerit virtute Deitatis sine verbis et post verba dixit et virtutem verbis dedit. Secunda est, quod dixit prius verba in occulto et post in manifesto. Tertia, quod semel tantum verba dixit, sed prius fregit et post confecit. Quarta est opinio, quod semel verba dixit et dicendo confecit et conficiendo instituit, et prius dixit quam fregit; unde littera praepostera est et debet construi sic: accepit panem et gratias egit dicens: Hoc est corpus meum, et fregit et dedit [6]. — Commutavit autem Dominus sacramentum *agni* in sacramentum *panis,* quia iste est cibus magis communis et naturalis, simul exprimens vim cibativam et connexivam in corpore Christi vero et mystico; unde in Psalmo [7]: « Panis cor hominis confirmet », panis scilicet caelestis, de quo in Psalmo: « Panem Angelorum manducavit homo »; et Ioannis sexto: « Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi » etc. Huius panis *suavitas* praefigurata fuit in manna, de quo Sapientiae decimo sexto [8]: « Et paratum panem de caelo praestitisti eis ». Praefigurata nihilominus Genesis quadragesimo nono: « Aser pinguis panis eius, et praebebit delicias regibus ». Praefigurata fuit etiam *dignitas* in sacrificio Melchisedech, Genesis decimo quarto: « At vero Melchisedech, proferens panem et vinum, benedixit ei » etc.; et ideo de Christo dicitur in Psalmo [9]: « Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech ». Sicut enim Melchisedech benedixit, ita et iste et multo amplius, quia hic est sacerdos aeternus; unde verbo solo convertit panem in corpus suum.

De modo 4 opiniones.

Cur pro agno substituatur panis.

Figurae tres.

Sensus verborum.

26. Est igitur sententia verbi ista: *Hoc est corpus meum*, id est, signatum per hoc convertendum in corpus meum est corpus meum [10]; vel: hoc transit in corpus meum, quod est integrum et perfectum; efficacia autem verbi est, ut hoc dicto fiat. Unde Ambrosius [11]: « Si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de caelo deponeret, non valebit tantum sermo Christi, ut substantias mutet »? Iterum idem: « Quid quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum ipse praeter naturam sit partus ex Virgine »? — Licet autem solo verbo confecerit, dicitur tamen, quod *panem accepit, gratias egit, fregit et dedit,* propter mysterium significationis. In *acceptione* namque *panis* intelligitur assumtio carnis, quia Ioannis sexto [12]: « Caro mea vere est cibus ». Accepit igitur panem ad designandum illud Ioannis primo: « Verbum caro factum est ». In *gratiarum actione* intelligitur defluxus gratiarum a capite in totum corpus Ecclesiae; Ioannis primo [13]: « De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia ». In *fractione* intelligitur afflictio passionis, qua fuit flagellis concisus, clavis perforatus et lancea transfixus, secundum illud Psalmi [14]: « Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea ». In *datione* intelligitur liberalitas communicationis; Ioannis

Significationis mysteria quatuor.

---

[1] Vers. 45. — Subinde respicitur Luc. 23, 45. (de scissione veli) et II. Cor. 3, 15: Sed usque in hodiernum diem, cum legeretur Moyses, velamen positum est super cor eorum; cfr. ibid. v. 14.

[2] Vers. 17. — Sequitur Luc. 23, 43.

[3] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 18.

[4] Cfr. supra n. 19.

[5] Codd. C D G H *tradetur* (ita etiam B. Albert., S. Thom., Cat. aurea in Luc. 22. n. 5, Gorranus; Card. Hugo et Lyranus in margine). — De forma consecrationis cfr. IV. Sent. lit. Magistri, d. VIII. c. 4.

[6] Vide IV. Sent. d. 8. p. I. a. 2. q. 3. Easdem opiniones refert Card. Hugo. — Superius pro *construi sic* C D G *construi, quod.*

[7] Psalm. 103, 15. — Duo seqq. loci sunt Ps. 77, 25. et Ioan. 6, 51. Cfr. IV. Sent. d. 11. p. II. a. 1. q. 1. et Breviloq. p. VI. c. 9. — Superius A C H omittunt *in sacramentum panis,* pro quo in D secunda manus adiunxit *in panem.*

[8] Vers. 20. — Subinde allegantur Gen. 49, 20. et 14, 18. seq. Cfr. IV. Sent. d. 8. p. I. a. 1. q. 2. seq.; diffusius de sex eucharistiae figuris tom. V. Serm. III. pag. 553, et Ambros., de Mysteriis, c. 8. n. 43. seqq.

[9] Psalm. 109, 4; cfr. Hebr. 7. per totum. — Inferius pro *sacerdos aeternus* A G *sacerdos in aeternum*, et post *Unde* Vat. addit *Glossa* (?), H ibi legit *solo igitur verbo convertit* etc.

[10] Glossa *interlinearis* (cfr. Ambros., de Mysteriis, c. 9. n. 54.): *Hoc est corpus meum,* quod sub specie panis apparet. Cfr. IV. Sent. d. 8. p. II. a. 1. q. I. et d. 11. p. I. q. 6.

[11] Libr. de Mysteriis, c. 9. n. 52. respicitur IV. Reg. 1, 10. et 14.); ibid. n. 53. seq. sententia, in cuius fine codd. legunt *sit corporatus de Virgine.*

[12] Vers. 56. et deinde 1, 14.

[13] Vers. 16.

[14] Psalm. 21, 17. seq. — Superius pro *passionis* C D *panis* (!), et pro *concisus* G *caesus.*

sexto[1]: « Panis, quem ego dabo, caro mea est »; quia Sacramentum hoc est summe gratuitum, secundum illud Matthaei decimo: « Gratis accepistis, gratis date ».

Collatio potestatis.

27. Secundo quantum ad *collationem potestatis* subdit: *Hoc facite in meam commemorationem;* in quo dat eis potestatem, ut faciant quod et ipse fecit; ac per hoc etiam sacerdotalem ordinem eis tradidit, quasi dicat illud Ioannis decimo tertio[2]: « Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis ».

Triplex memoriale.

Insinuat etiam, *quare* debent facere, scilicet in *memoriale dominicae mortis;* primae ad Corinthios undecimo[3]: « Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat »; et Ecclesiastici quadragesimo nono: « Memoria Iosiae in compositionem odoris facta, opus pigmentarii ». Et de hac memoria dicitur Threnorum tertio[4]: « Recordare paupertatis et transgressionis meae, absinthii et fellis »; et post: « Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea ». — In *memoriale dominicae virtutis;* Psalmus[5]: « Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus »; et iterum: « Domine, nomen tuum in aeternum; Domine, memoriale tuum in generationem et generationem »; et Exodi decimo tertio: « Erit quasi signum in manu tua et in recordationem appensum ante oculos tuos, eo quod in manu forti eduxit te Dominus de Aegypto ». — In *memoriale* etiam *dominicae caritatis,* secundum illud Isaiae vigesimo sexto[6]: « Domine, nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animae ». Ideo Canticorum octavo: « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum » etc.

Huius memorialis proprietates quatuor.

— Hoc est memoriale vivum et verum, quia non tantum est *signum rememorativum,* verum etiam et *demonstrativum;* et ideo dicitur: « *Hoc* est corpus meum »; quia ipsum est *Sacramentum signativum* et *sanctificativum*, de quo primae ad Timotheum tertio[7]: « Et manifeste magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu » etc. Ipsum etiam est *viaticum conservativum* et *confortativum;* Ioannis sexto[8]: « Qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de caelo descendit, non sicut patres vestri manducaverunt manna et mortui sunt. Qui manducat hunc panem vivet in aeternum ». Ipsum est *sacrificium acceptum* et *placativum,* secundum illud primae Petri secundo[9]: « Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum »; et hinc quidem necesse est, hic contineri verissimum corpus Christi.

Consecratio sanguinis.

28. (Vers. 20.). Tertio quantum ad *consecrationem sanguinis* subiungit: *Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic est calix, novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur.*

Tres diversae formulae.

Et attendendum, quod Evangelistae non eodem modo formam hanc exprimunt. Nam Matthaei vigesimo sexto[10] et Marci decimo quarto dicitur: « Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur ». Apostolus autem dicit primae ad Corinthios undecimo: « Hic calix novum testamentum est in meo sanguine ». Ecclesia autem nulla istarum formarum utitur[11]; nam dicit: « Hic est calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum ».

Non est contrarietas.

— Nec est contrarietas, quia scribentes non intendunt formam verborum praecise describere, sed historiam texere; sed Ecclesia servat formam ab Apostolis traditam in conficiendo, quam et a Christo acceperant; et implicat in se forma Ecclesiae quidquid per omnes Evangelistas et per Apostolum dictum est[12]. Nominatur autem *hic calix* potus contentus in calice, sicut ibi Matthaei vigesimo[13]: « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum »?

Mixtio aquae.

— In calice autem continebatur vinum permixtum aqua, licet Evangelista non exprimat, quia hoc intelligitur, et quia mos erat, et quia vinum forte erat, et quia Christus maxime sobrius erat.

Huius significatio.

Et hoc etiam a mysterio non vacat, quia, sicut aqua unitur vino, sic populus Christo; et ideo in huius designationem dicitur Ioannis decimo nono[14], quod de latere Christi « exivit sanguis et aqua »; et ideo Ecclesia offert utraque commixta. Transsubstantiabatur autem totum illud in sanguinem Christi verum; unde primae ad Corinthios decimo[15]: « Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est »?

Hoc sanguine N. T. dedicatur.

29. Per hunc autem sanguinem novum confirmatum est testamentum; unde ad Hebraeos nono[16]:

---

[1] Vers. 52, post quem Matth. 10, 8. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 19: *Frangit* et *porrigit*, ut ostendat, sui corporis fractionem non sine sua sponte futuram. *Agit gratias* de veteribus terminatis et novis incipiendis. — Pro *liberalitas communicationis,* quod habet Vat., A C D *liberalitas communionis.*

[2] Vers. 15. — Superius pro *dat eis* G *dat discipulis.*

[3] Vers. 26, cui subiungitur Eccli. 49, 1, ubi vocibus *opus pigmentarii* C D G praefigunt *est.*

[4] Vers. 19. et 20. — Pro *Et de hac memoria dicitur* C D *Et hoc memorandum.*

[5] Psalm. 110, 4. — Duo seqq. loci sunt Ps. 134, 13. et Exod. 13, 16, ubi pro *ante oculos* Vulgata *inter oculos*, et pro *eduxit te* Vat. cum Vulgata *eduxit nos.*

[6] Vers. 8, post quem Cant. 8, 6.

[7] Vers. 16. — Cfr. IV. Sent. d. 1. p. I. q. 2. ad 4. et d. 8. p. II. a. 1. q. 1. — Superius pro *rememorativum* G substituit *demonstrativum* et cum A C D omittit *verum etiam et demonstrativum.*

[8] Vers. 58. et 59.

[9] Vers. 5. Cfr. IV. Sent. d. 10. p. I. q. 1.

[10] Vers. 28; Marc. 14, 24. et deinde I. Cor. 11, 25.

[11] In canone Missae.

[12] Cfr. IV. Sent. d. 8. p. II. a. 1. q. 2.

[13] Vers. 22. Cfr. IV. Sent. d. 8. p. II. a. 1. q. 2. ad 1. et 2.

[14] Vers. 34. Vide IV. Sent. d. 11. p. II. a. 1. q. 3.

[15] Vers. 16. Cfr. IV. Sent. d. 11. p. II. dub. 5.

[16] Vers. 18. et deinde Exod. 24, 8. (cfr. Hebr. 9, 20.).

« Nec primum testamentum sine sanguine dedicatum est »; unde Exodi vigesimo quarto: « Sumtum sanguinem respersit in populum, dicens: Hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus ». Sed ille fuit sanguis animalium, qui non potuit auferre peccata, secundum illud ad Hebraeos decimo [1]: « Impossibile enim est, sanguine taurorum et hircorum auferri peccata »; et ideo testamentum illud fuit *vetus* et *temporale*. — **Notandum.** Testamentum ergo *novum* dedicari non potuit nec debuit nisi in sanguine Christi; ideo ad Hebraeos nono [2]: « Christus, assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta ». « Et ideo novi **Ratio.** testamenti mediator est ». Et ratio huius est, quia sanguine Christi redemptum est genus humanum; ideo ad Hebraeos nono [3]: « Sine sanguinis effusione non fit remissio » peccatorum, non cuiuscumque, sed Dei Agni et Sponsi Iesu Christi. Unde Apocalypsis quinto: « Redemisti nos Deo in sanguine tuo »; et Apocalypsis primo: « Dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo ». Et quia per sanguinem crucis suae pacificavit « quae in terris et quae in caelis sunt », sicut dicitur ad Colossenses primo [4]; **Notandum.** ideo sanguinis sacrificium debet esse placativum et debet esse Sacramentum refectivum; quem etiam *lambunt pulli aquilae*, secundum illud Iob trigesimo nono [5]: « Pulli aquilae lambunt sanguinem »; quo *inebriantur amici sponsi*, secundum illud Canticorum quinto: « Bibite et inebriamini, carissimi »; quo *incitantur ad proelium viri athletae*, secundum illud primi Machabaeorum sexto [6]: « Ostenderunt elephantis sanguinem uvae et mori ad acuendos eos in proelium »; et Apocalypsis duodecimo: « Ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni ». Et talibus dicitur ad Hebraeos duodecimo: « Nondum usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes ».

30. (Vers. 21.). *Verumtamen ecce, manus* etc. **Argutio proditoris describitur tripliciter.** Post descriptam manducationem phase et consecrationem eucharistiae hic tertio [7] describit *argutionem proditoris Iudae;* circa quam describendam introducuntur tria, scilicet *perversitas proditoris ingrati, profunditas iudiciorum Dei* et *puritas Apostolorum Christi.*

Primo igitur quantum ad *perversitatem proditoris ingrati* dicitur: *Verumtamen ecce, manus tradentis me mecum est in mensa.* **Perversitas proditoris.** Hoc quidem *adversative* dicit, quia ingratitudo proditoris directe impugnat gratiam tam nobilis [8] Sacramenti. In hoc **Christi benignitas.** autem apparet mira *Christi benignitas,* quia pessimum proditorem suum ad *mensam* secum suscipiebat; nec tantum ad mensam, immo quod plus est, ad eandem *scutellam,* secundum illud Matthaei vigesimo sexto [9]: « Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet ». In quo dedit Dominus **Instructio.** formam ad *diligendum inimicos,* secundum illud Matthaei quinto [10]: « Diligite inimicos vestros »; formam dedit ad *tolerandum malos,* unde, sicut dicit Augustinus, corpus et sanguinem suum Iudae communicavit; nec eum aliis detexit; unde Glossa [11]: « Non designat ex nomine, ne manifeste correptus impudentior fiat ». Ipsius etiam Iudae pedes lavit sicut discipulorum aliorum, scilicet Apostolorum, secundum quod dicitur Ioannis decimo tertio [12]: « Vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim, quis traderet eum ». — Et econtra apparet ex hoc mira **Proditoris ingratitudo.** *proditoris ingratitudo,* qui nec tanta humilitate nec tanta caritate nec tanta familiaritate destitit a proditione. Ideo conqueritur Dominus in Psalmo [13]: « Homo pacis meae, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem »; et iterum: « Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique ». « Tu vero, homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos ». — Huic proditori similes sunt qui ad **Qui Christiani sint similes Iudae.** mensam Christi, scilicet altare, cum perverso corde accedunt. Unde Glossa [14]: « Exemplo Iudae Filium hominis tradit qui istud inviolabile Sacramentum violare praesumit ». Huiusmodi sunt qui post acceptum Sacramentum redeunt ad peccatum, sicut « canis ad vomitum [15] », de quibus ad Hebraeos decimo: « Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur hostia pro peccato »; unde in Psalmo: « Et posuerunt adversum me mala pro bonis et odium pro dilectione mea ».

---

[1] Vers. 4.

[2] Vers. 11. seq. et 15.

[3] Vers. 23. — Duo seqq. loci sunt Apoc. 5, 9. (pro *Deo* A C D *Domine Deus)* et 1, 5, ubi A C D omittunt *a peccatis nostris.*

[4] Vers. 20. — Inferius pro *debet esse placativum... refectivum* Vat. *debet esse Sacramentum restitutivum.*

[5] Vers. 30; cfr. supra pag. 357, nota 7. — Sequitur Cant. 5, 1.

[6] Vers. 34. — Duo seqq. loci sunt Apoc. 12, 11. et Hebr. 12, 4.

[7] Cfr. supra n. 19.

[8] Vat. *notabilis.*

[9] Vers. 23.

[10] Vers. 44. — Sententia Augustini habetur Epist. 43. (alias 162.) c. 8. n. 23: Tolerat ipse Dominus Iudam, diabolum, furem et venditorem suum; sinit accipere inter innocentes discipulos quod fideles noverunt pretium nostrum. Cfr. tom. IV. pag. 211, nota 9. et pag. 267, nota 2, ubi alios locos August. allegavimus.

[11] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Hieron., IV. Comment. in Matth. 26, 21.) in Luc. 22, 21.

[12] Vers. 10. et 11.

[13] Psalm. 40, 10. et deinde 54, 13. et 14. seq. — Superius pro *qui nec* C D II *quae nec.*

[14] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 21. — Superius pro *Huic* Vat. *Hi,* et voci *altare* G praefigit *ad.*

[15] Prov. 26, 11. et II. Petr. 2, 22. — Duo seqq. loci sunt Hebr. 10, 26. et Ps. 108, 5.

31. (Vers. 22.). Secundo quantum ad *profunditatem iudiciorum Dei* subditur: *Et quidem Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit;* hoc est secundum divinum decretum et suum beneplacitum; Isaiae quinquagesimo tertio[1]: « Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum »; et iterum ibidem: « Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate »; et Actuum tertio: « Deus quae praenuntiavit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, implevit sic ». Nam Isaias dicit Isaiae quinquagesimo tertio[2]: « Tanquam ovis ad occisionem ducetur »; et Threnorum ultimo: « Spiritus oris nostri, Christus Dominus captus est in peccatis nostris »; et Danielis nono: « Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus »; et Zachariae decimo tertio: « Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me ».

Profunditas iudiciorum Dei.

32. *Passio* igitur Christi fuit *definita* a Deo, fuit etiam sibi *placita et accepta*[3], et tamen *affectus proditoris* fuit *displicens et perversus;* et ideo subditur: *Verumtamen vae homini illi, per quem tradetur!* quia, licet in *effectu* sit concordia, in *voluntate* tamen est summa discrepantia, quia Deus hoc volebat ex *caritate,* secundum illud ad Ephesios secundo[4]: « Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem » etc.; et ad Romanos quinto: « Commendat autem Deus caritatem suam in nobis, quoniam, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est ». Christus volebat ex *obedientia;* ad Philippenses secundo[5]: « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem » etc. Iudaei volebant ex *crudelitate;* Sapientiae secundo[6]: « Contumelia et tormento interrogemus eum ». « Morte turpissima condemnemus eum ». Iudas autem hoc volebat ex *avaritia,* et ideo potest sibi competere illud Actuum octavo[7]: « Pecunia tua tecum sit in perditionem ». Unde apparet in Iuda illud quod dicitur primae ad Timotheum sexto: « Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et in laqueum diaboli » etc.; et verificatum est etiam illud Ecclesiastici decimo: « Nihil est iniquius quam amare pecuniam. Hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima sua ». Unde Iudas perdidit vitam, perdidit animam, perdidit famam, perdidit omnia et incurrit calamitatem aeternam; unde in Psalmo[8]: « Cum iudicatur, exeat condemnatus » etc.; Matthaei vigesimo sexto: « Bonum erat ei, si natus non fuisset » etc.

Explicatio notanda.

33. (Vers. 23.). Tertio quantum ad *puritatem Apostolorum Christi* subiungit: *Et ipsi coeperunt quaerere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset.* Beda[9]: « Noverunt undecim, quod nihil tale cogitaverunt, sed plus credunt Magistro quam sibi »; unde Matthaei vigesimo sexto dicitur: « Contristati valde, coeperunt singuli dicere: Nunquid ego sum, Domine »? Unde Apostoli erant innocentes, quia nec consentanei erant malitiae nec etiam conscii. Turbatur autem quilibet in se et de se, ne ab aliis crederetur esse talis, et etiam propter haesitationem de aliis; unde Ioannis decimo tertio[10]: « Aspiciebant discipuli ad invicem, haesitantes, de quo diceret ». Inter omnes tamen Simon Petrus, quia ferventior erat, diligentius requirebat; unde Ioannis decimo tertio: « Innuit Simon Petrus illi discipulo, quem diligebat Iesus, et dixit ei: Quis est, de quo dicit »? Maluit autem Dominus, quod omnes turbarentur, quam quod ille omnibus detegeretur, ut formam daret, quod non est occultum vitium faciliter publicandum; propter quod Ecclesiastici decimo nono[11]: « Audisti verbum adversus proximum tuum? Commoriatur in te, fidens, quoniam non te dirumpet ». Tamen Simoni Petro per Ioannem indicavit, sicut dicitur Ioannis decimo tertio: « Ille est, cui ego intinctum panem porrexero »; quia non reputatur publicum, quod ex caritate ad cautelam praelato detegitur propter periculum vitandum.

Puritas Apostolorum. Notandum.

**Tertio, de provida eruditione discipulorum dicuntur duo.**

34. *Facta est autem et contentio* etc. Postquam descripsit machinationem proditionis et institutionem Sacramenti altaris, hic tertio[12] describit *providam eruditionem discipulorum.* Et quoniam dupliciter paratur homo ad ruinam: vel per *arrogantiam in prosperis,* vel per *inconstantiam in adversis;* ideo pars ista habet duas. In quarum prima *reprimit*

Divisio.

---

[1] Vers. 6. et 10, post quos Act. 3, 18, ubi pro *quae* A C D H *qui.*

[2] Vers. 7. — Tres seqq. loci sunt Thren. 4, 20; Dan. 9, 26. et Zach. 13, 6.

[3] Vat. *affectata.;* sed cfr. III. Sent. d. 20. dub. 3. — Subinde pro *affectus proditoris* A C D H *effectus proditoris.*

[4] Vers. 4, post quem Rom. 5, 8.

[5] Vers. 8.

[6] Vers. 19. (pro *tormento* A C *timore,* D G *terrore)* et 20. — Pro *Iudaei volebant* C D H *Iudaeus volebat;* post *ex crudelitate* in D secunda manus addidit *et invidia.*

[7] Vers. 20. — Duo seqq. loci sunt I. Tim. 6, 9. et Eccli. 10, 10.

[8] Psalm. 108, 7. et deinde Matth. 26, 24, ubi pro *Bonum erat ei* A C D *Multus* [? *Melius*] *erat etc.*

[9] Libr. VI. in Luc. 22, 23; ubi sequitur Hieron., IV. Comment. in Matth. 26, 22. Pro *Noverunt* et *cogitaverunt* Beda et Hieron. *Noverant* et *cogitarant* (H cum Glossa *interlineari: cogitaverant).* — Sequitur Matth. 26, 22.

[10] Vers. 22. — Subinde allegatur Ioan. 13, 24. — Superius Vat. omittit *esse talis.*

[11] Vers. 10. — Sequitur Ioan. 13, 26. Cfr. Bonav., Comment. in Ioan. c. 13. n. 29-34. et n. 41. seq.

[12] Cfr. supra n. 1. — August., Enarrat. in Ps. 74. n. 1: Utraque [vita scilicet prospera et adversa] cavenda est, illa, ne corrumpat; ista, ne frangat.

*discipulorum arrogantiam;* in secunda vero *animat et roborat ad constantiam,* ibi [1]: *Ait autem Dominus Simoni.*

**Primo, quoad reprimendam arrogantiam eorum tanguntur quatuor.**

In *reprimendo* igitur *discipulorum arrogantiam* quatuor introducuntur ab Evangelista, scilicet *litigium arrogantiam detegens, documentum arrogantiam reprimens, exemplum humilitatem suadens* et *praemium ad humilitatem alliciens.*

**Litigium arrogantiam detegens.**

35. (Vers. 24.). Primo igitur quantum ad *litigium arrogantiam detegens* dicit: *Facta est autem et contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.* Quae fuerit huius *contentionis* occasio, nescitur. Contentio tamen est signum amoris privati boni; unde Iacobi quarto [2]: « Unde bella et lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis, quae militant in membris vestris »? Contentio autem de *primatu* signum est amoris excellentiae et dominii; et hic amor nondum erat exstinctus in Apostolis ante adventum Spiritus sancti. Unde eis poterat dici illud primae ad Corinthios tertio [3]: « Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis »? Unde contentio ista non est trahenda in exemplum, quia repressa fuit per Christum et per Apostolum Paulum dissuadetur. Nam primae ad Corinthios undecimo [4]: « Si quis videtur inter vos contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei »; quia, Proverbiorum vigesimo, « honor est homini, qui separat se a contentionibus ». — Sed haec consuetudo recessit ab aula; immo sicut, imminente passione Christi, contenderunt de primatu, sic, imminente morte episcopi, contentio fit inter canonicos, quis debeat praeponi. Unde talibus potest dici illud Apostoli primae ad Corinthios undecimo [5]: « Non laudo vos, quod non in melius, sed in deterius convenitis »; quia potius adhaerent contentioni carnalium quam paci et unitati spiritualium, quam eis reliquit Christus in morte, secundum illud Ioannis decimo quarto: « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis ». Unde Ioseph dixit fratribus suis Genesis quadragesimo quinto: « Ne irascamini in via ».

**Alia ab antiqua consuetudo recens.**

**Documentum arrogantiam reprimens.**

36. (Vers. 25.). Secundo quantum ad *documentum arrogantiam reprimens* subdit: *Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum,* per culmen excellentiae, secundum illud Iudith primo [6]: « Arphaxad, rex Medorum subiugaverat multas gentes suo imperio ». « Et gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui et in gloria quadrigarum suarum ». — *Et qui potestatem habent super eos benefici vocantur,* per nomen honorabile. Tales sunt, de quibus in Psalmo [7]: « Vocaverunt nomina sua in terris suis »; et statim subditur: « Homo, cum in honore esset, non intellexit » etc.

**Inculcatur humilitas.**

37. (Vers. 26.). *Vos autem non sic; sed qui maior est in vobis fiat sicut minor,* per humilitatem in *corde,* secundum illud Ecclesiastici tertio [8]: « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam ». Nam Ecclesiastici decimo: « Magnus est iudex et potens in honore, sed non est maior illo qui timet Deum ». — *Et qui praecessor est, sicut ministrator,* per humiliationem in *exteriori conversatione;* Matthaei vigesimo [9]: « Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister; et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus ». Et ideo in parabola supra decimo quarto dicit: « Cum vocatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco ». Et rationem ibidem reddit: « Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat exaltabitur ». Hoc autem dicitur, non ut gradus deseratur, nec ordo perturbetur, nec iustitia omittatur, sed ut privatus excellentiae amor suppeditetur; ideo Ecclesiastici trigesimo secundo [10]: « Rectorem te posuerunt? Noli extolli; esto in illis quasi unus ex eis. Curam illorum habe ». Et hoc maxime clericis competit, secundum illud primae Petri quinto: « Non ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo ». Unde Glossa [11]: « Necesse est, ut rectorem subditis et matrem pietas

**Notandum.**

---

[1] Vers. 31, ubi pro *Simoni* (ita etiam alii Scholastici: Card. Hugo, B. Albert. etc.) Vulgata *Simon.* — Pro *ad constantiam,* quod habet B (D a secunda manu) Vat. *eorum inconstantiam,* A C H omittunt *eorum.*

[2] Vers. 1. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 24: Causa contentionis nobis incognita, sed non est incredibile, quia, iuxta quod alibi [Luc. 13, 24.] praecipitur: *Contendite intrare per angustam portam,* honore se invicem praeveniendo certarint. Sed qualibet ex causa contenderint, non quid adhuc carnales gesserint, sed quid spiritualis Magister iusserit, videamus. Cfr. supra pag. 243, nota 12.

[3] Vers. 3. — De seq. propositione cfr. supra pag. 85, nota 4. et Ambros., X. in Luc. c. 22. n. 50.

[4] Vers. 16, cui subnectitur Prov. 20, 3.

[5] Vers. 17. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 14, 27. et Gen. 45, 24. — Superius pro *episcopi* Vat. cum H *praelati.*

[6] Vers. 1. et 4. — Glossa *interlinearis* (cfr. Beda): *Reges gentium dominantur eorum,* per potentiam eos humiliantes. — Superius pro *per culmen excellentiae* Vat. *per ambitionem excellentiae.*

[7] Psalm. 48, 12. et 13. — Glossa *interlinearis: Et qui potestatem,* largiendi, *habent super eos benefici vocantur.*

[8] Vers. 20. et deinde 10, 27, ubi Vulgata: Magnus et iudex et potens est in honore, et non est etc. — Glossa *ordinaria* (ex Beda et Hieron., III. Comment. in Matth. 20, 25. seqq.): Pius Magister non initae contentionis arguit [discipulos], sed formam humilitatis, quam sequantur, describit, quasi dicat: Vos more saecularium per praelationem pervenire vultis ad regni possessionem; sed ad summam virtutum non potentia venitur, sed humilitate.

[9] Vers. 26. seq. — Duo inferius allegati loci sunt Luc. 14, 10. et 11.

[10] Vers. 1. seq. — Sequitur I. Petr. 5, 3, ubi pro *in cleris* C D G H cum Beda, VI. in Luc. 22, 25, *in clero.* — Superius pro *nec,* quod bis occurrit, Vat. cum nonnullis codd. *vel,* et *suspendatur* pro *suppeditetur* (ita A C D H). Du Cange, Glossarium etc.: *Suppeditare,* Subiicere, evertere, pedibus conculcare, sub pedes ponere.

[11] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 25.

et patrem exhibeat disciplina, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa ». Et de hoc est in Paulo exemplum, qui dicebat bonis primae ad Thessalonicenses secundo[1]: « Facti sumus parvuli in medio vestri, tanquam si nutrix foveat » etc.; pater etiam severus fuit Corinthiis, secundae ad Corinthios ultimo: « Praedico vobis, sicut praedixi iis qui ante peccaverunt, et ceteris omnibus, quoniam, si venero, non parcam. An experimentum quaeritis eius qui in me loquitur Christus »?

Exemplum humilitatem suadens.

38. (Vers. 27.).Tertio quantum ad *exemplum humilitatem suadens* adiungit: *Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat?* Hoc quaerit sicut per se notum, et ideo respondet: *Nonne qui recumbit?* Hoc est quidem verum secundum ordinem, qui attenditur secundum morem et usum mundanum; unde supra decimo septimo[2]: « Quis autem vestrum, habens servum, qui reverso de agro dicat: Transi et recumbe; et non magis: Veni et ministra mihi »?

Notandum.

— Sed aliter est secundum ordinem divinum; unde subdit: *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat,* ad dandum humilitatis exemplum; quod potissime fecit in coena illa ultima, in qua lavit pedes discipulorum, sicut dicitur Ioannis decimo tertio[3], ubi subiungitur: « Vos vocatis me magister et domine, et bene dicitis. Sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros » etc. Rationem autem ipse reddit consequenter: « Non est servus maior domino suo, neque apostolus maior est eo qui misit illum ». Si ergo Christus, cum esset superior, humillime ministravit; multo fortius et omnes Christi discipuli. Chrysostomus[4]: « Non est verus discipulus, qui non imitatur magistrum, nec vera imago, quae non est similis auctori ». Unde licet semper fuerit periculosum erigi in superbiam, nunc periculosissimum est post tantam humilitatem ostensam; et ideo ad Philippenses secundo[5]: « Hoc sentite in vobis quod et in Christo Iesu, qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo » etc.

Praemium ad humilitatem alliciens.

39. (Vers. 28.). Quarto quantum ad *praemium ad humilitatem alliciens* adiungit: *Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis*, per sustinentiam tribulationis. Tales sunt, de quibus dicitur Apocalypsis septimo[6]: « Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni ». Et huiusmodi sunt veri amici, quia, Proverbiorum decimo septimo, « omni tempore diligit qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur »; et ideo Ecclesiastici sexto: « Si possides amicum, in tentatione posside eum ».

Promissio Christi.

40. (Vers. 29. 30.). Et quoniam qui particeps est in tribulatione debet esse particeps in honore, ideo addit: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo*[7], per abundantiam satietatis, secundum illud secundae ad Timotheum secundo: « Fidelis sermo. Nam si commortui sumus, et convivemus; si sustinuerimus, et conregnabimus »; et ideo Apocalypsis primo: « Particeps in tribulatione et regno ». Pater disposuit Filio, quod veniret ad exaltationem per humiliationem; nam infra vigesimo quarto[8]: « Nonne oportuit, pati Christum et ita intrare in gloriam suam »? et ad Philippenses secundo: « Humiliavit semetipsum »; et post: « Propter quod et Deus exaltavit illum et dedit illi nomen » etc. Sic et Filius disponit nobis sub eodem foro et quantum ad viam et quantum ad patriam; unde Ioannis duodecimo[9]: « Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi ego sum, illic et minister meus erit ».

Convivium.

— Quod non solum dicit quoad convivium refectionis, verum etiam solium honoris, et ideo addit: *Et sedeatis super thronos*[10], *iudicantes duodecim tribus Israel,* per excellentiam dignitatis. Et hoc dicitur perfectis, qui iudicabunt et non iudicabuntur; de quibus Matthaei decimo nono: « Vos, qui reliquistis omnia et secuti estis me » etc. Et in talium persona dicitur primae ad Corinthios sexto[11]: « An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt »? « Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus, quanto

Solium honoris.

[1] Vers. 7, cui subiunguntur II. Cor. 13, 2. et 3. — Glossa *interlinearis: Vos autem non sic,* quia etiam eorum quae distribuitis, non auctores, sed dispensatores estis; *sed qui maior,* in virtutibus, *est in vobis, fiat sicut minor,* humili reputatione, *et qui praecessor est,* gradu dignitatis, *sicut ministrator.*

[2] Vers. 7. — Glossa *interlinearis: Nam quis maior est,* secundum iudicium saeculi, *qui recumbit* etc.

[3] Vers. 4. seqq. et deinde v. 13. seq.: *Vos vocatis* etc. denique v. 16: *Non est servus* etc. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 27: Ad verba exhortationis explendae exemplum de se ponit. Hinc Ioannes [13, 14.] scribit: *Si ego lavi pedes* etc.

[4] Homil. 35. in Matth. 20, 28. (Op. imperfect.) in fine. Pro *auctori* G *factori.*

[5] Vers. 5. et 6.

[6] Vers. 14. — Duo seqq. loci sunt Prov. 17, 17. et Eccli. , 7. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 28: Infirmitas mea non conturbavit vos, sed in bono coepto perseverastis. Sicut ergo mihi perseveranti usque ad mortem dedit Pater *nomen, quod est super omne nomen* [Phil. 2, 9.], sic et ego perseverantes vos mecum ducam ad aeternum regnum.

[7] Codd. A C D G H omittunt *in regno meo.* — Sequuntur II. Tim. 2, 11. et 12, post quos Apoc. 1, 9.

[8] Vers. 26. — Subinde allegantur Phil. 2, 8. et 9.

[9] Vers. 26. — Superius pro *sub eodem foro* Vat. *eodem modo;* cfr. tamen supra pag. 371, nota 10. verba Du Cange, qui etiam insinuat *Forum habere, facere,* idem esse ac *pacisci, de pretio convenire.* Ex cod. H, qui etiam habet *sub eodem foro,* patet, hanc dictionem aequivalere isti *sub eodem ordine et eodem pretio.* Pro *disponit nobis* C D *disposuit vobis.*

[10] Codd. C D H addunt *duodecim;* ita etiam B. Albert. et S. Thom., Cat. aurea in Luc. 22. n. 8; cfr. Matth. 19, 28. paulo inferius allegatus: Vos, qui secuti estis me... sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim etc.

[11] Vers. 2. et 3. — Duo seqq. loci sunt Iob 36, 17. et 6, ubi pro *impios* C D G *impium.*

magis saecularia »? Hoc autem debetur perfectae humilitati, secundum illud Iob trigesimo sexto: « Causa tua quasi impii iudicata est »; et iterum trigesimo sexto: « Non salvat impios et iudicium pauperibus tribuit », illis scilicet, qui vincunt superbiae fastum. Propterea Apocalypsis tertio[1]: « Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi cum Patre in throno eius ». Et hoc est praemium humilium; Ioannis duodecimo: « Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, qui est in caelis ».

**Secundo, ad constantiam animandam dicuntur duo.**

41. *Ait autem Dominus Simoni*[2]. Post repressam discipulorum arrogantiam, hic *animat eos ad constantiam contra pericula imminentia*[3]. Et quoniam in periculis opus est constantia contra violentiam, opus est cautela contra fraudulentiam; nam diabolus tentat ut leo, tentat etiam ut draco[4]; ideo pars ista habet duas. In quarum prima *animat discipulos ad constantiam;* in secunda vero *sollicitat ad cautelam,* ibi[5]: *Et dixit eis: Quando misi vos* etc.

**Divisio.**

**Animatur ad constantiam tripliciter.**

*Animans* autem *ad constantiam praemunit contra tentationem, ostendit defensionem* et *compescit praesumtionem.*

**Praemunitio contra tentationem.**

42. (Vers. 31.). Primo igitur quantum ad *praemunitionem*[6] *tentationis* dicit: *Ait autem Dominus Simoni: Simon, ecce, satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.* Specialiter Simonem alloquitur tanquam principalem inter omnes Apostolos. Nam ei dictum est Matthaei decimo sexto[7]: « Beatus es, Simon Bar Iona »; et post: « Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam ». Istum ergo tanquam principalem lapidem et fundamentalem praemunit, ostendendo periculum pugnae hostilis. Quia enim diabolus adversatur nobis, ideo dicitur *satanas,* secundum illud Zachariae tertio[8]: « Satan stabat a dextris eius, ut adversaretur ei ». Iste autem semper desiderat persequi viros iustos, sed non potest, nisi quantum permittitur a Domino. Ideo dicitur *expetere,* sicut a Domino permissus est Iob; Iob primo[9]: « Quadam die, cum assisterent filii Dei coram Domino, adfuit inter eos etiam satan »; data est autem ei potestas. Concutit etiam viros perfectos, sicut concutitur triticum in *cribro,* quia, sicut triticum, dum cribratur, expurgatur, sic et viri sancti in tribulationibus. Unde Glossa[10]: « Cum satanas expetit tentare et, velut qui triticum purgat ventilando, concutere, docemur, nullius fidem a diabolo, nisi permittente Deo, posse tentari ». Sicut autem, cum cribratur triticum, nihil remanet in eo nisi pulvis; sic diabolus non capit nisi perversos; Ecclesiastici vigesimo septimo[11]: « Sicut in percussura cribri remanebit pulvis, sic aporia hominis in cogitatu illius ». In hoc enim cribro mali non purgantur; Amos ultimo: « Concutiam domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro, et non cadet ex eo lapillus super terram ».

**Notandum.**

**Ostensio defensionis.**

43. (Vers. 32.). Secundo quantum ad *ostensionem defensionis* adiungit: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Hic rogavit Dominus, non ut Petrus *non caderet,* sed ut *non deficeret,* quia, quamvis ceciderit, resurrexit, secundum illud infra eodem[12]: « Conversus Dominus, respexit Petrum » etc. Vel potest illud referri ad *Ecclesiam Petri,* pro cuius fide rogavit Dominus, secundum illud Ioannis decimo septimo[13]: « Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me ». Et haec Ecclesia, quae designatur per Petri naviculam, licet concutiatur, tamen non naufragatur. Hoc enim posuit Deus in illa Ecclesia ad confirmationem aliarum. — Ideo addit: *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos;* quia, sicut dicitur ad Romanos decimo quinto[14], « debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere » etc.; et hoc est ordinatum, secundum illud Proverbiorum decimo octavo: « Frater, qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma ». Ex quo apparet, quod Christus ipse orando et interpellando confirmat principalia Ecclesiae membra. Propter quod primae ad Corinthios decimo quinto[15]: « Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum »; et primae Petri ultimo: « Deus autem omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit solidabitque ». Sed per principalia confirmat infirma, secundum illud ad Romanos primo[16]: « Desidero videre vos, ut aliquid impartiar

**Aliter.**

**Monitio, ut Petrus confirmet fratres.**

---

[1] Vers. 21. — Subinde allegatur Ioan. 12, 26; Vat. cum Vulgata omittit *qui est in caelis;* cfr. Breviar. Roman. antiph. 4. ad Laudes pro Communi unius Martyris.

[2] Vulgata: *Ait autem Dominus: Simon, Simon* etc.; cfr. supra pag. 550, nota 1. [3] Cfr. supra n. 34.

[4] Vide supra pag. 95, notam 9.

[5] Vers. 34. seq.

[6] Vat. *praenuntiationem.* — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 31: Ne glorientur duodecim [Beda: undecim Apostoli], quod soli de tot millibus cum Domino in tentationibus permansisse dicerentur, admonet eos, eadem procella potuisse conteri, nisi divina gratia fuissent protecti.

[7] Vers. 17. et 18.

[8] Vers. 1. — Superius pro *hostilis* C D *hostis.*

[9] Vers. 6. — Superius post *Iste* C D G omittunt *autem.*

[10] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 31. Pro *docemur, nullius fidem* (ita etiam Beda) Glossa et H *docetur, nullus* [H addit *fidelis*].

[11] Vers. 5. — Sequitur Amos 9, 9.

[12] Vers. 61. — Idem insinuat Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 32.

[13] Vers. 20. Cfr. Leo, Serm. 3. de Assumtione sua ad pontificatum, c. 3, et Bernard., Contra quaedam capitula errorum Abaelardi (alias Epist. 190.) in Praefatione. — Inferius vocibus *in Ecclesia* ex A C D G H interseruimus *illa.*

[14] Vers. 1. et deinde Prov. 18, 19.

[15] Vers. 57, post quem I. Petr. 5, 10, ubi A C D G *Deus autem et Dominus gloriae, qui vocavit nos in Christo Iesu* etc.

[16] Vers. 11. seq. — Subinde allegatur Iob 4, 4. — Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Et tu aliquando conversus* etc., sicut ego orando te protexi, ne deficeres, sic tu infirmiores fratres exemplo tuae poenitentiae conforta, ne de venia desperent.

vobis gratiae spiritualis ad confirmandos vos, id est, simul consolari in vobis » etc. Unde et sancto Iob dicitur: « Vacillantes confirmaverunt sermones tui », Iob quarto.

Repressio praesumtionis.

44. (Vers. 33.). Tertio quantum ad *repressionem praesumtionis* subiungit: *Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire.* Hoc verbum fuit amoris et fervoris [1], sed tamen hoc erat cuiusdam praesumtionis, quia illud promittit, ad quod non sufficit, scilicet quod paratus sit pro Christo et cum Christo mori, cum sit opus perfectissimae caritatis. Unde Hieronymus [2]: « Avis sine plumis volare nititur ». Unde Petrus dupliciter hic praesumsit: et quia supra vires *de viribus propriis sensit;* unde Ioannis decimo tertio [3]: « Dixit Petro: Quo ego vado, non potes me sequi modo; dicit ei Simon Petrus: Quare non possum te sequi modo? Animam meam pro te ponam »; et iterum, quia *se aliis praeposuit;* unde Marci decimo quarto [4]: « Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego ». Unde Chrysostomus: « Duae erant incusationes: et quia Christo contradixit et quia aliis se praeposuit ».

Praesumtio compescenda erat.

45. (Vers. 34.). Et ideo haec praesumtio compescenda erat, et propterea subditur: *Et* [5] *ille dixit: Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me.* Chrysostomus [6]: « Permittit eum cadere, erudiens, in omnibus credendum Christo plus quam propriae conscientiae ». Et post: « Ex hoc apparet, quod non sufficit desiderium hominis, nisi nutu superioris potiatur ». Unde Augustinus de Verbis Domini [7] dicit, quod Dominus locutus est ad Petrum, sicut medicus ad aegrotum, qui credit, se esse sanum. Dicit enim sic: « Medicus tangens venam cordis Petri dicebat, quod ter eum esset negaturus »; quod quidem dicebat non incitando ad negationem, sed compescendo praesumtionem. Unde Glossa [8]: « Ille qui novit, quid sit in homine, ne quis de statu suo incaute confidat, vel de casu incautius diffidat, sicut Deus modum, tempus et numerum negationis praedicit, et sicut misericors auxilium suae defensionis promittit ». Ipse igitur Dominus, « qui scit figmentum nostrum [9] », qui scit, cogitationes hominum esse vanas, praedicit casum, ut ostendat, istud verum esse, quod dicitur Proverbiorum vigesimo octavo: « Qui confidit in corde suo stultus est; qui autem graditur sapienter, ipse laudabitur ». — Si quis autem quaerat, utrum Petrus crediderit, Dominum dixisse verum, aut falsum; dico, quod credidit, quod verum, sed *sub conditione,* scilicet nisi diligenter caveret sibi. Sciebat enim, quod praedictio Christi in nullo praeiudicabat, sed potius praenuntiabat arbitrii libertatem [10].

Notandum.

Quaestio solvitur.

Alia difficultas.

46. Videtur autem hoc quod hic dicitur de negatione Petri, contrarium esse ei quod dicitur Marci decimo quarto [11]: « Priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus ». — Sed ad hoc respondetur, quod re vera ante primum cantum negavit Petrus semel, et ante secundum bis, et ita ante consummavit Petrus trinam [12] negationem, quam gallus cantum suum. Est igitur sensus, quod *gallus non cantabit,* id est, cantum non consummabit; vel *antequam gallus cantet, ter negabis,* id est, trinam negationem inchoabis; vel *negabis,* id est, trinam negationem in proposito consummabis [13].

Solutio triplex.

Sollicitator ad cautelam tripliciter.

47. (Vers. 35. 36.). *Et dixit eis: Quando misi vos* etc. Postquam animavit ad constantiam, hic *sollicitat ad cautelam* [14]. Quod quidem facit per *rememorationem praeteritorum,* per *circumspectionem praesentium* et per *provisionem futurorum* [15].

Per memorationem praeteritorum.

Primo igitur quantum ad *rememorationem praeteritorum* dicit: *Et dixit eis: Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil.* Hoc autem

---

[1] Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 33: Quia Dominus dixerat, se pro Petro orasse, conscius ille praesentis affectus et ferventis fidei, sed nescius casus futuri, non credit, se ab eo posse deficere.

[2] Ita etiam Card. Hugo (qui tamen pro *sine plumis* substituit *implumis*) et Gorranus; Vat. ex Comment. in Evang. secundum Marc. 14, 29. (inter opera Hieron.): « Avis sine pennis in altum volare nititur; sed *corpus aggravat animam* [Sap. 9, 15.], ut timore humanae mortis timor Domini superetur ». Cod. B allegat Glossam *interlinearem*, habetur tamen in Glossa *ordinaria* in Marc. 14, 29.

[3] Vers. 36. et 37.

[4] Vers. 29. — Sententia Chrysostomi habetur Homil. 82. (alias 83.) in Matth. n. 3.

[5] Ita etiam alii Scholastici, ut Card. Hugo, B Albert., S. Thom., Gorranus; Vulgata *At.*

[6] Homil. 82. (alias 83.) in Matth. n. 3. (pro *erudiens* B *docens*); ibid. n. 4. habetur seq. sententia.

[7] Sermo 49, qui nunc est Serm. 137. c. 3. n. 3. Cfr. Serm. 79. In Appendice (alias 124. de Tempore) n. 1: Verus et caelestis medicus venam cordis inspexerat, et qua hora tentationis pondus vel infidelitatis frigus venturum esset, praedixerat. Medicus praedicabat, et aegrotus negabat; sed ubi ad horam ventum est, falsum fuit quod promiserat homo, et verum apparuit quod praedixerat Deus etc. Vide etiam S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 18. n. 46. — Chrysost., Homil. 82. (alias 83.) in Matth. n. 3: Idcirco illum cohibuit, non ad negationem impellens; absit, sed etc.

[8] Scilicet *ordinaria* (ex Beda), in cuius principio respicitur Ioan. 2, 25: Ipse enim sciebat, quid esset in homine. A C D G omittunt *vel de casu incautius diffidat.*

[9] Psalm. 102, 13, deinde 93, 11: Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt. — Sequitur Prov. 28, 26.

[10] Cfr. II. Sent. d. 4. a. 2. q. 2. ad 1. et I. Sent. d. 40. dub. 6. Eandem quaestionem proponunt hoc loco Card. Hugo, B. Albert. et Gorranus.

[11] Vers. 30.

[12] Codd. A C D H omittunt *trinam.* — Superius pro *respondetur* C D *respondendum.*

[13] Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 18. n. 50. — Pro *trinam negotionem*, quod bis occurrit, C *tertiam negationem.*

[14] Cfr. supra n. 41.

[15] Respiciuntur tres partes prudentiae a Cicerone enumeratae, scil. memoria, intelligentia et providentia. Vide supra c. 20. n. 52. et tom. III. pag. 728, notam 6. Pro *provisionem* D *praevisionem;* cfr. tamen infra n. 49.

Ratio 1. Dominus requirit ab eis, ut in tempore tribulationis memores essent praeteritae quietis, secundum illud Ecclesiastici undecimo [1]: « In die malorum ne immemor sis bonorum »; et Iob secundo: « Si bona suscepimus de manu Dei, mala autem quare non Ratio 2. sustineamus »? — Vel ideo reducit ad memoriam, ut ex praeterito det cautelam de futuro, quia, Ecclesiastae octavo [2], « qui ignorat praeterita et futura Ratio 3. nullo scire potest nuntio ». — Vel ideo quaerit, ut ostendat, quod divinitus ortum est, et in primitiva Ecclesia est observatum, ut Evangelium nuntians de Evangelio vivat; unde Glossa [3]: « Ne quid tollerent in via, praecipit, ordinans scilicet, ut qui Evange- Ratio 4. lium nuntiat de Evangelio vivat ». — Vel ideo quaerit, ut ostendat ex responsione sua, quod sequenti divina consilia non deerunt necessaria. Propter quod Matthaei sexto [4]: « Nolite solliciti esse animae vestrae, quid manducetis, et corpori vestro, quid induamini ». « Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis ». Hoc autem non dicit, quia Apostoli nullam sustinuerunt penuriam, sed quia Deus illam supplevit, quantum necesse erat. Unde secundae ad Corinthios quarto [5]: « Aporiamur, sed non destituimur »; Glossa ibi: « Quasi pauperes sumus adeo, ut nobis necessaria desint, sed non *destituimur*, quia Deus pascit nos ». Et impletur illud Psalmi [6]: « Timete Dominum omnes Sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum »; quia exterior inopia cum interiori sufficientia non debet reputari inopia, sed opulentia; propter quod primae ad Corinthios primo [7]: « In omnibus divites facti estis in illo »; « ut nihil vobis desit in ulla gratia »; et secundae ad Corinthios sexto: « Tanquam nihil habentes et omnia possidentes ». Unde Chrysostomus [8]: « Maximam habet defensionem inopia: inopem et nudum neque centum possunt exuere, philargyrum universa contristant, non solum homines, sed et vermes et tineae contra eum militant ».

48. Secundo quantum ad *circumspectionem praesentium* subdit: *Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum tollat similiter et peram,* ad sustentationem; unde Glossa [9]: « Instante mortis articulo, et tota illa gente pastorem simul et gregem persequente, congruam tempori regulam decrevit, permittens, ut tollant necessaria victui, donec, sopita persecutorum insania, tempus evangelizandi redeat ». Datur autem hic forma, ut inter infideles et extraneos et persequentes doctrinam veritatis non negligatur provisio sustentationis. Unde Glossa [10]: « Si per inhospitales regiones pergimus, plura viatici causa licet ferri, quam domi habeamus ». — Et quia in persecutione non instat solum periculum famis ab intra, verum etiam periculum oppressionis ab extra; ideo addit: *Et qui non habet vendat tunicam suam et emat gladium,* ad defensionem. Et debet suppleri affirmativa: et qui habet gladium tollat scilicet, et qui non habet emat. — Sed cum Dominus nolit, vindictam fieri a spiritualibus viris, ut quid mandat, gladium emi? Unde Ambrosius [11]: « Cur emere iubes gladium, qui ferire prohibes? Cur habere praecipis quae vetas promi? Nisi forte, ut sit parata defensio, non ultio necessaria, et videar potuisse vindicare, sed noluisse ». — Potest etiam dici, quod ad *spiritualem intellectum* refertur, ut per *peram* intelligatur *affectus pietatis*, secundum illud Ecclesiastici decimo septimo [12]: « Eleemosyna viri quasi sacculus cum eo ». Et in hac pera reponuntur lapides de torrente passionis, secundum illud primi Regum decimo septimo [13]: « Tulit David lapides de torrente et posuit eos in peram pastoralem ». — Per *gladium* autem intelligitur *zelus veritatis,* quem debet homo primo *sibi praecingere* per mortificationem carnalitatis propriae, secundum illud Psalmi [14]: « Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime »; et Canticorum tertio: « Uniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos ». Et debet *evaginari* ad redargutionem carnalitatis alienae, secundum illud Ieremiae quadragesimo octavo [15]: « Maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine »; et ad Hebraeos quarto: « Vivus est sermo Dei et efficax » etc. Et hic debet assumi *in tribulatione;* Ioelis tertio: « Concidite aratra vestra in gladios et ligones vestros in lanceas; infirmus dicat: Quia fortis ego sum ». Haec duo, scilicet *pera* et *gladius,* assumenda sunt in tribulatione, ut *pietatem* ad naturam, *zelum* vero contra vitia habeamus [16].

Per circumspectionem praesentium.

Periculum famis.

Notandum.

Periculum oppressionis.

Obiectio solvitur.

Sensus mysticus.

[1] Vers. 27, post quem Iob 2, 10. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 35: Non eadem regula vivendi persecutionis tempore qua pacis discipulos informat.

[2] Vers. 7.

[3] Scilicet *ordinaria* (ex Beda). Cfr. tom. V. pag. 131, nota 5.

[4] Vers. 25. (Vat. allegat v. 31: *Nolite ergo solliciti esse* etc.), cui subiungitur v. 32. — Superius pro *sequenti divina consilia* Vat. *exsequenti divina consilia.*

[5] Vers. 8. Glossa in hunc loc. est *interlinearis,* in qua exponuntur verba *aporiamur* (ἄπορος, id est pauper, egenus) et *non destituimur*. Post *non destituimur* Vat. addit *a thesauro Dei.*

[6] Psalm. 33, 10.

[7] Vers. 5. et 7, post quos II. Cor. 6, 10.

[8] Homil. 83. (alias 84.) in Matth. n. 3. in fine et n. 4. in principio. Pro *philargyrum* B *avarum*, Vat. *phylargyriam*, quae ideo etiam inferius pro *contra eum* substituit *contra eam.*

[9] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 35, ubi pro *decrevit, permittens, ut tollant necessaria* textus originalis *decernit, permittens necessaria;* cfr. tom. V. pag. 131, nota 5.

[10] Nempe *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 36. Pro *habeamus* (ita etiam Glossa) Vat. cum Beda *habebamus.*

[11] Libr. X. in Luc. c. 22. n. 53, ubi pro *quae vetas* Vat. cum textu originali *quem vetas*, et pro *videar* [C D *videaris*] *potuisse vindicare* (ita etiam Card. Hugo) *videar potuisse vindicari.*

[12] Vers. 18; cfr. supra pag. 140, nota 6.

[13] Vers. 40: Elegit sibi quinque limpidissimos lapides etc.

[14] Ps. 44, 4. et deinde Cant. 3, 8.

[15] Vers. 10. — Duo seqq. loci sunt Hebr. 4, 12. (Vat. hunc omittit) et Ioel 3, 10, in cuius fine C D *quasi fortis sum.*

[16] Ambros., X. in Luc. c. 22. n. 54: Est enim gladius spiritualis, ut vendas patrimonium, emas verbum, quo nuda mentis

Per providentiam futurorum.

49. (Vers. 37.). Tertio quantum ad *providentiam futurorum* subiungit: *Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est;* Isaiae quinquagesimo tertio[1]: « Tradidit in mortem animam suam et cum sceleratis deputatus est ». Congrue autem hoc Dominus praedicit eis, ut ex considerata passione sua armentur et animentur, secundum illud primae Petri quarto[2]: « Christo in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini ». Haec est armatura accipienda, secundum illud ad Ephesios sexto: « Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo ». — Et quoniam nihil magis animat hominem in tribulatione quam consideratio finis, ideo subdit: *Etenim ea quae* scripta[3] *sunt de me, finem habent,* scilicet per passionem imminentem. Nam supra decimo octavo: « Consummabuntur omnia, quae scripta sunt de me, Filio hominis ». In hac quidem finali tribulatione non debet esse defectus spiritualis armaturae, quae nunquam deerit Ecclesiae.

De gladiis.

50. (Vers. 38.). In cuius designationem subdit: *At illi dixerunt: Domine, ecce, gladii duo hic. At ille dixit eis: Satis est.* Ex quo apparet, quod verbum Christi plus refertur ad *intellectum spiritualem* quam ad *carnalem.* Nam *duo gladii* nunquam satis essent ad defensionem contra illam innumerabilem multitudinem, qui cum gladiis et fustibus venerunt[4]. Quod ergo dicit: *Satis est,* intelligitur de signato. Nam per duos hos gladios intelliguntur *duo testamenta,* in quibus sufficiens continetur doctrina ad defendendam universalem Ecclesiam, secundum illud Canticorum quarto[5]: « Sicut turris David » — designatur tamen per gladium geminatum. Et in designationem huius Seraphim tulit cum forcipe de altari calculum, qui in duobus brachiolis duplicem habet cultellum, Isaiae sexto[6]. In huius etiam designationem Apocalypsis decimo nono[7] dicitur, quod « de ore eius exibat gladius ex utraque parte acutus »; et de his Isaiae secundo: « Conflabunt gladios suos in vomeres », quia veteris testamenti verba utilia sunt ad praedicationem. — Per *duos gladios* intelligitur *duplex armatura,* scilicet *spiritualis* et *materialis.* Unde Bernardus ad Eugenium[8]: « Si nullo modo ad te pertineret gladius materialis, dicentibus Apostolis: *Ecce, gladii duo hic;* non respondisset Dominus: *Satis est,* sed *nimis est.* Uterque ergo est Ecclesiae, et spiritualis scilicet et materialis; sed is quidem *pro Ecclesia,* ille vero *ab Ecclesia* exserendus est; ille sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis et iussum imperatoris ».

Notandum.

Sensus mysticus primus.

Secundus.

**Quarto, de devota supplicatione Christi ad Deum.**

51. (Vers. 39.). *Et egressus ibat secundum consuetudinem* etc. Post descriptam machinationem proditoris et institutionem Sacramenti altaris et informationem discipulorum describit hic Evangelista *orationem hominis Christi ad Deum*[9]*;* et hoc quantum ad septiformem conditionem, quae debet esse in oratione. Debet enim esse *secreta, sollicita, devota, discreta, vigorosa, anxia* et *circumspecta.*

Septiformis conditio orationis.

Primo igitur quantum ad *orationis secretum ex parte loci* dicit: *Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum.* Consuetudo enim sua erat orare in monte illo, quia locus ille erat *secretus,* ut insinuet, quod devota oratio debet fugere publicum; propter quod Matthaei sexto[10]: « Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum » etc.; et Osee secundo: « Ducam eum in solitudinem et loquar ad cor eius »; sive quia locus erat *eminens,* ad quem debet orans ascendere, ratione cuius Matthaei decimo quarto[11]: « Relicta turba, ascendit in montem »; sive etiam, quia mons erat *Olivarum et unctionis et pietatis,* ex qua debet Deus orari, secundum illud Psalmi: « Impinguasti in oleo caput meum » etc.; sive etiam, quia *de illo loco ascensurus erat in caelum;* unde Hieronymus[12]: « In monte Oliveti

Oratio debet esse secreta.

Rationes 4.

---

penetralia vestiuntur. Est etiam gladius passionis, ut exuas corpus, et immolatae carnis exuviis ematur tibi sacri corona martyrii... Denique, ut scias, quia de passione locutus est, ne turbaret discipulorum animos, de se exemplum protulit, dicens: *Quoniam hoc quod scriptum est* etc.

[1] Vers. 12. Pro *deputatus* Vat. cum Vulgata *reputatus.*

[2] Vers. 1. — Sequitur Eph. 6, 13.

[3] Vat. omittit *scripta,* pro quo H *praedicta supra.* — Subinde allegatur Luc. 18, 31.

[4] Matth. 26, 47: Et cum eo [Iuda venit] turba multa cum gladiis et fustibus etc. — Theophylact., in Luc. 22, 35-38: At ipse [Iesus] quia vidit, eos [Apostolos] non intellexisse, inquit: *Satis est;* tametsi nequaquam suffecissent; si humano auxilio contra homicidas illos uti oportuisset, neque centum gladii suffecissent.

[5] Vers. 4. — Expositio haec est secundum Glossam *ordinariam* (ex Ambrosio, X. in Luc. c. 22. n. 55.).

[6] Vers. 6, in quem Glossa *interlinearis* (ex Hieron.): *Calculus, quem forcipe* etc., duobus testamentis, quae Spiritus sancti unione sociantur. Ibid. Glossa *ordinaria: Calculus,* id est caritas, *quem forcipe,* id est doctrina duorum testamentorum, *de altari tulerat* et Isaiae in exemplum posuerat. — Superius pro *gladium geminatum* (ita B D G) A C (D primitus) *gradum geminatum,* E *Seraphim geminatum,* Vat. *gratiarum geminatum.* Videtur ibi esse quaedam omissio, vel corruptio.

[7] Vers. 15, ubi etiam Glossa *ordinaria* hanc subiungit expositionem: Vel vetus et novum testamentum (cfr. ibid. 1, 16.). — Sequitur Isai. 2, 4.

[8] Sive libr. IV. de Considerat. c. 3. n. 7. Cfr. Epist. 256. n. 1. Vide tom. VI. pag. 481, notam 9.

[9] Cfr. supra n. 1. — Superius Vat. omittit *et institutionem Sacramenti altaris.*

[10] Vers. 6, cui subiungitur Osee 2, 14, ubi pro *eum* Vat. cum Vulgata *eam.* Cfr. supra c. 9. n. 30. et 46.

[11] Vers. 23. — Subinde allegatur Ps. 22, 5.

[12] Comment. in Marc. 14, 26. seqq. (inter opera Hieron.). In fine Card. Hugo addit *in terra,* textus originalis legit *nec repugnamus in terra,* Vat. *et non reconciliamur* (!). Pro verbis Hieronymi B substituit *quia oratio via est ascendendi ad Deum.*

tenetur Iesus et inde ascendit in caelum, ut sciremus, quia inde ascendemus ad caelos, unde vigilamus et oramus et ligamur et non recalcitramus ». — Principalis tamen ratio erat *secretum*, unde et solos permisit ire discipulos; propter quod addit: *Secuti sunt autem illum et discipuli*, tanquam familiares et privati, inter quos etiam familiariores elegit, coram quibus in monte transfiguratus fuit; unde Matthaei vigesimo sexto [1]: « Assumto Petro et duobus filiis Zebedaei, coepit contristari et moestus esse ».

Item, sollicita.

52. (Vers. 40.). Secundo quantum ad *orationis sollicitudinem ex parte animi* subdit: *Et cum pervenisset ad locum* [2], *dixit illis: Orate, ne intretis in tentationem*. Ex quo apparet, quod Dominus sollicite orabat et ad orationem discipulos sollicitabat, ut doceret, sollicite orandum propter imminentia pericula. Tunc enim potissime orationi insistendum est, secundum illud Psalmi [3]: « In die tribulationis meae Deum exquisivi manibus meis » etc. Quando enim *tentatio imminet*, oportet tunc implorare auxilium de excelsis, secundum illud secundi Paralipomenon vigesimo [4]: « Cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros ad te dirigamus ». Cum autem homo *tentatur*, oportet ipsum petere auxilium, ne vincatur; et hoc petitur in oratione dominica, Matthaei sexto [5]: « Et ne nos inducas in tentationem ». Unde qui in tentatione non vigilat et orat socius est furis, quia, cum sentiat hostes, non clamat ad Dominum castri et eius milites, ut succurrant. Unde supra vigesimo primo [6]: « Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quae ventura sunt ».

Item, devota.

53. (Vers. 41.). Tertio quantum ad *orationis devotionem ex parte modi orandi* subdit: *Et ipse avulsus est ab eis, quantum iactus est lapidis, et positis genibus orabat;* in quo ostendit devotionem et humilitatem et reverentiam cordis. Unde Beda [7]: « *Orabat positis genibus*, ut humilitatem mentis habitu corporis ostenderet ». Et hoc quidem conveniens erat; nam talis oratio maxime placet, secundum illud Ecclesiastici trigesimo quinto [8]: « Oratio humiliantis se nubes penetrabit, et donec propinquet, non consolabitur »; unde et in Psalmo: « Respexit in orationem humilium et non sprevit precem eorum »; et ideo Iudith nono [9]: « Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio ». Hoc modo orabat Paulus, ad Ephesios tertio: « Peto, ut non deficiatis in tribulationibus meis pro vobis. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur ». — Et nota, quod dicit, quod *avulsus est a discipulis ad iactum lapidis*, non solum propter secretum, verum etiam propter *mysterium;* quia per hoc significabatur, quod lapis ille angularis erat a discipulis ad modicum separandus et cito reversurus, quod significat absconsio patenae in Missa [10]. — Vel certe significat, quod ad hoc, quod quis devote oret, oportet, quod a carnalibus affectibus avellatur; unde Isaiae vigesimo octavo [11]: « Quem docebit scientiam? Et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus ». Et haec *avulsio* non potest esse nisi per quendam impetum et motum violentum; et propter istum impetum spiritus postulantis dicitur ad Romanos octavo [12]: « Spiritus est, qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus ».

Notandum mysterium.

Aliter.

Item, discreta.

54. (Vers. 42.). Quarto quantum ad *orationis discretionem* addit: *Dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum a me*. Per *calicem istum* intelligitur passio, pro eo quod in calice potus bibitur in mensura, secundum illud Psalmi [13]: « Cibabis nos pane lacrymarum et potum dabis nobis in lacrymis in mensura ». Hunc calicem Christus bibit, cum passionem voluntarie gustavit; Psalmus [14]: « De torrente in via bibit » etc.; et Matthaei vigesimo: « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum »? Hunc calicem Christus bibere volebat voluntate *rationis*, sed abhorrebat voluntate *sensualitatis*. — Unde quia ratio dominabatur sensualitati, ideo addit: *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat;* in quo apparet, quod *discrete* petebat, quia voluntatem carnis voluntati rationis et voluntati Divinitatis subiiciebat, secundum illud Ioannis sexto [15]:

---

[1] Vers. 37; cfr. supra c. 9. n. 45. — Superius pro *inter quos etiam familiariores* Vat. *quos etiam*.

[2] Codd. C D G H *ad eum locum*. Glossa *interlinearis:* Secundum alios [Matth. 26, 36; Marc. 14, 32.] in villam, quae dicitur Gethsemani.

[3] Psalm. 76, 3.

[4] Vers. 12. — Glossa *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Hieron., IV. Comment. in Matth. 26, 41.) in Luc. 22, 40: Impossibile est, hominem non tentari, nec ait: Ut non tentemini, sed: *Ne intretis in tentationem, orate*, id est, ne tentatio vos superet et intra casses suos teneat.

[5] Vers. 13; cfr. supra c. 11. n. 16.

[6] Vers. 36. Vide Theophylact., in Luc. 22, 39-46.

[7] Libr. IV. in Luc. 22, 41, ubi sequitur Hieron., IV. Comment. in Matth. 26, 39.

[8] Vers. 21, cui subiungitur Ps. 101, 18, ubi pro *precem* Vulgata *preces*.

[9] Vers. 16. et deinde Eph. 3, 13-15.

[10] Cfr. Innocent. III, II. de Sacro altaris mysterio, c. 59: Sed latitudo cordis ab eis [Apostolis] aufugit et latuit, cum omnes discipuli, relicto magistro, fugerunt et latuerunt; et ideo post susceptam oblatam sacerdos abscondit sub corporali patenam etc.

[11] Vers. 9. — Glossa *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur August., II. Qq. Evangelior. q. 50.) in Luc. 22, 41: *Quantum iactus est lapidis;* in hoc mystice innuit, ut in ipsum dirigant lapidem, id est, usque ad ipsum perducant intentionem Legis, quae scripta erat in lapide etc. — Superius pro *devote oret* Vat. *de nocte oret*.

[12] Vers. 26. — Superius pro *postulantis* B G *elevantis*, A C D *eleganter*.

[13] Psalm. 79, 6.

[14] Psalm. 109, 7. et deinde Matth. 20, 22.

[15] Vers. 38. — Cfr. III. Sent. d. 17. a. 2. q. 3, ubi etiam dicitur: « Et attendendum est, quod ratio in petitione illa servavit formam prudentis et fidelis *advocati*, qui desiderium sen-

« Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me ». Apparet igitur, quod orationem ratio tanquam discretus et peritus advocatus proposuit pro sensualitate, servata tamen forma divini iuris. Hoc autem Dominus oravit, ut ostenderet in se veritatem humanitatis, ut condescenderet et formam daret membris infirmis. Unde Bernardus[1]: « Agnosco vocem aegrotorum in medico, considero caritatem, stupeo miserationem, expavesco dignationem ». Hoc enim mirabile, quomodo sic dignaretur nostras in se suscipere infirmitates. — Potest etiam exponi[2], quod Christus oraverit pro membris, ut petat, quod calix transferatur, id est scandalum passionis, vel timor mortis. — Alio modo, sicut Beda[3] exponit, pro Iudaeis, vel ut per Iudaeos Christo haec mors non infligatur, ne ita excaecentur, vel ut excaecati revocentur; et hoc est ab eis calicem transferri. Tunc est sensus: *a me*, id est meis.

Ratio. Aliter. Aliter.

55. (Vers. 43.). Quinto quantum ad *orationis vigorem* subdit: *Apparuit autem illi Angelus de caelo confortans eum. Angelus apparuit* ad confortandum, non propter suam indigentiam, sed propter confortationem nostram. Unde Glossa[4]: « Si nobis tristis est, id est, propter nos tristis est; necesse est, ut etiam propter nos confortetur et nobis », ut ex hoc appareat, quod Angeli confortant orantes, sicut dicitur Danielis decimo: « Tetigit me quasi visio hominis et confortavit et dixit: Noli timere, vir desideriorum; confortare et esto robustus. Cumque loqueretur mecum, convalui et dixi: Loquere, Domine mi, quia confortasti me ». Haec igitur Angelorum confortatio nobis impetrat vigorem. — Propter quod in huius designationem addit: *Et factus in agonia, prolixius orabat;* Gregorius[5]: « *Factus est in agonia,* significans, quod tunc anima merito terretur, quando in proximo invenit quod in aeternum mutare non possit ». In hoc enim mira est pugna inter naturam et gratiam, inter rationem et sensualitatem; quam quidem agoniam habuerunt sancti Martyres, et habent viri iusti, secundum illud primae ad Corinthios nono[6]: « Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se àbstinet ». « Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aërem verberans ». Quanto autem haec agonia fortior est, tanto fortius orationi insistendum est. Unde supra decimo octavo[7]: « Dicebat illis, quoniam oportet orare semper et non deficere »; et supra sexto dicitur, quod « erat pernoctans in oratione Dei ».

Item, vigorosa. Notandum.

56. (Vers. 44.). Sexto quantum ad *orationis anxietatem*, subditur: *Et factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.* Ex quo apparet, quod mirabilibus suspiriis et clamoribus cordis et anxiis desideriis clamabat ad Deum, secundum illud Psalmi[8]: « Domine, Deus salutis meae, in die clamavi et nocte coram te ». Ideo autem sanguis decurrebat in terram, ad ostendendum, quod pro Ecclesia orabat et pro illa effundere sanguinem suum cupiebat; Iob decimo sexto[9]: « Terra, ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus ». — Attendendum est autem, quod Dominus fudit sanguinem suum pro nobis in circumcisione, oratione, flagellatione, coronatione, manuum et pedum crucifixione et lateris apertione, ut sic appareret verum illud Psalmi[10]: « Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio ». Unde verificatum est illud Isaiae sexagesimo tertio: « Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari »? Vere *rubrum*

Item, anxia. Septies Christus effudit sanguinem.

---

sualitatis proponit, servata tamen forma *iuris*. Dictat enim *ius divinum*, quod omnis appetitus debet esse Deo subiectus ». Iis verbis lectio codd. inferius posita confirmatur, lectio autem Vat. reprobatur: *Apparet ergo, quod rationem tanquam discretus et peritus advocatus praeposuit sensualitati, servata* etc.

[1] Serm. 1. in festo S. Andreae Apost. n. 5. — Superius pro *veritatem humanitatis* Vat. *veritatem humilitatis;* cfr. tamen III. Sent. d. 17. a. 2. q. 3, ubi triplex ratio pro hac a Christo facta oratione adducitur: Prima, ad *manifestationem veritatis* naturae assumtae, quae naturaliter refutabat passionem; et in hoc erudivit nostram *fidem.* Secunda vero, ad *confirmandam* nostram *imbecillitatem,* ut non diffidamus, si passionum pericula exhorremus; et in hoc erexit nostram *spem.* Tertia, ut ostenderet, *voluntatem* nostram divinae voluntati esse per omnia *subiiciendam...* et in hoc ordinavit in nobis *caritatem...* Unde magis oravit pro nobis in illa oratione, quam oraret pro se. Cfr. ibid. dub. 4.

[2] Ut insinuat Beda, VI. in Luc. 22, 42: Aliter: Appropinquans passioni, Salvator infirmantium in se vocem sumsit, dicens: *Pater, si vis, transfer calicem a me*, eorumque timorem, ut abstraheret, suscepit.

[3] Loc. cit.; sententiam Bedae Glossa *ordinaria* sic exhibet: Orat non tam timore patiendi, quam misericordia prioris populi, ne ab illo bibat calicem propinatum; unde et signanter dicit *istum,* id est populi Iudaeorum, qui non habent excusationem ignorantiae in meam mortem, quia quotidie annuntior illis in Lege et Prophetis. Si ergo fieri potest, ut sine interitu Iudaeorum credat multitudo gentium, recuso passionem; si vero illi excaecandi sunt, ut alii videant, *non mea, sed tua fiat voluntas.* — Inferius post *infligatur* Vat. legit: *nec ita excaecentur, vel ut ex caecitate revocentur; et hoc est ab eis calicem transferre* etc.

[4] Scilicet *interlinearis* (ex Beda). — Sequitur Dan. 10, 18. seq. Cfr. Bernard., Serm. 1. in festo S. Andreae Apost. n. 6. seq.

[5] Libr. XXIV. Moral. c. 11. n. 32. in fine. Pro *merito* C D G *mente,* et pro *in proximo* Vat. cum textu originali *post pusillum.*

[6] Vers. 25. et 26.

[7] Vers. 1, post quem 6, 12.

[8] Psalm. 87, 2.

[9] Vers. 19, quem Gregor., XIII. Moral. c. 23. n. 26, ita explicat: Quae scilicet terra Redemptoris nostri sanguinem non abscondit, quia unusquisque peccator redemptionis suae pretium sumens, confitetur ac laudat et quibus valet proximis innotescit. Terra etiam sanguinem eius non operuit, quia sancta Ecclesia redemptionis suae mysterium in cunctis iam mundi partibus praedicavit.

[10] Psalm. 129, 7, cui subnectitur Isai. 63, 2. De septem effusionibus sanguinis cfr. Lib. Vitis mystica (inter opera Bernardi) c. 36-41.

sacrosanctum istud corpus, quod toties fuit pro nobis sacro sanguine rubricatum. Hic sanguis *interpellat pro nobis*, secundum illud ad Hebraeos duodecimo [1]: « Accessistis ad testamenti novi mediatorem Iesum et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel »; quia sanguis Abel clamabat vindictam, secundum illud Genesis quarto: « Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra »; hic autem clamabat remissionem; Matthaei vigesimo sexto: « Hic sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum ».

Item, circumspecta.

57. (Vers. 45.). Septimo quantum ad *orationis circumspectionem* subiungit: *Et cum surrexisset ab oratione et venisset ad discipulos suos, invenit eos* [2] *dormientes prae tristitia.* Sic enim orabat ad Deum, ut tamen non oblivisceretur ovium suarum; quin immo ter interrupit orationem, ut rediret ad discipulos excitandos; unde dicitur Marci decimo quarto [3], quod « venit tertio et invenit eos dormientes ». In quo mira apparet sollicitudo Christi ad discipulos, sicut gallina sollicitatur ad pullos; Deuteronomii trigesimo secundo: « Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans ».

Admonentur discipuli.

58. (Vers. 46.). Unde et subditur: *Et ait illis: Quid dormitis? Surgite et* [4] *orate, ne intretis in tentationem.* Arguit eorum somnolentiam, quae similis erat somnolentiae ipsius Ionae; Ionae primo [5]: « Ionas descendit ad interiora navis et dormiebat sopore gravi. Et accessit ad eum gubernator, dicens: Quid tu sopore deprimeris »? Sic et Dominus dixit Petro Marci decimo quarto: « Simon, dormis? Non potuisti una hora vigilare mecum »? Dormiebant autem non ex crapula, sicut ille, de quo Proverbiorum vigesimo tertio [6]: « Eris sicut dormiens in medio mari et sicut sopitus gubernator, amisso clavo », sed ex moestitia tantum; unde Matthaei vigesimo sexto: « Erant oculi eorum gravati prae tristitia ». —

Corollarium 1.

In hoc igitur apparet mira circumspectio Christi orantis, quia ter rediit ad discipulos ad excitandum et iterum ter rediit ad Deum orandum; ut sic manifeste ostenderet, quod piissimus et vigilantissimus erat et ad subditos et ad Deum, tanquam optimus praelatus. — Insinuatur etiam in hoc, quod Christus *ter oravit eundem sermonem*, quod oratio nostra debet esse ad *Deum trinum* [7]; debet esse contra *triplex genus tentationum*; debet esse secundum *triplicem actum potentiarum* imaginis mentis nostrae [8], et secundum *triplicem theologicam virtutem*, fidem scilicet, spem et caritatem; debet esse propter *triplex bonum assequendum*, scilicet veniam, gratiam et gloriam, seu bonitatem, scientiam et disciplinam, secundum illud Psalmi [9]: « Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me ». — In hoc autem, quod *ter visitavit eos*, significatur, quod Dominus ter visitat animas, scilicet confortando *irascibile*, zelum immittendo, *rationale*, lumen infundendo et *concupiscibile*, desiderium inflammando. Propter quod Iob trigesimo tertio [10]: « Haec omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos, ut revocet animas eorum a corruptione et illuminet luce viventium ». — Et sic completur pars haec, quae est de praeambulis ad passionem.

Corollarium 2.

Corollarium 3.

*Secundo, de passione quoad sex concomitantia.*

59. *Adhuc eo loquente, ecce, turba* etc. Postquam descripsit praeambula ad passionem, hic secundo [11] describit *concomitantia.* Haec autem fuerunt sex, scilicet Christi *comprehensio*, comprehensi *illusio*, illusi *accusatio*, accusati *condemnatio*, condemnati *crucifixio*, crucifixi et *mors et tumulatio.* Secundum hoc ergo pars ista habet sex; in quarum prima agitur de Christi *comprehensione.* In secunda, de eius *illusione*, ibi [12]: *Et viri, qui tenebant eum* etc. In tertia, de *accusatione*, ibi: *Et surgens omnis multitudo*, capitulo vigesimo tertio [13]. In quarta vero, de *condemnatione*, ibi: *Pilatus autem, convocatis* etc. In quinta, de *crucifixione*, ibi: *Ducebantur autem et alii* etc. In sexta vero, de *morte et tumulatione*, ibi: *Erat autem fere horà sexta.*

---

[1] Vers. 24. — Duo seqq. loci sunt Gen. 4, 10. et Matth. 26, 28. Cfr. Bernard., Epist. 7. n. 11.

[2] Codd. A C D *ipsos.*

[3] Vers. 41. (Vat. cum G allegat Matth. 26, 43: *Et venit iterum et invenit* etc.). — Subinde allegatur Deut. 32, 11; cfr. supra c. 13. n. 74.

[4] Vat. cum Vulgata omittit *et*, quod exhibent etiam Beda, Card. Hugo, B. Albert. et S. Thom., Cat. aurea in Luc. 22. n. 12. — Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Quid dormitis?* Apparet, quia pro illis oraverat, quos monet orationum suarum vigilando et orando participes existere. *Surgite, orate, ne intretis in tentationem*, id est, ne in vos calix meae passionis incumbat.

[5] Vers. 5. et 6. — Sequitur Marc. 14, 37.

[6] Vers. 34. et deinde Matth. 26, 43, in quo Vat. cum Vulgata omittunt *prae tristitia*, quod habetur Luc. 22, 45, ubi Glossa *interlinearis:* Prae tristitia somnum vincere non possunt (cfr. Beda, IV. in Marc. 14, 37.). Hieron., IV. Comment. in Matth. 26, 43. seq.: Languescebant autem et opprimebantur Apostolorum oculi negatione vicina. In Comment. in Marc. 14, 37. (inter opera Hieron.): Sicut dormiunt mente, sic et corpore.

[7] Secundum Glossam *ordinariam* in Matth. 26, 44. (ex Comment. in Marc. 14, 38. seqq., quod habetur inter opera Hieron.); in eadem Glossa etiam seq. ratio (ex August., I. Qq. Evangelior. q. 47.) insinuatur: Item, sicut est trina tentatio cupiditatis, ita et timoris. Est enim concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et ambitio saeculi [I. Ioan. 2, 16.]; est et timor mortis et timor utilitatis et timor doloris, contra quae omnia docet nos debere muniri oratione etc.

[8] Scilicet memoriae, intelligentiae et voluntatis; cfr. II. Sent. d. 16. a. 2. q. 3.

[9] Psalm. 118, 66. Cfr. Card. Hugo, in Luc. 22, 45.

[10] Vers. 29. et 30. [11] Cfr. supra n. 1.

[12] Vers. 63, ubi pro *eum* (ita etiam B. Albert., S. Thom. et Gorranus) Vulgata *illum*, Vat. *Iesum.*

[13] Vers. 1; quarta pars incipit v. 13; quinta v. 32., sexta v. 44.

## De comprehensione Christi dicuntur duo.

Quoniam autem Christus in sua *comprehensione* fuit a discipulo proditus, a Petro negatus; ideo pars ista habet duas, in quarum prima agitur de *modo comprehendendi;* in secunda, de *negatione Petri,* ibi [1]: *Comprehendentes autem eum, duxerunt* etc.

### De modo comprehensionis quatuor.

In exprimendo igitur *comprehendendi modum* quatuor introducuntur, scilicet *fraus proditoris, zelus discipulorum, virtus Salvatoris* et *dolus Iudaeorum.*

60. (Vers. 47.). Primo igitur quantum ad *fraudem*
Fraus proditoris. *proditoris* dicit: *Adhuc eo loquente,* ad commonitionem discipulorum; unde Matthaei vigesimo sexto [2]: « Ecce, appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus; ecce, appropinquavit qui me tradet ». — In his verbis Iudas supervenit; unde et subdit: *Ecce, turba, et qui vocabatur Iudas, unus de duodecim, antecedebat eos,* tanquam dux perversorum; Actuum primo [3]: « Oportet, impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus sanctus per os David de Iuda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum ». Ipse ergo duxit eos ad locum, secundum illud Ioannis decimo octavo: « Sciebat autem et Iudas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Iesus convenerat illuc cum discipulis suis ». — Ipse etiam dux fuit ad capiendum Christum; unde subdit: *Et appropinquavit Iesu, ut oscularetur eum,* ad dandum proditionis signum; unde Matthaei vigesimo sexto [4]: « Qui tradidit eum dedit eis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum ».

61. (Vers. 48.). Hoc signum vere erat *prodito-*
Osculum erat signum proditorium. *rium,* quia signum est amoris, et tamen procedebat ex perversitate cordis; et ideo subdit: *Iesus autem dixit illi: Iuda, osculo Filium hominis tradis?* detegendo scilicet proditoris affectum. Suscepit autem Dominus osculum a Iuda, licet sciret proditorium, ut semper maximam in se ostenderet benignitatem. Unde Glossa [5]: « Suscepit Dominus osculum, ut plus afficiat proditorem, cui amoris officia non negaret ». Unde dicitur in Psalmo [6]: « Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus » etc.; et Matthaei vigesimo sexto: « Qui dixit ei: Amice, ad quid venisti »? Ex hoc autem apparet mira perversitas in proditore; unde Hieronymus [7]: « Iudas de apostolatus fastigio in proditionis tartarum labitur et nec familiaritate convivii nec intinctione buccellae nec osculi gratia frangitur, ne quasi hominem tradat quem Filium Dei noverat ». Osculi ergo susceptio ex parte Christi fuit benignitatis, sed ex parte Iudae fuit mirae dolositatis. In huius figuram secundi Regum vigesimo [8] Figura.
dixit Ioab ad Amasam: « Salve, mi frater. Et tenuit mentum eius, quasi osculans eum, et percussit eum in latere, et mortuus est ». Et istud est osculum impii proditoris; propterea Proverbiorum vigesimo septimo: « Meliora sunt vulnera diligentis quam fraudulenta odientis oscula ».

62. (Vers. 49.). Secundo quantum ad *zelum* Zelus discipulorum.
*discipulorum* subdit: *Videntes autem hi qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio?* Discipuli enim, zelo amoris Christi accensi, inflammabantur ad defensionem, sed dubitabant propter id quod ab ipso edocti erant, exhibere omnem patientiam, secundum illud Matthaei quinto [9]: « Qui te percusserit in unam maxillam, praebe ei et alteram »; sed Petrus adeo fervebat, quod nec quaesivit nec responsionem exspectavit.

63. (Vers. 50.). Unde subdit: *Et percussit unus* Petrus percussit servum.
*ex illis servum principis sacerdotum et amputavit auriculam eius dexteram;* hic autem fuit Petrus. Unde tres Evangelistae ipsum non exprimunt ex nomine propter reverentiam, sed Ioannes exprimit ad insinuandum zelum eius fervidum; unde Ioannis decimo octavo [10]: « Simon Petrus, habens gladium, eduxit eum et percussit servum pontificis ». In hoc autem facto laudatur Petri zelus; unde Glossa [11]: « Petrus eodem ardore mentis zelatus est sicut Phinees », de quo dicitur Numerorum vigesimo quinto, quod propter zelum, quo transfodit fornicantes, adeptus est sacerdotium sempiternum. Hic autem laudatur Notandum.
zelus, non laudatur opus, unde Matthaei vigesimo sexto [12]: « Converte gladium tuum in vaginam; omnes enim, qui gladium acceperint, gladio peribunt ».

---

[1] Vers. 54. — Superius pro *proditus* Vat. *traditus.*

[2] Vers. 45. et 46, ubi bis pro *appropinquavit* A C D *appropinquabit* (ita etiam Beda, B. Albert., Gorranus et Lyranus).

[3] Vers. 16. — Subinde allegatur Ioan. 18, 2, in quo pro *cum discipulis suis* C D G *et discipuli sui.* — Glossa *interlinearis* (ex Beda, IV. in Matth. 26, 47.): *Iudas, unus de duodecim, antecedebat eos,* factum congruit mutatae menti; iam enim venit cum fustibus, qui, quamdiu cum pace fuit, tranquillius se egit.

[4] Vers. 48. — Glossa *interlinearis* (ex Beda, qui sequitur Hieron., IV. Comment. in Matth. 26, 48.): *Ut oscularetur eum,* ut hoc signo dignoscerent eum, quem tenerent.

[5] Scilicet *ordinaria* in Luc. 22, 47, in qua pro *Suscepit* H cum textu originali *Suscipit,* et pro *afficiat* textus originalis *afficeret.* Haec Glossa sumta est ex Ambros., X. in Luc. c. 22. n. 64; ibid. n. 63. insinuatur etiam Glossa *interlinearis: Iuda, osculo* etc., instrumento pacis mortem irrogas? Servus dominum, discipulus magistrum prodis?

[6] Psalm. 119, 7. et deinde Matth. 26, 50.

[7] Epist. 125. (alias 4.) n. 1. Pro *tartarum* Vat. *tartara.*

[8] Vers. 9. et 10, quibus subiungitur Prov. 27, 6. — Superius pro *In huius figuram* C D *In cuius figuram.*

[9] Vers. 39; cfr. supra pag. 77, nota 9.

[10] Vers. 10.

[11] Scilicet *interlinearis* (ex Beda, qui sequitur Hieron., IV. Comment. in Matth. 26, 51. et Ambros., X. in Luc. c. 22. n. 66. de Phinee) In Luc. 22, 50. — Sequitur Num. 25, 11-13.

[12] Vers. 52. Cfr. Beda, VI. in Luc. 22, 51, ubi sequitur August., III. de Consensu Evangelist. c. 5. n. 17. Vide etiam tom. VI. pag. 480, notam 7.

Commendatur mysterium. Verumtamen, licet non laudetur factum, commendatur mysterium. In hoc enim significatur, quod potestas sacerdotii Petri sustulit observantiam ritus sacerdotii legalis, quae *servitus* erat [1]. — Aliter. Vel certe per *amputationem istius auriculae* intelligitur, quod populus ille, qui nomine dicitur *rex*, sed veritate *servus*, spiritualem intelligentiam perdidit; unde Glossa Ioannis decimo octavo [2]: « Servus principis sacerdotum, qui Malchus, id est rex, appellatur, populus Iudaeorum est, qui per incredulitatem servus factus est impietatis, qui perdidit auriculam dexteram, ut tantum litterae utilitatem audiat ». Unde Petrus hanc aurem non abstulit, sed ablatam ostendit; unde Glossa [3]: « Ablata est auris, non Petro tollente, sed divino iudicio ablatam pandente ».

64. (Vers. 51.). Tertio quantum ad *virtutem Salvatoris* adiungit: Virtus Salvatoris. *Respondens autem Iesus ait: Sinite usque huc*, quasi dicat: non amplius procedatis, pro eo quod exhibenda est patientia, non iracundia; beneficentia, non vindicta [4]. — Ideo addit: *Et cum tetigisset auriculam eius, sanavit eum.* In quo Christi benignitas. miro modo ostenditur Christi *benignitas*, quod servum comprehendentem, in actu persecutionis vulneratum sanavit. Tunc potissime implevit illud quod iussit Matthaei quinto [5]: « Benefacite his qui oderunt vos ». — Potentia. In quo mira apparuit eius *potentia*, quia solo tactu univit dissoluta, quod nec ars poterat nec natura. Et per hoc ostendit se possibilem ad resistendum, ad vivificandum et ad occidendum, secundum illud Deuteronomii trigesimo secundo [6]: « Ego occidam, et ego vivere faciam; percutiam, et ego sanabo, et non est qui de manu mea possit eruere ». — Patientia. In hoc etiam mira apparuit virtus Christi, quia simul cum omnipotentia erat tanta *patientia;* unde Ioannis decimo octavo [7] dicitur, quod « processit Iesus obviam eis et dixit eis: Quem quaeritis? Ut ergo dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum et ceciderunt in terram ». Notandum. Ostendit igitur Christus in hoc etiam virtutem potentiae et patientiae et beneficentiae; unde Glossa [8]: « Nunquam pietatis obliviscitur qui nec hostes suos patitur vulnerari ». — Mysterium sapientiae. Indicavit etiam cum hoc *mysterium sapientiae.* Per sanationem enim auriculae amputatae intelligitur, quod Dominus aliquando restituet auditum et intellectum veritatis populo Iudaeorum, secundum illud Isaiae decimo [9]: « Reliquiae convertentur, reliquiae, inquam, Iacob ad Deum fortem. Si enim fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiae convertentur ex eo ». Unde Glossa [10]: « Auris amputata et sanata significat auditum, ablata vetustate, innovatum, ut sit *in novitate spiritus et non in vetustate litterae* ».

65. (Vers. 52.). Quarto quantum ad *dolum Iudaeorum* subiungit: Dolus Iudaeorum. *Dixit autem Iesus ad eos qui venerant ad se, principes sacerdotum et magistratus templi et seniores*, quos specialiter nominat, quia omnia haec auctoritate maiorum fiebant; et impletum est illud primi Esdrae nono [11]: « Manus principum et magistratuum fuit in transgressione hac prima »; et Danielis decimo tertio: « Egressa est iniquitas a senioribus iudicibus populi, qui videbantur regere populum ». Nam principes videbantur regere per *auctoritatem*, magistratus per *doctrinam*, seniores per *utrumque* [12], et tamen hi cogitaverunt nequitiam.

66. (Vers. 52. 53.). Et ideo eos alloquitur, dicens: Christus ostendit Iudaeorum stultitiam. *Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus; cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me;* ex quo arguitur eorum *stultitia;* unde Ambrosius [13]: « Stultum est gladiis

---

[1] Hilar., Comment. in Matth. c. 32. n. 2: Igitur ab Apostolo servo principis sacerdotum auricula desecatur, populo videlicet sacerdotio servienti per Christi discipulum inobediens auditus exciditur, et ad capacitatem veritatis hoc quod erat inaudiens amputatur. Cfr. etiam Beda, VI. in Luc. 22, 51. — Vat. omittit *ritus.*

[2] Vers. 10, in quem hanc Glossam neque Strabo neque Lyranus exhibent; similis tamen exhibetur ab ipsis in Luc. 22, 50. (cfr. Lyranus etiam in Matth. 26, 51.), quae est secundum Bedam, qui sequitur Hieron., IV. in Matth. 26, 51, dicentem: Transitorie dicendum, quod *Malchus*, id est *rex* quondam populus Iudaeorum, servus factus sit impietatis et devorationis sacerdotum dexteramque perdiderit auriculam, ut totam litterae vilitatem [alias, ut in nota adiecta dicitur, *utilitatem*] audiat in sinistra; sed Dominus in his qui ex Iudaeis credere voluerunt, reddidit aurem dexteram et fecit servum genus regale et sacerdotale [cfr. I. Petr. 2, 9.].

[3] Scilicet *ordinaria* in Luc. 22, 50. secundum Bedam, qui (VI. in Luc. 22, 51.) ait: Quae videlicet auris Petri gladio deciditur, non quod ille sensum intelligendi audientibus tollat, sed divino ablatum iudicio negligentibus pandat.

[4] Glossa *interlinearis* (cfr. tom. VI. pag. 480, nota 8.) in Matth. 26, 52: *Converte gladium* etc., cesset vindicta, exhibeatur patientia, ut patientiam nostros doceamus, non vindictam.

[5] Vers. 44. — Theophylact., in Luc. 22, 47-53: Iesus itaque manifestum miraculum facit, et auriculam sanans, miraculo patientiam suam ostendens et per miraculum inducens eos, ut ab insania absistant.

[6] Vers. 39.

[7] Vers. 4. et 5.

[8] Scilicet *interlinearis* (ex Beda; cfr. Ambros., X. in Luc. c. 22. n. 71.) in Luc. 22, 51.

[9] Vers. 21. et 22.

[10] Scilicet *ordinaria* (apud Lyranum) in Luc. 22, 50. (apud Bedam, VI. in Luc. 22, 51.), in cuius fine allegatur Rom. 7, 6. Cfr. Ambros., X. in Luc. c. 22. n. 66. seqq.

[11] Vers. 2, post quem Dan. 13, 5. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 52: Iuxta alios Evangelistas [Matth. 26, 47; Marc. 14, 43; Ioan. 18, 3.] non venerant ad Iesum principes sacerdotum et magistratus, sed in atrio Caiphae exspectaverant. Sed quia illi de nece Domini ita agebant, ut quasi innoxii viderentur, cum per discipulum traditus... a populis etiam Barrabas est electus, volens Evangelista, eos maxime esse reos, quorum consilio cuncta gerebantur, dicit, eos venisse ad comprehendendum Salvatorem, qui suae iussionis potestate venerunt.

[12] Cod. B addit *vel propter aetatis maturitatem.*

[13] Ita quidem codd., substituendum tamen videtur *Hieronymus* (IV. Comment. in Matth. 26, 55.), quem sequitur *Beda* (IV. in Matth. 26, 55. et VI. in Luc. 22, 52. seq.; vide Glossam *ordinariam* in hos locos).

quaerere illum qui ultro se tradit, et in nocte per proditorem investigare latentem, quem quotidie videbant in templo docentem ». Arguitur etiam *nequitia*, quia virum iustum quaerebant sicut latronem, inermem cum armis, lumen verum quaerebant in tenebris; quod quidem faciebat eorum tenebra peccatorum [1]. — Unde subdit: *Sed haec est hora vestra et potestas tenebrarum;* quia, Ioannis tertio [2], « qui male agit odit lucem »; et Iob vigesimo quarto: « Oculus adulteri observat caliginem ». Propter quod et daemones, quia male suadent, *potestates tenebrarum* dicuntur, secundum illud ad Ephesios sexto: « Adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum ». Has tenebras fugere debemus, secundum illud ad Ephesios quinto [3]: « Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum ». In his tenebris est qui odit Christum, lucem et humani generis fratrem, primae Ioannis secundo: « Qui odit fratrem suum in tenebris est et in tenebris ambulat et nescit, quo vadat, quia tenebrae obcaecaverunt oculos eius ».

Notandum.

**Secundo, de negatione Petri tanguntur quatuor.**

67. (Vers. 54.). *Comprehendentes autem eum* etc. Post descriptam comprehensionem Christi describitur hic *negatio Petri* [4]; ad cuius descriptionem plenariam introducuntur quatuor, scilicet ipsius *Petri tepiditas in formidando, fragilitas in negando, pietas Domini in recipiendo* et *fidelitas Petri in redeundo.*

Petri tepiditas.

Primo igitur quantum ad *Petri tepiditatem in formidando* post comprehensionem Magistri dicit: *Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis sacerdotum. Petrus vero* [5] *sequebatur eum a longe. A longe Petrus sequebatur,* quia timebat accedere propius; iam enim relictus erat solus; unde Marci decimo quarto [6]: « Tunc discipuli, relinquentes eum, omnes fugerunt », secundum illud Proverbiorum decimo nono: « Fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper et amici eius procul recesserunt ab eo »; Psalmus: « Longe fecisti notos meos » etc. Amor namque unit et facit appropinquare, et econtra tepor amoris facit procul abscedere; et hic tepor iam incipiebat esse in Petro.

Signum huius tepiditatis.

68. (Vers. 55.). Et ideo addit: *Accenso autem igne in medio atrii* [7] *et circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum;* in quo ostenditur tepiditas amoris et ignis interioris. Unde Glossa [8]: « Quod intus in domo principis sacerdotum maligna synodus gerebat, hoc ignis inter frigora noctis foris accensus typice demonstrabat. Hoc frigore ad horam torpens, Petrus quasi prunis ministrorum calefieri cupiebat, quia temporalis commodi solatium perfidorum societate quaerebat »; et de hoc igne Michaeae sexto [9]: « Adhuc ignis in domo impii et thesauri iniquitatis ». Et hic insinuatur, quod abundante igne iniquitatis et cupiditatis, de quo Iob decimo quinto [10]: « Ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt », refrigescet ignis caritatis, de quo supra duodecimo: « Ignem veni mittere in terram » etc. Unde et Matthaei vigesimo quarto: « Quia abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum ». Et hoc igne tepefacto, efficitur homo pronus ad Christum negandum et etiam ad omne malum.

Petri fragilitas.

69. (Vers. 56. 57.). Secundo quantum ad *fragilitatem Petri in negando* subdit: *Quem cum vidisset ancilla quaedam sedentem ad lumen et eum fuisset intuita, dixit: Et hic cum illo erat. At ille negavit eum dicens: Mulier, non novi illum* [11]; in quo apparet Petri fragilitas, quia, sicut dicit Gregorius, « una mulieris voce percussus, dum mori timuit, vitam negavit ». Prius autem aggreditur diabolus Petrum per mulierem in memoriam prioris facti, secundum illud Ecclesiastici vigesimo quinto [12]: « A muliere initium omnis peccati »; et iterum quadragesimo secundo: « Nonne de vestimentis procedit tinea? Sic a muliere iniquitas viri ».

Negatio prima.

Secunda.

70. (Vers. 58.). Et ne Petrus posset se excusare per surreptionem, ideo iteratur inquisitio, cum subdit: *Et post pusillum alius videns eum dixit: Et tu de illis es. Petrus vero ait: O homo! non sum.* Iterat Petrus negationem, quia malorum non deseruit

---

[1] Beda, VI. in Luc. 22, 52. seq. (cfr. Hieron., IV. Comment. in Matth. 26, 55.): Sed ideo adversum me in tenebris congregamini, quia potestas vestra, qua contra lucem mundi [cfr. Ioan. 8, 12.] armamini, in tenebris est. — Vat. *faciebant eorum tenebrae peccatorum.*

[2] Vers. 20, cui subiunguntur Iob 24, 15. et Eph. 6, 12.

[3] Vers. 11. — Subinde allegatur I. Ioan. 2, 11, in quo pro *obcaecaverunt* C D *excaecaverunt.*

[4] Cfr. supra n. 59.

[5] Codd. C D G *autem;* subinde Vulgata omittit *eum*, quod exhibetur etiam a Card. Hug., B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 22. n. 14.) et Lyrano; cfr. Matth. 26, 58. — Vide S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 18. n. 38, ubi solvitur quaestio, utrum Iesus primo ad *Caipham* (Matth. 26, 57.), an ad *Annam* (Ioan. 18, 13.) ductus sit.

[6] Vers. 50. Codd. A C D: *Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt* (Matth. 26, 56.). — Duo seqq. loci sunt Prov. 19, 7. et Ps. 87, 9. — Glossa *interlinearis* (ex Ambros., X. in Luc. c. 22. n. 72.): *Petrus vero*, divisus ab aliis, *sequebatur eum*, hoc est devotionis, *a longe*, hoc est timoris naturae.

[7] Codd. C D H *atrio;* ita etiam Beda et Card. Hugo.

[8] Scilicet *ordinaria* (secundum Bedam). Cfr. tom. VI. pag. 483, nota 1.

[9] Vers. 10, ubi pro *iniquitatis* C D G *impietatis*. Cfr. Ambros., X. in Luc. c. 22. n. 76.

[10] Vers. 34. — Duo seqq. loci sunt Luc. 12, 49. et Matth. 24, 12.

[11] Codd. C D G *non novi hominem;* cfr. Matth. 26, 72. — Sententia Gregorii habetur II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 8; cfr. XVII. Moral. c. 31. n. 48.

[12] Vers. 33, ubi pro *omnis peccati* Vat. cum Vulgata *factum est peccati*, cfr. Gen. 3, 6. — Sequitur Eccli. 42, 13. Ambros., X. in Luc. c. 22. n. 75: Male Eva induxit Adam, male *Petrum introduxit* femina [Ioan. 18, 16.]. Sed ille in paradiso labitur, ubi non veniabilis culpa; hic in praetorio Iudaeorum, ubi difficilis innocentia etc.

societatem; unde Augustinus[1]: « Quam noxia sunt pravorum eloquia, quae cogunt Petrum negare Dominum vel hominem se nosse, quem inter condiscipulos confessus fuerat esse Filium Dei ». Unde verificatur illud primae ad Corinthios decimo quinto[2]: « Corrumpunt bonos mores eloquia mala ».

71. (Vers. 59. 60.). Et quia Petrus minime sibi adhuc cavit, ideo tertio negationem replicavit; unde additur: *Et intervallo facto quasi horae unius, alius quidam affirmabat dicens: Vere et hic cum illo erat, nam et Galilaeus est. Et ait Petrus: Homo*[3], *nescio, quid dicis.* Et impletum est verbum Domini supra eodem: « Antequam gallus cantet, ter me negabis ». — Haec autem trina negatio secundum Bedam[4] et Hieronymum facta fuit in atrio Caiphae; secundum Augustinum autem, in Libro de Concordia Evangelistarum[5], inchoata fuit in domo Annae et consummata in atrio Caiphae; cui concordat Ioannes. — Permisit autem Dominus, Petrum negare se, ut dicit Chrysostomus[6], ut confundatur Marcion, ut nemo de se praesumat, ut Christo in omnibus credat, ut alii sibi caveant, et « ut praelatus Ecclesiae discat ex casu suo, qualiter aliis misereri debuisset », ut etiam fortior resurgens ostendat, illud esse verum, quod dicitur ad Romanos octavo[7]: « Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum ». Ideo autem *ter* permissus est negare, ut ostendatur, quod tripliciter offendimus Deum, scilicet corde, ore et opere. Et a *tribus personis* impulsus est in mysterium triplicis tentationis[8] et *triplici intervallo* in designationem *triplicis admonitionis.* Et super haec tria ter quaesitum est ab eo: *amas?* ter dictum est ei: *pasce*[9]; et trina *Petri solemnitas celebratur.*

Tertia.

Contrarietas solvitur.

Cur Deus haec permiserit.

72. (Vers. 60. 61.) Tertio quantum ad *pietatem Domini in succurrendo* subiungitur: *Et continuo, adhuc illo loquente, cantavit gallus. Et conversus Dominus respexit Petrum.* Praemisit *cantum galli,* quo Petrus commoveretur exterius, et *respectu Domini* commoveretur interius, quia hoc duplici modo pietas Christi relevat peccatores, exterius commovendo per cantum galli, hoc est per commonitionem praedicantium; Iob trigesimo octavo[10]: « Quis dedit gallo intelligentiam »? Unde et Ecclesia cantat[11]:

Gallus iacentes arguit,
Et somnolentos increpat;

quia dicitur praedicatori secundae ad Timotheum quarto[12]: « Argue, obsecra, increpa » etc. Et ad huius cantum supervenit divinae misericordiae respectus, de quo in Psalmo: « Quoniam prospexit de excelso sancto suo; Dominus de caelo in terram aspexit ». Augustinus de Concordia Evangelistarum[13]: « Respexit Dominus Petrum non humanis oculis, sed divinis »; Sapientiae quarto: « Respectus Dei in electos illius »; et Psalmus: « Respicit terram » etc.

Christi pietas.

73. (Vers. 61.). Quarto quantum ad *fidelitatem Petri in redeundo* subiungitur: *Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia*[14] *priusquam gallus cantet, ter me negabis;* et in hoc recognovit culpam, ad cuius recognitionem sequitur poenitentia.

Petri fidelitas in poenitendo.

74. (Vers. 62.). Et ideo addit: *Et egressus foras, Petrus flevit amare,* id est, ex magna compunctionis amaritudine lacrymatus est; unde Ambrosius[15]: « Flevit amarissime, ut lacrymae lavarent delictum; et tu similiter lacrymis culpam dilue ». Haec

Eius fletus.

---

[1] Hanc sententiam, quam etiam Card. Hugo attribuit *Augustino,* invenimus apud Bedam, IV. in Marc. 14, 72: Quam nociva pravorum colloquia! Petrus ipse inter infideles vel hominem etc. In fine respicitur Matth. 16, 16: Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi.

[2] Vers. 33.

[3] Codd. C D *O homo.* — Sequitur Luc. 22, 31. sententialiter, verba siquidem sunt ex Matth. 26, 34.

[4] Libr. IV. in Luc. 22, 54-62; Hieron., IV. Comment. in Matth. 26, 75.

[5] Libr. III. c. 6. n. 21. seqq.; cfr. in Ioan. Evang. tr. 113. n. 6. — Subinde allegatur Ioan. 18, 13. seqq. — Vide quae hac de re diximus tom. VI. pag. 485, nota 9, in qua etiam retulimus lectionem, quam hic H habet: *inchoata fuit in domo Annae, ubi negavit semel, sicut dicitur Ioan. 18; sed consummata fuit in atrio Caiphae; unde alii loquuntur recapitulando, vel Ioannes praeoccupando.*

[6] Homil. 82. (alias 83.) in Matth. n. 2. seq., ubi quatuor priores rationes insinuantur (cfr. supra n. 45.); quintam insinuat Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 21. n. 4: « Ut is qui futurus erat pastor Ecclesiae, in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri debuisset ». Vide etiam supra pag. 435, notam 9. Sexta ratio exhibetur in expositione Ps. 91. n. 4. (inter opera Bedae): « Illum [salvandum] permittit labi, ut fortior surgat, sicut Petrus per lapsum fortior surrexit »; cfr. tom. III. pag. 676, nota 4.

[7] Vers. 28.

[8] Cfr. supra pag. 558, nota 7. — De seq. ratione vide August., III. de Consensu Evangelist. c. 2. n. 5. seqq., ubi ostendit, credibilius esse, « *ter* eum [Petrum] expressisse praesumtionem suam diversis locis sermonis Christi, et *ter* illi a Domino responsum, quod eum esset ante galli cantum *ter* negaturus ».

[9] Ioan. 21, 15-17. Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 21. n. 38, ubi allegatur August., in Ioan. Evang. tr. 123. n. 5: Redditur trinae negationi trina confessio etc. — Trina Petri solemnitas celebratur, scil. diebus 18. Ianuar. (Cathedra S. Petri Romae), 22. Febr. (Cath. S. Petri Antiochiae) et 29. Iunii (Festum S. Petri). — Inferius post *celebratur* B addit *in Ecclesia.*

[10] Vers. 36. — Superius pro *commoveretur* et *commovendo* C D H substituunt *commoneretur* et *commonendo.*

[11] In hymno *Aeterne rerum Conditor* ad Laudes pro die Dominica (ex Ambros.):

Surgamus ergo strenue,
Gallus iacentes excitat
Et somnolentos increpat,
Gallus negantes arguit.

[12] Vers. 2. — Sequitur Ps. 101, 20.

[13] Libr. III. c. 6. n. 26: Ut etiam ex hoc [Matth. 26, 75. et Marc. 14, 72.] intelligamus, illam respectionem a Iesu non humanis oculis, sed divinitus factam. Cfr. supra c. 15. n. 34. et tom. VI. pag. 264, nota 12. — Duo seqq. loci sunt Sap. 4, 15. et Ps. 103, 32.

[14] Codd. A C D H *Quod.*

[15] Libr. X. in Luc. c. 22. n. 90; ibid. n. 88. est seq. sententia.

autem amaritudo maxima pars poenitentiae est; unde Ambrosius: « Lacrymas lego, satisfactionem non lego ». Huiusmodi lacrymae, quando ex amaritudine procedunt, inclinant Dominum ad remissionem. (Figura.) In cuius figuram dicitur quarti Regum vigesimo[1]: « Flevit Ezechias fletu magno »; et subditur ibi, quod Dominus eum liberavit de periculo mortis. Et ideo sanctus propheta David in persona viri poenitentis in Psalmo[2] dicit: « Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo ». Ex quo apparet, quis fructus fuerit permissae negationis, exemplar scilicet poenitentiae et compunctionis; propter quod et Dominus principes Apostolorum, Petrum et Paulum, de sordibus extraxit vitiorum. Propter quod primae ad Timotheum primo[3]: « Blasphemus fui et persecutor et contumeliosus, sed ideo misericordiam consecutus sum », « ut in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam aeternam ».

De illusione Christi dicuntur duo.

75. (Vers. 63. 64.). *Et viri, qui tenebant eum*[4] etc. Post descriptam comprehensionem Christi et negationem Petri hic secundo[5] describit *illusionem Domini comprehensi*. Et quoniam haec illusio fiebat (Divisio.) a Iudaeis impudentibus et insidiantibus, ideo primo agit de *procacitate illudentium;* secundo, de *malignitate insidiantium,* ibi[6]: *Et ut factus est dies.*

Et quoniam Christus est « Dei virtus et Dei sapientia[7] », et secundum hoc dupliciter honorandus; (Procacitas illudentium. Duplex dehonoratio.) ideo per oppositum duplex describitur hic *dehonoratio Christi,* scilicet per *illusionem ipsius quoad defectum potentiae* et *quoad defectum sapientiae.*

Primo igitur quantum *ad illusionem Christi ut* (Illusio ut impotentis.) *impotentis* dicitur: *Et viri, qui tenebant eum, illudebant ei caedentes*[8]. *Et velaverunt eum et percutiebant faciem eius.* (Figura.) In huius figuram dicitur Iob decimo sexto[9]: « Exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt poenis meis »; et Michaeae quinto: « In virga percutient maxillam iudicis Israel ». Hoc autem ipsi non potuissent, nisi quia ipse voluit misericorditer sustinere, iuxta illud Isaiae quinquagesimo[10]: « Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus »; et Threnorum tertio: « Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis ». Hanc *maxillam,* immo faciem speciosam, in quam « desiderant Angeli prospicere[11] », quae « plena est gratiarum » et « desiderata cunctis gentibus », quae salus est aspicientium, impii Iudaei velabant, conspuebant et percutiebant; sed Dominus propter nos hoc sustinuit. Unde Hieronymus[12]: « Voluit Dominus conspui, ut nos lavaret; voluit velari, (Notandum.) ut velamen culpae et ignorantiae a cordibus nostris auferret; voluit in capite percuti, ut caput nostrum restitueret sanitati; alapis voluit caedi et verbis derideri, ut nos labiis et manibus, id est verbis et operibus, applaudamus ».

76. (Vers. 64.). Secundo quoad *illusionem Christi ut ignorantis* subdit: (Illusio ut ignorantis.) *Et interrogaverunt*[13] *eum, dicentes: Prophetiza: Quis est, qui te percussit?* Hoc autem irrisorie faciebant, illudentes ei qui se dixerat esse verum Prophetam; de quo Deuteronomii decimo octavo[14]: « Prophetam suscitabit Dominus de gente vestra, ipsum tanquam me audietis ». Hunc Prophetam non audierunt, sed contumeliose interrogaverunt, secundum illud Sapientiae secundo: « Contumelia et tormento interrogemus eum », quia simul percutiebant.

77. (Vers. 65.). Et quia non est possibile narrare omnia convicia Christo illata, ideo, ut concludat omnia in summa quadam, subdit: (Alia convicia.) *Et alia multa blasphemantes dicebant in eum;* et sic impletur in eis illud Isaiae primo[15]: « Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate! Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum ». Haec autem sustinuit Christus voluntarie, secundum illud Psalmi[16]: « Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me »; et hoc, ut daret nobis exemplum ad opprobria contemnenda. Unde ad Hebraeos duodecimo: « Recogitate eum qui talem adversus semetipsum sustinuit contradictionem »; et Chrysostomus[17]: « Divinum illud caput percusserunt

---

[1] Vers. 3. et 5: Audivi orationem tuam et vidi lacrymas tuas; et ecce, sanavi te etc.

[2] Psalm. 6, 7.

[3] Vers. 13. et 16.

[4] Cfr. supra pag. 558, nota 12.

[5] Vide supra n. 59.

[6] Vers. 66.

[7] Epist I. Cor. 1, 24; cfr. supra pag. 96, nota 4.

[8] Codd. C D H addunt *eum,* et deinde pro *et percutiebant* A C D H *percutientes;* cfr. B. Albert.

[9] Vers. 11. (pro *satiati* C D G *saturati*), post quem Michaeae 5, 1; cfr. Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 63. — Superius pro *In huius figuram* C D *In cuius figuram.*

[10] Vers. 6, cui subnectitur Thren. 3, 30.

[11] Epist. I. Petr. 1, 12, post quem Esther 15, 17. et Aggaei 2, 8: Desideratus cunctis gentibus (cfr. II. Paralip. 9, 23.).

[12] Comment. in Marc. 14, 65. (inter opera Hieron.), ex quo a S. Bonav. exhibetur sententia, non ipsa verba afferuntur; pro *caput nostrum* textus originalis *caput humani generis, quod est Adam.* Voci *labiis* Vat. cum H praefigit *ei.* Cfr. Glossa *interlinearis* in Marc. 14, 65.

[13] Ita etiam Beda, Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. et Lyranus; Vat. cum Vulgata: *Et interrogabant.* Subinde post *Prophetiza* C D H addunt *nobis;* cfr. S. Thom., Cat. aurea in Luc. 22. n. 15.

[14] Vers. 15; cfr. supra pag. 172, nota 3. et pag. 226, nota 4. — Subinde allegatur Sap. 2, 19. — Inferius post *percutiebant* Vat. cum G addit *et irridebant,* H *et interrogabant.*

[15] Vers. 4.

[16] Psalm. 68, 10. — Sequitur Hebr. 12, 3. — Superius pro *voluntarie* A C D *voluntate.*

[17] Homil. 85. (alias 86.) in Matth. n. 1. Sententia, non verba Chrysostomi a S. Bonav. (etiam a Card. Hug.) afferuntur. Pro *viri inquinati* (ita etiam Card. Hugo) Vat. *viri iniquitatis.*

viri inquinati et abominabiles. Quae ergo erit nobis cura de reliquo in contumeliis, postquam Christus haec passus est »? Sed multi magis sunt imitatores Iudaeorum; unde Beda [1]: « Qui tunc caesus est colaphis Iudaeorum nunc caeditur blasphemiis falsorum Christianorum, et qui consputus est salivis infidelium nunc vesanis opprobriis fidelium exhonoratur ». Unde de talibus potest intelligi illud Iob trigesimo [2]: « Abominantur me et longe fugiunt a me et faciem meam conspuere non verentur »; et de talibus Augustinus: « Non minus peccant qui blasphemant Christum regnantem in caelis quam Iudaei, qui crucifixerunt ambulantem in terris ».

Malignitas insidiantium quadruplex. 78. (Vers. 66.). *Et ut factus est dies* etc. Postquam descripsit illudentium procacitatem, hic describit *insidiantium malignitatem* [3], et hoc quadrupliciter: in *conveniendo, interrogando, replicando* et *sententiando.*

Malignitas in conveniendo. Primo ergo quantum ad *malignitatem in conveniendo* dicit: *Et ut factus est dies, convenerunt seniores plebis; convenerunt,* inquam, in unum ad unam malitiam consummandam, secundum illud Psalmi [4]: « Principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius ». Nam de Behemoth dicitur Iob quadragesimo primo: « Corpus eius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus ». — Et quia unus malus pertrahit alterum ad malitiam, ideo subdit: *Et principes sacerdotum et scribae et* [5] *duxerunt illum in concilium suum; duxerunt,* inquam, non ad iudicandum, sed ad observandum, secundum illud Psalmi [6]: « Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me ». Et in consilio denudata est malitia eorum occulta, quam contra Christum conceperant, secundum illud Proverbiorum vigesimo sexto [7]: « Qui operit odium fraudulenter, denudabitur malitia eius in consilio ». Et ideo Ieremiae decimo octavo: « Tu, Domine, scis omne consilium eorum adversum me in mortem; ne propitieris iniquitati eorum, et peccatum eorum a facie tua non deleatur ». Et hoc est quod dicitur Marci decimo quarto [8]: « Summi sacerdotes et omne concilium quaerebant adversus Iesum testimonium, ut eum morti traderent ».

Item, in perquirendo. 79. Secundo quantum ad *malignitatem in perquirendo* subditur: *Dicentes: Si tu es Christus, dic nobis.* Hoc non quaerunt, ut instruantur, sed ut insidientur; unde Glossa [9]: « Non veritatem desiderant, sed calumniam parant, ut, si diceret: Ego sum Christus, calumniarentur, quod sibi regiam potestatem arrogaret ». Hoc quaerebant Ioannis decimo [10]: « Circumdederunt eum Iudaei et dicebant ei: Si tu es Christus, dic nobis palam ».

Quaerunt ut increduli. 80. (Vers. 67.). Haec autem malignitas Christum non latebat, et ideo additur: *Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi;* ex quo apparet, quod quaeritis ut *increduli.* Unde Ioannis decimo [11]: « Loquor vobis, et non creditis; opera, quae ego facio, haec testimonium perhibent de me. Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis ».

Ut discoli. 81. (Vers. 68.). *Si autem* [12] *interrogavero, non respondebitis mihi neque dimittetis;* quare liquet, quod quaeritis ut *discoli.* Unde Glossa [13]: « Saepe dixerat, se esse Christum, interrogaverat etiam eos, quomodo dicerent Christum filium David; sed illi nec dicenti credere nec interroganti respondere, nec eum qui innoxius erat, dimittere volebant »; supra vigesimo [14]: « Quomodo dicunt, Christum filium esse David »?

Responsio Christi. 82. (Vers. 69.). Ne tamen videretur quaerere subterfugium, respondet veritatem, cum subdit: *Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei; ex hoc,* id est post hanc passionem, secundum illud ad Philippenses secundo [15]: « Humiliavit semetipsum; propter quod et Deus exaltavit illum » etc. *A dextris,* id est aequalis; Psalmus: « Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis »; et ad Hebraeos primo: « Qui, cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius portansque omnia verbo virtutis suae, sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis ».

Item, in replicando. 83. (Vers. 70.). Tertio quantum ad *malignitatem in replicando* adiungitur: *Dixerunt autem omnes: Tu es ergo Filius Dei?* Hoc quasi concludunt et

---

[1] Libr. IV. in Marc. 14, 65, ubi etiam Glossa *ordinaria* haec verba affert; cfr. tam Beda quam Glossa *ordinaria* in Matth. 26, 67. et in Luc. 22, 63.

[2] Vers. 10, ubi pro *fugiunt* A C D G *fugerunt.* — August., Enarrat. in Ps. 68. serm. 2. n. 6: Minus enim peccaverunt Iudaei crucifigentes in terra ambulantem, quam qui contemnunt in caelo sedentem.

[3] Cfr. supra n. 75.

[4] Psalm. 2, 2, cui subnectitur Iob 41, 6. (pro *se* C D G *sese*).

[5] Codd. A C D omittunt *et;* subinde pro *concilium* C D H *consilium.* — Glossa *interlinearis* (ex Hieron., IV. Comment. in Matth. 27, 1.): *Et ut factus est dies* etc., vide quam solliciti in malo; tota nocte vigilaverunt, ut facerent homicidium.

[6] Psalm. 21, 17. — Inferius pro *Et in consilio* Vat. *Et in concilio.*

[7] Vers. 26, post quem Ier. 18, 23.

[8] Vers. 55, ubi pro *concilium* C D *consilium.*

[9] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 66. Post *parant* textus originalis plura addit.

[10] Vers. 24. Pro *et dicebant ei* C D *dicentes.*

[11] Vers. 25. et 26.

[12] In Vulgata additur *et.*

[13] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 67. Post *David* textus originalis addit *cum eum David Dominum vocet* [Matth. 22, 43. et Luc. 20, 44.], *ut per hoc ad credendum Deum provocaret.*

[14] Vers. 41. Codd.: *supra vigesimo: Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est* etc. (ita non Luc., sed Matth. 22, 42.).

[15] Vers. 8. et 9. — Duo seqq. loci sunt Ps. 109, 1. (cfr. supra c. 20. n. 48.) et Hebr. 1, 3. — Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Ex hoc autem erit Filius hominis,* ego, quem ut hominem despicitis, per supplicium crucis ero exaltatus et habens *nomen, quod est super omne nomen* [Phil. 2, 9.], *sedens a dextris virtutis Dei,* cum infirmus appaream.

quaerunt causam, ut, si hoc asserat, reprobent eum tanquam blasphemum, secundum illud Ioannis quinto[1]: Persequebantur Iudaei Iesum, « non solum, quia solvebat Sabbatum », sed etiam, quia « Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo ». Quoniam igitur hic verum concludebant, et tamen falsum evidens reputabant; ideo Christus nec omnino asserebat nec omnino negabat, sed medio modo respondebat. — Propter quod addit: *Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum.* Unde Glossa[2]: « Ita responsionem suam temperat, ut dicat verum, et sermo eius calumniae non pateat ». Unde Ioannis decimo[3] Iudaeis dicentibus: « De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum », Christus respondit per Scripturam: « Nonne in Lege vestra scriptum est: Ego dixi: Dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est; vos dicitis, quia blasphemo, quia dixi: Filius Dei sum »? Unde sicut ibi eorum repressit insaniam responsione prudenti, ita et hic; in quo erudit nos Christus, iuxta illud Matthaei septimo[4]: « Nolite sanctum dare canibus, neque proiicere margaritas ante porcos ». Nam, Proverbiorum nono, « qui erudit derisorem, ipse sibi iniuriam facit »; et post: « Doce iustum, et festinabit accipere ». Unde caeco illuminato quaerenti[5]: « Quis est Filius Dei, ut credam in eum »? respondit: « Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est »; et Ioannis quarto Samaritanae dicenti, quod Messias veniret, respondit: « Ego sum, qui loquor tecum ».

Notandum.

Nostra eruditio.

84. (Vers. 71.). Quarto quantum ad *malignitatem in sententiando* subiungit: *At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi enim*[6] *audivimus de ore eius.* Ex quo apparet eorum perversitas, quia mala intentione quaerebant, videlicet « ut caperent eum in sermone ». Apparet etiam, quod perversitas voluntatis pervertebat iudicium, quia quod Christus *dixerat dubie* arguebant ipsum *asseruisse.* Et sic verificatur illud Ecclesiastici undecimo[7]: « Multae sunt insidiae dolosi. Bona in mala convertens, insidiatur et in electis ponet maculam ». Hoc autem quod innuerat, se Filium Dei esse, reputabant blasphemiam, et ideo tanquam blasphemum reputabant etiam morte dignum; unde Marci decimo quarto[8]: « Summus autem sacerdos, scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam, quid vobis videtur »? Et tunc ibi subditur, quod « coeperunt quidam conspuere eum et velare faciem eius et colaphis eum caedere ». — Ex quo potest colligi, quod bis illusio ista facta est ei, scilicet et de nocte et de die. Unde Ioannis decimo octavo[9] dicitur, quod minister dedit ei alapam in domo Annae; et alii Evangelistae dicunt, quod illusus fuit in domo Caiphae, ita ut verificetur illud Ieremiae vigesimo[10]: « Factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me; quia iam olim loquor, vociferans iniquitatem, et vastitatem clamito ». Et ideo nunc impletum est illud quod praedixit supra nono: « Oportet, Filium hominis multa pati et reprobari a senioribus et principibus sacerdotum et scribis ». Unde et in persona eorum dicitur illud Isaiae quinquagesimo tertio[11]: « Desideravimus despectum eum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem; et quasi absconditus vultus eius et despectus, unde nec reputavimus eum. Et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum ». In cuius figura dicitur secundi Regum sexto[12], quod « Michol, filia Saul, sprevit David subsilientem »; sic et synagoga Christum patientem, et ideo perdidit prolem et hereditatem.

Item, in sententiando.

Bis illuditur Christus.

Figura.

## Capitulum XXIII.

### De accusatione Christi dicuntur duo.

1. *Et surgens omnis multitudo eorum* etc. Post descriptam comprehensionem et illusionem hic tertio[13] describit *accusationem.* Et quoniam Christus erat in Ierusalem et tunc venerat de finibus Galilaeae[14], ideo pars ista habet duas. In quarum prima agitur de accusatione Christi *coram Pilato,* praeside

Divisio.

---

[1] Vers. 18.

[2] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 70.

[3] Vers. 33. et deinde 34. seq., in quo allegatur Ps. 81, 6. Pro *quia blasphemo* Vat. cum Vulgata *quia blasphemas.* Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 10. n. 44. seqq. et n. 56.

[4] Vers. 6; cfr. supra pag. 191, nota 2. — Subinde allegantur Prov. 9, 7. et 9.

[5] Ioan. 9, 36. et 37, post quos Ioan. 4, 25. et 26.

[6] Codd. A C D omittunt *enim.* — Sequitur Luc. 20, 20.

[7] Vers. 31. et 33, ubi pro *ponet* (ita G) C D H *ponit,* Vat. cum Vulgata *imponet.*

[8] Vers. 63. seq. et deinde v. 65.

[9] Vers. 22; cfr. v. 13. et 24. — Matth. 26, 57. et 67; Marc. 14, 53. et 65; cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 18. n. 36. et 43.

[10] Vers. 7. seq. — Subinde allegatur Luc. 9, 22.

[11] Vers. 2-4, ubi pro *putavimus* A C D G *aestimamus.*

[12] Vers. 16; ibid. v. 23: Igitur Michol, filiae Saul, non est natus filius usque in diem mortis suae. Glossa *ordinaria* in II. Reg. 6, 20: David, cum arcam in Ierusalem transferret, a Michol subsannatus est; et Christus, cum testamentum novum in Ecclesiam suam transferret, Iudaeis in cruce ludibrium fuit... Ancillae servorum personam gestant Sanctorum, inter quos per crucis triumphum gloriosior effectus est; quem dum Michol irridet, gloriosior ancillis apparet, quae in typo synagogae sterilis permansit.

[13] Cfr. supra c. 22. n. 59.

[14] Vide supra c. 17, 11: Et factum est, dum iret in Ierusalem, transibat per mediam Samariam et Galilaeam. — Superius pro *et tunc* Vat. *et tamen.*

Iudaeae; in secunda vero, de accusatione eius *coram Herode*, principe Galilaeae, ibi[1]: *Pilatus autem audiens Galilaeam* etc.

Accusatio coram Pilato describitur per quatuor.

Circa *descriptionem accusationis coram Pilato* introducuntur quatuor, scilicet *accusatio improba, inquisitio recta, excusatio iusta, accusationis aggravatio importuna.*

Accusatio improba.

2. (Vers. 1.). Primo igitur quantum ad *accusationem improbam* dicit: *Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Multitudo* venit, ut quem ratione superare non poterant, saltem vincerent multitudine; Sapientiae quarto[2]: « Multigena impiorum multitudo non erit utilis ». Et ideo periculosum est tali multitudini commisceri; propter quod Ecclesiastici septimo[3]: « Noli peccare in multitudine civitatis nec te immittas in populum », quia, Ecclesiastici vigesimo primo, « stuppa collecta synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis ».

3. (Vers. 2.). Haec autem multitudo convenit ad multipliciter Christum accusandum; unde subdit: *Coeperunt autem illum accusare; accusabant* eum tanquam eius adversarii; Threnorum tertio[4]: « Audisti opprobria eorum, Domine, omnes cogitationes eorum adversum me. Labia insurgentium in me, Domine ». — Accusant autem eum tanquam peccantem *in populum;* propter quod subditur: *Dicentes: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram; subversorem* populi vocant viri subversi et subversores, secundum illud Ezechielis secundo[5]: « Fili hominis, increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas; verba eorum ne timeas et vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est »; et ideo *exasperans,* quia suum *conversorem* vocat *subversorem.* Unde Ieremiae trigesimo primo[6]: « Converte me, Domine, et convertar »; et Psalmus: « Converte, Domine, captivitatem » etc. — Accusant etiam eum sicut peccantem *in principem;* unde subditur: *Et prohibentem, dari*[7] *tributa Caesari;* et hoc similiter erat falsum. Nam supra vigesimo dixit: « Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo ». — Accusant etiam eum sicut peccantem *in Deum,* cum additur: *Et dicentem, se Christum regem esse.* Sed de hoc non erat accusandus, quia erat verum, secundum illud Psalmi[8]: « Ego autem constitutus sum rex ab eo » etc. Sed nec ipsi de hoc ipsum poterant accusare, quia, licet se diceret esse Christum coram discipulis, secundum illud Matthaei decimo sexto[9]: « Vos autem quem me esse dicitis »? tamen hoc tacebat coram Iudaeis, ne daret eis occasionem malignandi; unde Matthaei decimo sexto « praecepit discipulis suis, ne cui dicerent, quod ipse esset Christus ». Et propterea Iudaeis quaerentibus hoc ad insidiandum et accusandum non respondit simpliciter affirmando, sed medio modo, supra vigesimo secundo[10]: « Vos dicitis, quia ego sum ». Ex quo apparet, quod Iudaei inique et improbe accusabant Christum.

Accusant ut peccantem in populum. — Item, ut in principem. — Item, ut in Deum. — Notandum.

Inquisitio recta.

4. (Vers. 3.). Secundo quantum ad *inquisitionem rectam* subditur: *Pilatus autem interrogavit eum dicens: Tu es rex Iudaeorum?* Attendendum, quod licet Christus de tribus accusaretur, Pilatus non quaesivit nisi de uno, quia sciebat, quod alia erant falsa. Nam cum sanctitas et bonitas Christi appareret per miracula et eius famam, cum per verba ipsius evidens esset, quod non prohibebat Caesari reddi tributa; solum de tertio dubitavit et de eo quaerit. Unde Glossa[11]: « Pilatus potuit audire quod de tributis dixerat: *Reddite quae sunt Caesaris Caesari;* et ideo hoc quasi mendacium apertum vilipendens, solum hoc quod nesciebat, quaesivit ». Et in hoc recte egit, secundum illud Iob vigesimo nono[12]: « Causam, quam nesciebam, diligenter investigabam ». — Sed quia nec ipse dignus erat veritatem audire tanquam incredulus, ideo subdit: *At ille respondens ait: Tu dicis;* unde Ioannis decimo octavo[13]: « Dixit Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis, quia rex sum ego ». Sed ideo hoc non affirmabat, quia Pilatus non erat idoneus ad hanc veritatem suscipiendam. Propter quod Ioannis decimo octavo[14]: « Ego in hoc natus sum, ut testimonium perhibeam veritati; omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Iudaeos ». Ex quo apparet, quod veritatem non veraciter quaesivit, quia, cum quaesiisset, responsionem non exspectavit. Et ideo, nec quid esset veritas, nec ipsam veritatem audire promeruit.

Respondet Christus. — Notandum.

Excusatio iusta.

5. (Vers. 4.). Tertio quantum ad *excusationem iustam* addit: *Ait autem Pilatus ad principes*

---

[1] Vers. 6.

[2] Vers. 3. — Cod. H: *Et surgens omnis multitudo eorum,* de domo Caiphae, mane facto (cfr. Matth. 27, 1. seq.; Marc. 15, 1. et Luc. 22, 54. seqq.).

[3] Vers. 7, ubi pro *Noli peccare* (cfr. v. 6.) Vat. cum Vulgata *Non pecces.* — Sequitur Eccli. 21, 10, in quo pro *illorum* C D G *eius.*

[4] Vers. 61. seq., in cuius fine Vat. cum Vulgata *insurgentium mihi.*

[5] Vers. 6. — Superius pro *subditur* A C D G *subdunt,* H *dicunt.*

[6] Vers. 18, post quem Ps. 125, 5. (G citat Ps. 84, 4.).

[7] Ita etiam Card. Hugo, B. Albert., S. Thom. (Cat. aurea in Luc. 23. n. 1.), Gorranus et Lyranus; Vulgata *dare.* — Subinde allegatur Luc. 20, 25.

[8] Psalm. 2, 6.

[9] Vers. 15. et deinde v. 20.

[10] Vers. 70; cfr. supra c. 22. n. 82.

[11] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 23, 3. In ipsa allegatur Luc. 20, 25. Pro *et ideo* H *unde* (textus originalis *et inde*), A C D *et tamen.*

[12] Vers. 16.

[13] Vers. 37. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 23, 3: Eodem verbo, quo principibus sacerdotum, respondet et praesidi, ut propria sententia ambo condemnentur.

[14] Vers. 37. et 38.

*sacerdotum et turbas: Nihil invenio causae in hoc homine.* Nam de duobus primis causam non inveniebat, quia non quaerebat nec quaerendum iudicaverat; de ultimo vero inveniebat quod Christus ei dixerat, sicut dicitur Ioannis decimo octavo[1]: « Regnum meum non est de hoc mundo »; et ideo Pilatus nullam culpam inveniebat in eo dignam morte. Nec mirum, quia ipse de se dicit Ioannis decimo quarto[2]: « Venit princeps mundi huius et in me non habet quidquam ». Unde poterat dicere illud Iob decimo tertio: « Scio, si iudicatus fuero, quod iustus inveniar ». Ex quo apparet, quod sicut boni iudicis est condemnare peccantes, sic est eius excusare et defendere innocentes, secundum illud Exodi vigesimo tertio[3]: « Insontem et iustum non interficies, quia adversor impium ».

Notandum.

6. (Vers. 5.). Quarto quantum ad *accusationis aggravationem importunam* subdit: *At illi invalescebant dicentes: Commovet populum, docens per universam Iudaeam, incipiens a Galilaea usque huc.* In quo aggravant accusationem, dum volunt eum notare de seditione, quasi commotor sit totius terrae; sed iniuste eum accusant de commotione, quia non commovebat populum *ad seditionem*, sicut Absalom, de quo dicitur secundi Regum decimo quinto[4]: « Cum immolaret victimas, facta est coniuratio valida, populusque concurrens augebatur cum Absalom ». Non commovebat *ad transgressionem*, sicut faciet antichristus; Apocalypsis decimo tertio[5]: « Admirata est universa terra post bestiam. Et adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiae ». — Sed commovit *ad compunctionem*, secundum illud Psalmi[6]: « Commovisti terram et conturbasti eam; sana contritiones eius » etc. Commovit ad *exsultationem*, sicut dicitur Matthaei vigesimo primo[7]: « Cum intrasset Iesus Ierusalem, commota est universa civitas »; Aggaei secundo: « Modicum, et ego commovebo caelum et terram ». Et ratio huius est, quia docebat non seductoria, sed salutaria; unde et Petrus dicebat Ioannis sexto[8]: « Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes ». Hac doctrina Christus docuerat, sicut dicebat Ioannis septimo: « Si quis voluntatem Dei voluerit facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit ». Et ideo non erat accusandus, sed acceptandus, et maxime a principibus sacerdotum, secundum illud ad Titum primo[9]: « Oportet, episcopum amplectentem esse eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana ».

Accusationis aggravatio importuna. Fit iniuste. Ad quid Christus commoverit.

7. *Spiritualiter* in hoc, quod Christus incepit a Galilaea, quae interpretatur *transmigratio*[10], et pertransiit per Iudaeam et venit usque in Ierusalem, intelligitur, quod praedicator verus debet hoc ordine praedicare, ut praedicet *transmigrationem* a statu peccati, *confessionem* veritatis fidei et *quietationem* in visione aeternae pacis[11], ut sic deseratur malum, discernatur verum et diligatur bonum. Et in his clauditur triplex bonum, scilicet *venia, gratia* et *gloria*, bonitas, scientia et disciplina, quae petit Propheta in Psalmo[12]: « Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me ».

Expositio spiritualis.

8. (Vers. 6.). *Pilatus autem audiens* etc. Post descriptam accusationem coram praeside hic describit *ordinem accusationis coram Herode*[13]; ad cuius ordinatam descriptionem quatuor introducuntur, scilicet *cautela Pilati subterfugientis, curiositas Herodis interrogantis, improbitas plebis accusantis* et *stoliditas principis vilipendentis.*

Accusatio coram Herode describitur per quatuor.

Primo ergo quantum ad *cautelam Pilati subterfugientis* dicit: *Pilatus autem, audiens Galilaeam, interrogavit, si homo Galilaeus esset.* Ideo hoc quaerit, ut subterfugiat iudicare eum, si iudicium eius spectat ad alium. Et ratio eius redditur Matthaei vigesimo septimo[14]: « Sciebat enim Pilatus, quod per invidiam tradidissent eum ». Et ideo subterfugiebat, quia vel oportebat, quod provocaret contra se gentem illam, vel faceret contra iura; unde volebat super alium ponere iudicium.

Cautela Pilati.

9. (Vers. 7.). Ideo subdit: *Et ut cognovit, quod*[15] *de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Ierosolymis erat illis diebus.* Beda[16]: « Ne contra insontem, et quem traditum per invidiam noverat, sententiam dare cogeretur, Herodi audiendum mittit, ut a suo tetrarcha vel absolveretur, vel damnaretur ». Unde apparet, quod Pilatus fecit *caute*, fecit etiam *iuste*, quia noluit sibi

Remittit eum ad Herodem. Fecit caute et iuste.

---

[1] Vers. 36. Cfr. supra n. 3. 4.
[2] Vers. 30. — Sequitur Iob 13, 18.
[3] Vers. 7. Pro *adversor* Vulgata *aversor*.
[4] Vers. 12.
[5] Vers. 3. et 4.
[6] Psalm. 59, 4. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 23, 5: Non illum, sed se accusant. Docuisse enim populum et a pristina torporis ignavia docendo commovisse talique actu a Galilaea usque ad Iudaeam, id est totam promissionis terram, a fine usque ad finem pertransisse, non criminis, sed indicium est virtutis.
[7] Vers. 10, cui subnectitur Aggaei 2, 7.
[8] Vers. 69. (voci *Verba* A C D praefigunt *Ecce)* et deinde 7, 17. — Inferius pro *Hac doctrina* D *Hanc doctrinam.*
[9] Vers. 7. et 9.
[10] Cfr. supra pag. 434, nota 1. — Inferius C D omittunt *et venit.*
[11] Respicitur interpretatio nominum *Iudaeae* et *Ierusalem*, de qua vide supra pag. 145, notam 1. et pag. 42, notam 6.
[12] Psalm. 118, 66. Cfr. supra c. 22. n. 58.
[13] Vide supra n. 1.
[14] Vers. 18. — Beda, VI. in Luc. 23, 5: Denique Pilatus... se magis ipsum, nacta occasione, cupit ab eo iudicando liberum reddere. Nam sequitur: *Pilatus autem, audiens Galilaeam* etc.
[15] Codd. A C D *quia*, et subinde pro *illis diebus* A C D G H *ipsis diebus.*
[16] Libr. VI. in Luc. 23, 6. seq.; sententia Bedae exhibetur verbis Glossae *ordinariae* in Luc. 23, 7.

usurpare quod alieni erat iuris, quia, ad Romanos decimo tertio[1], « omnis potestas ordinata est ». Fecit etiam *pie,* quia credidit, quod Herodes hominem suum ab iniquis deberet accusatoribus liberare, secundum illud Ecclesiastici decimo octavo[2]: « Miseratio hominis circa proximum suum ». Fecit etiam *versute,* quia voluit super suum adversarium periculosum iudicium devolvere, voluit etiam eius calumniam declinare, voluit etiam ei placere de eo quod nihil sibi constabat. Ex quo apparet illud quod supra decimo sexto[3] dictum est: « Filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt ».

Item, pie.

Et versute.

10. (Vers. 8.). Secundo quantum ad *curiositatem Herodis interrogantis* subdit: *Herodes autem, viso Iesu, gavisus est valde,* non propter aspectum credulitatis, sicut Abraham, de quo Ioannis octavo[4]: « Abraham exsultavit, ut videret diem meum; vidit et gavisus est ». — *Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum*[5], non per affectum caritatis, sicut Iob vigesimo tertio: « Quis mihi det, ut inveniam eum et veniam usque ad solium eius »? Talibus enim dicitur supra decimo: « Beati oculi, qui vident quae vos videtis. Amen dico vobis, quod multi reges » etc. Non sic Herodes, sed ex curiositate. — Unde addit: *Eo quod audiret multa de illo*[6], *et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri,* per appetitum curiositatis; supra nono: « Audivit Herodes tetrarcha quae fiebant ab eo », « et ait: Quis est hic, de quo audio talia? Et quaerebat videre eum ».

Curiositas Herodis.

Optat signum videre.

11. (Vers. 9.). Et quia curiositas maxime viget circa visum et auditum, secundum illud Ecclesiastae primo[7]: « Non saturatur oculus visu, neque auris auditu impletur »; ideo addit: *Interrogabat autem illum*[8] *multis sermonibus; interrogabat,* inquam, non sicut studiosus, sed sicut curiosus; non sicut amator, sed sicut tentator, secundum illud Ecclesiastici decimo tertio: « Ex multa loquela tentabit te et subridens interrogabit te de absconditis tuis ». — Et quia talis non meretur veritatem audire, ideo additur: *At ipse nihil illi respondebat.* Tacebat autem Christus in *exemplum prudentiae;* Proverbiorum vigesimo sexto[9]: « Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam ». Iustum autem est, indignis divina celari; unde Glossa[10]: « Tacuit, quia Herodis incredulitas non merebatur audire divina, et Dominus iactantiam declinabat »; Matthaei septimo: « Nolite sanctum dare canibus neque margaritas spargere ante porcos ». — Item, in *exemplum patientiae;* Iob trigesimo primo[11]: « Si expavi ad multitudinem nimiam, et despectio propinquorum terruit me, et non magis tacui »; super quo Gregorius: « Boni nec despecti sua aperiunt, cum aliis non prosunt; quod esset se ostendere, non prodesse, ut Iesus Herodi non quaerenti profectum tacuit, et inde passus est, se derideri ». — Item, *innocentiae;* unde Glossa[12]: « Melior est causa, quae non defenditur et probatur. Susanna tacuit et vicit », sicut dicitur Danielis decimo tertio. — Item, in *exemplum confidentiae;* Exodi decimo quarto[13]: « Vos tacebitis, et Dominus pugnabit pro vobis ». — In *exemplum obedientiae;* Isaiae quinquagesimo tertio: « Sicut agnus coram tondente se obmutescet ». — In *exemplum perseverantiae;* unde Glossa[14]: « Ambiunt defendi qui timent vinci; nec accusatorem tacendo confirmat, sed despicit non refellendo »; unde Threnorum tertio: « Ex ore Altissimi non egredientur nec mala nec bona ».

Interrogat.

Silentium Christi exemplum prudentiae.

Item, patientiae.

Item, innocentiae.

Item, confidentiae.

Item, obedientiae.

Item, perseverantiae.

12. (Vers. 10.). Tertio quantum ad *improbitatem plebis accusantis* subditur: *Stabant autem*[15] *principes sacerdotum et scribae, constanter accusantes eum.* Haec autem *constantia* virtus non erat, sed pertinacia, quia non ex amore iustitiae veniebat, sed ex livore invidiae. Haec enim est, quae armat cor ad proximum impugnandum; unde Augustinus[16]: « Cum per omne vitium antiqui hostis virus

Improbitas plebis.

---

[1] Vers. 1: Non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt a Deo ordinatae sunt. — Theophylact. in Luc. 23, 6-27: Romanorum legem sequens, Pilatus mittit Dominum ad Herodem. Illa enim cavet, ut unusquisque a principe suae regionis iudicetur; ideo et tanquam Galilaeum Iesum mittit principi Galilaeae.

[2] Vers. 12.

[3] Vers. 8. — Beda, VI. in Luc. 23, 6. seq.: Verum divina providentia, ne qua Iudaeis excusatio remaneret, quasi non ipsi, sed Romani, Christum crucifixerint, Herodes quoque, qui natu et religione erat Iudaeus, cum exercitu suo, quid de illo senserit, est ostentare permissus. Simul et impietas utriusque provinciae, Iudaeae scilicet, in qua natus, et Galilaeae, in qua nutritus est et conversatus, in eius necem conspirantis ostenditur.

[4] Vers. 56. — Superius pro *non propter aspectum* C D H *non per aspectum.*

[5] Codd. A C D G H: *Erat enim multo tempore cupiens videre eum.* — Duo seqq. loci sunt Iob 23, 3. et Luc. 10, 23. seq.; cfr. Matth. 13, 16. seq.

[6] Ita etiam Beda, Card. Hugo et B. Albert.; Vulgata *audierat multa de eo.* — Subinde allegantur Luc. 9, 7. et 9.

[7] Vers. 8, ubi pro *saturatur* A C D G *saturabitur,* et pro *impletur* A G *implebitur.*

[8] Ita etiam Beda, Card. Hugo et B. Albert.; Vat. cum Vulgata et H *eum.* — Sequitur Eccli. 13, 14.

[9] Vers. 4. — Superius post *Tacebat autem Christus* B addit *propter septem,* et inferius pro *Iustum autem est* substituit: *In exemplum iustitiae: iustum est enim.*

[10] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Ambros., X. in Luc. c. 23. n. 99.), in qua pro *audire divina* textus originalis *videre divina.* — Subinde allegatur Matth. 7, 6; cfr. supra pag. 191, nota 2. et pag. 565, nota 4.

[11] Vers. 34. — Sententia Gregorii (XXII. Moral. c. 16. n. 38.) exhibetur verbis Glossae *ordinariae* in Iob 31, 34.

[12] Nempe *interlinearis* (ex Ambros., X. in Luc. c. 23. n. 97.). Allegantur Dan. 13, 35. et 42. seq.

[13] Vers. 14. — Sequitur Isai. 53, 7.

[14] Scilicet *interlinearis* (ex Ambros., X. in Luc. c. 23. n. 97.), in qua pro *accusatorem* textus originalis *accusationem,* et pro *tacendo* ed. Maurina *timendo.* — Subinde allegatur Thren. 3, 38.

[15] Codd. C D H addunt *et.*

[16] Serm. 18. ad Fratres in eremo (inter opera August.); prima tamen propositio in Glossa *ordinaria* super Gal. 5, 26. occurrit, in qua summa huius sermonis habetur.

humano cordi infundatur, in zelo invidiae per tota viscera serpit. Haec est, qua Cain contra fratrem suum Abel armatur, et filii Iacob contra Ioseph, Babylonii contra Danielem, Iudaei contra Christum ». Erat autem in Iudaeis invidia cum pertinacia, et ideo accusabant eum *constanter*. Nam perseverantia in malo non est vera constantia, sed duritia et pertinacia, sicut magi Pharaonis contra Moysen; unde secundae ad Timotheum tertio [1]: « Quemadmodum autem Ioannes et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem ». Unde illi erant imitatores illius draconis, de quo Apocalypsis duodecimo [2]: « Proiectus est accusator fratrum, qui accusabat eos die ac nocte »; et hoc ex invidia. Nam, Sapientiae secundo, « invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum, imitantur autem illum qui sunt ex parte illius ».

Notandum.

13. (Vers. 11.). Quarto quantum ad *stoliditatem principis vilipendentis* subiungitur: *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo et illusit indutum veste alba; sprevit,* inquam, tanquam *impotentem,* quia signum non fecit; tanquam *ignorantem,* quia verbum non respondit; tanquam *stolidum,* quia contra accusantes se non defensavit. Nec tantum sprevit, verum etiam et *illusit.* — Ex quo apparet, quod Christus illusus fuit triplici illusione, scilicet a *Iudaeis ex malitia,* supra vigesimo secundo [3]; ab *Herode ex arrogantia,* sicut dicitur hic; a *militibus ex ignorantia,* sicut Ioannis decimo nono.

Stoliditas principis.

Triplex Christi illusio.

14. Et attendendum, quod Iudaei *faciem velaverunt* [4], Herodes *induit alba veste,* milites *circumdederunt ei purpureum vestimentum.* Ex quo apparet, quod Pontifex noster habuerit in sua passione vestimenta pontificalia: *amictam* scilicet, cum velatus est a Iudaeis; *albam,* cum vestitus est alba veste ab Herode; *casulam,* cum habuit chlamydem coccineam [5]; et ne quid desit, habuit et *manipulum* et *stolam* et *cingulum,* dum ligatus est ad columnam; coronam spineam habuit pro *mitra* et arundinem in manu pro *baculo pastorali* et pro *chirothecis* et *sandaliis* [6] habuit manus et pedes sanguine coopertos. Et haec habentur a praelatis consecrantibus in memoriam dominicae passionis, in cuius memoriale conficitur Sacramentum altaris.

Modi illusionis explicant vestes Pontificum.

15. (Vers. 11. 12.). Quia vero Herodes Christum non inveniebat morte dignum, ideo et ipse recusabat iudicium; ideo subditur: *Et remisit ad Pilatum,* tanquam ad amicum. Propter quod addit: *Et facti sunt amici Herodes et Pilatus ex* [7] *ipsa die; nam antea inimici erant ad invicem.* Ex quo apparet, quod inimicitia respectu boni parit amicitiam inter malos; ideo mali designantur per *vulpes Samsonis,* quae habent caudas colligatas [8], quia omnes « conveniunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius ». Et ideo hi duo designant persecutionem duorum populorum contra Christum; unde Glossa [9]: « Sicut Herodes et Pilatus, sic Iudaei et gentiles, sicut genere et religione, ita mente quoque dissentientes, tamen in Christianis persequendis et fide Christi perimenda consentiunt ».

Herodes declinabat iudicium.

Notandum.

### De Christi condemnatione dicuntur duo.

16. *Pilatus autem, convocatis* etc. Postquam descripsit Christi comprehensionem, illusionem et accusationem, hic quarto [10] describit *ipsius condemnationem.* Et quoniam Christus condemnatus est, ut deduceretur ad patibulum crucis; ideo pars ista habet duas. In quarum prima agitur de *condemnatione ipsius ad crucis patibulum;* in secunda vero, de *deductione eius ad crucifigendum,* ibi [11]: *Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem.*

Divisio.

#### Condemnatio Christi ad crucem describitur quoad quatuor.

Describit igitur Evangelista *condemnationem Christi* ut *iniquam,* ut *impiam,* ut *extortam* et ut *distortam:* ut *iniquam,* propter repugnantiam legis iustitiae; ut *impiam,* propter repugnantiam consuetudinis piae; ut *extortam,* propter repugnantiam voluntatis in iudice [12]; ut *distortam,* propter repugnantiam rationis rectae.

17. (Vers. 13.). Primo igitur quantum ad insinuandam *repugnantiam condemnationis Christi et legis iustitiae* dicit: *Pilatus autem, convocatis principibus sacerdotum et magistratibus plebis* [13], praemittendo citationem; citandi autem sunt actores ad audiendam sententiam, qua reus debet absolvi, vel

Fuit iniqua.

---

[1] Vers. 8. Cfr. Exod. 7, 11. seqq. — Superius pro *in malo* Vat. *in illis.*

[2] Vers. 10. et deinde Sap. 2, 24. seq.

[3] Vers. 63. seqq. — Subinde allegatur Ioan. 19, 2. seq.

[4] Cfr. supra c. 22, 64; subinde respicitur Luc. 23, 11. (induit veste alba) et Ioan. 19, 2. (veste purpurea milites circumdederunt eum).

[5] Cfr. Matth. 27, 28.

[6] Codd. A C D *sandalibus.* Vide Du Cange, Glossarium etc.: *Sandalis* pro sandalium. In Capitulis Adalhardi Abbat. cap. 38. *de Sandalibus* inscribitur etc. — Cfr. Ambros., X. in Luc. c. 23. n. 103. seqq.; Card. Hugo in Luc. 23, 11, ubi vestimenta pontificalia Christi eodem describuntur modo; alio tamen modo ea describit Innocent. III, l. de Sacro altaris Mysterio, c. 34. seqq.

[7] Ita A C D G (cfr. B. Albert.), H *ab,* Vulgata *in.*

[8] Iudic. 15, 4: Perrexitque [Samson] et cepit trecentas vulpes caudasque earum iunxit ad caudas et faces ligavit in medio etc. — Sequitur Ps. 2, 2: Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum etc.

[9] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 23, 12: Nefandum foedus, quod Herodes et Pilatus in occidendo Christum pepigerunt, successores eorum hereditario iure custodiunt, dum Iudaei et gentiles, sicut genere etc. A C D G omittunt *tamen.*

[10] Cfr. supra c. 22. n. 59.

[11] Vers. 26.

[12] Vat. *voluntatis propriae;* cfr. infra n. 24.

[13] Ita A C D G H; cfr. B. Albert., sed Vulgata habet *et magistratibus et plebe.*

condemnari, quia, ut dicitur Actuum vigesimo quinto [1], « non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur, praesentes habeat accusatores locumque defendendi accipiat ad Notandum. abluenda crimina ». Ideo secundum iuris ordinem ante lationem sententiae necesse est praecedere partium convocationem, quibus convocatis, procedendum est.

18. (Vers. 14.). Ideo subditur: *Dixit ad illos:* Accusatio. *Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum,* recolendo *accusationem;* unde Ioannis decimo octavo [2]: « Nisi esset hic malefactor, non tradidissemus eum tibi ».

19. (Vers. 14. 15.). Et post accusationem se- Inquisitio. quitur *inquisitio,* ideo subdit: *Et ecce, ego coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes. Nam remisi vos ad illum* [3], *et ecce, nihil dignum morte actum est ei,* ostendendo eius innocentiam, quam ostendit per examinationem propriam et alienam. Unde Glossa [4]: « Pilatus fatetur, nec se nec Herodem aliquid in occidendo, vel illudendo Christo invenisse ». Nam et recte illi competit illud Psalmi [5]: « Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas ».

20. (Vers. 16.). Et quia talem iniquum est con- Sententia iniqua. demnari, ideo subdit: *Emendatum ergo illum dimittam,* praedicendo aequam sententiam; haec enim sententia erat ferenda secundum iustitiam, ex quo accusabatur innocens; sed Pilatus hoc non audebat facere, sed quaerebat assensum partis adversae, ostendens, quod non poterat damnari iuste; ne tamen possent conqueri de remissione iudicis, offert punitionem accusati in hoc quod dicit, se *emendatum,* id est flagellatum, dimittere velle. Unde Glossa [6]: « Flagris et ludibriis, quantum iubetis, afficiam, dummodo ne sitiatis innoxium sanguinem »; ex quo apparet repugnantia condemnationis et legis iustitiae.

21. (Vers. 17.). Secundo quantum ad *repugnantiam condemnationis et consuetudinis piae* subiungit: *Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum unum.* Haec autem necessitas non manabat ex imperiali iure, sed ex consuetudine; unde Rabanus [7]: « Non imperialis legis sanctione, sed annua gentis, cui per talia placere gaudebat, devictus consuetudine ». Haec autem consuetudo erat in die festo paschae in memoriam liberationis populi de Aegyptiaca servitute; unde Ioannis decimo octavo [8] dicitur, quod « dixit Pilatus: Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in pascha; vultis ergo, ut dimittam vobis regem Iudaeorum » ? Fuit impia.

22. (Vers. 18.). Et haec oblatio erat secundum Recusant Iudaei. morem clementiae, sed hanc recusat perversitas Iudaeorum in Christo; et ideo addit: *Exclamavit autem simul* [9] *universa turba, dicens: Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam.* Hoc autem petiit turba ad suggestionem principum et scribarum; unde Marci decimo quinto [10]: « Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis ». Et in hoc apparet eorum crudelitas, quia piissimo Domino praetulerunt impiissimum homicidam.

23. (Vers. 19.). Ideo subdit: *Qui erat propter* De Barabba. *seditionem quandam factam in civitate et homicidium missus in carcerem,* et ita erat seditiosus et homicida, insuper et latro, sicut dicitur Ioannis decimo octavo [11]: « Erat autem Barabbas latro ». Ex quo apparet Iudaeorum perversitas, quia Salvatori praetulerunt seditiosum, benefactori furem et auctori vitae praetulerunt vitam homicidae; unde Actuum tertio: « Vos sanctum et iustum negastis et petistis, virum homicidam donari vobis; auctorem vero vitae interfecistis ». Et haec fuit summa impietas, vitam reddere destructori et auferre vitam fonti totius vitae; unde Glossa [12]: « Qui pro Iesu latronem, pro Salvatore interfectorem, pro datore vitae ademptorem elegerunt merito salutem perdiderunt et vitam ».

---

[1] Vers. 16, ubi C D H omittunt *hominem,* et in fine A C D E H legunt *ad purganda* [E *expurganda,* H *abluenda*] *peccata.* — Superius pro *actores* A C D *auctores.*

[2] Vers. 30. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 23, 14: Quantum studium dimittendi Iesum Pilatus habeat, attende. Primo illis accusantibus dicit, se nihil causae in eo invenisse; deinde tamen in incepto persistentibus mittit ad Herodem, ut exploret, an ille aliquid sceleris in eo invenire possit, an dimittendum decernat. Denique Herodis agnita voluntate, nec invento in Iesu facinore, plebis sententiam quaerit, cui unum in Pascha oportet dimitti. Iterum etiam tertio volens dimittere, interrogat. Sed quanto curiosius dimittere quaerit, criminosiores ad necem eius invenit.

[3] Codd. A C D H *Nam remisit illum ad nos* [C D *ad vos,* B. Albert. *ad me*].

[4] Scilicet *ordinaria* (ex Beda): Ad exprobrandam duritiam Iudaeorum vel gentilium fatetur Pilatus... invenisse, sed alienae crudelitatis clamoribus obtemperasse.

[5] Psalm. 16, 3.

[6] Nempe *interlinearis* (ex Beda) in Luc. 23, 16; ibid. Glossa *ordinaria* (ex Ambros., X. in Luc. c. 23. n. 97.): Pilatus absolvit Iesum, quem probat innocentem, sed ut impleretur Scripturae, absolvit quidem iudicio, quem tamen crucifigit mysterio.

[7] Libr. VIII. Comment. in Matth. 27, 15, ubi sequitur Bedam, VI. in Luc. 23, 17, qui pro *devictus* (ita etiam Glossa *interlinearis* in Luc. 23, 17.) substituit *devinctus.*

[8] Vers. 39; cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 18. n. 72.

[9] Codd. C D G H omittunt *simul.* — Superius pro *sed hanc recusat* D *licet hanc recusaret.*

[10] Vers. 11, pro quo Vat. allegat Matth. 27, 20: Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis, ut peterent Barabbam.

[11] Vers. 40. — Subinde allegatur Act. 3, 14. seq. — Inferius pro *vitam homicidae* (ita C D) H *homicidam,* Vat. *virum homicidam.*

[12] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 23, 18. Pro *datore vitae* D *creatore vitae,* et pro *ademptorem* C D *condemptorem* (cfr. Du Cange, Glossarium etc.: *Condemptio* pro Condemnatio), G *peremptorem.* August., in Ioan. Evang. tr. 116. n. 1: Cum Iudaei clamassent, non Iesum sibi a Pilato dimitti velle per pascha, sed Barabbam latronem, non Salvatorem, sed interfectorem, non datorem vitae, sed ademptorem, *tunc apprehendit Pilatus Iesum et flagellavit* [Ioan. 19, 1.].

uit extorta.

24. (Vers. 20.). Tertio quantum ad *repugnantiam condemnationis et voluntatis in iudice* subdit: *Iterum autem Pilatus locutus est ad illos*[1], *volens dimittere Iesum;* ex quo non valebat pietas, non valebat aequitas, tandem veniebat auctoritas et voluntas. Hoc autem volebat Pilatus, tum quia durum erat sibi, tantum virum morti tradere sine causa; tum etiam, quia dissuadebat uxor sua; unde Matthaei vigesimo septimo[2]: « Sedente Pilato pro tribunali, misit ad eum uxor eius, dicens: Nihil tibi et iusto illi ». Haec autem voluntas Pilati non erat plena, sed pigra, secundum illud Proverbiorum decimo tertio: « Vult et non vult piger »; quia non volebat facere contra turbam, cuius voluntas erat contraria.

Notandum.

25. (Vers. 21.). Ideo subditur: *At illi succlamabant*[3] *dicentes: Crucifige, crucifige eum;* ubi ostenditur perversa Iudaeorum voluntas in hoc, quod *clamose quaerunt;* unde sibi competit illud Isaiae quinto[4]: « Exspectavi, ut faceret iudicium, et ecce, iniquitas; et iustitiam, et ecce, clamor ». Pro istius multitudinis clamore dicitur Isaiae decimo septimo: « Multitudo populorum multorum ut multitudo maris sonantis, et tumultus turbarum sicut sonitus aquarum multarum ». — Apparet etiam ex hoc perversa voluntas, quia *quaerunt crucifixionem;* unde Beda[5]: « Magna crudelitas non solum occidere, sed etiam crucifigere quaerunt, ut, pedibus et manibus ad lignum confixis, morte vexaretur *producta* », nec tantum producta, verum etiam *acerba,* secundum illud Psalmi[6]: « Foderunt manus meas et pedes meos »; nec tantum acerba, verum etiam *ignominiosa;* Sapientiae secundo: « Morte turpissima condemnemus eum »; unde illum tanquam maledictum poenae maledictionis volebant subiicere, quia, Deuteronomii vigesimo primo[7], « maledictus a Deo qui pendet in ligno ». Sed hoc non fuit sine divina dispositione, secundum illud ad Galatas tertio: « Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum »; sed impii hoc ex crudelitate et iracundia postulabant. Pro his duobus, scilicet clamore et crudelitate, dicitur Ieremiae duodecimo[8]: « Facta est mihi hereditas mea quasi leo in silva; dedit contra me vocem »; et iterum in Psalmo: « Quoniam circumdederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me ».

lamor multitudinis perversae.

Crudelitas eiusdem.

Notandum.

Fuit distorta.

26. (Vers. 22.). Quarto quantum ad *repugnantiam condemnationis et rationis rectae* subiungitur: *Ille autem tertio dixit ad illos*[9]: *Quid enim mali fecit iste? Nullam causam mortis invenio in eo.* Ex quo enim nulla erat in eo causa mortis, interficere eum erat contra dictamen rationis rectae. — Et quia menti invidae non sufficit ratio sine punitione, ideo addit: *Corripiam ergo illum et dimittam.* Nec tantum hoc dixit verbo, verum etiam fecit facto, secundum illud Ioannis decimo nono[10]: « Tunc apprehendit Pilatus Iesum et flagellavit ». Unde Glossa: « Hanc correptionem deridendo et flagellando nefandorum desideriis exhibuit, ne usque ad crucifigendum saevirent ».

Iudaei instant.

27. (Vers. 23.). Et quia perversum cor nec ratione inducitur nec flectitur pietate, ideo subditur: *At illi instabant vocibus magnis postulantes, ut crucifigeretur, et invalescebant voces*[11] *eorum.* Ex quo apparet, quod victi vivacitate rationis rectae, convertunt se ad preces; unde Glossa[12]: « Ad preces se convertunt, ut quod criminando vel etiam ratiocinando nequiverant iam postulando et vociferando perficiant ». Unde et Ioannis decimo nono[13]: « Exiit ergo iterum Pilatus foras et dixit: Ecce, adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia in eo nullam invenio causam; et dixit eis: Ecce homo. Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum ». — Ex praedictis igitur colligitur, quod mors Christi principalius imputatur Iudaeis quam Pilato; unde Ioannis decimo nono[14] Dominus dicit: « Qui me tradidit tibi maius peccatum habet ». Nam Iudaei semper institerunt ad eius mortem, sed Pilatus visus est subterfugere septem modis, scilicet mutatione fori, allegatione innocentiae, oblatione misericordiae, ostensione voluntatis suae, declaratione, quod hoc esset contra rationem, inflictione poenae, et tandem refusione culpae in Iudaicam plebem; unde Matthaei vigesimo septimo[15]: « Pilatus accepta aqua lavit manus coram populo, dicens:

Notandum.

---

[1] Ita etiam Beda, Card. Hugo et B. Albert.; Vat. cum Vulgata et H *ad eos.* Subinde pro *Iesum* C D H *eum.* — Inferius post *ex quo non valebat* Vat. prosequitur *impietas, non valebat iniquitas, tandem valebat* [ita etiam H] *auctoritas* etc.

[2] Vers. 19, in quo pro *uxor eius* codd. *uxor sua.* — Subinde allegatur Prov. 13, 4.

[3] Codd. *clamabant;* cfr. B. Albert.

[4] Vers. 7. et deinde 17, 12: *Vae multitudini populorum* etc.

[5] Libr. VI. in Luc. 23, 20. seq. Sententia ipsius exhibetur verbis Glossae *ordinariae* in Luc. 23, 21. Pro *vexaretur* textus originalis *necaretur.*

[6] Psalm. 21, 17. — Sequitur Sap. 2, 20.

[7] Vers. 23, ubi A C D: *Maledictus omnis, qui* etc.; ita legitur Gal. 3, 13. — Subinde allegatur Gal. 3, 13. — Inferius post *iracundia* D G addunt *voluntate* (ita etiam C primitus, secunda manus substituit *iracunda voluntate).*

[8] Vers. 8, post quem Ps. 21, 17.

[9] Codd. C D H *eos,* qui etiam subinde omittunt *iste.*

[10] Vers. 1. — Glossa seq. est *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 23, 22.

[11] Codd. C D *clamores.*

[12] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 23, 22. Pro *vel etiam ratiocinando* textus originalis *vel quasi ratiocinando.* — Superius pro *vivacitate* B *virtute.*

[13] Vers. 4-6.

[14] Vers. 11. Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 19. n. 12. et 24.

[15] Vers. 24. seq., ubi post *lavit* A C D H legunt *manus suas coram omni populo... Et respondens omnis populus.* — Superius pro *mulatione fori* Vat. *imitatione fori,* quae etiam subinde pro *ostensione* et *refusione* substituit *ostentatione* et *retorsione.* Cfr. supra pag. 570, nota 2.

Innocens ego sum a sanguine iusti huius; vos videritis. Et respondens universus populus dixit: Sanguis eius super nos et super filios nostros ».

**Defectus Pilati.**

28. (Vers. 24.). Sed licet tot modis vellet eum liberare, tamen prae timore defecit in fine et declinavit contra dictamen iustitiae, misericordiae, voluntatis suae et rationis rectae ad perversam populi voluntatem; ideo addit: *Et Pilatus adiudicavit, fieri petitionem eorum*[1]; et hoc contra illud Exodi vigesimo tertio: « Non sequeris turbam ad faciendum malum nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiae, ut a vero devies ».

**Deviavit dupliciter.**

29. (Vers. 25.). Deviavit autem Pilatus distortam sententiam dando in *absolvendo malum;* ideo dicit: *Dimisit autem illis eum qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant;* et quantum ad *condemnationem viri iusti;* et ideo addit: *Iesum vero*[2] *tradidit voluntati eorum.* — Ratio autem, quare Pilatus fuit inflexus ad hanc sententiam iniquissimam, fuit *inordinatus amor* complacentiae populi, quae retrahit a veritate; ideo ad Galatas primo[3]: « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem »; fuit etiam *timor,* ne incurreret offensam Caesaris; unde Ioannis decimo nono[4]: « Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris »; et subditur ibi, quod « Pilatus, cum audisset hunc sermonem, magis timuit », et tunc « sedit pro tribunali » et malam sententiam tulit; propter quod Proverbiorum vigesimo nono[5] dicitur: « Qui timet hominem cito corruet ».

**Ratio duplex deviationis.**

**Deductio Christi ad crucifigendum describitur quoad quatuor.**

30. (Vers. 26.). *Et cum ducerent eum* etc. Post descriptam condemnationem Christi hic describit *deductionem condemnati*[6]; circa quam describendam quatuor introducuntur, scilicet *deductio Christi* ad patibulum, *lamentatio mulierum, reprehensio lamentantium* et *praenuntiatio imminentium calamitatum.*

**Deductio Christi.**

Primo igitur quantum ad *deductionem Christi ad patibulum* dicit: *Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem, venientem de villa, et imposuerunt ei*[7] *crucem portare post Iesum.* — Sed contrarium huius videtur dici Ioannis decimo nono[8], ubi dicitur: « Susceperunt Iesum et eduxerunt eum. Et baiulans sibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvariae locum ». — Verumtamen non est contrarietas, quia utrumque fuit, sed quod tacet Lucas exprimit Ioannes. Unde Glossa[9]: « Primo Dominus portavit crucem, sed postea Simoni imposita est, quem exeuntes obviam habuerunt ». — Hoc autem diligenter exprimit Lucas propter mysterium significationis. Simon iste ratione nominis et gentis, quia erat de Cyrene[10], designat *obedientiam populi gentilis* ad ferendam crucem post Christum. Unde Glossa[11]: « Quia Simon non Israelita, sed Cyrenaeus erat, per eum gentiles designantur », qui portant crucem, cum populi gentium, paganis ritibus relictis, obedienter amplectuntur vestigia dominicae passionis. Et talibus loquitur Petrus primae Petri secundo[12]: « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum » etc.; et talibus Paulus ad Hebraeos ultimo: « Christus extra portam passus est. Exeamus ergo ad eum extra castra, improperium eius portantes ». — Quia vero Simon iste angariatus fuit crucem portare, sicut dicitur Marci decimo quinto[13]: « Angariaverunt praetereuntem Simonem Cyrenaeum »; ideo ratione *angariae* designat *hypocritas,* qui crucem portant pro laude humana; unde Gregorius[14]: « Simon, qui portat crucem in angaria, ipse est, qui laborat pro laude humana; subdunt enim homines huic labori quem non cogit timor vel dilectio Dei ». Vel designat *accidiosos,* qui crucem portant cum murmure, poena et violentia. Contra huiusmodi Bernardus[15]: « Vae, portantibus crucem, non sicut Salvator, suam, sed sicut ille Cyrenaeus, alienam »! Quocontra supra nono: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum

**Contrarietas.**

**Solutio.**

**Mysterium nominis Simon.**

**Ratione angariae significat hypocritas.**

**Vel accidiosos.**

---

[1] Codd. A C D *illorum.* — Subinde allegatur Exod. 23, 2. — Glossa *interlinearis* (ex Ambros., X. in Luc. 23. n. 100.): *Et Pilatus adiudicavit* etc., iudex nec invidiae cedere debuit nec timori.

[2] Vat. addit *flagellatum.* — Glossa *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Hieron., IV. Comment. in Matth. 27, 26.) in Luc. 23, 25: Auctor seditionis et homicidiorum Iudaeis dimittitur, id est diabolus, qui ob culpam a lucis patria depulsus et in tenebrarum carcerem fuerat missus; et ideo pacem habere non possunt, quia pacis auctorem non elegerunt.

[3] Vers. 10.

[4] Vers. 12; deinde v. 8. et 13. Vat. omittit v. 8. et allegat v. 13: *Pilatus, cum audisset hos sermones, adduxit foras Iesum et sedit pro tribunali.* Haec lectio magis congruit dictioni *et subditur ibi.*

[5] Vers. 25.

[6] Cfr. supra n. 16. — Codd. C D H *damnati.*

[7] Vat. cum Vulgata *illi.*

[8] Vers. 16. et 17.

[9] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Hieron., IV. in Matth. 27, 32, ubi eandem obiectionem solvit) in Luc. 23, 26. Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 19. n. 40, ubi etiam sententia Augustini hac de re affertur.

[10] Beda, VI. in Luc. 23, 26: Cyrene enim Libyae civitas est, sicut in Actibus Apostolorum [2, 10.] legimus; recte per eum [Simonem] populi gentium designantur. Qui quondam *peregrini et hospites* testamentorum, nunc, obediendo fidei, *cives* sunt *et domestici Dei* [Eph. 2, 19.]; et sicut alibi [Rom. 8, 17.] dicitur: *Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Unde pulcre Simon *obediens,* Cyrene *heres* interpretatur.

[11] Nempe *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 23, 26.

[12] Vers. 21, post quem Hebr. 13, 12. seq.

[13] Vers. 21.

[14] Libr. VIII. Moral. c. 44. n. 72, ubi eadem sententia, sed aliis verbis exprimitur. Vide etiam II. Homil. in Evang. homil. 32. n. 3. Verbotenus haec sententia occurrit in Glossa *ordinaria* in Marc. 15, 21, a qua tribuitur *Hieronymo* (vel potius auctori Commentarii in Marc. 15, 21, quod habetur inter opera Hieron.). Pro *subdunt enim* textus originalis *cogunt eum,* Vat. legit *subeunt enim homines hunc laborem* etc.

[15] In Apologia ad Gulielmum, c. 1. n. 2. — Subinde allegatur Luc. 9, 23.

et tollat crucem suam quotidie » etc.; quia omni die debet in nobis amor faciendae poenitentiae innovari.

*Lamentatio mulierum.*

31. (Vers. 27.). Secundo quantum ad *lamentationem mulierum concomitantium* subditur: *Sequebatur autem illum multa turba populi et mulierum, quae plangebant et lamentabantur eum. Turba* quidem sequebatur ex admiratione, sed *mulieres* ex miseratione; unde Glossa[1]: « Mali sequuntur, ut morientem laeti aspiciant, mulieres, ut quem vivere desiderabant moriturum, morientem et mortuum plorarent ». Unde et post mortem dicitur de Magdalena Ioannis vigesimo[2]: « Maria stabat ad monumentum foris plorans ». Haec autem lamentatio fiebat de Christo a mulieribus, non a viris, non quia mulieres essent in amore Christi ferventiores seu stabiliores, sed quia magis sunt naturaliter ad lacrymas pronae et magis compassivae naturae, sicut de Anna dicitur Tobiae decimo[3]: « Flebat igitur mater eius irremediabilibus lacrymis »; et de Anna, matre Samuelis, primi Regum primo: « Cum esset amara animo, oravit Dominum, flens largiter » etc.; et quia poterant hoc facere magis secure. Unde Glossa[4]: « Non ideo inducitur solus mulierum ploratus, quin et viri dolerent, sed quia femineus sexus quasi contemptibilior liberius poterat, praesentibus principibus sacerdotum, quid contra eos sentiret, ostentare ». Unde potest dici illud Isaiae trigesimo secundo[5]: « Accingite lumbos vestros, super ubera vestra plangite, super regione desiderabili »; vere *desiderabilis* erat iste super omnes reges universae

*Figura.*

terrae[6]. Et ideo hic planctus et haec lamentatio designari potuit per lamentationem factam super Iosiam, secundum illud secundi Paralipomenon trigesimo quinto[7]: « Universus Iuda et Ierusalem luxerunt Iosiam. Ieremias autem maxime, cuius omnes cantores atque cantatrices lamentationes super Iosiam replicant ». Huiusmodi autem lamentationes magnae factae et praedictae fuerunt pro Salvatore, et ideo leguntur in eius passione[8]. Simul deplangitur mors Christi et ruina Ierusalem; unde in oratione Ieremiae[9]: « Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster. Cecidit corona capitis nostri; vae nobis! quia peccavimus. Propterea factum est moestum cor nostrum, ideo obcaecati sunt oculi nostri ».

*Reprehensio lamentantium.*

32. (Vers. 28.). Tertio quantum ad *reprehensionem lamentantium* adiungit: *Conversus autem Iesus ad illas dixit: Filiae Ierusalem*[10], *nolite flere super me.* Prohibet autem huiusmodi mulieres a fletu, non quia male facerent Christo compatiendo, cum dicat vir pius et sanctus Iob trigesimo[11]: « Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi »; unde et sanctus David in figura dicebat secundi Regum primo: « Doleo super te, frater mi Ionatha, decore nimis et amabilis super amorem mulierum ». Unde et Christo pau-

*Christo compatiendum.*

peri, afflicto et amabili et pulcherrimo compatiendum est affectu piissimo, secundum illud Zachariae duodecimo[12]: « Aspicient ad me, quem confixerunt, et plangent eum planctu quasi super unigenitum et dolebunt super eum, sicut doleri solet in morte primogeniti ». Non ergo hoc arguitur a Christo, sed quia contristabantur ex *mentis deiectione;* contra

*Rationes arguendi tres.*

quod primae ad Thessalonicenses quarto[13]: « Non contristemini sicut et ceteri, qui spem non habent; si enim credimus » etc.; unde Glossa: « Ne lamentemini me moriturum, cuius cito resurrectio mortem solvere potest, cuius mors mortem et ipsum mortis auctorem destruet »; quia etiam contristabantur *carnali quadam affectione,* scilicet de subtractione faciei desideratae, sicut dixit discipulis Ioannis decimo sexto[14]: « Plorabitis et flebitis vos » etc.; quia etiam sic flebant de Christo, quasi *moreretur pro se,* non pro humana transgressione. Unde Glossa[15]: « Tristabantur de vita mortali, quae morte finienda erat, non de caecis, qui medicum occidebant ».

*Instructio pro nobis.*

33. Quandocumque autem passionem Christi recolimus, debemus flere non pro ipso, qui iam glorificatus est, sed habito respectu ad peccatum nostrum; ideo subdit: *Sed super vos ipsas flete et super filios vestros.* Non negat igitur, quin flendum sit, sed quod consideratio flentis debet redire super scelus *generis humani,* pro cuius transgressione Christus mortuus fuit. Quoniam igitur Christus mortuus est pro peccatis nostris, ideo dies passionis suae debet cum multis lacrymis celebrari; unde dicitur Threnorum primo[16]: « Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquam, quia longe factus est a me consolator convertens animam meam; facti sunt filii

---

[1] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 23, 27.

[2] Vers. 11. — Cyrill. Alexandr., in Luc. 23, 27: Pronum quippe ad lacrymas semper femineum genus atque ad misericordiam flexanimum.

[3] Vers. 4, post quem I. Reg. 1, 10.

[4] Nempe *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 23, 27. Pro *sentiret* (A C *sentirent*) G H cum textu originali *senserit*, Vat. *sentiat.*

[5] Vers. 11. et 12. — Vocibus *Unde potest* secunda manus in C interseruit *eis.*

[6] Cfr. II. Paralip. 9, 22. seq., ubi simile dicitur de Salomone.

[7] Vers. 24. et 25. Hieron., Qq. Hebraic. in II. Paralip. 35, 25: *Omnes cantatores* etc., eo quod scriptum est in Lamentatione Ieremiae [Thren. 4, 20.]: *Spiritus oris Domini, Christus Dominus.*

[8] Feria 5. seqq. maioris hebdomadae in Matut. I. Noct.

[9] Thren. 5, 15-17, ubi pro *obcaecati* Vat. cum Vulgata *contenebrati.* — Superius Vat. *Similiter etiam plangitur* pro *Simul deplangitur*, H *ubi simul plangitur.*

[10] Codd. C D *Filiae Sion.*

[11] Vers. 25. et deinde II. Reg. 1, 26.

[12] Vers. 10.

[13] Vers. 13. seq. — Glossa, quae subinde allegatur, est *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 23, 28.

[14] Vers. 20. — Superius pro *de subtractione* Vat. *dilectione.*

[15] Scilicet *ordinaria* in Luc. 23, 27.

[16] Vers. 16. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 23, 28: Vos potius vestramque progeniem dignis lacrymarum fontibus abluite, ne cum perfidis damnemini in ultionem meae crucis.

mei perditi, quoniam invaluit inimicus». Secus autem est de aliis Sanctis, ut de Petro et Paulo, qui mortui sunt ad profectum virtutis et palmam martyrii obtinendam. Flere ergo *omnis Christianus* debet super se et humano genere, quia *causa fuit interfectionis Domini sui.* Ideo Ieremiae nono[1]: «Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum? Et plorabo interfectos filiae populi mei». Ex huius mortis spiritualis memoratione flendum est, quamdiu sumus in Babylone tanquam in valle lacrymarum et fletuum; unde Psalmus[2]: «Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui, Sion». Flere etiam debet *omnis*, quia tantam et tam nobilem *pietatem non recognoscat multitudo hominum;* Threnorum secundo[3]: «Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem, non des requiem tibi». Flere etiam debet, quia ex hoc *praeparatur ad aeternam calamitatem;* propter quod super eos flevit Iesus; supra decimo nono[4]: «Videns civitatem, flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses et tu»; et Threnorum secundo: «Defecerunt prae lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea; effusum est in terra iecur meum super contritione filiae populi mei».

**Causa triplex flendi.**

**Praedictio calamitatum.**

34. (Vers. 29.). Quarto quantum ad *praedictionem imminentium calamitatum* subiungit: *Quoniam ecce, venient dies, in quibus dicent*[5]*: Beatae steriles et ventres, qui non genuerunt, et ubera, quae non lactaverunt.* Et hoc potest referri ad *destructionem Ierusalem*, ratione cuius praemittitur supra vigesimo primo[6]: «Vae praegnantibus et nutrientibus in illis diebus»! et iterum eodem infra: «Erit pressura et ira magna populo huic, et cadent in ore gladii et captivi ducentur in omnes gentes». — Vel melius refertur ad *iudicium finale*, ex cuius consideratione debet homo flere super se et super alios peccatores, ne oporteat plangere in adventu ipsius, secundum illud Matthaei vigesimo quarto[7]: «Apparebit signum Filii hominis in caelo, et tunc plangent omnes tribus terrae et videbunt Filium hominis sedentem» etc.

**Aliter.**

**De apparitione iudicis.**

35. (Vers. 30.). Et huic intellectui magis consonat quod sequitur: *Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos.* Hoc erit in apparitione iudicis, secundum illud Apocalypsis sexto[8]: «Absconderunt se in speluncis et in petris montium et dicunt montibus et petris: Cadite super nos et abscondite nos a facie sedentis super thronum et ab ira Agni, quoniam venit dies magnus irae ipsorum». Et similiter Isaiae secundo[9]: «Ingredientur scissuras petrarum et cavernas saxorum a facie formidinis Domini et a gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram» etc.

**Ostenditur considera- tione suae passionis.**

36. (Vers. 31.). Quod autem tales dies horribiles exspectandi sint indubitanter et formidandi et per fletum praeveniendi, ostendit ex consideratione suae passionis, cum subdit: *Quia, si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?* quasi dicat: si succiditur arbor viva et fructuosa et speciosa, quid ergo fiet de arida et infructuosa[10]? Est autem Christus *lignum viride*, quia *vivum;* unde Proverbiorum tertio[11]: «Lignum vitae est his qui apprehenderunt eam», dicitur de Sapientia; et ideo designatur per *lignum vitae*, de quo Genesis secundo: «Produxit Deus de humo omne lignum pulcrum visu et ad vescendum suave et lignum vitae in medio paradisi». Quia etiam *fructuosum;* Apocalypsis vigesimo secundo[12]: «Ex utraque parte fluminis lignum vitae afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum». Quia *virtuosum;* Apocalypsis vigesimo secundo[13]: «Folia ligni ad sanitatem gentium» etc. — Econtra homo peccator est *lignum aridum*, quia caret *vita gratiae, fructu iustitiae* et *virtute constantiae;* propter quod Ecclesiastici sexto[14] dicitur peccatori: «Non te extollas in cogitatione animae tuae, ne forte elidatur virtus tua per stultitiam, et folia tua comedat et fructus tuos perdat, et relinquaris velut lignum aridum in eremo». Si ergo summus plantator lignorum paradisi propter peccatum sic crudelem mortem permisit pati lignum vitae et voluptatis, quid ergo faciet de lignis aridis et spinosis? Unde Glossa[15]: «Si ego, qui peccatum non feci, qui *lignum vitae* appellor merito, duodenos fructus gratiae per singulos menses affero, sine igne passionis de mundo non exeo, quae tormenta manent illos qui fructibus sunt vacui, insuper et *lignum vitae* flammis dare non timent»? Et ideo Proverbiorum undecimo[16]: «Si iustus in terra recipit, quanto magis impius et peccator»! et primae Petri quarto: «Tempus est, ut incipiat

**Christus lignum viride ob 3 rationes.**

**Peccator lignum aridum ob tria.**

[1] Vers. 1. — Superius pro *Flere ergo* A C D *Flere similiter igitur.*

[2] Psalm. 136, 1. — Superius pro *spiritualis* Vat. *speciali.*

[3] Vers. 18. — Supra A C D omittunt *multitudo hominum.*

[4] Vers. 41. seq. et deinde Thren. 2, 11. — Superius post *Flere etiam* C D G omittunt *debet.*

[5] Codd. C D *dicetur.*

[6] Vers. 23. in principio; sequitur subinde altera pars eiusdem v. 23. et v. 24. — Glossa *ordinaria* (ex Beda): *Ecce venient dies;* dies Romanae obsidionis et captivitatis etc.

[7] Vers. 30.

[8] Vers. 15-17. Cfr. Osee 10, 8.

[9] Vers. 21: *Et ingredietur* [homo] *scissuras* etc.

[10] Cod. H (C a secunda manu): *quid fiet de mortua, infructuosa et spinosa?*

[11] Vers. 18. et deinde Gen. 2, 9.

[12] Vers. 2. — Cyrill. Alexandr., in Luc. 23, 27: Viride lignum se ipsum nominat, id est vividum, fructuosum et floridum. Fructus vero eius erant religiosa doctrina, adhortationes, congruae Deo potentiae demonstrationes per ineffabilia prodigia.

[13] Vers. 2. — Cfr. S. Bonav., in Hexaëm. collat. 18. per totum et supra c. 13. n. 18-20.

[14] Vers. 2. et 3.

[15] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 23, 31, in qua respicitur Apoc. 22, 2. paulo superius allegatus. Pro *appellor merito* D H *appellatus merito* (Glossa cum Beda *merito appellatus*), Vat. *appellor, mundo.*

[16] Vers. 31, cui subiungitur I. Petr. 4, 17.

iudicium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credituri sunt Evangelio »?

### De crucifixione Christi dicuntur duo.

37. *Ducebantur autem et alii duo* etc. Post descriptam Christi comprehensionem, illusionem, accusationem et condemnationem hic quinto loco [1] describit eius *crucifixionem;* quam describit dupliciter, scilicet ex parte *conditionum aggravantium* et ex parte *circumadiacentium*, ibi [2]: *Erat autem et superscriptio scripta* etc. **Divisio.**

Circa descriptionem *conditionum aggravantium* sex introducuntur, scilicet *inhonestas consortii, atrocitas supplicii, benignitas crucifixi, rapacitas militum crucifigentium, malignitas principum insultantium* et *crudelitas irridentium crucifixorum.* **Conditiones aggravantes sex.**

38. (Vers. 32.). Primo igitur quantum ad *inhonestatem consortii* dicit: *Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur* [3]; alii duo scilicet, qui erant *nequam,* ut ex iniquitate illorum cum Christo interfectorum praetenderent, quod Christus ut reprobus patiebatur; sed hoc Dominus praeordinavit fieri, secundum illud Isaiae quinquagesimo tertio [4]: « Cum sceleratis reputatus est »; tum propter *exemplum humilitatis,* ratione cuius dicitur in Psalmo: « Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis »; et Isaiae quinquagesimo tertio: « Desideravimus eum novissimum virorum »; tum propter *mysterium significationis.* Nam per duos latrones secundum *allegoriam* intelliguntur populi, inter quos et pro quibus et a quibus [5] passus est, unus Iudaeorum et alter gentium, qui recte *latrones* dicuntur, quia utrique Deo per superbiam in Adam voluerunt praeripere dignitatem propriam; unde super istud ad Philippenses secundo [6]: « Non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo », dicit Glossa: « Adam et Eva voluerunt rapere Divinitatem et amiserunt felicitatem ». Et propter hoc datum fuit signum circumcisionis in remedium [7], quod esset quasi cauterium latronum; ut per illam a poena latrocinii liberemur. Sed populus Iudaicus tanquam latro sinister adhuc blasphemat, gentilis autem confitetur et orat. — Secundum Augustinum [8] autem per *duos latrones* signatur totum genus humanum in cruce tribulationis et miseriae praesentis affixum; sed altera pars a dextris, ut illi qui pro caelesti gloria, altera a sinistris, ut illi qui pro temporali gloria patiuntur. Et de hoc Ambrosius [9]: « *Exsecrabilis in facto* impietas Iudaeorum, quae quasi latronem affigit cruci omnium Redemptorem; *bonus* tamen *in mysterio* latro, qui insidiatus est diabolo, ut vasa eius auferret ». Ideo Iob quadragesimo [10]: « In oculis eius quasi hamo capiet eum »; propter quod Dominus comparat se furi supra duodecimo: « Si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset » etc.

**Inhonestas consortii.** — **atio prima.** — **Secunda.** — **Tertia.** — **Signum circumcisionis.** — **Alia expositio mystica.**

39. (Vers. 33.). Secundo quantum ad *atrocitatem supplicii* subditur: *Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariae, ibi crucifixerunt eum.* Locus iste vocatur *Calvariae,* ut dicunt quidam, quia ibi iacebat Adam, et ibi erat calvaria capitis eius; et hoc videtur dicere Ambrosius super Epistolam ad Romanos [11]. Sed hoc non dicit Ambrosius doctor, sed Ambrosius Adopertus. Nam, sicut

**Atrocitas supplicii.** — **Locus Calvariae.**

---

[1] Cfr. supra c. 22. n. 59.

[2] Vers. 38, ubi C D G omittunt *autem.*

[3] Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 23, 32: Impletur quod dictum est [Isai. 53, 12.]: *Et cum iniquis deputatus est.* In morte deputatur cum iniquis, ut in resurrectione vivificet iniquos, qui propter homines homo factus, hominibus *dedit potestatem, filios Dei fieri* [Ioan. 1, 12.].

[4] Vers. 12, ubi pro *reputatus* G *deputatus* (cfr. nota praecedens). — Duo seqq. loci sunt Ps. 21, 7. et Isai. 53, 2. seq.

[5] Vat. omittit *et a quibus.* — Ambros., X. in Luc. c. 23. n. 123: Mystice autem latrones duo duos populos peccatores significant per baptismum crucifigendos esse cum Christo etc. Cfr. etiam Hieron., II. Comment. in Habac. 3, 1.

[6] Vers. 6. — Glossa *ordinaria* in hunc locum: « *Non rapinam* etc., usurpando quod suum non esset, ut diabolus et primus homo ». Verba, quae S. Bonav. adducit, habentur in Glossa *ordinaria* (ex August.) in Ps. 68, 5; cfr. II. Sent. d. 22. a. 1. q. 2. arg. 2. ad opposit., in quo duae hae Glossae allegantur. Respicitur Gen. 3, 5: Et eritis sicut dii etc.

[7] Cfr. Gen. 17, 10. seqq. — Hieron., I. Comment. in Epist. ad Gal. 3, 7: Quia enim ex semine eius [Abrahae] erat Christus oriundus... providens Deus, ne soboles dilecti Abrahae ceteris nationibus miscerentur, et paulatim familia eius fieret incerta, gregem Israeliticum quodam circumcisionis *cauterio* denotavit, ut viventes inter Aegyptios, inter Assyrios... hoc signaculo distinguerentur. Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 7. n. 35. — Immediate post Vat. addit *et crux etiam Christi in medio latronum.* Subinde pro *latrocinii* Vat. *latronum.* — De *cauterio* illo in Christo nos liberante cfr. supra c. 2. n. 45.

[8] Serm. 218. (alias 76. de Diversis) c. 4. n. 4: Quod duo cum illo ab utroque latere crucifixi sunt ostendit, alios sibi dextros, alios sinistros esse passuros; dextros, de quibus dicitur [Matth. 5, 10.]: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam;* sinistros autem, de quibus dicitur [I. Cor. 13, 3.]: *Et si tradidero corpus meum, ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

[9] Libr. X. in Luc. 23. n. 123; sententia exhibetur verbis Glossae *ordinariae* in Luc. 23, 33. In fine respicitur Matth. 12, 29; cfr. Marc. 3, 27. — Pro *Et de hoc Ambrosius* Vat. *Et in hoc.*

[10] Vers. 19, post quem Luc. 12, 39.

[11] Ita etiam Petr. Comestor, Histor. scholastic. in Evang. c. 170. Istud Commentarium habetur inter opera Ambrosii (auctor est incertus), sed in ipso hanc opinionem non invenimus. B. Albert., in Luc. 23, 33, ait: Et quod dicit Ambrosius, quod dicitur *Calvaria* a calvaria Adam ibi sepulta, dicit Hieronymus, quod est pia quidem, sed mendosa interpretatio, quia Iosue 14. legitur, quod Adam iuxta Hebron est sepultus; et ideo dicitur, quod hoc dictum non est Ambrosii veri, sed illius Ambrosii, qui dicitur Adopertus [Autpertus ?], qui in multis dicta Ambrosii falsificavit, dicta sua stulta immiscens dictis illius sapientibus. Tamen pictores videntur hoc sentire, quia calvariam pingunt sub cruce; sed ad hoc dicit Horatius [Epist. ad Pisones, v. 9. seq.]:

Pictoribus atque poetis
Quodlibet audendi semper fuit aequa potestas.

Ambros., X. in Luc. c. 23. n. 114: « Ipse autem crucis locus vel in medio, ut conspicuus omnibus, vel supra Adae, ut

dicit Hieronymus [1], Adam sepultus est in Hebron, quemadmodum dicitur Iosue decimo quarto. Dicitur ergo *locus Calvariae*, quia ibi continebantur calvariae damnatorum, qui ibi decollabantur et suspendebantur. Erat autem hic locus extra civitatem, quia consuetudo haec inolevit ab antiquo, ut malefici extra castra occiderentur; Levitici vigesimo quarto [2]: « Educ blasphemum extra castra, et lapidet eum omnis populus ». Quod fiebat propter spectaculum, sed nunc fuit propter mysterium, ut significetur, quod his qui erant extra Ierusalem, profuit passio Christi; unde ad Hebraeos ultimo [3]: « Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est ». Fuit autem ista eductio praefigurata in eductione Abel, Genesis quarto [4]; in eductione Isaac, Genesis vigesimo secundo; in eductione Ioseph, Genesis trigesimo septimo; in egressione David de Ierusalem, secundi Regum decimo quinto. In hoc igitur loco poenarum acerbissima poena crucis crucifixus est, secundum illud Zachariae duodecimo [5]: « Aspicient ad me, quem confixerunt »; et Malachiae tertio: « Si affiget homo Deum, quia vos configitis me »? — Tunc impleta est figura de serpente suspenso in palo, Numerorum vigesimo primo [6]; tunc impletum est illud Deuteronomii vigesimo octavo: « Erit vita tua quasi pendens ante te ». Tunc impleta est prophetia David [7]: « Foderunt manus meas et pedes meos »; tunc impleta est prophetia Ieremiae undecimo: « Mittamus lignum in panem eius »; et illud Danielis nono: « Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus »; tunc et prophetia Zachariae decimo tertio [8]: « Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum »? tunc et illud Isaiae quinquagesimo tertio: « Sicut ovis ad occisionem ducetur ». Tunc impleta sunt omnia praedicta de passione Christi; unde supra decimo octavo [9]: « Consummabuntur omnia, quae scripta sunt per Prophetas de Filio hominis ».

*Figura.*

*Impleta est figura serpentis et prophetia.*

40. Haec autem erat poena latronum; ideo addit: *Et latrones, unum a dextris et alterum* [10] *a sinistris;* quod factum est non solum in *opprobrium,* verum etiam Deo disponente, in *nostrum documentum.* Nam per *duos latrones* intelliguntur *caro* et *mundus,* qui sunt crucifigendi, ad hoc quod *spiritus noster* in cruce Domino offeratur, sicut Iesus. Crucifigenda est *caro* sicut *dexter latro,* secundum illud ad Galatas quinto [11]: « Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt » etc.; *mundus* ut *latro sinister;* ad Galatas ultimo: « Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo ». Et tunc *spiritus* in medio crucifigitur cum Christo, ut dicat cum Apostolo ad Galatas secundo [12]: « Christo confixus sum cruci. Vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus ». — Est autem crux *carnis* rigor disciplinae, cuius quatuor sunt brachia, scilicet *vigilia, abstinentia, asperitas vestium* et *disciplina verberum.* — Crux autem, qua *mundus crucifigitur*, est paupertas spiritus [13], cuius quatuor sunt brachia, scilicet *contemptus gloriae, pecuniae, patriae* et *parentelae.* — Crux *spiritus* est fervor devotionis, cuius etiam quatuor sunt brachia, scilicet *spes* et *amor, timor* et *dolor: spes* sursum, *timor* deorsum, *amor* a dextris et *dolor* a sinistris. Et de his ad Ephesios tertio [14]: « In caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere » etc.

*Poena latronum.*

*Sensus mysticus.*

*De 4 brachiis crucis carnis, mundi et spiritus.*

41. (Vers. 34.). Tertio quantum ad *benignitatem Crucifixi* subiungit: *Iesus autem dicebat: Pater, dimitte eis, quia nesciunt* [15], *quid faciunt;* in quo impletur illud Isaiae quinquagesimo tertio: « Ipse peccata multorum tulit et pro transgressoribus rogavit ». Oratio autem huiusmodi fuit in remedium, quia etiam suis crucifixoribus profuit passio per

*Benignitas Crucifixi.*

---

Hebraei disputant, sepulturam. Congruebat quippe, ut ibi vitae nostrae primitiae locarentur, ubi fuerant mortis exordia ». Posteriorem explicationem insinuant etiam Origen., Comment. Series in Matth. 27, 32. n. 126; Epiphan. I. adversus Haeres. haeres. 46. n. 5; Chrysost., Homil. 85. (alias 84.) in Ioan. n. 1; Tertull., II. Carminum contra Marcionem (append. 1.) c. 4. circa finem; August., Serm. 6. (in append. alias 71. de Tempore) n. 5. — Quis fuerit sic dictus *Ambrosiaster*, non constat.

[1] Libr. IV. Comment. in Matth. 27, 33. et 38. III. Comment. in Epist. ad Eph. 5, 14. — Sequitur Iosue 14, 15: Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe; Adam maximus ibi inter Enacim situs est. Cfr. Hieron., Lib. de Situ et nominib. locor. Hebraic. de Gen. sub nomine *Arboc...* id est quatuor, eo quod ibi tres Patriarchae, Abraham, Isaac et Iacob, sepulti sunt et Adam maximus, ut in Iesu libro scriptum est; licet eum quidam positum in loco Calvariae suspicentur. Epist. 108. (alias 27.) n. 11. notat, quod « plerique *Caleb* quartum putent, cuius ex latere memoria monstratur ». In nota adiecta Maurini insinuant: Quae tamen [verba Iosue 14, 15: *Adam maximus* etc.] non Adamum protoparentem notant, sed ἁπλῶς [i. e. simpliciter] hominem (qui *Adam* Hebraice dicitur) praegrandem et celeberrimum etc. Cfr. tom. VI. pag. 495, nota 10.

[2] Vers. 14.

[3] Vers. 12. — Beda, IV. in Matth. 27, 33: Et propterea ibi crucifixus est Dominus, ut, ubi prius area damnatorum, erigerentur vexilla martyrii.

[4] Vers. 8, cui subiunguntur 22, 2; 37, 28. et II. Reg. 15, 14. Cfr. Glossa *ordinaria* in Marc. 15, 20, quae sumta est ex Comment. in Marc., quod habetur inter opera Hieron.

[5] Vers. 10. et deinde Malach. 3, 8.

[6] Vers. 8. seq. — Sequitur Deut. 28, 66, ubi C D G omittunt *quasi.*

[7] Psalm. 21, 17. — Subinde allegantur Ier. 11, 19. et Dan. 9, 26.

[8] Vers. 6, post quem Isai. 53, 7.

[9] Vers. 31.

[10] Codd. C D *alium;* ita etiam Beda.

[11] Vers. 24. et deinde 6, 14.

[12] Vers. 19. seq. Pro *Vivo autem* A C D *Vivo ego.*

[13] Cfr. Gregor., V. Moral. c. 3. n. 4; Bernard., Serm. 7. in Quadrages. n. 3.

[14] Vers. 17. seq. Cfr. August., II. de Doctr. christ. c. 41. n. 62; in Ioan. Evang. tr. 118. n. 5. et Serm. 165. (alias 7. de Verbis Apostoli) c. 4. n. 4; Bernard., Serm. in die sancto Paschae, n. 3. (cfr. infra n. 45. in fine) et Vitis mystic. (inter opera Bernardi) c. 46. n. 163.

[15] Ita etiam B. Albert. et Gorranus; Vat. cum Vulgata: *dimitte illis, non enim sciunt.* — Sequitur Isai. 53, 12, in cuius fine pro *rogavit* A C H *exoravit.*

orationem suam. Unde Actuum secundo [1] legitur, quod conversi sunt uno die tria millia, et alio quinque millia, Actuum quarto, quia, ut dicitur ad Hebraeos quinto, « exauditus est in omnibus pro sua reverentia ». Unde etiam in hoc apparuit, quod fuit pontifex pius et misericors, offerendo se et interpellando pro populi salute. Et propter hoc Lucas solus, qui specialiter agit de Christi sacerdotio, hanc orationem describit et narrat; unde Beda [2]: « Quia Lucas sacerdotium Christi describere disposuit, recte Dominus apud eum pro persecutoribus iure sacerdotis intercedit ». Et hoc praefiguratur Numerorum decimo sexto [3] in Aaron, orante pro populo insurgente contra ipsum; de quo ibidem dicitur, quod « stans Aaron inter mortuos et viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit ». Unde et Sapientiae decimo octavo [4]: « Properans homo sine querela deprecari pro populo, proferens servitutis suae scutum orationem, et per incensum deprecationem allegans, restitit irae ». Et propter hoc Christus dedit exemplum omnibus pontificibus et etiam omnibus Christianis, qui sunt « regale sacerdotium [5] », et maxime perfectis orare pro persequentibus, secundum illud Matthaei quinto: « Orate pro persequentibus et calumniantibus vos », sicut fecit Christus et protomartyr Stephanus; Actuum septimo: « Ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormivit ».

Figura.

42. Quarto quantum ad *rapacitatem militum crucifigentium* adiungitur: *Dividentes vero vestimenta eius, miserunt sortes* [6]; quod expressius dicitur Ioannis decimo nono: « Milites, cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius et fecerunt quatuor partes, unicuique militum partem, et tunicam »; et post subditur de tunica inconsutili, quod sortem miserunt, cuius esset. Hoc autem factum est, ut dicit Ioannes [7], ad complementum prophetiae; nam Propheta David in Psalmo dicit: « Diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem ». Et in hoc apparuit rapacitas militum, qui Christum pro sua rapacitate nudaverunt. Et ideo passio Christi signanter significatur per Noe, de quo Genesis nono [8] dicitur, quod « bibens vinum inebriatus est et nudatus in tabernaculo suo ». Per *divisionem* autem hanc vestium in quatuor partes intelligitur diffusio Ecclesiae in quatuor partes mundi; unde Beda [9]: « *Quadripartita vestis* signat Ecclesiam in toto orbe, qui quatuor partibus constat, diffusam. *Tunica sortita* omnium partium signat unitatem, quae caritatis vinculo continetur ». Per *missionem* autem *sortis* intelligitur collatio gratiae, quae non pro humana distributione, sed potius pro divina dispositione datur, quia, Proverbiorum decimo sexto [10], « sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur »; et Actuum primo: « Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ». « Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Mathiam ».

Rapacitas militum. Figura. Sensus mystici.

43. (Vers. 35.). Quinto quantum ad *malignitatem principum insultantium* subiungit: *Et stabat populus exspectans* [11], *et deridebant eum principes cum eis*, et sic impletum est illud Psalmi: « Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis et moverunt caput »; et Iob duodecimo: « Deridetur iusti simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes divitum », scilicet principum sacerdotum. Huius figura praecessit in Cham; Genesis nono [12]: « Cum vidisset Cham, pater Chanaan, verenda patris esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foras ». Sic et isti videntes Christi infirmitatem insultabant. — Unde et subditur: *Dicentes: Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus.* Sapientiae secundo [13]: « Tentemus quae ventura sunt illi. Si enim est verus Filius Dei, suscipiet illum et liberabit illum de manu contrariorum ». Nec solum haec dicebant, immo multipliciter insultabant; unde Matthaei vigesimo septimo [14]: « Praetereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua et dicentes: Vah! qui destruis templum Dei et in tribus diebus reaedificas; salva te ipsum ». Hoc dicebant populares, sed principes adhuc malitiosius; unde Matthaei vigesimo septimo [15]: « Alios salvos fecit, se ipsum non potest

Malignitas principum. Figura. Notandum.

[1] Vers. 41, post quem Act. 4, 4. et Hebr. 5, 7. — Superius pro *Oratio autem huiusmodi* A C H (D primitus) *Ratio autem huius.*

[2] Libr. VI. in Luc. 23, 34, ex quo est Glossa *ordinaria.*

[3] Vers. 41. seqq. et subinde v. 48.

[4] Vers. 21. Vide S. Bonav. Comment. in hunc loc.

[5] Epist. I. Petr. 2, 9. — Duo seqq. loci sunt Matth. 5, 44. et Act. 7, 60.

[6] Codd. C D G *sortem;* cfr. Matth. 27, 35. — Subinde allegantur Ioan. 19, 23. et 24: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cuius sit.

[7] Cap. 19, 24: Ut Scriptura impleretur [Ps. 21, 19.] dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi et in vestem meam miserunt sortem.

[8] Vers. 21. Cfr. August., XII. contra Faustum, c. 13, ubi huius loci eadem exhibetur expositio, scil. de passione Christi.

[9] Libr. VI. in Luc. 23, 34. Idem dicitur in Glossa *ordinaria.* Post *diffusam* Vat. cum textu originali addit *et omnibus eisdem partibus aequaliter, id est concorditer distributam.*

[10] Vers. 33, post quem Act. 1, 24. et 26. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 23, 34: In *sorte* Dei gratia commendata est. Sic quippe in uno ad omnes pervenit, cum sors omnibus placuit, quia et Dei gratia in unitate ad omnes pervenit, et cum sors mittitur, non personae cuiusquam vel meritis, sed occulto Dei iudicio creditur. — Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 19. n. 35. seq. et 43.

[11] Ita etiam alii Scholastici, Card. Hugo, B. Albert. etc.; Vulgata *spectans* (θεωρῶν). — Duo seqq. loci sunt Ps. 21, 8. et Iob 12, 4. seq.

[12] Vers. 22. — Theophylact., in Luc. 23, 32-38: Ubi enim ei [Iesu] principes subsannabant, quid non de reliquo vulgo cogitandum?

[13] Vers. 17. et 18.

[14] Vers. 39. et 40, ubi Hieron. ait: *Blasphemabant,* quia praetergrediebantur viam et in vero itinere Scripturarum ambulare nolebant. *Movebant capita sua,* quia iam antea moverant pedes et non stabant super petram.

[15] Vers. 42, in quem Hieron.: Etiam nolentes confitentur scribae et Pharisaei, quod alios salvos fecerit. Itaque vos vestra condemnat sententia; qui enim alios salvos fecit, utique, si vellet, se ipsum salvare poterat.

salvum facere; si rex Israel est, descendat nunc de cruce » etc. Super quo Bernardus[1]: « Quid tu, Iudaee, qui pridie ante crucem caput agitabas? Qui sacrum caput Christi exagitabas opprobriis, dicens: *Si Christus rex Israel est, descendat de cruce*[2]? O venenata lingua, verbum malitiae, sermo nequam! Hoc plane tuum est, magis autem eius qui *mendax est ab initio*. Quid enim consequentiae videtur habere, ut *descendat,* si rex est, et non magis *ascendat?* Immo, quia rex Israel est, titulum regni non deserat, virgam imperii non deponat, cuius nimirum *imperium super humerum eius*[3]. *Alios,* inquiunt, *salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere.* Immo, si descenderit, neminem salvum faceret; cum enim salvus esse non possit, nisi qui *perseveraverit usque in finem;* quanto minus poterit esse Salvator »?

44. (Vers. 36.). Sexto quantum ad *crudelitatem* Crudelitas illudentium. *illudentium crucifixorum* adiungit: *Illudebant autem ei et milites. Milites* quidem illudebant ante crucifixionem, secundum quod dicitur Ioannis decimo nono[4]: « Milites, plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius et veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum et dabant ei alapas ». Notandum. Ex quo apparet, quod secundum Lucam Christus ter illusus fuit, scilicet in domo pontificis, supra vigesimo secundo[5], et in praesentia Herodis, supra eodem, et nunc. In quo datur intelligi, quod ista tria genera hominum, quae specialiter Christus honoravit in terris, Christum inhonorant, scilicet pontifices, principes et milites, ita ut eis competat illud Isaiae primo[6]: « Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me ». Unde istis competit illud Isaiae quinquagesimo septimo: « Super quem lusistis et super quem dilatastis os et eiecistis linguam? Nunquid non vos filii scelesti »? Milites igitur Christum spernebant et spernendo afflictionem afflicto addebant. Offerunt acetum. — Et ideo addit: *Accedentes et acetum offerentes ei*[7]. Dicitur autem Matthaei vigesimo septimo, quod « dederunt ei bibere *vinum* cum felle mixtum », Marci decimo quinto. Et, ut dicit Augustinus[8], credibile est, quod in vinum acetosum immiserint Iudaei fel et myrrham, quae sunt amarissima. Et in hoc impletur prophetae David vaticinium[9]: « Dederunt, inquit, in escam meam fel et in siti mea potaverunt me aceto ». Et Deuteronomii trigesimo secundo de vinea conversa in amaritudinem: « Uva eorum uva fellis et botrus amarissimus. Fel draconum vinum eorum et venenum aspidum insanabile ». Et de hoc dicitur Ioannis decimo nono[10]: Notandum « Cum accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est », et quia, cum passus esset in *auditu* per contumelias, in *visu* per lacrymas, in *tactu* per plagas, non restabat, nisi ut pateretur in *gustu* et *lingua,* contra illam delectationem, quam in esu pomi habuit Adam et Eva[11]. Et quia huiusmodi tentatio per auditum introivit, ideo toties replicantur contumeliae contra Christum.

45. (Vers. 37.). Unde adiungit: *Dicentes*[12]*: Si* Figura. *tu es rex Iudaeorum, salvum te fac.* Unde et isti milites designantur per servos regis Assyriorum, qui blasphemaverunt Dominum, de quibus Isaiae trigesimo septimo[13]: « Cui exprobrasti et quem blasphemasti et super quem exaltasti vocem tuam et levasti altitudinem oculorum tuorum? Ad sanctum Israel. In manu servorum tuorum exprobrasti Domino ». Sed Exemplum patientiae perseverantiae. Dominus istis blasphemis non cessit, ut daret exemplum patientiae et perseverantiae, secundum illud Iacobi quinto[14]: « Exemplum accipite, fratres, longanimitatis, laboris et patientiae. Sufferentiam Iob audistis » etc. Unde Bernardus[15]: « Sine causa, maligne, parasti *sagittas tuas in pharetra* et discipulorum suspiria cumulas opprobriis Iudaeorum; illi quippe desperant, isti improperant. Sed Christo neutra tela nocebunt; aliud tempus elegit confortandis discipulis et aliud adversariis confutandis. Interim patientiam magis exhibet, humilitatem commendat, obedientiam implet, perficit caritatem. His nempe virtutum gemmis quatuor cornua crucis adornantur: et est supereminentior caritas, a dextris obedientia, patientia

---

[1] Serm. in die sancto Paschae, n. 1. seq. Textus originalis hinc inde plura interserit.

[2] Marc. 15, 32. Textus originalis: Quid verum hominis caput Christum exagitabas opprobriis [in nota adiecta exhibetur lectio codd. nostrorum]? *Christus,* inquit, *rex Israel descendat de cruce.* — Inferius respicitur Ioan. 8, 44: Ille homicida erat ab initio... quia mendax est etc.

[3] Isai. 9, 6: Principatus super humerum eius. — In fine allegatur Matth. 24, 13: Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

[4] Vers. 2. et 3.

[5] Vers. 63. et subinde 23, 11.

[6] Vers. 2, post quem 57, 4. Triplicem hanc illusionem refert etiam Card. Hugo (in Luc. 23, 36.) et adiungit: Et propter hanc triplicem illusionem Christo illatam triplex honor exhibetur ei in die Parasceve trina genuflexione et trina laudis decantatione. — Inferius pro *spernendo* (ita C D H) Vat. *spernandam,* et subinde D omittit *afflicto.*

[7] Codd. C D G H *ori eius* (ita etiam Gorranus); cfr. Ioan. 19, 29: Obtulerunt ori eius. — Duo inferius allegati loci sunt Matth. 27, 34. et Marc. 15, 23: Et dabant ei bibere myrrhatum vinum.

[8] Libr. III. de Consensu Evangelist. c. 11. n. 38: Hoc intelligendum est Matthaeum dixisse *cum felle mixtum;* fel quippe pro amaritudine posuit; *myrrhatum* enim vinum amarissimum est, quamquam fieri possit, ut et fel et myrrha vinum amarissimum redderent. Cfr. tom. VI. pag. 502, nota 1. — Pro *immiserint* C D H *immiserunt.*

[9] Psalm. 68, 22. et deinde Deut. 32, 32. seq.

[10] Vers. 30. Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 19. n. 57.

[11] Cfr. Gen. 3, 6. — Superius post *plagas* B addit *in odoratu per damnatorum calvarias.* — Cod. G hic prosequitur: *quia huiusmodi tentatio* etc.

[12] Vulgata *Et dicentes;* etiam Beda omittit *Et.*

[13] Vers. 23. et 24; cfr. IV. Reg. 19, 22. seq.

[14] Vers. 10. et 11. Pro *longanimitatis* Vat. cum Vulgata *exitus mali.*

[15] Serm. in die sancto Paschae, n. 2. seq. In principio respicitur Ps. 10, 3: Quoniam ecce, peccatores... paraverunt sagittas suas in pharetra.

a sinistris, radix virtutum humilitas in profundo; his ditavit tropaeum crucis consummatio dominicae passionis ».

Conditiones circumadiacentes quatuor.

46. (Vers. 38.). *Erat autem*[1] *et superscriptio* etc. Postquam descripsit aggravantia passionem Christi, hic describit *circumadiacentia*[2]. Haec autem fuerunt quatuor, scilicet *superscriptio iudicis, blasphemia latronis, confessio poenitentis* et *misericordia Salvatoris.*

Superscriptio iudicis.

Primo igitur quantum ad *superscriptionem iudicis* dicit: *Erat autem et superscriptio scripta super eum*[3] *litteris Graecis et Latinis et Hebraicis: Hic est rex Iudaeorum.* Hanc superscriptionem posuit Pilatus per modum tituli, in quo intendebat inscribere causam suae passionis; unde Marci decimo quinto[4]: « Et erat titulus causae ipsius inscriptus: Rex Iudaeorum »; in quo ostenditur causa, quare crucifixus est secundum veritatem, sed Iudaei non acceptabant; unde Ioannis decimo nono: « Hunc titulum multi Iudaeorum legerunt, et dicebant Pilato pontifices Iudaeorum: Noli scribere: Rex Iudaeorum, sed: Quia ipse dixit: Rex sum Iudaeorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi scripsi ». Ex quo apparet, quod divino nutu titulus scriptus est; unde Beda[5] dicit: « Ideo immolato titulus superpositus est, ut cunctis legere et credere volentibus pateat, quod per crucem non perdidit, sed corroboravit imperium », secundum illud Isaiae nono[6]: « Factus est principatus super humerum eius »; et in Psalmo: « Dominus regnavit » a ligno.

Notandum.

Titulus triplex.

47. Est autem titulus triplex, quidam scilicet *memorialis,* qui scribitur in tumulis mortuorum; *praeconialis,* qui in portis civitatum; et *triumphalis,* qui continet causam et ordinem triumphi et consuevit scribi in arcubus, et talis fuit iste titulus, de quo Isaiae decimo nono[7]: « Erit altare Domini in medio Aegypti, et titulus Domini iuxta terminum eius ». Hic scriptus est tribus linguis, quia, licet essent septuaginta duae, tres tamen erant eminentes; unde Glossa[8]: « Hae tres linguae prae ceteris eminebant: Hebraea propter Iudaeos in Lege gloriantes, Graeca propter Graecos sapientes, Latina propter Romanos imperantes. Ergo, velint nolint Iudaei, omne regnum mundi, omnis sapientia mundana, omnia divinae legis sacramenta testantur, quod Iesus est imperator credentium et confitentium ». Vel ideo *tribus,* propter hoc quod istae tres linguae innuunt mysterium Trinitatis. Videtur etiam firmum testimonium veritatis; unde Augustinus[9]: « Tribus linguis quasi tribus testibus titulus est approbatus, quia in *ore duorum vel trium stat omne verbum* ».

Notandum.

Aliae rationes.

Blasphemia latronis.

48. (Vers. 39.). Secundo quantum ad *blasphemiam latronis* subdit: *Unus autem de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum et nos.* — Sed contrarium huius videtur dici Marci decimo quinto[10], ubi sic ait: « Et qui cum eo crucifixi erant conviciabantur ei »; et similiter Matthaei vigesimo septimo. Sed haec contrarietas dissolvitur dupliciter: uno modo, quod verbum Matthaei et Marci intelligatur per synecdochen, ut quod est partis attribuatur toti; vel, quod ambo in principio coeperunt blasphemare, sed alter tantum perstitit[11]; et hic blasphemabat, quia non veraciter petebat salvari, sed irrisorie. Et hoc erat pessimum, quod miser et pauper irrideret pauperem afflictum; propter quod Proverbiorum vigesimo octavo[12]: « Vir pauper calumnians pauperes similis est imbri vehementi, in quo paratur fames ». Sed Dominus huic non respondet, ut formam daret patientiae; unde primae Petri secundo[13]: « Cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur »; ut etiam doceret exemplo illud Apostoli ad Romanos duodecimo: « Benedicite maledicentibus vobis, benedicite et nolite maledicere ». Hoc enim virtuosum est; unde Chrysostomus[14]: « Mirabilius est, hominem convicia passum non moveri, quam hominem vulneratum et percussum non cadere ».

Contrarietas.

Solutio duplex.

Forma patientiae.

Confessio poenitentis.

49. (Vers. 40. 41.). Tertio quantum ad *confessionem poenitentis* adiungit: *Respondens autem*

---

[1] Codd. C D G H hic et paulo inferius omittunt *autem;* cfr. supra pag. 575, nota 2.

[2] Vide supra n. 37.

[3] Codd. C D G cum Beda *super illum*, H *super ipsum;* subinde post *Hic est* A C G H (D primitus) addunt *Iesus.*

[4] Vers. 26, ubi post *inscriptus* A C D G legunt *Iesus Nazarenus, rex Iudaeorum* (Ioan. 19, 19.). — Sequitur Ioan. 19, 20-22.

[5] Libr. VI. in Luc. 23, 38. Sententia ipsius exhibetur verbis Glossae *ordinariae.*

[6] Vers. 6, cui subiungitur Ps. 95, 10.

[7] Vers. 19. — De triplici titulo cfr. Breviarium in Ps. 15, 1. (inter opera Hieron.) et tom. VI. pag. 496, nota 7. — Superius pro *arcubus* (H addit *triumphalibus)* Vat. *in aris* (Hieron., loc. cit.: tertius in victoria regis).

[8] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui quoad primam sententiae partem sequitur August., in Ioan. Evang. tr. 117. n. 4.) in Luc. 23, 38. Cfr. tom VI. pag. 496, nota 11. Pro *Graecos sapientes* Beda *gentium sapientes*, Vat. cum Glossa *gentilium sapientiam* (cfr. I. Cor. 1, 22.). Glossa *interlinearis* (ex Beda): *Erat autem et superscriptio* etc., ut omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris [Phil. 2, 11.]. De 72 linguis cfr. supra pag. 253, nota 1.

[9] Enarrat. in Ps. 55. n. 2. Allegatur Deut. 19, 15; cfr. Matth. 18, 16.

[10] Vers. 32. et deinde Matth. 27, 44.

[11] Hieron., IV. Comment. in Matth. 27, 44, utramque solutionem insinuat: Hic per tropum, qui appellatur σύλληψις, pro uno latrone uterque inducitur blasphemasse. Lucas vero asserit, quod, altero blasphemante, alter confessus sit.... Non quod discrepent Evangelia, sed quod primum uterque blasphemaverit, dehinc, sole fugiente... unus crediderit in Iesum etc. Primam solutionem exhibet August., III. de Consensu Evangelist. c. 16. n. 53; Isidor., I. Etymolog. c. 36. (alias 35.) n. 6. et Beda, VI. in Luc. 23, 40; secundam praefert Ambros., X. in Luc. c. 23. n. 122.

[12] Vers. 3. Pro *pauperes* C D H *pauperem.*

[13] Vers. 23. — Subinde allegatur Rom. 12, 14, ubi pro *maledicentibus vobis* (cfr. Luc. 6, 28.) Vat. cum Vulgata *persequentibus vos.*

[14] Homil. 87. (alias 88.) in Matth. n. 3.

*alter, increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es!* Quod dicit detestando *alienam culpam,* quod est opus vere poenitentis, secundum illud ad Ephesios quinto[1]: « Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite ». — Nec tantum alienam, verum etiam *suam;* unde addit: *Et nos quidem iuste; nam digna factis recipimus.* Et hoc est vere poenitentium, secundum illud Danielis tertio[2]: « Iustus es, Domine, in omnibus, quae fecisti nobis, et universa opera tua vera »; « peccavimus enim et inique egimus, recedentes a te ». — Nec enim recognoscit tantum culpam propriam, verum etiam *Christi innocentiam praedicat;* unde subdit: *Hic vero nihil mali gessit,* secundum illud primae Petri secundo[3]: « Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius ».

Confitetor propriam culpam.

Et Christi innocentiam.

50. (Vers. 42.). Nec enim recognoscit tantum innocentiam vitae, verum etiam *excellentiam potentiae;* et ideo subiungit: *Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei, cum[4] veneris in regnum tuum;* in quo simul confitetur Christi excellentiam regalem et petit culpae relaxationem. Sic orabat Nehemias; Nehemiae quinto[5]: « Memento mei, Deus meus, in bonum »; Psalmus: « Reminiscere miserationum tuarum, Domine » etc.; et iterum: « Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine ». — Apparet igitur, quod in latrone hoc fuit *veritas fidei* et *confessio veritatis,* reprobando malum, approbando bonum et asserendo verum; fuit etiam *supplicatio orationis.* Unde Glossa[6]: « Magna gratia in hoc latrone eminet; nullum membrum a supplicio liberum habet praeter cor et linguam; totum, quod liberum habet, offert; credit corde, confitetur ore ». Et in hoc apparet illud quod dicitur supra decimo septimo[7]: « Duo erunt in agro; unus assumetur, et alter relinquetur », secundum profunditatem divinorum iudiciorum.

Item, excellentiam potentiae.

Notandum.

51. (Vers. 43.). Quarto quantum ad *misericordiam Salvatoris* subiungit: *Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso;* in quo Christus miram ostendit misericordiam tanquam piissimus pontifex, quia poenitentiam latronis, quantumcumque seram, non refutavit et amplius, quam latro petebat, concessit. Unde Ambrosius[8]: « Pulcherrimum affectandae conversionis exemplum, quod tam cito latroni venia relaxatur, et uberior gratia quam precatio. Semper enim Dominus Deus plus tribuit, quam rogatur »; cum enim peteret veniam, obtinuit paradisum. Et attende, quod dicit: *Eris in paradiso,* non, inquam, in caelesti, in quem nullus ante Christum ascendit; sed in beata visione Dei; unde Ambrosius[9]: « Vita est esse cum Christo, quia, ubi est Christus, ibi est regnum.

Misericor[dia] Salvator[is].

52. Et nota hic, quod *paradisus* in Scriptura dicitur primo *hortus voluptatis;* Genesis secundo[10]: « Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio »; et *patria caelestis;* Apocalypsis secundo: « Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei »; et *visio speciei;* secundae ad Corinthios duodecimo: « Raptus est in paradisum et audivit ibi arcana verba » etc. — *Allegorice* dicitur *Ecclesia;* Genesis secundo[11]: « Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum ». Dicitur *Virgo beata;* Canticorum quarto[12]: « Hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuae paradisus »; *sacra Scriptura;* Ecclesiastici vigesimo quarto: « Ego sicut aquaeductus exivi de paradiso Dei ». — *Tropologice* dicitur *gratia;* Ecclesiastici quadragesimo[13]: « Gratia, sicut paradisus in benedictionibus ». Dicitur *anima timorata;* Ecclesiastici quadragesimo: « Timor Domini sicut paradisus benedictionis ». Dicitur etiam *vita religiosa;* Genesis decimo tertio: « Regio Iordanis universa irrigabatur sicut paradisus Domini ». — Dicitur ergo hic pro *beata visione Christi,* quia, ut dicitur Ioannis decimo septimo[14], « haec

Paradisi s[en]sus nove[m].

---

[1] Vers. 11. — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 25. n. 10: Alius contra proximum suum in malitia crudelitatis exarsit; aspiciat latronem, qui et in ipso mortis articulo ad vitae praemia poenitendo pervenit.

[2] Vers. 27. et 29; cfr. 9, 14. seq. — Inferius pro *Nec enim tantum* D *Nec tantum,* Vat. *Nec etiam tantum.*

[3] Vers. 22.

[4] Codd. A C D *dum;* ita etiam Gregor., XVIII. Moral. c. 40. n. 64. — Superius post *Nec* Vat. prosequitur *tantum praedicat Christi innocentiam* etc. Inferius pro *culpae relaxationem* (ita A C H) E G *misericorditer* (Vat. *misericordiae) relaxationem.*

[5] Libr. II. Esdr. 5, 19, post quem Ps. 24, 6. et 7.

[6] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Gregor., XVIII. Moral. c. 40. n. 64.) in Luc. 23, 42. In fine respicitur Rom. 10, 10: Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

[7] Vers. 35. — Inferius post *iudiciorum* B exhibet Glossam *ordinariam* (cfr. nota praecedens), secundum quam latro habuit tres virtutes theologicas.

[8] Libr. X. in Luc. c. 23. n. 121.

[9] Loc. cit. Cfr. III. Sent. d. 22. q. 6. ad 1. et IV. Sent. d. 20. p. II. dub. 2. Vide etiam III. Sent. d. 18. a. 2. q. 3, ubi ostenditur, quod Christus per suam satisfactionem meruit nobis paradisi caelestis apertionem.

[10] Vers. 8. — Duo seqq. loci sunt Apoc. 2, 7. et II. Cor. 12, 4, ubi post *paradisum* C D addunt *Dei.* — Inferius pro *visio speciei* D *visio Dei vel speciei,* Vat. *visio speciei Christi.*

[11] Vers. 10. Cfr. supra c. 13. n. 39; August., XI. de Gen. ad lit. c. 25. n. 32. et XII. c. 34. n. 65.

[12] Vers. 12. seq. Cfr. Epist. 9. ad Paulam et Eustoch. (inter opera Hieron.) de Assumt. B. M. V. c. 9. circa finem. — Subinde allegatur Eccli. 24, 41. Vide S. Bonav. in Hexaëm. collat. 17. n. 4. seqq.

[13] Vers. 17. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 40, 28. (cfr. S. Bonav., Tract. de plantatione paradisi; tom. V. pag. 574 seqq.) et Gen. 13, 10.

[14] Vers. 3. — Theophylact., in Luc. 23, 39-43, inter alias expositiones etiam hanc refert: Alii autem torquent verbum, punctum facientes post *hodie,* ut sit is sensus dicti: *Amen dico tibi hodie;* deinde: *Mecum eris in paradiso* adiicientes.

est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum ».

**De Christi morte et tumulatione dicuntur duo.**

53. *Erat autem fere hora sexta* etc. Post descriptam Christi comprehensionem, illusionem, accusationem et condemnationem et crucifixionem hic describit Evangelista eius *mortem et tumulationem*[1]; et haec habet partes duas. In quarum prima agitur de *morte;* in secunda, de *sepultura*, ibi[2]: *Et ecce, vir nomine Ioseph.*

Circa *descriptionem* autem *mortis Christi* quatuor introducuntur, scilicet *mirabilis perturbatio mundi, lacrymosa exspiratio Christi, fidelis confessio centurionis* et *tremebunda compunctio plebis.*

Mors Christi describitur per quatuor.

54. (Vers. 44. 45.). Primo igitur quantum ad *mirabilem perturbationem mundi*, quae mortem Christi antecessit, dicit: *Erat autem fere hora sexta.* — Dicitur autem Ioannis decimo nono[3], quod « erat hora sexta », quando crucifixus est Iesus; et Marci decimo quinto, quod « erat hora tertia »; et Lucas, removet istam controversiam, ostendens, quod fuit inter tertiam et sextam horam, sed plus accessit ad sextam; unde Evangelistae alii nominant extrema, et Lucas exprimit mediam horam[4]. In hac sexta hora et sexta aetate et sexta feria crucifixus est Iesus pro homine, qui fuit sexta die formatus[5]. — Post hanc sextam horam, Christo pendente in cruce et approximante ad mortem, facta est universalis commotio creaturae; unde addit: *Et tenebrae factae sunt in universam terram*[6] *usque in horam nonam, et obscuratus est sol.* Hae autem tenebrae non potuerunt esse per naturam, sicut fit eclipsis, triplici ex causa, scilicet quia luna erat quartadecima[7], et ita in perfecta distantia a sole; et quia eclipsis non aufert omnino lumen omnibus partibus terrae; et quia non potest per tres horas durare: et ideo hic triplex miraculum fuit. Et propterea refertur[8], quod beatus Dionysius, cum esset in Aegypto et videret illam obscurationem, dixit: « Aut elementa mutantur, aut Deus naturae patitur, et elementa sibi compatiuntur ». Unde et ipse dicit in Epistola contra Apollophanem[9]: « Dic, quid dicis de eclipsi, quae fuit in salutari cruce? Utrique enim simul constituti apud civitatem solis, mirabiliter vidimus lunam subeuntem soli; non enim erat tempus coniunctionis; et a nona hora usque ad vesperam lunam a diametro soli supernaturaliter oppositam »; et post: « Conscissionem ipsam ab oriente vidimus incipientem et venientem usque ad solarem terminum, deinde retrocedentem ».

Perturbatio mundi. Contrarietas solvitur. Notandum.

55. Et quia Christus non solum erat dominus *naturae*, verum etiam *legalis observantiae;* ideo addit: *Et velum templi scissum est medium;* nec tantum hoc velum, verum etiam aliae creaturae suae sibi compassae sunt; unde Matthaei vigesimo septimo[10]: « Petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt »; et hoc totum in testimonium Divinitatis Christi. Et de hoc Hieronymus[11]: « Compatiuntur elementa Conditori suo: refugit sol, quia non potuit videre mortem Christi, collaborat laboranti et blasphemantibus suae lucis beneficium retraxit; omnis creatura compatitur Christo morienti. Nam sol obscuratur, terra movetur, petrae scinduntur, velum templi dividitur, sepulcra aperiuntur, solus miser homo non compatitur, pro quo solo Christus patitur ». Attendendum autem, quod in illa *solis obscuratione* intelligitur *obcaecatio Iudaeorum*, et in *scissione veli revelatio Scripturarum*, quae facta est gentibus; unde dicitur Ioannis nono[12]: « Ego in iudicium veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant ». Vel, ad *tempus finale* potest referri, de quo in Psalmo[13]: « Posuisti tenebras, et facta est nox; in ipsa pertransibunt omnes bestiae silvae ».

Christus monstratur dominus Legis. Notandum. Aliter.

56. (Vers. 46.). Secundo quantum ad *lacrymosam exspirationem Christi* subdit: *Et clamans voce*

Exspiratio Christi.

[1] Cfr. supra c. 22. n. 59.

[2] Vers. 50.

[3] Vers. 14, post quem Marc. 15, 25. Vat. allegat etiam Matth. 27, 45.

[4] Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 19. n. 25.

[5] Cfr. Gen. 1, 26. seqq. Vide supra pag. 20, notam 10.

[6] Codd. C D G H *in universa terra;* ita etiam Beda et Card. Hugo. — Cyrill. Alexandr. in Luc. 23, 44: Ipsa quoque creatura Dominum suum deflebat, ideoque sol obtenebrabatur etc.

[7] Cfr. supra c. 22. n. 9. et Hieron., IV. Comment. in Matth. 27, 45.

[8] Vide Mich. Syngelli, Encon. in Dionys. Areopag.; P. Halloix, Vita S. Dionys. c. 1. In Breviar. Romano (9. Oct.) legitur: « Qui... exclamasse traditur: Aut Deus naturae patitur, aut mundi machina dissolvetur ».

[9] Epist. 7. (ad Polycarp.) § 2, ubi Polycarpo modum praescribit agendi cum Apollophane philosopho, qui una cum Dionysio iuxta Heliopolim (in Aegypto) prodigiosam eclipsim vidit. Versio est Scoti Erigenae (Vat. aliam horum versionem exhibet diffusiorem), in qua tamen pro *subeuntem* textus originalis *incidentem* et pro *Conscissionem ipsam* substituit *Occasum ipsum* (τὴν ἔμπτωσιν αὐτὴν), S. Thom. (Cat. aurea) *Incidentiam*, alia versio *Occursum illum.*

[10] Vers. 51. et 52.

[11] Cfr. IV. Comment. in Matth. 27, 45, ubi prima pars huius sententiae insinuatur: « Videturque mihi... luminare maius retraxisse radios suos, ne aut pendentem videret Dominum, aut impii blasphemantes sua luce fruerentur ». Glossa *interlinearis* in eundem loc.: « Compatiuntur elementa Creatori suo; *tenebrae factae sunt*, ne sol pendentem Dominum videret, vel ne impii sua fruerentur luce ». Glossa *interlinearis* in Marc. 15, 33: « *Tenebrae factae sunt* etc., sol refugit, quia non potest videre mortem Christi et collaborat laboranti, vel ne impii blasphemantes sua luce fruerentur ». De secunda parte cfr. Hieron., loc. cit. in v. 52: « Nulli dubium est, quin significet iuxta litteram magnitudo signorum, ut crucifixum Dominum suum et caelum et terra et omnia demonstrarent ». Vide in 28, 2. Cfr. August., Serm. 154. in Appendice (alias 120. de Tempore et post 45. in Appendice) n. 7. Pro *Hieronymus* A D E *Ideo* (ita etiam C primitus, sed secunda manus substituit *Hieronymus*, quem allegant etiam Card. Hugo et Gorranus). Pro *dividitur* D *scinditur*.

[12] Vers. 39. Cfr. Ambros., X. in Luc. c. 23. n. 128. et Hieron., IV. Comment. in Matth. 27, 51.

[13] Psalm. 103, 20. Cfr. Petr. Lombard., in hunc loc.

*magna, Iesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* — Sed videtur contrarietas inter Evangelistas. Nam Matthaei vigesimo septimo [1] et Marci decimo quinto dicitur, quod clamavit: « Eli, Eli »; et Ioannis decimo nono dicitur, quod clamavit: « Consummatum est ». Sed totum hoc verum est, quia ter clamavit. Et primo dixit quod dicit Matthaeus, deinde secundo, quod Ioannes, et tertio, quod Lucas [2]. — Et hoc insinuat ipse Evangelista Lucas in hoc quod subdit: *Et haec dicens exspiravit.* Ex quo apparet, quod exspiravit simul clamando et orando, ut ostenderet, quod ipse est verus pontifex noster; propter quod ad Hebraeos quinto [3]: « Qui in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum qui posset illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia ». « Et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae, appellatus a Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedech ».

Contrarietas solvitur.

Notandum.

Ideo autem simul clamans et lacrymans exspiravit, ut in *lacrymis* intelligatur vera Christi passio et humanitas; in *clamore* vero Divinitas, quia, cum nullus possit clamare per naturam, nisi qui habet sanguinem sufficientem in corde et spiritum ad respirationem, impossibile est, quod per naturam quis exspiret et clamet. Et ideo ostendit in clamore mortis se omnipotentem, et verum esse monstravit quod dixit Ioannis decimo [4]: « Potestatem habeo ponendi animam meam et potestatem habeo iterum sumendi eam ». « Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso »; et ideo Isaiae quinquagesimo tertio: « Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu eius dirigetur ».

Confessio centurionis.

57. (Vers. 47.). Tertio quantum ad *fidelem confessionem centurionis* adiungit: *Videns autem centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum dicens: Vere hic homo iustus erat.* Haec autem fidelis confessio ortum habuit ex visione mirabilium, quae facta sunt in commotione mundi et maxime in modo moriendi; unde Matthaei vigesimo septimo [5]: « Centurio autem, et qui cum eo erant, viso terraemotu et his quae fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste ». Sed Marci decimo quinto [6] dicitur, quod « videns centurio, quia sic clamans exspirasset, ait: Vere hic homo Filius Dei erat ». Lucas autem comprehendit utrumque, cum dicit: *Videns centurio quod factum fuerat.* Unde in hoc centurione apparuit promptitudo in gentibus ad fidem, et econtra in Iudaeis obduratio ad incredulitatem. Propter quod et Beda [7]: « Videns, quod ita haberet potestatem emittendi spiritum, quod non potest nisi Conditor animarum, ipse qui crucifixerat, in ipso passionis scandalo confitetur Dei Filium, quem Iudaei post miracula credere noluerunt ». Sed quia principes sacerdotum, cum haec vidissent, non glorificaverunt Deum, ideo excaecati sunt, secundum illud ad Romanos primo [8]: « Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum ».

Difficultas solvitur.

Compunctio plebis.

58. (Vers. 48.). Quarto quantum ad *tremebundam compunctionem plebis* subiungit: *Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud et videbant quae fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. Percussio* namque *pectoris* signum est poenitentiae et compunctionis, sicut supra decimo octavo [9] de publicano, qui « percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori ». Intelligitur autem per *hanc turbam* populus Iudaeorum, qui, etsi veritatem videret, ut centurio, solum pectus percussit, sed in vocem confessionis non prorupit. Unde Glossa [10]: « Videamus distantiam gentis et gentis: *gentiles,* moriente Christo, apertae confessionis voce Deum glorificant; *Iudaei,* percutientes pectora solum, silentes domum redeunt ». Unde redibant domum, quia, etsi videretur eis iniuste actum contra Christum, tamen ad eum modicum vel nullum habebant affectum.

Noti eius stabant a longe.

59. (Vers. 49.). Nec mirum, quia et *noti eius omnes* reputabant eum tanquam alienum, licet non omnino perdidissent affectum; ideo subdit: *Stabant autem omnes noti eius a longe et mulieres, quae*

---

[1] Vers. 46; Marc. 15, 34. et Ioan. 19, 30.

[2] Cfr. August., III. de Consensu Evangelist. c. 17. et 18. n. 54. et 55. Vide etiam S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 19. n. 59.

[3] Vers. 7. et 9. seq. Pro *ad eum* A C H *ad Deum.* — Superius post *quod ipse est* Vat. prosequitur *Deus verus, Pontifex noster.*

[4] Vers. 18, ubi etiam: *Nemo tollit* etc., et deinde Isai. 53, 10. Cfr. Chrysost., Homil. 88. (alias 89.) in Matth. n. 1. Ambros., X. in Luc. c. 23. n. 127; Hieron., IV. Comment. in Matth. 27, 50.

[5] Vers. 54. — Centurionem *Longinum* nominat Metaphrastes in Vita Longini (16 Mart.), quam affert etiam Surius, Vita Sanct. in 15 Mart. Vide Baronii Annal. ad annum 34. n. 131. et 191.

[6] Vers. 39. Cfr. August., III. de Consensu Evangelist. c. 20. n. 57.

[7] Libr. III. in Marc. 15, 39. et VI. in Luc. 23, 47. (sequitur Hieron., IV. in Matth. 27, 54.). Sententia Bedae exhibetur verbis Glossae *ordinariae,* quae circa finem vocibus *post miracula* interserit *tot* (ita etiam B).

[8] Vers. 21. — Ambros., X. in Luc. c. 23. n. 128: Denique iam etiam centurio Dei Filium, quem crucifixerat confitetur. O duriora saxis pectora Iudaeorum!

[9] Vers. 13. — Beda, VI. in Luc. 23, 48: Quod percutiebant pectora, quia poenitentiae est et luctus indicium, potest dupliciter intelligi: sive enim eum cuius vitam dilexerunt, iniuste occisum dolebant, seu cuius mortem se impetrasse meminerant hunc in morte amplius glorificatum tremebant.

[10] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 23, 48. Pro *gentis et gentis* secunda manus in D substituit *gentis et Iudaeorum.* Voci *gentiles* A C praefigunt *et.* — B. Albert., hic: In huius signum percussionis sacerdos, elevata aliquantulum voce, in signum clamoris Domini tundit pectus in Canone dicens: *Nobis quoque peccatoribus.* Cfr. Innocent. III., V. de Sacro Altaris mysterio, c. 15.

*secutae eum erant a Galilaea, haec videntes.* Et sic impletum est illud Psalmi[1]: « Elongasti a me amicum et proximum et notos meos a miseria »; Iob decimo nono: « Fratres meos longe fecisti a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me ». Et ratio huius erat, quia iam pauperrimus erat et despectus et interfectus; Proverbiorum decimo nono[2]: « Fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper et amici eius procul recesserunt ab eo ». Verumtamen Virgo gloriosa et Domina nostra sancta Maria non fuit elongata, nec *affectu* nec *situ*. Nam dicitur Ioannis decimo nono[3]: « Stabant autem iuxta crucem Iesu Mater eius et soror Matris eius »; et propinquissima fuit *affectu;* unde supra secundo: « Tuam ipsius animam pertransibit gladius ». Unde quem in nativitate cum gaudio peperit in passione cum doloribus parturivit.

60. (Vers. 50.). *Et ecce, vir nomine Ioseph* etc. **Tumulatio Christi describitur quoad quatuor.** Postquam Evangelista descripsit Christi comprehensionem, illusionem, accusationem, condemnationem, crucifixionem et mortem, hic tandem describit eius *tumulationem*[4]. Circa cuius descriptionem quatuor introducuntur, scilicet *dignitas sepelientis, honorificentia sepulturae, opportunitas temporis* et *reverentia mulierum* in tumulatione.

Primo igitur quantum ad *dignitatem sepelientis* **Dignitas sepelientis.** dicit: *Et ecce, vir.* Demonstrat eum tanquam dignum et idoneum ad Christum sepeliendum; propter quod **Nomen.** describit ipsum *ex nomine*, cum dicit: *Nomine Ioseph;* ut, sicut Ioseph Christum nutrierat, sicut dicitur Matthaei primo[5]: « Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam, coniugem tuam » etc.; et iterum secundo: « Tolle puerum et Matrem eius »; sic alter Ioseph sepeliret eum et tanquam granum frumenti in suo horreo collocaret, sicut ille Ioseph, qui reservavit frumenta populis in Aegypto, Genesis **Dignitas.** quadragesimo primo[6]. — Describit eum etiam *ex dignitate,* dicens: *Qui erat decurio;* Glossa[7]: « *Decurio* est, qui de ordine curiae est et officium curiae administrat ». Vel *decurio* dicitur qui decem praeerat, sicut centurio, qui erat super centum, secundum illud Exodi decimo octavo[8]: « Dixit Iethro ad Moysen: Elige tibi viros, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam; et constitue ex eis tribunos et centuriones et quinquagenarios et decanos, qui iudicent populum ». — Et describitur etiam *a vita,* cum **Vita.** addit: *Vir bonus et iustus; bonus* interius, et *iustus* exterius, secundum illud Matthaei duodecimo[9]: « Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona ».

61. (Vers. 51.). Describit *a voluntate,* cum **Voluntas.** subdit: *Hic non consenserat consilio et actibus eorum;* unde sibi competit bene illud Psalmi[10]: « Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum » etc.; et Hieronymus dicit, quod aliqui dixerunt, quod ille Psalmus per appropriationem quandam de isto Ioseph debet intelligi. — Describit eum *a patria,* cum dicit: **Patria.** *Ab Arimathaea, civitate Iudaeae;* hoc est idem quod Ramatha, quae fuit civitas Samuelis, secundum quod dicitur primi Regum primo[11]: « Fuit vir unus de Ramathaim Sophim »; unde Glossa: « Ipsa est Ramatha, civitas Helcanae et Samuelis ». — Describit eum *a* **Fidei religio.** *fidei religione,* cum addit: *Qui exspectabat et ipse regnum Dei,* sicut dicitur de Simeone supra secundo[12], quod « erat exspectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo ».

62. (Vers. 52.). Describit eum *a constantia,* **Constantia.** cum subdit: *Hic accessit ad Pilatum et petiit corpus Iesu;* et hoc quidem fecit cum magna constantia, non veritus nec ferocitatem gentilium nec malignitatem principum sacerdotum, quoniam, Marci decimo quinto[13], « hic audacter intravit ad Pilatum et petiit corpus Iesu ». Unde Ioseph, qui se prius occultaverat, sicut dicitur Ioannis decimo nono, quod « erat discipulus Iesu, occultus propter metum Iudaeorum »; hic iam patefecit se ipsum. In quo datur intelligi, quod discipuli veritatis in articulo necessitatis debent manifestari; nam dicitur supra nono[14]: « Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua et Patris » etc.

---

[1] Psalm. 87, 19, post quem Iob 19, 13, ubi pro *fecisti* Vat. cum Vulgata *fecit*. Vide Gregor., XIV. Moral. c. 39-49. n. 47-57.

[2] Vers. 7.

[3] Vers. 25, cui subiungitur Luc. 2, 35. Damascen., IV. de Fide orthod. c. 14. in fine: Verum beata haec... quos in partu dolores effugerat passionis tempore sustinuit. Cfr. III. Sent. d. 3. p. I. a. 2. q. 3. arg. 1. ad opposit. et ad 2. — Inferius post *cum doloribus* Vat. addit *ingentibus*.

[4] Cfr. supra n. 53.

[5] Vers. 20. et deinde 2, 20.

[6] Vers. 35.

[7] Scilicet *interlinearis* (ex Beda).

[8] Vers. 21. seq. Cfr. supra c. 7. n. 3.

[9] Vers. 35.

[10] Psalm. 1, 1. — Hieron., IV. Comment. in Matth. 27, 57. seq.: In alio Evangelista [Marc. 15, 43. et Luc. 23, 50: βουλευτὴς ὑπάρχων] Ioseph iste βουλευτής appellatur, id est *consiliarius*, et de ipso quidam putant primum Psalmum esse compositum: *Beatus vir* etc.

[11] Vers. 1. — Glossa seq. est *interlinearis* (ex Beda). Hieron., de Situ et nominib. locor. Hebraic., de Regnorum libr.: « *Armathem Sophim,* civitas Helcanae et Samuelis (in regione Thamnitica), iuxta Diospolim, unde fuit Ioseph, qui in Evangeliis de *Arimathia* scribitur ». Vat. *Ramathaim,* sed codd. cum Glossa *Ramatha.* Cfr. tom. VI. pag. 502, nota 8. — Superius vocibus *civitas Samuelis* C D H interserunt *sancti.*

[12] Vers. 25.

[13] Vers. 43. — Sequitur Ioan. 19, 38. Ambros., X. in Luc. c. 23. n. 138: De hoc Ioseph in Ioanne solo invenio, quod occultus venerit ad Pilatum propter metum Iudaeorum. Quomodo iustus latebram periculi timore quaesivit? Ego autem puto, quod ideo occulte petierit, ut corpus impetraret, non ut periculum caveret... Veni et tu; vel sero, vel nocte, vel quacumque hora veneris, invenies Iesum ad suscipiendum paratum etc. Vide S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 19. n. 66. seq.

[14] Vers. 26. Cfr. Chrysost., Homil. 88. (alias 89.) in Matth. n. 2, et Glossa *ordinaria* in Matth. 27, 57, ubi fortitudo Ioseph laudatur. — Pro *in articulo* A C D *in occulto tempore.*

Expositio moralis per singula.

63. *Moraliter* autem per *hunc Ioseph* intelligitur praelatus, qui eripit Christum de manu Pilati, id est de manu tyrannorum; qui debet esse *vir* non tantum sexu, sed aetate et virilitate, quia Ecclesiastici septimo[1] dicitur: « Noli quaerere fieri iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates ». Debet esse *Ioseph,* scilicet suum et aliorum profectum requirens, secundum illud Genesis quadragesimo nono[2]: « Filius accrescens Ioseph, filius accrescens ». Debet esse *decurio nobilis,* id est nobiliter tractans negotia curiae Christi, secundum illud primae ad Corinthios quarto[3]: « Sic nos aestimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei »; unde secundae ad Timotheum secundo dixit Apostolus praelato: « Labora sicut bonus miles Christi ». Et talis est *nobilis,* secundum illud Proverbiorum ultimo: « Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terrae ». Debet esse *vir bonus et iustus,* sicut Iob; Iob primo[4]: « Erat vir ille simplex et rectus » etc. Debet esse *dissentiens a malo consilio,* secundum illud Ecclesiastici trigesimo septimo: « A consiliario malo serva animam tuam »; quia, ad Romanos primo, « non solum qui talia agunt digni sunt morte, sed etiam qui consentiunt facientibus ». Debet esse *ab Arimathaea,* quae interpretatur vigilia donationis[5], ut vigilet circa gregem sibi commissum; Proverbiorum vigesimo septimo: « Diligenter agnosce vultum pecoris tui » etc.; et ideo supra secundo dicitur, quod « pastores erant vigilantes et custodientes vigilias noctis » etc. Debet esse *exspectans regnum Dei,* secundum illud Iacobi quinto[6]: « Ecce, agricola exspectat pretiosum fructum terrae, patienter ferens, donec accipiat temporaneum et serotinum ». — Talis igitur praelatus, in quo est virilitas, studiositas, nobilitas morum, iustitia, innocentia, vigilantia et confidentia, idoneus est, ut Christum in membris suis crucifixum suscipiat et collocet in locum quietis et ecclesiasticae unitatis.

Notandum.

Honorificentia sepulturae.

64. (Vers. 53.). Secundo quantum ad *honorificentiam sepulturae* subdit: *Et depositum involvit in sindone munda*[7]; hoc enim convenientissimum erat mundissimae carni Christi. Unde institutum est in Ecclesia, ut *corporalia* sint de simplici tela linea et munda, non tincta nec variis coloribus rubricata[8]. Sicut enim *ara* gerit figuram crucis, et *calix* tumuli, et *patena* lapidis suprapositi, sic *corporale* gerit figuram sindonis. Unde versus[9]:

> Ara crucis, tumulique calix, lapidisque patena,
> Sindonis officium candida byssus habet.

Figurae.

Et ideo in huius figuram dicitur Proverbiorum ultimo[10]: « Sindonem fecit et vendidit et cingulum tradidit Chananaeo ». In huius etiam figuram dicitur Ezechielis nono, quod « vir, qui erat in medio sex virorum, vestitus erat lineis »; et hoc in signum innocentiae, ratione cuius agno immaculato et albissimo comparatur; propter quod etiam sponsa eius debet vestiri puritate innocentiali; Apocalypsis decimo nono[11]: « Venerunt nuptiae Agni, et uxor eius praeparavit se. Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti et candido. Byssinum enim iustificationes sunt Sanctorum ».

Monumentum novum.

65. Sed quia haec munditia fuit perfectissime in solo Christo, qui solus fuit « inter mortuos liber[12] », ideo solus sepultus est intra novum monumentum; et propterea subdit: *Et posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat*[13]. Beda: « Solus Dominus in tumulo includitur, ut sepultura illius et resurrectio a nostrae fragilitate naturae dissimilis monstretur ». Unde Isaiae undecimo[14]: « Ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum eius gloriosum ». Tunc verificatum est illud Threnorum tertio: « Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me ». Ideo autem positus fuit in monumento exciso, quia sic conveniebat fieri de Christo, qui erat « lapis excisus de monte sine manibus », Danielis secundo[15]. Hoc etiam factum est, ne quis posset dicere, quod suffossum esset monumentum; propter quod et in resurrectionis verae argumentum custodes deputati sunt[16]. « Erat autem monumentum, ut dicunt expositores[17], quasi quaedam domus rotunda in rupe excisa, tantae altitudinis, ut

---

[1] Vers. 6, ubi A D omittunt *quaerere.*

[2] Vers. 22. Hieron., de Nominib. Hebraic., de Gen.: *Ioseph,* augmentum.

[3] Vers. 1. — Duo seqq. loci sunt II. Tim. 2, 3. et Prov. 31, 23.

[4] Vers. 1. — Subinde allegantur Eccli. 37, 9. et Rom. 1, 32.

[5] Ita etiam Card. Hugo et B. Albert.; Hieron., de Nominib. Hebraic., de Marco: « *Arimathaeus,* altitudo eius, vel exaltatus est ipse ». In Comment. in Marc. 15. (inter op. Hieron.) circa finem: Ioseph venit sero parasceve ab Arimathia, quae interpretatur *deponens,* ad deponendum corpus in monumentum. — Sequuntur Prov. 27, 23. et Luc. 2, 8.

[6] Vers. 7.

[7] Ita etiam B. Albert. et Gorranus; cfr. Matth. 27, 59; Vat. cum Vulgata *involvit sindone.*

[8] Idem insinuat Glossa *ordinaria* (ex Beda, IV. in Marc. 15, 46, ubi sequitur Hieron., IV. Comment. in Matth. 27, 59.) in Luc. 23, 53.

[9] Quos etiam Card. Hugo affert.

[10] Vers. 24, cui subnectitur Ezech. 9, 2.

[11] Vers. 7. et 8.

[12] Ut dicitur Ps. 87, 6, quem Petr. Lombard. secundum August. sic exponit: Id est inter peccatores solus sine peccato, qui potest animam ponere et resumere [Ioan. 10, 18.].

[13] Codd. C D *erat* (ita etiam B. Albert.); cfr. Ioan. 19, 41; H *fuit.* — Sententia Bedae habetur VI. in Luc. 23, 53, ubi etiam Glossa *ordinaria* ipsam affert.

[14] Vers. 10. — Sequitur Thren. 3, 53.

[15] Vers. 34. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 23, 53: *In quo nondum* etc., si in monumento, ubi alius positus fuisset, poneretur, alius resurrexisse fingeretur. In petra *exciso,* ne si ex multis lapidibus aedificatum esset, fossis tumuli fundamentis, furto ablatus diceretur. Cfr. tom. VI. pag. 503, nota 4. et Hieron., IV. Comment. in Matth. 27, 60. et 64.

[16] Cfr. Matth. 27, 64. seqq. et 28, 11. seqq. — Superius post *monumentum* B addit *et corpus ablatum.*

[17] Qui sequuntur Bedam, IV. in Marc. 15, 46: De monumento Domini ferunt, qui nostra aetate de Ierosolymis in Britanniam venere, quod domus fuerit rotunda etc.

homo extenta manu vix tangeret culmen, habens introitum ab oriente. Locus autem corporis sepulti erat ab aquilone de ipsa rupe septem pedes habens longitudinis, tribus palmis a terra eminens, a parte meridiana omnino patens, unde corpus inferebatur ».

Notandum. Talis autem dispositio optime congruebat Christi sepulcro, cuius ortus et occasus, somnus et resurrectio tanquam sol iustitiae totum perlustravit mundum, secundum illud Ecclesiastae primo[1]: « Oritur sol et occidit »; et post: « gyrat per meridiem et flectitur ad aquilonem »; ut sic virtute Christi resurgentis « a quatuor ventis veniat spiritus et insufflet super interfectos suscitandos ». Unde dicitur Isaiae quadragesimo tertio: « Ab oriente adducam semen tuum et ab occidente congregabo te; dicam aquiloni: Da; et austro: Noli prohibere ».

66. (Vers. 54.). Tertio quantum ad *opportunitatem temporis* dicit: *Et dies erat parasceves, et Sabbatum illucescebat.* — Opportunitas temporis. — *Dies parasceves* est dies veneris, qui ideo dicitur *parasceve,* quod interpretatur praeparatio, quia in ea praeparabantur quae necessaria erant ad Sabbatum[2]; et ita erat sexta feria, in qua Dominus passus fuit in media die, sed sepultus fuit in sero, hoc est in vespera Sabbati, quia, sicut sextus dies conveniebat Christi morti et crucifixioni, sic septimus conveniebat sepulturae et Christi quieti. Unde Beda[3]: « Sexta die factus est homo, septima quievit Deus; sexta ergo die crucifixus reparationis implet arcanum, Sabbato quiescens in sepulcro resurrectionis exspectat eventum ». Figura. Ideo in figuram huius dicitur Genesis secundo[4]: « Requievit Deus die septimo ab omni opere, quod patrarat. Et benedixit diei septimo et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo ».

67. Et propter hoc sanctus Lucas, determinans tempus sepulturae Christi, non tacuit, sed expressit *de Sabbato* et propter mysterium *allegoriae,* ut tactum est, et propter mysterium *tropologiae,* quia in hoc significatur, quod homo per sex aetates cum Christo debeat tribulari et crucifigi, ut in morte sua habeat sabbatismum, secundum illud Iob quinto[5]: — Sensus mysticus. — « In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum »; quia, Apocalypsis decimo quarto, « beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis ». Et ideo signanter dicit, quod *Sabbatum illucescebat,* cum nox inciperet, quia nox illa terminabatur in lucem; sic et mors iustorum in lucem terminatur et vitam, ut homo possit dicere illud Psalmi[6]: « Et nox illuminatio mea in deliciis meis; quia tenebrae non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur ».

68. Hoc etiam dixit ad certitudinem veritatis historiae, ut ex hoc appareat, quod *parasceve* dicitur non respectu primae diei azymorum, sicut dicunt Graeci[7], sed respectu Sabbati. — De parasceve contra Graecos. — Nam quamvis primus dies azymorum esset celeberrimus, licebat tamen in eo victualia praeparare, sed non in Sabbato, et maxime in magno Sabbato, quod tunc dies erat azymorum. Unde Ioannis decimo nono[8] dicitur: « Erat enim magnus dies ille Sabbati »; *magnus* quidem erat, quia Sabbatum; *maior,* quia Sabbatum paschale; *maximus,* quia tunc facta est impletio figurae per veritatem. — Notandum. — Et tunc cessavit Sabbatum, cum fuit impletum, et dies dominicus successit celebrandus, quia, iam habentes veritatem diei septimae per Christi quietem, exspectamus resurrectionem et glorificationem octavae, quae iam in capite nostro inchoata est et consummabitur in nobis in generali resurrectione[9].

69. Et attendendum, quod *Sabbatum* secundum *litteram* dicebatur dies septima; Exodi vigesimo[10]: — De Sabbato. — « Septimo die Sabbatum Domini est ». Et hoc cessat; Osee secundo: « Cessare faciam omne gaudium eius, solemnitatem eius neomeniam eius et Sabbatum eius ». — Secundum *allegoriam* dicitur *quies Christi in sepulcro,* per quam facta est liberatio animarum; propter quod supra decimo tertio[11]: — Allegorice dicitur dupliciter. — « Hanc autem filiam Abrahae, quam alligavit satanas, ecce, iam decem et octo annis, nonne oportuit solvi a vinculo die Sabbati »? Dicitur *quies animarum sanctarum;* ad Hebraeos quarto: « Relinquitur sabbatismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem eius, et ipse requievit ab operibus suis ». — Secundum *tropologiam* autem dicitur *quies a perpetratione peccati;* — Item, tropologice tripliciter. — Ieremiae decimo septimo[12]: « Nolite portare pondera in die Sabbati ». Dicitur *quies contemplationis,* secundum illud Ezechielis quadragesimo sexto[13]: « Porta atrii interioris, quae respicit ad orientem, erit clausa sex diebus, in quibus opus fit; die autem Sabbati

---

[1] Vers. 5. et 6; respicitur Ezech. 37, 9; sequitur Isai. 43, 5. 6.

[2] Cfr. Beda, VI. in Luc. 23, 54.

[3] Loc. in praecedente nota cit.; sententia eius exhibetur verbis Glossae *ordinariae* in Luc. 23, 54. Pro *reparationis* (ita etiam Beda) D *reparatoris.* Cfr. supra pag. 20, nota 10.

[4] Vers. 2. et 3.

[5] Vers. 19. et deinde Apoc. 14, 13. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 23, 54: Sic nos in sexta mundi aetate debemus pati pro Domino, in septima, id est, quando morimur, corpus in tumulo, anima cum Domino post opera manet in quiete, donec in octava resurgant corpora. Cfr. supra pag. 55, nota 8. et pag. 230, nota 8. — Superius Vat. omittit *et propter mysterium allegoriae, ut tactum est* (n. 66.).

[6] Psalm. 138, 11. et 12.

[7] Cfr. supra c. 22. n. 10.

[8] Vers. 31. — Vide infra n. 71. et IV. Sent. d. 11. p. II. a. 2. q. 1. ad 3. et 4. — Superius pro *in magno Sabbato* Vat. *in maximo Sabbato,* et *quia tunc* pro *quod tunc.*

[9] Cfr. III. Sent. d. 37. dub. 3.

[10] Vers. 10. — Sequitur Osee 2, 11.

[11] Vers. 16. — Subinde allegatur Hebr. 4, 9. seq.

[12] Vers. 21, in quem Hieron.: Custodit animam suam qui non portat pondera *peccatorum* in die quietis et Sabbati etc. Cfr. tom. III. pag. 832, nota 3.

[13] Vers. 1. Cfr. supra c. 9. n. 47. seq. et Gilleberti abbatis Serm. 11. in Cant. (inter opera Bernard.) n. 1. seqq.

aperietur »; quia contemplantibus aperitur lux veritatis. Dicitur etiam *status religionis* seu observantia evangelicae perfectionis; Isaiae quinquagesimo octavo [1]: « Si averteris a Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, vocaberis Sabbatum delicatum et sanctum donum gloriosum ». — Secundum *anagogiam* autem dicitur Sabbatum *quies aeternae iucunditatis;* Isaiae ultimo [2]: « Erit Sabbatum ex Sabbato ». — Sic septimus dies Sabbati secundum quadriformem faciem rotae, id est intelligentiam Scripturae [3], septiformem habet acceptionem, ut dicatur Sabbatum *corporalis quies, quies Christi, requies animarum, cessatio a perpetratione peccati, otium contemplationis, status religionis* et *pax sempiternae felicitatis.*

**Anagogice.**

**Septiformiter accipitur.**

70. (Vers. 55.). Quarto quantum ad *reverentiam mulierum in subsecutione* subiungit: *Subsecutae autem mulieres, quae cum ipso* [4] *venerant de Galilaea, viderunt monumentum.* Hoc autem faciebant ex pietatis affectu; unde Glossa [5]: « Aliis notis Iesu post depositum corpus recedentibus, solae mulieres, quae arctius amabant, officium funeris inspiciebant »; et haec faciebant, ut lugerent mortuum, quem prius dilexerant moriturum. Et hoc pietatis est et religionis, secundum illud Ecclesiastici trigesimo octavo [6]: « Fili, in mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus, incipe plorare et secundum iudicium contege corpus illius et non despicias sepulturam illius ». « Et fac luctum secundum meritum eius ». — Ideo hae mulieres piae non solum aspiciebant sepulturam, verum etiam corpus sepultum; et ideo addit: *Et quemadmodum positum erat corpus eius,* scilicet viderunt, et hoc ad impendendum humanitatis beneficium [7].

**Reverentia mulierum.**

71. (Vers. 56.). Propter quod adiungit: *Et revertentes paraverunt aromata et unguenta;* hoc enim licebat in die parasceves, sed in Sabbato minime. — Et ideo subiungit: *Et Sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.* Nam Levitici vigesimo tertio [8]: « Sex diebus facietis opus; dies septimus, quia Sabbati requies est, vocabitur sanctus ». — Sed videtur contrarietas inter Evangelistas; nam Marci decimo sexto [9] dicitur, quod, « cum transiisset Sabbatum, Maria Magdalene et Maria Iacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum »; similiter et Matthaei vigesimo octavo. — Sed ad hoc respondet Hieronymus [10] dicens: « Mulieres, sepulto Domino, revertentes domum, quamdiu licuit, paraverunt aromata et unguenta, scilicet usque ad solis occasum, et postea toto Sabbato siluerunt usque ad alium solis occasum; et tunc, recuperata licentia operandi, iterum emerunt alia aromata, quia non sufficiebant illa quae paraverant, et tota nocte illa inter Sabbatum et dominicam paraverunt, ut venientes diluculo ad sepulcrum ungerent corpus Iesu ».

**Ipsae parant necessaria.**

**Contrarietas Evangelistarum.**

**Solutio.**

72. *Moraliter* per *istas tres mulieres* secundum *Gregorium* [11] significantur animae fideles, quae Domino debent offerre tria unguenta sive aromata, id est *odorem virtutum, opinionem bonorum operum* et *suavitatem sanctarum orationum,* de quibus Canticorum quarto: « Surge aquilo, et veni auster, perfla hortum meum, et fluent aromata illius ». — Secundum autem *Bernardum* [12] per *istas tres mulieres* significantur in unoquoque homine *mens, lingua* et *manus*, quarum quaelibet habet unguenta sua valde pretiosa; unguenta siquidem *mentis* sunt *contritio, compassio* et *devotio.* Unguentum *contritionis* conficitur ex speciebus *vilissimis,* id est propriis peccatis, quae crescunt in horto nostro. Unguentum *compassionis* conficitur ex speciebus *amarissimis,* id est omnibus miseriis proximorum, quae crescunt in horto vicino. Unguentum *devotionis* conficitur ex speciebus *pretiosissimis,* id est omnibus Christi beneficiis, quae crescunt in horto dominico; Ecclesiastici trigesimo octavo [13]: « Unguentarius faciet pigmenta suavitatis et unctiones conficiet sanitatis ». — Unguenta *linguae* sunt *oratio devota, confessio integra* et *praedicatio vera.* Herbae, quibus conficitur

**Moralis expositio Gregorii.**

**Item, Bernardi de tribus mulieribus.**

**Tria unguenta mentis.**

**Item, linguae.**

[1] Vers. 13, ubi Hieron. ait: Ad hoc Sabbatum omni festivitate celebrandum Salvator nos provocat in Evangelio [Matth. 11, 28.] dicens: *Venite ad me, omnes* etc. — Supra A C D non male omittunt *quia contemplantibus aperitur.*

[2] Vers. 23. Cfr. August., XXII. de Civ. Dei, c. 30. n. 4. seq. et Tractat. de Caritate (inter opera Bernardi) c. 14. n. 50.

[3] Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 6. n. 2, explicans verba Ezech. 1, 15: *Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram,* ait: Quid autem *rota* nisi sacram Scripturam signat, quae ex omni parte ad auditorum mentes volvitur et nullo erroris angulo a praedicationis suae via retinetur? Ibid. n. 12. *quatuor facies* huius rotae (quae secundum S. Bonav. quadruplicem sensum Scripturae designant) ita explicantur, ut vel quatuor partes Scripturae (Lex, Prophetae, Evangelia et Actus Apostolorum) vel mundi partes, quibus Scriptura sacra innotuit, designentur per ipsas.

[4] Ita etiam Beda et alii Scholastici, Card. Hugo, B. Albert. etc.; Vat. cum Vulgata *cum eo.*

[5] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 23, 55. — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 21. n. 2: Ei quem viventem dilexerant, etiam mortuo studio humanitatis obsequuntur.

[6] Vers. 16. et 18.

[7] Glossa *ordinaria* (ex Beda; cfr. Hieron., IV. Comment. in Matth. 27, 61. seqq.) in Luc. 23, 55: Inspiciebant, ut congruo tempore munus devotionis suae offerrent, exspectantes quod Iesus promiserat, et ideo primae viderunt.

[8] Vers. 3. Cfr. supra n. 68.

[9] Vers. 1. et deinde Matth. 28, 1.

[10] Vel potius *Beda*, VI. in Luc. 23, 56; idem dicit IV. in Matth. 28, 1. et Marc. 16, 1; iisdem locis Glossa *ordinaria* eandem sententiam exhibet. Beda allegatur etiam a Card. Hug. et Gorrano. Error fortasse irrepsit ex eo, quod Glossa *ordinaria* in Matth. 28, 1. huic sententiae praemisit aliam sub nomine *Hieronymi* (IV. Comment. in Matth. 28, 1.), scil. quod non sit contrarietas in Evangeliis, quia mulieres diversis vicibus sepulcrum visitaverunt.

[11] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 21. n. 2. et V. in I. Reg. c. 4. n. 68; cfr. Beda, VI. in Luc. 24, 1. — Subinde allegatur Cant. 4, 16.

[12] Serm. 58. de Diversis (alias 15. ex Parvis) n. 1. Cfr. supra pag. 185, nota 1. in fine.

[13] Vers. 7.

*primum* unguentum, sunt *recta intentio, firma attentio* et *pia affectio.* Herbae, quibus conficitur *secundum* unguentum, sunt *pudor commissi, dolor amissi* et *timor iudicii* [1]. Herbae, quibus conficitur *tertium* unguentum, sunt *fidei instructio, morum informatio, vitiorum increpatio.* De his unguentis dicitur Proverbiorum vigesimo septimo [2]: « Unguento et variis odoribus delectatur cor, et bonis amici consiliis anima dulcoratur ». — Unguenta tertiae mulieris, scilicet *manus,* sunt *septem opera misericordiae* [3], scilicet hospitari peregrinos, potare sitibundos, cibare famelicos, redimere captivos, vestire nudos, visitare infirmos et sepelire mortuos; de quibus unguentis Genesis ultimo [4]: « Praecepit Ioseph servis suis medicis, ut aromatibus condirent patrem suum » etc.; et de dictis unguentis potest intelligi illud Canticorum primo: « Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis ». Nam unguenta primae mulieris *bona,* secundae *meliora,* sed tertiae mulieris sunt *optima.*

Item, manus.

## Capitulum XXIV.

### Pars IV. De resurrectionis tropaeo agitur quadrupliciter.

1. *Una autem Sabbati valde diluculo* etc. Postquam Evangelista egit de Christi incarnatione, praedicatione et passione, hic quarto [5] agit de *resurrectione.* Dividitur autem pars ista in quatuor. In quarum prima agitur de *revelatione resurrectionis;* in secunda, de *apparitione resurgentis,* ibi [6]: *Ecce, duo ex illis;* in tertia, de *certitudine apparitionis,* ibi: *Et surgentes eadem hora;* in quarta, de *divulgatione certitudinis veritatis,* ibi: *Vos autem estis testes horum* etc.

Divisio.

*Primo, de revelatione resurrectionis tripliciter.*

Circa *revelationem resurrectionis* explicandam tria introducuntur ab Evangelista, scilicet *revelationis occasio,* de qua agitur primo; *revelationis certitudo,* de qua secundo, ibi [7]: *Et factum est, dum mente consternatae;* et *revelationis manifestatio,* de qua tertio, ibi: *Et regressae a monumento, nuntiaverunt haec.*

Subdivisio.

Occasio revelationis describitur quoad duo.

*Occasio* autem, ut Christi resurrectio revelaretur, fuit adventus mulierum ad Christum ungendum; circa quod duo tanguntur, scilicet *modus veniendi ad sepulcrum dominicum* et *modus inveniendi sepulcrum vacuum.*

Tertia divisio.

2. (Vers. 1.). Primo igitur quantum ad *modum veniendi ad monumentum* dicit: *Una autem Sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes quae paraverant* [8] *aromata,* scilicet mulieres. Et attendendum, quod *Sabbatum* dicitur tota illa septimana sabbatizalis, quia septem diebus erat feriandum; Levitici vigesimo tertio [9]: « Septem diebus azyma comedetis », et « offeretis sacrificium in igne Domino septem diebus ». Et ideo tota illa septimana dicebatur *Sabbatum,* in cuius prima die, id est dominica die, summo mane venerunt ad monumentum, quia decebat, quod illo die, quo primo facta erat lux [10], resurgeret Christus de tenebris mortis et inferni ad lucem vitae. Et ideo dies ista vocatur *una,* quia principium est spiritualium illuminationum sicut unitas numerorum; et ideo Genesis primo [11]: « Factum est vespere et mane, dies unus ». In hoc igitur die decuit Christum a mortuis resurgere; et in *die* concordant quidem omnes Evangelistae, sed in *hora* temporis videntur dissentire.

Modus veniendi ad sepulcrum.

Notandum.

3. Nam Matthaei vigesimo octavo [12] dicitur: « Vespere autem Sabbati, quae lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene videre sepulcrum »; Marci vero decimo sexto dicitur, quod « venerunt, orto iam sole »; sed Ioannis vigesimo dicitur, quod « Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebrae essent, ad monumentum ». — Sed in hoc non est controversia, quia, licet diversis verbis exprimant, tamen omnes volunt dicere, quod in *principio diei* venerunt, scilicet quando sol incipiebat super nostrum

Contrarietas Evangelistarum.

Solutio.

---

[1] Cfr. supra pag. 183, nota 6.
[2] Vers. 9, ubi C D G *et in bonis... dulcorabitur.*
[3] De quibus cfr. IV. Sent. d. 15. p. II. dub. 2.
[4] Vers. 2. — Sequitur Cant. 1, 1. seq. Cfr. Card. Hugo, qui etiam hanc duplicem moralem expositionem secundum Gregor. et Bernard. exhibet.
[5] Cfr. supra Prooem. n. 23. et c. 1. n. 7.
[6] Vers. 13: *Et ecce* etc.; tertia pars incipit v. 33, pro quo Vat. perperam v. 45: *Tunc aperuit* etc.; quarta v. 48.
[7] Vers. 4; tertium habetur v. 9.
[8] Ita etiam Beda, Card. Hugo et B. Albert.; aliquae edd. Vulgatae *paraverunt.*
[9] Vers. 6. et 8. Theophylact., In Luc. 24, 1-12: Unam Sabbatorum, primam dierum Sabbati, hoc est hebdomadae dierum nominat, quae apud nos propter resurrectionem Domini *Dominica* dicitur. Cfr. tom. VI. pag. 504, nota 10. et Hieron., Epist. 120. (alias 150.) c. 4.
[10] Gen. 1, 3: Dixitque Deus: Fiat lux, et facta est lux. Beda, IV. Comment. in Matth. 28, 1: Et quidem aptissime quondam diem sequebatur nox, quia homo a luce paradisi peccando lapsus in huius saeculi tenebras decidit; aptissime nunc sequitur dies noctem, quando resurrectionis per fidem a peccati tenebris et umbra mortis ad lucem vitae, Christo largiente, reducimur. — Pro *primo facta* C D *prima facta.*
[11] Vers. 5.
[12] Vers. 1; Marc. 16, 2. et Ioan. 20, 1.

hemisphaerium illucescere, et tamen adhuc tenebrae non erant penitus effugatae [1].

Controversia de hora resurrectionis.

Verumtamen de *hora resurrectionis* controversia est inter doctores, pro eo quod aliqui dicunt, Christum *media nocte* resurrexisse, alii vero *diluculo* [2]; qui autem verius dicant, Deus novit. — Sed controversia dissolvi potest, quia primi dicunt, quod resurrectio media nocte fuit secundum veritatem, sed diluculo innotuit; et « tunc dicitur res fieri, quando innotescit [3] ». Potest autem dici, quod sicut, sole recedente a nostro hemisphaerio, Sol iustitiae se occultavit; sic sole ad nostrum hemisphaerium redeunte, Sol iustitiae resurrexit, ita quod nec omnino in die, nec omnino media nocte, sed medio modo. Et ideo utrique doctores suo modo dicunt veritatem [4].

Solutio concordans.

Modus inveniendi sepulcrum.

4. (Vers. 2.). Secundo quantum ad *modum inveniendi sepulcrum* subdit: *Et invenerunt lapidem revolutum a monumento.* De huius autem *lapidis revolutione* erant sollicitae, sicut dicitur Marci decimo sexto [5]: « Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde ». Hic autem lapis non fuit in resurrectione revolutus, sed post; unde Beda [6]: « Potuit clauso exire sepulcro qui clauso exivit utero Virginis ». Sed Angelus Domini hoc fecit ad manifestationem; unde Matthaei vigesimo octavo [7]: « Angelus Domini descendit de caelo et accedens revolvit lapidem et sedebat super eum ».

Notandum.

5. (Vers. 3.). Hoc autem fecit, ut manifestator resurrectionis Christi; unde et subdit: *Et ingressae, non invenerunt corpus Domini Iesu.* Et nota, quod signanter, cum prius vocasset *Christum Iesum*, nunc vocat eum *Dominum Iesum*, quia nunc verificatum erat in eo illud Matthaei vigesimo octavo [8]: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra »; et istud ad Philippenses secundo: « Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen » etc. Christi igitur corpus in sepulcro non invenitur, quia iam erat resuscitatum; unde infra eodem [9] dicitur: « Quid quaeritis viventem cum mortuis »?

Expositio spiritualis de monumento.

6. Secundum *spiritualem* autem *intelligentiam* per *monumentum* intelligitur Scriptura, in qua latet Dominus quasi in quodam sepulcro; unde Ioannis quinto [10]: « Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vitam aeternam habere ». — Per *lapidem superpositum* intelligitur velamen Scripturae, propter quod etiam Lex in lapideis tabulis fuit scripta [11]; et de hoc velamine secundae ad Corinthios tertio: « Usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum ». — Hoc velamen amovetur per *angelicum ministerium*, quia et Angeli nobis communicant illuminationes, secundum illud Apocalypsis vigesimo secundo [12]: « Ostendit mihi Angelus fluvium aquae vivae, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni ». Fit etiam per *ministerium doctorum*, qui debent esse viri angelici, secundum illud Malachiae secundo [13]: « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent de ore eius ». Et huiusmodi est de caelo descendere [14], sicut Paulus, qui « raptus est in paradisum et audivit arcana verba », secundae ad Corinthios duodecimo; vel, si non potest usque ad intima Dei conscendere, saltem procedat in scala Iacob, cuius cacumen caelum tangit, sicut boni contemplativi. In quorum figura Genesis vigesimo octavo [15]: « Vidit Iacob scalam stantem super terram et cacumen eius tangens caelum, Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam ». Haec scala Christus est; unde Ioannis primo [16]: « Videbitis Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis ». Qui igitur sic amovet velamen per consequens etiam repellit carnalitatem et mortem et conscendit ad contuendam Christi Divinitatem et immortalitatem; secundae ad Corinthios quinto [17]: « Etsi cognovimus

De lapide superposito.

De amotione eius duplici.

Sacerdos sit vir angelicus.

Scala est Christus.

---

[1] Cfr. August., III. de Consensu Evangelist. c. 24. n. 65. (vide tom. VI. pag. 506, notam 8. et 11.). Cfr. Ambros., X. in Luc. c. 24. n. 147. seqq.

[2] Cfr. tom. III. pag. 457, nota 6, in qua ex Petr. Comestor. tres sententias (Hieron., Ambros. et August.) attulimus.

[3] Ut dicit Hugo a S. Vict., Qq. in Epist. ad Phil. q. 9. Cfr. tom. III. pag. 293, nota 5.

[4] Cfr. III. Sent. 22. q. 3.

[5] Vers. 3. et 4.

[6] Libr. II. Homil. genuin. homil. 1. in Vigilia Paschae, ubi explicat illud Matth. 28, 1: *Venit Maria Magdalene* etc. Verba ipsa occurrunt in Glossa *ordinaria* in Luc. 24, 2.

[7] Vers. 2. Beda, loc. cit.: Revolvit autem lapidem, non ut egressuro Domino ianuam pandat, sed ut egressus eius iam facti praestet hominibus indicium. Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 20. n. 14, et Hieron., Epist. 120. (alias 150.) c. 6. in fine.

[8] Vers. 18, post quem Phil. 2, 9.

[9] Vers. 5.

[10] Vers. 39.

[11] Cfr. Exod. 24, 12. et 31, 18. — Sequitur II. Cor. 3, 15. Beda, VI. in Luc. 24, 2. seq.: Sed revolutio lapidis mystice reserationem sacramentorum, quae velamine litterae tegebantur, insinuat. Lex enim in lapide scripta est. Cuius ablato tegmine, corpus Domini mortuum non invenitur, sed vivum evangelizatur. Quia, *etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed iam nunc non novimus* [II. Cor. 5, 16.].

[12] Vers. 1, ubi pro *aquae vivae* Vulgata *aquae vitae.*

[13] Vers. 7.

[14] Respicitur Matth. 28, 2: Angelus enim Domini *descendit de caelo* et accedens revolvit lapidem etc. — Sequitur II. Cor. 12, 4. Card. Hugo, in Luc. 24, 3: Debet etiam doctor *descendere de caelo*, id est de altitudine Scripturae, ita ut possit intelligi; Ps. 143, 5: *Domine, inclina caelos tuos* etc.; Isai. 64, 1: *Utinam dirumperes caelos* etc. — Fortasse legendum: *est in caelum ascendere et de caelo descendere.*

[15] Vers. 12. — Superius pro *conscendere* G *ascendere.*

[16] Vers. 51, quem exponens S. Bonav. (Comment. in Ioan. c. 1. n. 98.) secundum August. ait: Vident [Christiani] Angelos, id est praedicatores, *ascendentes*, dum arcana Deitatis considerant; *et descendentes*, dum humana de eo praedicant. Ista visio signata est Genesis 28, ubi dicitur, quod Iacob vidit Dominum innixum scalae et Angelos ascendentes et descendentes.

[17] Vers. 16. Cfr. supra nota 11. in fine. — Subinde allegatur Ioan. 6, 64. — Superius post *carnalitatem* G addit *Christi.*

Christum secundum carnem, sed nunc iam non novimus »; non quod carnem Christi non noverit, sed non *carnalem affectum vel intelligentiam;* propter quod Ioannis sexto: « Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam; verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt ».

**Certitudo revelationis colligitur ex duobus.**

7. (Vers. 4.). *Et factum est, dum mente.* Post descriptam revelandae resurrectionis occasionem describit hic *revelationis certitudinem* [1], quae colligitur ex duobus, scilicet ex *assertione testium* et *comprobatione testimoniorum.*

Divisio.

Primo igitur quantum ad *assertionem testium* dicit: *Et factum est, dum mente consternatae essent de isto, ecce, duo viri steterunt iuxta* [2] *illas in veste fulgenti.* Isti *duo viri* fuerunt Angeli in specie virili, qui erant *in veste fulgenti* ad designandum candorem nostrae solemnitatis; unde et Apocalypsis septimo [3]: « In conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmae in manibus eorum ». Signanter autem dicit *in veste fulgenti,* in qua non solum erat vehementia candoris, verum etiam excellentia lucis, ut demulcerent pios et terrerent impios; unde Matthaei ultimo [4]: « Angelus Domini descendit de caelo ». « Erat autem aspectus eius sicut fulgur, et vestimentum eius sicut nix ».

Ex assertione testium.

8. Sed tunc videtur contrarietas inter Evangelistas. Nam Lucas dicit, quod fuerunt *duo;* Matthaeus autem, quod *unus.* — Item, Matthaeus [5] dicit, quod *sedebat super lapidem revolutum;* Marcus autem, quod *sedebat in dextris.* — Item, Ioannes dicit, quod *unus sedebat ad caput,* et *alter ad pedes;* Lucas autem dicit, quod *steterunt iuxta illas.* — Sed intelligendum, quod secundum expositores [6] *unus* prius apparuit et post alter; et primo quidem erant *sedentes,* postmodum autem *surrexerunt* et cum mulieribus locuti sunt, et sic in diversis dispositionibus ab Evangelistis describuntur. Omnes tamen in hoc concordant, quod erant terribiles et testificantes.

Contrarietas Evangelistarum.

Solutio.

9. (Vers. 5. 6.). Et ideo Lucas subdit: *Cum timerent autem et declinarent vultum in terram,* prae timore scilicet et reverentia, sicut Daniel, Danielis decimo [7]: « Cum loqueretur mihi, deieci vultum meum ad terram et tacui »; et tales sunt idonei ad veritatem audiendam. — Unde addit: *Dixerunt ad illas: Quid quaeritis viventem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit* [8]*;* in quo simul arguunt incredulitatem et asseverant veritatem. Hoc verbum fuit summi gaudii; et sic erat conveniens, ut, quemadmodum Angelus nuntiaverat cum gaudio Christi nativitatem, supra secundo [9]: « Annuntio vobis gaudium magnum »; sic etiam Angeli nunc nuntiarent cum gaudio resurrectionem. Et impletum est illud Psalmi [10]: « Ego dormivi et soporatus sum, et exsurrexi et adhuc tecum sum »; et iterum: « Quoniam non derelinques animam meam in inferno ». Ideo Actuum secundo: « Hunc Deus suscitavit, solutis doloribus inferni; iuxta quod impossibile erat, teneri illum ab eo. David enim dicit in eum: Providebam Dominum etc., usque ibi: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitae » etc.

Mulieres et Angeli testantes.

Nota dom.

10. (Vers. 6. 7.). Secundo quantum ad *probationem testimoniorum certorum* subdit: *Recordamini, qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilaea esset, dicens: Quia* [11] *oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum et crucifigi et die tertia resurgere.* Nam Matthaei vigesimo [12]: « Ecce, ascendimus Ierosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum, et tertia die resurget ». Similiter Marci octavo [13]: « Oportet Filium hominis multa pati et reprobari a summis sacerdotibus et occidi, et post tres dies resurgere ». Similiter supra decimo octavo: « Consummabuntur omnia, quae scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus » etc.; et post subdit: « Et tertia die resurget ». Haec autem eis praedixerat ad fidem astruendam; unde Ioannis

Ex comprobatione testimoniorum.

Praedictio passionis et resurrectionis.

---

[1] Cfr. supra n. 1.

[2] Ita A C D H cum Card. Hug. et B. Alberto, Vulgata et Vat. *secus.* — Subinde post *Isti duo viri* Vat. prosequitur *steterunt iuxta illas in veste fulgenti* etc.

[3] Vers. 9. — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 21. n. 2: Candor etenim vestis splendorem nostrae denuntiat solemnitatis.

[4] Vers. 2. et 3. Gregor., loc. cit. n. 3: Quia vero omnipotens Deus et terribilis peccatoribus et blandus est iustis, recte testis resurrectionis eius Angelus et in fulgore vultus et in candore habitus demonstratur, ut de ipsa sua specie et terreret reprobos et mulceret pios.

[5] Cap. 28, 2; Marc. 16, 5. et Ioan. 20, 12.

[6] Cfr. August., III. de Consensu Evangelist. c. 24. n. 69, cuius verba affert S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 20. n. 32; Beda, IV. in Marc. 16, 5; Paschas. Radbert., in Matth. 28, 2. — Pro *unus prius* A C D *unus primus,* H *unus primo.*

[7] Vers. 15. — Cfr. Beda, VI. in Luc. 24, 5, ubi monet, nos exemplo harum feminarum debere ingredi ecclesiam cum omni humilitate et timore.

[8] Codd. C D cum Beda *resurrexit.*

[9] Vers. 10. — Codd. A C D legunt *ut Angelus, qui nuntiaverat... sic et quod Angeli nunc* etc.; H: *ut Angelus nuntiaret gaudium resurrectionis, qui annuntiavit gaudium nativitatis.* Idem insinuat Cyrill. Alexandr., in Luc. 24, 4.

[10] Psalm. 3, 6, ubi verbo *exsurrexi* C D G praefigunt *iterum.* — Subinde allegantur Ps. 15, 10. et Act. 2, 24-28, in quibus occurrit Ps. 15, 8-11. Post *Hunc Deus* C D legunt *suscitabit tertia die, solutis* etc.

[11] Codd. A C D *Quod,* et subinde C D omittunt *hominum.*

[12] Vers. 18. et 19.

[13] Vers. 31. — Sequuntur Luc. 18, 31. seq. et 33: *Et tertia die resurget* (C D G *Et post tres dies resurget).*

decimo quarto[1]: « Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis ».

Via manuducens ad fidem.

11. (Vers. 8.). Et haec fuit via manuducens ad fidem, et ideo subdit: *Et recordatae sunt verborum eius;* unde Ioannis secundo[2]: « Quod signum ostendis nobis, quia haec facis? Respondit Iesus et dixit eis: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud ». « Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt, quia hoc dicebat » de templo corporis sui. Similiter etiam Matthaei duodecimo[3]: « Generatio mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae. Sicut enim Ionas fuit tribus diebus et tribus noctibus in ventre ceti; ita erit et Filius hominis in corde terrae ». —

Notandum.

Unde Dominus praedixit suam passionem et resurrectionem, ut simul moerore afficiat et alliciat ad amorem; propter quod Ecclesiastici undecimo[4]: « In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum ».

### Manifestatio resurrectionis describitur dupliciter.

12. (Vers. 9.). *Et regressae a monumento* etc. Post descriptam revelationis occasionem et certitudinem hic describit *eius manifestationem*[5]; circa quam duo introducit Evangelista, scilicet *testimonium mulierum* et *aspectum discipulorum.*

Testimonium mulierum.

Primo igitur quantum ad *testimonium mulierum* subdit: *Et egressae a monumento nuntiaverunt haec omnia illis undecim et ceteris omnibus.* Haec autem nuntiaverunt mulieres, quia sic est eis iniunctum ab Angelis; unde Matthaei ultimo[6]: « Cito euntes, dicite discipulis eius, quia surrexit, et ecce, praecedit vos in Galilaeam ». Hoc enim divina ordinatione gestum est, ut nuntiatio resurrectionis per mulieres veniret ad viros; sicut a muliere initium sumsit mors et peccatum, ita nunc per mulieres ad viros rediret annuntiatio et cognitio vitae et immortalitatis, ut etiam per hoc humilitatis daretur exemplum. Unde Chrysostomus[7]: « Evangelista non privat mulierem laude nec verecundum putat a muliere didicisse ». Aufertur etiam mulierum opprobrium, et maxime peccatricum.

Notandum.

Nomina mulierum.

13. (Vers. 10.). Et ideo praecipue inter alias illa peccatrix nominatur, cum subditur: *Erat autem Maria Magdalene et Ioanna et Maria Iacobi*[8] *et ceterae, quae cum eis erant, quae dicebant ad Apostolos haec.* Maria autem Magdalene signanter aliis praemittitur, quia ipsa ferventius aliis dilexit et prior, ut traditur, ad monumentum venit et prae ceteris diutius perseveravit. Et ideo Ioannes, amantissimus Domini, illam Domini amatricem signanter nominat; Ioannis vigesimo[9]: « Maria stabat ad monumentum foris, plorans »; et sequitur ibi, quod vidit Angelos et quod tandem vidit Dominum. Ioannes igitur *solum* loquitur de Maria Magdalene. Matthaeus loquitur de *duabus* Mariis; Matthaei ultimo[10]: « Venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulcrum ». Marcus autem loquitur de *tribus* Mariis; Marci ultimo: « Maria Magdalene et Maria Iacobi et Salome emerunt aromata ». Lucas autem, optimus narrator, exprimit de his et de aliis. Et sic apparet, quod inter Evangelistas nulla prorsus controversia est, sed quilibet ad suam principaliter fertur intentionem. — Omnes tamen Evangelistae exprimunt Magdalenam, et praecipue amicus Dei, Ioannes, quia primo sibi apparuit, sicut dicitur Marci decimo sexto[11]: « Surgens Iesus mane prima Sabbati, apparuit primo Mariae Magdalenae ». Et hoc quadruplici ratione: primo, quia ardentius diligebat; supra septimo[12]: « Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum ». Secundo, ut ostenderet, quod pro peccatoribus venerat; Matthaei nono: « Non enim veni vocare iustos, sed peccatores », ad poenitentiam. Tertio, ad conterendam humanam superbiam; propter quod Matthaei vigesimo primo[13]: « Publicani et meretrices praecedent vos in regnum Dei ». Quarto, ad dandam fiduciam; propter quod ad Romanos quinto: « Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia » etc.

Evangelistarum de his relatio.

Rationes 4, cur primo Christus Magdalenae apparuerit.

Aspectus discipulorum.

14. (Vers. 11.). Secundo quantum ad *aspectum discipulorum* subditur: *Et*[14] *visa sunt ante illos*

---

[1] Vers. 29. Cyrill. Alexandr., in Luc. 24, 4: Ut autem firmiorem mulieribus fidem faciant, in memoriam revocant, ut dixerat Christus, prorsus ipsum oportuisse peccatorum manibus tradi etc.

[2] Vers. 18. seq. et 21. seq.

[3] Vers. 39. et 40; cfr. 16, 4.

[4] Vers. 27.

[5] Cfr. supra n. 1.

[6] Vers. 7. — Glossa *ordinaria* (ex Ambros., X. in Luc. c. 24. n. 156. seq.) in Luc. 24, 9: Sicut in principio mulier auctor culpae viro fuit, vir exsecutor fuit erroris, ita nunc quae mortem prior gustaverat resurrectionem vidit, et ne perpetui reatus opprobrium apud viros sustineret, quae culpam viro transfuderat transfudit et gratiam. Et quia constantiam praedicandi non habet inferior sexus ad exsequendum infirmior, mandatur viris officium evangelizandi. Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 20. n. 28.

[7] Homil. 85. (alias 84.) in Ioan. n. 4.

[8] Beda, VI. in Luc. 24, 10: *Maria Magdalene* ipsa est soror Lazari, quae unxit Dominum unguento; *Ioanna* uxor Chuzae, procuratoris Herodis, de quibus supra [8, 2. seq.] lectum est. *Maria Iacobi* mater est Iacobi minoris et Ioseph, ut Marcus evangelista [15, 40.] dicit, soror Matris Domini, unde et ipse Iacobus frater Domini meruit vocari.

[9] Vers. 11. et 12. — Cfr. August., III. de Consensu Evangelist. c. 24. n. 69, cuius verba allegat S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 20. n. 11. — Superius pro *ut traditur* C H *ut creditur.*

[10] Vers. 1. et deinde Marc. 16, 1, ubi A C D G: *Venit Maria... et Salome videre sepulcrum.*

[11] Vers. 9.

[12] Vers. 47. — Sequitur Matth. 9, 13.

[13] Vers. 31. — Subinde allegatur Rom. 5, 20. Card. Hugo, in Luc. 24, 10, addit *quintam:* Ut sicut mulier fuerat nuntia seu ministra nostrae perditionis, ita esset nuntia nostrae redemptionis.

[14] Codd. C D omittunt *Et;* subinde pro *non crediderunt illis* A C D H cum Beda et B. Alberto *non credebant illis* (A C D omittunt *illis*).

*sicut deliramentum verba ista, et non crediderunt illis.* **Dubitatio eorum de audito.** Unde *auditui* non credebant, tum quia mirabile erat quod dicebant, tum quia hoc divina dispositione agebatur, ut maior et certior veritatis assertio obtineretur. Unde Gregorius[1]: « Quod discipuli tarde crediderunt, non tam illorum incredulitas, quam nostra, ut ita dicam, futura firmitas fuit. Nam illis dubitantibus resurrectio multis argumentis monstrata est, quae, dum legentes agnoscimus, quid aliud quam de eorum dubitatione solidamur »?

15. (Vers. 12.). Propterea dubitatio de *auditu* **Inquisitio per visum.** incitavit ad inquirendam certitudinem per *aspectum;* propter quod subdit: *Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum et procumbens vidit linteamina sola posita, et abiit, secum mirans quod factum fuerat.* Narrat autem haec specialiter Lucas de Petro, ut ostendat, quod ipse a fervore suo non destiterat. Sed Ioannes hoc expressius narrat vigesimo[2], quod non solus Petrus ivit, verum etiam Ioannes; et quod « simul currebant », et quod « Ioannes praecucurrit citius Petro, sed non prior introivit **Notandum.** in monumentum ». Narrat igitur Lucas, quod *Petrus procumbens linteamina vidit posita;* Ioannes[3] vero expressius prosequitur, quod non solum haec vidit, sed etiam « introivit in monumentum »; et tamen, sicut hic dicitur, *abiit secum mirans,* non adhuc credens, quia dicitur Ioannis vigesimo: « Nondum enim sciebant Scripturam, quia oporteret, eum a mortuis resurgere ».

16. Et attendendum, quod per *linteamina po-* **Sensus mysticus.** *sita* intelliguntur *sacramenta humanitatis,* quae nobis exposita sunt ad credendum et intelligendum per resurrectionis sacramentum; unde Apocalypsis quinto[4]: « Ecce, vicit leo de tribu Iuda, aperire librum et solvere septem signacula eius ». Sed quia non possunt omnia comprehendi ratione Divinitatis unitae, ideo dicitur, quod *abiit mirans.* Nam dicitur in Psalmo[5]: « Mirabilis facta est scientia tua ex me ». Et propterea in huius designationem dicitur Ioannis vigesimo[6], quod « sudarium, quod erat super caput Iesu, vidit non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum ». Ibi Glossa: « Sacramenta Divinitatis incomprehensibilia a nostrae infirmitatis cognitione remota sunt; in involuto enim nec initium nec finis aspicitur, sic celsitudo Divinitatis nec coepit esse nec desiit esse ». Et ideo Petrus *abiit mirans;* Psalmus[7]: « Mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis ».

*Secundo, de apparitione resurgentis agitur tripliciter.*

17. *Et ecce, duo ex illis ibant* etc. Post descriptam revelationem resurrectionis describit hic Evangelista *apparitionem resurgentis*[8], qua quidem apparuit duobus discipulis tanquam testibus idoneis. Progressus autem et ordo huius apparitionis fuit in hoc; quod Christus se discipulis sociavit tripliciter: **Divisio.** primo quidem *in itinere;* secundo vero, *in collocutione,* de qua ibi[9]: *Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones* etc.; et tertio *in comestione,* de qua ibi: *Et appropinquaverunt castello, quo ibant.* In primis duobus latuit, sed in tertio apparuit.

Associatio in itinere describitur quoad tria.

Circa *associationem in itinere* describendam tria introducuntur ab Evangelista, scilicet *concors iter discipulorum, mutuum colloquium itinerantium* et *Christi consortium dignativum.*

18. (Vers. 13.). Primo igitur quantum ad *concors iter discipulorum* dicit: **Concors iter discipulorum.** *Et ecce, duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emmaus.* In quo exprimit Lucas euntium *numerum,* **Numerus.** scilicet quod erant *duo,* ut det intelligi ipsorum concordiam. Nam Ecclesiastae quarto[10]: « Melius est, duos esse simul quam unum ». « Si unus ceciderit, ab alio fulcietur » etc.; et ideo supra decimo dicitur, quod « misit eos binos ante faciem suam » etc. — Exprimit etiam *spatium,* propter mysterii intelligen- **Spatium.** tiam. Nam, sicut dicit Beda[11], « *stadium* est octava pars milliarii, et ideo sexaginta stadia septem millia passuum et quingentos continent », id est septem

---

[1] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 29. n. 1, ubi pro *illorum incredulitas* H cum textu originali *illorum infirmitas.*

[2] Vers. 3. et 4.

[3] Cap. 20, 6. et subinde v. 9. — Glossa *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur August., III. de Consensu Evangelist. c. 25. n. 70.) in Luc. 24, 12, eandem obiectionem solvit sic: Sed intelligendum est, Petrum primo procumbentem vidisse quod Lucas commemorat, Ioannes tacet; post autem ingressum, ut diligentius interiora dignosceret, ingressum tamen, antequam Ioannes intraret. Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 20. n. 5. seqq. et n. 16. — Inferius post *quod non solum haec* C D G omittunt *vidit.*

[4] Vers. 5. Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 22. n. 4, ubi docet, per *sudarium* capitis exprimi vel laborem Dei in portandis hominum pravitatibus, vel laborem Christi in passione, cuius sacramenta infidelibus sunt occulta. Vide Glossam *ordinariam* in Ioan. 20, 7.

[5] Psalm. 138, 6.

[6] Vers. 7. Glossa in hunc loc. est *ordinaria.* Ipsa sumta est ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 22. n. 3: « Linteum quippe, quod involvitur, eius nec initium nec finis aspicitur. Recte ergo sudarium capitis *involutum* inventum est, quia celsitudo Divinitatis non coepit esse nec desinit » etc. Pro *involuto* et *sic* Vat. *involucro* et *sicut.*

[7] Psalm. 138, 14.

[8] Cfr. supra n. 1.

[9] Vers. 17; tertium habetur v. 28. — Superius pro *collocutione* C D G H *collationem,* sed inferius isti codd. sibi non constant, quandoque ponentes *collocutionem,* quandoque *collationem.*

[10] Vers. 9. et 10, post quos Luc. 10, 1.

[11] Libr. VI. in Luc. 24, 13. Idem dicit Glossa *ordinaria* (apud Lyranum) in hunc locum.

milliaria et dimidium; in quo datur intelligi, quod « erant de morte et sepultura Domini certi, sed de *octava resurrectionis* dubii et incerti ». Sed Ecclesiastae undecimo [1] dicitur: « Da partes septem nec non et octo »; quia non tantum Christi mortem et sepulturam, sed etiam resurrectionem constat esse integre et perfecte credendam. — Exprimit etiam *terminum itineris,* dicens, quod vocabatur *Emmaus,* et hoc propter significantiam. Nam castrum illud primo nominabatur *Emmaus,* sicut dicitur hic, et postea *Nicopolis;* unde Hieronymus in epitaphio Paulae [2]: « Nicopolim, quae prius *Emmaus* vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus est Dominus, Cleophae domum in ecclesiam consecravit ». Nam, sicut legitur in Historia tripartita [3], « Romani post vastationem Ierusalem hanc urbem *Nicopolim* ex eventu victoriae vocaverunt ». Interpretatur autem Emmaus *mater festinans* [4], et Nicopolis *civitas victoriae;* et haec est Ecclesia militans, quae festinat ad patriam et superat potestates contrarias. Inter hanc et Ierusalem, id est Ecclesiam triumphantem, oportet intelligere distantiam septem aetatum et octavam inchoatam iam in capite nostro Christo, ut ab hac perveniatur ad illam, festinando ad bonum et triumphando contra malum; ad Hebraeos quarto [5]: « Festinemus ingredi in illam requiem, ne forte quis incidat in id ipsum incredulitatis exemplum ».

Terminus itineris.

19. (Vers. 14.). Secundo quantum ad *mutuum colloquium itinerantium* subdit: *Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus, quae acciderant,* id est, de his quae circa Christum gesta erant. Et haec collocutio erat laudabilis, quia de bona erat materia, scilicet de Christo; ideo primae Petri quarto [6]: « Si quis loquitur, quasi sermones Dei »; et ad Ephesios quarto: « Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed qui bonus est, ut aedificationem praebeat audientibus ». Ideo autem de hoc *loquebantur,* quia de hoc specialiter cogitabant, et ideo cogitabant, quia amabant; nam Matthaei duodecimo [7]: « Ex abundantia cordis os loquitur ». Nec tantum amabant, sed etiam dubitabant; et ideo etiam *ad invicem conferebant,* quia, sicut dicitur Proverbiorum vigesimo septimo [8], « ferrum ferro acuitur, et homo exacuit faciem amici sui »; et ideo Ecclesiastici nono: « Cum sapientibus et prudentibus tracta »; et post: « Et in sensu sit tibi cogitatus Dei, et omnis enarratio tua in praeceptis Altissimi ». Talibus verbis adest Spiritus Domini tanquam origo omnium bonorum verborum; Matthaei decimo [9]: « Vos non estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris mei, qui loquitur in vobis »; sed e contrario verba indiscreta et cogitationes fugit; Sapientiae primo: « Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum et auferet se a cogitationibus, quae sunt sine intellectu » etc.

Mutuum colloquium.

20. (Vers. 15.). Tertio quantum ad *Christi consortium dignativum* subiungit: *Et factum est, dum fabularentur et secum quaererent, et ipse Iesus appropinquans ibat cum illis.* Dicuntur autem loquendo *fabulari,* pro eo quod loquebantur verba, quae certitudinem non habebant, ita ut vere possent dicere illud Ecclesiastici quadragesimo tertio [10]: « Multa dicimus et in verbis deficimus; consummatio autem sermonum ipse est ». Et quia concordes erant in eundo et loquebantur de bono, ideo effecti sunt digni consortio Christi. Nam Matthaei decimo octavo [11]: « Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum »; et hoc erat, quia Christum amabant. Nam Ioannis decimo quarto: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus » etc.

Christi consortium.

Notandum

21. (Vers. 16.). Et quia hi nondum perfecte credebant, ideo debuerunt habere praesentiam, sed non habere ipsius notitiam; ideo addit: *Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent;* et hoc quidem dignum fuit. Unde Gregorius [12]: « Sicut ipsi intus amabant, et tamen dubitabant; sic ipse et foris praesens adest, et tamen, quis sit, non ostendit. De se ergo loquentibus praesentiam exhibet, sed de se dubitantibus speciem cognitionis aufert ». Et ideo Marci ultimo [13] dicitur, quod apparuit illis « in alia

Notandum.

---

[1] Vers. 2, ubi Hieron. ait: Praecipitur ergo, ut in utrumque instrumentum, tam vetus scilicet quam novum, pari veneratione credamus. Iudaei dederunt *partem septem,* credentes Sabbato, sed non dederunt *octo,* resurrectionem diei dominicae denegantes. — Post *sed etiam resurrectionem* B addit *quae post septimam Sabbato facta est et octavo numero designatur.*

[2] Sive Epist. 108. (alias 27.) n. 8. (de hoc loco controvertitur).

[3] Quam composuit Aurel. Cassiodor., in cuius lib. VI. c. 42. haec verba occurrunt. Cassiodor. sequitur Sozomen., V. Histor. ecclesiast. c. 21. (alias 20.). Cfr. Euseb., II. Chronic. ad annum Christi 222. et Hieron., de Viris illustr. c. 63.

[4] Card. Hugo, in Luc. 24, 13: « *Emmaus* autem interpretatur mater festinans, vel desiderium consilii ». Secundum Hieron. (de Nominib. Hebraic. ex Luca), qui scribit *Ammaus*, idem est ac populus abiectus.

[5] Vers. 11. — De septem aetatibus cfr. S. Bonav., Breviloq. Prolog. § 2; in Hexaëm. collat. 15. n. 12. seqq. et 16. n. 2. seqq.

[6] Vers. 11, cui subnectitur Eph. 4, 29. — Superius pro *haec collocutio* D G H *haec collatio.*

[7] Vers. 34. — Pro *specialiter cogitabant* Vat. *specialiter cogitatur.*

[8] Vers. 17, post quem Eccli. 9, 21. et 23.

[9] Vers. 20. — Subinde allegatur Sap. 1, 5.

[10] Vers. 29. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 24, 15: Loquentes de se Dominus appropinquans comitatur, ut et fidem resurrectionis eorum mentibus incendat et quod se promiserat [Matth. 18, 20.] facturum, impleat: *Ubi sunt duo vel tres congregati* etc. [11] Vers. 20. — Sequitur Ioan. 14, 23.

[12] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 23. n. 1. Sententia ipsius exhibetur verbis Glossae *ordinariae* in Luc. 24, 16.

[13] Vers. 12, ubi in Comment., quod habetur inter opera Hieron., dicitur: Fides autem hic laborat, agens activam vitam, illic contemplativa, secuta visione, regnat. Hic *per speculum* contuemur imaginem, illic *facie ad faciem* videbimus veritatem [cfr. 1. Cor. 13, 12.]. Unde sequitur: *Post haec duobus ex illis ambulantibus*, id est laborantibus, *ostensus est in alia effigie.*

Notandum.

effigie ». — Et notandum est, quod dicit, quod *oculi eorum tenebantur;* ex quo apparet evidenter, quod Christus secundum veritatem non mutavit sui corporis effigiem nec figuram, sed secundum solam apparentiam; nam *in oculis discipulorum* alius apparebat. Unde Glossa dicit super decimo nono [1] Genesis, quod discipuli erant percussi aorasia, qua quidem fit, ut res aliquo modo videatur et aliquo modo occultetur; sicut etiam dicit Augustinus [2], quod de Sodomitis fuit factum. Nec fuit mutatio in corpore glorioso, nec fuit deceptio ex parte Domini,

Ratio triplex.

sed dispensative oculos eorum velavit, tum propter hoc, quod sic conveniebat, nec erant idonei ad suscipiendam Christi praesentiam apertam [3]; tum etiam, quia ordinatius perducendi erant ad eius notitiam percipiendam; et etiam, quia non habuissent ita familiarem collocutionem in via.

### Associatio in collocutione describitur quoad quatuor.

22. (Vers. 17.). *Et ait ad illos* etc. Post descriptam associationem Christi cum discipulis in itinere hic describit *associationem in collocutione* [4],

Divisio.

circa quam describendam quatuor introducuntur, scilicet *inquisitio materiae,* de qua sermo; *enarratio materiae,* de qua dolor; *explicatio materiae,* de qua animi haesitatio; *declaratio Scripturae,* per quam fidei certitudo.

Inquisitio materiae.

Primo igitur quantum ad *inquisitionem materiae, de qua est sermo,* dicit: *Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes?* Iste namque modus est ordinatus ingrediendi in verba, ut audiat quis et quaerat, secundum illud Ecclesiastici trigesimo secundo [5]: « Audi tacens simul et quaerens ».

Sermones non secreti.

23. (Vers. 18.). Et quia non est cuiuslibet ingerere se in colloquia *secreta,* secundum illud documentum [6]: « Ne accesseris ad consilium, antequam voceris »; ostenditur ex responsione, quod huiusmodi sermo est *publicus et communis.* Et ideo subdit: *Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Ierusalem, et non cognovisti quae facta sunt in illa his diebus?*

De Cleopha.

Attendendum autem, quod licet essent duo, non introducit Lucas loquentem nisi unum tanquam praecellentem; nam iunior debet cedere maiori, secundum illud Ecclesiastici trigesimo secundo [7]: « Loquere, maior natu; decet enim te primum verbum diligentis scientiam ». Cum duo etiam essent, solum alterum nominat, quia, ut dicunt aliqui expositores [8], Lucas erat alter istorum discipulorum, et consuetudo est scriptoris sacrae Scripturae, ut de proprio nomine non multum faciat mentionem; sicut et Ioannes se non nominat, sed dicit [9]: « Ille discipulus, quem diligebat Iesus ». Ambrosius autem dicit, quod non fuerit Lucas. Hic ergo Cleophas ostendit materiam suae locutionis omnibus notam, non tantum civibus, sed etiam extraneis; et ideo miratur, quod ipse tanquam *peregrinus* ignoret istam. Ideo eum *peregrinum* nominat, vel quia in effigie peregrina apparebat, vel quia tanquam peregrinus notissima ignorabat [10].

Peregrinus fuit triplici ratione.

— Recte autem *peregrinus* eis apparebat, quia *peregrinus* erat *in mundo;* Ioannis primo [11]: « In mundo erat, et mundus eum non cognovit »; et ideo Ieremiae decimo quarto: « Quare quasi colonus futurus es in terra et quasi viator declinans ad manendum »? *Peregrinus* erat *in oculis discipulorum* non credentium; Iob decimo nono [12]: « Quasi peregrinus fui in oculis eorum »; et ideo Psalmus: « Extraneus factus sum fratribus meis et peregrinus filiis matris meae ». *Peregrinus* etiam *in membris;* ad Hebraeos undecimo [13]: « Confitentes quasi peregrini et advenae sunt super terram »; et secundae ad Corinthios quinto: « Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino ». Et ideo primae Petri secundo: « Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos ». Et propterea se peregrinum non negat, sed ostendit et quaerit etiam ab illis.

---

[1] Vers. 11: *Et eos qui foris erant* [*Sodomitas*], *percusserunt caecitate* etc., in quem Glossa *ordinaria* (ex August., Qq. in Gen. q. 43.): Graece ἀορασία, id est *avidentia*, si possit dici, quae faciat non videri, non omnia, sed quod non est opus... Hac ἀορασία percussi erant, qui Eliseum quaerebant [IV. Reg. 6, 18.], et qui Christum post resurrectionem cum ipso ambulantes non cognoscebant. Cfr. tom. VI. pag. 232, nota 1. Pro *aorasia* plures codd. *aurisia*, Vat. *acrisia*. — Superius C D G omittunt *alius*.

[2] Cfr. nota praecedens.

[3] Vide IV. Sent. d. 12. p. I. dub. 1. — Inferius pro *collocutionem* D H *collationem*.

[4] Cfr. supra n. 17.

[5] Vers. 9. — Superius pro *ordinatus* Vat. *inordinatus*.

[6] Dionys. Catonis Breves Sententiae, n. 8.

[7] Vers. 4. seq., in cuius fine Vulgata *diligenti scientia*, August. (Specul. de Eccli.) *diligenti scientiam*, Card. Hugo: *diligentis scientiam*, id est Dei, qui diligit scientiam; I. Reg. 2, 3: *Deus scientiarum Dominus est.*

[8] Gregor., Praefat. libr. Moral. c. 1. n. 3: « Quem profecto *alium*, dum tam studiose tacuit, ut quidam dicunt, se ipsum fuisse monstravit ». Theophylact., in Luc. 24, 13-24: « Nonnulli unum ex duobus illis Lucam ipsum fuisse dicunt; idcirco et abscondit nomen suum Evangelista ». (Contra hanc opinionem opponunt nonnulli illud Luc. 1, 2; cfr. supra c. 1. n. 3. et 6.). — Inferius pro *consuetudo* A C D *consuetudinis*.

[9] Cap. 13, 23; 19, 26. et 21, 20; cfr. Gregor., loc. in praecedente nota cit. — Ambros., X. in Luc. c. 24. n. 173. vocat illum alium discipulum *Ammaonem* [id est, ut aliqui explicant, civem de Emmaus]. Origen., Comment. in Ioan. tom. I. Praefat. n. 7. refert, ipsum fuisse quendam *Simonem*, « non tamen Petrum, ut Cyrill. Alexandr. in Luc. 24, 13. dicit, neque illum Chananaeum, sed de praedicto [72 discipulorum] numero alium ». Epiphanio (I. adversus Haeres. haeres. 23. c. 6.) ille alius discipulus est *Nathanael*.

[10] Primam expositionem insinuat Beda, VI. in Luc. 24, 18; secundam Theophylact., in Luc. 24, 13-24.

[11] Vers. 10, post quem Ier. 14, 8.

[12] Vers. 15. et deinde Ps. 68, 9.

[13] Vers. 13: Confitentes *quia* peregrini et *hospites* etc. (cfr. Eph. 2, 19.). — Duo seqq. loci sunt II. Cor. 5, 6. et I. Petr. 2, 11.

**Ratio, cur Christus quaerat.**

24. (Vers. 19.). Unde addit: *Quibus ille dixit: Quae?* Quaerit autem Christus, non quia dubitet, sed ut formam nobis tribuat in investigatione veritatis et occasionem accipiat instruendi; unde Psalmus [1]: « Palpebrae eius interrogant filios hominum »; et Matthaei decimo sexto: « Interrogabat discipulos suos: Quem dicunt homines » etc.

**Enarratio materiae.**

25. Secundo quantum ad *enarrationem materiae, de qua dolor,* subdit: *Et dixerunt [2]: De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta potens in opere et sermone coram Deo et omni populo;* ac per hoc laudabilis erat in *vita,* laudabilis in *doctrina;* Ecclesiastae octavo [3]: « Omne, quod voluerit, faciet, et sermo illius potestate plenus est »; et haec magna laus, secundum illud Matthaei quinto: « Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum ». Laudabilis etiam coram *Deo* et *mundo,* secundum illud supra secundo [4]: « Iesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines »; et haec magna laus, secundum illud Matthaei quinto: « Sic luceat lux vestra coram hominibus ». Ut hoc autem fiat, dicit Gregorius [5], « sic opus sit in publico, ut tamen intentio maneat in occulto, ut de bono opere proximis exhibeamus exemplum, et tamen per intentionem, qua soli Deo placere quaerimus, semper optemus secretum ».

**Notandum.**

**De damnatione Christi.**

26. (Vers. 20.). Quia ergo Christus Iesus fuerat perfectus per omnem modum, ideo magna materia doloris fuit de damnatione ipsius per principes Iudaeorum; et ideo subdit: *Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis et crucifixerunt eum.* Nam hoc verum fuit, licet factum exterius visum fuerit per manum Pilati; unde Ioannis decimo octavo [6]: « Gens tua et pontifices tui tradiderunt te mihi »; et ita dolendum erat de tam grandi piaculo et tanto principum flagitio; dolendum etiam erat de communi damno.

**Diffidentia discipulorum.**

27. (Vers. 21.). Et ideo subdit: *Nos autem sperabamus, quia ipse redempturus esset Israel;* quasi dicat, quod per hoc iam est exspectatio redemptionis evacuata. Hoc est verbum hominum cadentium a spe sua et deiectorum in maximam tristitiam; et haec est tristitia mala, quia, sicut dicitur secundae ad Corinthios septimo [7], « saeculi tristitia mortem operatur ». In hanc ceciderant perdendo fiduciam; ideo contra hoc primae ad Thessalonicenses quarto [8]: « Non contristemini, sicut et ceteri, qui spem non habent »; et Ecclesiastici decimo quarto: « Beatus, qui non est stimulatus in tristitia delicti », « et non excidit a spe sua ».

**Explicatio causae.**

28. Tertio quantum ad *explicationem causae, pro qua erat animi haesitatio,* adiungit: *Et nunc super haec omnia tertia dies est hodie, quod haec facta sunt;* in qua non est sublatus dolor et afflictio, sed additus terror et dubitatio.

**Mulierum relatio terruit.**

29. (Vers. 22.). Unde subdit: *Sed et mulieres quaedam ex nostris terruerunt nos, quae ante lucem fuerunt ad monumentum;* quia, ut dicit Hieronymus [9], « de audita fama eius potius sunt perterriti quam gavisi ». Ratio autem huius terroris fuit de rememoratione rei mirabilis et etiam eis incredibilis.

**Visio Angelorum.**

30. (Vers. 23.). Unde subdit: *Et non invento corpore eius, venerunt dicentes, se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt, eum vivere.* Ideo ergo territi erant, quia horribile erat eis corpus Domini amisisse, et incredibile, quod surrexisset; unde Beda [10]: « Merito dicuntur eos *terruisse,* quibus de non invento corpore plus moestitiam addiderunt, quam de nuntiata resurrectione gaudium, quo recrearentur, afferrent ». Et quia posset aliquis dicere, quod verba mulierum non debuerunt movere; ideo ostendit, quod frivola non fuerunt per testimonium et aspectum virorum.

**Narratio Petri et Ioannis.**

31. (Vers. 24.). Unde addit: *Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum et ita invenerunt, sicut mulieres dixerunt; ipsum vero non invenerunt.* Isti fuerunt Petrus et Ioannes, sicut dicitur Ioannis vigesimo [11]. Lucas igitur, qui prius singulariter exprimit de Petro, nunc exprimit de duobus, ut firmum sit eorum testimonium ad credendum,

---

[1] Psalm. 10, 5, cui subiungitur Matth. 16, 13.

[2] Cudd. C D H cum Beda *Et dixerunt ei.*

[3] Vers. 3. seq. — Subinde allegatur Matth. 5, 19.

[4] Vers. 52. — Sequitur Matth. 5, 16.

[5] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 11. n. 1, ubi pro *ut tamen* A C D G *quasi* (Card. Hugo *quatenus),* et pro *optemus* C D E *teneamus.*

[6] Vers. 35. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 24, 19. seq.: *Prophetam* et *magnum* fatentur, Filium Dei tacent, vel quia nondum perfecte credunt, vel si credunt, timent tradi in manus Iudaeorum, nescientes, cum quo loquuntur. — Inferius Vat. omittit *Et ita dolendum... flagitio.*

[7] Vers. 10. — Superius pro *quasi dicat* D *quasi dicant.*

[8] Vers. 13; deinde Eccli. 14, 1. et 2.

[9] Fortasse S. Bonav. applicat discipulis quae de mulieribus de monumento exeuntibus dixerat Hieron., IV. Comment. in Matth. 28, 8: « Duplex mentes mulierum tenebat affectus: timoris et gaudii; alter de miraculi magnitudine, alter ex desiderio resurgentis, et tamen uterque femineum concitabat gradum ». Clarius insinuatur ab *Augustino*, III. de Consensu Evangelist. c. 25. n. 73, quem sequitur Beda, VI. in Luc. 24, 33. seq. Radulph. Ardens. (floruit 1040-1100), Homil. 53. pro feria secunda Paschae: Stulta locutio, dum se ostendit [Cleophas] magis terreri ex ablatione corporis, quam gaudere ex annuntiatione resurrectionis (Migne, Patrolog. Lat. tom. 155. col. 1859). Card. Hugo, in Luc. 24, 22: Quia resurrectionem nondum celebrabant, ideo de audita fama eius potius sunt territi quam gavisi. Cfr. S. Thom., Cat. aurea in Luc. 24. n. 2, verba cuiusdam *Graeci.*

[10] Libr. VI. in Luc. 24, 21-23. Sententia eius exhibetur verbis Glossae *ordinariae* in Luc. 24, 22, quae pro *afferrent* substituit *afferunt.* Vat. allegat verba ipsius Bedae.

[11] Vers. 3. — De seq. propositione cfr. supra v. 12, in cuius expositione mentio etiam fit Ioannis. Respicitur inferius Deut. 19, 15: In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.

corpus esse sublatum. Et ideo ex hoc mirabantur et terrebantur, sed non laetificabantur, quia resurrectionem non credebant, sed de ea haesitabant et haesitantes conferebant, quia nondum sapiebant caelestia, sed terrena, secundum illud Isaiae vigesimo nono [1]: « Erit quasi pythonis de terra vox tua, et eloquium tuum de humo mussitabit ». Quocontra ad Colossenses tertio: « Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram ». Sed brutalis, qui non consurgit per spiritum, haec non credit nec capit; et ideo supra eodem [2] dicitur, quod « visa sunt eis verba illa sicut deliramenta », quia, primae ad Corinthios secundo, « animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei; stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur ».

Haesitabant.

32. (Vers. 25.). Quarto quantum ad *declarationem Scripturae, per quam est fidei certitudo,* subiungit: *Et ipse dixit ad eos: O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt Prophetae! Stultos* eos vocat, qui desperant propter passionem; unde de spiritu ad carnem descenderant, et haec est magna stultitia, secundum illud ad Galatas tertio [3]: « Sic stulti facti estis, ut cum spiritu coeperitis, nunc carne consummemini »? Et *tardos corde* vocat, quia credere non volebant Christi gloriam et resurrectionem; unde Marci ultimo [4]: « Exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis, quia his qui viderant, eum resurrexisse a mortuis, non crediderunt ».

Declaratio Scripturae.

33. (Vers. 26.). Et propterea ad astruendam fidem passionis et resurrectionis subdit: *Nonne haec oportuit pati Christum* et resurgere, *et ita intrare in gloriam suam? Oportuit,* inquam, id est, opportunum et convenientissimum fuit, primo propter *remedium peccatorum;* ad Romanos quinto [5]: « Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius »; ideo ad Romanos quarto: « Mortuus est propter delicta nostra et resurrexit propter iustificationem nostram ». — Secundo propter *exemplum virtutum;* unde primae Petri secundo [6]: « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius »; et ideo ad Philippenses secundo: « Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Iesu »; et post: « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem »; et ideo Actuum decimo quarto: « Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei ». Si enim oportuit, pati Christum ad introeundum in gloriam *suam,* quanto magis oportet, et nos pati, ut intremus in *alienam?* Et ideo consobrinis suis petentibus sedere a dextris respondit Matthaei vigesimo [7]: « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum »? Ibi Hieronymus: « Sciebat, qui passionem eius poterant imitari; sed hoc dixit, ut eo interrogante, et illis respondentibus, omnes audiamus, quia nullus potest cum Domino regnare, nisi passionem eius fuerit imitatus ». — Opportunum etiam erat propter *complementum omnium Scripturarum;* unde supra decimo octavo [8]: « Consummabuntur omnia, quae scripta sunt de Filio hominis per Prophetas ». Sicut enim arca in cubito consummata est [9], sic omnia verba Scripturae in hoc Verbo abbreviata, *nato* scilicet, *passo, sepulto* et *resuscitato;* propter quod Isaiae decimo: « Consummationem et abbreviationem faciet Deus exercituum in medio omnis terrae ».

Ratio passionis Christi prima.

Secunda.

Tertia.

34. (Vers. 27.). Et ideo ad istius explicationem subiungit Evangelista: *Et incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant.* Omnes enim Scripturae et prophetiae principaliter ad Christum habent respectum. In cuius designationem dicitur Exodi vigesimo quinto [10], quod « duo Cherubim respiciebant se mutuo versis vultibus in propitiatorium », id est duo testamenta ad Christum. Huius figuram gessit Adam, de cuius latere formata est Eva, Genesis secundo [11]; huius etiam sanctus Abel a fratre interfectus, Genesis quarto; huius figuram gessit et « Noe nudatus in tabernaculo suo », Genesis nono [12]; huius, Isaac oblatus a patre, Genesis vigesimo secundo; huius,

Christus exponit Scripturas.

Figurae Christi plurimae.

---

[1] Vers. 4. — Sequitur Col. 3, 1. seq.

[2] Vers. 11, post quem I. Cor. 2, 14, in cuius fine pro *examinatur* C D G *examinantur.*

[3] Vers. 3. Theophylact., in Luc. 24, 25-35: Quoniam mente humano more affecti erant multaque dubitatione laborabant, *stultos* vocat et *tardos ad credendum in omnibus,* quae locuti fuerant Prophetae. Credere enim possumus et ex parte et in totum... Oportet autem *in omnibus,* tam his quae gloriae sunt quam quae ignominiae, credere Prophetis etc.

[4] Vers. 14. Vat. cum Vulgata omittit *a mortuis.*

[5] Vers. 10. et deinde 4, 25: *Traditus est propter* etc.

[6] Vers. 21. — Sequuntur Phil. 2, 5. et 8; Act. 14, 21.

[7] Vers. 22. Sententia seq. in hunc locum, quae a codd. tribuitur *Hieronymo*, exhibetur ibidem a Glossa *ordinaria (Et hoc sciebat, quod eius passionem* etc.) et sumta est ex *Chrysostomo* (Homil. 35. in Matth. 24, 22. Op. imperfect.): Nunquid nesciebat Dominus, quia passionem ipsius poterant imitari? Sed ideo eis dicit, ut Domino interrogante etc. Cfr. tom. V. pag. 547, nota 4.

[8] Vers. 31, in cuius expositione ostendit S. Bonav., quomodo in Christo omnia sunt consummata.

[9] Gen. 6, 16: In cubito consummabis summitatem eius. — Gregor., II. Homil. in Ezech. homil. 4. n. 17: In uno ergo cubito consummatur arca, quia unus est auctor et redemptor sanctae Ecclesiae sine peccato, ad quem et per quem omnes proficiunt, qui se esse peccatores noverunt. Cfr. tom. V. pag. 258, nota 2. — Subinde allegatur Isai. 10, 23.

[10] Vers. 20. August., Qq. in Exod. q. 105: Duo vero Cherubim pennis suis obumbrant propitiatorium, id est, honorant velando, quoniam mysteria ista ibi sunt; et invicem se attendunt, quia consonant; duo quippe ibi testamenta figurantur etc. Cfr. supra c. 20. n. 51.

[11] Vers. 21. Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XVIII. c. 3. et Comment. a. 1. q. 1. in corp. et dub. 1. — Sequitur Gen. 4, 8.

[12] Vers. 21. Cfr. supra pag. 577, nota 8. — Tres seqq. loci sunt Gen. 22, 2. seqq.; 28, 11. seq. (Secundum Glossam *ordinariam* ex Isidor. Qq. in vet. testam. in Genes. c. 24. n. 2. seqq.: Dormitio Iacob in itinere, mors Christi in cruce. Lapis capiti

lapis et scala Iacob, Genesis vigesimo octavo; huius, Ioseph venditus a fratribus, Genesis trigesimo septimo; huius, Moyses in virga educens populum Domini de Aegypto, Exodi decimo quarto[1]; huius, Iosue introducens populum in terram promissionis, quarto; huius, Gedeonis vellus, et ipse Gedeon, Iudicum sexto[2]; huius, et Samson, Iudicum decimo sexto; huius, et Samuel postulatus a Domino, primi Regum primo[3]; huius, et sanctus David eiectus ab Absalom, secundi Regum decimo quinto; huius, Ezechias, cuius tempore retrocessit sol, quarti Regum vigesimo; huius, Iosias, cuius mors lamentabilis fuit Iudaeis, secundi Paralipomenon trigesimo quinto; huius, universitas Sanctorum praecedentium et specialiter Iob, Tobias, Elias, Eliseus et Ieremias[4]; huius, omnia sacrificia et specialiter agnus paschalis; huius etiam figura erat tabernaculum cum in eo contentis, et maxime altare, arca, candelabrum et mensa; huius figura fuit templum; huius figura regnum et sacerdotium. Unde Augustinus contra Faustum[5]: « Quis potest, non dico una brevi responsione, sed quolibet ingenti volumine omnia commemorare praeconia Prophetarum de Domino Salvatore nostro Iesu Christo? Quoniam omnia, quae in illis continentur libris, vel de ipso dicta sunt, vel propter ipsum. Sed propter exercitationem quaerentis et delectationem invenientis multa ibi per allegorias et aenigmata partim verbis solis insinuantur, partim etiam facta narrantur ». Quod ergo dicitur hic, quod *interpretabatur in omnibus Scripturis,* non ad omnia, quae de Christo dicuntur, referendum est, sed ad ea, in quibus evidentius et manifestius Christi passio et resurrectio prophetantur.

### Associatio in comestione describitur per tria.

35. (Vers. 28.). *Et appropinquaverunt castello* etc. Post descriptam associationem in itinere et collocutionem hic tertio[6] describit *associationem in comestione,* ubi in fractione panis Christus apparuit. Circa quam describendam tria introducuntur ab Evangelista, scilicet *Christi susceptio affectuosa, ipsius recognitio clara* et *occultatio dispensativa.*

Primo igitur quantum ad *susceptionem Christi affectuosam* dicit: *Et ut appropinquaverunt castello, quo ibant, et ipse se finxit longius ire.* Hoc autem faciebat Dominus, non simulando, sed potius occasionem dando, ut affectuosius invitarent et magis mererentur. Simile habetur Marci sexto[7]: « Circa quartam vigiliam noctis venit ad eos et volebat praeterire eos »; super quo Augustinus: « Quomodo intellexerunt Apostoli, Dominum velle praeterire eos, nisi quia in diversum ibat »? Sic et nunc intelligendum, quod *se fingebat,* id est, praeparabat ad longius procedendum, quod et fecisset, nisi eum affectuose hospitio suscepissent; ideo hoc faciebat ad excitandam devotionem, non propter simulationem[8]. *Susceptio Christi affectuosa.*

36. (Vers. 29.). Propter quod subdit: *Et coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum, quoniam*[9] *advesperascit, et inclinata est iam dies. Et intravit cum illis.* Gregorius[10]: « Hoc exemplo colligitur, quod peregrini ad hospitium non solum sunt vocandi, verum etiam trahendi »; et ideo ad Hebraeos ultimo[11]: « Hospitalitatem nolite oblivisci. Per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio receptis ». Super quo dicit Chrysostomus: « Propterea magna merces est Abraham, quia nesciens, Angelos esse, hospitio recepit; quia, si scivisset, nihil mirabile ». Sic et magna merces fuit istis, quia, si Christum cognovissent et hospitio recepissent, non esset magnum; sed ipsum peregrinum et quasi advenam sic violenter ad se traxerunt; Iob trigesimo primo[12]: « Foris non mansit peregrinus »; et Isaiae quinquagesimo octavo: « Frange esurienti panem tuum ».

37. (Vers. 30.). Secundo quantum ad *Christi recognitionem apertam* subdit: *Et factum est, dum recumberet cum eis*[13], *accepit panem et benedixit ac fregit et porrigebat illis.* Nam hic erat mos Christi, ut semper benedictionem praemitteret ante manducationem. Nam, primae ad Timotheum quarto[14], *Recognitio clara.*

suppositus Christus est secundum humanitatem; caput autem Christi Deus; lapis igitur capiti Iacob suppositus significat humanitatem Christi coniunctam Deo assumenti. Scala Christus est, qui dixit: *Ego sum via;* per hanc ascendunt Angeli, id est praedicatores, ad intelligendam Divinitatem Christi; descendunt vero, ut inveniant eum in humanitate sua etc.); et 37, 27. seq. Cfr. supra c. 23. n. 39, ubi etiam plura alia exempla afferuntur.

[1] Vers. 16. et deinde Iosue 4, 10. seqq.

[2] Vers. 36. seq., post quem 16, 2. seqq.

[3] Vers. 20. — Sequuntur II. Reg. 15, 14; IV. Reg. 20, 10. seq. (cfr. supra c. 15. n. 16. et c. 21. n. 42.) et II. Paralip. 35, 24. (cfr. supra pag. 573, nota 7.). Vide S. Bonav. in Hexaëm. collat. 14. n. 18. seqq.

[4] Cfr. Isidor., Allegoriae quaedam sacrae Script., ubi recensentur homines principales, *qui* et *quomodo* Christum figuraverint.

[5] Libr. XII. c. 7, ubi Vat. cum textu originali *quandoquidem* pro *Quoniam* et *multo plura* pro *multa.*

[6] Cfr. supra n. 17. — Superius pro *collocutionem* D G H *collationem;* vide supra pag. 591, notam 9.

[7] Vers. 48. — August., II. de Consensu Evangelist. c. 47. n. 99: Quomodo enim hoc [quod Christus eos praeterire volebat] intelligere potuerunt, nisi quia in diversum ibat, eos volens tanquam alienos praeterire, a quibus ita agnoscebatur, ut phantasma putaretur?... Quomodo ergo eos volebat praeterire, quos paventes ita confirmat [cfr. Marc. 6, 50.], nisi quia illa voluntas praetereundi ad eliciendum illum clamorem valebat, cui subveniri oportebat?

[8] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 22. n. 1: Probandi autem erant, si hi qui eum etsi necdum ut Deum diligerent, saltem ut peregrinum amare potuissent.

[9] Codd. A C D *quia.*

[10] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 22. n. 1.

[11] Vers. 2, ubi pro *placuerunt* Vulgata *latuerunt.* Sententia Chrysost. in hunc locum habetur Homil. 33. in Epist. ad Hebr. n. 1. Respicitur Gen. 18, 3. seqq., ubi de Abraham Angelos hospitio recipiente; simile habetur Gen. 19, 2. de Lot.

[12] Vers. 32, cui subiungitur Isai. 58, 7.

[13] Codd. C D H *illis;* ita etiam Beda.

[14] Vers. 3. et deinde v. 4. seq.

« creavit Deus cibos ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus »; et post: « Nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione suscipitur, sanctificatur enim per verbum Dei et orationem ». Et propterea consuetum est, maxime clericis et religiosis, ante cibum praemittere benedictionem. Et hinc est, quod Gregorius narrat in Dialogo [1] de muliere, quae comedebat lactucam cum aviditate, quod diabolus eam obsedit. Quia igitur hic peregrinus conformabat se Christo in benedictione et etiam in modo frangendi panem, manuducti fuerunt ad ipsius cognitionem [2].

Notandum.

38. (Vers. 31.). Et ideo subdit: *Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum.* Aperuit autem Dominus oculos eorum potius in *fractione panis* quam in *expositione Scripturarum* ad ostendendum, quod non « auditores legis, sed factores iusti sunt apud Deum », secundum illud ad Romanos secundo [3]: « Non auditores legis, sed factores iustificabuntur »; unde Gregorius: « Veritas melius operando quam audiendo intelligitur ». Unde [4]: « A mandatis tuis intellexi », et iterum Psalmus: « Super omnes docentes me intellexi, quia mandata tua quaesivi ». — Vel hoc fecit *propter mysterium.* Unde Beda [5]: « Hoc fecit, ut omnes intelligant, se Christum non cognoscere, nisi fiant participes corporis eius, id est Ecclesiae, cuius unitatem commendat Apostolus in Sacramento panis dicens: *Unus panis, unum corpus multi sumus* », primae ad Corinthios decimo. Et in huius figuram dicitur primi Regum decimo quarto [6], quod Ionathas comedit, « et illuminati sunt oculi eius »; quia ad veram Christi contemplationem et speculationem non pervenit quis, nisi ad mensam eius sedeat, secundum illud Apocalypsis secundo: « Vincenti dabo manna absconditum et dabo illi calculum candidum; et in calculo nomen scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit ». Et propterea dicitur de sapientia Proverbiorum nono [7], quod « proposuit mensam, miscuit vinum et misit servos, ut vocarent ad arcem et ad moenia civitatis ».

Aperti oculi eorum. Ratio 1. Ratio 2. Figura.

39. Tertio quantum ad *occultationem dispensativam* subiungitur: *Et ipse evanuit ex oculis eorum.* Beda [8]: « Subtrahitur carnalibus oculis species infirmitatis, ut mentibus incipiat apparere gloria resurrectionis ». Nam in subtractione praesentiae corporalis excitat ad desiderium praesentiae spiritualis, quae est ex inflammatione desiderii ex recordatione Christi.

Occultatio dispensativa.

40. (Vers. 32.). Et ideo subditur: *Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur [9] in via et aperiret nobis Scripturas?* Verbum namque Christi inflammaverat corda eorum, quia verbum Dei igneam habet naturam propter inflammationem amoris. Unde Ieremiae vigesimo tertio [10]: « Nunquid non verba mea quasi ignis et quasi malleus conterens petram »? et Psalmus: « Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud ». Hoc autem facit Verbum immittendo Spiritum sanctum; unde Beda [11]: « Ex audito sermone cor prius torpore incredulitatis et timoris frigidum igne sancti Spiritus est accensum, ut iam superno desiderio ardeat. Quot enim praeceptis instruitur homo, quasi tot facibus inflammatur ».

Corda inflammantur.

41. Et nota, quod verbum Domini inflammat ad *ardorem zeli;* propter quod Proverbiorum trigesimo [12]: « Omnis sermo Dei ignitus clypeus est omnibus sperantibus in se »; Ieremiae vigesimo: « Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis exaestuans claususque in ossibus meis ». Et de hoc ardore dicitur Sophoniae ultimo: « In igne zeli mei devorabitur omnis terra ». — Inflammat etiam ad *ardorem desiderii;* supra duodecimo [13]: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur » etc. Unde et supremus ordo Angelorum, in

Inflammatio duplex.

---

[1] Libr. I. c. 4.

[2] Christum hic consecrasse, tenet August., III. de Consensu Evangelist. c. 25. n. 72; Serm. 234. (alias 27. de Diversis) n. 2. et Serm. 235. (alias 140. de Tempore) c. 2. n. 3; Beda, VI. in Luc. 24, 35. (cfr. infra n. 38.); Chrysost., Homil. 17. in Matth. 7, 6. in fine (Op. imperfect.); Theophylact., in Luc. 24, 25-35. Cfr. Cornel. a Lapide et Aug. Calmet in Luc. 24, 30.

[3] Vers. 13. Cfr. Iac. 1, 22. seq. — Sententia Gregorii habetur II. Homil. in Evang. homil. 23. n. 1. seq. (cfr. XI. Moral. c. 15. n. 24.) et proponitur verbis Glossae *ordinariae* in Luc. 24, 30: Quem in expositione Scripturae non cognoverunt in fractione panis noverunt, quia *non auditores legis, sed factores iustificabuntur,* et veritas melius operando quam audiendo intelligitur.

[4] Ut dicitur in Ps. 118, 104. et deinde v. 99. seq.

[5] Libr. VI. in Luc. 24, 35, ubi sequitur August., III. de Consensu Evangelist. c. 25. n. 72. Eadem verba refert Glossa *ordinaria* in Luc. 24, 32. et allegatur in ipsis I. Cor. 10, 17.

[6] Vers. 27. — Sequitur Apoc. 2, 17.

[7] Vers. 2. seq. Pro *servos* Vat. cum Vulgata *ancillas suas.* — August., Serm. 239. (alias 146. de Tempore) c. 2. n. 2: Quid putamus, si tunc *aperti sunt oculi eorum?* Ergo clausis oculis in via cum illo comitabantur et poterant scire, ubi gressus ponerent, si clausos oculos haberent? Aperti sunt ergo ad cognitionem, non ad visionem. Cfr. III. de Consensu Evangelist. c. 25. n. 72.

[8] Ita etiam Card. Hugo; Gorranus vero habet *Glossa,* scilicet *ordinaria* in Luc. 24, 31, in qua haec sententia occurrit. Cod. H *Glossa Bedae* (Glossa ipsa nullum auctorem nominat). Cfr. S. Bonav., Comment. in Ioan. c. 16. n. 13. et 24, ubi simili modo exponitur illud: *Expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos;* et Collat. in Hexaëm. collat. 19. n. 21.

[9] Codd. C D G addunt *nobis,* quod subinde post *aperiret* omittunt.

[10] Vers. 29, post quem Ps. 118, 140. August., Serm. 234. (alias 87. de Diversis) n. 3: Quo igne [caritatis] et illi duo in via ardebant... Ardete igne caritatis, ut a daemonibus vos discernatis. Ardor iste sursum vos rapit, sensum tollit, in caelum levat. Quidquid molestiarum passi fueritis in terra... summa petit ardor dilectionis.

[11] Libr. VI. in Luc. 24, 32, ubi sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 5, quem etiam Glossa *ordinaria* in Luc. 24, 32. allegat. Sententia Bedae exhibetur verbis praedictae Glossae. Cod. B cum textu originali post *ardeat* addit *et ad credendam veritatem se extendat.*

[12] Vers. 5; deinde Ier. 20, 9. seq. et Sophon. 3, 8.

[13] Vers. 49. — Pro *ardorem desiderii* Vat. *amorem desiderii.*

quem prius descendit illuminatio divinorum eloquiorum, *Seraphim* appellatur, id est ardens[1]; ideo Psalmus: « Sagittae potentis acutae cum carbonibus desolatoriis ». Hunc ardorem concomitatur *liquefactio* suavissimarum affectionum; ideo Ecclesiastici decimo octavo[2]: « Nonne ardorem refrigerabit ros »? et Canticorum quinto: « Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locutus est »; et Psalmus: « Emittet verbum suum et liquefaciet ea ».

*Tertio, de certitudine apparitionis.*

42. *Et surgentes eadem hora* etc. Post descriptam revelationem resurrectionis et apparitionem resurgentis in hac parte[3] describit *certitudinem apparitionis*. Dividitur autem haec pars in tres. In quarum prima praemittitur *apparitionum pluralitas* ad testimonium; in secunda vero, *apparitionis probabilitas* in argumentum, ibi[4]: *Quid turbati estis?* in tertia, *apparitionis infallibilitas* in fidei firmamentum, ibi: *Et dixit eis: Haec sunt verba.*

Divisio.

Circa *apparitionum pluralitatem* insinuandam duo introducuntur, scilicet enarratio *apparitionis Christi specialis* et *communis*, in qua apparuit discipulis omnibus.

Primo, de apparitionum pluralitate tanguntur duo.

43. (Vers. 33.). Primo igitur quantum ad *apparitionem specialem* dicit: *Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem,* ad nuntiandum quod viderant, secundum illud quarti Regum septimo[5]: « Haec dies boni nuntii est; si tacuerimus et noluerimus nuntiare usque mane, sceleris arguemur ». Ex quo apparet fervor discipulorum, quia, cum esset iam nox, sicut ex praecedentibus[6] apparuit, nec viae prolixitas nec noctis obscuritas retardavit; tantus enim erat amor ad collegium apostolicum, quod Ierosolymis erat.

Apparitio specialis.

44. (Vers. 33. 34.). Et ideo addit: *Et invenerunt congregatos undecim et eos qui cum ipsis*[7] *erant, dicentes: Quod surrexit Dominus vere et apparuit Simoni;* ac per hoc invenerunt gaudentes, ut vere possit dici[8]: « Ecce, quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum »! Omnes enim participes erant gaudii ex apparitione, quae facta est Petro. Apparuit autem Dominus Petro ante quam aliis; unde Glossa[9]: « Primo omnium virorum apparuit Petro; quod, etsi non dicit Evangelista, quando, vel ubi factum est, tamen, quia factum est, non tacet ».

Apparuit Petro.

45. (Vers. 35.). Et quia iustorum gaudia debent esse communia[10], ideo subdit: *Et ipsi narrabant quae gesta erant in via, et quomodo cognoverunt eum in fractione panis.* Ex hoc igitur apparet, quod Christus pluries apparuit eadem die, scilicet quinquies: quia primo Mariae Magdalenae, Ioannis vigesimo[11]; secundo mulieribus, Matthaei ultimo; tertio, Petro, sicut dicit hic; quarto discipulis euntibus in Emmaus, supra eodem; quinto discipulis congregatis absque Thoma, Ioannis vigesimo et hic. — Et ideo in huius commemorationem sacerdos quinquies in Missa se vertit ad populum; sed tertia versio est cum silentio, quae signat apparitionem factam Petro, quae non narratur quando et quomodo fuit[12]. — Apparuit etiam ante ascensionem quinque aliis vicibus, primo scilicet post octo dies, praesente Thoma, Ioannis vigesimo[13]; septimo apparuit ad mare Tiberiadis, Ioannis ultimo; apparuit octavo in monte Galilaeae, Matthaei ultimo: « Undecim discipuli abierunt in Galilaeam »; apparuit nono in coenaculo in Ierusalem, Marci ultimo; apparuit decimo in monte Oliveti, quando ascendit; Actuum primo: « Et convescens praecepit eis, ab Ierosolymis ne discederent ». Et sic per interpolationem decem vicibus apparuit in quadraginta diebus[14], post quos, decem diebus transactis, misit Spiritum sanctum. — De his decem apparitionibus Ioannes exprimit quatuor, Lucas tres, Matthaeus duas et Marcus unam, ut sic ex suo modo narrandi appareat mysterium et sufficientia apparitionum.

Eadem die Christus quinquies apparuit.

Notandum.

Postea iterum quinquies.

Notandum.

46. (Vers. 36.). Secundo quantum ad *apparitionem communem* subdit: *Cum*[15] *autem haec loquerentur, stetit Iesus in medio eorum et dixit eis: Pax vobis. In medio stetit,* quia ipse est mediator; primae ad Timotheum secundo[16]: « Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus »; et ideo

Apparitio communis.

---

[1] Hieron., Epist. 18. (alias 142. et 143.) n. 6: *Seraphim... ardor, aut incendium, aut principium oris eorum interpretantur.* — Sequitur Ps. 119, 4.

[2] Vers. 16. — Duo seqq. loci sunt Cant. 5, 6. et Ps. 147, 18. — Superius vocibus *Hunc ardorem* A interserit *autem.*

[3] Cfr. supra n. 1.

[4] Vers. 38: *Et dixit eis: Quid turbati estis?* Tertia pars incipit v. 44, ubi pro *eis* Vat. cum Vulgata *ad eos*, quod etiam codd. inferius n. 56. exhibent. — Codd. hic *fidei fundamentum* pro *fidei firmamentum*, quod tamen ipsi codd. inferius n. 56. habent.

[5] Vers. 9.

[6] Vers. 29. n. 36.

[7] Ita etiam Beda et alii Scholastici, ut Card. Hugo, B. Albert. etc.; Vat. cum Vulgata *cum illis.* Subinde pro *Quod surrexit* A C D G H *Quia surrexit.*

[8] Psalm. 132, 1. — Superius post *invenerunt* secunda manus in D addidit *eos.*

[9] Scilicet *interlinearis* (secundum August., III. de Consensu Evangelist. c. 25. n. 71.). Cfr. Ambros., X. in Luc. c. 24. n. 173. seq.

[10] Vide supra c. 1. n. 21. verba Ambrosii.

[11] Vers. 16. — Subinde allegantur Matth. 28, 9; Luc. 24, 34. (de Petro) et v. 13. seqq. (de discipulis euntibus in Emmaus); Ioan. 20, 24. et Luc. 24, 36. (de contrarietate inter Ioan. et Lucam cfr. infra n. 48.). Vat. ibi omittit *et hic.*

[12] Idem observat Card. Hugo.

[13] Vers. 26. et deinde 21, 1; Matth. 28, 16; Marc. 16, 14. et Act. 1, 4. Cfr. S. Bonav., Collat. in Ioan. collat. 75. n. 1.

[14] Cfr. Act. 1, 3. et 2, 1. seqq. (de missione Spiritus S.).

[15] Ita codd. C D H et Gorranus, Vat. cum Vulgata *Dum;* subinde pro *loquerentur* et *dixit* (ita etiam B. Albert. et Gorranus) Vulgata *loquuntur* et *dicit.*

[16] Vers. 5, post quem Ioan. 1, 26.

Ioannis primo: « Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis ». Et ideo in huius figuram Apocalypsis primo[1]: « Vidi in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis » etc. Sed ideo dixit:

Figura.

Pacem facit, dat, annuntiat.

*Pax vobis*, quia ipse est *pacis factor;* ad Ephesios secundo[2]: « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum »; et ad Colossenses primo: « Pacificans per sanguinem eius sive quae in terris, sive quae in caelis sunt ». Ipse est etiam *pacis dator;* Ioannis decimo quarto[3]: « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis ». Ipse etiam est *pacis annuntiator;* ad Ephesios secundo: « Veniens annuntiabat pacem his qui prope, et his qui longe fuistis ». Et ideo Evangelium Christi est Evangelium pacis; Isaiae quinquagesimo secundo: « Quam pulcri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem » etc. — Et quia ex insolita apparitione consueverunt homines obstupescere, ideo subdit: *Ego sum, nolite timere.* Vere dicit: *Ego sum*, quia ipsius est dicere: « Ego sum qui sum », sicut dicitur Exodi tertio[4]. Ipsius est effugare timorem, et ideo dicit: *Nolite timere.* Ideo autem confortabat eos, quia insolito more inter eos apparebat, et talis modus apparendi terret et turbat.

Terror discipulorum.

47. (Vers. 37.). Propter quod subdit: *Conturbati vero et conterriti, existimabant, se spiritum videre.* Ideo autem *territi* sunt, quia eum mortuum in cruce viderant, et quia timebant, ne « satanas transfiguraret se in angelum lucis[5] », et quia venerat, *ianuis clausis;* unde Ioannis vigesimo: « Cum ergo sero esset die illo una Sabbatorum, et fores essent clausae, venit Iesus et stetit in medio et dixit eis: Pax vobis ».

Contrarietas Evangelistarum solvitur.

48. Sed in hoc contrarietas videtur inter Lucam et Ioannem, quia Ioannis vigesimo[6] dicitur: « Gavisi sunt discipuli, viso Domino ». — Sed non est contrarietas, quia primo sunt territi, sed post, ostensis manibus et latere, sunt gavisi[7]. — Contrarietas etiam videtur, quia Ioannes[8] dicit, quod « Thomas non erat cum eis, quando venit Iesus »; Lucas autem dicit, quod « invenerunt undecim congregatos ». — Sed ad hoc respondet Augustinus[9], quod Thomas erat cum discipulis, quando illi duo redierunt, sed postmodum exivit, antequam eis loquentibus Dominus appareret.

Item, alia.

Secundo, de apparitionis probabilitate tanguntur duo.

49. (Vers. 38.). *Et dixit eis: Quid turbati estis* etc. Post descriptam apparitionum pluralitatem describit hic *apparitionis probabilitatem et certitudinem probabilem*[10]. Dupliciter autem probari habet et discerni certa discretione corpus et spiritus, scilicet per usum *tactus* et *gustus*, et secundum hoc probat Christus dupliciter se habere verum corpus secundum hunc duplicem sensum.

Testimonium tactus.

Primo quantum ad *testimonium tactus* dicit: *Et dixit eis: Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra?* Signanter dicit *ascendunt*, quia *bonae descendunt* a superiori; Iacobi primo[11]: « Omne datum optimum desursum est, descendens » etc.; *malae* vero ab inferiori *ascendunt;* Apocalypsis nono: « Ascendit fumus putei, et obscuratus est sol et aër de fumo putei ».

Notandum.

Purgatio cogitationum per tactum.

50. (Vers. 39.). Et quia cogitationes istae veniebant ab *interiori*, ideo exterius proponit per quod purgentur, cum subdit: *Videte manus meas et pedes*[12], *quia ego ipse sum,* quasi dicat: si putatis per visum ludificari, saltem per sensum tactus efficiamini certi. — Et ideo subdit: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Hoc fecit in *argumentum resurrectionis suae;* unde dicitur primae Ioannis primo[13]: « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae, et vita manifestata est, et vidimus et testamur et annuntiamus vobis vitam aeternam ». Hoc etiam fecit in argumentum resurrectionis et *exemplum nostrae glorificationis;* unde Glossa[14] dicit: « Dum palpanda ossa carnemque monstrat, aperte statum suae vel nostrae

---

[1] Vers. 12. seq. Cfr. supra pag. 104, nota 3. et pag. 124, nota 12. et Collat. in Ioan. collat. 4. per totam.

[2] Vers. 14. et deinde Col. 1, 20. Codd.: *Pacificans per sanguinem crucis suae et quae in terris et quae* etc.

[3] Vers. 27. — Duo seqq. loci sunt. Eph. 2, 17. et Isai. 52, 7.

[4] Vers. 14.

[5] Epist. II. Cor. 11, 14. — Sequitur Ioan. 20, 19. Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 24, 37. seq.: Noverant discipuli, [Iesum] fuisse verum hominem; sed postquam mortuus est, non credunt, tertia die potuisse veram carnem de sepulcro resurgere. Putant ergo, se videre spiritum, quem emisit in passione; sed hunc errorem aufert Dominus: *Quid turbati estis* etc. — Superius A C D omittunt *et quia timebant.*

[6] Vers. 20, post quem B addit *Lucas dicit: Conturbati et conterriti* etc.

[7] Ambros., X. in Luc. c. 24. n. 179: Lucas ergo historice singula prosecutus est; ille [Ioannes] finem spectavit, hic seriem.

[8] Cap. 20, 24. — Luc. 24, 33.

[9] Libr. III. de Consensu Evangelist. c. 25. n. 74: « Procul dubio intelligendum est, quod inde Thomas exierit, antequam eis Dominus haec loquentibus appareret ». Idem dicit Beda et Glossa *ordinaria* in Luc. 24, 36.

[10] Cfr. supra n. 42. — Cod. II omittit *probabilem*, Vat. *et certitudinem probabilem.* Superius pro *apparitionum* A C D *apparitionis.* Inferius post *discerni* A C D II legunt *circa discretionem corpus et spiritus, scilicet* etc.

[11] Vers. 17. — Subinde allegatur Apoc. 9, 2. Beda, VI. in Luc. 24, 38: Tanquam bonus agricola diceret: Quod ibi plantavi, ibi inveniam, non spinas, quas non plantavi; in cor vestrum *descendat*, quia desuper est; *cogitationes* autem istae non desuper descenderunt, sed in ipso corde sicut herba mala *ascenderunt.*

[12] Codd. C D II addunt *meos*, quod etiam August., III. de Consensu Evangelist. c. 25. n. 74. exhibet. — Inferius pro *per visum ludificari* Vat. *per visum illudi.*

[13] Vers. 1. et 2. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 24, 39: Multis documentis persuadet resurrectionem praebendo se et oculis videndum et manibus contrectandum.

[14] Scilicet *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur Gregor., XIV. Moral. c. 56. n. 72.) in Luc. 24, 39: *Dum palpando ossa* etc. Vat. allegat verba ipsius Bedae.

resurrectionis significat; in qua corpus nostrum et *subtile* erit per effectum spiritualis potentiae, et *palpabile* per veritatem naturae ».

51. Sed haec duo videntur esse simul contraria et fidem non astruere, sed potius impedire. Unde Glossa[1]: « Post resurrectionem Dominus in corpore suo duo contraria ostendit: et corpus *palpabile* eiusdem naturae, ut informet ad fidem, et *incorruptibile* alterius gloriae, ut invitet ad praemium ». — Sed Gregorius[2] haec dissolvit, dicens: « Duo mira et iuxta humanam rationem sibi contraria Dominus ostendit »; sed secundum veritatem non sunt contraria, quia corpus gloriosum et per potestatem potest immutare sensum et resistere seu movere aliud, et per virtutem potest penetrare corporis sensum[3]. Unde hoc non erat contrarium, licet videatur.

Difficultas.

Solutio.

52. (Vers. 40.). Similiter ad maiorem certitudinem non tantum corpus exhibuit palpabile, verum etiam ostendit *corporis cicatrices;* unde subdit: *Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes,* cum cicatricibus scilicet. Has autem Dominus servavit, ut dicit Beda[4], quatuor de causis: « Primo ad astruendam fidem resurrectionis. Secundo, ut Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pertulerit, semper ostendat. Tertio, ut sua morte redemptis, quam misericorditer sint adiuti, propositis eiusdem mortis indiciis insinuet. Postremo, ut in iudicio, quam recte damnentur impii, denuntiet »; Apocalypsis primo[5]: « Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt ». — Posset etiam et alia ratio assignari, scilicet ad affectum nostrum frigidum inflammandum, ut dicit Ambrosius[6]. Et sexto, in victoriae signum; unde Beda[7]: « Non ex impotentia servavit cicatrices, sed ut perpetuae victoriae suae circumferat triumphum ». Septimo in dilectionis indicium praecipuum; unde Isaiae quadragesimo nono[8]: « In manibus meis descripsi te »; et Canticorum octavo: « Pone me ut signaculum super cor tuum ».

Ostendit cicatrices.

Ratio quadruplex Bedae.

Aliae tres.

53. (Vers. 41.). Secundo quantum ad *testimonium gustus* subdit: *Adhuc autem illis non credentibus et mirantibus prae gaudio dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur?* ut, si non movet visus, non movet auditus, non movet tactus, saltem moveat gustus; et hoc est expressum signum suscitationis; unde Dominus, postquam suscitavit puellam, « iussit ei dari ad manducandum », supra octavo[9]; et Ioannes, duodecimo, dicit de Lazaro, quod « unus erat ex discumbentibus ». Et sic Christus sensuum usu probavit, se vere resurrexisse, ut discipuli certificarentur, et nos in eis.

Testimonium gustus.

54. (Vers. 42. 43.). Et ideo subdit: *At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis.* Hoc autem Christus non abscondite, sed publice in suae resurrectionis argumentum manducavit; unde subdit: *Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.* Manducavit autem Dominus non ex indigentia, sed ex potentia; unde sicut « radius solis aliter absorbet aquam, aliter terra, quia ille potestate, ista indigentia[10] »; ita Christus ante resurrectionem cibum sumsit ex necessitate, post resurrectionem autem consumsit propria virtute. Et ideo Augustinus decimo tertio de Civitate Dei[11]: « Non potestas, sed egestas edendi ac bibendi gloriosis corporibus auferetur ». Fuit igitur argumentum verum resurrectionis veritas comestionis.

Publice manducat.

Notandum.

55. Et attendendum, quod per *piscem assum* intelligitur afflictio humanitatis assumtae; unde Beda[12]: « *Piscis assus,* ipse Mediator passus, in aquis humani generis captus, assatus tempore passionis ». In huius figuram dicit Tobias, sexto[13], de pisce capto: « Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus daemoniorum ». Hic est piscis, in cuius ore invenitur pretium nostrae redemptionis, secundum quod insinuatur Matthaei decimo septimo[14]. — Per *favum* autem *mellis* intelligitur Christus ut Deus et ut glorificatus. Unde Beda[15]: « Christus favus mellis in resurrectione nobis est. Favus mellis in cera est Deitas in humanitate »; Psalmus[16]: « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus ». Et ideo in cantico Deuteronomii: « Ut sugeret

Sensus mysticus piscis assi.

Item, favi mellis.

---

[1] Nempe *ordinaria* (secundum Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 1.) in Luc. 24, 39. Post *palpabile* C D G H addunt *et*.

[2] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 1.

[3] Cfr. IV. Sent. d. 49. p. II. sect. 2. per totam; et Breviloq. p. VII. c. 7.

[4] Libr. VI. in Luc. 24, 40. Sententia ipsius exhibetur verbis Glossae *ordinariae.*

[5] Vers. 7.

[6] Libr. X. in Luc. c. 24. n. 170: In qua non solum fidem firmat, sed etiam devotionem acuit etc. Cfr. tom. VI. pag. 517, nota 8.

[7] Libr. VI. in Luc. 24, 40. Sententia ipsius affertur verbis Glossae *ordinariae:* Non ex impotentia *curandi* (ita etiam H) servavit etc.; cfr. tom. VI. pag. 518, nota 1.

[8] Vers. 16, post quem Cant. 8, 6.

[9] Vers. 55, cui subiungitur Ioan. 12, 2.

[10] August., Epist. 102. (alias 49.) seu libr. ad Deogratias, q. 1. n. 6: Quomodo autem contrarium est, et Christum post resurrectionem cibatum et in resurrectione, quae promittitur, ciborum indigentiam non futuram, cum et Angelos legamus, [Gen. 19, 3; Tob. 12, 19.] eiusdem modi escas eodemque modo sumsisse, non ficto et inani phantasmate, sed manifestissima veritate, nec tamen necessitate, sed potestate? Aliter enim absorbet terra aquam sitiens, aliter solis radius candens. Illa indigentia, iste potentia. Cfr. tom. II. pag. 220, nota 1. Idem insinuat Glossa *ordinaria* in Luc. 24, 41.

[11] Cap. 22. Cfr. tom. VI. pag. 524, nota 4.

[12] Libr. VI. in Luc. 24, 42, qui sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 24. n. 5. Sententia ipsius exhibetur verbis Glossae *ordinariae,* in qua post *captus* additur *laqueo mortis.* Cfr. tom. VI. pag. 522, nota 4. verba August.

[13] Vers. 8; cfr. supra c. 11. n. 39. circa finem.

[14] Vers. 26, ubi Glossa *ordinaria* (apud Lyranum ex Hieron.): Christus est piscis, in hoc mari moratus, qui primus morti pro redemptione se obtulit, ut id quod in ore eius, id est in confessione, fuerat inventum, pro Petro et Domino daretur.

[15] Libr. VI. in Luc. 24, 42, ubi sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 24. n. 5. Sententia allegatur secundum Glossam *ordinariam.*

[16] Psalm. 33, 9, post quem Deut. 32, 13.

mel de petra oleumque de saxo durissimo ». —

*Notandum.*

Hic est igitur cibus, in quo Christus delectatur, quia omnis delectatio est in se ipso. Huius cibi reliquias manducant viri spirituales; de quibus Sapientiae decimo sexto[1]: « Praeparatum panem de caelo praestitisti illis sine labore »; Psalmus: « In reliquiis tuis praeparabis vultum eorum ».

*Apparitionis infallibilitas dupliciter confirmatur.*

56. (Vers. 44.). *Et dixit ad eos: Haec sunt verba* etc. Post descriptam apparitionum pluralitatem in testimonium, et probabilitatem in argumentum describit hic *infallibilitatem in fidei firmamentum*[2]. Est autem firmitas apparitionis per duo, scilicet per *testimonium Scripturae* et per *lumen intelligentiae*, ex quibus redditur certus animus noster de his quae spectant ad nostram reparationem.

*Divisio.*

Et secundum hoc describit Evangelista apparitionem Christi dupliciter confirmatam, scilicet per *authenticum testimonium Scripturae* et per *infusum lumen intelligentiae.*

*Primo, per authenticum testimonium Scripturae.*

Primo igitur quantum ad *authenticum testimonium Scripturae* dicit: *Et dixit ad eos: Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum,* per conversationem scilicet familiarem in carne, secundum illud Baruch tertio[3]: « Post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus est ». Haec autem praedixit ad fidei assertionem; Ioannis decimo quarto: « Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis ». Haec igitur verba ipse praedixit tanquam verus Propheta, nec solus[4] praedixit, verum etiam praedixit, quod hoc praediceret tota Scriptura.

*T. V. est tripartitum.*

57. Et ideo subdit: *Quoniam necesse est, impleri omnia, quae scripta sunt in Lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me.* In his autem tribus comprehendit Christus totum vetus testamentum, quod est quasi tripartitum ad *firmitatem testimonii,* quia « in ore duorum vel trium testium stat omne verbum », secundum quod dicitur Deuteronomii decimo nono[5]; et in *repraesentationem beatissimae Trinitatis.* Nam *Lex* propter auctoritatem iubendi appropriatur Patri; *Prophetia* propter perspicacitatem intelligendi, Filio; *Psalmi* propter suavitatem orandi, Spiritui sancto.

*Testimonium eiusdem.*

Omnia autem testimonium perhibent Christo tanquam excellentissimo imperatori, doctori et pontifici. Et ideo omnia in ipso impleta sunt, secundum illud Matthaei quinto[6]: « Iota unum aut unus apex non praeteribit a Lege, donec omnia fiant ». Quia ergo in Lege omnia haec, quae circa Christum acciderunt de passione et resurrectione, praedicuntur; constat, quod illud est irrefragabiliter verum et certum, tanquam per testimonium firmum et authenticum comprobatum. Unde Glossa[7]: « Omnes ambages aufert, visus est, tactus est, manducavit, et ne in aliquo sensus humanos ludificasse videretur, mittit manus ad Scripturas, ut, etsi magicis artibus videatur potuisse quod voluit, sicut dicunt pagani, saltem eum videant prophetare non potuisse, antequam natus fuerit ». —

*Notandum.*

Christus igitur implendo quod Scripturae dicunt, probavit, ipsas fuisse veras, et ostendendo, quae circa ipsum facta erant in Scripturis esse praedicta, astruit irrefragabiliter esse vera atque credenda.

*Secundo, per lumen infusum intelligentiae.*

58. (Vers. 45.). Secundo quantum ad *infusum lumen intelligentiae* subdit: *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas;* ipse, inquam, *aperuit,* quia solus habet clavem, secundum illud Isaiae vigesimo secundo[8]: « Dabo clavem David, et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat ». Et ideo Propheta petit in Psalmo[9]: « Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua »; quia, Danielis secundo, « ipse revelat profunda et novit in tenebris constituta, et lux cum eo est ». —

*Notandum.*

Haec autem profunda mysteria in Scriptura nullus intelligit nisi per Christum crucifixum et suscitatum et gentibus per Spiritum sanctum divulgatum, quia de ipso sunt Scripturae et propter ipsum; et ideo ab eo explicantur. Unde in Apocalypsi dicitur, quod *Leo resuscitatus* et *Agnus occisus* aperuit librum; Apocalypsis quinto[10]: « Vicit Leo de tribu Iuda, qui dignus est aperire librum et solvere septem signacula eius. Et vidi in medio quatuor animalium et in medio seniorum Agnum stantem tanquam occisum ». « Et cum aperuisset librum, quatuor animalia et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, et cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es, Domine, aperire librum et solvere signacula eius ». Et sic patet, quod ipse exponit doctrinam librorum veteris et novi testamenti, id est seniorum et animalium oculatorum.

*Docet Scriptura de Christo, capite et corpore.*

59. (Vers. 46. 47.). Haec autem mysteria Scripturarum principaliter referuntur[11] ad Christum quantum ad *caput* et quantum ad *corpus.* Quantum ad *caput* subdit: *Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertia die;* hoc frequentissime dictum est in Scripturis, et maxime in *Lege* per figuras, in *Prophetis* per verba et in *Psalmis* quamplurimum, quia sunt de resurrectione et passione[12]. — Quantum ad

---

[1] Vers. 20: *Paratum panem* etc., et deinde Ps. 20, 13.

[2] Cfr. supra n. 42.

[3] Vers. 38. — Sequitur Ioan. 14, 29.

[4] Codd. B G *nec solum.* Subinde pro *quod hoc* C *quod haec.* In D secunda manus hanc lectionem clarius formavit *nec solus praedixit, sed tota Scriptura.*

[5] Vers. 15; cfr. Matth. 18, 16.

[6] Vers. 18.

[7] Scilicet *ordinaria* in Luc. 24, 43. (ex Beda, VI. in Luc. 24, 44.).

[8] Vers. 22: Et dabo clavem domus David super humerum eius, et aperiet etc. Codd. A C D H subinde legunt *et aperiet, et nemo claudet; claudet, et nemo aperiet.*

[9] Psalm. 118, 18, cui subnectitur Dan. 2, 22.

[10] Vers. 5. seq. et 8. seq.

[11] Codd. C D H addunt *primo.*

[12] Cfr. supra n. 34. et c. 18. n. 54-56. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 24, 45: Post sui [Christi] corporis commendatam veritatem commendat Ecclesiae unitatem: *Et praedicari in nomine eius.*

*corpus* autem subdit: *Et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma.* Hoc, inquam, scriptum in *Lege* et in promissione Abrahae; Genesis vigesimo secundo [1]: « In semine tuo benedicentur omnes gentes terrae »; et Genesis quadragesimo nono: « Ipse erit exspectatio gentium ». Hoc scriptum est in *Psalmo* [2]: « Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam »; et iterum: « Laudate Dominum omnes gentes ». Hoc in *Prophetis;* unde Isaiae quadragesimo nono [3]: « Parum est mihi, ut sis servus meus ad faeces Israel convertendas; dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea » etc. Et haec praedicatio praedicta est incipere ab Ierusalem; Isaiae secundo [4]: « De Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem »; et Isaiae sexagesimo secundo: « Propter Sion non tacebo, et propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustus eius »; et Psalmus: « Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion ».

*Quarto, de divulgatione iam cognitae veritatis.*

60. (Vers. 48.). *Vos autem estis testes horum.* Post descriptam revelationem resurrectionis et apparitionem resurgentis et certitudinem apparitionis hic quarto [5] agitur de *divulgatione iam cognitae veritatis.* Et quia haec divulgatio facta est per Spiritum sanctum datum Apostolis post ascensionem Christi, ideo ad hanc plenius describendam quatuor ab Evangelista introducuntur, scilicet *commissio officii praedicandi, promissio spiritualium charismatum, ascensio* [6] *Christi* et *devotio discipulorum.*

**Divisio.**

Primo igitur quantum ad *officium praedicandi* dicit: *Vos autem estis testes horum; vos,* inquam, « qui vidistis et audistis [7] », ita quod potestis dicere illud Ioannis tertio: « Quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur »; et Ioannis decimo nono: « Qui vidit testimonium perhibuit ». Nihil autem est aliud *asserere veritatem fidei* quam *testificari;* unde Actuum vigesimo tertio [8]: « Sicut testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet et Romae testificari ».

**Primo, de officio praedicandi.**

Et ideo Isaiae quadragesimo tertio: « Vere, vos testes mei, dicit Dominus ». Hi sunt Apostoli, ad quos Actuum primo: « Eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae »; et ideo Petrus Actuum decimo [9]: « Nos sumus testes omnium, quae fecit in regione Iudaeorum ». « Hunc Deus suscitavit tertia die et dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo, nobis, qui manducavimus et bibimus cum eo, postquam resurrexit a mortuis. Et praecepit nobis praedicare populo et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum. Huic omnes Prophetae testimonium perhibent ». Fuerunt autem Apostoli « testes omni exceptione maiores [10] » et propter suam virilitatem et sanctitatem et propter veracitatem et propter stabilitatem, quia passi sunt pro hac veritate usque ad mortem, ut vere *testes,* id est martyres, possint dici. Et ideo ad Hebraeos duodecimo [11]: « Habentes tantam nubem testium impositam, curramus per patientiam ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum » etc.

**Apostoli sunt testes.**

61. (Vers. 49.). Secundo quantum ad *promissionem spiritualium charismatum* addit: *Et ego mitto promissum Patris mei in vos.* Signanter dicit *mitto,* quia et *tunc* dedit Spiritum sanctum in flatu, sicut dicitur Ioannis vigesimo [12]: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit in eos dicens: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata » etc. Hoc est donum promissum in Scripturis; Ezechielis trigesimo sexto [13]: « Dabo vobis spiritum novum » etc. Hunc spiritum ipse etiam Christus frequenter promisit in Evangelio; Ioannis septimo: « Qui sitit veniat ad me et bibat »; et Ioannis decimo quinto: « Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis ». Hunc ergo tunc dedit *occulte,* sed post daturus erat *abundanter et aperte,* scilicet post decem dies [14], in quibus se debebant ad illam plenitudinem praeparare.

**Secundo, de promissione charismatum.**

**Notandum.**

62. Ideo subdit: *Vos autem sedete in civitate, quoadusque* [15] *induamini virtute ex alto.* Gregorius [16]:

**Virtus ex alto.**

---

[1] Vers. 18, post quem Gen. 49, 10. — Superius post *in Lege* Vat. cum H omittit *et.*

[2] Psalm. 2, 8. et deinde 116, 1.

[3] Vers. 6: Parum est, ut sis mihi servus ad etc.

[4] Vers. 3. — Duo seqq. loci sunt Isai. 62, 1. et Ps. 109, 2. Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 24, 46. seq.: *Oportebat,* ut ministri, qui *poenitentiam et remissionem* erant praedicaturi *in omnes gentes,* inciperent *ab Ierosolymis,* non solum quia *illis credita sunt eloquia Dei* [Rom. 3, 2.], et quia eorum *est adoptio filiorum* [Rom. 9, 4.] et gloria, testamenta et legislatio; sed ideo etiam, ut gentes variis erroribus et facinoribus implicitae hoc maxime indicio divinae pietatis ad spem veniae provocentur, quod eis qui Filium Dei crucifixerunt, veniam relaxat.

[5] Cfr. supra n. 1.

[6] Vat. *absconsio,* sed cfr. infra n. 63.

[7] Ut dicit Glossa *interlinearis.* — Sequuntur Ioan. 3, 11. et 19, 35.

[8] Vers. 11. — Subinde allegantur Isai. 43, 9. seq. et Act. 1, 8.

[9] Vers. 39-43.

[10] Glossa in § *Item verborum,* de Inutilib. stipulat. (Iustinian., III. Institut. imperial. tit. 20.) *testes idoneos* vocat « omni exceptione maiores, id est, quod nulla exceptio poterit eis opponi ».

[11] Vers. 1. — Cfr. supra pag. 528, nota 1. verba Augustini.

[12] Vers. 21-23. Vide supra n. 48, ubi docetur, hanc Christi apparitionem eandem esse cum illa, de qua Ioannes loquitur.

[13] Vers. 26. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 7, 37. et 15, 26.

[14] Cfr. Act. 1, 3. seqq. et 2, 1. seqq.

[15] Codd. A C D *quousque,* H *donec.*

[16] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 3: « Nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat... De hac unctione Spiritus rursus per Ioannem [I. 2, 27.] dicitur: *Sicut unctio eius docet vos de omnibus* ». Pro *Spiritus unctio* C D G *Spiritus virtus.* — Sequitur Matth. 10, 20.

« Nisi sancti Spiritus unctio interius doceat, frustra praedicator exterius laborat »; unde Matthaei decimo: « Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis ». — **Triplex ratio differendi missionem Spiritus S.** Licet autem Dominus statim Spiritum sanctum posset dare, voluit tamen differre, tum propter *desiderium discipulorum inflammandum* ad petendum, secundum illud Matthaei septimo [1]: « Petite, et dabitur vobis ». « Si enim vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester caelestis dabit spiritum bonum petentibus se » ? Et propter *mysterium servandum,* quia quinquagesima die post passionem, qui est numerus remissionis et conficitur ex septem septenariis dierum, superaddita una unitate, ad designandum septiforme Spiritus sancti donum [2]. Et postremo propter *exemplum;* unde Glossa [3]: « Cum repente, si vellet, posset eos roborare, distulit, ut exemplum sequentibus daret, ne imperfecti ante tempus praedicare praesumerent ». Ideo Ecclesiastae tertio [4]: « Tempus tacendi et tempus loquendi »; et Ecclesiastici decimo octavo: « Antequam loquaris, disce ». Unde Hieronymus [5]: « Discimus, ut post multum silentium de discipulis efficiamur magistri. Disciplinae enim Pythagoricae est per quinquennium tacere, et post eruditos loqui ».

63. (Vers. 50.). Tertio quantum ad *ascensionem* **Tertio, de ascensione Christi.** *Christi* subdit: *Eduxit autem eos foras in Bethaniam.* Hoc non fuit tunc, sed quadragesima die. Haec autem Bethania est in monte Oliveti; unde supra decimo nono [6]: « Cum appropinquasset ad Bethphage et Bethaniam ad montem Oliveti ». Interpretatur autem *Bethania* domus obedientiae, quia per obedientiam collocatur quis in monte Christo [7] et benedicitur a **Benedictio Christi.** Christo et ascendit in caelum. — Et ideo subdit: *Et elevatis manibus suis, benedixit eis;* in quo insinuatur, quod ille benedicendus est a Christo, qui obedit ei et facit opera, quae facit, propter Deum. Nam, ad Hebraeos sexto [8], « terra saepe venientem super se bibens imbrem et proferens herbam opportunam accipit benedictionem a Domino ».

64. (Vers. 51.). Cum talibus autem Christus ascendit, et ideo subdit: *Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis et ferebatur in caelum.* Tunc impletum est illud Psalmi [9]: « Ascendit Deus in iubilo, et Dominus in voce tubae »; et iterum: « Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus ». — Huius ascensio fuit praefigurata **Figura triplex.** in *ascensione nubeculae parvae,* de qua tertii Regum decimo octavo [10]: « Ecce, nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat » etc.; in *ascensione Eliae;* quarti Regum secundo: « Ascendit Elias per turbinem in caelum »; et per *ascensum solis;* unde Habacuc tertio, secundum aliam translationem: « Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo ». — Et per **Gradus Ecclesiae ordinati.** hoc, quod Christus ascendit ad caelestia, fuit Christi Ecclesia ordinata in suis gradibus; unde ad Ephesios quarto [11]: « Qui descendit, ipse est et qui ascendit, ut impleret omnia ». Aliter autem ferebatur Christus, aliter Elias. Nam Elias virtute Angelorum et currus ignei [12], Christus autem virtute propria, serviente creatura tam spirituali quam corporali. Et ideo in Psalmo [13]: « Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi »; et Isaiae sexagesimo tertio: « Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae » ?

65. (Vers. 52.). Quarto quantum ad *devotionem* **Quarto, de devotione discipulorum.** *discipulorum* subdit: *Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno. Cum gaudio* revertuntur propter victoriam Domini, quem videbant penetrasse suprema caelorum; unde Glossa [14]: « Quia Dominum suum post triumphum resurrectio-

---

[1] Vers. 7. et 11; cfr. supra 11, 9. 13, quos Vat. allegat. Pro *Petite, et dabitur vobis* codd. *Petite, et accipietis* (Ioan. 16, 24.).

[2] Cfr. supra pag. 406, nota 12.

[3] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 24, 49. Idem dicit Gregor., Regul. pastoral. p. III. c. 25. (Admonitio 26.).

[4] Vers. 7, post quem Eccli. 18, 19.

[5] Comment. in Eccle. 3, 7. Cfr. tom. VI. pag. 164, nota 2.

[6] Vers. 29. — Vat. omittit *Hoc* [ita C H] *non fuit tunc, sed quadragesima die.* Cfr. Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 24, 50: Praetermissis omnibus, quae per quadraginta dies gesta sunt, primo resurrectionis diei tacite coniungit novissimum, quo ascendit in caelum. Et pulcre benedicturus discipulos educit *in Bethaniam,* quae domus obedientiae dicitur [cfr. supra pag. 487, nota 13.], quia qui propter inobedientiam perversorum descendit propter obedientiam conversorum ascendit.

[7] Vat. *a Christo.* August., de Diversis Qq. 83, q. 61. n. 6. de Christo ait: « Qui assidue in Scripturis [cfr. Isai. 2, 2.] *mons* appellatur ». Serm. 4. (alias 44. de Diversis) c. 21. n. 22: Quare dictus est [Christus] mons? Propter magnitudinem.

[8] Vers. 7.

[9] Psalm. 46, 6. et 67, 19, qui exhibetur verbis Apostoli ad Eph. 4, 8.

[10] Vers. 44; cfr. supra pag. 237, nota 8. — Duo seqq. loci sunt IV. Reg. 2, 11. et Habac. 3, 11. [sec. translationem Septuaginta]. Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 29. n. 10.

[11] Vers. 10. — Superius pro *Et per hoc* C D G *Quia per hoc.*

[12] Cfr. IV. Reg. 2, 11. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 29. n. 5: Notandum quoque est, quod Elias in curru legitur ascendisse, ut videlicet aperte demonstraretur, quia homo purus adiutorio indigeat alieno. Per Angelos quippe facta illa et ostensa sunt adiumenta, quia nec in caelum quidem aëreum per se ascendere poterat quem naturae suae infirmitas gravabat. Redemptor autem noster non curru, non Angelis sublevatus legitur, quia is qui fecerat omnia, nimirum super omnia sua virtute ferebatur etc.

[13] Psalm. 67, 5. et deinde Isai. 63, 1, ubi pro *fortitudinis suae* A C D *virtutis suae.* — Beda, in Act. 1, 9: « Ubique creatura suo Creatori praestet obsequium. Astra indicant nascentem, patientem obnubunt, *recipiunt nubes ascendentem,* redeuntem ad iudicium comitabuntur ». Simile notat Hieron., IV. Comment. in Matth. 28, 2. seq. de Angelis.

[14] Scilicet *interlinearis* (ex Beda) in Luc. 24, 52. Codd. C D H cum Glossa omittunt *laetantur,* quod habet Beda. — Superius pro *victoriam Domini* B H (C a secunda manu) *victoriam Magistri sui,* A D videntur habere *victoriam martyrii* (D addit *sui*).

nis caelos vident penetrasse, laetantur ». Christus enim triumphavit plenarie, secundum illud ad Colossenses secundo[1]: « Exspolians principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso ». Et de hoc gaudebant, secundum illud Isaiae nono: « Laetabuntur coram te, sicut qui laetantur in messe, sicut exsultant victores, capta praeda, quando dividunt spolia ».

Ipsorum actus spirituales.

66. (Vers. 53.). Et quia gaudium spirituale disponit nos ad actus spirituales, scilicet ad laudandum et orandum, ideo subdit: *Et erant semper in templo laudantes et benedicentes Deum. Amen*[2]. *In templo* erant ad orandum et exspectandum Spiritum sanctum, secundum illud supra duodecimo[3]: « Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur » etc. Et quia spiritualium virorum non tantum est *exspectare*, verum etiam *exsultare* et exsultando *laudare*; et hic est actus finalis et patriae, quia non habet finem, secundum illud Psalmi[4]: « In saecula saeculorum laudabunt te »: ideo beatissimus Lucas optime hic collocavit finem. — Facit igitur finem in *Christi ascensione*, ut perfecte et integre describat illum circuitum, quem fecit Christus, de quo in Psalmo[5]: « A summo caelo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius »; et Ioannis decimo sexto: « Exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem ». — Facit finem in *templo*, ut, sicut a sacerdotio incepit *legali*, scilicet Zachariae, sic consummet in sacerdotio *spirituali*. Unde Glossa[6]: « Lucas, qui sacerdotium Christi ceteris amplius exponendum suscepit, Evangelium suum a ministerio templi per sacerdotium Zachariae coepit, pulcre hoc in templi devotione complevit ». — Fecit etiam finem in *Dei laude*, in qua est finis sine fine. Unde Augustinus ultimo[7] de Civitate Dei: « Dominicus dies, qui velut octavus aeternus Christi resurrectione sacratus est, aeternam non solum spiritus, verum etiam corporis requiem praefigurat, ubi vacabimus et videbimus et amabimus et laudabimus; quod erit in fine sine fine. Nam quis alius noster est finis nisi pervenire ad regnum, cuius nullus est finis »? Ad quem nos perducat Iesus Christus, Filius Dei, per intercessionem dulcissimae Matris suae et beatissimi Lucae Evangelistae; qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

Finis Evangelii in ascensione. Item, in templo. Item, in Dei laude.

---

[1] Vers. 15. — Sequitur Isai. 9, 3.

[2] Codd. omittunt *Amen;* ita etiam Card. Hugo et B. Albert.

[3] Vers. 36. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 24, 53: *Et erant semper in templo* etc., ut in loco orationis inter laudum devotiones promissum sancti Spiritus adventum, paratis per omnia cordibus, exspectent. Sic nos post celebrata in Ierosolymis, id est visione pacis, passionis et resurrectionis solemnia, Domino duce, petamus Bethaniam, ut mente quieta corporis et sanguinis eius Sacramentis imbuamur et domus obedientiae esse curemus.

[4] Psalm. 83, 5. — Superius post *finalis* C H omittunt *et*.

[5] Psalm. 18, 7, ubi Petr. Lombard. (secundum August.): *A summo caelo*, quasi dicat: quam viam cucurrit? Ecce, ipse qui aeternaliter a Patre exivit, venit in mundum, factus homo, et iterum relinquens mundum ascendit ad Patrem etc. — Subinde allegatur Ioan. 16, 28.

[6] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 24, 53. Pro *exponendum* C D G H *exponendo.*

[7] Sive libr. XXII. c. 30. n. 5. — Superius pro *in qua est finis* (ita C D H) G *quae est finis*, Vat. *qui est finis.*

# APPENDIX

## DUORUM OPUSCULORUM SALTEM DUBIORUM

QUAE SUNT

# EXPOSITIO THRENORUM ET ORATIONIS DOMINICAE

# EXPOSITIO THRENORUM IEREMIAE PROPHETAE.

## PROOEMIUM.

1. *Tempus plangendi et tempus saltandi*[1]. In verbo isto ostenditur huius operis causa *materialis*, in *planctu* scilicet, et *formalis*, quia *modum* habet *lamentativum*, et eius *causa finalis* in *saltu*. Materia quidem huius operis est Synagogae vel Ecclesiae seu cuiuscumque particularis animae *desolatio lugubris; forma* etiam lamentativa tota deducitur cum *questionibus* et *indignationibus*[2] metrice compositis.

Operis causa triplex.

Ad quorum intelligentiam notandum, quod, sicut ibidem[3] dicitur, « omnia tempus habent, et suis spatiis quaeque pertranseunt ». Sicut enim mundus maior sensibiliter continuis successibus variatur, Deo cuncta mirabiliter gubernante; sic mundus minor, homo scilicet, Dei attendens iudicia, modo considerans divinam severitatem, modo cernens radiare Dei benignitatem, diversimode afficitur et divinis iudiciis conformatur; ad quam variationem respiciens Salomon dixit: *Tempus plangendi et tempus saltandi*. Haec autem variatio in viris sanctis ex tribus causis solet accidere: vel ex diversitate *considerationum spiritualium*, vel ex diversitate *eventuum temporalium*, vel ex variatione *statuum mundi principalium*, viae scilicet et patriae.

Variatio mundi maioris et minoris.

Huius sunt causae tres.

2. Primo, dico, ex *diversitate considerationum spiritualium*. Modo enim Sancti convertuntur ad considerationem lugubrem peccatorum suorum et aliorum, et hoc est *plangere;* modo ad contemplationem aeternorum bonorum, et hoc est *saltare*. — Ad hunc planctum invitans Ieremias[4] dixit: « Accingite vos ciliciis, plangite et ululate, quia non est aversa ira furoris Domini a vobis ». In *cilicio* omnis corporalis afflictio intelligitur; in *planctu*, culpae detestatio; in *ululatu*, detestationis vehementia et intensio designatur; quae exercendae sunt, donec Spiritus sancti clementia interius experiatur, qui, ut dicit Gregorius[5], « ideo *Paracletus*, id est consolator, dicitur, quia, dum spem veniae parat, mentem a tristitia levat ». *Ira* autem *furoris* est voluntas criminis puniendi. Istud est exercitium praecipue neophytorum; propter quod dicit idem Ieremias[6]: « Filia populi mei, accingere cilicio et conspergere cinere; luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum ».

Prima causa variationis.

3. Hunc igitur affectum et planctum assumit sibi Ecclesia in temporibus ieiuniorum: « Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et fletu et planctu[7] »; ut per *planctum* veniat ad *saltum* gaudii spiritualis et contemplationis, dicente Psalmista: « Convertisti planctum meum in gaudium, conscidisti saccum meum et circumdedisti me laetitia »; *saccus consciditur*, cum post signa poenitentiae signa laetitiae assumuntur. De hoc genere *saltus* dicitur secundo Regum[8]: « David percutiebat in organis armigatis et saltabat totis viribus ante Dominum »; *organa armigata*, id est ad armum ligata, significant opera fortia poenitentiae; *ad quae percutere* est in eis efficaciter se exercere et in contemplationis altitudinem quasi per saltum levare. In contemplationis altitudine libere *volant Angeli*, sed *saltant* tantum *homines miseri*, quia, in altam contemplationis speculam evecti, cito, corpore aggravante, coguntur relabi. In cuius figuram pisces habentes squamas et pinnulas, secundum Legem mundi reputantur, quia per vices super aquas saltibus levantur; in Levitico[9]: « Omne, quod habet pinnulas et squamas tam in mari quam in fluminibus et stagnis, comedetis »; et infra: « Quidquid

Applicatur ad Ecclesiam.

---

[1] Eccle. 3, 4. — Cod. A opusculum inscribit: *Postilla in Lamentationes Ieremiae.*

Notamus hic semel pro semper, quod quando mutatio textus facta est auctoritate utriusque codicis A B, neutrum distincte nominamus, sed tantum, si convenit, variantem Vaticanae editionis lectionem in nota ad calcem referimus.

[2] De *questionibus* et *indignationibus* vide infra pag. 609, notam 6.

[3] Eccle. 3, 1. — Infra pro *Dei attendens iudicia, modo* Vat. *modo attendens consideransque*, et deinde ante *viris sanctis* omittit *in*.

[4] Cap. 4, 8.

[5] Libr. II. Evang. homil. 30. n. 3. — Infra pro *voluntas criminis puniendi* Vat. *voluntas sive animus puniendi.*

[6] Cap. 6, 26.

[7] Ioel 2, 12; sequitur Ps. 29, 12.— Supra pro *affectum et planctum* Vat. *affectuosum planctum.*

[8] Cap. 6, 14. Verba *percutiebat in organis armigatis* (ἡρμοσμένοις) sumta sunt ex Septuaginta, desunt in recenti Vulgata, sed occurrunt in multis antiquis eiusdem exemplaribus manuscriptis et impressis.

[9] Cap. 11, 9, et sequitur ibid. v. 21; deinde Cant. 2, 8. cum Glossa *ordinaria*, parum contracta. — Infra post *Per montes* Vat. addit *et colles.*

ambulat super quatuor pedes, sed habet longiora crura retro, per quae salit super terram, comedere debetis»; in Canticis: «Ecce, iste venit, saliens in montibus, transiliens colles». Per *montes* intelliguntur qui in Ecclesia sunt eminentiores; in quibus *salit*, quia visitationis suae dulcedo non manet, sed transit, ut dicit Glossa: «*Transilit colles*, quia parum elevatos relinquit suae excessivae dulcedinis expertes»; pro *utroque* contra reprobos, in Matthaeo[1]: «Cecinimus vobis, et non saltastis; lamentavimus, et non planxistis».

Secunda causa variationis.

Causa plangendi.

4. Amplius secundo fit haec variatio planctus et saltus pro *diversitate temporalium eventuum*. Tempus quidem *plangendi* est in Ecclesiae *tribulatione*, tempus *saltandi* et *gratias agendi*, in Ecclesiae *relevatione*. Ad hoc genus planctus invitavit Ieremias[2] dicens: «Super montes assumam fletum ac lamentum et super speciosa deserti planctum, quoniam incensa sunt»; et infra: «A volucre caeli usque ad pecora transmigraverunt et recesserunt». Hoc dicit Ieremias *ad litteram* de vastatione facta *Synagogae* per Chaldaeos; quod verius potest intelligi de vastatione *Ecclesiae* facta per homines immundos, qui, sicut Synagoga adversitate, sic subversi[3] sunt prosperitate. *Montes*, id est viri ecclesiastici; *speciosa deserti*, id est religiosi; *volucres*, id est clerici; *pecora*, id est laici. Unde Glossa ibi: «Super montes fletus assumitur et lamentatio super speciosa deserti, dum peccant principes Ecclesiae, et nihil in ea invenitur substantiae Dei, nec auditur vox Christi Ecclesiam possidentis». Ad hoc respiciens idem Ieremias[4] dicit: «Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum? Et plorabo die ac nocte interfectos filiae populi mei». Sic David, secundo Regum: «Planxit David planctum huiuscemodi super Saul et super Ionatha». «Considera Israel pro his qui mortui sunt supra excelsa vulnerati. Inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt». *Inclyti interficiuntur super montes*, quando boni mutant mores, assumti ad ecclesiasticas altitudines.

Causa saltandi.

5. Isti planctui contrarius est *saltus*, congaudere Ecclesiae de sanctis et prosperis successibus. Ad quem saltum invitans Isaias[5] dicit: «Laudate, caeli, quoniam fecit Dominus; iubilate, extrema terrae; resonate, montes; laudationem saltus et omne lignum eius». *Saltus* dicitur locus nemorosus, eo quod arbores in ipso in altum exsiliant. Hoc idem figuratum est primo Regum[6], ubi dicitur: «Invenies duos viros iuxta sepulcrum Rachel in finibus Beniamin, in meridie salientes magnas foveas, dicentque tibi: Inventae sunt asinae». *Duo viri* sunt, qui Ecclesiam ex caritate diligunt; *Rachel* interpretatur ovis; *iuxta* igitur *sepulcrum* exspectant omnes, qui considerant profectum et defectum animarum Christi sanguine redemptarum; *in meridie*, id est in spirituali prosperitate, *magnas foveas saliunt*, qui laetitiam magnam, quam habent in corde, exterius ostendunt; quia *inventae sunt asinae*, id est animae Christi sanguine redemptae. Ad hunc saltum invitat Isaias[7] dicens: «Gaudete cum ea gaudio, universi, qui lugetis super eam».

Tertia causa variationis.

6. Ampliusque tertio fit haec variatio secundum *variationem statuum Ecclesiae principalium*, viae scilicet et patriae; quoniam in via generaliter est status plangendi, et in patria gaudendi. Unde Glossa[8]: «Super hoc plangendum est nunc, ut in futuro saltemus». — Pro isto planctu vel lamentatione dicitur in Ezechiele: «Expandit librum coram me, qui erat scriptus intus et foris; et scriptae erant in eo lamentationes et carmen et vae»; *lamentationes* iustorum, *carmen* bonorum, *vae* damnatorum; Isaias: «Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum et ad planctum et ad calvitium et ad cingulum sacci; et ecce, gaudium et laetitia occidere vitulos et iugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum». Hic planctus nunquam est deserendus, sed «semper Christi mortificatio circumferenda»; in cuius figuram dicitur primo Regum[9]: «Levaverunt David et populus, qui erat cum eo, voces suas et planxerunt, donec deficerent in eis lacrymae». *Deficient lacrymae*, cum «absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum», ut dicitur in Apocalypsi[10]. — Hunc planctum sequitur magnus ille saltus, de quo in Ioanne: «Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam». Ibi enim implebitur quod dicitur in Isaia: «Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus».

Causa plangendi.

Causa saltandi.

Corollarium

7. Deus igitur in Scriptura sacra utrumque istorum affectuum, planctum et saltum scilicet, in nobis volens, ut expedit[11], alternari, condidit *cantica* laetitiae ad fovendam devotionem et *carmina* moestitiae ad excitandum in nobis salutiferum dolorem. — Inter cantica laetitiae arcem tenet Canticum Canticorum; inter carmina moestitiae tractatus Threnorum, ut dici possit Lamentatio Lamentationum, qui est ultima pars Ieremiae, quamvis aliqui librum ipsum appellent distinctum, sicut Cantica Canticorum. Ieremias siquidem hic *iuxta litteram* deplorat temporalem adversitatem Synagogae factam sive per Romanos, sive per Chaldaeos, sed et mortem piissimi regis Iosiae; unde in secundo Paralipomenon[12]: «Universus Iuda et Ierusalem luxerunt Iosiam, Ieremias maxime, cuius omnes cantores atque cantatrices usque in praesentem diem lamentationes replicant super Iosiam», quem Iosiam interfecit Pharao Nechao in campo Mageddon, de quo habetur in quarto Regum, de quo etiam Zacharias loquitur, dicens: «In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon». — Lamentatur etiam *spiritualiter* damna Ecclesiae et cuiuslibet animae singularis et miseriam peregrinationis, sicut patet in prosequendo lamentationem, et inserens de iniuriis et morte Salvatoris. Et dicitur Graece opus illud *Threni*, Hebraice *Kinoth*, quod idem est ac *lamentatio* Latine, unde threnetice,

Cantica laetitiae et carmina moestitiae.

Obiectum lamentandi litterale.

Obiectum spirituale.

---

[1] Cap. 11, 17.

[2] Cap. 9, 10, ubi (et etiam infra) pro *speciosa* (ita Vulgata et B) Vat. *sponsa;* locus seq. est ibid.

[3] Pro *subversi* Vat. *adversi.* — Glossa in Ierem. 9, 10. citata est *ordinaria.*

[4] Cap. 9, 1. Sequitur II. Reg. 1, 17. 18. 19. — Pro *Sic David... Planxit David planctum huiuscemodi* Vat. *Planxit David huiusmodi planctum.*

[5] Cap. 44, 23. Ante *fecit* Vulg. praefigit *misericordiam.*

[6] Cap. 10, 2, ubi contra Vulgatam et codd. Vat. *dicent: quia tibi* pro *dicentque tibi.*

[7] Cap. 66, 10, ubi A C *Gaudete in ea* pro *gaudete cum ea.*

[8] *Ordinaria* in Eccle. 3, 4. — Sequitur Ezech. 2, 9; deinde Isai. 22, 12. seq.

[9] Cap. 30, 4. — Superius verba *semper Christi mortificatio* etc. respiciunt II. Cor. 4, 10.

[10] Cap. 21, 4. — Sequuntur Ioan. 4, 14. et Isai. 35, 5. 6.

[11] Vat. omittit *ut expedit;* eadem infra post *Lamentationum* ponit *quae* pro *qui*, et deinde *hic quidem* pro *siquidem hic.*

[12] Cap. 35, 24. 25; de morte *Iosiae* ibid. v. 22. et IV. Reg. 23, 29. 30, et de hoc planctu Zach. 12, 11. — Quod *hae* lamentationes respiciant mortem Iosiae, nunc communiter reiicitur.

id est luctuose, ut dicit Papias [1]. Quod autem dicunt quidam, quod *Threni* dicuntur quasi terni, non est interpretatio nec etymologia proprie; sed in hoc alluditur nomini, quia ternis versibus subnectuntur singulae litterae alphabeti; et hoc mystice, quia tripliciter debemus plangere: corde, ore, opere.

De causa formali.

8. Amplius in verbo *plangendi* intelligitur etiam *modus procedendi; metrice* enim procedit conquerendo, quod convenit lamentationi, quoniam, sicut dicit Hieronymus [2] super Isaiam, super illud verbum: *Sume citharam* etc., « natura musicae est, ut quem invenit tristem reddat tristiorem, quem laetum, reddat laetiorem »; unde modus musicus, vel metricus congruit lamentationi.

Primo scribitur metrice, sed differenter.

9. Circa quod intelligendum, quod liber iste triplici adornatur musica vel rhetorica venustate: primo, in *eloquentia*, quia scribitur *metrice*, sed differenter, quia, ut dicit Rabanus [3], duo prima alphabeta quasi *sapphico* metro scripta sunt; et dicitur metrum sapphicum a muliere Sappho, quae ipsum invenit, et est pentametrum constans ex trochaeo et spondaeo, dactylo et duobus trochaeis. In hoc igitur metri genere tres tales versus praemittuntur et concluduntur in commate versus *heroici*, verbi gratia: *Iste confessor Domini sacratus* etc. Metrum *heroicum* dicitur, quo describuntur facta heroum; quod solos continet versus hexametros. — Tertium vero alphabetum, quod tertio subditur capitulo, *trimetrum* est, quod secundum Latinos est constans versibus trium pedum, ut dicit Papias [4]; qui tamen dixit alibi: « Quos nos *senarios* a numero pedum vocamus, hos Graeci trimetros dicunt, quia geminos faciunt, quod verius credo esse in hac parte; quodsi sex pedes continet, non tamen modo versus heroici, quia materiae non convenit versus heroicus ». — Quartum vero alphabetum sicut primum et secundum describitur, ut dicit idem Rabanus [5].

Secundo adornatur schematibus rhetoricis. Conquestiones.

10. Amplius secundo *adornatur schematibus rhetoricis* in sententiis, ut docent Glossae [6]. Continet enim multas *conquestiones*, quae sunt « orationes auditorum misericordiam captantes », fere per totum, sicut ibi praecipue patet in primo capitulo: « O vos omnes, qui transitis per viam »! et *locos* sive modos *compassionem excitandi*. Continet etiam plures *indignationes*. Est autem « *indignatio* oratio, per quam conficitur aut in aliquem hominem magnum odium, aut in rem gravis offensio concitetur »; cuiusmodi orationibus frequenter utitur, sicut patet ibi [7]: « Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus ». Hae autem sunt duae species concionis rhetoricae, sicut patet in primo libro Rhetoricae et aliis in fine [8]. Sicut enim dialectica habet artem locorum suorum ad veritatem persuadendam, sic rhetorica habet locos suos ad affectionem excitandam, sicut super textum in Glossulis [9] assignatur.

Indignationes.

Tertio adornatur ordinatis litteris alphabeti.

11. Amplius tertio adornatur hoc carmen *ordinatis litteris* alphabeti, quae singulis sententiis praeponuntur. Sicut in illo cantico Ecclesiae: *A solis ortus cardine* [10], primus versus incipit ab A, secundus a B et sic de aliis; ita est in Hebraeis. Sed litterae Hebraicae non solum faciunt ad *ornatum facundiae*, immo *ad doctrinam sapientiae* et ad *intellectum sententiae subiunctae*. — Primo dico: *ad doctrinam communis sapientiae*, ad docendum, quod initium est et quasi elementum novae vitae mala propria et aliena deplorare, iuxta illud verbum Ioelis [11] praemissum: « Convertimini ad me in toto corde vestro » etc.; ad Romanos: « Omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc ». — Amplius, ad *intellectum sententiae subiunctae*. Litterae istis sententiis praenotantur, quia interpretationes conveniunt sententiis [12], quae scribuntur. Hoc tamen advertendum, quod primum, secundum et quartum alphabetum semel tantum positis litteris praenotantur; tertium vero, quod continetur tertio capitulo, singulas continet litteras triplicatas.

Finis 1.

Finis 2.

Notandum 1.

12. Amplius advertendum, quod liber iste seu tractatus scribitur apud Hebraeos tam sermone Hebraico quam litteris Hebraicis; non, sicut quidam male opinantur, quod sit scriptus litteris Hebraicis et sermone Chaldaico, pro eo quod dicitur in prologo Danielis [13], Danielem et Esdram et unam Ieremiae pericopen Hebraicis litteris, sed sermone Chaldaico esse conscriptos; quam *pericopen*, id est partem, Threnos esse fabulantur, cum non sit ita, sed est illa brevis particula, quae dicitur Ieremiae decimo capitulo [14]: « Sic ergo dicetis eis: Dii, qui caelos et terram non fecerunt, pereant de terra et de iis quae sub caelo sunt ». Quod Hebraei usque hodie tam in Chaldaico sermone quam litteris Hebraicis sensibiliter ostendunt.

Notandum 2.

13. Ad haec sciendum, ut dicit Rabanus [15], quatuor Psalmos eodem modo esse conscriptos: Psalmum, puta, trigesimum sextum, scilicet *Noli aemulari;* item, centesimum undecimum, *Beatus vir, qui timet;* item, centesimum decimum octavum, id est *Beati immaculati*, et centesimum quadragesimum quartum, id est *Exaltabo te, Deus meus rex.*

Notandum 3.

Cum hoc etiam sciendum, quod in hoc opere sicut in Canticis Canticorum more cantici dramatici [16] variae sibi respondentes introducuntur personae.

De causa finali.

14. *Causa* vero *finalis* intelligitur in *saltu*, ut dictum est, iuxta quod dicitur in Ioanne [17]: « Plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini;

---

[1] De Papia vide supra Prolegom. c. 2. § 4.
[2] Glossa *ordinaria* in Isai. 23, 16. (ex Haimone).
[3] Exposit. super Ieremiam libr. VIII, introduct. De hac vide supra Prolegom. c. 2. § 4. — Ante *sapphico* Vat. omittit *quasi.*
[4] De quo vide supra notam 1. — In Vat. textus est corruptus: *dicunt, quod geminos faciunt, verius;* eadem deinde legit *continent* pro *continet.*
[5] Loc. cit. nota 3.
[6] *Glossa* haec est Gilberti Porretani et exhibet duas Tullii Ciceronis definitiones, scil. vocis *conquestio* et *indignatio*, aliaque hic relata secundum sensum. Impressa est haec apud Lyranum, *Prothemata in Threnos* (cfr. Prolegom. nostra c. 2. § 4.); citatur Thren. 1, 12. — Vat. corrupte supra pro *schematibus* habet *commatibus* et infra *compositiones* pro *conquestiones.*
[7] Thren. 1, 9.
[8] Cicero, I. Rhetoricorum, c. 55, ubi exhibet 16 locos *conquestionum*, quorum plures infra citantur.
[9] Id est Glossis *interlinearibus*. Vat. corrupte *Glossa, illis ibi* pro *Glossulis.*
[10] Hymnus A *solis ortus* etc. est in Breviario Rom. in Nativitate Domini ad Laudes. Vox *versus* intelligenda est pro *stropha.*
[11] Cap. 2. 12; deinde Rom. 8, 22.
[12] Vat. corrupte *ideo enim iis sententiis praemonstrantur litterae, quia interpretatio earum conducit sensibus illorum* pro *Litterae istis sententiis praenotantur, quia... sententiis;* et infra post *litteris* habet *praemonstrantur* pro *praenotantur.*
[13] Scil. S. Hieronymi. — Supra pro *scriptus litteris* Vat. *libris Hebraicis*, et hic pro *dicitur in prologo Danielis, Danielem* habet tantum *scriptum est, Danielem.*
[14] Vers. 11.
[15] Loc. cit. Rabanus hoc sumsit ex S. Hieron., Epist. ad Marcellam.
[16] Pro *dramatici* Vat. *ad gaudendum.*
[17] Cap. 16, 20; deinde Ezech. 9, 4. et infra v. 6. — Supra pro *saltu* Vat. *saltum.*

sed tristitia vestra vertetur in gaudium »; Ezechiel: « Signa *thau* super frontem virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus, quae fiunt in medio eius »; et infra: « Omnem autem, super quem videbitis *thau*, ne occidatis ».

15. Amplius considerandum, quod dicit Glossa [1], « Lamentationes Ieremiae membro patet orationis maxime distingui, vel dissoluto colorari ». *Membra* autem Latine Graece dicuntur *cola*, vel *commata*, quia *commata* dicuntur distinctiones maiores, quas Tullius [2] proprie *membra* appellat, verbi gratia [3]: « Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum ». Membrorum vero unum ab alio *excipi* dicitur, quando per sequens quod praecessit explicatur vel ampliatur; qui ornatus, quamvis constare possit ex duobus membris, successive tamen constat ex tribus, ut dicit Tullius — et sic est liber hic descriptus — qui et *articulos* vocat quod Graeci *cola*; quamvis *colon* membrum sit, *articulus* autem est, quando singula verba singulis intervallis distinguuntur, ut hic: « Acrimonia, voce, vultu adversarios perterruisti ». Talibus igitur maioribus sententiis liber iste deducitur, nunc coniunctione connexis, nunc vero frequentius sine copula media sibi coniunctis; quod intelligitur in colore dissolutionis, quia, ut dicit Tullius in ultimo Rhetoricae, « *dissolutio* est, quae, coniunctionibus verborum e medio sublatis, separatis partibus efficitur ».

*De membris.* — *De articolis.*

16. Huic autem operi haec littera in quibusdam libris anteposita invenitur, quae tamen non est de veritate textus: *Et factum est, postquam in captivitatem redactus est Israel, et Ierusalem deserta est, sedit Ieremias flens et planxit lamentatione hac in Ierusalem et dixit* [4] etc. — *Redactus est Israel*, quantum ad decem tribus; *et Ierusalem deserta est*, quantum ad duas tribus; *sedit Ieremias flens*, in *sessione* doloris vehementia et continuitas, sicut Iob sedens in sterquilinio. *Et planxit lamentatione hac in Ierusalem et* eiulans *dixit* etc.

*De verbis textui antecedentibus.* — *Explicatio.*

# INCIPIT EXPOSITIO THRENORUM.

## Capitulum I.

1. Modus autem procedendi et divisio huius operis patet sic. Plangit enim in duobus primis alphabetis ad litteram dispendia synagogae et mystice Ecclesiae *in generali*; secundo, personarum maiorum *in speciali* in tertio et quarto capite.

*Divisio generalis in 2 partes.*

In primis autem duobus differenter procedit. Sicut enim in *peccato* duo sunt: *conversio* ad bonum commutabile et *aversio* a bono incommutabili; ita e contrario in *poena* duo sunt his correspondentia, scilicet *flagellum sensibile* contra conversionem et *gratiae subtractio* contra aversionem. Primum deplorat in primo alphabeto, secundum in secundo capitulo, ibi: *Quomodo obtexit caligine.* — Amplius privilegiatae personae vel sunt insignes ratione *sanctitatis*, vel ratione *dignitatis* seu auctoritatis; tribulationem virorum *sanctorum* lamentatur in tertio alphabeto, tribulationem *maiorum*, utpote clericorum, in quarto, ibi: *Quomodo obscuratum est aurum.*

*Primae partis divisio in duo membra.* — *Item, divisio secundae partis.*

In primo alphabeto sunt quinque partes. Primo enim *deplorat synagogae et Ecclesiae desolationem;* secundo *subdit desolationis rationem*, ibi: *Peccatum peccavit Ierusalem;* tertio *implorat pietatem supernam*, ibi: *Vide, Domine, afflictionem meam;* quarto *excitat compassionem supernam*, ibi: *O vos omnes;* quinto *contra adversarios excitat Dei indignationem*, ibi: *Vide, Domine, quoniam tribulor.*

*Primum alphabetum quintupliciter dividitur.*

In prima parte primo *lamentatur civitatis depopulationem;* secundo, *Iudaeorum transmigrationem et captivationem* [5]: *Migravit Iudas.* — In describendo *depopulationem*, vel deiectionem primo describit *damnum* civitatis et *laesionem;* deinde consequentem *desolationem: Plorans ploravit.* — *Depopulatio* autem eius et deiectio patet ex tribus: ex perdita *multitudine*, pro qua dicit: *Quomodo sedet;* ex perdita *fortitudine*, pro qua dicit: *Facta est quasi;* item ex perdita *altitudine* vel dignitate, pro qua dicit: *Princeps provinciarum.*

*Primae partis 1. alphabeti tres subdivisiones.*

2. (Vers. 1.). Aleph. Dicit ergo: *Quomodo.* Quod autem praemittitur in quibusdam libris: *Et factum est, postquam in captivitatem redactus est Israel* etc., non est de textu, ut dictum est, in antiquis libris, ut in glossatis. Huic ergo versui praemittitur littera *Aleph* [6], quae interpretatur *doctrina;* quod dupliciter ad sequentia referri potest: quia *defectus doctrinae* causa fuit subversionis populi; propter quod praemittit *Aleph*, hortans homines attendere pericula sua multiplicia, ne fallantur; unde Isaias [7]: « Propterea captivus ductus est populus meus, eo quod non habuit scientiam ». Item, quia *errores* eis

*Primo, de damno civitatis tripliciter.* — *De littera Aleph.*

---

[1] Scil. Opusculum Gilberti (cfr. supra pag. 609, nota 6.). — Infra post *membro* Vat. omittit *patet.*

[2] Hic et duo infra seqq. loci Tullii habentur IV. Rhetor. ad Heren. c. 19, ubi et verba: Acrimonia etc.

[3] Isai. 1, 4, ubi Vat. omittit *Israel.*

[4] Pro *dixit etc.* A *dixit et factus est, postquam ductus est in captivitatem Israel;* B *dixit: Ductus est Israel.*

[5] B *captivitatem.* — Infra Vat. *vel desertationem* pro *vel deiectionem*, dein *dispendium civitatis* pro *damnum civitatis*, denique *et disiectio* pro *et deiectio.*

[6] Interpretatio huius litterae et ceterarum alphabeti Hebraici habetur apud Rabanum et Paschasium in citt. Commentariis aliosque, praesertim in Glossis *interlinearibus*, et sumtae sunt ex opusculo Hieronymo tributo, de quibus cfr. Prolegomena nostra c. 2. § 4. — Superius Vat. *non est in glossatis libris nec est de textu in antiquis, ut tactum est.* Nostra lectio est in B, cui ex parte suffragatur A.

[7] Cap. 5, 13. Sequitur Ier. 23, 15, cui subnectitur Thren. 1, 19.

persuasi sunt loco doctrinae, iuxta illud Ieremiae: « A prophetis Ierusalem egressa est pollutio super omnem terram »; infra: « Vocavi amicos meos, et ipsi deceperunt me ».

Perdita multitudo.

Sequitur: *Quomodo sedet;* quomodo, inquit, *admirative*, vel *interrogative*, cui quaestioni respondetur infra eodem[1]: *Peccatum peccavit Ierusalem*, mortem scilicet Salvatoris; vel quia « non cognovit tempus visitationis suae ». In *sessione* deiectio intelligitur, quia *stare* per potentiam solita fuerat. *Quomodo*, inquit, qua de causa *sola civitas, plena populo,* olim *plena* tempore David et Salomonis; modo *sola*, populo eius in transmigrationem ducto. Unde secundum Glossam[2] est hic *primus conquestionis locus*, « per quem in quibus bonis fuerat et nunc in quibus malis fuerit, declaratur ». Vel *plena* erat, quantum ad multitudinem, et *sola*, quia Dei adiutorium non habebat. Econtra non est solus cum quo est Deus, ut dicit Hugo[3]; et in Paradoxis dicitur: Nunquam minus solus sum, quam cum solus sum.

Sensus allegoricus.

3. *Allegorice: Civitas plena populo sedet sola*, quia multi sunt Christiani numero, pauci merito; in cuius figuram dicitur optime in Luca[4]: « Ait Iesus: Quis me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus et qui cum illo erant: Praeceptor, turbae te comprimunt, et dicis: Quis me tetigit? Et dixit Iesus: Tetigit me aliquis; nam et ego cognovi, virtutem de me exiisse ». Christus premebatur et ab unica, quae virtutem eius suscepit, se tactum fatebatur. In primitiva Ecclesia erant sub dominio tyrannorum Christiani numero pauci, sed comparative sancti et multi; nunc autem est e converso. — *Moraliter* anima *plena est populo* innumerabilium phantasmatum, et *sola est*, dum nihil cogitat Domini.

Moralis.

Perdita fortitudo.

4. Sed deplorando *perditam fortitudinem* subdit: *Facta est quasi vidua*, non omnino vidua, sed viro vivente derelicta, ita quod adhuc ei spes restat reconciliationis acquirendae; Ieremias[5]: « Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus Deus, et ego suscipiam te ». *Domina gentium*, plurium, quas sibi in circuitu subiugaverat; tertio Regum: « Universum populum, qui remanserat de Amorrhaeis et Hethaeis et Pherezaeis et Hevaeis et Iebusaeis, quos non potuerant filii Israel exterminare, fecit Salomon tributarios usque ad diem hanc »; et secundo Regum: « Facta est Moab David serviens sub tributo »; et infra in eodem: « Facta est Syria serviens David sub tributo ».

Sensus spiritualis.

*Spiritualiter* per *gentes* intelliguntur carnales[6] gentiliter viventes, quibus solebat Ecclesia dominari, cum in Ecclesia praefuerunt viri sancti; modo vero *quasi vidua facta est*, dum praesunt in multis effeminati, qui alios mundare non sufficiunt, quia lutum in manu gerunt; Isaias[7]: « Dabo pueros principes eorum, effeminati dominabuntur eis ».

Perditus honor.

5. Deplorando vero *perditum honorem* dicit: *Princeps provinciarum;* Palaestina enim multis principari solebat; *facta est sub tributo*, primo Assyriorum, sicut patet in quarto Regum[8]; deinde Chaldaeorum; Ieremias: « Gens et regnum quod non servierit Nabuchodonosor, regi Babylonis, in gladio et peste et fame visitabo super gentem illam »; et postea Romanorum, sicut patet Lucae secundo ad litteram.

Sensus allegoricus.

Sed *allegorice* Ecclesia *servit tributis*, dum cogitur providere hominibus vita indignis, qui stipendia accipiunt sine merito laboris. — Vel *allegorice*, dum per diaboli membra clerici pervertuntur, Ecclesia diabolicis tributis subiicitur. — *Moraliter: gentes* sunt affectiones, vel peccata, quibus anima faciliter dominatur, quamdiu sponso suo fide et dilectione copulatur; in Genesi[9]: « Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius »; quo amisso, propriis affectibus misere captivatur. *Provinciae* vero sensus sunt corporis, quibus anima subversa *tributum reddit*, cum sensibilis illecebra ad se trahit altitudinem rationis. — Et nota, quod dicit: *Domina gentium et princeps provinciarum*, quia *affectus* debent comprimi et in plenam redigi servitutem; *sensus* autem dirigi habent principatu quodam rationalis disciplinae[10]. Quia igitur huius subversionis est initium *defectus doctrinae* sanae et *pernicies persuasionis* erroneae, recte *Aleph* praemittitur huic clausulae. Hic etiam est primus *locus conquestionis*, ut dictum est.

Moralis.

Notandum.

Recensentur Glossae.

6. Nota Glossas[11]. In illa Glossa: « Quadruplici plangit » etc. Infra: « Materialis est hic numerus, id est quaternarius; quod pro hoc dicitur, quia materialia hominis designat principia, scilicet quatuor elementa ». « Hic numerus quasi quadratus et solidus » etc.; *quadratus* vere et non *solidus* proprie secundum mathematicam quadraturam, sed *solidus* dicitur, quia corpora quadrata solidam stabilitatem obtinent. Infra: « Sed etiam caelestia », id est spiritualia. « Virtutes egregiae », cardinales scilicet. « Interius » etc., per quatuor originales defectus, contrarios virtutibus cardinalibus, quia *ignorantia* est contraria prudentiae, *malitia* iustitiae, *concupiscentia* temperantiae, *infirmitas* fortitudini.

Item in alia Glossa: « Lamentatio aut ex moerore », dicitur: « Sicut genus extenditur ad speciem » etc. Quod intelligendum est iuxta quandam regulam rhetorum, qua ad speciem transitur a genere, vel e converso; ubi per *genus* et *speciem* totum et pars intelliguntur[12].

---

[1] Vers. 8. — Post *sequitur* Vat. *quomodo, inquit admirative* [sumtum ex Glossa *interlineari*], *sedet, vel interrogative, quomodo respondetur*. — Verba *non cognovit* etc. habentur Luc. 19, 44.

[2] Scil. Gilberti apud Lyranum in prothemate cit.; cfr. Prolegom. c. 2. § 4. — Vat. *locum* primum *conquestionis* corrupte refert: *quibus bonus fuerit, ut aiunt, et in quibus malus.* Eadem superius et deinde passim post verba textus interserit *id est*, sive *scilicet*, sive *videlicet*, quae cum codd. omisimus et deinceps omittemus.

[3] De Arrha animae, Patrolog. Migne tom. 176. col. 954. Quoad Paradoxa, verba haec habentur apud Bernard., Epist. ad fratres de Monte Dei, lib. I. c. 4. n. 10.

[4] Cap. 8, 45. 46.

[5] Cap. 3, 1. — Supra pro *omnino vidua* Vat. *viro vidua.* — Sequitur III. Reg. 9, 20, 21, deinde II. Reg. 8, 2. et 6.

[6] Ita A B, Vat. *multi praelati Ecclesiae,* et post *dominari* prosequitur: *In Ecclesia enim;* deinde omittit *vero*, et pro *dum praesunt* habet corrupte *dicere possumus*, et *viris effeminatis* pro *effeminati.*

[7] Cap. 3, 4.

[8] Cap. 18, 9. deinde Ier. 27, 8. et Luc. 2, 1. — Vat. mutato et confuso ordine post *tributo* ponit locum Scripturae Ier. 27, 8, nonnullis mutatis; deinde prosequitur: *Fuerunt quidem sub tributo primo Assyriorum, sicut patet. Deinde Persarum, secundum Isidorum, et postea Romanorum, sicut patet ad litteram.*

[9] Cap. 4, 7.

[10] Pro *principatu quodam rationalis disciplinae* Vat. corrupte *principante quadam rationali distinctione.* — Post *clausulae* A omittit *Hic etiam... dictum est.*

[11] Vat. *Adverte de Glossis.* — Sequentes Glossae habentur apud Lyranum ante textum Lamentationum cum titulo *Prothemata* et sumtae sunt ex Paschasii Radberti praefatione ad *Comment. in Lamentationes* (Migne, Patrolog. Lat. tom. 120 col. 1061). Plura in textu Glossarum vitiosa, quae habet Vat., emendavimus.

[12] Scil. synecdoche, cfr. Cicero, IV. Rhetor. ad Heren.

Littera Beth.

7. (Vers. 2.). Beth interpretatur domus; et recte haec littera praenotatur, quia post communem civitatis desolationem, hic ad specialem desolationem consequentem domus sacerdotalis et regiae sermo convertitur.

De consequente desolatione dupliciter. Subdivisio.

*Plorans.* Hic describit, ut dictum est, eius *desolationem*, primo tangens *ploratus vehementiam;* secundo, *omnis solatii carentiam,* ibi: *Non est qui.* — In prima parte tangit *desolationis vehementiam* quantum ad *omnes;* secundo, quantum ad *maiores,* ibi: *Et lacrymae.*

Ploratus vehementia quoad omnes.

Dicit ergo: *plorans,* dicta civitas, metaphorice, ut intelligatur contentum per continens; *ploravit,* id est ploratum continuavit; *in nocte,* ad litteram, quia de die ploratus signa ostendere non audebat. Tarde tamen poenituit, cum se malis undique deprimi conspexit; et ideo ploratus ei minime profuit, quia ex amore non processit. Vel, *in nocte ploravit,* id est in secreto, quod est amicum flentibus, qui consolari nolunt, sed lacrymis suis pascuntur. — *Et lacrymae eius in maxillis eius,* id est in *maioribus,* qui eminent in corpore, sicut maxillae in capite; amplius, sicut per maxillas cibus masticatur corpori, sic per maiores debet sapientia minoribus communicari. Vel, *in maxillis,* ad litteram, quia non erant lacrymae simulatae, sed veridicae, quae in modum torrentis maxillas rigabant [1]. Et est hic *quartus locus conquestionis,* per quem res turpes et humiles indigne patientibus proferuntur.

Quoad maiores.

Defectus omnis consolationis duplici ex causa. Prima.

8. Sed pro *defectu omnis consolationis* sequitur: *Non est qui consoletur.* Consolatio autem dupliciter ei subtracta fuit: et ex *morte ac deiectione carorum,* et secundo ex *ingratitudine aliorum* ad inimicitias conversorum, ibi: *Omnes amici eius.* — Pro primo dicit: *Non est qui consoletur eam ex omnibus caris eius,* id est Prophetis, qui solebant Dei misericordiam praedicere futuram, et *principibus,* qui solebant defendere patriam. Et est hic *locus quintus indignationis,* per quem tum condignationem conquerimur, cum ab iis, a quibus minime conveniat, male tractamur. — Sequitur: *Omnes amici eius,* qui esse solebant eius amici, ut finitimae nationes; *spreverunt eam,* auxilium non ferendo; *facti sunt inimici,* persequendo; propter quod Dominus eis multipliciter comminatur, sicut patet in *oneribus* Isaiae. Vel: *amici,* Angeli, de quibus in Canticis [2]: « Quae habitas in hortis, amici auscultant »; isti *spreverunt eam,* suum eis patrocinium auferentes; unde post passionem Christi audita perhibetur vox in aëre dicentium: « Transeamus ab his sedibus ». Qui et *inimici facti sunt,* dominicae scilicet severitatis exsecutores; et iusto Dei iudicio, quia propter vicinos a lege Dei declinaverat ad idololatriam, inimici eius fieri permittuntur, sicut dicitur in Ezechiele [3]: « Ecce, ego suscitabo omnes amatores tuos contra te, quibus satiata est anima tua ». Et est *sextus locus conquestionis.*

Secunda.

Sensus allegoricus.

9. *Allegorice:* vox est Ecclesiae deplorantis peccatores; *maxillae* vero pastores, qui verbum Dei quasi cibum comminuunt et toti corpori refundunt. Vel, *ploratio noctis* est deploratio vitae praesentis. *Non est autem qui eam consoletur,* quando nullus ex praedicatione compungitur. *Amici* sunt potentes saeculi, qui in prosperitate amicos se esse simulant eius quem in adversitate impugnant.

Moralis.

*Moraliter* autem habet anima *diem,* contemplationem aeternitatis; habet etiam *noctem,* considerationem propriae iniquitatis; quae consideratio lacrymas producit, quae sunt *in maxillis,* cum extendit se contritio ad macerationem carnis. *Non est qui consoletur eam* etc., cum desolatam in poenitentia contemnunt amatores vanitatis [4]. *Omnes amici spreverunt eam.* Sciendum, quod homo tripliciter a Deo derelinquitur: aliquando *intus* et non foris, ut David [5], cum adulterium commisit, quem, etsi Deus facere permisit, arguit tamen per Prophetam; aliquando *foris* et non intus, ut Iob; aliquando *foris et intus,* ut filius prodigus luxuriose vivens et fame tabescens. Ergo cum dicit: *Non est qui consoletur,* ostendit, se esse *exterius* derelictam. *Amici* autem domestici sunt, qui conversis ad Christum inimici fiunt, iuxta illud Matthaei [6]: « Inimici hominis domestici eius ».

Triplex derelictio.

Littera Ghimel.

10. (Vers. 3.). Ghimel interpretatur plenitudo et significat plenitudinem *poenae et culpae,* sicut in Matthaeo [7], ubi dicitur scribis et Pharisaeis: « Implete mensuram patrum vestrorum », hoc est, quod illi minus fecerunt peccando, vos consummate; in Genesi: « Necdum enim completae sunt iniquitates Amorrhaeorum » etc. Quia igitur peccando, existentes pertinaces, miseriae et calamitatis complementum meruerunt, quam in captivitate experti sunt; recte hoc per *Ghimel* litteram sequentibus propositam designatur.

Secundo, de captivitate et transmigratione Iudaeorum tripliciter.

*Migravit Iudas.* Hic agit de captivitate et transmigratione Iudaeorum, cuius captivitatis miseriam primo exaggerat ex *multiplicitate malorum praesentium;* secundo, ex *rememoratione praeteritorum,* ibi: *Et recordata est;* tertio, ex *vilipensione bonorum suorum: Viderunt eam hostes.*

Miseria ob multa mala praesentia. Deiectio Iudaeorum.

In prima parte describit miseriam quantum ad *deiectionem Iudaeorum;* secundo, quantum ad *exaltationem adversariorum,* ibi: *Facti sunt hostes.* — Miseriam autem *captivitatis Iudaeorum* ostendit primo quantum ad *terminum ad quem;* secundo, quantum ad *terminum a quo,* ibi: *Viae Sion lugent.* — In prima parte describit *captivitatem ut violenter extortam* [8]*;* deinde *consequentem molestiam: Habitavit inter gentes.*

Quoad terminum ad quem.

Captivitas violenta.

11. Dicit ergo: *Migravit Iudas,* id est gens regibus Iudae subiecta, scilicet tribus Beniamin, in qua erat Ierusalem, et tribus Iuda. *Migravit,* inquam, de terra sua in Babylonem. Et cum fuerit Iudaeorum transmigratio proprie novem tribuum, quando ducti sunt a Salmanasar in Assyrios, sicut patet quarto Regum [9]; hic loquitur de captivitate facta per Nabuchodonosor, sicut refertur quarto Regum ultimo; et accipitur *migratio* pro captivitate. *Migravit* ergo *Iudas propter afflictionem populi,* quam patiebatur nec illi resistere poterat, invadentibus Chaldaeis; *et multitudinem servitutis,* qua affligebatur a finitimis nationibus. Vel *servitus* peccatum significat. Hic est, ut dicit Glossa [10], *decimus locus conquestionis.*

---

[1] Pro *veridicae... rigabant* Vat. solummodo *undosae.*

[2] Cap. 8, 13. — De seqq. cfr. supra pag. 526, nota 6.

[3] Cap. 23, 22. — Superius pro *suum eis patrocinium* Vat. *eis protectionem,* et post *aëre* addit *alte;* deinde habet *qui enim* pro *quia,* et *declinaverunt* pro *declinaverat,* et *inimici effici* pro *inimici eius fieri.*

[4] Vat. corrupte *civitatis.*

[5] Cfr. II. Reg. 11, 4. seqq., deinde Iob c. 1. seqq.; de filio prodigo Luc. 15, 11. seq.

[6] Cap. 10, 36.

[7] Cap. 23, 32; deinde Gen. 15, 16. — Infra Vat. *Recte ergo hic* pro *recte hoc.*

[8] Vat. corrupte *expertam.*

[9] Cap. 17, 6; sed iam antea Theglathphalasar multos Israelitas cepit « et universam terram Nephtali et transtulit eos in Assyrios », ut dicitur IV. Reg. 15, 29. Sequitur IV. Reg. 25, 21.

[10] *Interlinearis:* « Per quem inopia, infirmitas, solitudo demonstratur », ita etiam apud Ciceronem supra pag. 609, nota 8. citatum. Vat. perperam *septimus* pro *decimus.*

Consequens molestia.

*Habitavit.* Ecce, *consequens molestia* primo quantum ad *carentiam desideratae quietis;* secundo, quantum ad *confluentiam inundantis undique tribulationis*, ibi: *Omnes persecutores.* — Dicit ergo [1]: *Habitavit inter gentes*, ad litteram in Babylone, *nec invenit requiem;* proprium est afflictorum, quod semper praesens periculum gravius iudicant; sicut aegroti in nocte diem exspectant, sic populus iste in terra propria afflictus fugam petiit, nec sic requiem invenit. Cuius causa subditur in eo quod sequitur: *Omnes persecutores eius*, undique coarctantes, finitimae nationes insultantes, *apprehenderunt eam inter angustias*, quia, fugiens Chaldaeos, incidit in Aegyptios, sicut patet in Ieremia [2]: « Qui ad mortem, ad mortem; et qui ad gladium, ad gladium; et qui ad famem, ad famem; et qui ad captivitatem, ad captivitatem ».

Sensus allegoricus.

12. *Allegorice: Iuda*, tribus regalis, significat illos qui in Ecclesia sunt sublimius constituti, qui Christum se confiteri dicunt; sed quia in eius amore firmi non sunt, pro ipsius nomine indigna pati erubescunt. *Migrant* ergo *propter afflictionem et multitudinem servitutis*, quia, dum Sanctorum passionibus communicare nolunt, a consortio iustorum alieni fiunt; quibus *habitare inter gentes* est mundanorum hominum imitari mores et mundanis sollicitudinibus implicari; ad quod sequitur, eos *requiem minime invenire;* et frequenter tales in graves labores et infructuosos incidunt, qui mediocres pro Christo subire nolunt. Unde tales alloquitur Dominus per Isaiam [3]: « Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylonis; tolle molam, mole farinam » etc., quam *molere* est circuitu huius mundi laborioso implicari; a quo avocans Dominus dicit: « Venite ad me, omnes, qui laboratis » etc. Vel, *habitare inter gentes* est carnalibus desideriis vel carnalem vitam agentibus morem gerere. *Nec invenit requiem;* unde Hugo [4]: « Sic Samson, erutis oculis, ad molam ponitur, quia, amisso lumine veritatis, animus per appetitum terrenorum desideriorum circumfertur ». *Omnes persecutores eius*, id est spiritus maligni et desideria carnis, « quae militant adversus animam », quia, quando multiplicatione peccatorum continuata in desperationis angustias labitur, nullis iam tentationibus reluctatur. Vel, *angustia* huius saeculi tristitiam significat, in quam necesse est incidere mundana solatia quaerentes immoderate, ipsis subtractis; quae quidem tristitia ad mala disponit universa; unde in Ecclesiastico [5]: « Omnis plaga tristitia cordis est ». — Vel hoc intelligitur in morte, quando non potest transire ad dexteram nec ad sinistram.

Quoad terminum a quo.

13. (Vers. 4.). DALETH. *Viae Sion.* Postquam actum est de miseria captivitatis quantum ad *terminum ad quem*, hic agitur de eadem quantum ad *terminum a quo*, scilicet quantum ad *desolationem civitatis*, quam describit primo quantum ad *devastationem eius lugubrem;* secundo subdit *lugubritatis rationem*, ibi: *Sacerdotes eius gementes.*

Divisio.

Devastatio lugubris.

Devastationem autem civitatis ostendit quantum ad loca magis frequentata, quae sunt *viae* et *portae*, quae solent prae ceteris frequentari; quibus destructis et desolatis, sequitur, ut desolata sit pars reliqua civitatis. — Huic autem versui praemittitur littera *Daleth*, quod interpretatur tabularum, vel tabulatum, vel tabula; unde mystice significatur, quod desolatio evenit propter praevaricationem Legis contentae in duabus tabulis. Unde Rabanus [6], quatuor dicta elementa in unam redigens sententiam, dicit: « Prima connexio est *doctrina, domus, plenitudo, tabularum*, quia videlicet doctrina Ecclesiae, quae domus Dei est, in librorum reperiatur plenitudine divinorum ». Alii tamen dicunt, ibi *incendium domus Domini* deplorari, quia tabulis lignorum imputribilium erat cooperta, sicut patet tertio Regum [7].

Littera Daleth.

Quoad vias.

14. Sequitur: *Viae Sion*, id est ducentes Sion, ad litteram *lugent*, id est, lugubres sunt et ad luctum solo visu provocant. Cuius causam subdit dicens: *Eo quod non sit qui veniat ad solemnitatem*, sicut fuit ante captivitatem. Et hoc praedictum fuit ab Osee [8]: « Quid facietis in die solemni, in die festivitatis Domini? Ecce enim, profecti sunt a vastitate ». Et est hic *octavus locus conquestionis* secundum Glossam [9]. — *Omnes portae eius destructae*, portae tam civitatis quam atriorum quam etiam templi et columnae earum in Babylonem asportatae, sicut patet quarto Regum [10]; in Psalmo: « Quasi in silva lignorum securibus ianuas eius exciderunt in id ipsum »; in Ieremia: « Luxit Iudaea, et portae eius corruerunt ».

Quoad portas.

Sensus allegoricus.

15. *Allegorice: Viae Sion* sunt Sancti dantes exempla vitae; unde Ieremias [11]: « State super vias et videte et interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona ». *Lugent* ergo hae *viae, eo quod non sunt qui veniant* etc., quia Sancti lugent, dum cultum Dei contemni considerant. Deum enim colere, Deo poenitentiam agere, hoc est Deo *solemnitatem facere;* unde Gregorius [12] super illud: *Agite diem solemnem in condensis*, dicit, recitans aliam litteram Psalmi, ubi dicitur illud: *Agite diem solemnem in confrequentationibus*, quia, inquit, « diem solemnem Domino in confrequentationibus constituit, quisquis se in eius desiderio assidue affligit ». *Portae eius destructae; portae* praelati sunt, per quas subditi habent intrare; ipsi enim debent subditis viam aperire salutis; Ieremias [13]: « Luxit Iudaea, et *portae eius* corruerunt et obscuratae sunt in terra »; quasi dicat: causa ruinae subditorum est ruina praelatorum, sicut e contrario reformatio subditorum est ex bona vita praelatorum. Unde istae portae sunt destructae, quia de portis vitae factae sunt portae gehennae.

Sensus moralis.

16. *Moraliter: Viae Sion*, id est notitia Scripturarum, *lugent*, id est lugere faciunt; *eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem*, id est propter interiorem universalem deordinationem animae quantum ad vires cognitivas et motivas; quae tunc *veniunt ad solemnitatem*, quando

---

[1] Verba *Dicit ergo* habentur in solo B.

[2] Cap. 15, 2.

[3] Cap. 47, 1. — Infra pro *quam molere* Vat. *quod molere*, et *huiusmodi* pro *huius mundi*. — Sequitur Matth. 11, 28.

[4] Annotationes in Thren. 1, 3. — Verba *quae militant* etc. habentur 1. Petr. 2, 11. — Vat. post *Sic* omittit *Samson*, et pro *quia, amisso* habet *qui, amisso.*

[5] Cap. 25, 17. — Superius Vat. corrupte *peccatorum continuati* pro *peccatorum continuata*, et *nullius iam* pro *nullis iam*, infra ante *intelligitur* omittit *hoc.*

[6] Expositio super Ierem. libr. XVIII, introductio, ubi post interpretationem singularum litterarum *(elementorum)* septem facit *connexiones* plurium litterarum et ex singularum interpretatione unita quasdam sententias eruit. — Supra pro *quod desolatio evenit* Vat. corrupte *desertatio civitatis.*

[7] Cap. 6, 18.

[8] Cap. 9, 5. 6. — Supra pro *ad litteram* Vat. *ad luctum.*

[9] *Ordinariam:* Per quem [aliquid, sic in Cicerone] dicitur factum, quod non oportuerit, aut non factum, quod oportuerit. Cfr. supra pag. 609. nota 6. et 8. — Infra pro *atriorum* Vat. corrupte *amicorum.*

[10] Cap. 25, 13; deinde Ps. 73, 6. et Ier. 14, 2.

[11] Cap. 6, 16.

[12] Libr. IX. Moral. c. 27. n. 43.

[13] Cap. 14, 2.

nullus motus sensibilis impedit internam animae tranquillitatem; in Isaia[1]: « Venite, ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei » etc. Bernardus dicit: « Venite, omnes cogitationes, affectiones et intentiones » etc. Istae igitur *viae* vere sunt *lugubres*, cum in anima sunt motus innumerabiles cogitationum et affectionum, et nullis tamen proficimus ad salutem. Vel, *Viae Sion lugent*, quando animae prius in arce contemplationis Deum contemplantes, ad terrenas actiones incurvatae, lugubres apparent. *Portae sunt destructae*, cum sensus quinque, a legibus disciplinae non restricti, solis illecebris famulantur; Nahum[2]: « Portae fluviorum apertae sunt; ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est in domos nostras ».

Ratio lugubritatis triplex.

17. *Sacerdotes eius gementes;* ecce, causa est ulterior luctuositatis. Desolatio autem solet maior apparere ex tribus: vel quando est in personis *coronatis*[3], quibus debetur reverentia, cuiusmodi sunt sacerdotes; vel in personis *simplicibus*, in quibus refulget innocentia, cuiusmodi sunt virgines; vel in *ipsa hominum multitudine*, in quibus calamitas est magis miseranda. Pro primo dicit: *Sacerdotes eius gementes*, qui solebant ad solemnitates homines invitare, quia ad litteram in captivitatem ducti et a cultu et caeremoniis templi exclusi; Ioel[4]: « Luxerunt sacerdotes, ministri Domini ». Pro secundo sequitur: *Virgines eius squalidae*, id est deformes et incultae; cuius tamen contrarium solent virgines desiderare, quae et solitae erant vias illas sua frequentia ornare. Pro tertio sequitur: *Et ipsa Sion oppressa amaritudine*, captivitatis et doloris; *oppressa*, id est sic pressa, ut nec valeat ad gaudium respicere.

Sensus allegoricus.

18. *Allegorice: Sacerdotes eius gementes*, vere non iam pro peccatis, sed gemunt prae magnitudine curarum et inquietatione divitiarum, quae sunt spinae pungentes et gemitum provocantes; Iob[5]: « Gigantes gemunt sub aquis »; Petrus non sic, sed super aquas ambulavit. *In captivitatem ducti sunt*, quia a studio vitae caelestis in carcerem mundanae sollicitudinis ceciderunt; et hoc quantum ad statum *praelatorum*. Pro statu vero *contemplativorum* sequitur: *Virgines eius squalidae; virgines*, incorruptionem mentis in statu contemplationis sectantes; *squalidae*, squalore vitiorum sordidatae; Matthaeus[6]: « Fatuae autem, acceptis lampadibus, non sumserunt oleum secum », id est, nitorem conscientiae vel puritatem in corde minime habuerunt. Sed pro statu multitudinis *activorum* sequitur: *Et ipsa Sion*, scilicet Ecclesiae multitudo, *oppressa amaritudine*, litium et discordiarum. Vel, ipsa Ecclesia universalis in pace et prosperitate corruptissima; Isaias[7]: « Ecce, in pace amaritudo mea amarissima ».

Moralis.

*Moraliter: Sacerdotes*, synderesis contra multitudinem malorum remurmurans; *virgo squalida* est intentio in bono opere depravata; quae duo accidunt, cum clerici multa mala aperte faciunt et cum quaedam bona faciunt corrupta intentione; ex quo sequitur: *Et ipsa oppressa*, anima misera, *amaritudine*, id est sarcina peccatorum.

Miseria ob exaltationem adversariorum quadruplex.

19. (Vers. 5.). He. *Facti sunt hostes.* Hic describit miseriam captivitatis quantum ad *conditiones adversariorum*, et habet quatuor partes. Primo describit *dominationem;* deinde, *rapacitatem*, ibi: *Inimici eius locupletati;* tertio, *ferocitatem*, quia nec parvulis pepercerunt, ibi: *Parvuli eius;* quarto, *tyrannicam potestatem*, ibi: *Egressus est a filia.*

Littera He.

Huic autem clausulae praemittitur littera *He*, quae interpretatur *ista;* quod est pronomen demonstrativum ad oculum, quasi dicat: ecce, ad sensum impleta sunt, quae a Domino praedicta fuerunt in Deuteronomio[8]: « Ducet te Dominus et regem tuum, quem constitueris super te, in gentem, quam ignoras » etc. — Sequitur: *Facti sunt hostes eius*, populi Iudaici, *in capite*, id est habentes dominium; « Ipse erit in caput, tu vero in caudam ». — Pro quorum *rapacitate* subdit: *Et inimici eius*, Iudaeae, *locupletati sunt*, sicut dicitur quarto Regum[9], quod Nabuchodonosor accepit thesaurum Domini et thesauros domus regiae; et est hic *octavus locus conquestionis. Quia Dominus locutus est super eam. Quia* non est nota *causae*, sed *consequentiae*, sicut dicitur in Ioanne[10]: « Non poterant credere, quia dixit Isaias: Excaecavit oculos eorum » etc. Unde Hieronymus[11] hic dicit: « Non ideo haec venerunt, quia a Domino praedicta sunt; sed quia ventura erant, ab illo praedicta sunt ». Dicit ergo, *quia Dominus locutus est super eam*, ventura scilicet praedicendo super Iudaeam, *propter multitudinem iniquitatum eius;* Deuteronomium[12]: « Tradet te Dominus corruentem ante hostes tuos »; Ezechiel: « Effundam super te indignationem meam in igne furoris mei ». — Sed hostium ostendens *ferocitatem*, subdit: *Parvuli eius*, quibus propter aetatem esset parcendum, *ducti sunt in captivitatem*, Babylonicam, *ante faciem tribulantis*, id est populi Chaldaeorum atrociter et severe, non sicut dicit Iacob[13]: « Nosti, domine mi, quod parvulos habeam teneros et oves ac boves foetas mecum, quas si plus inambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges ».

Ipsorum dominatio.

Rapacitas.

Ferocitas.

Sensus allegoricus.

20. *Allegorice: Hostes sunt in capite*, cum indigni praeficiuntur Ecclesiae, maxime illi, quae caput est aliarum; qui non quaerunt, nisi quae sunt sua. Ideo sequitur: *Inimici eius locupletati sunt*, quia nihil aliud quaerunt; Iob[14]: « Abundant tabernacula praedonum, et

---

[1] Cap. 2, 3. Sequitur Bernard., Documenta vitae religiosae (inter opera), et de Contemplando Deo, c. 1. — Inferius pro *et nullis tamen proficimus ad salutem* Vat. *quibus tunc deficimus a salute.* Eadem inferius corrupte *contemplationis detentae Deum contemnentes* pro *contemplationis Deum contemplantes.*

[2] Cap. 2, 6, ubi pro *nostras* Vat. *vestras.*

[3] Id est clericis; hoc dicitur a corona tonsurae. Pro *coronatis* Vat. habet *reverendis.*

[4] Cap. 1, 9. — Infra pro *ad gaudium respicere* Vat. *ad gaudium se recipere.*

[5] Cap. 26, 5; respicitur Matth. 14, 29. — Infra Vat. *qui* pro *quia;* et *curae caelestis* pro *vitae caelestis;* deinde *contemptorum* (!) pro *contemplativorum.*

[6] Cap. 25, 3. — Infra Vat. *aliorum* pro *activorum* (ita A).

[7] Cap. 38, 17. — Supra pro *corruptissima* Vat. *corporalium.* Infra pro *Sacerdotes* Vat. *Sacerdotes sunt.*

[8] Cap. 28, 36; deinde ib. v. 44, ubi pro *tu vero* Vulgata et Vat. *et tu eris.*

[9] Cap. 25, 13. seq. — De *octavo loco conquestionis* (hic in Glossa *interlineari)* vide supra pag. 614, notam 9. — Vat. ponit verba *et est hic... conquestionis* post textum *Quia Dominus... super eam;* deinde, omisso sequente *Quia*, habet *non ex necessitate essendi, sed consequentiae, sicut.* Unde sensus omnino obscuratur.

[10] Cap. 12, 39. 40. — De praecedente distinctione cfr. I. Sent. d. 38. a. 2. q. 1.

[11] In Lament. Ierem. (inter Opera Hieron. cfr. Proleg. c. 2. § 4.), ubi A B habent *hi venerunt* pro *haec venerunt* (ita originale et Vat.). — Vat. perperam *Ieremias vult dicere hic* pro *Hieronymus hic dicit.*

[12] Cap. 28, 25; deinde Ezech. 21, 31.

[13] Gen. 33, 13.

[14] Cap. 12, 6. — Infra pro *vivunt* Vat. *incumbunt.*

audacter Deum provocant ». *Praedones* sunt, quicumque stipendia Ecclesiae recipiunt et communi utilitati non vivunt. Vel, *inimici*, id est daemones, *locupletati sunt*, dum multitudo hominum subiicitur diabolicae servituti, paucis Christo adhaerentibus; Michaeas [1]: « Vae mihi! quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiae; non est botrus ad comedendum ». *Quia Dominus locutus est super eam*, in poenam eius; propter enim demerita subditorum permittit Dominus, praefici pastorem detestandum; Isaias: « Dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis ». Ex quo sequitur multiplex ulterius subversio subditorum; Ezechiel: « Facti sunt greges mei in rapinam, et oves meae in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor, sed pascebant pastores semetipsos ». *Parvuli*, id est simplices, in quibus solebat innocentia florere; *ducti sunt in captivitatem*, peccati, *ante faciem tribulantis*, id est diaboli. Illi *ante faciem* diaboli ducuntur, qui tentationem praeveniunt et sponte in crimina praecipitantur.

**Moralis.** *Moraliter: Hostis fit in capite*, quando voluntatem rationis inclinat [2] ad consensum malae suggestionis, vel quando depravatur oculus intentionis. Vel, *fit in capite*, quando in adolescentia quis incipit diabolo servire; alios [3] enim capit in fine vitae; Genesis: « Ipse insidiabitur calcaneo tuo »; Psalmus: « Ipsi calcaneum meum observabunt ». Sed quando *fit hostis in capite*, diabolo faciliter datur totum tempus vitae, contra illud Proverbiorum [4]: « Ne des alienis honorem tuum et annos tuos crudeli ». Quod non faciunt, nisi qui modicae sunt virtutis; ideo per *parvulos* designantur in Proverbiis: « Aversio parvulorum interficiet eos »; et: « Si quis est parvulus, declinet ad me ».

**Ipsorum tyrannica potestas duplex.** 21. (Vers. 6.). Vau. *Et egressus est.* Hic describit *hostium formidabilem potestatem* per effectum et triumphum, primo, respectu *omnium insignium personarum*; secundo, respectu *principum et maiorum*, ibi: *Facti sunt principes eius* etc. — **Littera Vau.** Huic clausulae praeponitur littera *Vau*, quae interpretatur *et*; in quo multiplicatio malorum intelligitur circa statum et [5] dominium adversariorum, quasi dicat: praedictae severitati haec etiam est adiungenda. — Dicit ergo: *Egressus est*, in captivitatem, *a filia Sion*, id est a civitate Ierusalem, quae dicitur *filia Sion*. Sicut enim mater protegit filiam, sic arx Sion civitatem sibi subditam defendebat. *Omnis decor eius*; Ieremias [6]: « Reges, principes, sacerdotes et prophetae », homines strenui ad arma, periti ad consilia, iuxta illud: « Ecce enim, dominator Dominus exercituum auferet ab Ierusalem et a Iuda validum et fortem, omne robur panis, fortem et virum bellatorem et iudicem et prophetam » etc. — Sequitur pro *deiectione principum speciali*: *Facti sunt principes eius velut arietes non invenientes pascua*; tunc enim sunt arietes debiles et vagi, faciliter in lupos incidentes. Sic in tempore obsidionis principes illi fame et inedia pressi, dissolutis viribus, pavido corde, non defensionem civium, sed fugam certe meditabantur. Unde sequitur: *Et abierunt absque fortitudine*, fame quippe attenuati et timore confracti; *ante faciem subsequentis*, populi scilicet Chaldaei.

**Sensus allegoricus.** 22. *Allegorice*, ut dicit Rabanus [7], « hac sententia arguuntur negligentes rectores Ecclesiae Dei, ob quorum incuriam perit omnis decor populi christiani ». Vel, *Filia Sion* statum significat clericorum, a quibus *egressus est omnis decor*, id est humilitas, castitas ceteraeque virtutes. Vel, *decor egreditur*, quando homo non confitetur; Psalmus: « Confessio et pulcritudo in conspectu eius ». *Facti sunt principes eius velut arietes*, qui esse solent duces gregis; aries cum vagatur, pascua non inveniens, grex ad pericula comitatur [8]. *Pascua non invenit* qui Scripturas non intelligit, qui spiritus suavitatem in corde non sentit, et ideo exteriores vanitates pro solatiis quaerit; econtra de bono pastore dicitur in Ioanne [9]: « Per me si quis introierit, ingredietur » ad contemplationem; « et egredietur » ad curam pastoralem, « et pascua inveniet »; quocontra dicitur de istis: *Non invenientes pascua*; ideo sequitur: *Et abierunt absque fortitudine*, tentationibus faciliter succumbentes; Ezechiel: « Non ascendistis ex adverso neque opposuistis vos murum pro domo Israel ».

**Miseria ex memoratione praeteritorum.** 23. (Vers. 7.). Zain. *Recordata est* etc. Huic versui libri plures habent praemissum *Et*, unde habent: *Et recordata est*; quod esse non potest, quoniam haec clausula in Hebraeo incipit sic: Zacherab etc., quod interpretatur *recordata*; quodsi *Et* praecederet, non inciperet versus iste a *Zain*, et deficeret ordo alphabeti. — **Divisio.** Hic exaggerat captivitatis miseriam ex *rememoratione praeteritorum*, primo *flagellorum* multiplicium propter peccata sua; deinde etiam *consolationum*, quas habuerat ex gratia divina, ibi: *Omnium desiderabilium*. — **Littera Zain.** Huic clausulae praemittitur littera *Zain* et interpretatur *Haec*; quia haec est ultio divina, ut ad calamitatis exaggerationem habeat praeteritorum rememorationem. Vel, ut dicit Rabanus [10], haec quatuor in una sunt *connexione* computanda: *He, Vau, Zain, Heth*, quod est dictum: *Ista et haec vita*, ut iustitiae subdatur qui contra Dei beneplacitum conatur.

**Memoria flagellorum multiplicium.** 24. Dicit ergo: *Recordata est* etc. Constructio ibi incipienda est: *Cum caderet populus eius*, scilicet Iudaeorum, *in manu hostili*, Chaldaeorum scilicet; *et non esset auxiliator*, propter peccata sua, Dei sibi auxilio subtracto; tunc, dico, *recordata est Ierusalem*, continens pro contento, *dierum afflictionis suae*, quibus Dominus eam multiplici flagello afflixit, ut vel sic converteretur; unde in Psalmo [11]: « Visitabo in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum »; *et*, repete: *recordata est*, *praevaricationis suae*, id est transgressionis, propter quam meruit a Domino flagellari. *Et*, repete: *recordata est*, *omnium desiderabilium suorum*, id est bonorum, quae Deus ei contulerat, *quae habuerat a diebus antiquis*, in Aegypto et in deserto et in terra promissionis, vel tempore Salomonis,

[1] Cap. 7, 1. — Sequitur Isai. 3, 4. et Ezech. 34, 8.

[2] Vat. *hostes sunt in capite... voluntas rationis inclinatur* pro *hostis fit in capite... voluntatem rationis inclinat.*

[3] Vat. *aliquos.* — Sequitur Gen. 3, 15, ubi B *calcaneo tuo*, Vat. *calcaneo suo*, Vulgata *calcaneo eius*; deinde Ps. 55, 7.

[4] Cap. 5, 9; dein ibid. 1, 32. et 9, 4.

[5] Vat. verba *et; in quo* etc. omittit, unde penitus corrupte legit *Vau, quae interpretatur dominium* etc., infra pro *protegit filiam* Vat. *videtur protegere filiam.*

[6] Cap. 2, 26. Pro *Ieremias* Vat. *id est.* — Sequitur Isai. 3, 1. 2. — Infra pro *deiectione principum* Vat. *deletione*, et *cum enim... in lupos insidiantes incidunt* pro *tunc enim... in lupos incidentes. Sic*; denique post *defensionem* omittit *civium.*

[7] Expositio super Ierem. libr. XVIII. in hunc loc. — Sequitur Ps. 95, 6.

[8] Vat. *gregem ad periculum ducit* pro *grex ad pericula comitatur.*

[9] Cap. 10, 9; deinde Ezech. 13, 5.

[10] Exposit. super Ierem. libr. XVIII, introd. — Infra pro *vita, ut iustitiae subdatur... conatur* Vat. falso *vita iustitiae, subdatur... tractat.*

[11] Psalm. 88, 33.

quando in prosperitate maxima Iudaei floruerunt. Et haec omnia calamitatem exaggerant per multiplicem mali illationem; quae etiam exaggeratur per boni vilipensionem, cultus divini, quo Deum solebant placare et de hostibus triumphare. Unde *viderunt eam hostes*, Chaldaei scilicet, *et deriserunt Sabbata eius*, quia vere risu digna, quia erant ad impetrandam gratiam invalida. Quiescebant enim ab opere exteriori, non ab opere criminali, non intenti divinae legis meditationi. Unde derisit eos Seneca dicens, quod septimam partem vitae suae propter sabbatizationem perderent, ut dicitur de Civitate Dei [1]; primo Machabaeorum: « Sabbata eius in opprobrium ».

Sensus allegoricus.

*Allegorice*: *Ierusalem*, id est Ecclesia, vel anima contemplativa in tribulatione posita, *recordata est dierum afflictionis suae*, quibus aliqua tentatione gravi probabatur; Psalmus [2]: « Afflictus sum et humiliatus sum nimis »; Iob: « In amaritudinibus moratur oculus meus »; et *praevaricationis*, quae flagelli exactione purgabatur; et *desiderabilium suorum*, id est aeternorum bonorum; Ecclesiasticus: « In die malorum ne immemor sis bonorum ».

Tria recolenda.

Haec enim tria sunt assidua recordatione revolvenda: *mala poenalia*, ut vita praesens contemptui habeatur; Ieremias [3]: « Haec est infirmitas mea, portabo illam ». Item *peccata*, ut per gemitum assiduum expientur; Apocalypsis: « Memor esto, unde excideris, et age poenitentiam et prima opera fac »; Isaias: « Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae ». Item, *beneficia divina*, sive praeterita, sive futura, ut gratiae agantur.

Memoria consolationum.

25. Ideo dicit: *Omnium desiderabilium suorum;* in Canticis [4]: « Memores uberum tuorum super vinum ». Sed quidam nimis tarde ista recogitant, pro quibus sequitur: *Cum caderet populus eius*, id est diversae personae Ecclesiae, vel cogitationes et affectiones singularis animae; *in manu hostili*, id est potestate diaboli; *et non esset auxiliator*, Deo deserente, nec homine subvenire valente; Ecclesiastes [5]: « Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit ». Et istud intelligitur secundum regulam Ciceronis, qua transitur de specie ad genus, quoniam, cum mali laberentur, boni praeteritorum recordabantur, sicut ibi [6]: « Cum occideret eos, quaerebant eum ». *Viderunt eam*, Ierusalem, id est animam contemplativam, *hostes*, id est daemones. *Et deriserunt* etc. Rabanus: « Hostes *videntes Sabbata, derident*, cum maligni spiritus ipsa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt. Unaquaeque enim anima, quo remota ab externis actionibus servire Deo creditur, eo magis eorum tyrannidi illicita cogitando famulatur. Sancti enim viri, quia a mundi operibus non corpore, sed virtute sopiuntur, laboriosius dormiunt, quam vigilare potuerunt ». Haec Rabanus. Et similiter Gregorius [7] super illud Iob: « Quando solet sopor occupare homines », de desidiosis dicit: « Quibus plerumque contingit, ut quanto securius ab externis actionibus cessant, tanto latius immundae in se cogitationis strepitum per otium congerant ».

Desolationis ratio.

26. (Vers. 8.). Heth. *Peccatum peccavit.* Haec est secunda pars principalis huius capituli, ubi subdit *praedictae desolationis rationem*, poenam tamen adiungens culpae.

Divisiones.

Primo tangit peccata *communiter multitudinis;* secundo *specialiter* eorum qui erant *in statu praelationis*, in sequenti versu, ibi: *Sordes eius* etc. — In prima parte primo tangit *poenae gravitatem;* secundo *poenae multiplicitatem*, ibi: *Propterea instabilis* etc. —

Littera Heth.

Huic versui praemittitur littera *Heth*, quod interpretatur *vita;* cuius expositio, si praedictis copuletur, patet, quia omnium praedictorum flagellorum causa est vita perversa. Vel aliter, quasi dicat: ad hoc recitantur ista, ut convertatur et vivat.

Peccata multitudinis.

27. Dicit ergo: *Peccatum peccavit Ierusalem*, quasi dicat: peccata multiplicans frequentavit; Ieremias [8]: « Quam vilis facta es, nimis iterans vias ». Vel, peccatum singulariter intelligitur peccatum *idololatriae*, pro quo fuerunt captivati; vel, peccatum *crucifixionis dominicae*, pro quo fuerunt finaliter dispersi; Ioannes: « Si non venissem et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent ». —

Gravitas triplicis poenae.

*Propterea instabilis.* Ecce, poena triplex: prima, *captivitatis;* secunda, *gravis vilipensionis: Omnes, qui;* tertia *consequentis anxietatis: Ipsa autem gemens.* — Nota, quod facienda Iudaeis, et quod post captivitatem Babylonicam nunquam per idololatriam praevaricaverunt [9].

Captivitatis.

Dicit ergo pro primo: *Propterea instabilis facta est*, migrans de terra sua, immo per totum orbem dispersa.

Vilipensionis.

Sed pro secundo sequitur: *Omnes, qui glorificabant eam*, tempore prosperitatis, *spreverunt eam*, in adversitate, quando fuit captiva et victa; unde sequitur: *Quia viderunt ignominiam eius*, id est confusionem captivitatis; supra eodem: « Omnes amici eius spreverunt eam ».

Anxietatis.

Sed pro tertio sequitur: *Ipsa autem gemens; ipsa*, Ierusalem, et accipitur continens pro contento; *gemens*, propter afflictionis vehementiam; *et conversa retrorsum*, ut respiceret civitatem et terram, de qua exibat, sicut peregrini recedentes de solo natali, saepe retrorsum respiciunt. Glossa [10] tamen hoc in bonum interpretatur, dicens: « *Conversa retrorsum* hoc in loco in bonam partem accipio; idcirco enim Deus inducit afflictionem super quemlibet hominem, ut convertatur ab errore et vivat ». — Vel melius, in quibusdam synagoga *conversa est retrorsum*, ut sequeretur Dominum cum Petro, in quibusdam vero synagoga, fractis cervicibus, retro cecidit cum Heli [11].

Sensus allegoricus.

28. *Allegorice:* Ecclesia peccavit, ideo *instabilis fuit;* a principio orientis in finem occidentis transivit et in illis, a quibus recessit, solam infidelitatem reliquit. — Vel

---

[1] Libr. VI. c. 11. Sequitur I. Mach. 1, 41. — Supra Vat. praeter alia menda habet *vix intenti* pro *non intenti*, et post *Unde* omittit totam propositionem: *derisit* usque ad *Sabbata.*

[2] Psalm. 37, 9; sequitur Iob 17, 2; deinde Eccli. 11, 27.

[3] Cap. 10, 19; sequuntur Apoc. 2, 5; Isai. 38, 15. — Supra pro *Haec enim tria sunt assidua recordatione revolvenda* Vat. *Hac quidem recordatione sunt assidue revocanda;* infra pro *Item, peccata, ut* Vat. *Hinc peccantes;* porro pro *expientur* Vat. *experirentur;* denique pro *gratiae agantur* eadem *continue ametur.*

[4] Cap. 1, 3. — Infra pro *vel cogitationes et affectiones singularis animae* Vat. corruptissime *et cogitationes et defensiones: nec omnes singulariter animae.*

[5] Cap. 7, 14. — De regula Ciceronis vide supra pag. 611, notam 12.

[6] Psalm. 77, 34. Locus Rabani est in Exposit. etc. libr. XVIII. ad v. 7. — Supra pro *laberentur, boni* Vat. *laborant, bonorum*, et in loco Rabani habet *magis cor* pro *magis eorum*, et *sapiunt* pro *sopiuntur*, refragantibus codd. et originali.

[7] Libr. V. Moral. c. 31. n. 55.

[8] Cap. 2, 36; sequitur Ioan. 15, 22.

[9] Verba obscura: *Nota, quod... praevaricaverunt* desunt in Vat.; B pro *Nota* habet *Non*, et A *quasi faciendam* pro *quod facienda*. Locus est corruptus.

[10] Pro *Glossa* B *Hieronymus*, et revera haec verba habentur in cit. opusculo in Ierem. (inter Opera Hieron.) ad v. 8.

[11] I. Reg. 4, 18. — Supra pro *dicens: Conversa retrorsum* Vat. *et ideo conversam retrorsum*, et dein pro *sequeretur* A B *sequerentur.*

*moraliter: Ierusalem* peccavit peccatum cupiditatis et avaritiae; ideo non stetit in praeterita puritate; nec delectantur qui eiusmodi sunt in claustrali tranquillitate, unde *omnes, qui glorificabant eam,* dederunt eis magna praedia, *spreverunt eam,* modo eis conantur auferre. *Quia viderunt ignominiam eius,* cupiditatis et carnalitatis, quae ignominiosae sunt in clericis et religiosis personis. Vel hoc dicitur de ecclesiasticis doctoribus recidivantes religiosos redarguentibus. Unde Rabanus[1]: « Ille est doctor ecclesiasticus, qui lacrymas, non risum movet, qui corripit peccatores, qui nullum beatum, nullum dicit esse felicem, nec praevenit sententiam iudicis sui ». *Ipsa autem gemens,* religio scilicet vel Ecclesia, quantum ad aliquos bonos, vel malos aliquos poenitentes; et *conversa est retrorsum,* ad statum primitivae honestatis; Osee[2]: « Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene erat mihi tunc melius quam nunc »; Psalmus: « Imple facies eorum ignominia, et quaerent nomen tuum, Domine ».

Peccata maiorum. Divisio.

29. (Vers. 9.). Theth. *Sordes eius.* Hic agit de peccatis *maiorum;* et habet tres particulas: primo, ut dictum est, tangit *peccatum praelatorum;* secundo, *peccatum consequens subditorum,* ibi: *Nec est recordata;* tertio, *vehementiam poenarum,* ibi: *Deposita est vehementer.* — Huic sententiae praemittitur littera *Theth,* quod interpretatur *bonum,* quod secundum expositionem Rabani[3] in mysterio continuatur sequentis litterae, scilicet *Iod,* quod interpretatur *principium.* Psalmus: « Bonum mihi, quia humiliasti me », quia humiliatio via est ad veritatis cognitionem et implorationem Maiestatis; unde sequitur in fine sequentis sententiae: *Vide, Domine* etc.

Peccata praelatorum.

30. Dicit ergo pro primo: *Sordes eius,* id est peccata, causaliter fuerunt *in pedibus eius,* id est praelatis, a quibus debuerat supportari, quia ipsi fuerunt peccatis sordidati et causa peccati subditorum; fuerunt enim plures idololatrae; Deuteronomium[4]: « Peccaverunt ei, non filii eius in sordibus »; et fuerunt causa excaecationis eorum; unde sequitur: *Nec est recordata finis sui,* id est captivitatis, quam Prophetae praedixerant.

Item, subditorum.

— Vel ad litteram: *Sordes in pedibus,* quia multitudo peditum ducebatur in captivitatem, iuxta quod dicitur de Tyro in Isaia[5]: « Ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum ». Sic in signum doloris et miseriae dicitur de Miphiboseth, quod venit ad David illotis pedibus et veste sordida.

Vehementia poenarum.

— Sed pro vehementia poenarum subditur: *Deposita est vehementer,* ubi tangitur *vehementia flagelli* et *defectus omnis solatii,* ibi: *Non habens* etc. *Deposita,* id est deiecta vel humiliata, *vehementer,* de solio regni et sacerdotii; Isaias[6]: « Sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida »; *non habens consolatorem;* Isaias; « Recedite a me, amare flebo; nolite incumbere, ut consolemini super vastitate populi mei ».

Sensus allegoricus.

31. *Allegorice: Pedes,* praelati Ecclesiae; Nahum[7]: « Ecce, super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem ».

Variae sordes.

In his pedibus sunt *sordes,* primo *gulae;* Isaias[8]: « Omnes mensae repletae sunt vomitu sordium »; secundo, *luxuriae;* Ezechiel: « Mundare te volui, sed non es mundata a sordibus tuis »; tertio, *avaritiae;* Osee: « Calumniam passus est Ephraim, quia coepit abire post sordes », scilicet stercora et egestiones terrae; quarto, *conscientiae;* in Proverbiis: « Generatio, quae sibi munda videtur, et non est lota a sordibus suis ». *Non est recordata finis sui,* id est mortis; Ecclesiasticus[9]: « In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis ». Vel, *finis,* id est iudicii; Ecclesiasticus: « Memor esto iudicii mei, sic enim erit et tuum; mihi heri et tibi hodie ». *Deposita est vehementer,* de peccato in peccatum, *non habens consolatorem,* quia a se excludit Spiritum sanctum consolatorem.

Tertia pars capituli, ubi implorator pietas divina.

32. *Vide, Domine.* Haec est tertia pars capituli, quae tamen praedictae sententiae copulatur, quia ex ipsa infertur; ubi ad se principaliter inclinare nititur caelestem miserationem.

Divisionis 5 membra.

Et habet quinque particulas: primo enim ponit istam *implorationem;* deinde tanquam ad hoc motivum subdit *inimicorum exaltationem,* ibi: *Quoniam erectus;* tertio subdit templi *dehonestationem et spoliationem,* ibi: *Manum suam misit;* quarto, *populi afflictionem,* ibi: *Omnis populus eius gemens;* et ultimo incidenter implorat *divinam miserationem: Vide, Domine, et considera.* — Cum hactenus Propheta planxerit civitatem, hic, mutata persona, introducit ipsam civitatem se ipsam plangentem; sed in sequentis versus initio introducitur vox Prophetae et continuatur[10] usque in finem alterius versus, ibi: *Vide, Domine, et considera,* ubi iterum eiusdem vox repetitur.

Imploratio.

Dicit ergo: *Vide, Domine, afflictionem meam; vide,* compatiens et in adversarios desaeviens.

Inimicorum exaltatio.

*Quoniam erectus est inimicus,* contra te superbiens, non tibi, sed viribus suis triumphum tribuens; Isaias[11]: « Aperi, Domine, oculos tuos et vide; audi omnia verba Sennacherib, quae misit ad blasphemandum Deum viventem ». Et si haec imploratio ad *inimicos* referatur, est locus *indignationis nonus;* si ad ipsam Iudaeam, est locus *conquestionis decimus quartus.*

Sensus allegoricus.

33. *Allegorice: Inimicus erigitur,* cum malus in Ecclesia indigne praeficitur, sicut filii Heli[12], Ecclesiam foedantes per *luxuriam;* vel cum haeretici per *schisma* contra Ecclesiam elevantur, sicut Core et complices sui. —

Moralis.

*Moraliter: Inimicus erigitur,* quando quicumque ad diaboli

---

[1] Loc. cit. in v. 8. In originali *nec pervertit* pro *nec praevenit.* — Supra pro *dederunt eis magna* Vat. *dantes ei magna,* et pro *eis conantur auferre* Vat. *omnia conantes ei auferre.* Infra ante *religiosos* B omittit *recidivantes.*

[2] Cap. 2, 7. (Vulgata *magis* pro *melius);* sequitur Ps. 82, 15. — Pro *primitivae honestatis* A B *praelativae honestatis.*

[3] Loc. cit., introductio: Tertia connexio habet Theth, Iod, *bonum, principium,* quia nunc... ex parte cognoscimus... cum autem meruimus esse cum Christo... tunc librorum doctrina cessabit. — Sequitur Ps. 118, 71. — Supra Vat. corrupte *potentiam praelatorum* pro *peccatum praelatorum,* infra *continetur* pro *continuatur.*

[4] Cap. 32, 5. — Vat. *supputari* pro *supportari* (in Glossa *interlineari* apud Lyran. *portari*).

[5] Cap. 23, 7; deinde respicitur II. Reg. 19, 24.

[6] Cap. 30, 14; deinde Isai. 22, 4.

[7] Cap. 1. 15. — Infra Vat. corrupte *aliquorum horum aedibus* pro *his pedibus.*

[8] Cap. 28, 8; sequuntur Ezech. 24, 13; Osee 5, 11. (pro *passus* Vulgata *patiens);* Prov. 30, 12. — Infra Vat. corrupte *egestiones terrenae conscientiae* pro *egestiones terrae; quarto conscientiae;* aliasque habet differentias lectionis.

[9] Cap. 7, 40; deinde Eccli. 38, 23. — Vat. *exclusum* pro *excludit;* B *Spiritus sancti consolationem* pro *Spiritum sanctum.*

[10] Vat. *consequenter.*

[11] Cap. 37, 17. — De locis *indignationis* et *conquestionis* cfr. supra pag. 609, nota 6. et 8. — Vat. falso *indignationis primus* (qui apud Ciceronem, I. Rhetoric. c. 54, « sumitur ab auctoritate »); item Vat. *conquestionis nonus* pro *conquestionis decimus quartus,* qui per obsecrationem sumitur; « in quo orantur illi qui audiunt, humili et supplici oratione, ut misereantur ». De his cfr. etiam Glossa *ordinaria* apud Lyranum in hunc loc.

[12] Respicitur I. Reg. 2, 12; deinde Num. 16, 5.

suggestionem incurvatur et quasi instrumentum diaboli efficitur, sicut dicitur in persona daemonum apud Isaiam [1]: « Incurvare, ut transeamus ».

34. (Vers. 10.). Iod. *Manum suam.* Patet sententia huius versus, cui praemittitur littera *Iod*, quod interpretatur *principium;* cuius sententia patet ex praedictis. Vel aliter: quia hoc fuit principium praecipuum deiectionis Ierusalem, quoniam gentes in sanctuarium intraverunt.

Templi dehonestatio.

Haec autem littera dupliciter exponitur: uno modo secundum Rabanum [2] sic: *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius*, id est, omnia templi ornamenta pretiosa diripuit exercitus Chaldaeorum et ipsum templum vastavit. Quod autem sequitur, expositio est sententiae praecedentis, et *quia* non notat causam, sed concomitantiam quandam; *quia vidit*, gens scilicet Iudaica, *gentes*, scilicet Chaldaeos, *ingressas sanctuarium suum*, id est sanctum sanctorum, quod erat sanctuarium illius populi; *de quibus praeceperas, ne intrarent in ecclesiam tuam;* Deuteronomium [3]: « Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt in ecclesiam Domini in aeternum »; et de similibus simile iudicium. Haec ergo fuit causa gemina desolationis Iudaeorum, quia et desiderabilia rapuerunt, et quia loca sancta introierunt. Et secundum hoc est hic locus *conquestionis decimus quintus* [4], quo nostrorum fortunas deploramus; est etiam *primus locus indignationis*, in quo templi profanatio allegatur, cuius cura maxima fuit Deo omnipotenti. — Aliter exponitur, ut *quia* sit nota *causae*, sic: *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius*, regnum, sacerdotium, vasa templi et alia, Domino rectissime permittente; *quia vidit*, Dominus scilicet, *gentes ingressas in sanctuarium suum* etc. Tanta enim familiaritate erant gentibus finitimis foederati, ut eos in templum adducerent; unde Ezechiel [5]: « Sufficiant vobis scelera vestra, domus Israel, eo quod inducitis filios alienos, incircumcisos corde et carne, ut sint in sanctuario meo et polluant domum meam ». Simile legitur de Ezechia: « Non fuit res, quam non ostenderim eis in thesauris meis; et dixit Isaias: Ecce, dies venient, et auferentur omnia, quae in domo tua sunt, et quae thesaurizaverunt patres tui, usque in diem hanc in Babylonem ».

Alia expositio.

35. *Allegorice: Desiderabilia* Ecclesiae sunt status privilegiati praelatorum, virginum et claustralium, quos diabolus in multis detinet carceratos. *Quia vidit gentes*, id est praelatos gentiliter viventes, vel peius quam gentes, iuxta quod dicitur primo Machabaeorum [6]: « Vidit Iudas mala, quae fecit Alcimus, et qui cum eo erant, filiis Israel plus multo quam gentes ». *Ingressas*, non introductas; unde Ioannes: « Fures sunt et latrones ». *In sanctuarium suum* », id est principales status Ecclesiae; Psalmus: « Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam », id est puerorum poma portantium. *De quibus praeceperas, ne intrarent in ecclesiam tuam;* Deuteronomium [7]: « Non intrabit eunuchus, attritis vel amputatis testiculis, Ecclesiam Dei », hoc est, qui non possunt filios spirituales Ecclesiae procurare, quia nec habent in se semen scientiae nec virtutem vitae.

Sensus allegoricus.

36. (Vers. 11.). Caph. *Omnis populus eius gemens.* Hic explicat populi *afflictionem* tum *ratione obsidionis gemebundae*, tum [8] *ratione famis gravissimae.* Huic clausulae praemittitur littera *Caph*, quae interpretatur *manus*, quasi: haec est operatio Dei, retribuens illis secundum merita. — Dicit ergo: *Omnis populus eius gemens*, prae obsidionis angustia, *et quaerens panem*, non iam delicias, sed necessariam panis sustentationem. Cuius famis vehementia patet ex hoc quod sequitur: *Dederunt pretiosa quaeque pro cibo*, aurum, argentum et lapides pretiosos, quasi dicat: tanta erat panis caristia; *ad refocillandam animam*, non sustentandam in suo robore vitam, sed ad miseriam minuendam, quod *refocillatio* significat. Iosephus [9] dicit, quod in obsidione Ierusalem, tanta fuit fames, quod populus obsessus quaeque pretiosa dabat pro cibo, non sustentante modicum, sed refocillante tantum; tanta erat penuria et defectus; sicut patet etiam in historia Hegesippi et historia ecclesiastica. — Sed subdens divinae pietatis inclinationem infert: *Vide, Domine*, ubi vox est iterum pro se loquentis synagogae; *quoniam facta sum vilis*, id est viliter et ignominiose tractata; *vide*, calamitatem, et *considera*, eius multiplicitatem, *quoniam facta sum vilis*, id est viliter et ignominiose tractata.

Populi afflictio.

Imploratio misericordiae.

37. *Allegorice:* Post peccata praelatorum subdit peccata et miserias subditorum; unde dicit: *Omnis populus*, subditorum, *gemens*, boni praelatis malis condolentes, mali, quod sua indignis dari vident, eorum felicitati invidentes; *et quaerens panem*, verbi Dei; Isaias [10]: « Egeni et pauperes quaerunt aquas, et non sunt; lingua eorum siti aruit ». *Dederunt pretiosa quaeque*, haec est ratio doloris una, quia dant sua carnalia et non recipiunt spiritualia. Vel aliter, *populus gemens*, divitias et delicias, quibus abundare videt clericos, concupiscens; *quaerens panem*, id est abundantiam temporalem vel voluptatem; Numeri [11]: « In mentem nobis veniunt cucumeres et pepones porrique caepae et allia »; quae solent oculos intuentium et comedentium ad lacrymas provocare. Talis est huius mundi prosperitas; unde Augustinus ad Licentium [12]: « Vincula huius mundi asperitatem habent veram, iucunditatem falsam; certum dolorem, incertam voluptatem; durum laborem, timidam quietem; rem plenam miseriae, spem beatitudinis inanem ». Isti dant *pretiosa quaeque* etc.: primo *vitam aeternam;* Matthaeus [13]: « Inventa una pretiosa, dedit omnia

Sensus allegoricus.

Dant 4 pretiosa.

---

[1] Cap. 51, 23. — Supra Vat. *quis* pro *quicumque.*

[2] Exposit. super Ierem., libr. XVIII. in v. 10.

[3] Cap. 23, 3. — Infra Vat. perperam *geminae* pro *gemina*, deinde *rapuerant... introierant* pro *rapuerunt... introierunt.*

[4] Vat. omittit *decimus quintus*, et post *deploramus* ea quae sequuntur usque ad *Deo omnipotenti.* Cfr. supra pag. 609, nota 6. et 8. — Infra Vat. corrupte *materia causae* pro *nota causae.*

[5] Cap. 44, 6. 7; sequuntur Isai. 39, 4. 5. 6.

[6] Cap. 7, 23; sequuntur Ioan. 10, 8. ac deinde Ps. 78, 1. — Supra post *praelatorum* Vat. non bene omittit *virginum et claustralium.*

[7] Cap. 23, 1. — Infra pro *Ecclesiae procurare* Vat. *Ecclesiae parere.*

[8] Pro *tum ratione obsidionis gemebundae, tum* Vat. *ratione obsidionis et gemitum;* deinde pro *necessariam panis sustentationem* Vat. *necessarium quaerens panem ad sustentationem;* porro pro *panis caristia* Vat. *panis inopia;* denique pro *vitam, sed ad miseriam minuendam* habet *ductam, sed ad miseriam succurrendam.*

[9] Libr. VI. de Bello Iud. c. 3. n. 3; porro Hegesipp., V. c. 39; Euseb., III. c. 6. (ex Iosepho).

[10] Cap. 41, 17. — Supra Vat. et B ponunt vocem *mali* post *dari vident.*

[11] Cap. 11, 5.

[12] Epist. 26. ad Licent. (olim 39.) n. 2.

[13] Cap. 13, 46; sequuntur Iob 28, 13; Prov. 6, 26; I. Petr. 1, 18. 19; Hebr. 6, 6.

sua et comparavit eam »; isti e contrario illam vitam pretiosissimam dant pro re vilissima. Item dant *virtutes et sapientiam*, de qua Iob: « Nescit homo pretium eius ». Item, *animam propriam;* Proverbia: « Mulier viri pretiosam animam capit ». Item, *passionem dominicam;* prima Petri: « Non corruptibilibus auro, vel argento empti estis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati »; et ad Hebraeos: « Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui sibi habentes ». — Haec dant *ad refocillandam animam*, quam talibus satiare non praevalent; Osee [1]: « Comedunt, et non sunt satiati; fornicati sunt, et non cessaverunt », quia dicitur in Proverbiis: « Pretium scorti vix unius est panis »; quia non satiat sicut panis, sed magis auget esuriem voluptatis; pro quibus Ecclesia ingemiscens exclamat, dicens: *Vide, Domine* etc.; istud enim « voce electae multitudinis » pro aliis dicitur, ut dicit Glossa [2].

38. (Vers. 12.). Lamed. *O vos omnes.* Haec est quarta pars capituli, ubi alios *excitat ad compassionis affectum;* secundo subdit *multiplicis* [3] *compassionis incitamentum* triplex, scilicet primo per comparationem *ad divinam severitatem;* deinde per comparationem *ad hostium importunitatem*, ibi: *Expandit Sion manus;* tertio per comparationem *ad falsorum amicorum deceptionem*, ibi: *Vocavi amicos.*

*Quarta pars capituli, ubi excitatur compassio tripliciter.*

Excitans igitur ad *compassionis affectum* dicit: *O vos* etc.; cui sententiae praemittitur littera *Lamed*, et debet finire per D, non in C H, et interpretatur *disciplina sive contritio* et secundum Hieronymum [4] *disciplina cordis*, quia hic agitur de castigatione Iudaeae per flagella; unde ad Hebraeos: « Omnis disciplina videtur esse in praesenti non gaudii, sed moeroris ». Rabanus [5] coniungit *Caph*, *Lamed*, quod interpretatur *manus cordis* vel disciplinae; et haec est quarta secundum ipsum *connexio:* « *Manus* intelligitur in opere, *cor* et *disciplina* in sensu ». Et est hic vox reliquiarum Ierusalem plangentium sanctuarium destructum et templum profanatum et cetera talia, ut patebit; quae [6] dicit: *O vos omnes, qui transitis per viam*, ad litteram, qui multas circumeuntes provincias, multas vidistis ruinas. Vel, *per viam* dicit *transeuntes* qui praesentem vitam quasi *viam transeunt;* qui enim eam quasi patriam diligunt, luctum cordis electorum considerare nesciunt; *attendite*, diligenter considerando; *et videte*, comparando et compatiendo; *si est dolor*, tantus, *sicut dolor meus;* quasi dicat: nulla alia civitas fuit unquam ita horribiliter destructa. — *Quoniam vindemiavit me*, ecce, multiplex incitamentum compassionis: primo, ut dictum est, per comparationem *ad divinam severitatem*, et habet sex particulas: quia primo exprimit *miseriam depopulationis;* deinde, *angustiam* aut vehementiam *tribulationis: De excelso misit;* tertio, *angariam captivitatis: Expandit rete;* quarto, *miseriam devastationis finalis*, ibi: *Vigilavit iugum;* quinto, specialiter *ablationem meliorum et maiorum personarum*, ibi: *Abstulit omnes magnificos;* sexto infert *consequentem desolationem dictarum reliquiarum*, ibi: *Idcirco ego plorans.*

*Primum compassionis incentivum.*

*Sex particulae.*

Dicit ergo, *plangens depopulationem*, primo: *Quoniam vindemiavit me Dominus*, per Chaldaeos et Romanos, quia, sicut qui vindemiant omnia bona abscindunt et pauca grana immatura relinquunt in vinea, sic pauci relicti sunt in Iudaea ignobiles, ceteris interfectis aut in captivitatem ductis; *ut locutus est*, comminando per Prophetas. *Vindemiavit*, inquam, *in die irae furoris sui; ira* Dei namque est voluntas puniendi, *furor* autem est voluntas eiusdem severa et implacabilis, sicut moris est hominibus furibundis; Isaias [7]: « Quid ergo faciam vineae meae? Auferam sepem eius, et erit in direptionem; diruam maceriam eius, et erit in conculcationem, et ponam eam desertam » etc.

*Prima particula.*

39. *Allegorice* exponitur, ut sit vox Christi in cruce pendentis et dicentis: *O vos* etc.; vel animarum exsistentium in purgatorio ac dicentium: *O vos omnes, qui transitis* etc., quasi dicat: qui estis adhuc viatores, *attendite* etc.; vel est vox Ecclesiae in tribulatione constitutae, quae ab alienis impugnatur et a filiis propriis non defenditur, sed potius a plurimis dehonestatur; ob hoc ad devotos suos exclamans ait: *O vos, qui transitis per viam*, ut peregrini; ad Hebraeos [8]: « Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus »; *sicut dolor meus;* Ieremias: « Dolor meus super dolorem, in me cor meum moerens ». Cuiusmodi dolor est ut matris iugiter parturientis, filios mortuos plangentis, sponsi praesentiam praestolantis, cum suis filiis inter adversarios exsulantis. *Quoniam vindemiavit me Dominus*, id est, vindemiari permisit, cuius vindemiatores sunt daemones, haeretici et tyranni; in Abdia [9] dicitur: « Si vindemiatores introissent ad te, nunquid racemos reliquissent »?

*Sensus allegoricus.*

*Moraliter:* Vox est animae veraciter poenitentis, quia nulla maior desolatio quam separatio a Deo; Ieremias [10]: « Scito et vide, quoniam malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum ».

*Moralis.*

40. (Vers. 13.). Mem. *De excelso.* Hic exprimit *vehementiam tribulationis*, primo exprimens eius *anxietatem*, deinde eius *vilitatem: Et erudivit me.* — Huic sententiae proponitur littera *Mem*, quod interpretatur *ex ipsis*, quasi dicat: ex ipsis Iudaeorum meritis est angustia adversitatis. Vel, pro *allegoria* loquitur, quia ex ipsis Iudaeis fuerunt Apostoli igne Spiritus sancti illustrati; et haec est expositio Hieronymi [11].

*Secunda. Divisio.*

Dicit ergo: *De excelso*, caeli palatio, Deo rectissime providente, sine cuius nutu nec Romani nec Chaldaei potuissent ei nocuisse; ad Romanos [12]: « Omnis potestas a Domino Deo est »; *misit ignem*, id est acerbissimam

*Anxietas.*

---

[1] Cap. 4, 10.; deinde Prov. 6, 26. — Infra pro *auget esuriem voluptatis* Vat. *accendit esurientis voluntatem.*

[2] Scil. Rabani, loco cit. ad v. 11. — Pro *voce electae multitudinis...*, *ut dicit Glossa* Vat. *verbum electorum multitudinis, est, quod pro aliis dicitur, ut inquit Glossa.*

[3] Vat. *multplex;* pro *incitamentum* B *incentivum.*

[4] In Lament. (inter Opera Hieron.): *Lamed* interpretatur *disciplina cordis.* — Sequitur Hebr. 12, 11. — Pro *et secundum Hieronymum disciplina cordis* Vat. *et hoc ideo.*

[5] Loc. cit. in Introductione. Pro *manus cordis* (ita etiam originale Rabani) Vat. *manus contritionis*, item, infra *opere*, *contritionis* pro *opere*, *cor;* deinde *haec vox* pro *hic vox.*

[6] Vat. *ergo*, quae deinde habet *videtis* pro *circumeuntes provincias, multas vidistis.*

[7] Cap. 6, 5. 6. — Supra pro *comminando per* (ita B) Vat. *continue per*, A *continuando.*

[8] Cap. 13, 14; deinde Ier. 8, 18.

[9] Vers. 5. Vat. citat Ier. 49. (9.) sic: Si vindemiatores introissent ad te, *mungendo saltem*, [sic] *racemos reliquissent* (Vulgata: ad te, non reliquissent racemum). — Supra Vat. cum A *absentiam praestolantis* pro *praesentiam praestolantis;* deinde post *daemones* sola omittit *haeretici et tyranni.*

[10] Cap. 2, 19.

[11] In Lament. ad hunc versum (inter Opera Hieron.).

[12] Cap. 13, 1. — Supra Vat. post *palatio* male addit *quia ex*, et deinde pro *nec Romani* habet *naturae ratione*, et infra *atrocissimam* pro *acerbissimam.*

tribulationem, *in ossibus meis,* id est in intima mea; vel *ossa* castra et munitiones intelliguntur; vel, *in ossibus,* regibus et principibus, qui erant robur meum; vel in hoc incendium intelligitur templi et civitatis. (Vilitas.) *Et erudivit me,* quantum fuit in se, docuit me per adversitatem, quod in prosperitatis tempore capere nolebam; Ieremias[1]: « Per omne flagellum et errorem erudieris, Ierusalem », secundum aliam litteram; Isaias: « Sola vexatio intellectum dabit auditui ». Et hoc etiam pro tanto verum est de Iudaeis, quia dicitur, quod post Babylonicam captivitatem nunquam fuerunt Iudaei idololatrae, etsi aliis modis gravissime peccaverint[2]. — (Tertia particula.) *Expandit,* ecce, *angaria captivitatis: Expandit,* Dominus, *rete,* captivitatis vinculum, *pedibus meis,* ne libere valeam ambulare aut fugere; quod dicit, quia subito et improvise capta fuit civitas; Ezechiel[3]: « Expandam rete meum super illum, et capietur in sagena mea, et adducam eum in Babylonem ». *Convertit me retrorsum,* in caudam, quae prius eram in capite; vel, *retrorsum,* iterum captivando per Romanos post captivitatem Chaldaeorum; *posuit me desolatam,* a terreno solatio, *tota die,* id est continue, *moerore confectam;* et iuste, ut malum, quod sine intermissione fecerant, incessanter deplorarent.

41. *Allegorice* exponitur de missione Spiritus sancti (Sensus allegoricus.) quod dicitur: *De excelso misit ignem in ossibus meis et erudivit me;* ubi describitur missio Spiritus sancti visibilis quantum ad quatuor: quantum ad *principium originale* missionis: *De excelso;* Ecclesiasticus[4]: « Fons sapientiae verbum Dei in excelsis ». — Quantum ad *terminum* missionis, qui significatur per *ossa,* id est Ecclesiae membra fortiora; Psalmus: « Ossa mea sicut cremium aruerunt », *cremium* est ab omni pinguedine desiccatum. — Quantum ad *sensibile signum: ignem;* Actus: « Apparuerunt illis linguae dispertitae tanquam ignis ». — Quantum ad *illustrationis effectum: Et erudivit me;* Psalmus[5]: « Beatus homo, quem tu erudieris, Domine »; Ioannes: « Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia » etc. — (Proponitur thema sermonis.) *Expandit rete* etc. Istud potest esse thema[6] de conversione Pauli Apostoli, ut, sicut in priori sententia describitur consummatio Apostolorum, qui fuerunt comites divinae peregrinationis; sic hic describatur vocatio Pauli, doctoris egregii; quia, sicut in peccato duo sunt: aversio a bono incommutabili et conversio ad bonum commutabile; sic econtra in regeneratione duo sunt: *aversio* scilicet a bono commutabili, pro quo[7] dicit: *Expandit rete pedibus meis,* et *conversio* ad bonum incommutabile, pro quo dicit: *Convertit me retrorsum;* retro enim sibi Christus erat, quem contempserat. Vel aliter: ad iustificationem peccatoris duo exiguntur, scilicet *praeparatio liberi arbitrii* et *infusio Spiritus sancti; praeparatio* autem non est de facili sine castigatione gravi, sicut de Paulo legitur, quod significatur *in expansione retis; infusio Spiritus sancti* vel rectificatio liberi arbitrii intelligitur in hoc, quod dicit: *Convertit me retrorsum;* aeterna siquidem, quibus inhaerendum est toto corde, *retro* sunt, non tantum peccatori ratione culpae, sed cuicumque homini misero propter inclinationem animae in sensus et sensibilia. Unde dicit in huius designationem Ioannes[8]: « Audivi post me vocem magnam tanquam tubae dicentis ». Hoc autem adimpletur, quoties quicumque per tribulationem castigatur; unde Augustinus secundo Confessionum[9]: « Tu semper aderas misericorditer saeviens et amarissimis aspergens offensionibus omnes illicitas concupiscentias meas »; et Gregorius in Registro: « Multi in hac vita dolores sunt, qui ad amorem caelestium quotidie impellunt, qui mihi in hoc solum vehementer placent, quia placere in hoc mundo aliquid non permittunt ». *Posuit me desolatam,* propter multitudinem peccatorum et defectum bonorum operum; Ieremias[10]: « Vox in excelso audita est lamentationis, fletus et luctus: Rachel plorans filios suos et nolens consolari super eis, quia non sunt ». Item, *desolatam,* propter periculum et impedimentum terrenorum solatiorum; Psalmus: « Renuit consolari anima mea » etc. *Tota die moerore confectam,* per poenitentiae amaritudinem; Ieremias: « Postquam convertisti me, egi poenitentiam; et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum ».

42. (Vers. 14.). Nun. *Vigilavit.* Hic plangit, ut dictum est, *finalem et irremediabilem synagogae desolationem;* (Quarta.) quam poenam primo describit ut *inflictam iuste;* (Divisio.) secundo, *effectum ipsius poenae,* ibi: *Infirmata est virtus.* — In prima parte insinuat misericordiam factae[11] dilectionis; (Subdivisio.) secundo, finalem *severitatem ultionis,* ibi: *Convolutae sunt et impositae,* et similiter aequitatem flagellationis. — Huic autem sententiae praemittitur littera *Nun,* quod interpretatur *sempiternum,* significans subversionis ultimae miseriam, quando Iudaei per Romanos finaliter in perpetuum sunt dispersi.

Dicit ergo: *Vigilavit,* quod diu dormire videbatur, id est, evigilavit, *iugum iniquitatum mearum;* (Desolatio iuste inflicta.) unde Rabanus[12]: « Vigilare iugum dicit, quia tempus diu dilatae vindictae tandem in eam advenit »; Ieremias: « Quid tu vides, Ieremia? Virgam vigilantem. Et dixit Dominus ad me: Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud ». *Iugum* igitur *iniquitatum* est poena deprimens et coercens peccatores; *in manu Domini,* in quo potentia eius operativa intelligitur; *convolutae sunt,* scilicet iniquitates, quasi in acervum reductae, quae videbantur dispersae et in oblivionem datae; *et impositae collo meo,* quasi pondus ad portandum impositae in poena, sicut fit, cum imponitur collo latronis; Ieremias[13]: « Quomodo

---

[1] Cap. 6, 7. 8; Septuaginta ad verbum translata: Dolore et flagello erudieris; Vulgata: « Coram me semper infirmitas et plaga. Erudire, Ierusalem ». Sequitur Isai. 28, 19.

[2] Vide supra pag. 616, notam 9, ubi in loco corrupto idem dicitur.

[3] Cap. 17, 20. — Infra pro *incessanter deplorarent* Vat. *incessabiliter deplorarent.*

[4] Cap. 1, 5; sequuntur Ps. 101, 4; Act. 2, 3. — Vat., ordine locorum Scripturae perperam inverso, cum primo divisionis membro *(principium* etc.) coniungit Ps. 101, 4, cum secundo Eccli. 1, 5.

[5] Psalm. 93, 12; deinde Ioan. 14, 26.

[6] Vat. perperam *theoria;* nam *thema* a Scholasticis vocabatur textus Scripturae in sermone expositus. Cfr. infra n. 45. in fine. — Vat. *regeneratione Pauli* pro *conversione Pauli.*

[7] Cod. B *qua,* hic et paulo inferius. — Infra respicitur Act. 9, 3. seqq.

[8] Apoc. 1, 10. — Supra pro *sensibilia* Vat. *sensilia;* eadem infra *quotiescumque* pro *quoties quicumque.*

[9] Cap. 2. n. 4; sequitur Gregor., V. Registr. indic. 13. epist. 42. (alias 35.). In loco Gregorii post *vehementer* Vat. omittit *placent, quia.*

[10] Cap. 31, 15; sequuntur Ps. 76, 3; Ier. 31, 19. — Vat. *pro poenitentiae amaritudine* loco *per poenitentiae amaritudinem,* et *percussisti femur* pro *percussi femur.*

[11] Vat. *divinae.*

[12] In Ierem. libr. XVII. ad v. 14. Pro *in eam advenit* Vat. perperam *in eam advertit.* — Sequitur Ier. 1, 11.

[13] Cap. 2, 26. — Supra pro *in poena* Vat. *in poenam,* et infra pro *capiti* eadem mendose *capimus.*

confunditur fur, quando deprehenditur; sic confusi estis, domus Israel ». *Collum* significat voluntatem rationalem, quia sola voluntate capiti, id est Christo, adhaeremus, sicut per collum medium corpus capiti copulatur. — Sed pro *effectu poenae* sequitur: *Infirmata* etc.; et notat duplicem effectum, scilicet *ablationem potestatis* et *perpetuitatem captivitatis*, ibi: *Dedit me Dominus*.

Effectus eiusdem.

Dicit ergo: *Infirmata est virtus mea*, propter poenae gravitatem; Psalmus [1]: « Infirmata est in paupertate virtus mea »; *dedit me Dominus in manu*, Romanorum, *de qua non potero surgere*, usque ad finem mundi; Amos: « Domus Israel cecidit et non adiiciet, ut resurgat ». Quodsi exponatur de captivitate facta per Chaldaeos, quae duravit per septuaginta annos; tunc exponendum est sic: *de qua non potero*, id est, vix et de difficili potero, vel per me non potero *surgere*.

Sensus allegoricus.

43. *Allegorice: Iugum vigilat*, cum propter peccata Ecclesiam flagellat; quae flagella collo imponuntur, quando praelati propter peccata subditorum puniuntur praecepto divino; Numerorum [2]: « Tolle cunctos principes populi et suspende eos contra solem in patibulis »; quod factum est, quia « fornicatus fuerat populus cum filiabus Moab ». Tunc *virtus* Ecclesiae *infirmatur*. Quod vero sequitur: *Dedit me* etc., in finali condemnatione completur. Amplius, *infirmatur virtus* per peccatorum frequentiam, quia quilibet actus peccati aliquid adimit de fortitudine et habilitate ad bonum. *Dat Dominus in manu*, vel quando virginitas amittitur, vel quando peccatum mortale committitur; de quo nullus per se sine Dei operatione reducitur; est enim « homo spiritus vadens et non rediens [3] ».

Quinta particula. Divisio.

44. (Vers. 15.). SAMECH. *Abstulit omnes*. Hic quinto lamentatur *subtractionem insigniorum personarum;* et habet tres particulas: in prima parte deplorat *stragem personarum;* secundo, ipsum *temporis infortunium: Vocavit adversum me;* tertio deplorat *miseriam reliquiarum*, ibi: *Torcular* etc. — Huic sententiae praemittitur littera *Samech* et interpretatur *adiutorium*, in quo innuitur dominici adiutorii ablati lamentatio. Rabanus [4] coniungit haec tria *Mem, Nun, Samech;* quae simul iuncta interpretantur *ex ipsis sempiternum adiutorium;* ex ipsis, scilicet Scripturis, secundum ipsum, et est quinta *connexio*.

Strages personarum.

Temporis infortunium.

Miseria reliquiarum.

Dicit ergo: *Abstulit omnes magnificos meos*, id est magna facientes, *Dominus de medio mei*, ut reges, principes et sacerdotes virtuosos. Est enim *magnificus* qui in omni opere virtutis eligit quod perfectius est; unde *magnificentia* est decus et ornamentum omnium virtutum. *Vocavit adversum me tempus*, quasi: non videtur istud casu factum, sed ad hoc tempus divinitus provisum; Deuteronomium [5]: « Adesse festinant tempora »; *ut contereret electos meos*, honore et gratia ceteris maiores. — Unde sequitur: *Torcular calcavit*, in quo vehementia oppressionis designatur; *Dominus virgini filiae Iuda*, id est sterili et delicatae Iudaeorum multitudini, propter quod per *virginem* et *filiam* designatur [6]; et dicit: *Torcular* etc., ut insinuet, ut dictum est, *miseriam reliquiarum;* quoniam, sicut in torculari quidquid purum est eliquatur, et quod impurum est remanet in pressura: sic in Iudaeorum obsidione nobiles fuerunt in captivitatem ducti, ignobiles autem et pauperes quasi acini [7] derelicti.

Sensus allegoricus.

45. *Allegorice: Magnifici* intelliguntur praelati, qui tunc auferuntur, quando caduca et vilia, quae exigua sunt, quaerunt, magnis et aeternis derelictis; Isaias [8]: « Adducet magistratus quasi lutum et quasi plastes conculcans humum ». Boni igitur auferuntur de medio, et mali non sunt in medio, sed in angulo. Debet enim praelatus esse *in medio omnium* per *humilitatem;* Ecclesiasticus [9]: « Rectorem te posuerunt? Noli extolli; esto in illis, quasi unus ex eis ». Item, per *communitatem*, ut nullius personam acceptet; Psalmus: « Si dormiatis inter medios cleros, pennae columbae deargentatae »; Proverbia: « In summis excelsisque verticibus supra viam in mediis semitis stans, iuxta portas civitatis in ipsis foribus loquitur, dicens » etc. Item, per *omnium diligentem considerationem;* Proverbia [10]: « Diligenter agnosce vultum pecoris tui »; et Isaias: « In medio populi polluta labia habentis ego habito ». Item, per *pacis confirmationem* et *conservationem;* Ioannes: « Stetit Iesus in medio discipulorum et dixit illis: Pax vobis ». — *Vocavit adversum me tempus*, de tuo tempore exigens rationem; Bernardus [11]: « Sicut capillus de capite, sic momentum de tempore non peribit ». — *Ut conterat electos meos;* actus condemnet, quos optimos reputabam; Proverbia [12]: « Est via, quae videtur homini recta, et novissima eius ducunt ad mortem ». *In torculari* angustia tribulationis vel poenitentiae intelligitur; in torculari enim vinum eliquatur, quo reficiuntur homines, et manent faeces, quae comprimuntur; sic per poenitentiam *electi* probantur et ad mensam Domini coaptantur; *mali* affliguntur et murmurationis merito aeternis incendiis comburuntur. Unde pro *bonis* dicitur in Genesi [13]: « Lavabit in vino stolam suam et in sanguine uvae pallium suum »; de *malis:* « Ut lutum platearum delebo eos ». « Vel, torcular secundum Glossam est passio Christi »; Isaias: « Torcular calcavi solus ». Et propter hoc Psalmus [14] intitulatur *de torcularibus*, id est salus de imitatoribus dominicae passionis. — Et potest esse thema in Parasceve, quia primo notatur *passionis angustia* in *torculari;* secundo, *patientis potentia* in *calcatione* eiusdem; tertio *efficacia* notatur in *virgine filiae Iuda*.

Praelati 4 virtutes.

Thema pro Parasceve.

Sexta, de qua tria.

46. (Vers. 16.). AIN. *Idcirco ego plorans*. Ecce, consequens praedicta flagella *desolatio reliquiarum;* ubi primo praemittit *desolationem;* secundo, *desolationis intensionem:*

---

[1] Psalm. 30, 11; deinde Amos 5, 1.

[2] Cap. 25, 4. et 1. — Supra pro *quae flagella collo imponuntur* Vat. *quod collo imponitur*. Inferius post *infirmatur* Vat. mendose sic continuat *quae secundum id quod sequitur*, pro *Quod sequitur*.

[3] Psalm. 77, 39.

[4] Loc. cit. Introduct.

[5] Cap. 32, 35. — Supra post *ornamentum* Vat., refragantibus codd., addit *divinarum humanarumque*. Dein pro *non videtur istud* (ita B) A *non verbum istud*, Vat. *non sit istud*.

[6] Verba *Dominus virgini filiae... designatur* desiderantur in Vat.

[7] Ita A, B *asini*, Vat. *aridi*.

[8] Cap. 41, 25. — Supra pro *magnis et aeternis derelictis* Vat. *magna et aeterna derelinquunt;* infra eadem post *humum* male omittit *Boni*.

[9] Cap. 32, 1; deinde Ps. 67, 14; Prov. 8, 2. et 3.

[10] Cap. 27, 23; deinde Isai. 6, 5; Ioan. 20, 19, in quo textu post *medio* Vat. male addit *doctorum vel*.

[11] Declamat. 44. n. 54. (cfr. supra pag. 404, nota 12; et serm. 1. de Diversis, n. 8.). — Supra Vat. post *adversum me* corrupte *etc. De toto tempore exigentiam. Bernardus*, in cuius loco pro *de capite* eadem *capitis*.

[12] Cap. 16, 25. — Infra pro *vel poenitentiae* Vat. corrupte *non poenitentialis;* deinde *deprimuntur* pro *comprimuntur;* porro post *probantur* eadem omittit *et*, ac ponit *et rapiuntur* pro *coaptantur*, atque *internis incendiis* pro *aeternis incendiis*.

[13] Cap. 49, 11; deinde Ps. 17, 43; sequitur Isai. 63, 3.

[14] Id est Ps. 8. et 80. et 83: « In finem pro torcularibus ». Vat. corrupte *vinum premitur de torcularibus* pro *Psalmus intitulatur* etc.; deinde eadem *imitationibus* pro *imitatoribus*, denique *passione* pro *Parasceve*.

*Et oculus meus;* tertio, *utriusque rationem: Quia longe.* — Huic sententiae praemittitur littera *Ain*, quod interpretatur *fons* sive *oculus*, alludens sententiae sequenti, in qua *oculi* velut *fontes* aquarum abundantia dicuntur irrigui.

Dicit ergo: *Idcirco ego plorans*, id est gens residua;

Desolatio.

Hieronymus [1] tamen exponit hoc de Propheta Ieremia. Inde

Intensio doloris.

*intensio doloris* subditur: *Et oculus meus deducens aquam*, id est magnam lacrymarum abundantiam et fontem lacrymarum; supra eodem: « Plorans ploravit » etc. *Quia longe;* ecce, *ratio desolationis*, subtractio divinae consolationis, et exterminatio populi delectabilis: *Facti sunt.* Di-

Ratio utriusque prima.

cit ergo: *Quia longe factus est a me consolator*, Deus, propter peccatum; « longe enim a peccatoribus salus [2] »; *convertens animam meam*, ad bonum; nullus enim ad bonum convertitur, nisi prius in bono delectetur; Augustinus [3]: « Ut amori iustitiae non praeponamus omnia, quae delectant; ipse est primus gradus, ut inter omnia, quae

Secunda.

delectant, plus delectet ipsa iustitia ». Pro secundo sequitur: *Facti sunt filii mei perditi*, ad litteram, unde Baruch: « Adduxit mihi luctum magnum; vidi enim captivitatem populi mei, filiorum meorum et filiarum mearum. ». Sed causa causae sequitur: *Quoniam invaluit inimicus*, id est, praevaluit.

47. *Allegorice:* Vox est Ecclesiae, vel animae sanctae,

Sensus allegoricus.

quae sponsi sui deplorat absentiam. Sed deploratio efficax non est, nisi continuetur; unde ille a Domino consolari meretur, qui servat cor suum continue lacrymosum, nullum admittens interruptivum solatium. Augustinus [4]: « Consolari laetitia nolo vos, nisi primum venia reduxerit vos ». Et hoc est oculum facere fontem aquarum, *quia longe factus est*, propter peccata mea. E contrario, cum praesens est consolator, non habent locum amaritudinis lacrymae; Matthaeus [5]: « Nunquid possunt lugere filii sponsi, quamdiu cum ipsis est sponsus »? *Facti sunt filii mei perditi*, falsi Christiani, vel si de anima singulari intelligitur, *filii* opera intelligitur; in Psalmo: « Filii tui sicut novellae olivarum » etc.; Osee: « Ephraim adducet filios suos ad interfectorem »; *Ephraim* interpretatur frugifer, quia filii Ecclesiae prosperitate et affluentia praecipue corrumpuntur.

48. (Vers. 17.). Phe. *Expandit Sion.* Hic post decla-

Secundum compassionis incentivum.

ratam ad se divinam severitatem, subdit *secundum compassionis incentivum*, hostium scilicet importunitatem,

Divisio.

primo describens *oppressionis miseriam;* secundo, ipsius *poenae iustitiam*, ibi: *Iustus est Dominus;* tertio iterat quasi *conclusive calamitatis querimoniam*, ut alios inflectat ad compassionis clementiam, ibi: *Audite, obsecro* [6]. — In prima parte, quia hostes tunc maxime sunt molesti, quando illi quorum sunt hostes, sunt in angustia consti-

Subdivisio.

tuti; ideo primo describit *circa Iudaeos adiutorii et solatii indigentiam;* secundo subdit *adversariorum impugnantium confluentiam*, ibi: *Mandavit Dominus;* tertio, consequentem *Iudaeorum ignominiam*, ibi: *Facta est Ierusalem.* — Huic sententiae praemittitur littera *Phe*, et interpretatur *os*, ab ore, non ab osse, vel *oris*, genitive, quasi dicat: maior est desolatio mea, quam lingua valeat enarrare; unde etiam manuum extensione praetenditur.

Dicit ergo: *Expandit manus*, sicut periclitans, requirens adiutorem, vel in signum afflictionis maximae, sicut solent afflicti gravi morbo facere et mulieres parturientes;

Oppressionis miseria triplex.

*Sion*, continens pro contento. *Non est qui consoletur eam*, divino subtracto solatio et divino flagellante iudicio; Nahum [7]: « Unde quaeram consolatorem tibi »? *Mandavit Dominus adversus Iacob*, id est duas tribus Iuda et Beniamin, de eius genere et nomine gloriantes; *mandavit* quantum ad poenae iustitiam, non quantum ad punientium malitiam. *Hostes eius in circuitu eius*, unde quarto Regum [8]: « Nabuchodonosor et omnis exercitus eius circumdederunt civitatem et exstruxerunt in circuitu eius munitiones ». — Sed pro *consequenti ignominia* subdit: *Facta est Ierusalem quasi polluta menstruis inter eos; Ierusalem*, continens pro contento, id est immunda reputata et abominabilis; vel hoc dicitur secundum Rabanum [9], « quia sanguinolenta opera et carnalia desideria noluit vitare »; unde subdit Rabanus: « Menstrua foeditas est, cum per singulos menses gravia atque torpentia mulierum corpora immundi sanguinis effusione relevantur ».

49. *Allegorice: Sion*, id est Ecclesia in praelatis sanctis, *expandit manus suas*, pro subditis orando; unde

Sensus allegoricus.

Exodus [10]: « Cum levaret Moyses manus, vincebat Israel ». *Non est qui consoletur eam*, benefaciendo; « omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt ». *Mandavit Dominus* etc.; hoc spiritualiter impletur, cum tribulationes haereticorum et aliorum contra Ecclesiam suscitantur, praecipue cum carnalitates et carni placentia praedicantur. Tunc Ierusalem, *quasi polluta menstruis plangitur*, pro quo Isaias [11]: « Facti sumus ut immundus omnes nos, quasi pannus menstruatae universae iustitiae nostrae ».

*Moraliter: Sion* animam significat, quae fuit specu-

Moralis.

latrix Dei, sed in vitia relapsa, ad Dei consolationes frustra se erigit, quin potius gravibus tractatur [12] tentationibus et medico indiget, non sponso.

50. (Vers. 18.). Sade. *Iustus est Dominus.* Ecce, hic

Poenae iustitia.

secundo post poenae exaggerationem subdit *poenae iustitiam*, recognoscens eam sibi iuste fuisse illatam, dicens: *Iustus est Dominus.* — Cui sententiae praemittitur *Sade*, quod interpretatur *iustitiae*, et satis convenit proposito. Exinde Rabanus [13] facit hic sextam *connexionem* trium praecedentium litterarum *Ain, Phe, Sade*, quae interpretantur simul *fons* sive *oculus oris iustitiae.*

Dicit ergo: *Iustus Dominus*, me affligendo; *quia os eius ad iracundiam provocavi; os eius*, id est ipsum mihi per Prophetas loquentem; Osee [14]: « Ephraim in amaritudinibus suis provocavit me ». Quod a sensu morali non discrepat; ubi docetur, omnem poenam aequanimiter esse

---

[1] In Lament. ad v. 16. (inter Opera Hieron.). — Sequitur Thren. 1, 2.

[2] Psalm. 118, 155. — Supra pro *exterminatio populi delectabilis* Vat. *exsecratio populi delinquentis.*

[3] Serm. 159. (alias 17. de Verbis Apost.) c. 2. n. 2. — Sequitur Baruch 4, 9.

[4] Locum hunc non invenimus.

[5] Cap. 9, 15; deinde Ps. 127, 3. et Osee 9, 13. — Vat. infra omittit *filii opera... olivarum etc.*

[6] Vat. omittit *Iustus est Dominus; tertio iterat* usque ad *Audite.* Infra eadem *contra Iudaeos* pro *circa Iudaeos*, et *adversariorum impugnantiam* (!) pro *adversariorum impugnantium confluentiam*, denique *obsessio* pro *desolatio.*

[7] Cap. 3, 7. — Supra Vat. *sinum afflictionis maximum* pro *signum afflictionis maximae*, et *dominico subtracto* pro *divino subtracto.*

[8] Cap. 25, 1.

[9] Expositio super Ierem., libr. XVIII. ad v. 17.

[10] Cap. 17, 11; deinde Ps. 13, 3. — Infra pro *spiritualiter* Vat. *specialiter*, et pro *praedicantur* A *praebeantur.*

[11] Cap. 64, 6.

[12] Vat. corrupte *taxatur.*

[13] Loc. cit., Introductio.

[14] Cap. 12, 14. — Sententia Gregorii est II. Moral. c. 18. n. 31.

ferendam; unde Gregorius: « Si iusta placere Domino scimus, pati autem nulla, nisi quae Domino placuerunt, possumus; iusta sunt cuncta, quae patimur, et valde iniustum est, si de ista passione murmuramus ». Glossa [1] dicit super hoc: « Deprecatio », quae est species concessionis, quae est color rhetoricus; unde Tullius: « Deprecatio est, in qua non defensio facti, sed ignoscendi postulatio continetur ».

Calamitatis querimonia.

*Audite, obsecro;* ecce, *iterat conclusive suae desolationis querimoniam,* ubi primo *invitat omnes ad compassionem;* deinde *subdit compatiendi rationem: Virgines meae,* ubi datur intelligi, quod quanto aliquis plus luget, tanto videt amplius esse lugendum. — Dicit ergo: *Audite, obsecro, universi populi.* Supra invitaverat ad compatiendum *aliquos,* hic invitat *universos;* « talis enim est usus humani affectus », ut dicit Rabanus [2], « ut doloris sui sive gaudii alios quaerat esse participes, quatenus eorum solatio illatum onus tristitiae sive laetitiae facilius portet ». *Et videte dolorem meum; audite,* verba querimoniae; *videte,* multiplicitatem miseriae; *virgines meae,* ex quibus exspectari posset successio posteritatis; *et iuvenes mei,* ex quibus exspectari posset auxilium defensionis; *abierunt in captivitatem,* Babylonis. Vel, *iuvenes* pro parvulis accipiuntur, ut sit hic *octavus locus indignationis,* quia tales nec se nec alios possunt defendere [3].

Sensus allegoricus.

51. *Allegorice: Virgines,* Ecclesiae particulares; secunda ad Corinthios [4]: « Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo ». *Iuvenes* etiam *abeunt in captivitatem,* cum regenerati seducuntur haeretica pravitate, sicut patet in Ecclesia orientali, ubi statim regenerati multiplici imbuuntur errore. Vel, in *virginibus* pudicitia, simplicitas et mansuetudo; in *iuvenibus* zelus, amor, fortitudo, magnanimitas; haec vadunt in captivitatem per defectum prudentiae; unde Roboam, relicto consilio senum, adhaesit consilio iuvenum, tertio Regum [5]. Vel, *virgines vadunt in captivitatem,* in fatuis virginibus, Matthaei vigesimo quinto, quae superbiunt de virginitate et nullis aliis bonis operibus adornantur. Vel, castae intentiones et cogitationes significantur per *virgines,* sicut per *iuvenes* robustae affectiones; quae *ducuntur in captivitatem,* cum peccatum mortale occupat mentem.

Tertium compassionis incentivum. Divisio.

52. (Vers. 19.). Coph. *Vocavi amicos.* Ecce, *tertium incentivum compassionis,* scilicet consideratio fraudis falsorum amicorum; ubi praemittit *ipsorum deceptionem;* deinde, *consequentem ipsius desolationem: Sacerdotes mei.* — Huic clausulae praemittitur littera *Coph,* quae interpretatur *vocatio* et congruit ei quod sequitur.

Deceptio ipsorum.

*Vocavi amicos meos,* ad litteram Aegyptios, quos mihi tanquam foederatos putabam amicos; et haec fuit una praecipuarum causarum destructionis Ierusalem, quia scilicet innixi sunt auxilio Aegypti, unde Isaias [6]: « Erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia umbrae Aegypti in ignominiam ». Unde sequitur: *Et ipsi deceperunt me;* Ieremias: « Omnis amicus fraudulenter incedit », quia, ut dicit Glossa [7], « in tempore primae et ultimae captivitatis nullum eis auxilium praebuerunt »; unde Rabanus: « Patet, quod per antiphrasim iste *amicus* dicatur, qui deceptor esse probatur ». « Sunt enim qui dicuntur *amici,* sed magis ostenduntur esse *inimici,* quia egrediuntur ad inimicitiam ». — *Sacerdotes mei,* quibus debetur amplior reverentia pro auctoritate; *et senes mei,* quos aetas facit reverendos; *in urbe,* Ierosolyma; *consumti sunt,* peste, gladio, vel famis inopia; *quia quaesierunt cibum sibi,* et, supra [8], non invenerunt, *ut refocillarent animam suam;* non dicit: ut *sustentarent;* quae omnia, etsi pluries contigerint, maxime tamen in subversione facta per Romanos. Et est hic *quintus locus conquestionis,* ubi res ipsae quasi sensibiliter explicantur, ut iudex ad misericordiam inflectatur.

Consequens desolatio.

Sensus allegoricus.

53. *Allegorice: Amici* sunt clerici, qui vocati ab Ecclesia, ipsam decipiunt, cum stipendia recipiunt et communi utilitati non vivunt; vel decipiunt Ecclesiam qui plures pingues recipiunt praebendas; ubi enim Ecclesia deberet et posset habere plures idoneos servientes, non habet nisi unum virum indignum; nec est mediocris Ecclesiae iniuria, cum numero [9] servorum suorum per cupiditatem aliquorum Ecclesia defraudatur. *Sacerdotes et senes consumti sunt,* in peccatis vitam infelicem terminantes.

Moralis.

*Moraliter:* Homo tres habet amicos: primus est *caro,* de qua ad Ephesios [10]: « Nemo unquam carnem suam odio habuit ». Iste *amicus* decipit, ducens ad suspendium sibi consentientes; Proverbia: « Irretivit eum multis sermonibus et blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam ». — Secundus amicus est *mundus,* qui parat funem vel chordam; unde Apostolus: « Qui volunt divites fieri incidunt in laqueum et in tentationem diaboli » etc. — Tertius est *diabolus,* qui suspendit sibi consentientem; Osee [11]: « Ligavit eum spiritus in alis suis, et confundentur a sacrificiis suis ». *Quaesierunt sacerdotes cibum,* et non salutem animarum; Ezechiel: « Vae pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos »!

Amicus primus. — Secundus. — Tertius.

Quinta pars capituli, excitans Dei indignationem in hostes. Divisio.

54. (Vers. 20.). Res. *Vide, Domine.* Ecce, quinta [12] pars capituli, ubi *excitat in adversarios Dei indignationem;* et primo praemittit in summa *suam calamitatem;* deinde, *inimicorum iniquitatem: Omnes inimici mei;* tertio infert *suam intentionem* ultimo versu, ibi: *Ingrediatur omne malum.*

Calamitas sua quadruplex.

*Calamitatem suam* describit quantum ad quatuor: primo, quantum ad angustias *corporales,* quae intelliguntur in *turbatione ventris;* secundo, quantum ad angustias *spirituales,* quae intelliguntur in *subversione cordis;*

---

[1] Id est *interlinearis.* Locus Ciceronis est II. Rhetor. c. 34. — Infra pro *species concessionis, quae* Vat. *spes concessionis, quae* (codd. *qui*).

[2] Libr. cit., in hunc locum.

[3] Vide supra pag. 609, notam 6. et 8.

[4] Cap. 11, 2.

[5] Cap. 12, 8. seq., et respicitur Matth. 25, 2. seqq.

[6] Cap. 30, 3; deinde Ier. 9, 4. — Supra pro *Aegyptios* Vat. *Aegyptiacos.*

[7] *Ordinaria* apud Lyranum, sumta ex Paschasio, Expositio in Lament. ad 1, 19. Sequens locus Rabani est in libro toties cit. ad hunc locum.

[8] Scil. 1, 11. — Vat. omittit *supra.* Infra pro *quintus locus* (in quo apud Tullium [I. Rhetor. c. 55.] illa sententia habetur, quae sequitur) codd. et Vat. *decimus quartus locus,* « qui per obsecrationem sumitur, in quo orantur modo illi qui audiunt, humili et supplici oratione, ut misereantur »; quod sane hic non respondet. Glossa *interlinearis* (apud Lyranum) habet: « Quartus locus conquestionis, per quem res turpes et humiles... proferantur et indignae aetate, genere » etc. Qui locus satis conveniens est.

[9] Vat. *lucro* (A *vitio*), quae deinde perperam habet *captivitatem* pro *cupiditatem.*

[10] Cap. 5, 29, sequitur Prov. 7, 21. 22; deinde I. Tim. 6, 9. — Pro *vel chordam* Vat. *vel laqueum.*

[11] Cap. 4, 19; deinde Ezech. 34, 2.

[12] Vat. *vigesima;* eadem ante *calamitatem* omittit *suam,* et inferius pro *intus et foris* habet *foris est gladius.*

tertio quantum ad angustias *universales*, quae intelliguntur per *intus* et *foris;* quarto, quantum ad angustias *irremediabiles*, in principio versus sequentis, ibi: *Audierunt* etc. — Huic versui praemittitur littera *Res*, quae interpretatur *capitis*, quia hic describitur tribulatio ad intima cordis perveniens.

Dicit ergo: *Vide, Domine*, ut mihi compatiaris et contra adversarios indigneris; *quoniam tribulor*, quam tribulationem explanans subdit: *Venter meus conturbatus est*, quasi parturientis, cui est vehementissimus dolor ventris. Vel, *venter* sacerdotes eorum mali, quia mali praelati mittunt vitalia sacramenta toti corpori, sibi solis sordibus reservatis; Psalmus [1]: « Adhaesit in terra venter noster ». —

Prima calamitas.

Pro *angustia cordis* sequitur: *Subversum est cor meum in memetipsa*, ubi tanta intelligitur desolationis vehementia, quae rationis iudicium obfuscabat; Psalmus [2]: « Turbatus est in ira oculus meus, anima mea et venter meus ». Vel, *cor* mystice intelliguntur Prophetae et consiliarii, quia in corde est sedes consilii; Osee: « Ephraim, columba seducta non habens cor ». Unde sequitur: *Quoniam amaritudine plena sum*, corde et corpore, undique cernens tribulationem amaricantem; Ruth: « Non vocetis me *Noemi*, id est pulcram, sed vocate me Mara, id est amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens ».

Secunda.

Huius autem plenae amaritudinis subditur causa *tribulatio universalis;* unde sequitur: *Foris interficit gladius, foris*, id est extra civitatem gladius persecutoris; *et domi*, id est in civitate, *mors similis est*, quia intus sunt mortui fame; Ieremias [3]: « Si egressus fuero ad agros, ecce, occisi gladio; si introiero civitatem, ecce, interfecti fame ». Vel, quod dicit *similis* referatur ad similem tribulationem, quoniam tempore obsidionis factae per Romanos Iudaei contra se pugnarunt, et qui erant superius in pinnaculo templi pugnaverunt contra illos qui erant in parte templi inferiori, ut narrat Hegesippus [4].

Tertia.

55. *Allegorice:* Per *ventrem* potest intelligi Ecclesia cathedralis, quae frequenter per discordias et schismata perturbatur [5]; *cor subvertitur*, quando consilium pacis non invenitur; *foris* saeviunt Ecclesiae adversarii, et peius interius domestici.

Sensus allegoricus.

*Moraliter: Cor subvertitur*, quando superius clauditur et inferius aperitur, cum cor contrario modo naturaliter disponatur.

Moralis.

56. (Vers. 21.). Sin. *Audierunt, quia.* Hic quarto tangit *angustias irremediabiles*, nusquam [6] remedium invenientes; et introducit, ut dictum est, adversarios exsultantes, ibi: *Omnes inimici mei.* — Huic sententiae praemittitur littera *Sin*, quod interpretatur *dentium*, quia post dolorem parturientium gravissimus videtur dolor dentium. Et quia patet ex praedictis dolor *morientium*, ecce, dolor residuorum, scilicet viventium, describitur.

Quarta.

Dicit ergo: *Audierunt*, gentes in circuitu constitutae, vel alii quicumque; *quia ingemisco ego;* dicit *ego*, discretionis causa et signans se [7], quia nullus alius sic gemens invenitur. *Et non est qui consoletur me*, supra eodem: « Non est qui consoletur eam » etc. Anxianti autem animae hoc est doloris non modicum augmentum, quando ille, in quo spem habuit solatii, differt afferre solatium. — *Omnes.* Post descriptam suam desolationem hic subdit *inimicorum saevientium improbitatem.* Primo describit *eorum culpam;* secundo praedicit eorum *futuram poenam*, et *consolationem* e contrario Iudaicam, ibi: *Adduxisti.* — Dicit ergo: *Omnes inimici mei audierunt malum meum*, afflictionis et oppressionis; *laetati sunt;* Psalmus [8]: « Qui tribulant me exsultabunt, si motus fuero ». *Quoniam tu fecisti*, id est, me tribulationibus exposuisti. Sed pro sua *consolatione* futura et inimicorum tribulatione subdit: *Adduxisti*, id est adduces in liberatione de captivitate Babylonica et *diem consolationis;* Ieremias: « In fletu venient, et in misericordia reducam eos ». *Et fient*, adversarii mei, *similes mei*, qualiter modo sum videlicet, et ego liberabor; Isaias: « Vae! qui praedaris, nonne et ipse praedaberis » ?

Inimicorum improbita[s] de qua d[...]

57. *Allegorice:* Istud retorqueri potest contra malos religiosos, qui sunt *dentes* Ecclesiae, quia [9] latent et ruminant, id est, orant pro toto corpore; *audiunt*, quia *ingemiscit Ecclesia* in adversitate, *et non est qui consoletur*, id est, qui opponat se efficaciter pro Ecclesia. Vel Ecclesiae ista est vox in *pauperibus*, quae in eis ingemiscit et rarum invenit adiutorem. Et ideo continget permutatio, quia veniet pauperibus consolatio in futuro, divitibus autem malis tribulatio, sicut patuit de divite et Lazaro; Lucas [10]: « Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris ».

Sensus al[le]goricus.

58. (Vers. 22.). Tau. *Ingrediatur.* Ecce, hic tertio *infert suam intentionem*, ubi *more rhetorico*, ut dicit Glossa [11], postquam ad se iudicis misericordiam inflexit, in adversarios Dei excitat severitatem. Et habet quatuor partes: quia primo excitat iudicis affectum ad eorum *peccata multimoda consideranda;* secundo, ad *flagella inferenda*, ibi: *Et vindemia eos;* tertio excitat ad hoc *per exemplum*, ibi: *Sicut vindemiasti;* quarto, per *aequitatis iudicium*, ibi: *Propter omnes.* — Huic sententiae praemittitur littera *Tau*, quae interpretatur *signa*, quia, secundum Rabanum [12], interpretationis gratia copulandum est cum tribus litteris praecedentibus, *Coph, Res, Sin*, quod interpretatur *vocatio, capitis, dentium, signa.* « Per dentes, inquit,

Infert suam intentionem

Divisio.

[1] Psalm. 43, 25. — Supra Vat. perperam *sunt mali* pro *eorum mali*, deinde *omittunt* pro *mittunt.* Pro *solis ipsi ventris sordibus servientes* ex A substituimus *sibi solis sordibus reservatis.*

[2] Psalm. 30, 19; sequuntur Osee 7, 11; Ruth 1, 20.

[3] Cap. 14, 18. (pro *interfecti fame* Vulgata *attenuati fame).* — Vat., omittens locum Ieremiae, post *mors similis est* non habet nisi corrupte *quod autem dicit domi, fame.*

[4] Libr. V. de Excidio urbis Ierusalem, c. 1. (apud De la Bigne, Biblioth. Patr. tom. VII. pag. 519, ed. Paris. an. 1610.) Cfr. Ioseph., de Bello Iud. V. c. 1. n. 2.

[5] Pro *et schismata perturbatur* Vat. *tumefacta* (!) *conturbatur*, deinde pro *peius interius domestici* eadem *periculis internis agitatur;* denique pro *cum cor* habet *tamen*, et *materialiter* pro *naturaliter.*

[6] Vat. *nunquam*, quae infra pro *Et quia patet ex praedictis dolor morientium* habet *Ex praedictis patuit primo morientium.*

[7] Vat. *signantiae* pro *signans se.* — Citatur supra v. 2.

[8] Psalm. 12, 5; sequuntur Ier. 31, 9. et Isai. 33, 1. — Pro *liberatione de captivitate Babylonica et diem consolationis* Vat. solummodo *liberatione de captivitate.*

[9] Vat. *qui* et deinde, omittens *id est* ante *orant*, *vorant* pro *orant;* A B pro *latent* habent *larrant* (! fortasse *latrant*); in B secunda manus ante *orant* praeligit *non.*

[10] Cap. 16, 25. — Supra post *pauperibus* Vat. addit *bonis.*

[11] Videtur hoc referri ad illa quae Gilbertus dicit de modo rhetorico; vide supra n. 10. cum notis. — Infra pro *flagella inferenda* Vat. *flagella conferenda;* deinde ipsa omittit *per* ante *aequitatis.*

[12] Loc. cit. in Introduct. (septima connexio), in quo textu pro *promittitur* Vat. *emittitur.*

articulata vox promittitur, et his signis ad caput omnium, qui est Christus, itur, per quem venitur ad regnum sempiternum ». *Aliter.* Aliter, Iudaei habent viginti duas litteras et viginti duos libros, secundum computationem suam; ultima autem litterarum est *Thau;* viginti unus autem numerus continet septenarium triplicatum et significat Trinitatem; unitas autem ultima superaddita, scilicet *Thau,* *Aliter.* signat essentiae Trinitatis unitatem. Vel, sicut dicit Hieronymus[1], « apud Samaritanos *Thau* littera habet figuram crucis, quamquam apud Hebraeos corrupta sit », tamen significat, quia quidquid in veteri testamento ponitur, si- *Aliter.* gnum est dominicae passionis. Vel aliter intelligendum, quod nulli prodest lamentatio, nisi cuius ad crucem Christi intentio ordinatur: propter quod *Thau* ultima ponitur in hoc quadruplici alphabeto.

*De quatuor membris ultimae divisionis.*

59. Dicit ergo: *Ingrediatur omne malum,* quod quasi ingredi non videtur, dum non punitur; *omne malum eorum coram te,* ad examen scilicet tuum. — *Et vindemia eos;* Rabanus[2]: « Vindemiare est unumquemque fructum operum suorum metere ». Et notandum, ut dicit Rabanus, quod « quando sancti viri deprecatorio more contra hostes suos rogant, non voto malitiae, sed spiritu prophetiae hoc, quod eis praesciunt futurum, praedicunt. Vel etiam, contra *spirituales nequitias* orant, quos incorrigibiles esse sciunt, ut iustam a Domino recipiant sententiam, et electi ab eorum infestatione liberentur ». Haec Rabanus. Et si hoc orant pro daemonibus, possunt eadem pro incorrigibilibus hominibus, supposita incorrigibilitate, moti[3] zelo iustitiae. Vel *spiritualiter* intelligitur, ut sit *vindemiatio* mali in eis destructio. — Pro *exemplo* sequitur: *Sicut vindemiasti me.* — Et pro *regula iustitiae* sequitur: *Propter omnes iniquitates meas.* Et in similibus simile iudicium; quam sententiam exponit subdens, qualiter vindemiaverit; *multi enim gemitus mei,* quia modo est ratio gemendi, et hoc quantum ad signum exterius; *et cor meum moerens,* quantum ad lamentum interius.

*Sensus allegoricus.*

60. *Allegorice:* Istud complebitur in iudicio, quando illud Psalmi[4] implebitur: « Vindica, Domine, sanguinem Sanctorum tuorum, qui effusus est »; et illud Apocalypsis: « Quare non vindicas sanguinem nostrum »? In quo zelus quidam iustitiae intelligitur, supposita pertinacia delinquentium. Vel, certe satis vindicat, si inspirando peccatoribus poenitentiae spiritum eos ad puniendum peccata sua inclinat.

## Capitulum II.

1. *Quomodo obtexit*[5]. Postquam in praecedenti alphabeto deploravit Propheta temporalem illius populi tribulationem, secundum quod illata erat ab adversario tribulante; hic lamentatur eandem, secundum quod *illata erat* *Divisio.* *a Domino reprobante.* Et habet quinque partes: quia primo quantum ad hoc describit *infelicitatem synagogae;* secundo autem introducit *desolationem super hoc ipsius Prophetae,* ibi[6]: *Defecerunt prae lacrymis;* tertio subdit huius *tribulationis rationem,* ibi: *Prophetae tui viderunt tibi falsa;* quarto docet exercere se ad *gemitum et compunctionem propter causae admirationem,* ibi: *Clamavit cor eorum ad Dominum;* quinto convertit se ad *implorandam supernam miserationem,* ibi: *Vide, Domine, et considera.*

*Subdivisiones.*

In prima parte describit iram Dei et reprobationis effectum circa statum Iudaeorum *in generali,* quantum ad totam scilicet regionem; in secunda, *in speciali,* quantum ad civitatem, ibi[7]: *Et dissipavit quasi hortum.* — In prima parte primo lamentatur illius populi *excaecationem et deiectionem;* secundo, *potestatis ablationem,* ibi: *Praecipitavit Dominus;* tertio, *populi stragem,* ibi: *Tetendit arcum suum quasi inimicus;* quarto, *generalem habitationem et habitatorum dissipationem,* ibi: *Factus est Dominus velut inimicus.*

In prima parte tria tangit reprobationem consequentia: primo, *excaecationem;* secundo, *deiectionem,* ibi: *Proiecit;* tertio, *omnem gratiae et clementiae solitae subtractionem,* ibi: *Et non est recordatus.*

*Primo, de infelicitate synagogae in generali tripliciter.*

2. (Vers. 1.). Aleph. Huic clausulae praemittitur littera *Aleph,* quae interpretatur *doctrina,* et exponendum est ut supra, sicut patet ex illo versu, qui sequitur ibi[8]: *Prophetae tui viderunt tibi falsa.*

*Excaecatio.*

Dicit ergo: *Quomodo,* admirative et interrogative; cui quaestioni respondetur ita in praedicto versu: *Prophetae tui viderunt. Quomodo obtexit caligine,* non aliquid praebendo, sed gratiam subtrahendo; unde Glossa[9]: « Caligine erroris et ignominiae », vel tristitia tribulationis irremediabilis, quae prius claruerat lumine Prophetarum. *In furore suo,* id est ira implacabili, hoc est voluntate puniendi inflexibili, sicut inflexibiles sunt homines furiosi. *Dominus filiam Sion,* id est regionem totam, quae sub arce Sion et civitate Ierusalem protegi solebat, sicut mater a filia. « Mos enim est Scripturarum, ut metropolitanae civitates *matres* appellentur; et circumiacentes

---

[1] Id est anonymus (inter Sancti Opera) in fine opusculi; idem dicit Hieron., III. in Ezech. c. 9. — Supra post *computationem* Vat. omittit *suam;* deinde habet *vicenarius autem primus* pro *viginti unus autem;* porro *ultima autem littera* pro *unitas autem ultima;* denique infra *quod hoc significat, quod* pro *tamen* (A *quod*) *significat, quia.*

[2] Loc. cit. in v. 22; ibid. est seq. locus; ultima tamen verba *et electi* etc., in ed. Migne non habentur.

[3] Vat. perperam *mereri.* Supra post *possunt* supple: orare.

[4] Psal. 78, 10; sequitur Apoc. 6, 10, ubi pro *vindicas* Vat. *iudicas.*

[5] **Monitum ad lectores.** Hucusque in nostris notis ad calcem positis gravia vitia, quae textum huius opusculi in editione prima, in Vaticana et aliis Vaticanam sequentibus deturpant, annotavimus, omissis tamen multis minoris momenti erroribus et defectibus. Iam satis superque probatum est, passim in istis editionibus verba occurrere et integras propositiones, quae sensu carent. Eandem fere incredibilem corruptionem etiam in sequente textu quilibet facile perspiciet, qui impendere vult operam conferendi nostrum textum cum praecedentibus editionibus. Deinceps igitur hunc in corrigendo modum tenemus, ut lectiones nostrorum codicum, quando satis conveniunt, in textum recipiamus, quin ordinarie veterum editionum vitia indicemus vel codices allegemus nisi ob speciales rationes.

Cod. A cap. II. superscribit *Alphabetum secundum* et simili modo etiam c. III. et IV.

[6] Vers. 11; pars tertia incipit v. 14, quarta vero v. 18, quinta v. 20.

[7] Vers. 6.

[8] Vers. 14.

[9] *Interlinearis* apud Lyranum.

Deiectio. regiones, oppida et vici *filiae* [1]». — Pro secundo sequitur: *Proiecit de caelo,* cultu illo reprobato, et abiecto regni solio, et divino favore ablato et angelico praesidio; *in terram,* omni altitudine subtracta; nec enim remansit in ea lapis super lapidem, ut praedictum est Lucae decimo nono; *inclytam,* civitatem scilicet, *Israel,* quae olim inclyta esse solebat; Ieremias: «Quomodo capta est et comprehensa inclyta universae terrae»! Antiqui et Hebraeus non habent *in terram,* sed *de caelo terram,* et potest sonare quasi: *in terram;* vel *terram,* id est Ierusalem terrenam inclytam. — Sed pro tertio sequitur: *Non est recordatus,* ad miserendum, *scabelli pedum suorum,* id est populi, qui sibi humiliter erat subiectus; vel Ierusalem et templi, ubi Dominus super propitiatorium apparere solebat Moysi, propter quod *scabellum pedum eius* dicitur; *in die furoris sui,* id est vindictae irrefragabilis.

Gratiae subtractio.

*Allegorice* exponitur in Glossa [2] et *moraliter,* quoniam quicumque solebant esse sapientissimi, excaecantur merito peccatorum suorum, sicut primo Regum Naas voluit recipere viros Iabes, ut erueret cuiuslibet oculum dexterum; et sanctissimi prius in sordibus versantur.

Sensus allegoricus et moralis.

3. (Vers. 2.). Beth. *Praecipitavit Dominus* etc. Postquam lamentatus est excaecationem synagogae, hic lamentatur *potestatis subtractionem.* Et quia duplex est potestas magnorum, scilicet *resistendi* et *invadendi;* primo deplorat ablationem *primae,* deinde *secundae* in versu sequenti, ibi: *Confregit in ira* etc. — *Potentia* autem *resistendi* consistebat in *munitionibus* et in *personis illas regentibus;* pro primo dicit: *Praecipitavit,* pro secundo: *Polluit regnum.*

De potestatis ablatione dupliciter.

Subdivisio.

Dicit ergo: *Praecipitavit,* quod est plus quam *deiicere; praecipitare,* hoc est proiiciendo confringere. Unde sequitur: *Nec pepercit,* quod etiam amplius est quam *praecipitare;* quod in ultima captivitate est completum, exstinctis caeremoniis Iudaeorum, secundum Glossam [3], Domino providente, ut per ea quae evenerunt, ventura videatur prophetare. Econtra de iusto dicitur in Psalmo: «Cum ceciderit iustus, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam». *Omnia speciosa Iacob,* aedificia scilicet, quae erant non solum in munimentum, sed in ornamentum templi, et alia civitatis aedificia; *destruxit in furore suo,* id est in implacabili ira; *munitiones* ad litteram, *virginis Iuda,* civitatem ab omni fructu sterilem, non habentem ex se successionem; Ieremias: «Totum murum Ierusalem per circuitum destruxit exercitus Chaldaeorum». Vel, in *speciosis* intellige opulentiam, in *munitionibus* potentiam. *Deiecit in terram,* dictas scilicet munitiones. — Sed pro desolatione *personarum* sequitur: *Polluit regnum,* id est omni pollutioni et ignominiae exposuit, quia hominibus subiecit incircumcisis, quorum consortio et ritu profanati sunt; *et principes eius,* scilicet polluit, id est, pollutos denotavit. Sic ergo patet subtractio potentiae resistendi.

Ablatio potentiae resistendi quoad duo. Primum.

Secundum.

4. *Allegorice,* vel *moraliter:* Post excaecationem subdit consequenter *praecipitationem. Praecipitat* igitur Dominus, sicut obdurat; *nec parcit,* dum pertinaces sibi relinquit. *Speciosa Iacob,* clerici et religiosi, quos *destruit,* dum destrui permittit; Ioel [4]: «Ad te, Domine, clamabo, quia ignis devoravit speciosa deserti». Isti debent esse Ecclesiae munitiones, sed *deiecti sunt in terram,* solis terrestribus inhiantes; Psalmus: «Oculos suos statuerunt declinare in terram». — Amplius, claustra solebant esse *munitiones* contra diabolum, ubi Ecclesia reponeret pullos suos; modo sunt factae turres diaboli per exemptiones erectae, suis privilegiis abutentes, quibus indignos eos esse, ostendit ipsorum vita infamis. *Polluit,* ut supra, regimen Ecclesiae etc.; vel *speciosa Iacob,* vota religiosorum et clericorum.

Sensus allegoricus vel moralis.

Aliter [5] *allegorice* deploratur hic *lapsus humani generis* quoad tria praecipue incommoda: primo *excaecationis;* deinde *mortalitatis: Proiecit de caelo;* tertio, *concupiscentiae carnalis,* ibi: *Omnia speciosa Iacob.* — Pro primo dicit: *Quomodo obtexit caligine* etc. *Dominus filiam Sion. Sion* interpretatur *specula* et significat statum animae rationalis in innocentia, quae creata est ad aeternitatis lumina contemplanda, quam posuit in *specula,* cum dixit [6]: «De ligno scientiae boni et mali ne comedas» etc. Quasi enim in *specula* erigitur, quando imminentis mali periculum per circumspectionem cavere iubetur. *Filia* ergo *Sion,* anima hominis, filia speculationis, non tamen firmata in arce contemplationis. Sunt enim *filiae Ierusalem,* id est *contemplativae* clare videntes; sunt *filiae Sion,* id est *speculativae,* id est per speculum cernentes; sunt *filiae Babylonis,* id est *confusionis,* quae «oculos suos statuerunt declinare in terram». Haec ergo *filia Sion* obtegitur caligine, quia lumen rationalis animae obnubilatur, non penitus exstinguitur. — Sed pro *mortalitate* sequitur: *Proiecit de caelo terram inclytam Israel;* per hanc *terram inclytam* corpus hominis accipimus, quod per immortalitatis gratiam quasi caelo simile exstitit, sed de illo sublimi statu cecidit, postquam illicita concupivit. *Non est recordatus scabelli pedum suorum,* id est generis humani, a quo tam severam vindictam exegit. *Praecipitavit,* in quo subita intelligitur generis humani ruina, de paradiso in mundum, de mundo in infernum, de immortalitate in mortem, de morte in damnationem. — *Omnia speciosa,* ecce, *infelicitas concupiscentiae,* cuius septem mala hic enumeres: pulcritudinem foedat: *Omnia speciosa Iacob destruxit,* nam speciosus homo erat in corpore et in corde; desideria et intentiones ad terrena inclinat et incurvat: *Munitiones virginis Iuda* etc.; hominem totum deordinat: *Polluit regnum,* quod in subiectione inferiorum virium consistit; *et principes eius,* potentias animae cognitivas et affectivas; fortitudinem enervat: *Confregit in ira omne cornu,* id est virtutem resistendi; gratiam evacuat: *Avertit retrorsum dexteram suam;* omnes sensus ad malum exagitat:

Alius sensus allegoricus.

Excaecatio.

Mortalitas.

Concupiscentiae 7 mala.

---

[1] Ita Hugo a S. Vict., Annotatiunculae elucidatoriae in Threnos Ieremiae, c. 2. circa initium. — Sequuntur Luc. 19, 44. et Ier. 51, 41.

[2] *Ordinaria* in hunc locum, secundum sensum, apud Lyranum, Rabanum et Hug. a S. Vict., ubi respicitur I. Reg. 11, 2. — Vat. hic penitus differt, citans Iudic. 21, 6. seqq.: *Sicut Iudas voluit recipere virgines Iabes, ne perderet tribum electam Israel: et sanctissimi* etc.; quae quomodo ad rem pertineant, non videmus.

[3] *Ordinariam* apud Lyranum (ex Paschasio in hunc loc.). — Sequitur Ps. 36, 24; deinde Ier. 39, 8.

[4] Cap. 1, 19; deinde Ps. 16, 11. — Pro *ut supra* (ita B), scil. pollutioni et ignominiae exposuit, ut legitur in fine n. 3, A minus apte *ut Glossa.* Tota haec prima mystica expositio (a verbis *vel moraliter* usque ad *et clericorum)* desideratur in omnibus praecedentibus editionibus.

[5] Quae sequuntur excerpta sunt ex Hug. loc. cit. ad 2, 1.

[6] Gen. 2, 17; infra respicitur locus iam cit. Ps. 16, 11.

*Et succendit in Iacob;* hominem in effrenatione bestiis assimilat, unde *arcu* oportebat eos *avertere: Tetendit arcum.*

Ablatio potentiae invadendi quoad tria.

5. (Vers. 3.). Ghimel. *Confregit* etc. Ecce, de *subtractione potentiae* ad *invadendum*, quae per *cornu* intelligitur, quod a finitimis nationibus expertum consueverat formidari. Istam autem potentiam facere solebat *robur principum*, quod lamentatur confractum; *divinum patrocinium*, quod dicit esse subtractum; ibi: *Avertit retrorsum; multitudo incolarum* habitantium per circuitum, contra quod dicit: *Et succendit* etc.

De his tribus.

Dicit ergo: *Confregit in ira furoris sui omne cornu Israel*, id est principum fortitudinem adversariis formidabilem. *Avertit retrorsum dexteram suam*, id est, subtraxit protectionem suam; *a facie*, id est praesentia, *inimici*, ut libere posset in eos desaevire. *Et succendit in Iacob*, id est terra Iudaeorum; *quasi ignem flammae devorantis*, id est consumentis; *in gyro*, in circuitu Ierusalem; quasi: sicut ignis accensus late vagatur et consumit omnia, sic fecerunt hostes Iudaeorum.

Sensus allegoricus.

6. *Allegorice: Confregit omne cornu Israel*, id est, cornutos [1] Ecclesiae confringi a virtutis amore lamentabiliter toleravit, qui cornuti sunt ad invadendum hostes invisibiles, non visibiles; corporaliter non debent esse raptores, quia nullum animal habens cornua vivit de rapina; non enim habent dentes acutos. Ex quorum perversis exemplis sequitur spiritualiter in Ecclesia, quidquid accidit in synagoga materialiter. Duo cornua hominis, cornu immortalitatis et cornu iustitiae originalis.

Moralis.

*Moraliter:* Diabolus primum hominem in via Domini ambulantem sequebatur, ut eum removeret [2]; sed non potuit ad hominem accedere, dextera Dei protegente et intercedente. Sed cum homo ad diaboli persuasionem se convertit, statim Deus *dexteram suam a facie inimici retrorsum avertit.*

De populi strage tripliciter.

7. (Vers. 4.). Daleth. *Tetendit arcum suum.* Hic versus exponit finem praecedentis; hic enim, ut dictum est, lamentatur *populi stragem*. Et primo tangit istius miseriae *antiquitus factam comminationem* in figura *arcus;* secundo, iustam *divinae severitatis definitionem*, ibi: *Firmavit;* tertio, *stragem populi generalem*, ibi: *Et occidit omne.*

Primo.

Quod dicit ergo: *Tetendit arcum suum; arcus*, quia proiicit in longinquum, significat comminationem factam prius per verba Prophetarum; sed *tetendit quasi inimicus*, quia amicus tendit aliquando ad terrorem, non proiiciendo sagittam; sed Dominus emisit sagittam, poenam debitam, per populum Chaldaeorum; et quanto magis manum retraxit, tanto fortius percussit et vehementius penetravit per modum sagittarii. — *Firmavit*, immobiliter decernendo, *dexteram*, scilicet ad percutiendum. Alibi sonat *dextera* prosperitatem, hic autem magis severitatem, quia fortior est motus dexterae; unde sequitur: *Quasi hostis*, ad percutiendum. Qui prius dicitur *avertisse dexteram* propter subtractionem defensionis, hic dicitur *firmasse dexteram*, scilicet propter asperitatem flagellationis, quae fortior est in dextera, ubi maior est potentia. — *Et occidit*, id est, occidi permisit, *omne quod pulcrum erat visu*, id est pulcros homines et pulcras mulieres; *in tabernaculo* [3] *filiae Sion*, id est Iudaeae vel Ierusalem, quasi: in ipsis domibus suis necabantur, ut hostis non solum grassaretur ad rapiendum, sed etiam ad interficiendum. *Effudit*, large et severe, *quasi ignem*, omnia consumentem, *indignationem suam*, id est poenam, quae signum erat suae indignationis. Non dicit: *quasi aquam*, sed *quasi ignem;* aquarum enim violentia solet deiicere et dissipare non ita cito nec penitus consumere; ignis vero et subito destruit et penitus vel funditus consumit.

Secundo.

Tertio.

Sensus moralis.

8. *Moraliter:* In *arcu* severitas vel comminatio extremi iudicii designatur; *tabernaculum* animae corpus est, tabernaculum etiam animae conscientia est; *omne* ergo *pulcrum occidit* utrobique, in corpore per calamitatem, in conscientia per cogitationum foeditatem. Vel certe per *pulcrum* intelligere possumus disciplinam morum et honestatem, quae Dominus dicitur *occidere*, non agendo, vel dando malitiam, sed subtrahendo gratiam. *Effudit quasi ignem indignationem suam*, quia ignis nunquam deficit, quamdiu adest materia combustibilis; sic nec haec infelicitas in toto decursu humani generis; nunquam usque ad resurrectionem generalem stabit labes peccati originalis. Vel, *occidit omne pulcrum*, docens contemnere pulcritudinem corporalem. *Effudit quasi ignem* etc., omnia vitia scilicet consumentem.

De generali habitatorum et habitationum desolatione dupliciter.

9. (Vers. 5.). He. *Factus est Dominus.* Hic quarto lamentatur *generalem habitatorum et habitationum desolationem*, primo plangens [4] eorum *reprobationem;* secundo, eius *effectum multiplicem*, scilicet Iudaeae afflictionem, ibi: *Praecipitavit Israel.*

Primo.

Dicit ergo: *Factus est Dominus velut inimicus*, qui prius diligere et fovere consueverat; *factus est velut inimicus*, quia non iam est ut pater ad correctionem percutiens, sed ut hostis ad consumtionem praecipitans. Et dicit: *velut inimicus*, nec tamen *omnino* inimicus, quia semper punit citra condignum; Sapientia [5]: « Parcis omnibus, quia tua sunt, Domine, qui amas animas ». — Pro multiplici afflictione eorum sequitur: *Praecipitavit*, id est, subito et fortiter deiecit; *Israel*, quantum ad populum, et *praecipitavit omnia moenia eius*, id est muros civitatem munientes vel alta aedificia civitatis; *dissipavit* omnes *munitiones*, id est turres; *eius*, scilicet regionis. — Aliter dicit Gregorius [6], quia *moenia* in civitate ad decorem fiunt, *munitiones* ad defensionem, quasi dicat: sublimia deiecit, et fortia confregit; simile supra dixit plangendo dispendia regionis: « Omnia, inquit, speciosa Iacob, destruxit munitiones virginis Iuda, deiecit in terram ». Idem intelligitur hic per *moenia*, quod ibi per *speciosa*. Quantum vero ad universitatem *hominum oppressorum* dicit: *Et replevit*, id est, multiplicavit; *in filia Iuda*, id est gente Iudaica; *humiliatum et humiliatam*, id est, homines utriusque sexus in magna multitudine fecit humiliari, id est deiici per illam tribulationem. Vel, per *humiliatum* intellige ordinem praelatorum, per *humiliatam* plebem subiectam, sicut supra simile dixit in vastatione regionis: « Polluit regnum et principes eius ».

Secundo.

Aliter.

Sensus moralis.

10. *Moraliter: Factus est Dominus quasi inimicus*, quia non quod ipse fecit in nobis, sed quod nos ipsi fecimus odit; infra tertio [7]: « Non enim ex corde suo humiliavit

---

[1] Ita vocabantur episcopi a forma mitrae (Du Cange, Glossarium). Ratio allata de animalibus habetur etiam apud Card. Hugonem in hunc loc. Sententia, quae sequitur: Duo cornua etc., est in solo cod. A. [2] Codd. *revocaret.*

[3] Codd. *tabernaculis*, Vulgata *tabernaculo.*

[4] Cod. B *tangens.*

[5] Cap. 11, 27; cfr. Bonav., IV. Sent. d. 46. a 2. q. 4.

[6] Libr. XI. Moral. c. 16. n. 25. — Infra bis citatur Thren. 2, 2.

[7] Vers. 33; sequuntur Luc. 10, 18; Isai. 9, 16; Marc. 5, 13.

et abiecit filios hominum ». *Praecipitavit Israel*, id est hominem *Deum videntem*, quia praecipitavit permittendo eum cadere in peccatum. *Praecipitatur* enim homo cadendo primo per *superbiam;* Lucas: « Videbam satanam quasi fulgur de caelo cadentem ». Item, per *adulationem;* Isaias: « Erunt qui beatificantur, praecipitati ». Item, per *luxuriam*, sicut figuratum est in Marco, ubi dicitur de porcis, quod « magno impetu praecipitati sunt in mare ». Sequitur: *Praecipitavit moenia* etc., in quo intelliguntur gratiae gratis datae, ut est prophetia et genera linguarum; et *munitiones* sunt virtutes, ut caritas, fides et spes. Prius ergo praecipitat *moenia*, deinde dissipat *munitiones*, quia frequenter abusus talium gratiarum facit evacuationem virtutum, sicut de pulcritudine corporali patet; Proverbia [1]: « Fallax gratia et vana pulcritudo » etc. Vel, per *moenia* intelligitur custodia hominis exterioris, per *munitiones* virtutes hominis interioris. *Et replevit in filia Iuda humiliatum et humiliatam*, id est, spiritum et carnem multiplici subiecit ignominiae. Vel, istud ad populum illum Iudaicum aliter referri potest; quando enim a populo Iudaeorum prophetiam et doctrinam et miraculorum signa abstulit, quasi *moenia eius praecipitavit;* quando per infidelitatem eos excaecari permisit et a spe promissionis fecit alienos, quasi *munitiones eius dissipavit*, sicut hoc exponit Gregorius [2].

Secundo, de infelicitate synagogae in speciali tripliciter.

11. (Vers. 6.). Vau. *Et dissipavit quasi hortum*. Postquam in communi lamentatus est dispendia regionis, hic accedit ad deplorandum *detrimenta civitatis:* primo, quantum ad *desolationem sacrarum aedium et officiorum;* deinde, quantum ad *deiectionem murorum: Cogitavit Dominus dissipare;* tertio, quantum ad *calamitatem habitatorum: Contrivit vectes eius* [3]. — In prima parte plangit primo *templi destructionem;* deinde, *cultus legalis reprobationem: Oblivioni tradidit Dominus;* tertio, *templi profanationem* factam a gentibus, ibi: *Tradidit in manu inimici*.

De primo tria.

Templi destructio.

Dicit ergo pro primo: *Et dissipavit*, id est, dissipari permisit; *quasi hortum*, qui sine clausura a bestiis conculcatur; *tentorium suum*, id est templum, quod *tentorium* vel tabernaculum appellat, quia vice illius antiquitus filii Israel primum in deserto et postmodum in Silo ad cultum Dei tentorio et tabernaculo fungebantur. Vel, *tentorium* ipsum appellat propter celerem eius depositionem. *Demolitus est*, id est, demoliri seu destrui permisit; *tabernaculum suum*, id est tentorium. In *demolitione*, quae paulatim agitur, odium intelligitur et latens invidia scribarum et Pharisaeorum, flagrans ad mortem Domini Salvatoris, quae fuit causa suae destructionis. Vel, differunt *tentorium* et *tabernaculum;* quia *tentorium* dicitur, ubi cortinae funibus ad palos terrae affixos extenduntur, ubi temporalis honor intelligitur synagogae. *Tabernaculum* autem quibusdam tabulatis construitur, ubi divina familiaritas et communicatio secretorum designatur. Dicit ergo, *tentorium*, quod appenditur, *dissipari;* *tabernaculum* autem, quod terrae haeret sub fossione, *demoliri*, quod etiam praedixit Isaias [4]: « Derelinquetur filia Sion quasi umbraculum in vinea et quasi tugurium in cucumerario »; quasi dicat: sicut ab horto et a vinea, postquam collecti fuerint fructus, custodia hominum tollitur; sic a populo isto, quia a fructu boni operis sterilis est, custodia divina aufertur. Vel, per *hortum* locum voluptatis et luxuriae possumus intelligere, quoniam in hortis et lucis solebant lascivire et daemoniis sacrificare. Dicit ergo: *Dissipavit quasi hortum;* quia enim in locum sanctitatis impudicitia et voluptas introivit, ideo dissipatio et desolatio venit. — Ad litteram primum templum, quod aedificavit Salomon, dissipatum est a Chaldaeis; secundum, quod Zorobabel aedificavit, dissipaverunt Romani; et illud tertium, quod adhuc stat, profanant usque hodie Saraceni.

Cultus legalis reprobatio.

12. Sed quantum ad *reprobationem cultus* sequitur: *Oblivioni tradidit*. Ad cultum pertinent *differentes solemnitates*, quas intelligit per *festivitatem et Sabbatum;* pertinent *personae offerentium* vel ministrantium, quas intelligit per *sacerdotem et regem;* pertinet *altare*, pro quo dicit: *Repulit Dominus altare suum;* pertinent *sacrificiorum caeremoniae*, pro quo dicit: *Maledixit sanctificationi suae*. — Dicit ergo: *Oblivioni tradidit*, quasi: non solum repulit, sed *oblivioni tradidit*, quia ea amplius non requirit; *in Sion*, ubi erat templum; *festivitatem*, quamcumque, scilicet pascha et alias, de quibus in Levitico [5] legitur; *et Sabbatum*, quod erat solemnitatum complementum; quod maxime in ultima captivitate est completum; Isaias: « Solemnitates vestras odivit anima mea ». *Et*, supple: tradidit, *in opprobrium*, quantum ad ignorantiam — in antiquis: « et opprobrio et indignatione furoris sui » — *et in indignationem furoris sui*, quantum ad angustiam. Vel, ignominiae in hoc vehementia intelligitur, quod nomen *indignationis* insinuat. — *Regem et sacerdotem*, quibus duobus populus ille regebatur. Regi *honor* debetur, *devotio* in sacerdote intelligitur; at nunc pro honore *opprobrium* regi, pro devotione *indignatio* redditur sacerdoti, ut omnis Iudaici populi excellentia intelligatur destructa fuisse. Nota [6], quod voluntas puniendi significatur nomine *irae*, in quo intelligitur voluntas *affligendi*, contra lasciviam; *indignationis*, in quo intelligitur voluntas *deiiciendi*, contra superbiam; *furoris*, in quo voluntas intelligitur irrefragabiliter *exterminandi*, contra pertinaciam.

Festivitates.

Personae offerentium.

Nota.

Altare suum.

13. (Vers. 7.). Zain. *Repulit Dominus altare suum*, cuius hostias et officia non acceptavit. Vel, *repulit*, id est, repelli permisit, quando Achaz transtulit altare aeneum de templo et statuit pro eo altare Damasci, sicut legitur quarto Regum [7]. *Maledixit*, reprobando; Isaias: « Ne offeratis ultra sacrificium frustra »; *sanctificationi suae*, id est illis, in quibus legalis sanctificatio consistebat, scilicet sacrificiis, quae modo offerre esset idololatriae aequale. — *Tradidit in manu*. Hic lamentatur *profanationem templi* factam a gentibus, dicens: *Tradidit in manu inimici*, Chaldaici vel Romani exercitus; *muros turrium eius*, id est turres munitas; quasi: non solum turres civitatis exterius, sed etiam turres interius templi, scilicet munitiones. *Vocem dederunt*, adversarii, *in domo Domini*, gaudentes, se eam obtinuisse, *sicut in die solemni* solebant facere Iudaei.

Templi profanatio.

Sensus allegoricus.

14. *Allegorice* ab illo loco: *Et dissipavit quasi hortum:* Per *hortum* Ecclesia intelligitur, in qua sunt rosae martyrum, lilia virginum, violae confessorum; in Canticis [8]: « Hortus conclusus, soror mea ». *Tentorium* deforis, *tabernaculum* intus est; per *tentorium* populus, per

---

[1] Cap. 31, 30.
[2] Libr. XI. Moral. loc. cit.
[3] Cfr. infra n. 18.
[4] Cap. 1, 8.
[5] Cap. 23; sequitur Isai. 1, 14.
[6] Quae sequuntur post *Nota* usque *pertinaciam* desunt in B; in Vat. omittuntur verba *affligendi* usque *deiiciendi* et vocabulum *irrefragabiliter*.
[7] Cap. 16, 10. 14; sequitur Isai. 1, 13.
[8] Cap. 4, 12.

*tabernaculum* intelligitur ordo praelatorum, quos dum temporali gloria sublimavit, quasi *tentorium* ad decorem *expandit;* et dum eos ad cognitionem secretorum suorum et familiaritatem levavit, quasi *tabernaculum* eos *extendit;* hos *dissipavit quasi hortum,* quia subdidit potentiae hominum impiorum.

Sensus moralis.

*Moraliter: Hortus,* claustrum, vel vita clericorum, quod debet esse *tentorium* et *tabernaculum* peregrinantium; quod *dissipatur quasi hortus,* dum in rebus spiritualibus sola carnalia quaeruntur; sicut in illis patet, qui nunquam veniunt ad ecclesiam, nisi quando distributiones dantur; sicut bubo non venit ad ecclesiam nisi propter oleum. Hoc *dissipatur* per discordiam, *demolitur* per violentiam; quod figuratum est tertio Regum[1], ubi dixit Achab: « Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum ». Vinea in olerum hortum mutatur, quando disciplina per carnalitatis studium enervatur, quando contemplationis claritas in terrestres occupationes et affectiones commutatur. *Oblivioni tradidit,* id est, tradi permittit, *festivitatem,* quae est feriatio a malis et est festum laicorum; *et Sabbatum,* quod est vacatio ab implicationibus mundanis. Vel ad litteram, festivitates Ecclesiae quantum ad multos oblivioni tradidit, quia voces clamantium non exaudivit; Isaias[2]: « Cum multiplicaveritis orationes, non exaudiam, quia manus vestrae sanguine plenae sunt ». *Dedit in opprobrium* etc., quia ad litteram regale Ecclesiae sacerdotium apud multos venit in contemptum; Malachias: « Irritum fecistis pactum Levi; propter quod ego dedi vos contemptibiles et humiles omnibus populis ». Vel aliter, « anima nostra *rex* est et *sacerdos: rex,* quia debet regere carnem suam; *sacerdos,* quia iugiter Deo offerre debet devotionem suam. *Rex in opprobrium traditur,* quando anima, carni suae subiecta, turpibus desideriis famulatur; *sacerdos in indignationem traditur,* quando a devotione cadens, in peccati consuetudine obduratur ».

Sensus allegoricus.

15. *Repulit Dominus altare suum. Allegorice: Altare nostrum* Christus est, cuius humanitatis sacrificio Deus nobis placatus redditur; super quod altare omnia nostra spiritualia sacrificia offeruntur. Hoc altare Deus Pater *repulit,* quando usque ad crucis patibulum in Iudaeorum manibus eum dereliquit; Matthaeus[3]: « Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me »! *Santificationi suae maledixit,* quia illum quem *ad sanctificationem* nostram misit, *maledicto* acerbissimae passionis exposuit; unde Apostolus: « Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum ». *Muri turrium,* qui in civitate praeeminentiores sunt, Apostolos significant, qui in Ecclesia sancta dignitate eminentiores et constantia fortiores fuerunt. Isti quoque in manibus inimici traditi sunt, quia, cum Christum mori cernerent, ipsi per infidelitatem corruerunt. *Vocem dederunt* Iudaei, quia, ipso pastore mortuo et dispersis ovibus, omnino se praevaluisse gloriati sunt. Vel, *Dominus altare suum repellit,* quando homines indignos in Ecclesia praefici permittit. Vel, *muri turrium* praelati sunt; Isaias[4]: « Super muros tuos, Ierusalem, constitui custodes », de quibus *inimicorum* vox auditur, quando iniqua et perversa dogmatizare conantur.

Moralis.

*Moraliter: Altare nostrum* fides nostra est, super quam sacrificium boni operis immolamus; quod altare tunc *repellitur,* quando fides nostra, bonis operibus nudata, a Deo reprobatur; fides *sanctificatur,* quando ei per incrementa virtutum merita augentur. Sed *sanctificationi maledicitur,* quando fides ipsa, amissis virtutibus, pravis operibus violatur; Osee[5]: « Factus est Israel quasi vas immundum ». *Muri turrium in manu inimici traduntur,* quando ingenium et huiusmodi aliae gratiae gratis datae ad iniquitatis studium convertuntur; in cuius *intimis* inimici vox auditur, quando diabolicae suggestiones interius admittuntur et exterius improbe proferuntur; de quo multum laetantur daemones, et hoc signatur in *die solemni.*

De secundo tria.

16. (Vers. 8.). Heth. *Cogitavit Dominus.* Hic secundo deplorat dispendia civitatis quantum ad *deiectionem murorum et pertinentium.* Primo enim lamentatur *muri deiectionem;* secundo, ipsius *antemuralis destructionem: Luxitque antemurale;* tertio, *portarum ipsarum evulsionem,* ibi: *Defixae sunt in terra.*

Mori deiectio.

Dicit ergo: *Cogitavit Dominus,* ergo consulto[6] fuit, quasi: non statim fecit, sed diu eius conversionem exspectavit et tandem quasi ex deliberatione hoc fecit; *dissipare murum filiae Sion,* id est civitatis Ierusalem ad litteram, quamvis per hoc omnis eius munitio possit intelligi. *Tetendit funiculum suum,* ad destruendum, qui tamen non solet tendi nisi in murorum aedificatione. Per *funiculum* autem iustitiae rectitudo intelligitur Domini secundum merita illi populo infelici retribuentis. Vel, in *funiculo* poena qua peccatores ligaret, designatur. *Et non avertit manum suam a perditione,* quasi dicat: usque ad consumtionem percussit; et quia nullum invenit a culpa liberum, nullum dimisit immunem a poena. — *Luxitque antemurale,* id est, lugendi dedit materiam ipsum destructum cernentibus; et est *antemurale* defensio murorum sicut vallum, vel fossa, vel aliquid consimile; *et murus pariter dissipatus est,* cum antemurali. Vel, per *antemurale* custodia hominum, per *murum* custodia Angelorum notatur, qua utraque illi populo subtracta, usque hodie Iudaea lamentatur.

Antemoralis destructio.

Sensus spiritualis.

17. *Spiritualiter: Cogitatio* Dei, vel deliberatio « *patientia* est, quae peccata ad tempus dissimulat, et *iustitia,* qua digna animadversione castigat ». Hoc est autem *funiculum tendere,* modum scilicet et quantitatem delicti diligenter examinare et secundum hoc flagellare. Vel, per *cogitationem* Dei incarnationis dispensatio intelligitur; et quia in carne veniens Iudaeos repulit, ut gentes intrarent, prius *murum filiae Sion dissipavit;* deinde *funiculum* hereditatis suae super populum gentium dilatavit. Quasi enim contractus erat *funiculus,* quando de populo Iudaeorum tantum dicebatur: « Iacob funiculus hereditatis eius[7] ». Quia igitur vocationem gentium praecessit exsecratio Iudaeorum, recte subditur: *Et non avertit manum suam a perditione,* a qua, manum averteret, si gentes colligens, Iudaeos non reprobaret. *Antemurale,* patres priores, *murus,* Christus, *luxit antemurale,* quia patres priores de Iudaeorum excaecatione doluerunt. *Dissipatus est murus,* quantum ad infidelitatem Iudaeorum dissipatus est in Iudaeis, ut aedificaretur in gentibus.

---

[1] Cap. 21, 2.
[2] Cap. 1, 15; deinde Mal. 2, 8. 9. — Quae sequuntur hic et n. 15. sunt ex Hugone, loc. cit. ad 2, 6. 7.
[3] Cap. 27, 46. Codd. et edd. citant Ps. 21, 2: Deus, Deus, respice in me! Quare dereliquisti me? Infra sequitur Gal. 3, 13.
[4] Cap. 62, 6. [5] Cap. 8, 8.
[6] Cod. A *mente,* B *necesse.*
[7] Deut. 32, 9. — Supra pro *tantum dicebatur* codd. *captum dicebatur.* — Tota fere haec expositio a verbis *Cogitatio Dei* usque ad *Moraliter* sumta est ex Hug. a S. Vict., in hunc loc., paucis tantum omissis, vel mutatis. Idem dicendum de sequenti morali expositione.

Sensus moralis.

*Moraliter:* Per *murum filiae Sion* virtutes animae accipimus; cum igitur virtus accepta elevat[1], aut negligentia dissolvit, et male securi gratiam acceptam custodire negligimus, quam horrendum sit, quod de nobis invisibilis iudex cogitet, ignoramus. Cogitat ergo, quia deliberat, priusquam feriat; cui *funiculum tendere* est subtiliter peccati mensuram examinare. *Non avertit manum suam,* quia, quanto plus patiendo sustinuit, tanto minus nunc feriendo parcit. Per *murum* igitur virtutes animae intelliguntur; per *antemurale* operationes intelliguntur; luget ergo *antemurale,* et *murus dissipatur,* quia, gratia recedente, virtus tollitur, et opera virtutum infirmantur. Vel, *murus,* praelati, qui *lugent,* cum per insolentiam suam lugendi ministrant materiam; *antemurale,* principes saeculares Ecclesiam defendentes, qui *lugent,* cum per violentiam suam lugendi ministrant materiam. Vel, *antemurale,* custodia disciplinae, quod *luget,* cum homo deserit disciplinam; quo facto virtus *pariter dissipatur,* quae per *murum* intelligitur. Unde in Psalmo[2]: « Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus » etc.

Portarum evolsio.

18. (Vers. 9.). Theth. *Defixae sunt in terra;* ecce, lamentatur ad litteram *portarum evulsionem,* dicens: *Defixae sunt in terra portae eius;* ad litteram sic corruerunt, ut non amplius sint erigendae et permanent sicut vestigia ruinae. In terra ergo fixae sunt, ne praebeant defensionem, vectibus et seris destructis; unde subdit: *Perdidit et contrivit vectes eius,* id est serae vel obstacula ostii, quae manu huc et illuc causa serandi aperiendique gratia vehuntur.

De tertio duo.

*Regem eius* etc. Ecce, tertio agit de *desolatione personarum* civitatem habitantium. Lamentatur autem primo tribulationis angustiam in *magis reverendis;* deinde, in *magis miserandis: Consperserunt* etc. — Reverentia autem debetur *regibus* propter potentiam, *doctoribus* propter sapientiam, *senioribus* propter maturitatis gratiam; sed haec omnia defecerunt, principibus captivatis, Lege combusta, senibus ignominiose tractatis. Propter quod dicit: *Regem eius;* novi libri habent *reges eius,* supple: perdidit et contrivit; *et principes eius* similiter *in gentibus.* Et forte de *portis* et *vectibus* figuraliter locutus est: *regem* per portas, *principes* per vectes intellexit, sicut de Sedecia legitur et filiis eius quarto Regum[3]. — Pro secundo sequitur: *Non est Lex,* quia libri Legis per Chaldaeos combusti sunt. Vel, non est Lex in opere servata; et propterea supervenerunt flagella. *Et prophetae eius,* scilicet pseudo, *non invenerunt visionem a Domino,* quam tamen se vidisse asserebant; et talibus Iudaei credentes a Domino destructi sunt propter peccata sua, unde infra[4]: « Prophetae tui viderunt tibi falsa ».

(Margin: De magis reverendis tripliciter. — Primo. — Secondo.)

Tertio.

19. (Vers. 10.). Iod. Pro tertio subdit: *Sederunt in terra, conticuerunt senes filiae Sion; sessio* deiectionem, *silentium* stuporem designat. Et recte *senes,* in quibus consilii auctoritas esse debuit, dicuntur, quia tantae calamitati, quae fuit ibi, nullo consilio potuit subveniri. *Consperserunt,* virgines Ierusalem, *cinere capita sua;* et recte in tribulatione senes conticescunt, virgines cinere capita sua conspergunt, quia, cum tribulatio vehementer ingruit, maturos sensus in stuporem et lascivos ad impatientiam vertit. Unde subdit: *Accincti sunt ciliciis,* hoc ad senes; *abiecerunt in terra capita sua,* hoc ad virgines; mortem accelerare volunt qui ingruentibus malis spontaneas afflictiones adiiciunt. — *Sederunt in terra,* in signum doloris et deiectionis; *conticuerunt senes,* non audentes mutire, *senes* inquam, *filiae Sion,* id est terrae Iudaeorum vel civitatis Ierusalem. — *Consperserunt,* ecce, desolatio *personarum magis miserandarum,* quarum desolationem describit per signa lugubris poenitentiae, cineris et cilicii et corporis ad terram prostrati. Dicit ergo: *Consperserunt cinere capita sua* virgines Ierusalem[5]; *accincti sunt ciliciis,* dicit masculine *accincti,* ut in utroque sexu istam desolationem ostendat fuisse; vel istud ad senes praehabitos est referendum. Aliqui habent hic suppletionem falsam sic: *accincti sunt ciliciis seniores* Iuda; haec enim est corruptio ex ignorantia procedens; Ieremias: « Filia populi mei, accingere cilicio et conspergere cinere ». Quidam aliter putant, incipientes sententiam inde: *Filiae Sion,* id est mulieres ad litteram, *consperserunt cinere* etc. Sed in antiquis reperi sic punctatum, et hic est sensus Hebraicae veritatis, ut exponitur a quibusdam. Pro tertio subditur: *Abiecerunt in terram capita sua virgines Iuda,* ad litteram, in signum doloris.

De magis miserandis.

Sensus allegoricus.

20. *Allegorice* ab illo loco: *Defixae sunt in terra* etc. *Portae* et *vectes* praelati sunt civitatis, qui sunt *portae* per verbum, et *vectes* per consilium, et viae per exemplum: *portae* quidem, de quibus in Apocalypsi[6]: « Singulae portae erant ex singulis margaritis ». Item et *vectes* dicuntur, unde significantur per illos vectes, quibus arca vehebatur, qui erant de lignis Sethim, quae erant *imputribilia* in signum castitatis, erant *odorifera* in figuram famae bonae, *decorata* in figuram caritatis, erant *in quatuor circulis aureis* in figura meditationis legis divinae, cuius summa continetur in quatuor Evangeliis. *Portae* ergo sunt, quando extra positos per praedicationem introducunt; *vectes,* quando intus positos per salubre consilium custodiunt. Ergo, per *portas* Ierusalem scribae et Pharisaei intelliguntur, terrenorum studio et amori intenti, qui Christum non receperunt, sed et alios ab eius receptione impedierunt; Matthaeus[7]: « Vae vobis, scribae et Pharisaei hypocritae! qui clauditis regnum caelorum ante homines; vos enim non intratis, nec intrantes sinitis introire ». — Vel, *in terra defixi sunt,* quia in sola Christi humanitate oculos habentes, in laqueum perfidiae inciderunt. Vel, *in terra defixi sunt,* quia litteraliter vel terreno sensu Legi adhaeserunt. Sed *vectes perdidit et contrivit,* quia consilium eorum ad nihilum redegit; *perditum* est consilium, quia Christum occidendo exstinguere non potuerunt; *contritum* est consilium, quia propter hoc terram perdiderunt, quod Christum

---

[1] Clarius Hugo a S. Vict. loc. cit.: Propter quod necesse est, ut semper solliciti simus, ne nos per accepta dona virtutum aut superbia elevet, aut negligentia dissolvat, quia fortassis, dum nos male securi etc.

[2] Psalm, 2, 12. — Supra post *praelati* B omittit *qui lugent... materiam,* sed deinde post *defendentes* A similem saltum facit; peius errat Vat., quae loco duarum explicationum tantum habet: *et hoc et illud luget, cum per ingluviem lucrandi ministrantur sacramenta.*

[3] Cap. 25, 7. — Infra vox *pseudo* secundum morem illius aetatis adhibetur sine adiuncto substantivo *prophetae.*

[4] Vers. 14. — Vat., refragantibus codd., deinde interserit quae n. 20. continentur usque ad n. 21. Insuper ipsa eam partem numeri 19, quae sequitur post *afflictiones adiiciunt* et incipit: *Sederunt in terra, in signum doloris et deiectionis,* usque ad *litteram, in signum doloris* ponit in fine n. 20. post *Domino revelante.*

[5] In Vulgata desunt verba *virgines Ierusalem,* et infra habet *virgines Ierusalem* pro *virgines Iuda.* — Sequitur Ier. 6, 26.

[6] Cap. 21, 21: deinde respiciuntur Exod. 25, 13. 28; 26, 26; 27, 6; 30, 5.

[7] Cap. 23, 13. — Num. 20. est ex Hugone in hunc loc.

occiderunt. Propter quod subditur; *Regem eius et principes eius in gentibus*, supple: contrivit, quia gentes eis praeferuntur. *Non est Lex*, inter eos scilicet, qui libros habent, sed Legis intelligentia carent. Sed quia adhuc sibi venturum [1] Christum promittunt, contra hoc recte subiungitur: *Prophetae eius non invenerunt visionem a Domino*, quasi dicat: de adventu Messiae quod somniant a se habent, non Domino revelante.

Deploratio status Ecclesiae praesentis sec. sensum allegoricum.

21. Sequitur: *Sederunt* etc. Cum in principio capituli [2] planxerit Propheta lapsum generis humani, deinde etiam in immediate praecedentibus excaecationem populi Iudaici; hic transire videtur ad *deplorandum statum Ecclesiae praesentis*. Quid enim per *filiam Sion* nisi praesens Ecclesia designatur? quae de *Sion*, per fidem nata est, cuius *senes* sunt Ecclesiae pastores, qui *senes* sunt profectu sapientiae et morum maturitate; bene *senes*, non parvuli sub Lege, ubi homines terrenis promissionibus quasi lacte nutriebantur. Sed *sedent in terra*, cum quaerunt transitoria per avaritiam; Baruch [3]: « Inveterasti in terra aliena ». *Conticuerunt* per ignorantiam, vel per verecundiam; quia, ubi conscientiam remordet reatus sceleris, linguam a praedicatione ligat timor confusionis; Gregorius: « Fit omnipotentis Dei iudicio, ut nec in bono linguam habeat qui habere bonam vitam recusat ». — Et nota, quod senibus duo debentur: prima sedes; Iob [4]: « Si quando volebam ire ad eos, sedebam primus »; item, primum verbum; Ecclesiasticus: « Loquere maior natu; decet enim te ». Econtra *senes sunt in terra*, et pueri praeficiuntur; senes coguntur tacere, et pueri ad doctrinae principatum sublimantur; quod non esset lamentabile, quia pueri sunt, sed quod sunt non minus moribus quam aetate pueriles.

Nota.

Sequitur: *Consperserunt; virgines Ierusalem* sunt boni subditi, qui, fidei integritatem custodientes, ad supernam patriam et pacem tendunt. Per *caput* spiritualis actio designatur. Quid per *cineres*, qui ab igne relinquuntur, nisi terrenae actiones significantur? Quasi enim ab igne cinis nascitur, quoniam tentationum carnalium reliquiae a concupiscentia carnali generantur. Unde postquam *senes sederunt* etc., virgines consperguntur etc., quia simplices, cum praelatos vident terrenis succumbere, et ipsi incipiunt ad consimilia aspirare. — Vel, *cinis* ex praedicta causa est affectio et cogitatio turpis in capite, id est voluntate. Boni tamen aliquando pulverem levis cogitationis habent, non in capite, sed in pedibus, quem et iubentur excutere; Matthaeus [5]: « Quicumque non receperit vos nec audierit sermones vestros; exeuntes foras de domo vel de civitate, excutite pulverem de pedibus vestris ». Vel, *cinis in capite* est vana gloria in bona actione, habita principali intentione. *Accincti sunt ciliciis*, senes scilicet; per *cilicia* punctiones terrenarum cogitationum designantur, quae conscientiam assiduis pungunt cogitationum aculeis. Bene ergo qui *in terra sedere* dicuntur terrenis delectationibus primo inhaerentes, deinde cilicium *induunt*, quia affectionem delectationis sequitur sollicitudo desiderii satiandi. Hic est *saccus*, quem Dominus iussit de lumbis tollere; Isaias [6]: « Solve saccum de lumbis tuis ». *Abiecerunt in terra capita sua virgines Iuda*. Hic est perditionis ordo, ut primo quisque bona, quae agit, per intentionem humanae laudis obnubilet, ac deinde ipsa bona opera in pravas actiones commutet. Ergo *cinere caput aspergere* est delectationes terrenas quaerere, vel in bonis actibus ad laudes humanas aspirare; *caput in terra ponere* est manifeste malis indulgere.

Secundo, de lamentatione ipsius Prophetae.

22. (Vers. 11.). Caph. *Defecerunt prae lacrymis*. Haec est secunda pars capituli, in qua post descriptam desolationem synagogae introducit *lamentationem ipsius vocis Prophetae*, primo ostendens *doloris sui vehementiam*; secundo subiungens *doloris materiam*, ibi: *Cum deficeret parvulus*. — Vehementiam doloris ostendit tum ex *signo exteriori*; tum ex *dolore interiori*, ibi: *Conturbata sunt viscera*; tum ex *evacuatione omnis solatii*, ibi: *Effusum est in terra*.

Divisio.

Subdivisio.

Vehementia doloris ex signo exteriore ostensa.

Dicit ergo: *Defecerunt prae lacrymis*, id est prae abundantia lacrymarum, *oculi mei*. Simile de Iob [7]: « Facies mea intumuit a fletu, et palpebrae meae caligaverunt ». Viri enim sancti in tribulatione vel contritione vehementi non solent parcere oculis aut pectori. Unde dicit ratio Augustini: « Cohibe te a lacrymis; stringe animum, multum omnino flevisti; et hic omnino morbus pectoris tui graviter accidit. Et respondet: Modum vis habere circa lacrymas meas, cum miseriae meae modum non videam; valetudinem corporis considerare iubes, cum ego ipse tabe confectus sim ». — *Conturbata sunt viscera mea*, dolore ad intima pertingente; Psalmus [8]: « Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea et venter meus ». — *Effusum est in terra iecur meum;* in *iecore* sedes voluptatis est et concupiscentiae, ut dicit Hieronymus; quasi dicat: in tantum intravit desolatio, ut omne solatium sit elisum; *super contritione*, id est destructione, *filiae populi mei*, id est Iudaeae, vel civitatis Ierusalem. — *Cum deficeret*. Ecce, *ratio desolationis* duplex: primo, *desolatio magis lamentabilium personarum;* secundo, *desolatio et tribulatio universorum*. — Primo igitur describitur desolatio *magis lugubrium et miserabilium*, scilicet parvulorum seu infantium, quorum primo describit *indigentiam;* deinde, *lugubrem querimoniam*, ibi: *Matribus suis dixerunt;* tertio, *exinanitionem*, ibi: *Cum deficerent*, et *mortem lamentabilem: Cum exhalarent*.

Ex dolore interiore.

Ex evacuatione solatii.

Doloris materia duplex.

De prima tria.

Indigentia.

23. (Vers. 11. 12.). Caph, Lamed. Dicit ergo: *Cum deficeret*, quasi dicat: ecce, materia doloris, cum deficeret prae fame et siti, *parvulus et lactans*. Aliqui exponunt *lactantem* active, pro matribus scilicet pueros lacte pascentibus, quibus maxime est compatiendum. *In plateis oppidi*, id est Ierusalem, quam vocat *oppidum* propter abiectionem et vilitatem; Matthaeus [9]: « Ite in castellum, quod contra vos est ». — Sed pro *lugubri querimonia* sequitur: *Matribus suis dixerunt*, in quibus terrenorum affectibus dixerunt prae famis angustia deficientes, cum essent in deliciis nutriti: *Ubi est triticum et vinum?* Ista petunt qui non petentes abundare eis solebant; unde ex hoc patet doloris vehementia. — *Cum deficerent*, exinanitione totius corporis; *quasi vulnerati*, effusione sanguinis; Isaias [10]: « Interfecti tui, non interfecti gladio nec mortui in bello »; *in plateis civitatis*, ubi solebant esse securi et foveri; *cum exhalarent*, prae famis angustia, *animas suas in sinu matrum suarum*, ad litteram, ubi patet doloris exacerbatio.

Lugubris querimonia.

Exinanitio.

---

[1] Cod. A *volentibus*. [2] Vide n. 4: Aliter allegorice etc.
[3] Cap. 3, 11. — Sequitur Gregor., XI. Moral. c. 15. n. 23.
[4] Cap. 29, 25; deinde Eccli. 32, 4.
[5] Cap. 10, 14. [6] Cap. 20, 2.
[7] Cap. 16, 17. — Sequitur August., I. Soliloq. c. 14. n. 26.
[8] Psalm. 30, 10. — Sequitur Hieron., I. in Ezech. 1, 7; cfr. Epist. 64. n. 7.
[9] Cap. 21, 2. — Supra pro lectione codd. *lactans* Vulgata *lactens*, quae formae non raro confunduntur.
[10] Cap. 22, 2.

Sensus allegoricus. 24. *Allegorice* ab illo loco: *Defecerunt:* Vox est Prophetae in persona Ecclesiae membrorum suorum infirmorum dispendia deplorantis, qui prius planguntur a bonis quam a semetipsis. Proprium enim est clericorum plangere aliena mala sicut propria. *Oculi* sunt praelati, quia provisores; *viscera,* quia misericordes; *iecur,* quia caritate ferventes, quia in iecore calor viget ad digestionem stomachi promovens. *Oculi* igitur *deficiunt,* peccato vastante populum Dei, quia alienis miseriis compatiuntur cum Apostolo dicente [1]: « Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror »? Supra: « Plorans ploravit in nocte, et lacrymae eius » etc.; Psalmus: « Oculi mei languerunt prae inopia ». Hugo [2]: « Nullum verius certiusque iudicium verae caritatis quam affectus fraternae compassionis ». *Viscera conturbantur,* quia pietatis affectus concutitur in praelatis, qui habent alios in visceribus gerere et parere; ad Galatas: « Quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus ». *Iecur in terram effunditur,* quando ex compassione bonus praelatus vehementer animo deiicitur et contra malum excitatur. *Super contritione filiae populi mei,* in sexu femineo infirmitas subditae plebis designatur; per *contritionem,* quasi irreparabilis ostenditur calamitas; quia quod *contritum,* id est confractione comminutum est, non amplius reparatur. *Cum deficeret parvulus,* in vita, *et lactans,* solius simplicis doctrinae capax; ad Hebraeos [3]: « Omnis, qui lactis est particeps, expers est sermonum iustitiae; parvulus enim est ». — Vel per *parvulos,* populi rudes; per *lactantes,* pravi doctores; per *plateas oppidi,* saeculi voluptates. *Parvulus* igitur et *lactans* in plateis talibus deficiunt, quando carnales et stulti cum perversis doctoribus per latam viam voluptatum ad perditionem vadunt; Matthaeus [4]: « Lata et spatiosa via, quae ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam ».

Continuatur. 25. *Matribus suis,* id est praelatis, *dixerunt: Ubi est triticum* etc. « Vita subditorum tribus modis praelatos alloquitur: per *miseriam,* per *desiderium,* per *obedientiam.* Petunt enim, quando indigent; petunt, quando desiderant; petunt, quando audire parati sunt. Per *miseriam,* inquam, petunt, quia, visa afflictorum indigentia, dum pias mentes ad subveniendum provocat, etiam si lingua silet, vita clamat. Item per *desiderium,* quia quodam modo petere est velle habere. Per *obedientiam* petunt, quia dum se paratos ad recipiendum offerunt, quasi ad impertiendum praelatos desides adhortantur [5] ». Petunt igitur, dicentes: *Ubi est triticum?* non hordeum; triticum enim Christus est; Ioannes [6]: « Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit » etc.; non petunt hordeum, quod tamen legitur in Evangelio multiplicatum; *et vinum;* non dicunt aquam, quae tamen in Evangelio Ioannis legitur in vinum commutata. « *Triticum* igitur Christus, Lex *hordeum,* quia asperum est ad manducandum; *aqua* carnalis intelligentia, *vinum* sensus spiritualis intelligitur. Iudaeis igitur, qui carnaliter Legem tenuerunt, aqua et hordeum sufficere potuerunt; filii autem triticum et vinum requirunt. *Triticum* quaerimus, quando verbum vitae audire et Christum imitari desideramus; vinum bibimus, quando spiritualem intelligentiam de Christo tenemus. Sed quaerunt nec inveniunt; unde sequitur: *Cum deficerent quasi vulnerati in plateis.* Babylon habet plateas, Ierusalem semitas; *deficere* igitur *in plateis* est carnalibus illecebris implicari ». Vel, in Ecclesia sunt *semitae* accusationum spiritualium, sunt *plateae* actionum terrenarum; *in plateis deficiunt,* quia non inveniunt spirituales consolationes, intenti negotiis terrenis. *Quasi vulnerati;* « vulnera sunt peccata; quasi ergo vulnerati deficiunt, qui, etsi malo manifeste non consentiunt, sic tamen per negligentiam, sicut alii per culpam, ad interitum tendunt ». Ergo per negligentiam praelatorum pereunt multi, qui criminibus et flagitiis vulnerati non sunt. *Cum exhalarent animas sinu in matrum suarum; sinus matrum* « blanda adulatio praelatorum; spiritum igitur in eorum sinu exhalant, cum ignavi praelati non solum carnales ad meliora non excitant, verum etiam blandis favoribus palpant ». Vel, moriuntur *quasi vulnerati* qui corrumpuntur praelatorum exemplis; *in sinu* moriuntur, qui deficiunt per eorum negligentiam; tertio Regum [7]: « Mortuus est filius huius mulieris nocte, dormiens quippe oppressit eum ».

26. Vel *moraliter* ab illo loco: *Defecerunt oculi:* « Per *oculos* claritas intelligitur contemplationis, et quid per *viscera,* nisi sensus internae dulcedinis, et quid per *iecur* nisi fervor divini amoris accipitur? Spiritualis enim quisque, quanto magis amorem in tribulatione ad proximorum compassionem foras effundit, tanto magis interna solatia, quae gustare consueverat, subtracta deplorat ». *Effusum est* etc. *Effusio iecoris* est mortificatio carnis; ne ergo fictae lacrymae credantur, carnis afflictio lacrymis iungatur, et tunc iecur in terram funditur. *Super contritione filiae populi mei,* non dicit pro patre vel matre, sed *filiae populi mei,* ne affectus carnis et non caritatis eum ad fletum exagitare credantur etc., ut supra [8]. Vel, per *filiam populi mei* carnalis anima, per *parvulum* sensus carnis, per *lactantem* virtus mentis accipitur. Sensus enim carnis levia semper appetit, nisi quantum eum mentis constantia per disciplinam restringit. Per *oppidum* corpus, quod anima inhabitat, intelligitur; per *eius plateas* intelligitur voluptas; vel, *platea* mentis est vagatio, per quam multi vulnerantur. Sensus moralis.

27. (Vers. 13.). Mem. *Cui comparabo te?* Ecce, secunda ratio lacrymarum Prophetae, *desolatio universitatis* vel multitudinis. Cuius desolationis vehementiam dupliciter manifestat, quia scilicet est *inaestimabilis;* secundo, quia est *irremediabilis,* ibi: *Magna est enim velut.* Quod sit *inaestimabilis,* ostendit, quia nullus alius dolor est isti comparabilis, nec in acerbitate nec in quantitate. De secunda doloris materia duo.

Dicit ergo: *Cui comparabo te?* secundum similitudinem vel magnitudinem poenae; unde sequitur: *Vel cui assimilabo te, filia Ierusalem?* quasi dicat: nulli; supra primo [9]: « O vos omnes » etc. *Filia Ierusalem,* plebs Iudaica mollis et effeminata. *Cui exaequabo te,* in doloris quantitate? quasi dicat: mala tua mole et magnitudine omnia alia transcendunt. *Et consolabor te,* quasi dicat: nulla alia civitas similiter est destructa; quodsi esset, Primum.

---

[1] Epist. II. Cor. 11, 29; deinde Thren. 1, 2; Ps. 87, 10.
[2] Annotat. elucid. in Thren., in litteral. expos. ad 2, 11. Etiam pleraque, quae sequuntur usque ad n. 27, inde extracta sunt. — Sequitur Gal. 4, 19.
[3] Cap. 5, 13.
[4] Cap. 7, 13.
[5] Hugo, loc. cit. et fere omnia, quae sequuntur usque n. 27.
[6] Cap. 12, 24; deinde respicitur Ioan. 6, 13. et 2, 9.
[7] Cap. 3, 19.
[8] Num. 24.
[9] Vers. 12.

posset esse consolatio aliqua, sed hoc inveniri non potest. — Unde sequitur: *Magna enim velut mare contritio tua,* quasi dicat: « sicut mare super omnes aquas mole et amaritudine praecellit, ita tuae contritioni nulla calamitas adaequatur ». *Quis medebitur tui?* quasi dicat: sicut non potest exhauriri[1] tota aqua de mari, sic nec tua miseria relevari; vel, sicut omnia flumina intrant mare, ita omnia malorum genera illata sunt Iudaeae.

Secundum.

28. *Spiritualiter:* « Illi qui post agnitam veritatem retro abeunt, peiores sunt illis qui nunquam veritatem agnoverunt ». « Horum sicut prae omnibus erat gloria incomparabilis, cum starent; sic incomparabilis est ignominia, cum ceciderunt »; Psalmus[2]: « Deus meus, pone illos, ut rotam ». Unde omnes apostatantes inveniuntur ceteris omnibus deteriores; Psalmus: « Ascendunt usque ad caelum et descendunt usque ad abyssum ». *Magna velut mare contritio tua,* contritio spiritualis et enervatio cordis ad nullam stabilitatem virtutis reducibilis; Isaias[3]: « Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest ». *Quis medebitur tui,* quasi dicat: nullus; Ecclesiasticus: « Quis medebitur incantatori a serpente percusso »? Exponitur etiam in bonum, quia dolor contritionis debet amaritudine et magnitudine omnem alium dolorem excedere.

Sensus spiritualis.

29. (Vers. 14.). Nun. *Prophetae tui.* Ecce, tertia pars capituli, ubi subdit *praedictae desolationis rationem,* falsorum prophetarum deceptionem, primo ponens *hanc causam,* deinde explicans ulterius *consequentem miseriam* in versu sequenti: *Plauserunt super te.* — Prophetae autem illi decipiebant tripliciter populum: primo *falsas visiones mentiendo;* secundo decipiebant *adulando: Nec aperiebant iniquitatem;* tertio, *fallaciter promittendo;* pro quibus dicit: *Viderunt autem tibi assumtiones.*

Tertio, de tribolationis ratione duo.

De primo tria.

Dicit ergo: *Prophetae tui,* pseudo, *viderunt tibi falsa,* praedicendo quae secundum veritatem non erant ventura; nec excusabilis es per ignorantiam; unde sequitur: *Et stulta,* sicut est illud quod praedicunt *de futuro Messia;* Sophonias[4]: « Prophetae eius vacui, viri infideles ». Similes sunt hodie homines, qui promittunt peccatoribus impunitatem, vel qui pueris curas tradunt, praedicentes eorum aedificationem. « Quia ergo *falsa* viderunt, decepta es; quia *stulta,* excusari non potes ». — Pro *adulatione* sequitur: *Nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad poenitentiam provocarent;* Isaias[5]: « Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt et viam gressuum tuorum dissipant ». Ezechiel: « Prophetae liniebant parietem absque temperamento ». — Pro tertio sequitur: *Viderunt tibi assumtiones falsas,* dicentes, quod Dominus Iudaeos ad protectionem aeternam assumet; *et eiectiones,* Chaldaeorum a dominio Iudaeae, sicut Hananias pseudopropheta dicebat in Ieremia: « Adhuc duo anni dierum, et ego referri faciam ad locum istum omnia vasa, quae tulit Nabuchodonosor de loco isto ».

Deceptio per falsas visiones.

Per adulationem.

Per fallaces promissiones.

30. Istud *allegorice* ad praedicatores falsos referri potest, qui ad litteram implent quae hic dicuntur; *viderunt falsa,* solam mundanam vanitatem commendantes; *viderunt stulta,* statum saecularem religioni praeferentes; Proverbia[6]: « Vir iniquus lactat amicum suum et ducit eum per viam non bonam ». *Viderunt tibi assumtiones falsas.*

Sensus allegoricus.

*Moraliter: Assumi* est per iustitiam Ecclesiae incorporari; *eiici* vero est a culpa separari. Quia igitur praedicatores pseudo condemnant innocentes, qui non sunt condemnandi, quasi per *eiectionem,* et commendant adulando illos qui sunt arguendi, quasi per *assumtionem;* recte dicitur: *Viderunt tibi assumtiones* etc. De falsis prophetis dicitur in Ezechiele[7]: « Violabant me ad populum propter pugillum hordei et fragmen panis, ut interficerent animas, quae non moriuntur, et vivificarent animas, quae non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis ». Aliter: omnes pseudopraedicatores, Scripturis abutentes ad suos errores confirmandos, vel abutuntur eis nimia verborum *affirmativorum ampliatione,* sub eis falso *assumendo,* sicut qui praeceptum de honorandis parentibus extendit ad prohibendum religionis ingressum; vel nimia verborum *negativorum restrictione,* sicut qui dicit, in praecepto hoc: *non moechaberis,* non prohiberi simplicem fornicationem. Vel dicitur: *Viderunt tibi assumtiones,* quia semper veris falsa immiscent, *maiorem* veram proponentes et *minorem* falsam assumentes. Amplius, *eiectiones falsas vident,* veritatem textus Scripturae sacrae pro libito corrumpentes et excludentes quidquid suis erroribus adversatur.

Moralis.

Aliter.

Aliter.

31. (Vers. 15.). Samech. *Plauserunt super te.* Ecce, posita miseriae causa, subdit latius *explicationem miseriae* et *poenae* culpam consequentis. Poenam manifestat triplici comparatione: primo, per *compassionem extraneorum transeuntium;* secundo, per *improbitatem adversariorum insultantium,* ibi: *Aperuerunt super te os;* tertio, per *comparationem ad divinum iudicium,* vel ad impletionem divinarum comminationum, ibi: *Fecit Dominus quae cogitavit.*

De secundo tria.

Pro primo dicit: *Plauserunt super te manibus,* synagogam vel Ecclesiam, « non laetantis, sed compatientis affectu », ut dicit Glossa[8]. Non enim in hoc insultatio, sed sola manuum intelligitur collisio, quae aliquando gaudium, aliquando admirationem, aliquando compassionem indicat. Aliter, si de plausu miseriae intelligitur, de inimicis intelligitur. *Omnes transeuntes per viam,* ex quo magis videtur dici compatiendo quam irridendo; *omnes transeuntes,* qui fuerunt extranei, quia per hoc, quod *transeunt,* aliunde venisse et alibi tendere demonstrantur. Aliunde venerunt sanguine diversi, alibi tendunt intentione; et tamen tanta erat desolatio, quae alienos ad compassionem inclinaret, illam afflictionem videntes. *Sibilaverunt,* prae admiratione. *Sibilus* enim diversas indicat affectiones: aliquando contemptum, aliquando fastidium, aliquando desperationem, aliquando blandimenta insinuat. *Et moverunt capita sua,* prae stupore, sicut praedixit Ieremias[9]: « Ponam eos in stuporem et in sibilum ». *Motio capitis* aliquando indignationem, aliquando insultationem, aliquando dolorem, aliquando desperationem

Poena manifestatur per compassionem extraneorum.

[1] Codd. *exhalari.* — Pleraque hic, n. 28. et 29. sumta sunt ex cit. Hugone in hunc locum.
[2] Psalm. 82, 14; deinde Ps. 106, 26.
[3] Cap. 57, 20; deinde Eccli. 12, 13. — Infra pro *amaritudine et magnitudine* (ita B) A *amaritudinis magnitudine,* Vat. corrupte *amaritudine imaginativae.* [4] Cap. 3, 4.
[5] Cap. 3, 12; deinde Ezech. 22, 28; Ier. 28, 3.
[6] Cap. 16, 29. [7] Cap. 13, 19.
[8] Scilicet *ordinaria* (apud Lyranum), sumta ex Paschasio in hunc loc.
[9] Cap. 19, 8. — Tota haec expositio et quae sequitur n. 33. sumta est ex Hugone a S. Vict.

exprimit. Ergo in *plausu* compassio, in *sibilo* admiratio, in *motione capitis* desperatio intelligitur. Vel, in *plausu manuum* ablatio potentiae, in *sibilo* ablatio doctrinae, in *motione capitis* ablatio omnis honoris et gloriae designatur. *Super filiam Ierusalem*, id est plebem Iudaicam, vel circumiacentem regionem; *dicentes: Haeccine est urbs perfecti decoris?* quae olim esse solebat *gaudium universae terrae*, Iudaeae; quod propter templum dicebatur, ad quod ter in anno ascendebant, scilicet in Pascha et in Pentecoste et Scenopegia.

Aliter.

32. *Moraliter: Per viam transeunt* qui in praesenti vita ad patriam quotidiano profectu tendunt. Hi super multitudinis miseriam *manibus plaudunt*, quia exemplis operum suorum alios ad bona opera accendunt; Isaias [1]: « Montes et colles cantabunt coram vobis laudem, et omnia ligna regionis plaudent manu ». Per *sibilum*, qui scribi non potest, inexplicabilis compassio intelligitur etc., ut supra exposita sunt.

Sensus moralis.

33. (Vers. 16.). Phe. *Aperuerunt super te.* Ecce, secundo declaratio poenae per *improbitatem adversariorum*, quorum improbitas manifestatur primo ex *signis*, deinde ex *verbis: Et dixerunt: Devorabimus. Signa* quidem sunt *cachinnus, sibilus* et *dentium fremitus. Cachinnus* intelligitur: *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui. Aperuerunt* ergo superbi ad subsannandum; et *sibilaverunt*, provocando; *et fremuerunt dentibus*, deterrendo. — *Et dixerunt.* Ecce, indignatio ostensa in *verbis*, primo *crudelitatis*, deinde *impiae iucunditatis*, ibi: *En ista est dies, quam exspectabamus.* — Dicit ergo: *Et dixerunt: Devorabimus* eam, id est, penitus ad libitum destruemus. *En ista est dies, quam exspectabamus*, desiderando; *invenimus*, quaerendo; *vidimus*, exsultando.

Item, per improbitatem insolentium.

34. *Spiritualiter: Inimici* Ecclesiae, haeretici, super Ecclesiam *ora aperiunt*, quando vel simplices invadunt, ut corrumpant, vel laetantur, cum defectus vident ecclesiasticarum personarum. In *sibilo* blanda et callida intelligitur persuasio, qua simplices decipiunt; *fremunt dentibus*, quia ex magna aviditate procedunt. Vel, daemones inimici, qui *aperiunt os* per machinationem, *sibilant* per suggestionem, *fremunt dentibus*, pertrahendo ad subversionem et aeternam damnationem.

Sensus spiritualis.

Nota, quod hic mutatur ordo alphabeti; quia secundum Hebraeum et Rabanum [2] hic ponitur *Phe* ante *Ain*, cum e contrario sit in alphabeto praecedenti; unde illi versui: *Aperuerunt* etc., praeponitur littera *Phe*, illi vero sequenti: *Fecit Dominus*, praeponitur littera *Ain*. Nimirum illi versui: *Aperuerunt super te os* etc., convenit optime littera *Phe*, quae interpretatur *oris*. Quid enim melius praeponitur apertioni oris? Illi autem versui: *Fecit Dominus* etc., recte praeponitur littera *Ain*, quae interpretatur *fons*, quia cogitatio vel dispositio Dei fons est et causa totius ordinis. Vel, *Ain* interpretatur *oculus*, quod congruit proposito, quia nihil aliud est cogitatio Dei nisi providentia oculi sui.

Mutatur ordo alphabeti.

35. (Vers. 17.). Ain. *Fecit Dominus.* Hic tertio manifestat calamitatem per *comparationem ad divinam comminationem* seu consummationem divinorum iudiciorum. Et habet duas partes: quia primo tangit *divinum iudicium*; secundo, *divini iudicii effectum: Destruxit.* — Eius *iudicium* ostenditur per comparationem ad ipsius *dispositionem occultam* primo, deinde per comparationem ad eius *comminationem in Scriptura expressam: Complevit.*

Item, per comparationem ad divinum iudicium dupliciter.

De divino iudicio duo.

Dicit ergo: *Fecit Dominus*, quasi: si quaeris: unde tanta calamitas? Certe iusto Dei iudicio, quia noluisti facere quod praecepit. *Fecit Dominus quae cogitavit*, id est, sapienter disposuit contra Ierusalem et Iudaeam; non ergo hostibus est hoc tribuendum, sed ad divinum referendum iudicium. — *Complevit sermonem suum*, sceleribus populi provocatus, *quem praeceperat*, per Prophetas nuntiari, *a diebus antiquis.* Vel, sermo *praeceptorum* in *comminationibus* completur; praemissis enim praeceptis subiunguntur benedictiones, quibus ad ipsorum observantiam attrahuntur, et deinde maledictiones et comminationes, quae transgressoribus imprecantur [3], sicut patet in Deuteronomio. Sic ergo complevit sermonem, quem praeceperat, faciendo quod transgressoribus comminatus fuerat. — Sed pro *effectu* sequitur: *Destruxit*, civitatem cum pertinentibus; *et non pepercit*, in ultima captivitate, quando totum illum populum temporaliter dissipavit; *destruxit*, auferendo delectationem; *non pepercit*, puniendo per tribulationem praeteritam libidinem. *Destruxit* quidem, quia destrui permisit; unde sequitur: *Et laetificavit super te inimicum*, Chaldaeum et Romanum vel vicinas gentes, quae latenter eis hostes fuerunt; *et exaltavit cornu*, id est potestatem et gloriam, *hostium tuorum.*

Ostenditur iudicii dispositio occulta.

Comminatio expressa.

De effectu iudicii.

36. (Vers. 18.) Sade. *Clamavit cor eorum.* Haec est quarta pars capituli, in qua post descriptam praedictam desolationem *ad desolationis remedium informat*, ad gemitum et compunctionem. Primo autem tangit *deprecationis huius opportunitatem* propter elationem inimicorum; deinde *hortatur exercere se ad compunctionem et gemitum*, ibi: *Deduc quasi torrentem.*

Quarto, de desolationis remedio duo.

Dicit ergo pro primo: *Clamavit cor eorum*, id est inimicorum, *ad Dominum*, id est contra Dominum, sicut simile dicitur in Genesi [4]: « Clamor Sodomorum et Gomorrhae multiplicatus est ». *Clamavit* ergo *cor eorum*, contemnendo Deum, *super muros filiae Sion*, id est propter murorum destructionem, ex hoc scilicet gloriantes. Ex hoc ergo erat opportunitas deprecandi Dominum, quamvis non agentibus meritis Iudaeorum, sed demeritis adversariorum, sicut dixit Ezechias [5]: « Inclina, Domine, aurem tuam et audi; aperi, Domine, oculos tuos et vide et audi omnia verba Sennacherib, quae misit ad blasphemandum Deum viventem ». — *Deduc;* ecce, *hortatur ad gemitum et compunctionem*, et hortatur ad tria: primo, ad *deploranda peccata propria;* deinde, ad *laudandum divina iudicia*, ibi: *Consurge, lauda;* tertio, ad *implorandum divina praesidia*, ibi: *Effunde sicut aquam.* — In prima parte hortatur ad *lacrymandi vehementiam;* secundo, ad *lacrymarum indefessam instantiam: Non des requiem tibi;* tertio, ad *lacrymarum perseverantiam: Neque taceat.*

Deprecationis opportunitas.

Hortatio ad compunctionem tripliciter.

Ad deploranda peccata propria per tria.

37. Dicit ergo: *Deduc*, o filia Sion, quasi: spontaneae sint lacrymae, non extortae; vel, *deduc*, id est, deorsum duc ad mundationem conscientiae per compunctionem; Psalmus [6]: « Lavabo per singulas noctes lectum meum »; ut inde ascendant per devotionem lacrymae; *quasi torrentem*

Lacrymandi vehementia.

---

[1] Cap. 55, 12.
[2] Expositio super Ierem. XVIII, introductio.
[3] Cod. A *intonantur*, B *imputantur*. — Sequitur Deut. 28, 15. seqq.
[4] Cap. 18, 20.
[5] Apud Isai. 37, 17.
[6] Psalm. 6, 7. — Infra pro *inde* (ita B) A *mihi*, Vat. corrupte *ut non ascendant per indevotionem lacrymae.*

*lacrymas,* id est abundanter et ferventer atque impetuose; sic enim currit torrens et quanto currit impetuosius, tanto citius exsiccatur, quia, quanto gemitus est fortior, tanto citius venia impetratur. Unde Hugo de sancto Victore[1]: « Recte compunctionis fervor torrenti comparatur; quia, quanto maior vis doloris in compunctione fuerit, tanto citius, divina consolatione superveniente, pertransit ». *Torrens* etiam, quia est aqua hiemalis, significat, quod lacrymae sunt tantum praesentis temporis; Apocalypsis: « Absterget Deus omnem lacrymam ». *Per diem et noctem,* id est continue, vel *per diem,* propter peccantes ex prosperitate; *et noctem,* propter peccantes ex adversitate. Vel, *per diem et noctem* diversi status intelliguntur compunctionis; primo enim afficit mentem vehemens *taedium* detestationis peccati, deinde *gaudium* immissum unctionis Spiritus sancti. Sanctus Bernardus[2]: « O bone Iesu, si tam dulce est flere de te, quam dulce est gaudere de te »? *Per noctem lacrymas deducit* qui moeroris taedium lacrymando aggravat; *per diem lacrymas deducit* qui post devotionis laetitiam animam in moerore servat. Hoc idcirco dicitur, quia sunt « nonnulli, qui post lacrymas per inanem laetitiam se dissolvunt; et quia cor suum in moerore perseveranter tenere negligunt, quidquid compunctionis tempore obtinuisse poterant, perdunt. Idcirco valde necessarium est, ut, postquam compunctionis gratia mentem a moerore erexerit, sollicite caveatur, ne hanc postmodum sua lenitas per immoderatam laetitiam dissolvat, nunquam eam pristini moeroris custodia derelinquat ».

Lacrymandi indefessa instantia. Lacrymarum perseverantia.

38. Sequitur: *Non des requiem tibi,* in fletu paulatim tepescendo; *requiem,* inquit, moeroris enervativam, vel interruptivam; vel, in hoc corporis afflictio indicitur. — Sed pro tertio sequitur: *Et non taceat,* id est nunquam cesset lacrymari; *pupilla oculi tui;* lacrymae enim continuae loquuntur in auribus Dei; unde Psalmus[3]: « Auribus percipe lacrymas meas »; quasi dicat: etsi taceat lingua, non taceat pupilla, ex qua est impetrandi efficacia. Et hoc *ad litteram* intelligitur de magna effusione lacrymarum in pupillam, ut, dum id quod tenerum est, affligitur, citius ad misericordiam pietas iudicis inflectatur. Vel, pupilla intima devotio mentis intelligitur. Vel *allegorice,* pupilla Ecclesiae viri sancti et spirituales intelliguntur. — *Sed contra:* videtur praecipere impossibile; nullus enim potest continue pupillam affligere. — Respondeo: Illud intelligitur sicut illud Apostoli[4]: « Sine intermissione orate », et illud Domini: « Oportet semper orare et non deficere ». Hoc enim est *semper et sine intermissione orare,* nullam horam orationi debitam praetermittere; et hoc similiter est continue plorare. — Aliter responderi potest, quia super illud: *Non des requiem,* Glossa[5]: « Modum lacrymandi temperat », quasi dicat: non tam lacrymas impero, quam continuam devotionem impono.

Obiectio solvitor. Aliter.

Ad veneranda divina iudicia.

39. (Vers. 19.). Coph. *Consurge* etc. Hic secundo hortatur ad *veneranda divina iudicia. Consurge,* corde et opere, *consurge,* simul cum aliis surge; *lauda,* divina iudicia, *in nocte,* id est in adversitate, non solum in prosperitate, sicut ille, de quo in Psalmo[6]: « Confitebitur tibi, cum benefeceris ei »; sed sicut dicitur in Iob: « Ubi est Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte », *in principio vigiliarum.* Quatuor erant vigiliae: prima dicitur *conticinium;* secunda, *intempestum;* tertia, *galli cantus;* quarta, *antelucanum;* quarum quaelibet habet tres horas. In prima solebant vigilare pueri, in secunda adolescentes, in tertia iuvenes, in quarta senes. *In principio* igitur harum *vigiliarum consurgere* est in lacrymis pernoctare.

Quatuor vigiliae.

Sensus moralis.

*Moraliter: In principio vigilare* est a pueritia virtutis studio inhaerere; Proverbia[7]: « Qui mane vigilaverit ad me inveniet me ». Vel, *spiritualiter,* prima vigilia est *contemptus mundi;* Cantica: « Ego dormio », ab implicationibus scilicet mundi. Et secunda, *maceratio corporis proprii;* Ecclesiasticus: « Vigilia honestatis carnes tabefaciet ». Tertia, *exercitium virtutum;* Ecclesiasticus: « Cor suum dabit in consummationem operum et vigilias armabit in profectionem ». Quarta, *desiderium aeternorum bonorum;* Ecclesiasticus[8]: « Qui vigilat ad eum inveniet benedictionem illius »; Proverbia: « Beatus vir, qui audit me et qui vigilat » etc. — Vel prima vigilia, *malum agnoscere;* secunda, *cognitum detestari;* tertia, ad *bonum se extendere;* quarta, *bonum continuare.* Pro his quatuor dicitur quater in Canticis[9]: « Revertere, revertere » etc. — Vel iuxta litteram: *In principio vigiliarum surgere* est in ecclesiasticis vigiliis priorem esse; Psalmus: « Anticipaverunt vigilias oculi mei ».

Aliter.

Ad impetranda divina praesidia.

40. Sequitur: *Effunde;* hic hortatur ad *impetranda divina praesidia. Effunde,* inquit, *sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini; sicut aquam cor effundere* est ex intimo lacrymas producere. Effundendum est ut *aqua,* non sicut oleum, quod effusum relinquit pinguedinem; item, non sicut mel, quod effusum relinquit dulcedinem; item, non sicut vinum, quod relinquit odorem; nec sicut lac, quod relinquit colorem; sed sicut aquam. Vel, *effunde sicut aquam,* quae fluit ad inferiorem locum et per totum. — Vel certe, istud ad superiora referri posset; cor enim quasi aqua effunditur, quando omnis ab eo sensus proprius diminuitur, quando oratio divinis iudiciis configuratur et substernitur; Psalmus[10]: « Paratum cor meum Deus ». — *Leva ad eum manus tuas,* ad litteram ex affectus vehementia, ut ostendas te auxilio indigere et non in tuis viribus, sed in Dei protectione confidere; prima ad Timotheum: « Levantes puras manus ». Vel, *consurge,* per contritionem, *effunde,* per confessionem, *leva,* per satisfactionem. *Pro anima parvulorum tuorum,* hoc dicit, quia ipsi puniti etiam sunt et mortui propter peccata patrum et parentum suorum. *Qui defecerunt fame* — antiqui libri habent *in fame,* libri novi habent *qui fame pereunt*[11] — spiritualiter peccatorum. Qui parvuli pereunt *in capite omnium*

Aliter.

---

[1] Adnotatiunculae in Threnos, in hunc locum. — Sequitur Apoc. 21, 4.
[2] Lamentatio in passionem Christi, n. 3. (inter Opera). Cfr. Scala claustral. c. 6. n. 7. — Quae sequuntur sumta sunt ex Hugone loc. cit.
[3] Psalm. 38, 13. — Supra pro *afflictio indicitur* (ita A) B *afflictio inducitur,* Vat. *afflictio innuitur.*
[4] Epist. I. Thess. 5, 17; deinde Luc. 18, 1.
[5] *Interlinearis* apud Lyranum in hunc locum: « Modum lacrymandi *determinat* »; et in *ordinaria:* « Est autem oculus interior, qui ad Deum stillat, unde exterior conlacrymatur »; et paulo ante: « Pupilla oculi et orat et impetrat, compuncta divina inspiratione. Ista tacere non debet, donec » etc. Haec sumta sunt ex Paschasio in hunc locum.
[6] Psalm. 48, 19; deinde Iob 35, 10. — Supra pro *ad veneranda* B *ad laudanda.*
[7] Cap. 8, 17; sequuntur Cant. 5, 2; Eccli. 31, 1. et ibid. 38, 31.
[8] Cap. 32, 18; deinde Prov. 8, 34.
[9] Cap. 6, 12; deinde Ps. 76, 5.
[10] Psalm. 56, 8; sequitur I. Tim. 2, 8.
[11] Ita legit etiam Lyranus, in margine habens *defecerunt;* Vulgata *defecerunt in fame.*

*compitorum; compitum* est confluentia plurium viarum, dictum quasi a componendo. Ibi ergo erant mortui, ubi transeuntes plurimi eorum visu tabescerent, per quod spiritualiter intelligitur latitudo saecularium voluptatum. Vel, *moriuntur parvuli in capite,* quia multi sunt enerves, qui statim cadunt, oriente tentatione.

Quinto, de imploratione supernae miserationis dupliciter.

41. (Vers. 20.). Res. *Vide, Domine, et considera.* Haec est quinta pars capituli, in qua, postquam supra peccatores excitavit, ut eos ad poenitentiam inflecteret, hic Propheta, causam poenitentium suscipiens, sermonem convertit ad Dominum, ut *ipsum pro peccatoribus exoret.* Primo ergo *implorat caelestem pietatem;* secundo *allegat urgentissimam utilitatem,* ibi: *Ergone comedent.*

Ipsa imploratio.

Dicit ergo: *Vide, Domine,* oculo misericordiae; *et considera,* populum multiplici subiectum miseriae; *quem vindemiaveris ita,* populum tibi olim dilectum quasi vineam *vindemiaveris,* fructum omnem abstuleris, vel auferri permiseris; *ita,* tam horribiliter, ut quasi vinea devoret botros suos proprios. — Unde sequitur: *Ergone,* ubi, ut dictum est, allegat *multiplicem necessitatem,* quam primo ostendit per *infelicitatem domesticorum;* secundo, per *asperitatem adversariorum,* versu ultimo: *Vocasti.* — *Infelicitatem* autem *domesticorum* tangit primo quantum ad *vivos,* deinde quantum ad *mortuos: Si occiditur.*

Allegatio urgentissimae necessitatis duplicis.

Infelicitas domesticorum.

Quoad vivos.

Dicit: *Ergone comedent mulieres fructum suum?* id est uteri sui. Quas *mulieres* vocat, non matres, quia mater non est dicenda, quae est immemor pietatis. Quis sit *fructus,* ostendit subdens: *Parvulos,* scilicet in quantitate, *ad mensuram palmae,* id est teneros et vix unius palmae mensuram habentes. *Palma* dicitur hic pro expansione manus a capite pollicis usque ad summitatem medii digiti. — *Si occiditur;* ecce, miseria *mortuorum,* primo quantum ad *circumstantiam loci;* secundo, quantum ad *modum moriendi: Virgines meae;* tertio, quantum ad *magnitudinem universalis flagelli: Interfecisti.* — *Loca* tangit duo: *intimum,* scilicet *sanctuarium,* et *extremum.* — Dicit ergo: *Si occiditur in sanctuario Domini sacerdos et Propheta?* quasi dicat: quamvis tantum peccaverint sacerdotes, nunquid interfici meruerunt? Vel *si occiditur* etc., sicut de Zacharia legitur, nunquid ideo *mulieres comedent* etc.

Quoad mortuos tripliciter.

Loca duo.

42. (Vers. 21.). Sin. Sed pro *loco exteriori* sequitur: *Iacuerunt in terra foris,* interfecti fugere volentes; *puer et senex,* ambo infirmae aetatis, quasi dicat: nec sacro loco parcebatur, nec fugae praesidium opitulabatur. — Sequitur: *Virgines meae,* id est infirmiores, *et iuvenes mei,* id est fortiores, *ciderunt in gladio,* ad litteram, interfecti. — Pro tertio subdit: *Interfecisti in die furoris tui,* illos qui gladio ceciderunt, id est vindictae irrefragabilis; *percussisti,* iacentes, permissive; *nec misertus es;* libri novi habent: *nec misereberis,* et exponatur interrogative.

Modus moriendi.

Magnitudo flagelli.

Sensus spiritualis.

43. *Spiritualiter* intelligendum, quod Deus terribiliter quosdam in Ecclesia *vindemiat:* « cum illos, quos prius per praedicatores excoluit, postea steriles et inanes derelinquit »; Deuteronomium [1]: « Plantabis vineam et non comedes fructus eius ». « *Mulieres,* mali praelati fluxis moribus emolliti, qui *fructum suum comedunt,* quia de labore ministerii, si quem faciunt, in praesenti vita remunerationem accipiunt ». Econtra dicitur bonis doctoribus in Ioanne: « Posui vos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat ». Vel *fructum comedunt,* id est, consumunt *parvulos ad mensuram palmae,* quia « infirmos fide, quos baptismo vel aliter genuerant, exemplo ad terrena desideria inclinant; vel *comedunt,* quia subditos rebus spoliant, quos pascere debuerant ». — *Si occiditur* etc. Per *sanctuarium* cultus Dei intelligitur; *Propheta et sacerdos* occiduntur in sanctuario, quando vel doctor, qui per Prophetam intelligitur, verba Scripturae ad pravitatem intorquet, vel quando sacerdos indigne sacra mysteria dispensat. *Iacuerunt in terra foris puer et senex;* Isaias [2]: « Sicut enim populus, sic et sacerdos »; *in terra iacuerunt,* quia in terrenis desideriis quieverunt. Non solum *sederunt,* ut supra dictum est, sed *iacuerunt,* dormientes et se ipsos nescientes; Ieremias: « A minimo usque ad maiorem omnes avaritiae student ». *In terra foris,* locus exsilii intelligitur. *Virgines meae,* animae contemplativae, sed fatuae, vel fideles, quae fidei integritatem servant; *et iuvenes mei in gladio ceciderunt,* id est, persuasionibus haereticorum subversi sunt, quia, ut dicit Apostolus [3], « corrumpunt bonos mores colloquia prava ». *Iuvenes* sunt, qui in proeliis fortiores sunt, qui in adversitate diabolo non cedunt, et tamen gladio linguae iniquae plures subvertuntur. *Interfecisti,* interficit eos qui per infidelitatem corruunt; *percutit* eos qui in lapsu pereuntium per compassionem carnalitatis vulnerati sunt; *non miseretur,* dum nec lapsos erigit nec dolorem stantium consolatur.

Asperitas adversariorum.

44. (Vers. 22.). Thau. *Vocasti quasi ad diem* etc. Hic ostendit infelicitatis illius magnitudinem per *asperitatem adversariorum,* quos introducit prospere *invadentes;* prospere *capientes: Et non fuit in die;* prospere tandem *destruentes: Quos educavi et enutrivi* [4]. — A parte Iudaeorum his tribus iungit *terrorem, deiectionem, laborum consumtionem.* — Dicit ergo: *Vocasti,* quasi eorum fuit *velle,* sed tuum fuit *concedere,* et per consequens tuum est *liberare. Vocasti,* Chaldaeos et Romanos, *quasi ad diem solemnem,* in quo prosperitas eorum designatur; *qui terrerent me de circuitu,* undique impetu videlicet obsidentes. Vel, *quasi ad diem solemnem,* dicit, quia Iudaei in tribus anni solemnitatibus concurrere soliti erant; vel dicit: *quasi ad diem solemnem,* quia Romani ceperunt Ierusalem in die Paschae. — Pro secundo sequitur: *Et non fuit qui effugeret,* ad litteram, qui non esset captus, aut mortuus. *In die furoris Domini,* id est ultimae captivitatis. *Et relinqueretur,* in Ierusalem; hoc etiam quodam modo impletum est in obsidione Chaldaeorum [5], quando nullus fuit relictus, qui non esset captivus vel servus. — Pro tertio subdit: *Quos educavi,* per disciplinam; *et nutrivi,* quantum ad naturam; *inimicus meus consumsit eos,* id est, omnino delevit illos.

De primo.

De secundo.

De tertio.

Sensus moralis.

Illud potest intelligi *moraliter* de *hora mortis,* quando solent daemones ad morientem in circuitu laetanter convenire. Vel certe in *die iudicii* peccator undique mala habebit accusantia, et ex nulla parte defendentia.

---

[1] Cap. 28, 30; deinde Ioan. 15, 16. — Tres istae expositiones extractae sunt ex Hugone a S. Vict. in hunc locum aliaque plura huius numeri.

[2] Cap. 24, 2; deinde Ier. 6, 13.

[3] I. Cor. 15, 33.

[4] Verba *Hic ostendit* usque *nutrivi* in solo A habentur. — Infra pro *deiectionem, laborum* (ita codd.) Vat. *deiectionem labiorum* (!).

[5] Cfr. IV. Reg. 25, 5. seqq. et II. Paralip. 36, 17. seqq.

## Capitulum III.

Divisio.

1. *Ego vir videns paupertatem meam* etc. Postquam in duobus praecedentibus alphabetis lamentatus est desolationem synagogae in communi, hic lamentatur *desolationem quarundam personarum privilegiatarum in speciali.* Et quia privilegiatae personae dicuntur dupliciter: vel pro *vitae meritis*, vel pro *statu honoris;* primo lamentatur desolationem *primi generis personarum*, secundo *aliarum* in sequenti alphabeto, ibi: *Quomodo obscuratum est aurum?*

Tertii capituli duae partes et pars incidens.

In prima parte introducitur prophetica lamentatio in persona talium, scilicet vere *Christi et membrorum suorum,* quorum hic manifeste mysteria describuntur, et impossibile est hic litteralem intellectum reperire sine extorsione. Hoc autem alphabetum habet duas partes: quia primo *lamentatur simul capitis et corporis tribulationem;* secundo *invitat electos ad compassionem*, ibi[1]: *Recordare paupertatis;* tertio *incidenter pertractat synagogae reprobationem* occasione dominicae passionis, ibi: *Operuisti in furore et percussisti nos.*

Primo lamentatur capitis et corporis tribolationem dupliciter. Sobdivisiones.

In prima parte primo in summa *tangit gratiam dominicae exinanitionis;* secundo *seriem describit dominicae passionis*, ibi[2]: *Circumaedificavit.* — In prima parte notificat *Filii Dei exinanitionem* per comparationem ad *Patris severitatem;* secundo subdit huius *exinanitionis compendiosam declarationem* in sequenti versu, ibi: *Vetustam fecit pellem.* — *Exinanitio Christi* patet ex *assumtione status egestatis*, quod intelligitur in primo membro; secundo, ex *assumtione anxietatis*, vel adversitatis, quod intelligitur in secundo membro, ibi: *Me minavit;* tertio, ex singulari et uniformi *continuatione totius suae peregrinationis*, ibi: *Tantum in me.* — In prima parte intelligitur *delectabilium carentia;* in secunda, *tristabilium praesentia;* in tertia, *utriusque perseverantia.* — Amplius, trimetro describitur hoc alphabetum et litteris triplicatis, quia hoc alphabetum refertur ad tertiam Ecclesiae tribulationem, quae est prosperitatis, divitiarum, deliciarum et honorum. — Amplius, hic expresse deploratur passio Salvatoris, cuius una consistit tantum persona in tribus substantiis.

Trimiter.

Gratia dominicae exinanitionis.

2. (Vers. 1.). Aleph. Dicit ergo: *Ego vir videns*, quod, quamvis dici possit in persona Prophetae vel electorum synagogae, melius tamen a sensu Iudaico receditur et *allegoriae* pro sensu historico adhaeretur. Et quia in his tribus clausulis summatim continetur universitas agendorum et credendorum, ideo istis tribus membris *Aleph* praeponitur triplicatum. *Continere* enim *se* ab omnibus, quae in mundo sunt bonis, et *sustinere* quae in mundo abundant mala est *virtutis universitas*, ut dicit Augustinus in tractatu de Continentia et sustinentia[3]; et hoc in duobus primis membris. Amplius, *scire*, qualiter per Christum solum et eius angustias liberatum sit genus humanum, amplectitur *summa credendorum;* et hoc continetur in tertio membro.

Assumtio status egestatis.

Dicit ergo: *Ego*, Christus, purissima trium persona substantiarum[4]; *vir*, a virtute; Ieremias: « Mulier circumdabit virum »; Isaias: « Gradiens in multitudine virtutis suae ». *Videns paupertatem meam*, id est veraciter cognoscens, cum econtra dicatur de multis in Apocalypsi: « Dicis, quia dives sum et locupletatus et nullius egeo: et nescis, quia tu es miser et miserabilis et pauper et nudus et caecus ». — Nota, quod Christus habuit paupertatem *mortalitatis* vel assumtae infirmitatis; Psalmus[5]: « Simul in unum dives et pauper ». *Egestatis*, et hoc tripliciter: *mundum ingrediens;* Lucas: « Pannis eum involvit et reclinavit in praesepio »; *progrediens;* Matthaeus: « Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet »; Marcus: « Circumspectis omnibus, cum iam vespera esset hora, exiit in Bethaniam »; *egrediens;* Psalmus: « Infirmata est in paupertate virtus mea, et ossa mea » etc. *Singularitatis*[6]; Psalmus: « Singulariter sum ego, donec transeam »; Zacharias: « Ecce, rex tuus veniet tibi iustus et salvator, ipse pauper et ascendens super asinum ». *In virga indignationis eius; indignatio* Dei, voluntas puniendi; *virga* autem ipsa poena, quam tulit Christus, ut salvaretur genus humanum; Isaias: « Propter scelus populi mei percussi eum ». « Vulneratus est propter iniquitates nostras ».

Sensus moralis.

Vel *moraliter* exponi potest de quocumque iusto, qui per tribulationem divinitus immissam recognoscit infirmitatem et virtutis suae parvitatem; Ecclesiasticus[7]: « Infirmitas gravis sobriam facit animam ».

Item, status anxietatis.

3. (Vers. 2.). Sequitur: Aleph. *Me minavit et adduxit; minare*, hoc est ducere; *in tenebras*, adversitatis et abiectionis; Isaias[8]: « Absconditus est vultus eius et despectus; unde nec reputavimus eum »; *minavit*, quia in humilitate mundum pertransiit; *et adduxit in tenebras*, quia tribulationum tolerantiam in cruce consummavit; *et non in lucem*, prosperitatis vel affluentiae temporalis; Ioannes: « Venit princeps mundi huius et in me non habet quidquam ». Glossa, ibi: « Noluit Dominus habere quod perderet; pauper venit, ne haberet diabolus quod auferret ». Sed « lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt », quia ad nullum eum peccatum inclinare potuerunt.

Item, continuatio suae peregrinationis.

4. (Vers. 3.). Item, pro tertio sequitur: Aleph. *Tantum in me*, id est Christum pro mea redemptione; *vertit et convertit manum suam*, id est iustitiam suam, flagellando pro humani generis redemptione. Ideo dicit: *Tantum in me*, quia nulla ei cooperata est creatura in redimendo; Isaias[9]: « Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum ». *Vertit*, inquit, *et convertit; vertit*, flagellando, *convertit*, aliis in hoc parcendo et subveniendo; *tota die*, peregrinationis Christi in terris, sicut ibi[10] accipitur *dies:* « Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est ». Istud etiam de Christo ratione

---

[1] Vers. 19; pars incidens incipit v. 43.
[2] Vers. 3, 7.
[3] Sive Serm. 38. (alias 243. de Temp.) c. 1. n. 1.
[4] Codd. legunt *Christus purissima et persona substantiarum*, Vat. *Christus purissima et trium persona substantiarum.* Pro corrupto textu aliquatenus emendando expunximus *et* post *purissima.* — Sequuntur Ier. 31, 22; Isai. 63, 1; Apoc. 3, 17.
[5] Psalm. 48, 3; sequuntur Luc. 2, 7; Matth. 8, 20; Marc. 11, 11; Ps. 30, 11.
[6] Vat. et A *Familiaritatis.* — Sequuntur Ps. 140, 10; Zach. 9, 9, et infra Isai. 53, 8. 5.
[7] Cap. 31, 2.
[8] Cap. 53, 3; deinde Ioan. 14, 30. Citata Glossa est *ordinaria* apud Lyranum. — Sequitur Ioan. 1, 5.
[9] Cap. 63, 3.
[10] Ioan. 9, 4; deinde Amos 3, 2. et II. Tim. 3, 12.

membrorum exponi potest, in quos tantum *manum vertit* castigando et *convertit* miserendo; in quosdam malos reprobos *vertit manum* flagellando, sed non *convertit*, in morte potius aggravando; Amos: « Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terrae; idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras »; Apostolus: « Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur » etc.

5. (Vers. 4.). Beth. *Vetustam.* Postquam notificavit summatim Christi exinanitionem, hic subdit *compendiosam quandam eius explicationem.* Et primo manifestat *passionis suae necessitatem;* quod pertinet ad tertium versum praemissum: *Tantum in me* etc.; secundo notificat *passionis suae multiplicem acerbitatem: Aedificavit in gyro;* tertio, *eius consummationem: In tenebrosis.* Necessitas autem dominicae passionis fuit ex hoc, quia « omnes alii declinaverunt, simul inutiles facti sunt [1] », sicut ostendit in triplici differentia hominum: quantum ad *statum laicorum*, qui per *pellem*, quae exterius est, intelligitur; quantum ad *statum clericorum*, qui interius sunt et per *carnem* designantur; et quantum ad *statum Apostolorum et praedicatorum*, qui per *ossa* figurantur.

Compendiosa exinanitionis descriptio per tria.

Passionis necessitas.

Dicit ergo: Beth. *Vetustam,* quasi dicat: non miremini, si « tantum in me vertit » etc., quia *vetustam fecit*, id est, fieri permisit, *pellem meam*, id est pellem meam vetustam et rugis peccatorum deformem, quae vetustas deponenda est; ad Colossenses [2]: « Exuentes veterem hominem cum actibus suis »; Leviticus: « Detracta pelle hostiae, artus in frusta concident »; Iob: « Cutis mea aruit et contracta est ». Gregorius: « In sanctae Ecclesiae corpore qui solis exterioribus curis inserviunt *cutis* congrue nominantur ». Solent etiam per *pellem* nobiliora membra Ecclesiae designari, sicut *Martyres*, qui significantur per *pelles arietum rubricatas*, quibus operiebatur tabernaculum, ut patet in Exodo [3]: « Facies operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis ». Item, *Confessores* significantur per *pelles hyacinthinas*, de quibus eodem capitulo: « Et super hoc rursum aliud operimentum de hyacinthinis pellibus », quia poena extenuantur; dicitur in Canticis: « Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis ». Item, *sanctae mulieres* Domino exteriora necessaria ministrantes; Iob: « Pelli meae, consumtis carnibus, adhaesit os meum ». Ubi *os*, Christus; et *carnes*, disciplui; *pelles*, sanctae mulieres exteriora necessaria ministrantes. Cum enim ad horam crucis ventum est, fugerunt discipuli, solae mulieres adhaeserunt, sicut exponit Gregorius [4]. — *Et carnem meam*, hic per *carnem* clerici intelliguntur; Iob: « Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris », *putredine* carnalitatis et *pulvere* vanitatis. — Haec etiam pars versus: *Vetustam* etc., ad litteram exponi posset de Christo, qui pro laboris vehementia longe videbatur senior, quam erat; in Ioanne [5]: « Quinquaginta annos nondum habes et Abraham vidisti »? — *Contrivit*, id est, conteri permisit, *ossa mea*, id est membra Ecclesiae electiora, scilicet Apostolos, qui omnes tempore passionis, relicto eo, fugerunt; nimirum dicitur in Proverbiis: « Spiritus tristis exsiccat ossa »; ipsi autem fuerunt multum tristati. Isti ergo sibi pro redemptione non sufficiunt, quia « omnes declinaverunt usque ad unum », id est Christum.

De pelle.

De carne.

De ossibus.

6. (Vers. 5.). Sequitur pro *passionis acerbitate et multiplicitate:* Beth. *Aedificavit in gyro meo*, id est, aedificari permisit Iudaeos continue observantes, tandem cum laqueis comprehendentes; Psalmus [6]: « Circumdederunt me sicut apes »; Cantica: « Filii matris meae » etc. Quod etiam Ecclesiae convenit, quae in gyro circumdatur, dum a tyrannis, haereticis et hypocritis impugnatur. *Circumdedit me felle*, id est materia tristitiae in multitudine malorum displicentium; *et labore*, corporali, ad litteram, vexatione; quod etiam convenit Ecclesiae, et hoc de Christo intelligitur.

Item acerbitas.

7. (Vers. 6.). Pro *morte* vero sequitur: Beth. *In tenebrosis*, id est in sepulcro, *collocavit me quasi mortuos sempiternos*, id est, quasi nunquam essem surrecturus a morte; Baruch [7]: « Deputatus es cum descendentibus in infernum »; Psalmus: « Collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi ». — His tribus sententiis praeponitur *Beth*, quod interpretatur confusio vel domus; quoniam synagoga, quae domus erat Dei, tripliciter Christo iniuriata est: et viventem deserendo, quod intelligitur in primo; et morti eum tradendo, quod in secundo; et contra resurrectionem conando, quod in tertio designatur.

Item, consummatio.

8. (Vers. 7.). Ghimel. *Circumaedificavit.* Post dominicae passionis compendiosam praelibationem hic subdit *eiusdem passionis expletionem:* primo, quantum ad *praecedentia crucifixionem;* secundo, quantum ad *crucis passionem: Semitas meas subvertit* [8]*;* tertio, quantum ad *discipulorum desperationem: Et fregit ad numerum.* — Antecedentia passionem tria tangit, scilicet *Iudaeorum machinationem*, *Christi agonizantis orationem*, *Christi comprehensionem et vinculationem.* Sic *resolutorie* tangit ultimum primo, secundum secundo, primum ultimo versu.

Series dominicae passionis per tria.

Antecedentia passionis tria.

Dicit ergo pro primo: Ghimel. *Circumaedificavit adversum me*, intellige permissive; *circumaedificavit*, inquam, quantum ad falsos testes *circumdantes; ut non egrediar*, de manibus Pilati illaesus. « Multi enim surrexerunt falsi testes, quorum non erant convenientia testimonia », ut dicitur in Marco [9]. Vel ad sepulcri custodiam hoc posset referri, quia fecerunt sepulcrum custodiri. *Aggravavit compedem meum;* compedes proprie sunt vincula pedum; hic accipitur pro vinculis, quibus ligatus est Iesus a comprehensoribus; Ioannes [10]: « Ministri Iudaeorum comprehenderunt Iesum et ligaverunt eum »; unde in Psalmo: « Humiliaverunt in compedibus pedes eius, ferrum » etc. Sed Pilatus vincula aggravavit, quia vinctum flagellavit; Ioannes: « Tunc apprehendit Pilatus Iesum et flagellavit ».

Christi comprehensio.

*Mystice:* Sunt compedes *fugiendi*, scilicet peccata mentem ad Dominum tendentem impedientia; Psalmus [11]:

Sensus mysticus.

[1] Psalm. 13, 3.
[2] Cap. 3, 9. seq.; deinde Levit. 1, 6; Iob 7, 5. Locus Gregor. est VIII. Moral. c. 10. n. 24.
[3] Cap. 26, 14; seq. locus ibid. Pro *hyacinthinis* Vulgata *ianthinis*. Sequuntur Cant. 1, 4; Iob 19, 20.
[4] Libr. XIV. Moral. c. 49. n. 57. — Sequitur Iob 7, 5.
[5] Cap. 8, 57; sequuntur Prov. 17, 22; Ps. 13, 3.
[6] Psalm. 117, 12; deinde Cant. 1, 5.
[7] Cap. 3, 11; sequitur Ps. 142, 3.
[8] Infra v. 9; tertia pars incipit v. 16. — Infra de voce *vinculatio* vide Du Cange, Glossarium etc.
[9] Cap. 14, 56.
[10] Cap. 18, 12; deinde Ps. 104, 18; Ioan. 19, 1.
[11] Psalm. 145, 7; sequuntur Ier. 39, 7; Ps. 101, 21; Ps. 149, 8; Eccli. 6, 25. — Supra fide B substituimus *peccata mentem ad Dominum tendentem impedientia* pro *peccati impedimenta*.

« Dominus enim solvit compeditos »; Ieremias: « Vinxit eum compedibus, ut duceret in Babylonem ». *Sustinendi*, poenae et tribulationes; Psalmus: « Ut audiret gemitus compeditorum et solveret filios interemptorum ». *Suscipiendi*, praeceptorum et consiliorum obligationes; Psalmus: « Ad alligandos reges eorum in compedibus ». *Desiderandi*, dona gratiae restringentis a malo; Ecclesiasticus: « Iniice pedem tuum in compedes illius et in torques illius collum tuum ».

Christi agonizantis oratio.

9. (Vers. 8.). Pro secundo sequitur: Ghimel. *Sed et cum clamavero*, in oratione, *et rogavero;* Matthaeus[1]: « Mi Pater, si possibile est, transeat a me calix iste »; *excludit orationem meam*, id est non exaudit, in hoc docens, quod non debemus admirari, si non exaudimur in omnibus, quae a Domino postulamus, vel quia rem petimus irrationabilem, vel quia non bene petimus.

Iudaeorum machinatio triplex.

10. (Vers. 9.). Pro tertio, scilicet *Iudaeorum machinatione*, sequitur: Ghimel. *Conclusit.* Quam machinationem triplicem ostendit; observaverunt enim primo Iudaei *vitam* Christi, observaverunt *doctrinam* Christi, tertio machinati sunt ad *mortem* Christi. Primum significat dicens: *Conclusit vias;* pro secundo: *Semitas meas;* pro tertio: *Ursus insidians.*

Observatio vitae Christi.

Dicit ergo: *Conclusit vias meas,* id est opera mea, *lapidibus quadris*, scribis scilicet et Pharisaeis, qui *lapides* erant propter quandam vitae austeritatem, et *quadri* propter quandam superstitionis dolaturam. Vel, *lapides* per cordis malignitatem, *quadri* per adiunctam potestatem; vel, *quadri* propter interrogationum calliditatem, cum cornutis sophismatibus, quae ex omni parte videbantur concludere, Christum capere nisi sunt in sermone; Matthaeus[2]: « Mittunt discipulos suos », scilicet Pharisaei, « cum Herodianis dicentes: Magister, scimus, quia verax es » etc. — *Semitas meas*, id est doctrinam consiliorum meorum, *subvertit*, id est, in multis subverti permisit, sicut in illis qui « abierunt retro », Ioannis sexto. Amplius, cum persuaderet contemptum mundi, subiungitur in Luca: « Audiebant haec omnia Pharisaei, qui erant avari, et deridebant illum ». — Vel si de *corpore* intelligitur, *lapides* sunt peccata homines impedientia, pondera deorsum trahentia; Zacharias[3]: « Iniquitas sedet super talentum plumbi »; quia *quadratura* significat immobilitatem peccati; Ioannes: « Lazarus enim quatriduanus erat ». *Semitas subvertit*, id est consilia, per haereticos verba Evangelii enervantes. — His tribus praeponitur littera *Ghimel*, quod interpretatur plenitudo, quia in his tribus consistit virtutis perfectio: in sufferendo hominum machinationes, Dei dispositiones et ex his duobus consequentes tribulationes.

Item, doctrinae.

Item, machinatio mortis.

11. (Vers. 10.). Daleth. *Ursus.* Hic describitur *Iudaeorum machinatio in mortem Christi.* Dicit ergo: Daleth: *Ursus insidians*, intellige semper permissive, *factus est mihi leo in absconditis;* in *urso* atrocitas, in *leone* animositas intelligitur Iudaeorum; Psalmus[4]: « Salva me de ore leonis et a cornibus unicornium humilitatem meam »; alibi: « Aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens et rugiens ». Hoc factum est, cum dixerunt: « Reus est mortis; crucifige, crucifige eum ».

Ipsa crucifixio.

12. (Vers. 11.). *Semitas;* hic describit *ipsam crucifixionem* ordine resolutorio, primo ut vitae *interemptivam;* secundo, ut *afflictivam*, ibi: *Et confregit me.*

Vitae interemptiva.

Dicit ergo: Daleth. *Semitas meas*, id est peregrinationis meae labores rectos et arctos ut semitas; *subvertit*, non merita evacuando, sed tempus meriti morte praescindendo. Vel, illud refertur ad corpus. — Amplius, eandem ut *afflictivam* describit postea quantum ad *corporis laesionem: Et confregit;* secundo, quantum ad *cordis desolationem*, ibi: *Posuit me* quasi *desolatam;* tertio, quantum ad *corporis totius ignominiosam suspensionem*, ibi: *Tetendit arcum;* quarto, quantum ad *omnimodam afflictionem: Misit in renibus;* quinto, quantum ad *ignominiosam irrisionem: Factus sum in derisum;* sexto, quantum ad *omnium sensuum turbationem* et praecipue *aceti potationem: Replevit me.* — Dicit ergo: *Et confregit me*, per vulnera corporis mei; Psalmus[5]: « Foderunt manus meas et pedes meos »; *posuit me desolatam*, cum dixit: « Tristis est anima mea usque ad mortem ». — Cum supra dixerit in principio versus capituli: *Ego vir videns*, hoc sexu; nullo alio interposito, subdit *femininum*, ut ostendat, hoc accidisse Christo secundum infirmiorem sui naturam, quam ut sponsam sibi Dei Filius copulavit. Vel certe, illud intelligendum est ad Ecclesiam pertinere, secundum regulam Tychonii[6], qua a capite transitur ad corpus, ut iam patebit.

Afflictiva sex modis.

Corporis laesio.

Cordis desolatio.

Corporis suspensio.

13. (Vers. 12.). Sed pro ipsa *corporis dominici suspensione* subdit: Daleth. *Tetendit arcum suum*, id est complevit iudicium suum, ubi passio humanitatis quasi rigore vel iustitiae vel rectitudinis iustae inflexit severitatem Divinitatis. *Et posuit me quasi signum*, ad litteram, stipiti affixum; *ad sagittam*, quod et patuit, quando « unus militum lancea latus eius aperuit[7] ».

Huic triplici clausulae praeponitur littera *Daleth*, quae interpretatur tabulae vel tabulatum, pauper, vel ianua; sic Christus voluit insidiis deprehendi, ut doceret simplicitatem; voluit vulnerari, ut doceret asperitatem; voluit ludibrio suspensus exponi, ut doceret humilitatem: primum contra curiositatem, secundum contra carnalitatem, tertium contra elationem. Et in his tribus tabulatum et legis consummatio, in his paupertatis perfectio, in his etiam regni caelestis ianua et ingressus.

Omnimoda afflictio.

14. (Vers. 13.). He. *Misit in renibus.* Ecce, *generalis Christi afflictio. In renibus* Christi incarnatio eius intelligitur, sicut in Ezechiele[8]: « Et atramentarium scriptoris ad renes eius »; et: « A lumbis eius usque ad deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu » etc.; ibi enim, secundum Gregorium, dominica incarnatio intelligitur. *Pharetra*, omnis amaritudinis contentiva, *synagoga* intelligitur, cuius *sagittae* seu *filiae* fuerunt sputa, colaphi, convicia, plagae et consimilia; Ieremias[9]: « Sagitta vulnerans lingua eorum ».

---

[1] Cap. 26, 39.
[2] Cap. 22, 16; sequuntur Ioan. 6, 67; Luc. 16, 14.
[3] Cap. 5, 7; deinde Ioan. 11, 39.
[4] Psalm. 21, 22; deinde Ibid. v. 14. ac Matth. 26, 66; Luc. 23, 21.
[5] Psalm. 21, 17; sequitur Matth. 26, 38.
[6] Vat. falso *Ciceronis;* corrupte A *Citonii,* B *Cetonii.* Cfr. de hoc auctore August., III. de Doctrina christ. c. 30. n. 42: Tychonius quidam, qui contra Donatistas invictissime scripsit ... fecit librum, quem *Regularum* vocavit, quia in eo quasdam septem regulas executus est, quibus quasi clavibus divinarum Scripturarum aperirentur occulta, quarum primam ponit *de Domino et eius corpore* etc.
[7] Ioan. 19, 34. — Infra pro *tabularum* cum A B substituimus *tabulatum*, et deinde *ianua; sic Christus* pro *advena Christus.*
[8] Cap. 9, 2; 1, 27. — Sententia Gregorii habetur I. in Ezech. homil. 8. n. 26.
[9] Cap. 9, 8.

Ignominiosa irrisio.

15. (Vers. 14.). Pro *ignominia irrisionis* sequitur: He. *Factus sum in derisum omni populo.* Ieremias [1]: « Factus sum in derisum tota die »; in quo omnis subsannatio et illusio intelligitur, qua Iudaei Christo illudebant. — Et nota, quod irriserunt Christum triplici ratione: in *miraculis* quasi *ignorantem;* Matthaeus: « Non est mortua puella, sed dormit; et deridebant eum »; Lucas: « Deridebant eum scientes, quia mortua est ». In *consiliis* quasi *imprudentem;* Lucas: « Audiebant hoc Pharisaei, qui erant avari, et deridebant illum ». In *passione crucis* quasi *impotentem;* Lucas [2]: « Et deridebant illum principes cum eis dicentes: Alios salvos fecit, se salvum faciat ». — *Canticum eorum,* id est laetitia et gaudium; *tota die,* crucifixionis; Iob: « Nunc in eorum canticum versus sum et factus sum eis in proverbium ».

Nota.

Omnium sensuum perturbatio.

16. (Vers. 15.). Pro *omnium sensuum afflictione* subditur: He. *Replevit me amaritudinibus:* in visu occurrebant inimici insultantes, in auditu blasphemiae et irritationes, in tactu amaritudo vulnerum, in olfactu foetor loci interfectorum; et ne quid deesset, in gustu, *inebriavit me absinthio,* id est inebriari seu potari permisit absinthio; Matthaeus [3]: « Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum »; Psalmus: « Dederunt in escam meam fel » etc. — His tribus clausulis praeponitur littera *He,* quae interpretatur *ista,* aut *vivere,* vel *esse:* quia ista tria, scilicet iniuriae Christo illatae, ignominiae et angustiae sunt nobis causa vitae et veri *esse* gratiae.

Sensus moralis.

17. *Moraliter* ab illo loco: *Ursus insidians* etc.: Vox est cuiuslibet iusti, considerantis mala mundi, ubi quaedam inferuntur per *fraudulentiam* et significantur per *ursi* insidias; quaedam per *violentiam* et significantur per *leonem.* Amplius, per *ursum,* qui debilis est in capite, fortis in brachiis, fortior in lumbis, significatur *diabolus,* qui in principio est debilis et in fine invincibilis; Iob [4]: « Fortitudo eius in lumbis eius ». De leone dicitur, quod parvulum et humiliatum non laedit; propter quod David, veraciter humilis, leonem et ursum interemit; primo Regum: « Pascebat servus tuus gregem patris sui, et veniebat leo vel ursus et tollebat arietem de medio gregis ». Vel, in urso *voracitas,* in leone *superbia,* quae multos implicant. *Semitas subvertit,* quia per ursum et leonem clericorum vitam dissipari permittit. *Confregit,* quia virtutem mentis enervari permisit; Isaias [5]: « Posuisti ut terram corpus tuum et quasi viam transeuntibus »; Proverbia: « Dicit piger: Leo est in via et leaena in itineribus. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo ». *Posuit me desolatam,* sine solatio praelatorum; supra primo: « Non est qui consoletur eam ». *Tetendit arcum suum,* id est severitatem iudicii. *Posuit me quasi signum ad sagittam* etc., quia omnis creatura in iudicio clamabit contra impios.

De discipulorum desperatione quatuor.

18. (Vers. 16.). Vau. *Et fregit ad numerum.* Hic tertio subdit *discipulorum desperationem* factam in passione, et iuxta hoc incidenter quatuor in universo tangit, scilicet primo *desperationem;* secundo, *latronis conversionem: Cibavit me cinere;* tertio, *Iudaeorum ingratitudinem: Et repulsa;* quarto, *ipsorum reprobationem: Et dixi: Periit.*

Dicit ergo: *Et fregit,* id est confringi permisit; *ad numerum,* id est unum post alium; *dentes meos,* id est Apostolos, quibus quasi dentibus peccatores erant in corpus Ecclesiae convertendi; Cantica [6]: « Dentes tui, quasi grex tonsarum, quae ascenderunt de lavacro ». Hi *confracti* sunt, quando Dominum reliquerunt ad propria revertentes, ubi tantum fuit Ioannes ultimus in deserendo; Marcus: « Adolescens quidam sequebatur eum, amictus sindone super nudo » etc.; et cito rediit; Ioannes: « Stabant iuxta crucem Iesu Mater » etc. — Sed pro *conversione latronis* sequitur: *Cibavit me cinere,* id est unico latrone converso in cruce. Cum enim peccatum sit quasi ignis devorans, cuius residuum est cinis; quid aliud peccator vitam in peccato agens et in fine poenitens nisi cinis ab igne effugiens? Hic est corvus, qui in torrente pavit Eliam, id est Christum, sicut legitur tertio Regum [7]. Vel, in *cinere,* amaritudo passionis, quae tamen Christo secundum caritatem fuit delectabilis, in quantum ad redemptionem humani generis ordinata.

Primum.

Secundum.

*Moraliter: Religiosi,* dentes candidi, robusti, carnem non habentes, corio [8] carentes, nihil intra se patientes, acerbissime dolentes, clausi labiis, invisibiles nisi in risu, toti corpori masticantes, nullum saporem inde retinentes.

Sensus moralis.

19. (Vers. 17.). Pro tertio sequitur: *Vau. Et repulsa est a pace anima mea.* Hic tangit tertio, ut dictum est, *Iudaeorum ingratitudinem. Anima mea,* id est Iudaei, quos sicut animam diligebam; Psalmus [9]: « Quia longe a peccatoribus salus »; *oblitus sum bonorum,* quae eis facere consueveram; supra: « Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem et Sabbatum ». Vel, *oblitus est bonorum,* quantum ad reputationem hominum.

Tertium.

20. (Vers. 18.). Vau. *Et dixi: Periit finis meus,* non simpliciter, sed quantum ad illos qui dixerunt [10]: « Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere ». Vel, *periit finis meus,* quantum ad Iudaeorum reprobationem; *finis,* qui videbatur principaliter intentus, quantum a foris apparebat, de conversione Iudaeorum; Matthaeus: « Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel ». *Et spes mea,* quam acceperam in ipsis, *a Domino;* Genesis [11]: « Salutare tuum exspectabo, Domine »; sicut *iustitia* Dei dicitur, vel quia ipse iustus est, vel eius causa est. Vel, verba sunt Iudaeae in bonis multitudinis reprobationem his verbis deplorantis. — Huic triplici versiculo praeponitur littera *Vau* triplex, quae interpretatur *non est ille,* quia non est Christus nec aliquid Christi, qui deserit Christum. Et quia Apostoli tunc corruerunt, Iudaei crucifixerunt, propter quod merito reprobati sunt, recte *Vau* his tribus versibus praemittitur.

Quartum.

Secunda invitat electos ad compassionem.

21. (Vers. 19.). Zain. *Recordare.* Haec est secunda pars capituli, in qua post descriptam Christi passionem invitat *electos ad compassionem.* Et in hac parte dramatice

---

[1] Cap. 20, 8; sequuntur Matth. 9, 24; Luc. 8, 52. 53; ibid. 16, 14.

[2] Cap. 23, 35; deinde Iob 30, 9.

[3] Cap. 27, 34; deinde Ps. 68, 22.

[4] Cap. 40, 11; sequitur I. Reg. 17, 34.

[5] Cap. 51, 23; deinde Prov. 26, 13. 14; Thren. 1, 2.

[6] Cap. 4, 2; sequuntur Marc. 14, 51. (cfr. v. 50.); Ioan. 19, 25.

[7] Cap. 17, 6.

[8] Codd. post *corio* addunt *tanio* (?), quod sensu carere videtur [apud Du Cange, Glossarium etc., *tanium* est molendipum ad tanium, Gallice Moulin de tan!!] — Eaedem dentium proprietates recensentur et religiosis adaptantur apud Bernard., Serm. 93. de Divers. et Card. Hug. in hunc locum; cfr. supra pag. 624, nota 9.

[9] Psalm. 118, 155; deinde Thren. 2, 6.

[10] Luc. 23, 35; sequitur Matth. 15, 24.

[11] Cap. 49, 18. — Interpretatio ista litterae *Vau* sumta est ex Glossa *ordinaria* in hunc locum, quae est Paschasii.

procedit, sicut in Canticis Canticorum varias personas introducendo, sibi colloquentes sine interceptione vocis Prophetae. Hoc enim genus poematis *dramaticum* appellatur, sicut *prosopologicum,* quando solus poeta loquitur, sicut ibi[1]: « Mulierem fortem »; tertium vero, quando sic et sic, sicut in Iob. — *Divisio.* Primo ergo introducitur *vox Christi* ad compassionem invitantis; secundo, *vox Ecclesiae* ei respondentis, ibi: *Memoria memor;* tertio, *vox eiusdem* membra sua alloquentis et de poenitentia admonentis, ibi: *Misericordiae Domini.*

*Vox Christi.* Dicit ergo pro primo: *Zain. Recordare,* tu quicumque modo redemptus meo sanguine; *paupertatis meae,* quantum ad contemptum omnium temporalium bonorum, quia Christus pauperrimus fuit in ingressu, in progressu, in egressu a mundo. *Et transgressionis,* quantum ad sufferentiam omnium malorum, ubi *transgressio* accipitur causaliter pro poena transgressionis, quam Christus sustinuit, sicut dicitur *maledictus,* quasi malo poenae pro nobis addictus et maledicto poenae; ad Galatas[2]: « Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum »; sicut etiam Christus dicitur *peccatum;* secunda ad Corinthios: « Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso ». Vel aliter: *transgressio* eius, infima humiliatio ad despectissima tormenta, quia una stilla sanguinis sui nos potuisset liberasse; Lucas: « Erant Moyses et Elias, visi in maiestate; et dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem ». *Et absinthii,* quo nihil amarius in terrae nascentibus; *et fellis,* quo nihil amarius in animantibus. Hoc potest referri ad id quod dicitur in Matthaeo[3]: « Dederunt ei bibere vinum cum felle mixtum »; Marcus: « Dabant ei bibere myrrhatum vinum ». *Paupertas* contra avaritiam, *transgressio* contra superbiam, *absinthium* contra luxuriam. Vel, potest notari in *transgressione* iniuria personae, in *absinthio* afflictio carnis tenerae, in *felle* tristitia mentis de hominum ingratitudine.

*Vox Ecclesiae.* 22. (Vers. 20.). Zain. *Memoria.* Ecce, responsio Ecclesiae, vel viri sancti. *Memoria memor ero,* id est assidue memor ero; *et tabescet,* prae confusione, *anima mea;* Psalmus[4]: « Tabescere me fecit zelus meus ». Proprie *tabescit* qui nimio languore ad maciem venit; *tabescere* ergo est vera sui cognitione sibi vilescere. Vel, istud potest referri ad vitam animalem, quae per *animam* solet significari; Matthaeus: « Qui voluerit animam suam salvam facere perdet eam ». Tabescit ergo anima ex dominicae passionis memoria, quando sensualitas affligitur labore et abstinentia. Istud autem nullo modo referri potest ad synagogam sine extorsione. Volunt enim, primum verbum *recordare* etc., esse verbum synagogae Dei misericordiam implorantis; secundum vero, etiam eiusdem synagogae verbum ad beneficia Dei recogitanda sese convertentis. Istud quam sit absonum, ultro patet.

23. (Vers. 21.). Zain. *Haec recolens* — non potest ibi esse *hoc* singulariter[5] secundum ordinem alphabeti, quia in Hebraeo ibi ponitur *Zain* — tormenta Christi, *in corde meo, ideo sperabo;* textus non est ibi: *in Deo,* sed *ideo sperabo;* contra hoc quod paulo ante dixit: « Periit finis meus et spes mea »; ad Romanos: « Proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit »? — Huic triplici clausulae praemittitur *Zain* triplicata, quae interpretatur *duc te,* quia in his cogitationibus[6] consistit ducatus christiani hominis.

24. (Vers. 22.). Heth. *Misericordiae Domini.* Hic tertio subditur *vox Ecclesiae membra sua de poenitentia exhortantis.* *Item, vox Ecclesiae.* Propter quod introducitur *divinae pietatis commendatio;* *Divisio in 3 membra.* secundo ex hoc *excluditur desperatio,* ibi: *Quia non repellet in sempiternum;* tertio, *poenitentiae suavis admonitio,* ibi: *Scrutemur.* — Et quia « iustus in principio accusator est sui[7] », *Subdivisio 1.* primo introducitur in persona Ecclesiae *sui accusatio* et *divinorum iudiciorum veneratio;* secundo, *divinae pietatis exspectatio,* ibi: *Pars mea Dominus;* tertio docet *modum in exspectando,* ibi: *Bonus est Dominus sperantibus.* — *Subdivisio 2.* In prima parte ponitur *vox Ecclesiae superna iudicia venerantis* et *se in suis membris accusantis;* deinde, *Dei responsio Ecclesiam commendantis: Novi diluculo.*

*Primo, de divinae pietatis commendatione quoad soi accusationem vox Ecclesiae.* Dicit ergo: *Misericordiae Domini,* opus est, sed « non meriti nostri », Glossa[8] — antiqui habent: « Misericordia Domini » — *quia non sumus consumti,* merito peccatorum nostrorum nullis reliquiis reservatis, vel in nihilum redacti. — Et si quaeris: quare non sumus consumti? ecce, ostendit dicens: *Quia non defecerunt miserationes eius,* quia semper paratus est gratiam exhibere; Psalmus: « Misericordia eius subsequetur me omnibus diebus vitae meae ».

*Responsio Dei.* 25. (Vers. 23.). Heth. Sed subditur *responsio Dei hanc fidem Ecclesiae novellae approbantis* ac dicentis: *Novi diluculo.* Haec littera in antiquis habetur, et exponunt: *novi,* id est, cognovi, cum *novi* non sit hic verbum, sed nomen; unde in Hebraeo est *novelli,* quia iuxta ordinem alphabeti stare non potest, ut sit *novi* pro *cognovi.* Quod exponens Rabanus[9] dicit: « Loquitur Propheta ad primitivam in Ierusalem Ecclesiam, quae post diluculum rememorationis Christi veterem hominem exuens, novi hominis pulcritudinem ortu suo declarabat ». Haec Rabanus. *Multa est fides tua,* id est multum devota, qua iudiciorum aequitatem et pietatem Dei recognoscis.

*Quoad divinae pietatis exspectationem.* 26. (Vers. 24.). Heth. *Pars mea;* ecce, post divinorum iudiciorum venerationem *erigit ad pietatis exspectationem.* Dicit ergo: *Pars mea Dominus;* dixit autem *mea,* omnibus aliis spretis, et est verbum clericorum, qui in receptione ordinum dicunt: « Dominus pars hereditatis meae[10] »; *propterea,* quia illi soli adhaereo, *exspectabo eum,* consolatorem; Psalmus: « Exspectabam eum qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus » etc. — Huic triplici sententiae praemittitur littera *Heth,* quae interpretatur *vita* vel *pavor,* quia in hoc consistit vitae spiritualis

[1] Respicitur Prov. 31, 10.
[2] Cap. 3, 13; deinde II. Cor. 5, 21; Luc. 9, 30. 31.
[3] Cap. 27, 34; Marc. 15, 23.
[4] Psalm. 118, 139; sequitur Matth. 16, 25.
[5] Codd. male *pluraliter;* et pro *Zain* B *Zeth,* A *Zoth* (!). Sed verba: *secundum ordinem alphabeti* obscura sunt, quia vocabuli Hebraei tum singularis tum pluralis idem est initium. — Sequitur Rom. 8, 32.
[6] Codd. *erogationibus.*
[7] Prov. 18, 17.
[8] *Interlinearis* apud Lyranum. Sequitur Ps. 22, 6.
[9] Libr. cit. in hunc loc. — Supra pro *in antiquis* A *in multis,* et constanter habet *Nove* (novae) pro *novi,* etiam post *in Hebraeo est,* ubi B *nova.*
[10] Psalm. 15, 5; cfr. Pontificale Romanum. Sequitur Ps. 54, 9.

initium: in recognoscendo propriam miseriam et Dei misericordiam, et sic promerendo gratiam ulterius ad gratiam aspirare.

Quoad modum in exspectando quadruplicem.

27. (Vers. 25.). Theth. Sequitur: *Bonus est Dominus.* Hic docet *modum huius exspectationis*, quia non debet Dominus exspectari cum ignavia, sed cum *diligentia inquisitionis;* secundo, cum *tranquillitate cordis*, pro qua dicit: *Bonum est praestolari;* tertio, cum *profunditate humilitatis: Ponet in pulvere;* quarto, cum *perfectione patientiae et mansuetudinis*, ibi: *Dabit percutienti.*

Primus modus.

Pro primo dicit: *Bonus est Dominus sperantibus in eum;* Psalmus[1]: « Quam bonus Israel Deus »! *bonus*, inquam, consolando et protegendo; Psalmus: « Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum ». Sed quia cassa est exspectatio, cui non adiungitur quaerendi sollicitudo; sequitur: *Animae quaerenti illum; quaeritur* per *poenitentiam;* Isaias[2]: « Si quaeritis, quaerite; convertimini et vivite »; et similiter: « Quaerite Dominum, dum inveniri potest ». Item, per *contemplationis diligentiam;* Canticum: « In lectulo meo per noctes quaesivi quem diligit anima mea ».

Secundus, de quo duo.

28. (Vers. 26.). Theth. *Bonum est.* Ecce, secundum, ubi docet quaerere Dominum cum *tranquillitate cordis*, ubi primó *commendat ipsam tranquillitatem;* secundo *docet obtinere tranquillitatis facilitatem*, ibi: *Bonum est viro.* — Dicit ergo: *Theth. Bonum est praestolari cum silentio*, id est cum tranquillitate animi, ubi *silentium* praecipue exigitur; Apocalypsis[3]: « Factum est silentium in caelo quasi media hora »; Bernardus: « Brevis mora, felix hora ». Ergo *cum silentio*, id est sine tumultu cogitationum; *salutare Domini*, id est Dominum salutem promittentem; vel, *salutare Domini* Christus est; Genesis[4]: « Salutare tuum exspectabo, Domine ». Istud autem, ut dicit Rabanus, « nemo perfecte agere valet, nisi qui se a mundi concupiscentiis et saeculi negotiis sequestrat ».

Commendatio tranquillitatis.

Tranquillitatis facilitas docetur.

29. (Vers. 27.). Theth. Ideo subdit: *Bonum est viro*, in virtute exercitato, *cum portaverit iugum*, disciplinae evangelicae; Matthaeus[5]: « Tollite iugum meum super vos et discite » etc.; *ab adolescentia sua;* Proverbia: « Proverbium est: Adolescens iuxta viam suam gradiens, etiam cum senuerit, non recedet ab ea ». Quasi dicat: tali facile est cum silentio Dominum exspectare. — Huic triplici sententiae praeponitur littera *Theth* et interpretatur *bonum*, quia *aeterna quaerere*, ut docet primus versus; *fugere mundi inquietudinem*, ut docet secundus; tertio, in his *se longanimiter exercere*, est totum bonum hominis in hac vita.

30. (Vers. 28.). Sequitur: Iod. *Sedebit solitarius*, in solitudine eremi; vel aliter, *solitarius* idem est, quod Graece monachus. In *sessione* amor abiectionis, in *solitario* fuga implicationis, *et tacebit* a tumultu cogitationis; Isaias[6]: « In silentio et spe erit fortitudo vestra »; *quia levavit se*, id est intima sua desideria et studia, *supra se*, solis rebus aeternis inhaerendo, non carnalia meditando. *Levavit* ergo *se supra se*, non in essendo, sed in agendo.

Tertius.

31. (Vers. 29.). Iod. *Ponet;* ecce, tertium huic exspectationi necessarium, scilicet *profunditas humilitatis*, unde dicit: *Ponet in pulvere os suum.* Unde Rabanus[7]: « Ille os suum in pulvere ponit, qui, humiliter sentiens, fragilem se cognoscit »; vel, terram ad litteram osculando; Genesis: « Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis ». *Si forte sit spes*, vitae aeternae obtinendae, vel si forte obtineatur quod speratur; Psalmus: « Speraverunt, et liberasti eos ».

Quartus.

32. (Vers. 30.). Iod. *Dabit percutienti.* Ecce, quartum huic exspectationi necessarium, *perfectio* scilicet *patientiae et mansuetudinis. Dabit*, qui huiusmodi est Domini exspectator et miseriae suae cognitor, *percutienti se maxillam*, per patientiae perfectionem, paratus talia sustinere pro Christo, iuxta illud Matthaei[8]: « Si quis percusserit te in dexteram maxillam, praebe illi et alteram ». Hoc Christus exemplum dedit, qui ante crucifixionem suam multas alapas et colaphos sustinuit. *Saturabitur opprobriis*, id est, delectabitur quasi in saturitate in multis opprobriis sustinendis; Psalmus: « Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me ». — Huic sententiae praeponitur littera *Iod*, quae interpretatur *principium*, vel *desolatio*, quia haec triplex desolatio: *taciturnitatis* contra loquacitatem, et *humilitatis* contra gloriam inanem, et *patientiae* in adversis contra carnalitatem, est principium divinae consolationis.

Secundo de exclusione desperationis tria.

33. (Vers. 31.). Caph. *Quia non repellet.* Postquam ad spei elevationem commendavit Christi pietatem, hic, ex hoc inferens, *excludit desperationem*, primo dicens, *iram Dei esse placabilem;* secundo hoc *probat per Dei infinitam benignitatem*, ibi: *Non enim humiliavit;* tertio *arguit incredulorum murmurationem*, ibi: *Quis est iste qui dixit?* — Pro primo dicit: *Caph. Quia non repellet*, id ad superiora refertur, quasi: ita dictum est, quia bonum est praestolari, *quia non repellet*, plebem suam; *in sempiternum Dominus*; Habacuc[9]: « Cum iratus fueris, misericordiae recordaberis ».

De primo.

34. (Vers. 32.). Caph. *Quia, si abiecit*, propter peccata nostra nos repellendo et tribulari permittendo; *et miserebitur*, sicut abiecit; *secundum multitudinem misericordiarum suarum;* Isaias[10]: « Auferet Dominus omnem lacrymam ab omni facie ».

De secundo tripliciter.

35. (Vers. 33.). Caph. *Non enim humiliavit;* ecce, secundum, ubi *manifestat Dei benignitatem* semper parati misericordiam exhibere. Quod ostendit in triplici humano infortunio: quoniam nec ab ipso est *solatii subtractio*, quia paratus est omnes consolari; nec ab ipso *flagelli multiplicatio*, ut dicit ibi: *Ut contereret;* nec ab ipso est tertio *iustitiae subversio: Ut declinaret.*

Primo.

Dicit ergo pro primo: *Non enim;* continuatur litterae immediate praecedenti, quasi dicat: miserebitur. Caph. *Non enim humiliavit*, auferendo gloriam et honorem, servituti diabolicae vel humanae subiiciendo; *ex corde suo*, id est ex sua voluntate, sed nostris provocatus peccatis; Genesis[11]: « Et cordis dolore tactus intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quem creavi ». *Et abiecit filios hominum*, eis suum patrocinium auferendo, immo contrarium ab ipso est; Proverbia: « Deliciae meae esse cum filiis hominum ». — Huic triplici clausulae praeponitur littera triplex *Caph*,

---

[1] Psalm. 72, 1; 118, 65.
[2] Cap. 21, 12; deinde c. 55, 6. et Cant. 3, 1.
[3] Cap. 8, 1. — Verba Bernardi habentur in Cant. Serm. 23. n. 15.
[4] Cap. 49, 18. — Verba Rabani habentur libr. cit. in hunc locum.
[5] Cap. 11, 29; deinde Prov. 22, 6.
[6] Cap. 30, 15.
[7] Libr. cit. in hunc locum. Sequuntur Gen. 18, 27; Ps. 21, 5.
[8] Cap. 5, 39; deinde Ps. 68, 10.
[9] Cap. 3, 2.
[10] Cap. 25, 8.
[11] Cap. 6, 6. 7; deinde Prov. 8, 31.

quae interpretatur *manus*, vel *incurvatio*, quasi dicta incurvatio et abiectio hominis non est nisi ex merito *manuum*, id est operum suorum.

36. (Vers. 34.). Lamed. *Ut contereret;* ecce, quod non
Secundo. est a Deo tribulatio exterminativa miserorum. Dicit ergo: *Ut contereret* etc. Lege sic: *Dominus ignoravit*, quod est in ultimo versu[1], id est, ab eius approbatione vel voluntate antecedente non processit; *Lamed. Ut contereret*, id est, ex toto deleret; *sub pedibus suis*, penitus scilicet deiiciendo, sicut fit de illis qui pedibus conteruntur. *Ut contereret*, inquam, *omnes vinctos terrae*, id est ipsi terrae adhaerentes, quasi: ut mala malis usque ad exterminationem adderentur; Isaias: « Calamum quassatum non conteret et linum fumigans non exstinguet ». Vel aliter: *terrae*, genitive, ut *vincti terrae* intelligantur peccatores.

37. (Vers. 35.). Lamed. *Ut declinaret iudicium*. Re-
Tertio. pete: *Dominus ignoravit, ut declinaret* a rectitudine in obliquum, scilicet *genitivum*, propter illos qui sunt de genere suo; et *dativum*, qui muneribus corrumpuntur; et *accusativum*, propter illos qui odio habentur; et *vocativum*, propter illos quorum gratia vel favor desideratur; et *ablativum*, propter illos quorum bona desiderantur, sicut Achab desideravit vineam Naboth, tertio Regum[2]. Ut ergo sic *declinaret iudicium*, sicut multi faciunt hodie, *viri*, virtuosi, *in conspectu vultus Altissimi;* hoc dicit, quia multi sunt coram hominibus iusti, qui coram Deo sunt iniusti et digni flagellis.

38. (Vers. 36.). Lamed. *Ut perverteret*, id est, contra iustitiam subverteret, *hominem in iudicio suo;* Isaias[3]: « Iudicabit in iustitia pauperes et arguet in aequitate pro mansuetis terrae ». Ipse enim « pervertitur solum cum perverso, et sanctus est cum sancto », sicut dicit Psalmista. — Huic triplici sententiae praeponitur littera *Lamed*, quod interpretatur *disciplina*, quia, quidquid istorum evenit, contritio seu iustitiae subversio disciplina est peccatorum, qua electi purgantur, reprobi condemnantur.

39. (Vers. 37.). Mem. *Quis est iste?* Hic tertio arguit
De tertio duo. *incredulorum murmurationem in flagellis*. Et primo arguit *blasphemantes providentiam Dei;* secundo arguit *mur-*
Contra blasphemantes dupliciter. *murationem temerariam: Quid murmuravit? — Blasphemantes* autem arguit primo *in generali;* secundo *in speciali: Ex ore Altissimi*.

Dicit ergo: *Quis est iste*, tam praesumtuosus, *qui*
In generali. *dixit, ut fieret*, aliquid in mundo isto, vel specialiter tribulatio, *Domino non iubente?* sicut dicunt haeretici, qui dicunt, haec inferiora divinae providentiae minime subiacere; sicut dicunt Manichaei, mala non esse nisi a malo principio, cum econtra dicat Isaias[4]: « Ego Dominus, et non est alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et causans malum ». — Repete: quis est iste qui dixit:

40. (Vers. 38.). Mem. *Ex ore Altissimi*, id est ex
In speciali. providentia Dei, *non egredientur bona*, praecipiendo, *nec mala*, poenae, providendo et permittendo? quasi: stulte
Aliter. dixit, et sic legitur *interrogative*. Alio modo legi potest *depressive*, ut haec murmuratio hic arguatur, non solum in primo versu per comparationem ad Dei providentiam, verum etiam in secundo per comparationem ad Christi patientiam, ut sic dicatur: *Ex ore Altissimi*, Christi, *non egredientur* etc., quia accusantibus nihil respondit; Psalmus[5]: « Ego autem tanquam surdus non audiebam ».

41. (Vers. 39.). Sequitur: Mem. *Quid murmuravit*, quasi: ex quo sic fecit Altissimus, quid murmuravit, *homo* Contra murmurantes.
*vivens*, id est quicumque homo, *vir pro peccatis suis?* excusando ea per constellationes, vel huius planetas. Vel, *pro peccatis*, id est pro poena peccatorum suorum; prima ad Corinthios[6]: « Neque murmuraveritis, sicut quidam ex eis murmuraverunt et a serpentibus perierunt ». — Huic triplici sententiae praemittitur littera triplex *Mem*, quod interpretatur *ex ipsis*, ut supra patet, quia omne flagellum hominis ex ipsis procedit meritis humanis.

42. (Vers. 40.). Nun. *Scrutemur*. Postquam commendavit Dei miserationem et exclusit desperationem, hic *in-* Tertio, de informatione ad poenitentiam duplicem.
*format ad poenitentiae sollicitudinem:* primo ad poenitentiam *interiorem*, secundo ad *exteriorem*, ibi: *Cum manibus*. — Ad *interiorem* pertinet *conscientiae sollicita discussio* et *poenitentialis conversio*, unde dicit: *Et revertamur*. Ad interiorem dupliciter.

Dicit ergo: *Nun. Scrutemur vias nostras*, priusquam ipse scrutetur, qui « scrutabitur Ierusalem in lucernis », Primo.
ut dicitur in Sophonia[7]. *Et quaeramus*, quid fuimus, quid fecimus, quia scrutinium ordinatur ad inquirendum. Vel, *quaeramus*, quid fuimus quantum ad naturae miseriam; unde quidam:

Sperma prius, modo saccus olens, post vermibus esca
In tumulo; pro qua dote superbit homo?

Pro secundo sequitur: *Et revertamur ad Dominum*, contra *aversionem* per amorem et obedientiam praece- Secundo.
ptorum; Psalmus: « Cogitavi vias meas et converti pedes meos » etc.

43. (Vers. 41.). Nun. *Levemus corda*, contra *conversionem* ad caduca; unde Psalmus[8]: « Ad te, Domine, levavi animam meam »; Iob: « Suspendium elegit anima mea ». — Sequitur: *Cum manibus; exterior poenitentia* contingit in *operis satisfactione*, pro qua dicit: *Cum mani-* Ad exteriorem per satisfactionem.
*bus*, id est operibus; supra: « Expandit Sion manus suas »; *ad Dominum in caelos*, quem pro amore terreno reliquimus; *in caelos*, ubi per gratiam et gloriam est specialiter in Sanctis omnibus.

44. (Vers. 42.). Item, in *oris confessione;* ideo se- Per confessionem.
quitur: Nun. *Nos inique egimus*, peccata peccatis addendo, *et ad iracundiam*, id est puniendi voluntatem, *provocavimus;* specialiter hypocritae iram Dei provocant; Iob[9]: « Simulatores et callidi provocant iram Dei ». *Idcirco tu inexorabilis es*, id est difficilis ad exaudiendum; vel hoc dicitur quantum ad reprobos; hic enim a specie transiit ad genus, quia, cum electos ad poenitentiam informaverit, postea reproborum describit infortunium. — Huic triplici clausulae praeponitur littera *Nun*, quae interpretatur *sempiternum;* quia haec tria semper debemus

---

[1] Scil. v. 36. Sequitur Isai. 42, 3.
[2] Cap. 21, 1. seqq. — Haec casuum obliquorum applicatio aliquanto diffusius habetur etiam apud Card. Hugonem in hunc loc.
[3] Cap. 11, 4; deinde Ps. 17, 27. et 26.
[4] Cap. 45, 6. 7.
[5] Psalm. 37, 14.
[6] Cap. 10, 10; infra verba *ut supra* respiciunt Thren. 1, 13. — Supra post *huius* B addit *phantasias vel*.
[7] Cap. 1, 12; deinde Ps. 118, 59.
[8] Psalm. 24, 1; deinde Iob 7, 15; Thren. 1, 17. — Post *manus suas* Vat. omittit *ad Dominum in caelos* (A *caelis*, B *caelo*); verba *quem pro amore terreno... omnibus* ex solo B supplevimus.
[9] Cap. 36, 13.

facere, scilicet conscientiam discutere, corda manusque levare, nos ipsos etiam accusare. Deus est inexorabilis propter quatuor genera peccatorum [1]. — Huic sententiae triplici praeponitur littera *Nun*, quia ad litteram principium remedii et salutis est conversio triplex poenitentialis, quae hic commendatur.

Pars incidens de reprobatione synagogae. Divisio in 3 membra.

45. (Vers. 43.). Sequitur: Samech. *Operuisti in furore.* Hic ad litteram ex praemissa consideratione divinae misericordiae et iustitiae infertur *reprobatio synagogae.* Primo describit *istam reprobationem;* secundo introducit *Christi* vel *Prophetae compassionem,* ibi [2]: *Divisiones aquarum;* tertio, *reprobationis rationem,* ibi: *Oculus meus depraedatus est.* — Ipsam *reprobationem* primo describit per comparationem ad *Deum flagellantem;* secundo, per comparationem ad *adversarium tribulantem,* ibi: *Eradicationem.* — In prima parte primo exaggerat *flagellum;* deinde ostendit *remedium exclusivum,* ibi: *Opposuisti nubem.*

De ipsa reprobatione duo.

De primo dupliciter.

Flagelli exaggeratio.

Pro primo dicit: *Samech. Operuisti,* me scilicet calamitate et miseria vel excaecatione, ne Christum agnoscerem; *in furore,* id est severitate iustitiae; *et percussisti nos,* violentia obsidionis; *occidisti,* destructione civitatis et immanitate stragis; *nec pepercisti,* ultimo, sicut primo aliquas Iudaeorum reliquias in Iudaea relinquendo. — Vel de Christo exponitur: *Operuisti,* maiestatem abscondendo tempore passionis; Isaias [3]: « Absconditus est vultus eius »; *in furore tuo,* scilicet voluntate flagelli indeclinabilis; *percussisti,* flagellando; *occidisti,* id est, occidi permisisti; *nec pepercisti,* poenam in aliquo mitigando.

Remedii exclusio.

46. (Vers. 44.). Samech. *Opposuisti nubem,* sicut opponitur exceptio peremptoria iniuste aliquid petenti, *nubem,* id est carnem Christi, sub qua latuit verus Sol iustitiae; Isaias [4]: « Ecce ascendit Dominus super nubem levem » etc. *Ne transeat oratio,* ad Deum scilicet; Isaias: « Iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis, ne exaudiret ».

De secundo tria.

47. (Vers. 45.). Samech. *Eradicationem.* Hic describit *reprobationem* vel eius effectum per comparationem *ad adversarium tribulantem;* tangens tam *ipsorum calamitatem* quam *adversariorum improbitatem,* secundo, ibi: *Aperuerunt;* tertio utriusque tangit *rationem,* ibi: *Formido* etc.

Ipsorum calamitas.

Dicit ergo: *Eradicationem,* de terra propria et « de terra viventium », *et abiectionem,* confusionis et ignominiae; *posuisti me,* synagogam, *in medio populorum,* omnium totius mundi. Vel de Christo exponitur, qui eradicatus est de terra viventium, secundum opinionem multorum; Isaias [5]: « Abscissus est de terra viventium; propter scelus populi mei percussi eum » etc.; *et abiectionem,* iuxta illud: « Ego autem vermis sum et non homo ». — Huic triplici clausulae praeponitur littera *Samech* triplicata, quae interpretatur *adiutorium;* hic enim lamentatur synagoga omne adiutorium sibi subtractum.

Adversari- rum impr- bitas.

48. (Vers. 46.). Phe. *Aperuerunt.* Hic subdit *inimicorum improbitatem: Aperuerunt.* In glossatis interponitur illud *Ain: Oculus meus.* Nota, quod hic mutatur ordo alphabeti, quia *Phe* praeponitur *Ain,* sicut in alphabeto praecedenti [6]; quod quidem non advertentes, alii litterae ordinem servantes praeposuerunt *Ain,* ubi debuerant ponere *Phe.* Alii autem litteram transposuerunt, ut litterarum ordinem tenerent, credentes, quod sic essent istae litterae praeposteratae, sicut Latini in praeposteris sententiis solent praeponere sequenti praeposterae A et praecedenti praeposterae B. *Aperuerunt super nos os suum,* insultando et quasi devorare volendo; *omnes inimici,* vicini et remoti, propinqui et extranei.

Utriusque ratio.

49. (Vers. 47.). Phe. Sequitur pro *occasione* vel *causa* reprobationis, *contemptus,* scilicet remediorum salutis sibi divinitus praestitorum; unde sequitur: *Formido.* Construe sic: *vaticinatio* Prophetarum, id est contemptus eius, sicut modo contemptus praedicationis multis est causa perditionis, *facta est nobis formido,* id est causa formidinis; ut qui non timuimus Deum exhortantem totius mundi timori subiiciamur; *et contritio,* qua Christum contrivimus; Isaias [7]: « Attritus est propter scelera nostra »; *facta est nobis et laqueus,* id est causa captivitatis.

De Prophetae vel Christi compassione duo.

50. (Vers. 48.). Phe. *Divisiones.* Hic subdit *Prophetae* vel *Christi compassionem,* primo quantum ad *desolationis frequentiam;* secundo quantum ad *desolationis vehementiam et perseverantiam,* ibi: *Oculus meus afflictus est.*

Primum.

Dicit ergo pro primo: *Divisiones aquarum,* id est multiplicationem lacrymarum, *deduxit oculus meus in contritione,* id est afflictione, *filiae populi mei,* id est illius civitatis celebris Ierusalem; Ieremias [8]: « Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum » etc. Istud etiam verum est de Christo, qui flevit super Lazarum, apud Ioannem; super impiam civitatem, apud Lucam; flevit in cruce, ad Hebraeos: « Cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia »; flevit corde, cum, aperto latere, « exivit aqua cum sanguine »; Psalmus: « Qui divisit mare rubrum in divisiones », quod ad litteram divisum est in duodecim viis, iuxta duodecim tribus filiorum Israel. Et huius spiritualis maris duodecim fuerunt partitiones, scilicet quatuor praedictae *aquae,* et octo *sanguinis,* qui primo fusus in circumcisione; secundo, in agonizatione et sanguineo sudore; tertio, in flagellatione [9]; quinque etiam vicibus in quinque vulnerum irrogatione.

Sensus moralis.

*Moraliter:* Debent dividi lacrymae nostrae per lacrymas contritionis, compassionis et devotionis. — Huic triplici sententiae praeponitur littera *Phe* triplex, quae interpretatur *oris,* vel *os aperiri,* alludens ipsius versus principio, ubi dicitur: *Aperuerunt* etc.

Secundum.

51. (Vers. 49.). Ain. *Oculus meus afflictus;* ecce, *desolationis vehementia;* unde dicit: *Oculus meus afflictus est,* ad litteram, multa lacrymarum inundantia; vel oculus

---

[1] Haec propositio deest in Vat.; codd. habent mendose, ut videtur, *gravia peccatorum* pro *genera peccatorum.* Eandem sententiam habet Card. Hug. in hunc locum: « Propter quatuor autem non audit Deus: propter idololatriam... propter avaritiam... propter superbiam malorum... propter contemptum verbi sui »; quod idem locis Scripturae confirmat.
[2] Vers. 48; tertium v. 51.
[3] Cap. 53, 3.
[4] Cap. 19, 1; deinde ibid. 59, 2.
[5] Cap. 53, 8; deinde Ps. 21, 7.
[6] Cfr. v. 16. et 17. — Supra cum Vat. B omittit *In glossatis... Oculus meus,* deinde solus prosequitur: *proponitur Phe, vel debet proponi, sententiis non mutatis; quod quidem.*
[7] Cap. 53, 5.
[8] Cap. 9, 1. Sequuntur Ioan. 11, 35; Luc. 19, 41; Hebr. 5, 7; respicitur Ioan. 19, 34; denique Ps. 135, 13.
[9] Cfr. pro praecedentibus Luc. 2, 21; 22, 44; Ioan. 19, 1. 18.

interior, scilicet mens. Sed pro perseverantia sequitur: *Nec tacuit*, in vita ista, *eo quod non esset requies* in vita praesenti, vel non esset requies ab oppressione diaboli.

52. (Vers. 50.). AIN. *Donec respiceret*, id est, oculum misericordiae ad genus humanum converteret; *et videret*, id est, claritate splendoris sui mundi tenebras illustraret; *Dominus de caelis;* Psalmus [1]: « A summo caelo egressio eius »; Ecclesiasticus: « Miserere nostri, Deus omnium, et respice nos et ostende nobis lucem miserationum tuarum ». Ubi etiam, ut dicit Rabanus, instantiam orationis et perseverantiam nos habere Propheta docuit.

De reprobationis ratione duplici.

53. (Vers. 51.). AIN. *Oculus meus depraedatus;* ecce, hic principaliter prosequitur *causam reprobationis Iudaeorum;* et tangit duplicem causam: *amorem immoderatum rei commutabilis*, et *persecutionem* usque ad mortem *ipsius Salvatoris;* unde sequitur: *Venatione.* — Pro primo dicit: *Oculus meus*, in quo sicut principali intelliguntur omnes alii sensus, *depraedatus est animam meam*, id est, fecit eam diabolo praedam; Ieremias [2]: « Docete filias vestras lamentum, et unaquaeque proximam suam planctum; quia ascendit mors per fenestras nostras »; *in cunctis filiabus urbis meae.* In quo etiam intelligitur omnis delectatio sensibilis, propter quod dixit Iob: « Pepigi foedus cum oculis meis, ut nec cogitarem quidem de virgine ». In hoc dicit Rabanus verbum notabile: « Ne, inquit, quaedam lubrica in cogitatione versemus, providendum nobis est, quia intueri non decet quod non licet concupisci ». — Huic triplici clausulae praeponitur triplex *Ain*, quod interpretatur *oculus*, expresse alludens ei quod de oculo in singulis clausulis continetur. Aliter exponitur in bonum dictum in voce Prophetae secundum Glossam, ubi per *oculum* intelligitur « simplicitas desiderii et rationis, quae animam depraedatur extrahendo a carne in Deum »; *in cunctis filiabus*, id est cogitationibus vitae aeternae. Vel, *filiae urbis* peccata sunt, secundum quorum singula detestanda mens in Deum assurgit.

De prima.

De secunda tanguntur quatuor.

54. (Vers. 52.). SADE. *Venatione ceperunt.* Hic describit secundam causam reprobationis Iudaeorum, scilicet *iniurias Redemptoris*, primo describens *agonem passionis;* secundo, *triumphum resurrectionis*, ibi [3]: *Invocavi nomen tuum, Domine;* tertio exaggerat *Iudaeorum iniquitatem*, ibi: *Vidisti, Domine, iniquitatem;* quarto infert *iustam condemnationem*, ibi: *Reddes eis vicem, Domine.* — Circa primum tangit primo *comprehensionem;* deinde, *mortem* et *sepulturam: Lapsa est;* tertio, *passionis universalem amaritudinem*, ibi: *Inundaverunt aquae.*

De Christi agone passionis tria.

Comprehensio Christi. Christus comparatur 7 avibus.

Dicit ergo pro primo: *Venatione ceperunt me*, Iudaei scilicet ponentes ei insidias, ut eum caperent in sermone, *quasi avem;* Isaias [4]: « Vocans ab oriente avem ». — Christus comparatur avibus diversorum generum: *aquilae*, propter claritatem contemplationis; Deuteronomium: « Sicut aquila provocans ad volandum ». *Gallinae*, propter affectum compassionis; Matthaeus: « Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat » etc. *Vulturi*, propter volatum incarnationis; Iob: « Semitam ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis ». *Passeri*, propter humilitatem conversationis, quoniam minima sunt volatilium, vel quia carnes habent calidissimas; Leviticus [5]: « Offerat pro se duos passeres vivos »; Psalmus: « Etenim passer invenit ». *Pelicano*, propter spontaneam susceptionem passionis; Psalmus: « Similis factus sum pelicano solitudinis ». *Nycticoraci*, propter fugam mundanae vanitatis; Psalmus: « Nycticoraci in domicilio ». *Herodio*, propter potentiam vel rapinae spiritualis, vel in expugnatione diabolicae pravitatis propter rapinam factam diabolo; Psalmus: « Herodii domus dux est eorum ». — *Gratis*, sine culpa mea, vel sine obtentu alicuius utilitatis; *inimici mei*, Iudaei.

Ipsius mors et sepultura.

55. (Vers. 53.). SADE. Sed post comprehensionem sequitur: *Lapsa est in lacum*, inferni; Zacharias [6]: « Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua »; *vita mea*, id est anima mea; quod factum est statim, separata anima a corpore. Pro *sepultura* vero subiungit: *Et posuerunt super me lapidem*, « advolutum ad ostium monumenti », ut dicitur in Matthaeo.

*Moraliter:* Est *lacus* et primo *culpae;* Psalmus [7]: « Salvasti me a descendentibus in lacum »; secundo, *miseriae;* Psalmus: « Eduxisti me de lacu miseriae »; tertio, *limbi*, sinus Abrahae; Zacharias: « Tu autem in sanguine testamenti » etc.

Item universalis amaritudo.

56. (Vers. 54.). SADE. Sed pro *universali passionis amaritudine* sequitur: *Inundaverunt aquae*, id est tribulationes; Psalmus [8]: « Omnes fluctus tuos induxisti super me »; Canticum: « Aquae multae »; Ionas: « Pelagus operuit caput meum »; *super caput meum*, id est me ipsum, qui sum caput hominum, *et dixi*, in cruce: *perii;* Ioannes: « Consummatum est »; Psalmus: « Veni in altitudinem maris, et tempestas » etc. Periit ergo Christus quantum ad vitam mortalitatis; Isaias: « Iustus perit, et non est qui recogitat ». Vel, *dixi: perii* ad corpus pertinet, scilicet ad *desperationem discipulorum.* — Huic triplici clausulae praeponitur triplex *Sade*, quod interpretatur *iustitiae*, vel *consolatio*, quia Christus comprehensus, crucifixus, mortuus et sepultus est iustificatio et consolatio nostra.

De Christi resurrectionis tropaeo duo.

57. (Vers. 55.). COPH. *Invocavi nomen tuum.* Post descriptum agonem passionis hic subdit de *tropaeo resurrectionis.* Primo describit *animae Christi separatae officium et desiderium;* secundo gratulatur, *suum fuisse desiderium exauditum*, ibi: *Vocem meam.*

Primum.

Dicit ergo: *Invocavi nomen tuum, Domine*, vox Filii ad Patrem, *de lacu novissimo*, id est limbo inferiori. Rabanus [9]: « Invocavit Redemptor nomen Domini de lacu novissimo, cum in virtute Divinitatis descendit ad inferos, et destructis claustris tartari, suos, quos ibi reperit, eruens, victor ad superos ascendit ». Quod ideo dicitur, quia orationis effectum ibi secundum partem post mortem obtinuit. Vel, forte oravit, sicut etiam adhuc secundum humanitatem orat pro nobis et interpellat, ut dicit Apostolus [10]:

[1] Psalm. 18, 7; deinde Eccli. 36, 1. — Sententia Rabani est libr. cit. in hunc locum, ubi fusius explicatur.

[2] Cap. 9, 20. 21; deinde Iob 31, 1. — Verba Rabani habentur in cit. libr. ad hunc locum. Seq. Glossa est *ordinaria* et partim *interlinearis*, apud Lyranum.

[3] Vers. 55; tertium v. 59; quartum v. 64.

[4] Cap. 46, 11; deinde Deut. 32, 11; Matth. 23, 37; Iob 28, 7.

[5] Cap. 14, 4; sequuntur Ps. 83, 4; Ps. 101, 8; Ps. 101, 7. (de nycticorace); Ps. 103, 17.

[6] Cap. 9, 11; sequitur Matth. 27, 60.

[7] Psalm. 29, 4; deinde Ps. 39, 3; Zach. 9, 11.

[8] Psalm. 87, 8; sequuntur Cant. 8, 7; Ion. 2, 6; Ioan. 19, 30; Ps. 68, 3; denique Isai. 57, 1.

[9] Libr. cit. in hunc locum.

[10] Hebr. 7, 25; deinde Ioan. 11, 41. 42. et Ier. 37, 15. et 38, 6.

« Salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis »; Ioannes: « Pater, gratias tibi ago, quoniam audisti me; ego autem sciebam, quoniam semper me audis ». Ad litteram exponitur de ipso Ieremia, qui fuit missus in lacum, sicut patet Ieremiae trigesimo septimo et trigesimo octavo.

Secundum, de quo tria.

58. (Vers. 56.). Coph. *Vocem meam.* Hic *gratulatur, se fuisse exauditum* primo *pro se;* secundo *pro aliis petit exaudiri: Ne avertas;* tertio *gratulatur de exauditione universali,* ibi: *Iudicasti.*

Primum et secundum.

Dicit igitur: *Vocem meam audisti; vocem,* id est desiderium, resuscitando me tertia die. — *Ne avertas aurem tuam a singultu meo et clamoribus; singultus* vehementiam signat doloris halitum intercludentis pro aliis; ad Hebraeos[1]: « Cum clamore valido et lacrymis offerens » etc.

59. (Vers. 57.). Coph. *Appropinquasti in die, quando invocavi te,* scilicet ipsum resuscitando et immortalitatem corpori dando. *Appropinquasti.* Haec est expositio versus praecedentis. *Appropinquasti.* Rabanus[2]: « Appropinquavit Divinitas Salvatoris humanitati ipsius, quando eam subita resurrectione iuxta votum suum de morte triumphare fecit »; quae appropinquatio intelligenda est *per effectum* tantum. *Dixisti: Ne timeas*, hoc dixit *per effectum,* praebendo ei immortalitatem; Isaias: « Noli timere, serve mi Iacob, et rectissime, quem elegi ». — Huic triplici clausulae praeponitur triplex *Coph,* et interpretatur *conclusio,* vel *vocatio,* aut *respice;* hic agitur de Christi conclusione et immutatione superni contuitus[3].

Tertium.

60. (Vers. 58.). Res. *Iudicasti.* Hic gratulatur Dominus de *exauditione universali,* unde dicit: *Iudicasti, Domine,* Pater, *causam animae meae;* Psalmus[4]: « Quoniam fecisti iudicium et causam meam ». Richardus: « Tres veniunt in causam: homo, Deus, diabolus; *diabolus* Deo iniuriam fecisse convincitur, quia servum eius fraudulenter abduxit, et *homo* similiter, quia Dei praecepta contempsit; *diabolus* homini fecit iniuriam, quia eum decepit; venit *Deus,* factus est homo; patronus diabolum in causam compulit; sed prius Deus cum homine placatus fuit; et quo placaret Deum, ex misericordia homini concessit; deinde ad iustitiam processit, hominem liberando a diaboli servitute et diabolum adiudicando poenae aeternae ». Pro hac dicit: *Iudicasti causam animae meae,* quae immerito separata est a carne in die passionis; prima Ioannis[5]: « Tres sunt, qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua et sanguis ». *Redemptor,* vel defensor, *vitae meae.* Christus enim redemptus est a mortalitate vitae et poena, non a reatu culpae. Vel, *iudicasti,* Iudaeos reprobando et me eripiendo. Vel, hoc potest dici in persona humani generis per Christi sanguinem liberati.

De Iudaeorum iniquitate tanguntur quatuor.

61. (Vers. 59.). Res. *Vidisti.* Hic *exaggerat Iudaeorum iniquitatem contra Christum,* primo, quantum ad *malignitatem cordis;* deinde, quantum ad *iniuriam sermonis: Audisti, Domine;* tertio, quantum ad *facinus condemnationis,* ibi: *Sessionem eorum;* quarto infert ex hoc *sententiam reprobationis,* in ultima littera, ibi: *Reddes eis vicem, Domine.* — In prima parte tangit eorum perversitatem *in generali,* deinde *in speciali,* ibi: *Vidisti omnem furorem.*

Malignitas cordis, de qua duo.

In generali.

Dicit ergo: *Vidisti, Domine,* vox Filii ad Patrem, *iniquitatem illorum,* scilicet Iudaeorum, *adversum me. Iudica iudicium meum,* de iusta excaecatione Iudaeorum, quod dictum est permittendo, non operando; Ieremias[6]: « Tu autem, Domine Sabaoth, qui iudicas iuste et probas renes et corda; videam ultionem tuam ex eis ».

In speciali.

62. (Vers. 60.). Res. Sequitur *in speciali: Vidisti omnem furorem,* quantum ad malignitatem voluntatis; *universas cogitationes eorum,* quantum ad malitiam cogitationis; *adversum me,* ut caperent insidiando; Lucas[7]: « Illi autem observabant eum ». — Huic triplici sententiae praemittitur littera *Res* triplicata, quae interpretatur *caput,* vel *primatus,* quia hic ostenditur, qualiter Christo capiti datus sit primatus per totum iudicium; Matthaeus: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra ».

Iniuria sermonis, de qua duo.

63. (Vers. 61.). Sin. *Audisti.* Ecce, de *iniuria sermonis:* primo quantum ad *iniuriam contumeliarum;* secundo, quantum ad *iniuriam falsorum testimoniorum,* ibi: *Labia insurgentium.*

Primum.

Dicit ergo: *Audisti, Domine, opprobria eorum;* Ioannes[8]: « Nonne bene dicimus nos, quoniam Samaritanus » etc.; Matthaeus: « Vah! qui destruis templum Dei ». *Omnes cogitationes eorum adversum me; cogitationes eorum* patebant in verbis; Lucas: « In signum, cui contradicetur, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes ».

Secundum.

64. (Vers. 62.). *Labia insurgentium mihi,* dicendo falsum testimonium; Psalmus[9]: « Insurrexerunt in me testes iniqui »; *et meditationes eorum,* verbis declaratas; *adversum me tota die,* crucifixionis, vel vitae; Matthaeus: « Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris »? Matthaeus: « Principes sacerdotum et seniores populi consilium fecerunt, ut Iesum dolo tenerent et occiderent ». Vel, *opprobria,* quantum ad contumelias, *labia insurgentium,* quantum ad verba machinationum in mortem Christi, sicut in persona eorum dicit Salvator in Matthaeo: « Hic est heres, venite occidamus eum ».

Facinus condemnationis.

65. (Vers. 63.). Sin. Sed pro *condemnatione* Christi sequitur: *Sessionem eorum,* repete: vidisti, ubi intelliguntur qui, sedentes in cathedris, Christum iudicaverunt; Psalmus[10]: « Adversum me loquebantur qui sedebant in porta »; *et resurrectionem eorum vide,* in prosequendo coram Pilato causam condemnationis coram populo. *Ego sum psalmus eorum,* id est materia psalmi vel cantici, materia detractionis et murmurationis. — Huic triplici sententiae praemittitur littera *Sin* triplicata et interpretatur *dentium,* vel *super vulnus.* Hic describitur et *detractio,* quae per *dentes* intelligitur; Psalmus: « Filii hominum, dentes eorum arma et sagittae », et *vulneratio* Christi, ad quam eum Iudaei suis falsis testimoniis perduxerunt.

---

[1] Cap. 5, 7.

[2] Libr. cit. in hunc loc. — Sequitur Isai. 44, 2. — In principio n. 59. secuti sumus A, cum Vat. et B verba *Haec est expositio versus praecedentis* ad n. 58 ponant, et omissis ceteris, post *Coph* solum habeant *Appropinquasti. Rabanus.*

[3] Ita A B; Vat. *conclusione, vocatione et super lignum contuitu.* Utraque lectio corruptionem sapit.

[4] Psalm. 9, 5. — Verba tributa Richardo sunt Hugonis a S. Vict., l. de Sacrament. part. VIII. c. 4.

[5] Cap. 5, 8.

[6] Cap. 11, 20. — Supra B *praedicendo, non optando* pro *permittendo, non operando.*

[7] Cap. 14, 1; sequitur Matth. 28, 18.

[8] Cap. 8, 48; deinde Matth. 27, 40; Luc. 2, 34. 35.

[9] Psalm. 26, 12; sequuntur Matth. 9, 4; 26, 4; 21, 38. — Post *adversum me* solummodo B addit: *id est contra me, cum tamen imprecaretur eis veniam, dicens: Pater, dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.*

[10] Psalm. 68, 13. et infra Ps. 56, 5.

Sententia reprobationis, de qua iria.

66. (Vers. 64.). Thau. *Reddes.* Hic ex praedictis infertur iusta *sententia reprobationis*, primo in generali quantum ad *iustam poenae retributionem;* deinde, quantum ad *cordis obdurationem: Dabis eis;* tertio, quantum ad *temporalem et aeternam exterminationem: Persequeris in furore.*

Primum. Dicit ergo: *Reddes eis*, Iudaeis, *vicem*, *Domine*, *iuxta opera manuum suarum*, pro malo culpae et pertinaciae poenam damnationis aeternae; Ioël[1]: « Ecce, venit velociter et reddet vicissitudinem in caput eorum ».

Secundum. 67. (Vers. 65.). Thau. *Dabis eis*, non agendo, sed permittendo, *laborem tuum*, poenalitatum et angustiarum, quas in cruce sustinuit; *scutum cordis*, ut merito iniuriarum, quas Christo intulerunt, intrare in ipsum non possint verba praedicationis; Iob[2]: « Corpus eius quasi scuta fusilia ». Istud est malum eis scutum, nobis autem clypeus salutis, de quo ad Ephesios: « In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela ignea inimici exstinguere ».

68. (Vers. 66.). Thau. Sed pro tertio sequitur: *Persequeris*, Iudaeos malos, *in furore*, irretractabilis vindictae in futuro et in praesenti. Unde sequitur: *Et conteres eos sub caelis*, id est hic in terra, *Domine*, qui omnem habes potestatem. Vel, *sub caelis*, id est sub viris caelestibus; Malachias[3]: « Calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum ». — Huic triplici sententiae praeponitur littera *Thau*, quod interpretatur *signa*, quia istud Dei iudicium de Iudaeis ita manifestum est, ut signati signo infami pateant per totum orbem terrarum. Tertium.

## Capitulum IV.

1. (Vers. 1.). Aleph. *Quomodo obscuratum est aurum!* Hic quarto lamentatur *casum spiritualium personarum*, quas *status praelationis*, sicut erant ministri templi, vel *status religionis*, sicut erant Nazaraei, faciebat insignes. Et habet tres partes, quia prius *lamentatur hanc subversionem;* deinde *subdit eius rationem* in littera duodecima: *Lamed. Non crediderunt Reges;* tertio *huius lamentationis infert conclusionem* in littera penultima: *Gaude et laetare.* Divisio in 3 partes.

Primae partis divisio. In prima parte secundum allegoriam deplorat *subversionem insignium personarum in generali;* deinde, *in speciali*, in versu sequenti: *Filii Sion.*

Deploratio de talibus in generali. Dicit ergo: *Quomodo obscuratum est aurum!* quod licet in templi aurati concremationem verti posset, tamen altiori sensu spiritualis templi deiectionem significat; unde dicit: *Quomodo obscuratum est aurum.* In *auro*, secundum Rabanum[4], « quod metallum praeeminet, excellentia sanctitatis intelligitur », quae est obscurata et in tenebras carnalitatis commutata. Vel, *aurum optimum*, Christus, quod obscurabitur, quia nihil reputabitur tempore antichristi; Apocalypsis[5]: « Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus ». *Mutatus est color optimus*, quantum ad deformationem exterioris honestatis; *dispersi sunt lapides sanctuarii*, id est viri eminentes in ecclesiasticis ordinibus constituti, *dispersi*, non per amorem boni communis *congregati*, sed per studium avaritiae divisi, dum « omnes quae sua sunt quaerunt, et non quae Iesu Christi », ut dicit Apostolus. *In capite omnium platearum*, in quo praesentis vitae latitudo intelligitur; « lata enim est via, quae ducit ad perditionem », ut dicit Christus Dominus. In *capite* sunt *platearum* qui aliis dant carnalitatis exemplum; Isaias: « Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt; unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum. Venite, sumamus vinum et impleamur ebrietate ». Igitur in *auro obscurato* subversio sanctitatis intelligitur, in *colore mutato* subversio honestatis, in *dispersione* studium cupiditatis et consequentis dissensionis, in *platearum capite* exemplum perversitatis. — Ubi praemittitur *Aleph* ad excitationem intelligentiae spiritualis, ac si diceret illud Matthaei[6]: « Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat ».

2. (Vers. 2.). Beth. *Filii Sion.* Hic deplorat *subversionem dictarum personarum in speciali;* quod primo pertractat quantum ad *infectos carnalitate;* secundo, quantum ad *excedentes in severitate*, ibi[7]: *Manus mulierum;* tertio ex hoc infert, *Dominum eos iuste affligere*, ibi: *Complevit Dominus furorem suum.* — In prima parte primo deplorat *carnalitatem praelatorum* vel *clericorum;* secundo, *religiosorum*, ibi: *Candidiores Nazaraei;* tertio, *simul amborum*, ibi: *Melius fuit occisis.* — In prima parte primo tangit *carnalitatis*, ut dictum est, *infectionem;* secundo, *consequentem Ecclesiae multiplicem laesionem*, ibi: *Sed et lamiae.* — Pro primo dicit: *Filii*, ubi primo ostendit, quid *fuerunt;* deinde, quid *sunt: Quomodo reputati.* Item, in speciali, de quo tria. De infectis carnalitate tripliciter. Quoad lapsum praelatorum duo. De primo dupliciter.

Quid fuerint. Dicit ergo: *Filii Sion*, id est Ecclesiae, *inclyti*, id est gloriosi et gloria digni, a *clyton* Graece, quod est gloriosum[8]; *et amicti auro primo*, quantum ad vitae perfectionem, vel *amicti auro primo*, id est eminentia sapientiae et sanctitatis titulo praecipuo. Vel, *Filii Sion*, quantum ad contemplationem; *inclyti*, quantum ad praelationem, *amicti auro primo*, quantum ad vitae perfectionem. — *Quomodo reputati sunt in vasa testea?* id est lutea, et de carnalium solatiorum desiderio *vasa testea*, non aurea, vel argentea, sed lutea. *Vas* enim *testeum* est lutum induratum; Osee[9]: « Israel factus est in nationibus quasi vas immundum ». Induratum est in eis lutum, quia difficillime corriguntur; Ieremias: « Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo et ungue adamantino »; Ecclesiasticus: « Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam ». *Opus manuum figuli*, id est diaboli, qui eos tales fecit; Sapientia: « Figulus mollem terram premens laboriose fingit ad usus nostros unumquodque vas ». Sed tandem in fine fiet de eis, quod dicit Psalmus: « Tanquam vas figuli confringet eos ». Quid sint.

---

[1] Cap. 3, 4; Vulgata: Cito velociter reddam etc.
[2] Cap. 41, 6; sequitur Eph. 6, 16. — Supra ante *praedicationis* A praefigit *fidei.*
[3] Cap. 4, 3. — Supra pro *sub viris* A *viribus.*
[4] Libr. cit. in hunc locum.
[5] Cap. 6, 12; deinde Phil. 2, 21; Matth. 7, 13; Isai. 56, 11. 12.
[6] Cap. 24, 15.
[7] Vers. 10; tertium v. 11
[8] Haec quinque verba desunt in Vat. Pro *a clyton* (κλυτὸν) B corrupte *ab yeon.* In eadem Vat. desunt quae infra sequuntur post *perfectionem*, scil.: *Vel amicti auro primo, id est... vitae perfectionem.*
[9] Cap. 8, 8; sequuntur Ier. 17, 1; Eccli. 22, 7; Sap. 15, 7; Ps. 2, 9.

De secundo dupliciter. Diffusio doctrinae perversae.

3. (Vers. 3.). Ghimel. *Sed et lamiae;* ecce, *damnum ex praedictis consequens multiplex Ecclesiae:* primum est *diffusio doctrinae perversae;* secundum est *carentia doctrinae necessariae: Filia populi mei crudelis.* — Pro primo dicit: *Sed et lamiae; lamia* est monstrum habens caput virgineum, corpus porcinum et pedes equinos, crudelissimum, dictum a *laniando* quasi lania. Iuxta litteram Ierusalem vult dicere in solitudinem redactam, et monstra ibi talia habitasse. Per *lamias* igitur intelliguntur haeretici et hypocritae, in facie simplices, in ventre carnales, in pedibus equi et instabiles [1]. Tales lamiae belluina crudelitate feroces *nudaverunt mammam,* id est libere praedicant doctrinam, scilicet pestiferam; *lactaverunt catulos suos,* haereticellos simplices in haeresim seducentes; Proverbia [2]: « Qui est parvulus declinet ad me. Et vecordi locuta est: Aquae furtivae dulciores sunt ». Hoc autem totum est propter inertiam praelatorum; Matthaeus: « Cum dormirent homines, venit inimicus eius et superseminavit zizania »; Isaias: « Ibi invenit lamia requiem ». — *Filia,* ecce, econtra *defectus doctrinae necessariae,* ubi primo *arguit praelatos in doctrina negligentes;* secundo *explicat amplius laesiones Ecclesiae inde provenientes,* ibi: *Adhaesit lingua.*

Carentia doctrinae necessariae, de qua duo.

Primum.

— Dicit igitur: *Filia populi,* quasi: arguuntur indirecte comparatione haereticorum qui subditis suis non instant edocendis; *Filia populi mei,* hoc dicitur de monte Sion, in quo erat templum, quod tanquam *filia* a populo amabatur. Haec *filia* quantum ad sacerdotes, id est excubantes, *crudelis quasi struthio in deserto. Struthio* ponit ova sua in transitu viarum et non fovet, sicut de struthione dicitur in Iob [3]: « Derelinquit in terra ova sua et obliviscitur, quod pes conculcet ea, aut bestiae agri conterant ». Quae crudelitas magis explicatur in eo quod sequitur.

Secundum, de quo quatuor.

4. (Vers. 4.). Daleth. *Adhaesit lingua,* primo *in statu incipientium,* qui intelligitur per *lactentes;* secundo, *proficientium,* ibi: *Parvuli petierunt;* tertio, *in statu perfectorum,* ibi: *Qui vescebantur;* quarto *infert ex hoc magnitudinem peccati negligentium praelatorum: Et maior effecta.*

Primum.

Dicit ergo: *Adhaesit lingua lactentis ad palatum eius in siti,* ubi per *lactentes* rudes et incipientes figurantur, lacte simplicis doctrinae imbuendi; primae ad Corinthios [4]: « Tanquam parvulis in Christo lac dedi vobis potum, non escam ». *Lingua adhaeret palato,* quando cogitatio cordis adhaeret proprio desiderio; in *siti* appetitus doctrinae, in *palato,* ubi sapor viget, carnalis affectio.

Secundum.

— Sed pro *statu proficientium* sequitur: *Parvuli petierunt,* parvuli lactentibus maiores, sed nondum quantitate perfecti, petierunt panem doctrinae solidioris. *Et non erat qui frangeret eis.*

Notandum.

Panis *frangendus,* non curiose *scindendus,* quia nulla divisio est facienda, quae non faciat ad elucidationem doctrinae; Lucas: « Cognoverunt eum in fractione panis ». Dicitur, quod Christus sic frangebat, quod incisio videbatur; sic etiam certe debent continere *fractio* evidentis expositionis et *incisio* elucidationis per divisionem, quantum sapientiae famulatur.

Tertium.

5. (Vers. 5.) He. *Qui vescebantur.* Hic ostendit *laesionem Ecclesiae sequentem ex praedictis pro statu perfectorum. Qui vescebantur,* deliciis Scripturarum, *voluptuose,* sancta voluptate; Sapientia [5]: « Paratum de caelo panem praestitisti eis, omne delectamentum habentem et omnis saporis suavitatem »; quod de Scripturis, vel de deliciis devotionis, vel Sacramento communionis intelligi potest. *Interierunt in viis,* latis saeculi, quae « ducunt ad perditionem »; Sapientia: « Ambulavimus per vias difficiles ». Hoc autem exponit versus sequens, cum dicit: *Qui nutriebantur in croceis; in croceis,* spiritualiter, deliciis contemplationis, vel meditatione dominicae passionis. *Crocus* enim rubeum habet colorem, item et laetificat et confortat cor, unde Scripturas significat Christi sanguine rubricatas; Canticum [6]: « Cypri cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum ». *Amplexati sunt stercora,* id est carnales delicias; Ecclesiasticus [7]: « Mulier fornicaria quasi stercus in via conculcabitur ». Vel, *stercora,* bona temporalia, aurum et argentum; sunt enim egestiones terrae generatae in ventre terrae; ad Philippenses: « Omnia reputavi ut stercora ».

Quartum.

6. (Vers. 6.). Vau. Sed ex hoc ostendens, quantum sit *peccatum negligentium praelatorum,* subdit: *Et maior effecta est iniquitas filiae populi mei,* praelatorum negligentium, de qua supra: « Filia populi mei crudelis »; *peccato Sodomorum,* quantum ad hoc, quia illi doctorem non habuerunt; *quae subversa est in momento,* id est subito, et tamen isti diu tolerantur, ut perenniter puniantur. Simile apud Matthaeum [8]: « Terrae Sodomorum remissius erit in die iudicii quam tibi »; *et non ceperunt in ea,* filia populi, id est clericis, *manus* pauperum, in quo arguitur eorum avaritia; Ecclesiasticus: « Non sit manus tua porrecta ad accipiendum et ad dandum collecta »; Proverbia: « Manum suam aperuit inopi ».

Quoad lapsum religiosorum duo.

7. (Vers. 7.). Zain. *Candidiores.* Post deploratum lapsum clericorum vel praelatorum hic *deplorat lapsum religiosorum,* primo ostendens, quales *aliquando fuerunt;* secundo, quales *recidivando facti sunt: Denigrata est.* Religiosi quidem intelliguntur per *Nazaraeos;* unde Rabanus [9]: « Quid Nazaraeorum nomine nisi abstinentium et continentium vita significatur »? Cui et nomen convenit, quia Nazaraei *floridi* interpretantur.

Quales fuerint.

Dicit ergo: *Candidiores Nazaraei eius nive,* per mortificationem carnis et repressionem noxii caloris per spiritualem frigiditatem. Et bene *nivi* comparatur carnis munditia, quia faciliter solvitur, nisi frigus continuetur. Flante enim austro, id est prosperitate accidente, faciliter resolvitur; Psalmus [10]: « Lavabis me, et super nivem dealbabor »; vere *super nivem dealbatur* qui affluentia non corrumpitur. *Nitidiores lacte,* in quo munditia cordis, quia, sicut *nix* extra, sic *lac* intra perducitur ad candorem per putrefactionem sanguinis, id est extinctionem omnis immunditiae et immundae affectionis et cogitationis. Vel, in *nitore lactis* affectus pietatis et opera misericordiae ad egenos. *Rubicundiores ebore antiquo,* in quo refulgentia honestatis; *ebur* candet primo, tandem vergit in

---

[1] Codd. hic adiiciunt: *Item* (B *Hieronymus*), *vestis pulla* (B *hispida*), *cingulum sacceum et sordidis manibus pedibusque venit* (B *venter*) *solus, quia videri non potest, careat cibo.* Quae sententia exotica unde sit, non invenimus.

[2] Cap. 9, 16. 17; deinde Matth. 13, 25; Isai. 34, 14.

[3] Cap. 39, 14. 15.

[4] Cap. 3, 2; sequitur Luc. 24, 35.

[5] Cap. 16, 20; respicitur Matth. 7, 13. et sequitur Sap. 5, 7.

[6] Cap. 4, 13. 14. Supra pro *spiritualiter, deliciis contemplationis, vel meditatione* (ita B) Vat. et A *deliciae contemplationis et meditatio.*

[7] Cap. 9, 10; sequitur Phil. 3, 8.

[8] Cap. 11, 24; sequuntur Eccli. 4, 36; Prov. 31, 20.

[9] Libr. cit. in hunc locum.

[10] Psalm. 50, 9.

ruborem, quia plena maturitas per longam acquiritur exercitationem. Vel, in hoc fervor intelligitur caritatis; rubor enim in facie calorem significat, vel certe pudorem et verecundiam, ut pudeat turpia dicere vel audire. Vel, in *ebore antiquo* intelligitur antiquorum Sanctorum sub Lege perfectio; sed isti *rubicundiores*, quia maior est in Evangelio perfectio. *Sapphiro pulcriores*, in quo gratia contemplationis designatur et desiderium aeternitatis. — Haec sunt ergo, quae debent perfectis inesse religiosis; ubi primus gradus est ab omni corruptione immaculatum se custodire, quantum patitur humana fragilitas; secundus, curam non negligere proximi, quantum suppetit facultas; tertius, in robore sanctae devotionis et sancti pudoris dura et indigna fortiter tolerare, quantum sinit humana infirmitas; quartus, in omnibus ad Deum vel ad caelum oculum levare, quantum praevalet humana possibilitas. Magna est ergo haec commendatio, sed certe miserabilis continuatio, unde sequitur:

Perfectionis religiosorum 4 gradus.

8. (Vers. 8.). Heth. *Denigrata est*, ubi candor nivis, lactis nitor, rubor eboris antiqui, pulcritudo sapphiri nigredine carbonis obducitur, unde dicit: *Denigrata est*, ubi primo plangit eorum *carnalitatem;* secundo, *excaecationem*, ibi: *Adhaesit;* tertio, *obdurationem*, ibi: *Aruit.*

Quales recidivi facti sint, de quo tria.

Dicit ergo: *Denigrata est facies eorum*, cordis secretum et conversationis evidentia, *super carbones*, in quibus, humore exstincto, sola remanet terrestris nigredo; Isaias[1]: « Facies combustae vultus eorum »; et hoc propter sordes carnalitatis praedicto candori contrarias; Nahum: « Diripite argentum, diripite aurum, et non est finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus; dissolutio geniculorum et defectio in cunctis renibus et facies omnium sicut nigredo ollae »; Ioel: « Omnes vultus redigentur in ollam ». *Et non sunt cogniti in plateis;* non sunt cogniti pro talibus, quales esse solebant, quia *in plateis*, id est in carnalitate, aliis conformes; frequentia quidem platearum decoloravit Nazaraeos et peregrinam speciem induxit. Vel, *non sunt cogniti*, quia creduntur boni, cum sint mali; Matthaeus: « A fructibus eorum cognoscetis eos ». — *Adhaesit cutis eorum ossibus.* Hic *eorum excaecationem* plangit, dicens: *Adhaesit cutis.* In *cute*, quae tenera est, mollities conversationis; in *ossibus*, fortitudo virtutis. « *Adhaesit* ergo *cutis ossibus*, quia ab eis prave sentientibus infirmitas vitii duritia vel difficultas virtutis existimatur[2] ». Unde multum putant esse semel tantum in die comedere, ubi deliciis ingurgitant et inebriant se; virtutem putant esse in ecclesia stare, ubi pactum faciunt nisi lucrum quaerere, vel ineptias cogitare, vel poenam fugere. — Sed pro *eorum obduratione* infert: *Aruit*, quia cognitione sui minime virescit; *et facta est quasi lignum*, insensibilis ad peccatum.

Primum. Secundum. Tertium.

9. (Vers. 9.). Theth. *Melius fuit.* Hic tertio deplorare videtur simul *lapsum amborum*, scilicet praelatorum et religiosorum, comparans statum praesentis Ecclesiae respectu Ecclesiae primitivae, quasi dicat: minus nocuit Ecclesiae tribulatio adversitatis tyrannorum quam infectio prosperitatis temporalium, et hoc in multis, unde postea pauci fuerunt Sancti. Unde dicit: *Melius fuit occisis gladio;* Rabanus[3]: « Melius fuit Apostolis et praedicatoribus Evangelii brevi poena corporis pro Christi nomine ad tempus plecti quam longa inedia verbi Dei tabefieri ». Unde dicit: *Quam interfectis fame;* dum enim corpus deliciis fovetur, absque dubio spiritus fame cruciatur, quod multis induxit prosperitas; unde sequitur: *Quoniam isti*, fame scilicet mortui, *extabuerunt*, id est, ad spiritualem maciem pervenerunt; *consumti a sterilitate terrae*, id est ab amore terrenorum, quae sterilia sunt spiritualiter, et steriles fiunt eorum amatores; Iob: « Conteratur quasi lignum infructuosum; pavit enim sterilem, quae non parit, et viduae bene non fecit ». — Aliter exponitur illud in Glossa: *Melius fuit occisis gladio* etc., melius est verbo Dei ad poenitentiam mactari quam fame verbi Dei ad carnalitatem declinare.

De tertio, scil. lapsu amborum. Aliter.

10. (Vers. 10.). Iod. *Manus mulierum.* Postquam deploravit subversionem Ecclesiae provenientem ex carnalitate et ignavia, hic plangit Ecclesiae subversionem provenientem ex *inordinata severitate et nimia iustitia.* Unde dicit: *Manus*, id est opera iustitiae nimiae, secundum Glossam[4]; *mulierum;* non dicit *matrum*, quia matres non sunt quae affectum ad filios perdiderunt; Ecclesiasticus: « Brevis omnis malitia super malitiam mulieris »; *misericordium*, in opinione sua; quia dicunt, se facere tyrannides suas ex misericordia. Tales ergo *coxerunt filios suos;* Glossa[5]: « Id est, tyrannica potestate oppresserunt »; *coxerunt* igne mali exempli et zeli inordinati »; Iob: « Ignis Dei descendit de caelo », id est de maioribus, « et tactas oves puerosque consumsit ». *Facti sunt cibus earum*, dicentes illud primi Regum, secundum quod dixerunt filii Heli: « Nunc dabis, alioquin tollam vi »; Ezechiel: « Lac comedebatis et lanis operiebamini et quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis »; et infra: « Sed cum austeritate imperabatis eis et cum potentia; et dispersae sunt » etc. *In contritione filiae populi mei*, vel ad contritionem filiae supra dictae; propter hoc enim super multos eorum cecidit ira Dei.

De excedentibus in severitate.

11. (Vers. 11.). Caph. *Complevit Dominus.* Hic ex praedictis *infert aequitatem poenae* ipsis a Domino pro praedictis illatae vel inferendae; unde dicit: *Complevit Dominus*, id est complebit, *furorem suum*, id est, de tantis sceleribus expetet vindictam; in quo magnitudo poenae intensivae intelligitur. *Effudit*, id est, effundet, in quo poenae significatur generalitas, *iram indignationis suae*[6] *et succendit*, id est, succendet, *ignem in Sion*, id est in clericis, *ignem*, dico, aeternum; *et devoravit*, id est, devorabit, *fundamenta eius*, maiores acerbius. Vel, in *fundamentis* poena intelligitur cogitationum perversarum, quam exquiret a malis; in quo etiam poenae atrocitas intelligitur. Vel, in *igne* sic effuso posset intelligi generalis quasi Ecclesiae subversio per carnalitatem et cupiditatem.

De Domino iuste eos affligente.

---

[1] Cap. 13, 8; sequuntur Nahum 2, 9. 10; Ioel 2, 6; Matth. 7, 16.

[2] Ita haec propositio legitur etiam apud Paschasium et Rabanum (in hunc locum); sed in Glossa *ordinaria* apud Lyranum (sumta ex Paschasio) melius ita: Cutis ergo adhaeret ossibus, quando infirmitas vitiorum putatur fortitudo virtutum. — Propositio seq. est correcta sec. codd. (habent tamen *ingurgitatis* pro *ingurgitant);* Vat. corrupte *multum putant esse semel, ubi deliciis ingurgitantes imbuant se*, et in fine: *poena furere* pro *poenam fugere* (A *poenam fovere*). Pro *multum putant esse semel* B *iustum putavit esse semel.*

[3] In hunc locum. — Infra sequitur Iob 24, 20. 21. — Glossa cit. est *ordinaria* ex Paschasio secundum sensum sumta.

[4] *Ordinariam* apud Lyranum (ex Paschasio in hunc locum). — Sequitur Eccli. 25, 26.

[5] Eadem Glossa *ordinaria.* — Sequuntur Iob 1, 16; I. Reg. 2, 16; Ezech. 34, 3. et 4; respicitur *supra* v. 3.

[6] Cod. B hic interserit: « id est ultionem eius, scilicet peccati vel culparum, quibus indignatum se ostendit. Unde in his est quidam tropus, in quo quod est hominis attribuitur Deo, et est anthropathos, quando passio humana attribuitur Deo ».

Secundae partis divisio in 4 membra.

12. (Vers. 12.). Lamed. *Non crediderunt reges terrae.* Post descriptam Ecclesiae subversionem in communi hic subdit evidentius *dictae subversionis rationem quadruplicem*, quarum prima consistit *in peccatis prophetarum et sacerdotum;* secunda, in *peccatis omnium,* propter confidentiam scilicet de praesidio hominum mundanorum: *Cum adhuc subsisteremus;* tertia tangit *efficientem improbitatem*, scilicet adversariorum: *Velociores fuerunt persecutores;* quarta vero, *omnium in communi atrocitatem eorum contra Christum: Spiritus oris nostri.* — In prima parte tangit primo hanc causam irae *ut inopinatam;* secundo *pertractat eam*, ibi: *Propter peccata.*

Ratio 1, peccata prophetarum et sacerdotum, de qua duo.

Primum.

Dicit ergo pro primo: *Non crediderunt reges terrae*, id est viri sancti et iusti, temporalium contemptores; Iob [1]: « Nunc enim dormiens silerem et somno meo requiescerem cum regibus et consulibus terrae »; prima Petri: « Vos genus electum, regale sacerdotium ». *Et universi habitatores orbis*, vel *urbis;* istud secundum Glossam [2] ad malos refertur, qui nesciunt dicere: « Advena ego sum apud te et peregrinus ». *Quoniam ingrederetur hostis et inimicus*, id est diabolus; Iob: « Hostis meus terribilibus oculis intuitus est me », id est peccatum; *per portas Ierusalem,* id est per praelatos, in Ecclesiam; Apocalypsis: « Singulae portae erant ex singulis margaritis ». Quasi dicat: istud inopinabile fuit, et tamen istud evenit. Alio etiam modo exponitur de quocumque iusto, qui inopinanter cadit a perfectione in praevaricationem vel apostasiam per portas sensuum suorum quasi per portas Ierusalem.

Secundum, in quo tanguntur duo.

13. (Vers. 13.). Mem. *Propter peccata.* Ecce, *pertractat culpam,* quae est causa istius dissipationis vel devastationis Ecclesiae, primo quantum ad *peccata maiorum praelatorum;* deinde, quantum ad *peccata minorum*, in versu sequenti, ibi: *Erraverunt.*

Peccata maiorum praelatorum.

Dicit ergo: *Propter peccata*, repete: Ingressus est hostis per portas Ierusalem, *propter peccata prophetarum eius*, populum adulatorie decipientium, supra [3]: « Prophetae tui viderunt tibi falsa et stulta nec aperiebant iniquitatem », *et iniquitates sacerdotum eius* — nota, quod semper fuit distinctus ordo doctorum et praelatorum, quamvis et ipsi auctoritate sint doctores — quam *iniquitatem* aperit, subdens: *Qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum,* quod fuit excitando alios ad interfectionem Prophetarum, quos interfecerunt Iudaei, sicut postea in mortem Christi; Ieremias [4]: « Apprehenderunt eum », scilicet Ieremiam, « sacerdotes et prophetae et omnis populus, dicentes: Morte moriatur »; Daniel: « Egressa est iniquitas a senioribus populi, qui videbantur regere populum ». Effundunt sanguinem spiritualiter nimis *aspere corripiendo;* Proverbia [5]: « Qui vehementer emungit elicit sanguinem »; vel *aperte peccando* et scandalizando alios; Isaias: « Peccatum suum quasi Sodoma praedicaverunt nec absconderunt »; vel *bona subditorum improbe extorquendo;* Ieremias: « In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum »; istud etiam verum est praecipue de sanguine Christi et Prophetarum, quem pontifices, scribae et Pharisaei fecerunt effundi.

Peccata minorum.

14. (Vers. 14.). Nun. *Erraverunt.* Hic tangit peccata *minorum clericorum,* primo *describens culpam*, deinde *inferens poenam*, ibi: *Facies Domini.* — *Culpam* tangit multiplicem: primo *ignorantiae*, unde dicit: *Erraverunt caeci*, minores scilicet exemplo maiorum, secundum Rabanum [6], *in plateis*, id est in lata via perditionis. — Secundo subdit *peccatum immunditiae: Polluti sunt in sanguine*, in peccatis carnis et sanguinis; Psalmus: « Infecta est terra in sanguinibus et contaminata est in operibus eorum »; alibi: « Libera me de sanguinibus ». — Tertio, *peccatum simoniae* et conspirationis: *Cumque non possent* — aliqui habent *intrare*, quod non est de textu — cum, inquit, non possent desiderium suum in Ecclesia implere; *tenuerunt lacinias suas*, oras suorum vestimentorum, sicut caeci, qui exspectant alienum ducatum; *lacinias tenere*, hoc est invicem conspirare.

Horum culpa prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

15. (Vers. 15.). Samech. Quarto sequitur *peccatum praesumtionis*, qua alios despiciebant; unde sequitur: *Recedite, polluti, clamaverunt eis;* clamaverunt, praedicti superbi; clamaverunt *eis*, peccatoribus scilicet *pollutis: recedite.* Bis dicit *recedite*, quasi: recedite a loco sacro, recedite a nostro consortio; *abite*, ad consimiles vobis; *nolite tangere*. Tales sunt illi, de quibus Isaias [7]: « Comedunt carnes suillas, et ius profanum in vasis eorum, qui dicunt: Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es ». *Iurgati quippe sunt;* haec est vox Prophetae; *iurgati*, praedicti superbi, *et commoti*, contra subditos, eos superbe despicientes. Nec solum aperte peccatores despiciunt, sed etiam in absentia eis detrahunt; unde sequitur: *Dixerunt inter gentes*, praedicti clerici peccatoribus detrahentes: *Non addet ultra*, Dominus scilicet, *ut habitet in eis*, praedictis pollutis. — Aliter exponitur a praedicto loco: *Recedite*, ut sit vox hostium Iudaeorum, gentium scilicet eis in haec verba insultantium ac dicentium: *Recedite*, sicut etiam aliquando aliqui tyranni contra clerum insurgentes dicere ausi sunt. Vel, sunt verba praedicatorum praedictos pollutos arguentium.

Aliter.

Ipsorum poena.

16. (Vers. 16.). Phe. *Facies Domini.* Hic subditur *poena dictae culpae*, et additur nova *specialis nequitiae: Facies sacerdotum.* — Dicit ergo: *Facies*, ut sit vox Prophetae, vel adversariorum Ecclesiae seu Iudaeorum; *facies Domini*, id est Christus, Filius Dei, *divisit eos*, ad litteram dispersit Iudaeos; vel *divisit*, id est, dividet peccatores a iustis in die iudicii; Matthaeus [8]: « Separabit agnos ab haedis ». *Non addet, ut respiciat eos,* consolando; « clausa est ianua ». — *Specialis* autem *culpa* contra eos replicatur; unde subdit: *Facies sacerdotum non erubuerunt*, in peccatis scilicet; Ieremias: « Confusione confusi non sunt et erubescere nescierunt »; vel, *non erubuerunt*, eis reverentiam exhibendo; *neque senum miserti sunt*, eis compatiendo, sed magis contrarium fecerunt, contra illud Ecclesiastici: « Ne spernas hominem in senectute sua; etenim ex nobis senescunt ».

Ratio 2, peccata omnium, de qua duo.

17. (Vers. 17.). Ain. *Cum adhuc subsisteremus.* Ecce, secunda causa subversionis, *confidentia* scilicet *nimia de humanis praesidiis;* et primo *tangit hoc nocumentum;* secundo *manifestat per effectum*, ibi: *Lubricaverunt.*

Primum.

Dicit ergo: *Cum adhuc subsisteremus*, nondum plene subversi et tentationibus concussi; *defecerunt oculi nostri,*

---

[1] Cap. 3, 13. 14; deinde I. Petr. 2, 9.

[2] Et *ordinariam* et *interlinearem* apud Lyranum. — Deinde referuntur Ps. 38, 13. et Iob 16, 10; Apoc. 21, 21.

[3] Cap. 2, 14.

[4] Cap. 26, 8; deinde Dan. 13, 5.

[5] Cap. 30, 33; sequuntur Isai. 3, 9; Ier. 2, 34. Infra substituimus *Christi et Prophetarum* pro *scribarum et Pharisaeorum.*

[6] In hunc locum. — Sequuntur Ps. 105, 39. et 50, 16.

[7] Cap. 65, 4. — Infra pro *ut habitet* A B *ut inhabitet.*

[8] Cap. 25, 32. et post v. 10; deinde Ier. 6, 15; Eccli. 8, 7.

id est, intentiones nostrae frustratae sunt; *defecerunt*, inquam, *ad auxilium nostrum vanum*, id est ad temporalia, in quibus confidebamus; Ezechiel[1]: « Argentum eorum et aurum non valebit liberare eos in die furoris Domini »; quod magis explicans subdit: *Cum respiceremus attenti, ad gentem, quae salvare nos non poterat;* sicut Iudaei confisi sunt de Aegyptiis, qui sibi non sufficiebant ad defendendum. Vel, illud dicitur in persona damnatorum, qui damnati dicunt: *Cum adhuc subsisteremus*, id est, viveremus etc., *ad gentem*, scilicet in parentibus confidentes.

18. (Vers. 18.). Sade. *Lubricaverunt.* Hic ostendit
Secundum. praedictae *confidentiae vanitatem* et *intentionis evacuationem per effectum.* — Dicit ergo: *Lubricaverunt vestigia nostra*, qui prius subsistebamus, quam talibus inniteremur; *lubricaverunt*, quia in lubrico posuerunt, *vestigia nostra*, id est, affectus nostri coeperunt vacillare tam temporalium amore quam timore; vel ad lubricitatem luxuriae declinaverunt; unde subdit: *In itinere platearum nostrarum*, id est viarum et divitiarum. — *Appropinquavit finis noster*, non consummans, sed consumens et exterminans. Hoc dicunt et cognoscunt mali in morte dicentes: *Completi sunt dies nostri*, id est mors. Rabanus[2] pro his omnibus: « Quisquis, deserto uno vero Deo, adiutorium quaerit a spirituali Aegypto, hoc est ab hoc mundo, et lubrica huius saeculi pergit vestigia, vacua spe delusus, hostium crudelium fit praeda ».

19. (Vers. 19.). Coph. *Velociores.* Ecce, *tertia causa*
Ratio 3. efficiens, scil. improbitas adversariorum. *efficiens* secundum litteram. *Allegorice* — *persecutores nostri*, id est daemones; Exodus[3]: « Dixit inimicus: Persequar et comprehendam, dividam spolia ». Carnem dat vermibus, substantiam parentibus, animam sibi retinet. *Velociores fuerunt aquilis caeli*, id est praedicatoribus caelestium, unde magister praedicatorum Ioannes *aquila* dicitur; Apocalypsis: « Et quartum animal simile aquilae volanti », quia isti nunquam dormiunt; Iob: « Non est potestas super terram, quae ei comparetur ». *Super montes*, dignitatum, *persecuti sunt nos.* Isti sunt montes, in quibus « ceciderunt fortes Israel », secundo Regum[4]; et hoc quantum ad *praelatos. In deserto*, id est in claustro, *insidiati sunt nobis*, quantum ad *religiosos;* prima Petri: « Adversarius vester diabolus circuit quaerens, quem devoret ».

20. (Vers. 20.) Res. *Spiritus oris.* Ecce, *quarta*
Ratio 4. omnium completiva. *causa*, scilicet *omnium completiva*, scilicet pro morte Salvatoris. — *Spiritus oris nostri*, quod dicitur, quia Verbum est, et ideo sine ipso nullum verbum rectum esse potest; *Christus Dominus captus est*, a Iudaeis impiis, *in peccatis nostris*, id est propter peccata nostra; Isaias[5]: « Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra ». *Cui diximus: In umbra tua*, id est in protectione tua, *vivemus in gentibus*, sicut patres in filiis; *in gentibus*, conversis ad fidem; Isaias: « Fluent
Aliter. ad ipsum omnes gentes ». — Vel, totum illud potest exponi de conversis ex gente Iudaeorum, ut ipsi dicant: *Cui diximus: In umbra tua*, id est, propter umbram Legis, *vivemus in gentibus*, quia Iudaei propter hoc tantum sustinentur, cum alii haeretici destruuntur. Unde ex hoc verbo ultimo patet, quod illud non potest intelligi de Iosia rege, sicut exponunt Hebraei.

21. (Vers. 21.). Sin. *Gaude.* Ecce, huius lamentationis Tertiae partis divisio.
*conclusio*, ubi, ostensurus finem lamentationis huius, primo ostendit *insipientiam mundanae consolationis;* deinde in sequenti versu, *utilitatem lamentationis huius*, ibi: *Completa.*

Dicit ergo pro primo: *Gaude et laetare*, quasi: ita Insipientia mundanae consolationis.
boni pro se et alienis malis consolantur; unde dicit: *Gaude*, interius, ironice; *laetare*, exterius; Ecclesiasticus[6]: « Laetare, iuvenis, in adolescentia tua ». *Filia Edom.* — Iuxta Difficultatis solutio.
litteram dicitur comminari Idumaeis, cum deberet comminari Romanis. Solvunt Iudaei dicentes, quod Romani fuerunt de Idumaeis; quod non est verum, quia fuerunt de Iaphet, filio Noe, Idumaei vero de Sem. Sed causa litteralis est, quia plus nocuerunt Idumaei, quia, cum Chaldaeis venientes, templum succenderunt. — *Quae habitas in terra Hus.* — Contra: habitant in monte Seir; Genesis[7]: « Hae Obiectio.
sunt generationes Esau, patris Edom, in monte Seir »; item, Genesis vigesimo secundo, Hus fuit primogenitus Nachor, fratris Abrahae, qui de Melcha uxore sua octo filios habuit, qui omnes fuerunt in Mesopotamia Syriae. — Solutio. De Solutio.
Hus, filio Nachor, non est hic sermo; sed de Hus terra, quae dicitur esse in finibus Idumaeae et Arabiae, quae alio nomine dicitur in terra Ausitidis nomine; Ieremias: « Et cunctis regibus terrae Ausitidis ». Ibi Glossa dicit: « Quae Hebraice dicitur Hus, de qua dicitur Iob: Homo, qui erat de terra Hus », scilicet Iob.

*Moraliter: Filia Edom*, id est anima carnalis, quae Sensus moralis.
est *Edom*, id est Esau imitans, qui suam primogenituram dedit pro modico edulio[8], sicut faciunt carnales miseri; supra: « Dederunt pretiosa quaeque pro cibo ».

*Quae habitas in terra Hus*, quae interpretatur consilium, vel consiliator; Isaias: « Stulti principes Thaneos dederunt consilium insipiens ». Ita dico: *Laetare, ad te quoque perveniet calix*, id est poena et tribulatio futura, quae per calicem significatur. *Inebriaberis*, amaritudine, *atque nudaberis*, temporali gloria et honore; Ioannes[9]: « Mundus gaudebit, vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium ».

22. (Vers. 22.). Thau. Unde convertens sermonem ad Utilitas lamentationis huius.
electos, subdit: *Filia Sion*, id est Ecclesia electorum, *completa est iniquitas tua*, id est per praesentem lamentationem et tribulationem purgata; *non addet ultra*, Dominus scilicet, *ut transmigret te;* per te modo transmigrat Dominus, cum suos tribulationibus exponit; Isaias[10]: « Ad punctum in modico dereliqui te ». Vel, *transmigrat* consolando; Canticum: « Ecce, iste venit saliens in montibus ». Et e contrario de malis dicitur: *Visitavit iniquitatem tuam*, id est, visitabit in morte, *discooperuit peccata tua;* Ieremias: « Ego discooperui Esau et revelavi abscondita eius, et celari non poterit »; nimirum Dominus *abscondita revelabit.*

Explicit.

---

[1] Cap. 7, 19.
[2] In hunc locum.
[3] Cap. 15, 9; sequuntur Apoc. 4, 7; Iob 41, 24.
[4] Cap. 1, 19; deinde I. Petr. 5, 8.
[5] Cap. 53, 5; deinde ibid. 2, 2.
[6] Cap. 11, 9. — Infra ante *dicentes* (ita A, sed B *dicens*, Vat. *dicendo*) verba *Solvunt Iudaei* interseruimus ex Commentar. Card. Hugonis in hunc locum, qui omnia, quae sequuntur usque ad *Moraliter*, fere ad verbum habet et etiam hanc expositionem moralem.
[7] Cap. 36, 9; deinde Gen. 22, 20. 21; Ier. 25, 20; Iob 1, 1. — Glossa ad Ier. 25, 20. est *interlinearis* apud Lyranum.
[8] Cfr. Gen. 25, 32. seqq.; sequuntur Thren. 1, 11; Isai. 19, 11.
[9] Cap. 16, 20.
[10] Cap. 54, 7; deinde Cant. 2, 8; Ier. 49, 10. — In fine habet B *Haec sunt dicta eiusdem doctoris super Threnos.*

# EXPOSITIO ORATIONIS DOMINICAE.

1. *Pater noster* etc. Oratio haec privilegiata est in tribus: in *dignitate*, quia a Christo composita; in *brevitate*, ut citius sciatur, melius retineatur et frequentius dicatur; in *fecunditate*, quia omnes petitiones continet et utriusque vitae necessaria complectitur[1].

Divisio. Dividitur in *exordium*, ibi[2]: *Pater noster, qui es in caelis*; in *tractatum*, ibi: *Sanctificetur nomen tuum* etc., et in *conclusionem*: *Si enim dimiseritis*. Sed haec conclusio non est de integritate orationis.

Exordium. 2. (Vers. 9.). In *exordio* datur petenti fiducia, cum dicitur, ibi: *Pater noster*, non *Domine*. Domino servitur timore, patri vero amore, teste Malachia primo[3]: « Filius honorat patrem, et servus dominum suum timebit. Si ergo Pater ego sum, ubi honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus »? In *tractatu* ponuntur omnia nobis necessaria; et in *conclusione* infertur necessaria ex praemissis consequentia.

Sensus triplex. Deus dicitur *Pater noster*, generaliter *omnium* per *creationem*, iuxta illud Deuteronomii trigesimo secundo[4]: « Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit et fecit et creavit te »? *Fecit* in corpore, *creavit* in anima et *possedit* in utroque. Specialiter *iustorum* per *adoptionem*; Matthaei quinto[5]: « Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est »; et Lucae undecimo: « Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de caelis dabit spiritum bonum petentibus se »? Singulariter *Christi* per *aeternam generationem*; Ioannis quinto[6]: « Non solum solvebat Sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum »; et Matthaei undecimo: « Neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare ». — Pater est primo modo per *impressam imaginem*; secundo modo, per *appositam gratiae similitudinem*; et tertio modo, per *aeternam originem*[7].

3. *Qui es in caelis*, id est in Angelis; vel *in caelis*, id est in Sanctis[8]. Sancti enim dicuntur caeli quadrupliciter: propter *vitae sublimitatem*; ad Philippenses tertio[9]: « Nostra conversatio in caelis est ». Propter *bonorum operum claritatem*; ad Philippenses secundo: « Inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes »; Matthaei quinto: « Sic luceat lux vestra coram hominibus » etc. Propter *propositi firmitatem*; Psalmus[10]: « Verbo Domini caeli firmati sunt ». Propter *Deum in eis quiescentem* per gratiam; Isaias: « Caelum mihi sedes est »; Psalmus: « Dominus in caelo paravit sedem suam ». — Dicit ergo: *Pater noster, qui es in caelis*, id est[11] « in spiritualibus, ut ad spiritualem mansuetudinem, in qua habitat, festinare discamus et caelestia ab eo quaeramus ». Sancti di[cuntur] caeli ob 4 rationes.

4. *Sanctificetur nomen tuum*. Terminato exordio, sequitur *tractatus*, qui dividitur in duas partes[12]: in prima oratur pro *bonis adipiscendis*; in secunda, pro *malis amovendis*, ibi: *Et dimitte nobis debita nostra* etc. Tractatu[s] dividitur i[n] 2 membra.

---

[1] Innocent., V. de s. Altaris mysterio c. 16: Haec oratio multis ex causis ceteris orationibus antecellit: auctoritate doctoris, brevitate sermonis, sufficientia petitionum et fecunditate mysteriorum. Auctoritate doctoris, quia fuit ipsius ore prolata; *os* enim *Domini locutum est* [Isai. 1, 20.]. Brevitate sermonis, quia facile dicitur et profertur; cum, inquit [Matth. 6, 7.], oratis, *nolite multum loqui, sicut ethnici* faciunt. Sufficientia petitionum, quoniam utriusque vitae continet necessaria: *Pietas* enim *promissionem habet vitae, quae nunc est et futurae* [I. Tim. 4, 8.]. Fecunditate mysteriorum, quoniam immensa continent sacramenta: *Pertransibunt* enim *plurimi et multiplex erit scientia* [Dan. 12, 4.].

[2] Matth. 6, 9, quo versu incipit etiam tractatus: *Sanctificetur* etc.; v. 14. seq. invenitur conclusio: *Si enim dimiseritis* etc.; quam A sic exhibet *et conclusionem: Amen*, omissa propositione: *Sed haec conclusio non est de integritate orationis.*

[3] Vers. 6. Cfr. Ps. 2, 11: Servite Domino in timore. — Innocent., loc. cit. c. 19: Dat ergo fiduciam impetrandi bonum. Non dicit: *Domine*, cui servitur in timore, sed *Pater*, cui servitur amore. Cfr. August., II. de Sermone Domini in monte, c. 4. n. 15. — Superius pro *petenti* B et edd. 1. (ed. sine indicatione loci et anni; cfr. Prolegom. § 7.) ac 2. (ed. Brixiens. an. 1497) *petendi.*

[4] Vers. 6, ubi Rabanus ait: *Creavit* ergo Deus hominem, quando materiam, unde formari posset, condidit. *Fecit*, quando illum ad imaginem et similitudinem suam formavit. *Possedit*, quando expulsis erroribus per fidem et gratiam suam vindicavit. — Innocent., loc. cit. c. 19: Deus generaliter et specialiter et singulariter dicitur Pater. Deus est Pater generaliter omnium per creationem, specialiter iustorum per adoptionem, singulariter Christi per generationem.

[5] Vers. 48. et deinde Luc. 11, 13, quem A omittit.

[6] Vers. 18, post quem Matth. 11, 27.

[7] Cfr. I. Sent. d. 31. p. II. a. 1. q. 1. seq.; II. Sent. d. 16. a. 2. q. 3. et dub. 3.

[8] Innocent., loc. cit. c. 19: *Qui es in caelis*, id est in Angelis, vel in Sanctis. Cfr. August., II. de Sermone Domini in monte, c. 5. n. 17.

[9] Vers. 20. — Duo seqq. loci sunt Phil. 2, 15. seq. et Matth. 5, 16.

[10] Psalm. 32, 6. — Subinde allegantur Isai. 66, 1. et Ps. 102, 19.

[11] Ut dicit Glossa *ordinaria* in Matth. 6, 9.

[12] Innocent., loc. cit. c. 16: Oratur autem et pro bonis adipiscendis et pro malis vitandis.

[In primo duplex petitio.] [Bona quatuor petenda.] Primo petitur pro *bonis adipiscendis* [1]. Sunt enim bona *aeterna*, quae « petuntur in *praemium* »: *Sanctificetur nomen tuum.* Petimus, quod ipsa *gloria* sive perfecta notitia confirmetur in nobis, et hoc erit in gloria perseverando [2]. — Sunt bona *spiritualia*, quae « petuntur in *meritum* », sive in bonum perseverantiae: *Adveniat regnum tuum*, id est Ecclesia, vel anima, in qua per gratiam regnas [3]; *adveniat*, id est in finem perveniat. — Sunt bona itidem *spiritualia*, quae petuntur in *bonum gratiae*: *Fiat voluntas tua*, id est [4], « libertas nostri arbitrii societur per gratiam tuae voluntati ». — Sunt denique bona *temporalia*, quae « petuntur in *sustentationem* » sive temporale subsidium: *Panem nostrum quotidianum da nobis* etc.

[Mala tria amovenda.] Secundo petitur pro *amovendis malis*, scilicet *praeteritis*, ibi: *Et dimitte nobis.* Pro amovendis etiam *praesentibus*, ibi: *Sed libera nos a malo.* Demum, pro amovendis malis *futuris*, ibi: *Et ne nos inducas in tentationem.* « Mala praeterita sunt *dolenda*, mala praesentia *vitanda* et mala futura *praecavenda* [5] ».

[Septem petitiones.] 5. Septem sunt *petitiones*, scilicet: *Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua. Panem nostrum quotidianum. Et dimitte nobis debita nostra. Et ne nos inducas. Sed libera nos a malo.* — [Item dona.] Septem sunt *dona*, scilicet sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas et timor. — [Beatitudines.] Septem etiam sunt *beatitudines*, nempe regnum caelorum, possessio terrae, consolatio, saturitas, misericordiae consecutio, visio Dei et filiatio Dei. — [Virtutes et vitia.] Septem *virtutes* sunt contra septem vitia, videlicet *paupertas spiritus* contra superbiam sive inanem gloriam, *mansuetudo* contra iram, *luctus* contra invidiam, *sitis iustitiae* contra acediam, *misericordia* contra avaritiam, *munditia cordis* contra gulam, denique *pax* contra luxuriam. — « *Homo* ergo, aegrotus; *Deus*, medicus; *vitia*, languores; *petitiones*, planctus; *dona*, antidota; *virtutes*, sanitates; *beatitudines*, felicitates et gaudia [6] ». *Petitionibus* dona, *donis* virtutes, *virtutibus* beatitudines obiiciuntur, et vitia excluduntur.

[Petitio prima.] 6. *Sanctificetur nomen tuum. Petitio*, sanctificatio; *donum*, sapientia; *virtus*, pax; *beatitudo*, filiatio Dei; *vitium*, contra quod, luxuria. *Sanctificetur nomen tuum.*

[De nomine Dei terribili.] *Nomen Dei* invenimus in Scriptura tripliciter: *terribile*; Deuteronomii vigesimo octavo [7]: « Nisi timueritis nomen eius gloriosum et terribile, hoc est Dominum Deum tuum, augebit Dominus plagas tuas ». [Admirabili.] *Admirabile*; Psalmus [8]: « Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra » etc. [Laudabili.] *Laudabile*; Psalmus: « A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini ». Est ergo nomen Dei *terribile* quantum ad potentiam, quae attribuitur Patri; est *admirabile* quantum ad sapientiam, quae attribuitur Filio; *laudabile* quantum ad bonitatem, quae attribuitur Spiritui sancto. *Sanctificatur* ergo, id est, in nobis firmatur, nomen tuum *terribile* in cognitione summae potestatis, *admirabile* in cognitione primae veritatis, et *laudabile* in cognitione summae bonitatis. — Dicit ergo: *Sanctificetur nomen tuum*, « quasi dicat: da nobis spiritum *sapientiae*, id est iucunditatem internam, ut *gustemus, quam suavis es*, et hoc generet in nobis *pacem*, et hoc *contra luxuriam*, quia *non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum* [9] ».

[Petitio secunda.] 7. (Vers. 10.). *Adveniat regnum tuum. Petitio*, adventus regni; *donum*, intellectus; *virtus*, munditia cordis; *beatitudo*, visio Dei; *vitium*, contra quod, gula. *Adveniat regnum tuum.* Regnum Dei dicitur *militans Ecclesia*; Matthaei decimo tertio [10]: « Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala ». Dicitur etiam regnum Dei *doctrina evangelica*; Lucae decimo sexto [11]: « Lex et Prophetae usque ad Ioannem, et ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit ». Dicitur denique regnum Dei *beatitudo aeterna*; Matthaei decimo tertio: « Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum ». De hoc praecipue accipitur quod hic dicitur, licet non incongrue de aliis accipi possit. — Dicit ergo: *Adveniat regnum tuum*, « quasi dicat: da nobis spiritum *intellectus*, quo *mundati corde* intelligamus te in praesenti regnare per fidem, ut in futuro videamus te regnare per speciem; et hoc est contra *gulam*, de qua dicitur: *Vinum et ebrietas auferunt cor* [12] ».

[Petitio tertia.] 8. *Fiat voluntas tua. Petitio*, voluntatem Dei fieri; *donum*, consilium; *virtus*, misericordia; *beatitudo*, misericordiae consecutio; *vitium*, contra quod, avaritia. — Voluntas Dei est ad tria: ad *creationem*; Psalmus [13]: « Omnia, quaecumque voluit, fecit »; ad *gratificationem*; primae ad Thessalonicenses quarto: « Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra »; et ad *glorificationem*; Ioannis sexto: « Haec est voluntas Patris mei, qui misit me, ut

---

[1] Innocent., loc. cit., dicit, quod in oratione dominica oratur « pro bonis temporalibus, spiritualibus et aeternis; pro malis praeteritis, praesentibus et futuris. De bonis aeternis: *Adveniat regnum tuum*; de spiritualibus: *Fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra*; de temporalibus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Aeterna petuntur in praemium; spiritualia petuntur in meritum, temporalia petuntur in sustentaculum ». — Cod. A hic prosequitur: *Sunt quadruplicia: primo aeterna, quae petuntur* etc. B omittit *Sunt enim.*

[2] Secundum Innocent., loc. cit. c. 26, nomen Patris sanctificatur, quando hic in via sancti sive filii Patris efficimur et in hac sanctificatione perseveramur, quae consummatur in patria, ita ut nunquam possimus a filiationis gratia separari. Secundum Hug. a S. Vict., II. Allegor. in N. T. c. 2, « nomen Dei fides, per quam credentibus innotescit. *Sanctificetur nomen tuum*, id est fides tua, quae est tui notitia ».

[3] Innocent., loc. cit. c. 25: Regnum Dei dicitur militans Ecclesia, quia regitur, et triumphans Ecclesia, quia regnat. Item regnum Dei dicitur et gratia fidei et gloria speciei. Rursus regnum Dei dicitur intellectus Scripturae et locus patriae. Hug. a S. Vict., loc. cit. c. 9: Regnum ergo Dei est, quo interius per gratiam praesidens, fluctuantes mentes hominum regit etc. — Superius pro *Sunt bona spiritualia* A *Secundo, bona spiritualia duplicia*, et inferius pro *Sunt bona itidem spiritualia* idem codex substituit *Secundo.* B superius omittit *Sunt bona* et inferius *itidem spiritualia.*

[4] Ut dicit Glossa *ordinaria* et Paschas. Ratbert. in Matth. 6, 10. — Inferius A B omittunt *Sunt denique bona.*

[5] Innocent., loc. cit. c. 16: De malis praeteritis: *Dimitte nobis debita nostra*; de praesentibus: *Libera nos a malo*; de futuris: *Ne nos inducas in tentationem.* Praeterita sunt dolenda, praesentia sunt vincenda, futura sunt praecavenda. — A et ed. 1. omittunt *Pro amovendis etiam* et *Demum, pro amovendis malis.*

[6] Innocent., loc. cit. c. 18, ubi etiam praecedentia scil. de septem donis, beatitudinibus et virtutibus contra septem vitia insinuantur.

[7] Vers. 58. seq. — Superius A B et edd. 1. et 2. omittunt *in Scriptura.*

[8] Psalm. 8, 2. et subinde Ps. 112, 3.

[9] Innocent., loc. cit. c. 26. Allegantur Ps. 33, 9: Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus (cfr. Sap. 12, 1: O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus) et Ps. 37, 4.

[10] Vers. 41. — De diversa acceptione *regni Dei* cfr. supra nota 3.

[11] Vers. 16. — Subinde allegatur Matth. 13, 43.

[12] Innocent., loc. cit. c. 25. Respicitur II. Cor. 5, 7: Per fidem enim ambulamus et non per speciem. Allegatur Osee 4, 11: Vinum etc.

[13] Psalm. 113, 11. (vel 3.). — Duo seqq. loci sunt I. Thess. 4, 3. et Ioan. 6, 40.

omnis, qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam ». Est ergo voluntas Dei *creans*, *gratificans*, de qua hic accipitur, et *glorificans*. Dicit ergo: *Fiat voluntas tua*, « quasi dicat: da nobis spiritum *consilii*, ut faciamus *voluntatem tuam*, maxime misericordiam, quae perimit *avaritiam*, quatenus misericordiam consequamur, iuxta illud: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Sicut enim avaritia consistit in acquirendo et retinendo, ita misericordia in dando et dimittendo [1] ». Quid autem prodest saepius dicere: *Fiat voluntas tua*, et nolle iuvare? Vult Deus, apud te esse pauperes, ut per eos salveris et corpore et anima. Cum enim defuerunt vasa, « stetit oleum [2] ». Vos venitis voluntatem frangendo.

Petitio quarta.

9. (Vers. 11.). *Panem nostrum quotidianum*. *Petitio*, panem dari; *donum*, fortitudo; *virtus*, esuries iustitiae; *beatitudo*, saturitas; *vitium*, contra quod, acedia. *Panem nostrum* etc. Est panis triplex: *corporalis;* Genesis tertio [3]: « In sudore vultus tui vesceris pane tuo »; *sacramentalis;* primae ad Corinthios undecimo: « Quicumque manducaverit panem hunc et biberit calicem Domini indigne »; *aeternalis;* Ioannis sexto: « Ego sum panis vivus », et ille praecipue dicitur *supersubstantialis;* Hieronymus [4]: « Supersubstantialis panis est qui dicit: *Ego sum panis vivus*, qui videlicet universas superat creaturas ».

Tres panes mystici.

Licet autem sint multi panes mystici, de his tribus tamen exponunt doctores quod hic dicitur. Unde Augustinus [5]: « Panis quotidianus dictus vel necessaria huius vitae, vel Sacramentum corporis Christi ». Oportet ergo coniuncto ista tria accipere, ut scilicet *panem quotidianum* petamus simul et necessaria corpori et visibile Sacramentum et invisibile Verbum Dei. De his tribus potest accipi illud Lucae undecimo [6]: « Amice, commoda mihi tres panes ». Primus panis est ad corporis sustentationem, secundus in via ad animae refectionem, tertius in patria ad aeternam fruitionem. — Dicit ergo: *Panem nostrum supersubstantialem* [7] etc., « quasi dicat: da nobis spiritum *fortitudinis*, qui multiplici pane roborat animam, ne deficiamus in praesenti, *esuriendo iustitiam*, per quam expellentes *acediam*, plena *iustitia* saturabimur in futuro, secundum illud Matthaei quinto: *Beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur* [8] ».

Petitio quinta de malis praeteritis amovendis.

10. (Vers. 12.). *Dimitte nobis debita nostra*. *Petitio*, dimitti debita; *donum*, scientia; *virtus*, luctus; *beatitudo*, consolatio; *vitium*, contra quod, invidia. *Dimittc nobis debita nostra*. Est *debitum offensae;* Matthaei decimo octavo [9]: « Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me » etc.

Triplex debitum.

Est *debitum bonae vitae;* Lucae decimo septimo: « Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere fecimus ». Est etiam *debitum pecuniae;* Proverbiorum vigesimo secundo: « Noli esse cum his qui defigunt manus suas et qui vades se offerunt pro debitis ». Agitur autem hic de debito *offensae*, non pecuniae [10]. Debitum primum, *malum;* secundum, *bonum;* et tertium, *indifferens*. Dicit ergo: *Dimitte nobis* etc., « quasi dicat: da nobis *donum*, scientiam; et *virtutem*, luctum, quo tam nostra quam aliena peccata cogitemus et defleamus, ut nobis debita nostra dimittas, et ita *consolationem habeamus* adversus *invidiam*, quae facit hominem de alieno bono tabescere [11] »; unde versus:

Invidus alterius macrescit rebus opimis.

Petitio sexta de malis praesentibus amovendis.

11. (Vers. 13.). *Et ne nos inducas in tentationem*. *Petitio*, non induci in tentationem; *donum*, pietas; *virtus*, mansuetudo; *beatitudo*, possessio terrae; *vitium*, contra quod, ira. *Et ne nos inducas*.

Triplex tentatio.

Triplex est tentatio: primo, *irritationis;* Exodi decimo septimo [12]: « Vocavit Moyses nomen loci illius *tentatio*, propter iurgium filiorum Israel, et quia tentaverunt Dominum dicentes: Estne Deus in nobis »? Secundo, *probationis;* Iacobi primo [13]: « Beatus vir, qui suffert tentationem »; Tobiae secundo: « Hanc tentationem ideo permisit Deus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiae eius, sicut et sancti Iob ». Tertio, *malae persuasionis;* Matthaei quarto [14]: « Accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es » etc.; primae ad Corinthios decimo: « Fidelis Deus, qui non patietur, vos tentari supra id quod potestis » etc. De hac tertia intelligitur principaliter quod hic dicitur. Dicit ergo: *Et ne nos inducas* etc., « quasi dicat: da nobis spiritum *pietatis* et *mansuetudinem* spiritus, ut per spiritum pietatis *vincamus tentationem*, exercendo nos ad pietatem, et per *mansuetudinem* vincamus *vitium*, scilicet *iram*, non reddendo malum pro malo, ut ita *beati possideamus terram viventium*, quam per spiritum pietatis et mansuetudinem obtineamus. Unde dicitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* [15] ».

Petitio septima de malis futuris amovendis.

12. *Scd libera nos a malo*. *Petitio*, liberari a malo; *donum*, timor; *virtus*, paupertas spiritus; *beatitudo*, regnum caelorum; *vitium*, contra quod, inanis gloria. *Scd libera* etc.

Liberatio triplex.

Liberatio a malo triplici: *culpae;* ad Romanos

---

[1] Innocent., loc. cit. c. 24. Allegatur Matth. 5, 7.

[2] Libr. IV. Reg. 4, 6: Cumque plena fuissent vasa, dixit [Sunamitis] ad filium suum: Affer mihi adhuc vas. Et ille respondit: Non habeo. Stetitque oleum. — Seq. propositionem *Vos venitis voluntatem frangendo* (videtur esse locus corruptus) A omittit.

[3] Vers. 19. — Duo seqq. loci sunt I. Cor. 11, 27. et Ioan. 6, 51.

[4] Libr. I. Comment. in Matth. 6, 11-13: Quando ergo petimus, ut *peculiarem* vel *praecipuum* [supersubstantialem] nobis Deus tribuat panem, illum petimus, qui dicit [Ioan. 6, 51.]: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi*... Possumus supersubstantialem panem et aliter intelligere, qui super omnes substantias sit et universas superat creaturas. Cfr. supra pag. 281, nota 1.

[5] Libr. II. de Sermone Domini in monte, c. 7. n. 25: Panis quotidianus aut pro iis omnibus dictus est, quae huius vitae necessitatem sustentant... aut pro Sacramento corporis Christi, quod quotidie accipimus; aut pro spirituali cibo, de quo idem Dominus dicit [Ioan. 6, 27.]: *Operamini escam, quae non corrumpitur* etc. Verba Augustini omittit A.

[6] Vers. 5, qui alio modo exponitur supra in Comment. in Luc. c. 11. n. 24.

[7] Termino *supersubstantialem* utitur Matth. 6, 11; Luc. 11, 3. dicit: *Panem nostrum quotidianum* etc. Cfr. supra Comment. in Luc. c. 11. n. 13.

[8] Innocent., loc. cit. n. 23. Allegatur Matth. 5, 6. Pro *roborat* textus originalis *roboret*.

[9] Vers. 32. — Sequuntur Luc. 17, 10. et Prov. 22, 26.

[10] Innocent., loc. cit. c. 22: Debita dicuntur peccata, quae nos debitores poenae constituunt. Non enim hic agitur de debitis pecuniarum, sed de debitis offensarum. Cfr. August., II. de Sermone Domini in monte, c. 8. n. 28.

[11] Innocent., loc. cit. c. 22. — Versus, qui sequitur et quem A omittit; est Horat., I. Epist. epist. 2. v. 57.

[12] Vers. 7. — Superius substituimus ex A *Triplex est tentatio; primo irritationis* pro *Est tentatio irritationis*.

[13] Vers. 12, post quem Tob. 2, 12.

[14] Vers. 3. et deinde I. Cor. 10, 13.

[15] Innocent., loc. cit. c. 21. Allegatur Matth. 6, 4. Pro *Unde dicitur* textus originalis *Nam pietas promissionem habet vitae, quae nunc est, et futurae* [I. Tim. 4, 8.] *et*.

sexto[1]: « Liberati a peccato, servi autem facti Deo »; a malo *miseriae;* ad Romanos octavo: « Creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei »; a malo *poenae aeternae;* Osee decimo tertio: « De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos ». Dicit ergo: *Sed libera nos* etc., « quasi dicat: da nobis spiritum *timoris,* ut per illum *vincamus mala,* per *virtutem,* id est per *paupertatem spiritus,* bona adipiscamur, quatenus, exclusis his et contemptis terrenis, habeamus aeterna, scilicet *beatitudinem regni caelorum,* quam lucifer et primi parentes per vitium *inanis gloriae* amiserunt[2] ».

13. *Amen.* Hieronymus[3] ait: « Scire autem debemus, apud Hebraeos in fine librorum unum e tribus solere subnecti, ut aut Amen scribant, aut Sela, aut Salom. Amen significat vere, vel fideliter; Salom significat pacem; Sela significat semper ». Nota, quod dici solet, quod Amen quandoque tenetur *nominaliter,* ut Apocalypsis tertio[4]: « Haec dicit Amen, testis fidelis et verus, qui est principium creaturae Dei ». Quandoque *adverbialiter,* ut ibi: « Amen, amen dico vobis ». Quandoque *verbaliter,* ut hic: *Amen,* id est, omnia praedicta fiant nobis ex tua gratia[5]. De Amen.

---

[1] Vers. 18. — Duo seqq. loci sunt Rom. 8, 21. et Osee 13, 14. — Superius fide A substituimus *Liberatio a malo triplici* pro *Est liberatio a malo.*

[2] Innocent., loc. cit. c. 20: Quasi diceretur: Da nobis spiritum timoris et paupertatem spiritus, ut per spiritum timoris *vitemus* mala, per paupertatem spiritus *abdicemus* bona, quatenus etc. Pro *adipiscamur* ed. 1. *adiiciemus* (abiiciamus?).

[3] Epist. 28. (alias 138.) n. 4. et 6. Vide etiam ipsius Comment. in Matth. 6, 13. Cfr. Innocent., loc. cit. c. 37. in fine. — Ed. 1. verba Hieronymi et quae deinde sequuntur omittit. Cod. A verba Hieron. transponit in finem.

[4] Vers. 14. — Sequitur Ioan. 1, 51. — Cod. A legit: *Amen aliquando tenetur nominaliter... secundo adverbialiter... tertio verbaliter* etc.

[5] Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Matth. 6, 9: *Amen* significat in omnibus his petitionibus, indubitanter a Domino tribui quod petitur, si ultimae conditionis pactum servare non negligimus; unde subdit: *Si dimiseritis* etc.

# INDEX

## EORUM QUAE IN SEPTIMO TOMO CONTINENTUR


Prolegomena in VII volumen . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . *pag.* VII
Cap. I. De genuino S. Bonaventurae Commentario in Evangelium Lucae . . . . . . . » »
Cap. II. De pluribus opusculis illegitimis vel saltem dubiis. . . . . . . . . . . . » XI
Elenchus codicum collatorum . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . » XVII
Tabula divisionum principalium Commentarii in Lucam. . . . . . . . . . . . . . » XVIII


### I. COMMENTARIUS IN EVANGELIUM S. LUCAE.


Prooemium Commentarii . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . *pag.* 3
Prologus S. Hieronymi eiusque expositio. . . . . . . . . . . . . . . . . . » 7
Commentarius in Evangelium . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . » 11


### II. APPENDIX.


Expositio Threnorum Ieremiae Prophetae . . . . . . . . . . . . . . . . . . *pag.* 607
Prooemium . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . » »
Expositio Threnorum . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . » 610
Expositio orationis dominicae . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . » 652


---

# INDEX RERUM

# QUAE IN COMMENTARIIS SEXTI ET SEPTIMI TOMI

## CONTINENTUR.

Numeri Romani significant tomos, primi arabici paginas, sequentes arabici spatiolo solo divisi paragraphos, sed numeri asteriscis distincti solutiones obiectorum in quaestionibus.

## A



A — Habere ab alio *vide v. Habere.*

Aaron — bonus pastor VI 226 v. 21 — deprecatus est pro populo fervore cordis et sanctitate conversationis et ratione officii pontificalis *ibid.* VII 577 41 — verbo vicit populum rebellantem VI 227 v. 22 — exstinxit ignem se ipsum interponendo *ib.* v. 23

— Virga Aaron mirabiliter produxit amygdalas VI 96 a — Virga Aaron significat rectitudinem virtutis VII 277 79

Abel — primus iustus fuit a fratre occisus VI 172 v. 3. VII 308 97 — Interfectus a fratre est figura passionis Christi VII 595 34 — designat ordinem Martyrum 308 79

Abigail — humilitate, qua se obtulit ad ministerium, est figura beatae Mariae Virginis VII 26 68. 276 78 — Benedictio eius impleta est in Maria 29 79

Ablata — non repetenda ex cupiditate VII 155 74, 75 — Communitas perfectorum potest proprium ablatum repetere zelo iustitiae *ib.* 75

Abnegatio — sui consistit in omnimoda humilitate VII 228 37 — necessaria volenti sequi humilem Christum *ibid.* — In abnegatione intelligitur votum obedientiae *ib.* 38 — sui per propriae voluntatis abiectionem consulitur contra superbiam vitae VI 584 3

Abominatio — *Vide v. Altitudo.*

Abortivus — caret multis miseriis VI 50 v. 3. 51 q. 3 — frustra venit, quia statim moritur *ib.* v. 4

Abraham — ei primo data est repromissio de Christo VI 346 35. VII 34 100. 40 130. 86 60. 344 31. 418 44 — quaesivit signum propter publicationem divini promissi, non propter haesitationem animi VII 18 30 — in repromissione Dei non haesitavit diffidentia *ibid.* 213 89 — credidit, quia consideravit divinam potentiam 18 30 — Benedictio promissa Abrahae impleta est in Maria 29 78 — Generatio Abrahae non erat naturalis, sed mirabilis 14 11

— vidit Christum fide tantum et gavisus est VII 265 41 — vidit diem Christi in Domini promissione VI 370 80 — non potuit evadere mortem *ib.* 77 — susceptus est in loco quietis tanquam in sinu merito fidei VII 418 44

— dicitur iustus antonomastice, et sine querela VI 172 v. 5 — eius opera sunt fides, obedientia et mansuetudo 366 58 — servavit sermonem Domini 370 76 — nesciens Angelos hospitio recepit VII 596 36 — vocatur puer propter humilitatem 459 31 — liberatus a tentatione superbiae VI 175 v. 14 — a compatriotis patitur VII 101 51 — pater piissimus denegat misericordiam immisericordibus 425 61 — Praeceptum datum Abrahae de immolando filio erat probationis 120 30 — secundum Samaritanos adoravit in monte illorum VI 295 35

— est pater Iudaeorum secundum generationem VI 365 54 — habet duo genera filiorum, secundum carnem et secundum imitationem *ib.* 55. VII 353 60. 422 54. 477 13 — merito fidei dictus est pater multarum gentium VII 418 44 — gerit typum praelatorum 150 57 — Filii Abrahae sunt qui imitantur eum per fidem 74 18, 19 — Semen Abrahae sunt credentes 34 100 — Abrahae filii suscitati de lapidibus sunt credentes ex gentibus 74 19

— Abrahae sinus est locus quietis VII 418 44 — Ratio nominis *ibid.* — Per sinum Abrahae intelligitur requies beatarum animarum 419 45 — Sancti Patres conservabantur in sinu Abrahae quasi in loco familiari 418 44 — Abrahae sinus ante apertionem ianuae erat in limbo *ibid.*

Abrenuntiatio — temporalium contra concupiscentiam oculorum consulitur ad sequendum Christum VI 584 3. VII 129 67.



228 38. 463 41. 511 32 — omnium per contemptum temporalium est omnibus necessaria VII 380 65, 66 *Vide v. Paupertas.*

Abscondita — manifesta sunt Deo VII 311 5 — Peccator quaerit abscondi a facie Dei, volens latere in malo VI 65 v. 3 — Fideles nihil a Deo absconderent, etiam si latere possent VII 221 16 — Abscondere ad tempus stultum est, quia in iudicio oportet omnia manifestari 196 26 — Deus in iudicio manifestabit abscondita *ibid.* 311 5 — revelantur per Angelos VI 240 3

— Considerare abscondita est praesumtio spiritus VI 53 v. 9, 10 — Qui volunt perscrutari de absconditis evanescunt *ib.* v. 10 — Doctrina non est abscondenda VII 251 108. 484 32, 33 — Sapientia et intelligentia divini verbi non abscondenda 196 23 *Vide v. Scientia.*

— Deus se abscondit malis, infirmis et bonis VI 577 2, 3 — Absconsio Domini est beneficiorum suorum subtractio 623 2

Absolutio — sacerdotis non valet nisi ei quem Deus vivificavit VI 514 49 3* *Vide v. Solvere* et *v. Sacerdos.*

Abstinentia — designatur per strationem vestium VII 492 54 — Per abstinentiam in vera poenitentia mundamur exterius 294 52

Abundantia — non prolongat vitam, sed frequenter abbreviat VII 317 25 — cum securitate parit malum lasciviae 318 29 — a malis vertitur ad perversitatem voluptatis 526 17 — divina excedit nostram indigentiam 224 27 — significatur numero duodenario *ibid.*

Abusio — temporalium est mala VI 47 b. 49 q. 3. 129 v. 12 — bonorum temporalium est cavenda propter infamiam dissipantis VII 404 3

Accedere — ad Christum fit per fidem VII 164 106. 167 5. 211 81. 241 78. 420

49 — Ad Deum acceditur intentione mentis, non passibus corporis VI 166 v. 21 — Accedendum ad Deum ad consulendum et ad offerendum 623 5

Accipere — De plenitudine Christi accepimus doctrinam, gratiam, virtutem protectionis et praemium retributionis VI 539 6 — De plenitudine Christi accipiunt innocentes, obedientes, pugnantes et contemplantes, non vero ignoti, ignari, indigni et ingrati *ib.* 8. 540 9 — Ratio accepti obligat ad gratiarum actionem, ad mentis humiliationem, ad virtutis profectum et ad acceptorum distributionem 539 7

— Acceptio personarum vitanda praelatis VII 434 23

Accusare — Ad accusandum proximum obligat praeceptum divinum vel humanum VI 84 a — proximum sine necessitate vel utilitate non licet *ib.* 2* — Peccator existens in mortali et notorius in eodem genere peccati accusando alterum peccat duplici peccato scandali et contemptus; peccator occultus peccat contemptu, non accusando, sed se negligendo 356 15 — Infamatores accusantes humiliantur 573 3 — Culpa proximi accusari potest et debet praelato, etiam nulla praecedente correptione 428 9 — Accusatio facienda est extra iudicium, si sit occulta, et in iudicio, si habeatur probatio certa *ibid.*

— Lex non damnabat sine accusatore VI 357 16 — Actores citandi sunt ad audiendam sententiam, qua reus debet absolvi vel condemnari VII 569 17 — Se ipsum accusare honorificat Deum 435 29 — Accusanti se prius culpa dimittitur VI 573 3

— Animam spiritualiter adulterantem accusat conscientia, fama, lex divina et diabolus VI 573 2 — Peccata dicuntur accusare reprobos ut materia accusationis 137 a — Christus neminem accusat, quantum est de se 317 77. 318 81 — Christus liberat animam ab accusatione conscientiae culpam dimittendo, ab accusatione famae humiliando infamatores, ab accusatione legis divinae in foro misericordiae, ab accusatione diaboli eum prosternendo 573 3 — Diabolus accusat ex malignitate 574 3

Acetum — secundum aliquos dabatur crucifixis, ut citius interirent VI 501 58

Achaz — signum petere recusavit propter obstinationem delicti proprii VII 18 30

Acidia — opponitur fortitudini VI 295 56 — est infirmitas VI 587 6 — est mors culpae 589 5 — Malitia acidiae consistit in discedendo a bono opere 37 v. 1 — Propter acidiam homo redditur taediosus et piger ad omne bonum et per hoc stultus 38 v. 5 — arefacit animam VII 140 21 — Per acidiam bona animae dissipantur 391 25 — Acidiosi portant crucem cum murmure, poena et violentia 572 30 — Cibus acidiae facit morari VI 557 1 — non inveniens quietem interius quaerit exterius 20 a

— designatur in lecto VII 196 23 — est lutum grave et ponderosum VI 581 5 — significatur pigritia pedum VII 361 11 — significatur per paralysim VI 587 7 — Acidiosi colunt lunam 193 v. 2

Actio — In agendis informant ea quae Christus gessit VI 578 5. 601 v. 15 — In agendo dirigunt prudentia et iustitia 162 v. 7 — Strenuitas in agendo *vide v. Operatio.* — In actione medium teneri debet, declinando superfluum et diminutum VII 434 23 — sunt rectificandae 72 11 — Divisio in actu impedit totaliter tendere in Deum 274 71 — Vitanda est actuum divisio *ibid.*

— Opera quaedam mox nominata coniuncta sunt malo et nullo modo possunt bene fieri; quaedam sunt bona in genere et possunt bene fieri, cum adest bona intentio; quaedam non fiunt bona sola intentione, nisi adsit causa et ordo VI 457 9 — mala ratione boni substrati est a Deo, non ratione deformitatis 249 14

— Omne, quod dicit puram actionem, est commune tribus personis divinis VI 310 45

Activi — sunt servi, qui Deo impendunt obsequium actionis VI 576 5. 628 3 — Activorum est instanter bene operari 75 a — debent exerceri in operibus pietatis 32 a — offerunt Christo ramos bonorum operum 594 2 — Actio est quasi hortus bonorum operum 619 4 — Christum bonis operibus confitentur VII 147 47 — Ad activam pertinet partus spiritualis per operationem 297 63 — Activa consistit in regimine domus propriae 63 84

— Per actionem est egredi VI 385 11 — sunt mobiles 157 v. 23 — ad modum molae circumeunt et decurrunt nec in uno opere sistunt VII 446 59 — Activa sollicitudinibus anxiatur VI 410 2 — Vita activa habet sollicitudinem, turbationem et divisionem actuum VII 274 71

Circa activam versatur homo quantum ad inferiorem rationis portionem VII 446 59

— Activis necessaria est humilitas, operum strenuitas, intentionis simplicitas, caritas, eloquii suavitas, munificentiae largitas VI 22 a sq. — Activis necessaria est veritas vitae 607 2 — maiorum consilio reguntur VII 446 59 — Activae necessaria est purgatio a negligentia per rigorem et laborem 57 55 — Activis competit gemitus pro peccatis propriis et alienis *ib.* 57 — debent erigi spe aeternorum praemiorum et deprimi terrore suppliciorum 446 59 — In actione debet esse custodia quantum ad actum, affectum et verbum 433 23 — Christus dedit exemplum ad exercitium actionis perfectae 539 59

— Activa consistit in operando viriliter et in praesidendo sollicite VII 431 18 — Ad activos pertinent poenitentes et obedientes VI 601 v. 23 — sunt revertentes per poenitentiam, vel proficientes per obedientiam, vel ascendentes per vitae excellentiam 623 3 — Actionis exercitium convenit praedicatori VII 114 7

— Per vitam activam venitur ad contemplativam VI 243 9 — Prius oportet transire per activam VII 434 23 — Activa est anterior, poenalior et fecundior, valet enim sibi et aliis 275 75 — Labor activorum transit *ib.* 74 — Actio est prior contemplatione ratione temporis, non dignitatis VI 164 v. 16 — Egressus a contemplatione ad actionem non est retrocessionis, sed exercitationis 386 15 — Post contemplationem redeundum ad exercitium actionis VII 53 41 — Interdum descendendum ad actiones 356 72 — Activa reddit hominem Deo acceptabilem 57 54 — omnes Ecclesiae deserviunt 446 59

— Activa est necessitate sustinenda VII 274 70 — Activa non est despicienda, sed ad tempus praeeligenda 275 75 — Activa praeeligenda est viro imperfecto, vel cum quis obligatur ex praecepto sive ex officio *ibid.* — Activa aliquando praeeligenda a viris spiritualibus *ibid.* — Reprehensibiles sunt qui, dum volunt arcem contemplationis ascendere, volunt quiescere et ad laborem actionis recusant descendere 236 62 — male praeponunt suum officium contemplationi 273 70

— Virtus activorum reficitur per gratiam VI 555 2 — impendentes Deo obsequium bonae operationis per hoc eum cognoscunt 602 3 — promoventur a Christo in iustitia quantum ad intellectum, affectum et effectum 574 5 — Activis incedentibus per viam bonae actionis Deus dat testimonium 597 v. 28 — exaltabuntur ratione obsequii ut fideles servi 596 4 — boni assumuntur ad gloriam VII 446 59

— intelliguntur per Martham, Iob et Iacobum VI 592 v. 5. 623 2 — Activa significatur per Martham 400 31. 410 2 — Activa significatur per Petrum 528 51 — intelliguntur per Iob VII 172 31. 230 35. 348 44. 446 58 — Activa designatur per Liam 275 75. 434 23 — designantur in turba, quae versatur in fluctibus mundi 172 31 — Activa recte intelligitur per molam 446 59 — designantur per feminas molentes *ibid.* — Vita activa intelligitur per columbam 57 54, 57 — intelliguntur per mare amarum 22 45. 57 55

Actus — In Actibus Apostolorum determinatur potissime reductio per gratiam Christi ad Deum VII 10 *Vide v. Lucas.*

Acumen — bonitatis et sapientiae per culpam retunditur et per correctionem restituitur VI 83 v. 10

Adam — interpretatur homo VII 88 b — est pater totius generis humani VI 171 v. 1 — factus est a Deo immediate *ibid.* — dicitur formatus ex parte corporis et creatus ex parte animae *ibid.* — eductus de limo ex parte corporis 172 v. 2 — conditus est cum veste innocentiae VII 396 37 — habuit corpus animale cum possibilitate moriendi 515 42 — de cuius latere formata est Eva, est figura passionis Christi 595 34

— ante lapsum videbat Deum per speculum lucidum et oculo claro VI 255 43 — habuit potestatem regendi omnia et dominandi omnibus per rationem 172 v. 2 — Sapientia custodivit Adam a peccato in terrestri paradiso in statu innocentiae 171 v. 1 — liberatus a tentatione hostis 175 v. 14

— tentatus fuit secundum triplex bonum commutabile VII 90 8 — Tentatio

per auditum introivit 578 44 — in primo delicto male delectatus est in quadruplici sensu VI 618 v. 29. VII 578 44 — voluit per superbiam rapere Deo dignitatem propriam VII 575 38

— ligatus poenalitatibus, quando insanivit per culpam VI 567 4 — Per carnalem generationem Adae clauditur caelum VII 83 52 — Adae culpa remissa est per poenitentiam VI 171 v. 2 — sepultus est in Hebron VII 576 39

Adamas — trahit ferrum non per violentiam, sed a tota specie VI 567 3

Addiscere — Addiscentis exercitium est, ut audiat et interroget de dubiis VII 67 101 — Ad addiscendum necessaria est mansuetudo 97 34 — Maxime addiscimus visu et auditu VI 15 b — Appetitus addiscendi crescit in curioso cum scientia 21 a — Simplices magis solliciti sunt addiscere salutaria quam mundi sapientes VII 75 23

Adhaerere — Deo est vita beata VII 274 72 — Deo est unum necessarium *ibid.*

Adiutores — infirmorum sunt viri simplices et spirituales VII 124 46 — Studiosus quod sibi deest supplet per adiutorium alienum 473 6

Admiratio — parit cognitionem sive inquisitionem VII 37 115 — est reverentiae *ibid.* — Admirantes quaerunt videre 220 14 — potestatis concomitatur timorem maiestatis 200 41

Admonitiones — movent rationalem VII 90 5

Adolescens — Adolescentia est aetas laetitiae apta VI 91 v. 9 — In adolescentia non laetandum, quia cito transit, et ideo vana est *ib.* v. 10 — Adolescentia est tertia aetas hominis, in qua magis requiritur fructus VII 340 15 — Adolescentis non est docere nisi de privilegio speciali gratiae 85 57

— noluit sequi Christum amore praesentis prosperitatis VI 584 5 — abiit a Christo amore terrenae proprietatis 568 2

— suscitatus probatur vivens motu et sensu VII 171 26 — suscitatus loquebatur verba divinae laudis *ibid.* — Christus adolescentem suscitatum dedit custodiendum matri suae VI 591 4 — suscitatus ab Elia VII 172 32

— Per adolescentem mortuum, qui effertur extra portam, significantur peccantes in opere VI 563 2. 585 1. 593 v. 44 2. VII 215 96 — mortuus inventus ad portam civitatis significat statum peccantium in opere, quia iam processit peccatum et patuit VII 172 32 — mortuus designat statum iniustitiae, resuscitatus statum poenitentiae *ib.* 31, 32 — surgit deserendo culpam 394 32 — suscitatus dicitur residere, quia post peccatum operis remanet pronitas 215 96

Adoptio — Per adoptionem Deus est Pater noster VII 9 9 — Regeneratio adoptiva fit per Christum Filium Dei naturalem *ibid.*

Adoratio — Deus solus latria est adorandus VI 381 49. VII 92 15. 93 17 — Praeceptum adorationis est primum et praecipuum et maxime in mente habendum VII 93 16 — Praeceptum adorationis est principium praeceptorum legalium 499 71 — Deus mane adorandus VI 216 v. 28 — Divina potentia adoranda in templo Ecclesiae 549 8

— In veteri lege non in quocumque loco adorandum erat VI 295 35 — Adorandum versus orientem 216 v. 28 — Tempore gratiae locus orationis non determinatur alicubi, sed ubique 295 36 — Veri adoratores Deum ubique adorant 296 43

— perfecta est in spiritu et in veritate, contra localitatem et reiecta figura VI 295 38 — Deum in spiritu et veritate oportet adorare, ut sic ei conformentur, ut sint in spiritu, non in carne, in veritate, non in fictione *ib.* 39 — Adorandum corde 549 8 — In veteri lege Deus non perfecte adorabatur 295 36, 38 — Signum adorationis est procidere in faciem VII 119 26

Adulatio — stultorum decipit VI 56 v. 6 — parum durat et multum sonat *ibid.* — Adulatoria laudatio facit superbire, non videndo defectus et imperfectiones bonorum suorum 135 v. 12 — sepelit impios 68 v. 9 — Qui cupit habere adulationem non metit vitam aeternam 90 b — est contemnenda *ibid.* — citissime est repellenda VII 481 27 — vitanda a praedicatoribus exemplo Christi 112 96, 98 — repugnat veritati Christo *ib.* 98 — in praedicatore venit ex cupiditate 218 6

Adulterium — Adulteri erant lapidandi secundum Legem VI 354 6 — est magna causa tristitiae 202 v. 24 — maximum peccatum 129 v. 12 — spirituale est haeresis et idololatria *ibid.* VII 298 64 — est propagatio impietatis VI 133 v. 3

— Narrationem de adultera esse de serie Evangelii VI 355 13 — Adultera remansit sola coram Christo ut eius iudicio relicta *ib.* 10, 12. 357 16 — Mirabilis misericordia Salvatoris in absolutione adulterae 573 1. 574 3

Adversari — Omnino adversanti omnino adversandum est ad cautelam VII 502 4

Adversarius — Christi adversarii sunt superbi et ambitiosi VII 525 14 — contrarius carnalibus desideriis est sermo Dei sequendus in via 335 85, 86

Adversitates — sunt aquae amarae, validae et profundae, quas timemus, ne amaritudine affligamur, valitudine subvertamur, profunditate submergamur VI 627 7 — Tempore adversitatis est plorandum 30 v. 4 — est malis utilis, divina gratia interius adiuvante 70 q. — est melior et utilior perfectis, non imperfectis *ibid.* — Timor futurae adversitatis quosdam impedit, ne sequantur Christum 584 5 — provenire iustis quasi impiis, iniustum videtur 69 v. 14 — est impugnatio hostis, qua infirmi moriuntur 559 v. 49 1

— mundanae sunt superandae exemplo Christi VI 611 v. 33 — Adversa sustinenda exemplo Christi in cruce 619 v. 2 — Adversa toleranda ex fide resurrectionis 620 2 — Divinum auxilium confortat in aquis adversitatum amaritudinem dulcorando, profunditatem exsiccando, valitudinem retardando 627 8 — Sustinentes adversa merentur possidere regnum ut socii Christi in acquisitione 615 3

Advocatus — est mediator VI 443 36 — Advocati officium est postulare, respondere et adversam partem arguere *ibid.* — aliquando non petit pro se, nec quia ipse vult, sed pro alio, et quia alius vult 419 42 3* — Homo indiget advocato propter reatum culpae 602 1 — quaeritur ad propugnandum, ad proloquendum et ad intercedendum 603 2 — Advocato committuntur ea quae iuris sunt, sed in his quae sunt facti non redimit errorem clientum *ib.* 4

— noster est Christus et Spiritus sanctus VI 441 25 — quantum ad personam est Filius, quantum ad officium Spiritus sanctus 443 36 — noster ad propugnandum datus est Christus, datus ad proloquendum Spiritus sanctus, datus ad intercedendum beatissima Virgo 603 2, 3, 4 — Advocati iustorum sunt Christus et Spiritus sanctus et beata Virgo 137 v. 1

Aedificatio — est reformatio constructi VI 29 v. 3 — Aedificandum est, cum adest rerum copia 30 v. 3 — Aedificiorum amplitudo damnatur exemplo Christi nati in loco arctissimo VII 47 14 — Aedificia dicuntur ruere ante diem iudicii 535 47

— Aedificare significat profectum virtutis VII 164 107 — Aedificare est in actionibus 376 56 — Aedificandum aedificium septem virtutum, antequam erigatur turris perfectionis 377 57 — Aedificium perfectionis ascendit a fundamento timoris usque ad culmen sapientiae *ibid.* — Aedificii virtutum et perfectionis Christus est fundator et fundamentum et complementum *ibid.* — Aedificatio Christi est vir spiritualis ascendens ad virtutes *ibid.* — Aedificatione aedificii virtutum et perfectionis completa, Dominus apparet ad inhabitandum *ib.* 58 — In baptizatis aedificatur habitatio Christi VI 31 v. 8

— Ad aedificandum sumtus necessarii sunt sufficientes conatus mentis ad cooperandum gratiae et voluntas perseverandi VII 377 58 — Aedificium non perficitur sine perseverantia *ibid.* 378 59 — Non perficientes aedificium inchoatum deridentur a diabolo et a mundo 378 60. 381 68 — Aedificium boni inchoati destruitur per recidivationem et dissolutionem 378 59 — Origo destructionis omnium spiritualium aedificiorum est infidelitas 498 69

— Ecclesiae fit per verbum praedicationis VI 549 7 — Ecclesia aedificatur luce bonorum operum VII 302 76 — Operibus aedificationis magna debetur corona 427 6

Aegidius — frequentissime raptus docet gradus contemplationis simplici sermone, sed non scientia VII 231 48

Aegritudines — animae curantur consideratione exemplorum Christi VI 301 82 — triplex, animae, carnis et utriusque sa-

natur a Christo VII 189 4 — Magna crudelitas est affligere aegrotos 427 6

Aegyptii — Deum contemnebant et eius populum opprimebant VI 228 v. 1 — colebant deos sub specie serpentis et bestiarum 180 v. 16 — agnoverunt verum Deum per afflictionem animalium, quae colebant 191 v. 26 — male se habuerunt ad Israelitas peregrinantes 231 v. 12 — non recipiebant, vel male hospites Israelitas *ib.* v. 13-15 — inique oppresserunt Israelitas et infantes eorum submerserunt 217 v. 2

— putabant impedire liberationem Israelitarum VI 218 v. 2 — non credentes propter relaxationem singularum plagarum, in ultima plaga promiserunt dimittere Israelitas 224 v. 13 — promiserunt se Deo Hebraeorum credere, si liberarentur a morte *ibid.* — poenitentes de dimissione Israelitarum, cogitaverunt eos per vim reducere et eos persecuti sunt 228 v. 2, 3

— patiebantur secundum merita peccatorum suorum VI 231 v. 12 — puniti sunt non secundum ordinem naturae, sed divinae iustitiae 213 v. 17, 18 — ex afflictione sua poterant cognoscere iustitiam Dei, ex liberatione misericordiam 211 v. 8 — puniti sunt cum mansuetudine propter praesentiam filiorum Israel 214 v. 18 — orante Moyse a singulis plagis liberabantur 189 v. 20 — dure puniti sunt, sed per flagella non sunt emendati, sed deteriorati 179 v. 11 — excaecati, ita ut inter flagella peiores fierent 232 v. 16 — aliqui inter flagella correcti esse videntur et cum Israelitis iverunt 191 v. 26

— eorum plagae praecognitae Patriarchis et praenuntiatae Israelitis VI 223 v. 6 — praemoniti, ne excusarentur per ignorantiam 226 v. 19

— omnes puniebantur corpore, vel mente VI 179 v. 12 — habebant poenam plagarum succedentium cum dolore ex recordatione praeteritarum 180 v. 13

— iuste puniti sunt propter infidelitatem VI 217 v. 1 — puniti maxime propter idololatriam 191 a. 231 v. 12 — puniti propter filiorum Israel depressionem iniustam et propter idololatriam 177 a. 213 v. 17, 18 — murmurantes contra Deum condemnati sunt 191 v. 26

— qui Israelitas iniuste detinere volebant, puniti sunt defectione potus, aqua versa in sanguinem VI 178 v. 5, 6. 179 v. 8 — Per sitim Aegyptiorum, aqua versa in sanguinem, figurabantur ipsi in mari rubro necandi, vel eorum poena aeterna 179 v. 9 — afflicti per aquam in Aegypto et in mari rubro 231 v. 12

— idololatrae puniti sunt immissione bestiarum VI 181 v. 16 — idololatrantes afflicti sunt per vilia animalia 209 v. 1. 211 v. 9. 232 v. 17 — per modica et contemptibilia animalia affligebantur, ut insensati 191 v. 25 — a vilibus animalibus sine remedio occidebantur 211 v. 9 — Terra Aegypti mirabiliter produxit muscas loco animalium naturalium et Nilus ranas loco piscium 230 v. 10

— negantes, se nosse Deum, afflicti sunt grandine et igni 213 v. 16. 214 v. 19. 215 v. 22 — inclusi domibus propter grandinem et ignem putabant latere Deum 218 v. 2, 3

— puniti tenebris VI 217 v. 2. 218 v. 3. 219 v. 9. 220 v. 15, 16, 17. 221 v. 20 — territi tenebris et rumoribus et personis apparentibus 218 v. 4, 6. 220 v. 13, 17 — territi fulminibus 218 v. 6 — Aegyptiis defuit lumen ignis et stellarum, quia rebelles fuerunt lumini spirituali *ib.* v. 5. 220 v. 13 — privati luce et clausi carcere tenebrarum, quia non permittebant Israelitas exire 222 v. 4 — non videbant astantes, impeditis oculis quadam caecitate, et medio obscurato tenebris *ib.* v. 1 — percussi sunt caecitate corporali per plagam tenebrarum et caecitate spirituali per mentis excaecationem 231 v. 16

— qui non timebant monstra, timebant animalia ferocia VI 219 v. 9 — Magi non potentes expellere mala, deridebantur *ib.* v. 7, 8

— occidentes infantes Hebraeorum puniti sunt occisione omnium primogenitorum VI 223 v. 5. 224 v. 11, 12 — occisi per Angelum exterminatorem 223 v. 7. 224 v. 12, 14. 225 v. 16 — Luctus Aegyptiorum de primogenitis 224 v. 10 — Aegyptiorum primogeniti occisi media nocte propter improvisionem *ib.* v. 14 — dormientes territi somniis 225 v. 17

— obliti priorum plagarum submersi sunt VI 229 v. 4 — iuste obstinati et submersi *ibid.* — submersi in mari rubro 176 v. 19. 223 v. 5. 228 v. 1 — submersi per miraculum 229 v. 5 — iuste puniti sunt interitu pro oppressione filiorum Israel 210 v. 4 — occisi sine misericordia, quia impii et sine misericordia erant 228 v. 1 — oppressi vindicta Dei *ibid.* — occisi propter duritiam cordis rebellantis 225 v. 18

— Aegyptus interpretatur tenebrae et significat defectus considerandos VII 57 56 — Non revertendum in Aegyptum, id est ad mundum 252 b

Aemulatio — sancta est infirmitas causata ex dilectione Dei VI 586 2 — parit indignationem VII 343 28 — stulta oritur ex praesumtione *ibid. Vide v. Invidia.*

Aenigmata — per Christum conversa sunt in lucem VI 270 12 — sunt simplices propositiones obscurae 162 v. 8

Aequalitas — cum Deo competit soli Filio, quam lucifer appetens corruit VII 517 48

Aequitas — iustitiam facit irreprehensibilem VI 143 v. 19 — servanda in iudicio sine personarum acceptione 541 9 — est scutum 226 v. 21

Aer — est mutabilis per ventum, quo movetur per se, vel ad motum vaporis VI 12 b — dicitur mollis, quia non resistit tactui 120 v. 3 — significat intentionis vacuitatem in impiis *ib.* v. 5

Aera — duo a vidua oblata sunt figura corporis et animae hominis, quae reddenda et offerenda sunt Deo VII 511 32 — duo offeruntur per mortificationem carnis et paupertatem spiritus 522 7 — duo sunt figura fidei et caritatis, vel geminae fidei, vel geminae caritatis 523 8 — minuta, quae sunt fides et caritas, Deo sunt maxime accepta *ibid.*

Aestas — est claritas aeterna in regno Dei, in qua colliguntur fructus, cessat pluvia lacrymarum, nubilum tribulationum et frigus cupiditatum VII 537 51

Aestimatio — *vide v. Cognitio* et *v. Iudicium.*

Aestus — Per aestum intelligitur fervor caritatis VII 334 82 — Per aestum intelligitur devotio inflammans *ib.* 83

Aetas — Aetates sex sunt in decursu mundi secundum sex distinctiones notabiles VII 55 48 — Tempus sextae aetatis est finis saeculi 370 38 — septima est in quiete animarum 55 48. 356 70 — septima quietis animarum incepit die Sabbati, qua Christus sepultus est 361 13 — septima currit simul cum sexta et non habet vesperam 55 48 — octava est in resurrectione *ibid.* 356 70 — octava inchoata est in capite nostro Christo 592 18 — septem decurrunt inter Ecclesiam militantem et triumphantem et octava inchoata *ibid.* — Aetates octo mundi significantur per dies octo 55 48 *Vide v. Dies.*

— Tres status praesentis vitae VII 326 57. 339 12 — hominis sex 340 15

Aeternitas — est incommutabilis vitae tota simul et perfecta possessio VII 467 51 — Aeternum excedit temporalia in infinitum *ibid.* — proprie dicta est per carentiam finis 24 59 — perfectione superat tempora multa VI 135 v. 13 — In aeternitate nulla est praeteritio 247 7 — comprehendit omne tempus propter diversas proprietates 461 26 1* — Aeternitatis dicuntur plures dies propter multitudinem rerum et effectuum 169 v. 10

— Aeternum dicitur quod non habet finem in Scriptura praescriptum, vel habet finem, sed non in tempore, vel cuius significatum non finitur, vel cuius substantia non finitur, vel cuius substantia nec finitur nec incepit VI 14 b — est solius Dei 4 5. 14 b — Interminabilitatem non potest quis habere nisi a fonte immortalitatis 4 5 — Aeternum potest oriri ex actione temporali VII 160 91 — Quae fiunt sub tempore a bona voluntate pro aeternitate, transeunt actu, sed manent radice et fructu VI 14 q. 1 *Vide v. Poena.* — Aeterna unum sunt 170 v. 15

— Dies aeternitatis memorandi ad sperandum VI 91 v. 8 — Desiderium aeternitatis augetur in tribulatione VII 438 38, 39 — Bona aeterna *vide v. Bonum.*

Aevum — *Vide v. Angelus.*

Affabilitas — non prohibetur discipulis Christi VII 255 9

Affectus — sequitur intellectum nec se extendit, ubi intellectus non praecedit VI 54 q. 1 arg. 2 — latens apparet in affectu VII 171 23 — Affectum comitari decet effectum *ib.* 24

— dicuntur pedes VI 426 11. VII 258 20 — quatuor sunt quatuor anguli do-

mus, qui concutiuntur tentatione diaboli VII 201 44

— magis unitur quam intellectus VI 328 56 — In affectu est cibatio *ibid.* — eius est sapere 133 v. 3 — eius est gustare Deum per devotionem 112 v. 2 — reficiendus studio sapientiae 163 v. 9 — reficitur ex quinque considerationibus intellectus 319 11 *Vide v. Panis.* — Radix merendi principaliter respicit cordis affectum VII 522 6

— innovatur a caritate VII 134 85 — transfigitur per ardorem dilectionis VI 590 13 — Fervor affectionis necessarius ad orationem Deo placitam VII 448 1 — Affectus habet ordinari respectu maiestatis et respectu bonitatis 279 8

— Turbatio in affectu impedit nos, ne totaliter tendamus in Deum VII 274 71 — Progressus affectionis impeditur perversitate intentionis VI 584 6 — Affectiones peccatoris ligantur per malum amorem, ne culpam detestetur 593 v. 44 1 — Mundus trahit ad perversam affectionem 473 27 — mala pervertit hominem 18 b — saepe pervertit iudicium rationis 23 a

— Affectiones sunt lavandae VI 598 1 — Affectiones sunt rectificandae VII 72 11 — carnales praecingendi sunt cingulo virtutis 325 53

— Christus separat ab affectu carnali VII 332 75, 76 — carnalis reddit negligentem ad sequendum Christum VI 584 6. VII 332 75 — carnalis est mortificandus a perfectis sequentibus Christum VII 375 52, 53 — Exuere carnalem affectum est principium spiritualis vitae *ib.* 52. 376 53 — Avulsio ab affectibus carnalibus non potest esse nisi per quendam impetum et motum violentum 556 53

Affirmatio — duplex facit maiorem certitudinem VI 438 14

Afflictio — praefertur voluptati VI 55 v. 3 — facit ad Deum redire, vel a stultitia cessare VII 452 11 — Aversi a Deo per delectationes revocantur per afflictiones 393 28 — corporalis debet esse sine fermento hypocrisis 310 3

— Peccatores affliguntur curis inutilibus VI 32 v. 9 *Vide v. Cognitio.* — Peccatores affliguntur curis et voluptatibus VII 195 20

Ager — Labor in agro significat opera vitae bonae VII 399 43 — In agro laborare est per exercitium virtutum 444 54 — in quo invenitur thesaurus regni caelestis, est paupertas VI 615 3

Agere — est benignitatis et amoris VII 89 3. 90 5

Agilitas — corporis est ad assequendum desideratum VI 76 v. 11 — est dos corporum quoad operationem vel motum 127 v. 7

Agnus — Agni sunt simplices et mansueti VI 230 v. 9 — significat innocentiam et puritatem 260 62. 263 82. 491 10. 543 2 — significat mansuetudinem et patientiam 262 73. 263 82. 543 2 *Vide v. Christus.* — significant imperfectos et tenellos in fide 526 40 — ampliori pastura indigent *ibid.* — dicuntur pii, humiles et mansueti VII 254 6 — vincunt lupos mansuetudine *ibid.*

— immolatus in pascha erat figura mortis Christi VII 540 2. 543 10. 545 22. 596 34 — Sacramentum agni mutatum est in sacramentum panis 546 25 — Agni ossa debebant integre conservari VI 500 50

Agonia — In agonia anima merito terretur propinquitate mortis VII 557 55 — mira est pugna inter naturam et gratiam, inter rationem et sensualitatem *ibid.* — Agoniam habuerunt sancti Martyres et viri iusti *ibid.* — quanto fortior est, tanto fortius orationi insistendum est *ibid.*

Alabastrum — est quoddam genus marmoris VII 183 65

Agricola — Deus est agricola non tantum qui exterius colat, sed qui interius augeat VI 447 2 — est praedicator et maxime praelatus VII 339 12 — est praelatus et praedicator, qui laborat in agro per custodiam Ecclesiarum 447 60 *Vide v. Colonus.*

Albedo — *Vide v. Candor.*

Alienigena — dicitur qui alibi habitat et alibi natus est VII 436 33 — dicuntur qui carnaliter nati ad spiritum transeunt *ibid.*

Alimonia — *Vide v. Cibus* et *v. Panis.*

Alphaeus — interpretatur fugitivus VII 144 39

Altare — holocaustorum in templo et altare aeneum in atrio VI 168 v. 8 — In templo erat altare incensi interius et holocausti exterius VII 308 97 — erat locus magnae reverentiae 15 16 — gerit figuram crucis 584 64 — erat figura Christi 596 34

Alteratio — ad tempus est passio de genere qualitatis VII 233 51

Altercatio — *Vide v. Litigatio.*

Altitudo — attestatur potentiae VI 536 4 — bona est illa quae est ante Deum VII 412 28 — bona est altitudo perfectionis, contemplationis et exspectationis *ibid.* — quae est in conspectu hominum, abominatio est apud Deum 413 28 — Deus dicitur abominari altitudinem in conspectu hominum propter severam ipsius deiectionem *ibid.* — Dominus abominatur altitudinem fastuosam, simulatam et ruinosam *ib.* 29 — praesumtionis, ambitionis et ostentationis dissuadetur tanquam Domino abominabilis *ibid.* — praesumtionis, ambitionis et ostentationis elongat ab Altissimo *ib.* 28 — Mundus praetendit altitudinem superbiae VI 4 10 — Alta non quaerenda timore cadendi in ima VII 262 31

— Altissimus dicitur de Patre ratione auctoritatis VI 247 3

Amaritudo — compunctionis est maxima pars poenitentiae VII 563 74

Ambitio — est inordinatus appetitus superioritatis et prioritatis VII 362 15 — est superbiae in affectu 33 96 — honorum spectat ad vanam gloriam 518 52 — Ad ambitionem dignitatis sequitur appetitus laudis 305 87 — Ex concupiscentia honorum insurgit infirmitas ambitionis VI 629 8

— Ambitionis amor est malus VI 624 2 — dignitatum redarguitur VII 305 87 — honoris redarguitur 519 54 — fraudulenta reprobatur 458 28 — dissuadetur tanquam Domino abominabilis 413 29 — elongat ab Altissimo *ib.* 28 — In ambitiosis veritas locum non habet 519 54 — Ambitiosi non quaerunt Christum in humilitate crucis, sed in appetitu honoris et laudis 290 42 — Ambitiosi sunt adversarii Christi et sequuntur antichristum 525 14

— Ambitiosi sicut aves capiuntur laqueo honoris VI 76 b — Ambitiosi trahuntur a diabolo per superbiam 568 7 — Ambitiosi paulatim ascendunt, sed non paulatim descendunt VII 262 31

— praelationis non sequenda VI 81 v. 4 — humana relinquenda per humilitatem exemplo Christi positi in praesepio 619 v. 2 — Infirmitas ambitionis sanatur consideratione Salvatoris abiecti et despecti 629 9 — excluditur per humilitatem caritatis in affectu VII 457 26 — in animo vitanda praedicatoribus 111 92, 94. 112 98 — dignitatum maxime Ecclesiam corrumpit 458 28 — honorum erat vitium scribarum 518 52. 519 54

Ambulatio — respicit actum sensibilis VII 171 27 — Ambulare in luce Christi est securum et opportunum VI 398 19, 20 — est per fidem ad Christum accedere 420 49 — Per incessum pedum intelligitur rectitudo operationis bonae VII 213 86 — Boni ambulant cum Christo in via perfectionis 249 103 — est per exercitium actionis 115 7 — Ambulandum in dilectione contra malitiam 128 62

Amen — est adverbium affirmandi VI 330 71. VII 101 51 — est signum certitudinis VI 428 20. 464 27 — Amen est indicium certitudinis orationis exauditae VII 282 17 — non est in fine orationis dominicae in Evangelio Lucae *ibid.* — In fine orationis dominicae tacite dicitur in Missa a sacerdote *ibid.*

Amicus — est nomen paritatis VI 451 21 — Amicitia definitur *ibid.* — dicitur ratione sodalitatis VII 366 27 — tanquam membra sunt nobis carnaliter coniuncti 427 4 — Inter amicos est dilectio socialis VI 463 36 — Signum amicitiae est revelatio secretorum 159 27. 451 22. 527 44. VII 214 90. 386 13 — Amicis manifestatur veritas VII 12 5 — Fideles amici solent exaltari a regibus propter suum consilium VI 596 3 — Amicitia inter malos oritur ex inimicitia respectu boni VII 569 15

— Veri amici pretiositas VII 283 19. 406 7 — Prudens est qui acquirit fidelem amicitiam 405 7 — acquirendi per largitionem eleemosynarum 408 14

— verus semper diligit VI 502 61. VII 364 21 — diligit etiam in tribulatione VII 551 39 — tenetur esse fidelis 283 20 — Amicitiae lex est in necessitate non deesse amico 405 7 — miser recipiendus per amicabilem misericordiam *ibid.*

— Ad verum amicum fiducialiter recurritur eique fiducialiter necessitas exponitur VII 283 19 — verus recurrens ad amicum non desperat *ib.* 22 — si non

vincitur abundantia caritatis, vincitur tamen instantia importunitatis *ibid.*

— Aliquando cavendum est ab amicis VI 550 v. 24. VII 427 4 — In susceptione honorum non est petendum consilium ab amicis familiaribus VI 324 34 3* — carnales spiritualibus consiliis adversantur, et ideo tanquam adversarii sunt dimittendi VII 251 109 — Dilectio interdum tepescit in amicis 283 22 — Durum est tradi ab amico 528 24 — in mensa non permanet VI 525 31

— Dei dicuntur Angeli et animae sanctae VII 386 13. 388 18 — dicuntur contemplativi VI 539 8. 596 4. 628 3 — servant praecepta ex amore 451 21. 452 28 — Dei fiunt per dilectionem 451 21 — Dei fiunt per inflammationem affectus 159 v. 27 — possunt dici quos Dominus amat, etsi sint inimici 452 27 — Deus magna dignatione promittit amicitiam suam diligentibus fratres 451 21

— Dei exaltantur honore et dignitate VII 364 21 — intrant in regnum Christi VI 628 3 — maxime sunt digni exaudiri 402 45 — Christi merentur accipere quod petunt 539 8

— fidelis spiritualiter est Christus VII 283 23. 364 21 — qui venit ad convivandum, est Christus VI 597 v. 46 — qui venit de via, est animus noster VII 284 23

Amoenitas — delectat aspectum VI 121 v. 7

Amor — Amare est actus virtutis concupiscibilis VI 31 v. 7 — est copula amantis et amati VII 210 77 — facit firmiter adhaerere *ibid.* — Per mutuum amorem adhaerens Deo ei unitur *ibid.* — unit et facit appropinquare 561 67 — facit habere VI 289 64. 293 27 — Amator spiritualis intra se habet amatum 625 5 — Ubi est principale amatum, ibi habitat animus VII 323 47 — Amare propter se est frui VI 126 v. 6 — perfectus non est contentus aliquo sensu sine tactu VII 210 77 — Per amoris inflammationem fit unio membrorum in corporis unitatem 545 21 — Amans aliquem non vult, eum mori VI 403 49

— est causa gaudii in boni praesentia, timoris et doloris in eius absentia VII 445 56 — Amans quaerit videre VII 473 4 — Amantes de amato cogitant 592 19 — Amoris est sollicite inquirere VI 510 30 — nullum credit ignorare dilectum 508 23

— formatur ex visu, vel auditu, vel tactu sive experientia, vel ex convictu VI 622 v. 19 — Res est amanda, cum habet bonitatem 31 v. 8 *Vide v. Bonum.*

— coarctat per violentiam attractivam, dilatat cor per benevolentiam diffusivam, elevat per adhaerentiam excessivam, inclinat per condescendentiam dignativam VII 331 72 — sursum erigit 345 35 — spiritualium elevat super carnalia 444 54 — Per amorem est conformitas voluntatis humanae et divinae VI 128 v. 9 — Anima quiescit in Deo per dilectionem *ibid.* — In amoris tranquillitate est pax *ibid.* — Dei dicitur regnum VII 347 42

— Per amorem bonitatis venitur ad Christum VI 563 4 — Per amorem bonitatis anima vivit 564 5 — est initium sapientiae proximum et intrinsecum 149 v. 18 — Per viam amoris est praecipuus modus ascendendi ad contemplationem VII 232 49

— Spiritus sancti recte per ignem designatur VII 79 39 — divinus igni comparatur 330 70 — totum ad modum fermenti et ignis in sui naturam convertit 349 47

— internus prorumpit in opus VII 28 76 — Dei non est otiosus VI 442 32. 625 6. VII 28 76. 186 76. 349 47 — Dei probatur cura erga proximum VI 625 6 — Ignis amoris vehementius inflammatur in tribulatione VII 438 39

— est spiritus legis Christi VI 270 12 — Mandata Dei servanda amore 440 24. 451 21. 452 28 — Qui solum amore servit est praeconiis extollendus 388 27 — mercenariorum ad oves non est amor verus 386 16

— Christi amplectendus VI 625 4 — Christi facilis est ad acquirendum, ipso promittente amorem suum *ib.* 5 — Christi est delectabilis ad habendum delectatione munda *ibid.* — Christi est securus ad possidendum et inseparabilis *ibid.* — Christi debet esse in affectione praecipuus intensione, in cohabitatione assiduus, in opere officiosus *ib.* 6

— Amare Christum non potest nisi praeventus eius gratia VII 473 4 — Christus desiderat, inflammari ignem amoris 545 21 — debetur Dei benignitati 38 121

— Omnes homines amandi sunt ut proximi VII 247 96 — Affectus praecipuus debetur parentibus et fratribus ratione propinquitatis 197 29, 30

— Amare accipitur aliquando in bono ut diligere VI 525 35 — est caritatis vel libidinis 3 1 — est castus vel adulterinus 6 q. 1 — caritatis et libidinis sic obviant sibi, ut simul esse non possint 3 1 — Qui nimis amat inique amat VII 228 39. 445 56 — carnalis impedit spiritualem VI 524 29 — naturalis intendit spiritualem, ut ferventius amet qui amat sensibiliter et spiritualiter VI 460 24

— carnalis est, qui solum ad fratres se extendit VII 423 57, 58 — carnalis relinquendus exemplo Christi 200 43 — Qui maxime videntur per carnem coniuncti per spiritum caritatis a carnali amore seiunguntur 332 76 — Ignis divini amoris dividit a diabolo et a carne, domesticis inimicis 333 78 — Propter amorem parentum divinus cultus non est intermittendus 66 99 — Dominus exigit dilectionem spiritualem sui solius et interdicit amorem non spiritualem alterius a se vel contra se VI 624 1

— malus est carnalitatis, cupiditatis et ambitionis VI 624 2 — mundi est culpabilis *ib.* 1, 2 — mundi est reiiciendus, quia criminosus faciens fornicari, laboriosus, sumtuosus, infructuosus, instabilis cito deficiens, seditiosus, convertendo se in inimicitias *ib.* 3 — Amatores saeculi dupliciter mali sunt malitia culpae VII 287 34 — male accendens est causa peccatorum VI 201 v. 21. VII 309 1 — male inflammans ad concupiscentiam et superbiam est causa peccatorum VII 434 26 — libidinosus et adulterinus non fovet verbum Dei susceptum VII 194 19

— Ex defectu amoris oritur pronitas ad malum VI 62 a. VII 561 68 — Amoris tepor facit procul abscedere VII 561 67

— in divinis est pure gratuitus in Patre, pure debitus in Spiritu sancto, debitus et gratuitus in Filio VI 450 18 — Patris et Filii est Spiritus sanctus 476 45 — Perfectissimus nexus amoris est inter Patrem et Filium VII 84 55 — Dei ad hominem perditum VI 282 26 — Dei fons est totius boni 184 v. 1 — Nemo meretur amorem Dei nisi secundum praesentem iustitiam 73 q. 2 — Dei potest cognosci revelatione vel certis signis *ibid.* 528 51

Amorrhaeorum — sacrificia impia VI 185 v. 4, 5

Amos — interpretatur onerans VII 88 a

Amplexus — bonus est contemplationis, vitandus amplexus carnis VI 32 a — devotionis internae necessarius est viris contemplativis 74 b — divini brachii est humanitas Verbi incarnati VII 395 34 — Deus amplexatur poenitentem per gratiam concomitantem *ibid.* — Per amplexum gratiae solvuntur vincula peccatorum *ibid.*

Amygdalus — dum floret, dealbatur VI 94 v. 5

Andreas — interpretatur virilis, in quo exprimitur virtus iustitiae VII 143 36 — erat inter Apostolos familiares Christi 524 12 — tanquam maior praeit Philippo VI 416 31 — conversus est ad Christum testimonio Ioannis 268 102 — conversus statim vocavit Petrum 262 78 — studiose quaerebat Petrum, ut ad inventum thesaurum eum perduceret *ib.* 79 — Christus per Andream minorem vocavit Petrum 264 85 — secutus Christum crucifixus est 528 50

Angelus — dicitur nuntius VII 178 50 — dicitur simplicitate naturae vel auctoritate doctrinae *ibid.* — est nomen officii, vel naturae VI 250 18 — Angelos esse negabant Sadducaei, dicebant Pharisaei 419 43 — Angelorum multitudo VII 50 28

— dicuntur spiritus quantum ad suam substantiam vel naturam VI 157 v. 23 — dicuntur intelligibiles quantum ad suam potentiam, vel quia corporibus per naturam non sunt unibiles *ibid.* — sunt subtiles per intelligentiae perspicacitatem, vel per sapientiam *ibid.* — sunt specula pura et clarissima *ibid.* 158 v. 26 — est nummus divina imagine insignitus VII 387 15

— Angelica natura fit cum tempore, quia eius ortum non praecedit tempus VI 14 q. 1 — habent tempus communiter dictum quantum ad substantiam, proprie dictum quantum ad affectiones 28 q. 1 — sunt immortales, incorruptibiles, supra tempus et variationes motuum temporalium VII 515 42 — non implent locum corporalem 318 28 — continentur a Deo VI 157 v. 23

— Novem ordines Angelorum sunt novem drachmae VII 387 15 — Novem ordines Angelorum designantur per nonaginta novem oves 384 10 — Per ternarium triplicatum in ordinibus Angelorum designatur Deus trinus et unus *ibid.*

— minores pro statu beatitudinis sunt maiores perfectissimo viatore VII 179 53 — In beatitudine eadem erit mensura hominis et Angeli 159 89 — Christus dicitur Angelos reliquisse, quia illos minime apprehendit 384 10 — et homines a divina sapientia ad unitatem et concordiam mutui amoris copulantur 388 18 — Homo pacificatus est cum Angelis per Christum VI 540 4

— Deus regnat et sedet in Angelis VI 224 v. 14 — dicuntur virtutes caelorum VII 534 45 — dicuntur Dei vicini propter propinquitatem in communicando solatia 386 13 — dicuntur Dei amici propter familiaritatem in cognoscendo secreta *ibid.* — dicuntur amicae divinae Sapientiae, quia ipsam diligunt et ab ipsa amantur 388 18

— sunt mundi per innocentiae puritatem VI 157 v. 23 — sunt speculum immaculatum actu, maculatum tamen potentia saltem remota 158 v. 26 — Sapientia divina suavi dispositione Angelos stantes in gratia confirmavit 160 v. 1

— superbi elati de divinis beneficiis corruerunt VII 262 31 — peccantes corrigi non possunt VI 171 v. 18 — Peccatum angelorum statim fuit punitum 183 v. 24 — Angelorum peccantium poena 629 6 — Angelis ruentibus et homine perdito, eorum numerus remansit imperfectus VII 384 10

— astant ante Deum quantum ad virtutem contemplativam VII 18 31 — circulariter moventur circa thronum, considerando circuitum rerum a Deo et ad Deum VI 13 b — per obedientiam ascendunt ad Deo assistendum et descendunt ad nobis ministrandum 174 v. 10 — in caelo contemplatur ministrans in terra 225 v. 16 — Illuminatio divinorum eloquiorum prius descendit in supremum ordinem Angelorum 109 9. VII 598 41

— ministrant hominibus VII 418 44 mittuntur a Deo ad ministerium VI 224 v. 14. VII 18 31 — sunt propter iustos ad coadiuvandum VII 402 51 — bonus venit in adiutorium 213 88 — Per ministerium boni Angeli debet resurgere homo lapsus per suggestionem angeli mali 21 42 — in ministerio condescendit homini et astat illi ut adiutor et eruditor sive illuminator 48 20 — Angelis nobis ministrantibus merces salva est, a qua non fraudantur 150 57

— Non potest Angelis esse in gloria similis qui non vult eis in ministrando aliis assimilari VII 515 43

— nobis communicant illuminationes VII 588 6 — non revelat abscondita auctoritate, ut Dominus, sed ut servus VI 250 3 — non possunt cognoscere nisi in Verbo cogitationes nostras occultas, nisi manifestentur per signa 87 q. 1

— Per Angelos Deus mundum gubernat VII 319 34 — custodiunt vineam sicut sepes 503 11 — Angeli custodiunt Ecclesiam et omnes viros iustos 94 20 — Angelicum adiutorium custodit in prosperis et portat in adversis *ibid.*, 21

— est fortior omni homine VI 175 v. 12 — exterminavit Hebraeos 227 v. 22, 25 — puniverunt impios 181 v. 21

— dicuntur Deo portare nostra merita bona VI 87 q. 2 — pro nobis intercedunt *ibid.* — tanquam nostri legati portant orationem nostram ante conspectum Dei VII 379 64 — confortant orantes 557 55 — Angelorum confortatio nobis impetrat vigorem *ibid.*

— boni nostram salutem procurant, non accusant VI 87 q. 2 arg. 2 — ad custodiam deputati audiunt in occulto 43 v. 5 — nos custodiens sollicite nos arguit ad poenitentiam VII 389 19 — gaudent propter salutem hominum 386 13 — gaudent de poenitentia peccatoris *ib.* 14. 388 19. 389 20

— descendens in piscinam significat visitationem divinam VI 305 14 — Virtus sanandi erat data Angelo descendenti in piscinam ad figuram baptismi, in quo fit ablutio per aquam et sanatio per Spiritum 305 15 — descendens in piscinam significat gratiam baptismi VII 83 52

— Aspectus angelicus carnalibus admirabilis est, quia insolitus VII 15 17 — terribiles apparebant ante reconciliationem nostram *ib.* 18 — superiores nobis erant et ut superiores apparebant, et ideo timorem incutiebant *ibid.* — bonus assecurat, malus finaliter terret 49 23 — apparens lumen affert ut filius lucis *ib.* 21 — apparent fulgentes in signum illuminationis *ibid.* — stant a dextris ut cives caelestes 15 16 — stat ut nuntius *ibid.* — Opere completo discedit 27 70

— stans iuxta pastores ostendit familiaritatem et humilitatem ministerii VII 48 20 — dat pastoribus sperandi fiduciam et invitat ad laetitiam 49 23 — pastoribus nuntiavit rem desiderabilem *ibid.* — ad venerandum parvulum natum multi convenerunt laudantes Deum 50 28 — non cognoscebant incarnationis mysterium ante annuntiationem 21 42

— sequuntur Christum VII 50 28 — Christo dant testimonium obsequendo VI 562 4 — descenderunt ad Christum, ut ministrarent ei 267 98 — ascendentes et descendentes super Christum sunt praedicatores *ibid.*

— multi custodiebant beatam Mariam Virginem tanquam locum divinae habitationis VII 27 70 — quodam modo per Virginem ascendebant et descendebant *ibid.* — beneficium custodiae beatae Virgini impendebant propter infirmitatem carnis, et cultum reverentiae exhibebant propter dignitatem Matris *ibid.*

— revolvit lapidem monumenti ad manifestationem resurrectionis VII 588 4, 5 — in albis sedent, quia nuntiare venerant splendorem nostrae solemnitatis VI 508 20. VII 589 7 — fuerunt in veste fulgente vehementia candoris et excellentia lucis, ut demulcerent pios et terrerent impios VII 589 7 — in resurrectione erant terribiles et testificantes *ib.* 8 — arguunt mulierum incredulitatem et asseverant veritatem resurrectionis *ib.* 9 — apparuerunt Magdalenae post discessum Petri et Ioannis VI 510 31. 511 32 — unum viderunt mulieres, duos Magdalena 511 32 — post resurrectionem unus prius apparuit et post alter, qui prius sedebant in monumento, postmodum autem steterunt iuxta mulieres VII 589 8 — sicut annuntiaverunt cum gaudio Christi nativitatem, sic resurrectionem *ib.* 9

— sunt officiales Christi in iudicio VI 137 v. 1 — sunt messores pro tempore gloriae 300 68 — in iudicio congregabunt malos et bonos virtute et velocitate naturae VII 480 23 — terribiles praecedent terribilem Dominum in iudicio 535 45 — contremiscent in iudicio non timore poenae, sed timore reverentiae et horrore divinae vindictae 534 45

Anima — et corpus sunt partes hominis constitutivae VII 319 34 — per synecdochen ponitur pro homine VI 185 v. 6 — est nobilior pars hominis 254 34 — secundum infideles nihil est in re, sed tantum secundum nomen 119 v. 2

— aliquando dicit vitam naturalem, vel spiritualem VI 389 31. 418 37. 419 41. 596 v. 25 — vocatur vita carnalis 50 v. 1. 596 v. 25. VII 445 56 — dicitur animalitas VII 318 29 — aliquando accipitur pro substantia animae in comparatione ad corpus 31 89 — secundum suum supremum dicitur spiritus *ibid.*

— ab aliquibus dicta fuit esse igneae naturae VI 119 v. 2 — scintillae comparatur propter naturae subtilitatem et motus agilitatem *ibid.* — est quanta non mole, sed virtute VII 318 28

— intime coniungitur corpori VII 215 95 — unitur corpori ut perfectio et motor, sed separabiliter VI 37 q. 2 2° — est potentia vivificandi corpus 205 v. 5 — naturaliter vivificat corpus et dat ei sensum, loquelam et motum 542 2 — vigorem dat corpori illud vegetando VII 319 34 — Animatio est actus animae de corpore 231 48

— dicitur fieri in tempore, quia incipit post temporis ortum, sed in tempore non habet occasum VI 14 q. 1 — est ex nihilo immediate 119 v. 2 — a Deo ex nihilo formata est VII 511 32 — inspiratur a Deo VI 207 v. 11 — Ortus et occasus animae non videtur 89 v. 5 — non fuit cum Deo, antequam venit ad corpus 97 a

— infunditur corpori circa quadragesimum quintum diem VI 151 v. 1 — in eodem instanti, quo corpori infunditur, fit mala 368 70

— ad totius sapientiae similitudinem facta est VI 107 1

— a Deo est et per illum et ad illum finaliter ordinatur VI 97 a — datur a Deo et ad ipsum revertitur ad retributionem 95 v. 7 — habetur tanquam debitum mutuatum,

non datum 206 v. 8. 216 v. 16 — Deo est offerenda et reddenda VII 511 32 — est Dei, quia insignita eius imagine *ib.* 31, 32

— Spiritus esse immortales, probat ipsorum intellectus, appetitus et actus virtuosus VII 512 35 — habet operationem propriam VI 37 q. 2 2* — est creata ad aeterna 4 7

— secundum infideles in morte exstinguitur VI 119 v. 2, 3. 125 v. 2. 126 v. 3 — secundum infideles evanescet et dissolvetur 120 v. 3 — Animarum vita post mortem negatur a Sadducaeis VII 512 35. 515 44 — ab infidelibus scintillae comparatur propter durationis brevitatem VI 119 v. 2

— bonae ascendunt ad caelum ad remunerationem, sed carnales de hoc erraverunt VI 35 v. 18. 36 q. 1. 37 q. 2 — Plato posuit, animas corpora brutorum circuire 37 q. 2 — post mortem manet in loco gloriae vel poenae 213 v. 14 — post mortem non revertitur in corpus in hoc saeculo 212 v. 14 — non revertitur ad terram suae naturalis habitationis et corporis per naturam, sed revertitur secundum iustitiam retributionis per virtutem divinam 213 v. 14

— separata est sine organis, sed non sine potentiis organorum VI 141 v. 14 — separata a corpore est liberior et magis idonea cognitioni 75 q. 1

— maxime diligit corpus VI 450 20 — compatitur corpori patienti et impeditur, corpore impedito, sed eo corrupto non corrumpitur, sed discedit 37 q. 2 2* — ex occisione corporis sentit dolorem, sed non patitur damnum in natura VII 312 8

— gravatur infirmitate corporis VII 235 57 — aggravatur corpore et perturbatur molestiis eius VI 170 v. 15 — Intellectus obnubilatur interpositione corporis opaci inter ipsam et solem iustitiae *ibid.* — Potentiae animae ligantur per corpus *ibid.* — Affectus animae retrahitur a caelestibus corpore corruptibili *ibid.*

— verius est, ubi amat, quam ubi animat VII 323 47 — habitat, ubi est principale amatum *ibid.*

— non impletur temporalibus VII 318 28 — quia Trinitatis capax, a solo Deo impletur *ibid.* — non impletur quantitate materiali, sed virtuali, sicut est gratia *ibid.* — Animae capacitas impletur solo Spiritu sancto 17 25

— Deus multum zelat animam VII 312 8 — Deus zelat animas tanquam sponsas VI 115 v. 10 — sunt in protectione Dei 125 v. 1 — Deus maxime amat animas 184 v. 27. VII 224 28. 427 6. 489 47 — Deus magnam vim facit in thesauro animarum VI 413 12 2* — Deus maxime curat salutem animarum VII 204 56. 205 59. 303 81 — sunt ad Christum trahendae tanquam ad verum Dominum 489 47 — Salus animarum non curatur ab hypocritis 344 30

— propria primo custodienda VII 427 7 — Animae damnum maximum VI 46 v. 9 — ut dicit vitam carnalem, quae importat vitium, non est amanda VI 419 41 — Animam debemus odisse non quantum ad salutem, sed quantum ad carnalitatem VII 375 53 — Qui nimis diligit animam suam per amorem privatum iusto iudicio perdet eam 445 56 — Qui diligit animam suam supra Deum perdit Deum et se ipsum 228 39 — Animam velle salvare est eam perditioni exponere 229 39

— Qui perdit animam suam propter Christum in hac vita, salvam facit in vita futura VII 228 39 — Perdere animam pro Christo est salvare 229 39 — Qui perdit animam exponendo eam perditioni pro amore Christi custodit eam per aeternam felicitatem VI 418 37. VII 445 57 — Animam ponere est perfecte sequi Christum VI 434 50

— corrumpitur per aversionem affectus a dilectione Dei VI 135 v. 11 — est digna repudio Dei, quando abnegat debitum per inobedientiam et quando ingreditur torum alienum per impudicitiam committendo illicita 546 10 — conversa ad terrena obscuratur et eclipsatur per interpositionem terrae inter eam et verum solem 140 v. 9 — vacua a gratia et virtute occupatur a diabolo VII 295 54 — periclitatur perturbatione intrante in animam ex tentatione diabolica 201 44 — desideriis malis impugnatur, cruciatur et captivatur VI 577 v. 44

— peccatrix est minus idonea ad dona Dei VII 284 24 — immunda non suscipit Spiritum sanctum 295 54

— Culpa occidit animam VI 212 v. 14 — peccatoris mortua est in corpore ut in sepulcro VII 306 88 — moritur per separationem a Deo VI 116 v. 12. 189 v. 20. VII 419 47

— servit septem vitiis capitalibus VII 514 38 — abutitur quinque sensibus, qui dicuntur quinque viri VI 557 v. 18 — peccatrix figuratur in praegnante VII 532 36 — a Deo separata est vidua mortua VII 419 47

— est bona per gratiam VI 166 v. 19 — mundatur per gratiam VII 304 82 — lavanda est in aquis contritionis ad emundationem sordis, in aquis devotionis ad intensionem candoris, in sanguine passionis imitatione Christi ad perfectionem decoris VI 599 a — peccatoris est templum mundandum per dolorem poenitentiae, reaedificandum per profectum iustitiae et ornandum per decorem scientiae 550 10 — reparatur per donum misericordiae Dei, qui suscipit ad benignitatem gratiae, vestit vestimento iustitiae et reficit suavitate laetitiae internae VII 394 33. 397 40

— poenitens liberatur a tentatione diaboli per gratiam Christi VII 200 43 — Animae tentatae consolatio signatur in sedatione tempestatis *ibid.* — In liberatione animae a tentatione attenditur oratio, mentis devotio et Dei honorificatio 201 45 — ligata reatu culpae solvitur a Christo ministerio sacerdotum 345 32

— quae recedit ab amore temporalium, dicitur vidua et paupercula VII 522 7 — sequestrata a mundo quantum ad affectum carnalitatis vidua dicitur *ibid.* — sequestrata a mundo quantum ad affectum terrenitatis est vidua paupercula *ibid.*

— fidelis est sponsa Dei, ad quem se debet convertere, et convertens se ad alium fornicatur VI 557 v. 18 — monetur dimittere errorem, virum non suum, et ad sponsum proprium se transferre 558 2 — invitatur ad nuptias gratiae, ut Deo desponsetur 546 10 *Vide v. Nuptiae.* — relinquens mundum omnem suam delectationem ponit in Christo VII 522 7

— spirituales habitant in brachiis crucis Christi VI 553 3 — se credit Christo crucifixo credendo et adorando 197 v. 5

— sanctae dicuntur sedes Dei inhabitantis et imperantis omnibus motibus et affectionibus VI 167 v. 4 — fidelis dicitur templum, quia est locus sanctitatis a Deo sanctificatus et inhabitatus, locus emunitatis a Deo emunitus et locus religionis soli divino cultui dedicatus 549 9 — sancta est coenaculum, ad quod venit Dominus VII 543 15

— conversae ad Christum figurantur per decem mnas, propter vertibilitatem VII 482 28

— sancta debet esse elevata per contemplationem, magna per caritatem, strata virtutum varietate VII 543 15 — venit ad Deum ascendendo per actus animationis de corpore, sensus per corpus, artis circa corpus, virtutis ad se ipsam, tranquillitatis in se ipsa, ingressionis ad Deum, contemplationis apud Deum 221 48 — supra se elevata audit et videt arcana 316 20 — fecundatur recogitatione peccatorum 340 13 — in adversitate temporali sustentatur exspectatione bonorum aeternorum, in prosperitate spirituali reficitur experientia spiritualium VI 566 8

— In animae beatificatione cognoscetur veritas; in animae et corporis felici unione tolletur omnis corruptio VI 363 47 — fit beata adhaerendo veritati spirituali dilectione VII 297 62 — beatificatae figurantur per decem civitates, propter immutabilitatem gloriae 482 28

— Spiritui non sunt timenda supplicia carnis VII 312 8 — affligitur vero igne 421 50 — affligitur in imaginibus, quas traxit a corpore *ibid.*

— bruti non habet operationem propriam VI 37 q. 2 2* — bestiarum corrumpuntur *ib.* q. 2

Animalia — producta sunt cum homine sexta die VII 55 49 — omnia habent aliquam utilitatem VI 190 v. 24 — in comparatione hominis non curanda VII 204 56. 205 59

— nihil plene cognoscunt VI 16 q. 1 — non cognoscunt bona honesta 209 v. 19

— Genera animalium salvata sunt in arca VI 197 v. 6 — bina in arca fuerunt in figuram caritatis mutuae VII 253 3

— significant motus animales severitate iustitiae reprimendos VII 55 49 — Homo animalis non accipit Spiritum sanctum VI 441 26 — Homines animales non recte sentiunt de Christo VII 225 31

— est unum quadriforme et quodlibet illorum est quatuor facierum, unius tamen principaliter VII 6 24 — quatuor designant quatuor Evangelia VI 241 6. VII 6 24 — figuraliter exprimunt Evangeliorum materiam et formam VII 6 24

— ibant propria virtute VII 104 62 — quae revertebantur, sunt figura activorum 53 41 — sancta non revertebantur retro aspiciendo VI 569 4 — quorum pedes erant recti, significant homines recte incedentes VII 73 11 — quatuor praefigurant virtutes cardinales 143 36

— duo intelliguntur duo testamenta VI 541 7

Animus — recedit a nobis appetendo temporalia et revertitur, quando per tribulationem reductus ad interiora recurrit VII 284 23

Anna — interpretatur gratia VII 62 82. 64 89

— perhibuit Christo testimonium fide dignum VII 62 81 — Recte decebat prophetare eam quae erat habitaculum gratiae *ib.* 82 — congrue prophetavit, ut omnis professio et sexus de Christo prophetaret 64 87 — obviavit Ioseph et Mariae sine aliqua convocatione, sed divino instinctu 63 87 — divino spiritu prophetavit 64 87 — eius testificatio implicite describitur et per modum confessionis *ibid.*

— erat de tribu Aser et de genere Israel VII 63 83 — erat filia Phanuel quasi quaerens faciem Dei *ibid.* — habebat dignitatem et auctoritatem ratione originis et senectutis *ibid.* — habuit perfectionem vitae activae in regimine domus et in continentia *ib.* 84, 85 — habuit continentiam virginalem, vidualem et coniugalem, et ideo honoranda *ib.* 85 — laudabilis fuit in custodia corporis *ibid.* — vacabat contemplationi devote, officiose et continue *ib.* 86 — Per Annam intelligitur virtus temperantiae 64 89

— dicitur habuisse tres viros et tres filias VI 498 37

Annas — fuerat princeps sacerdotum VI 484 38 2* — non fuit institutus sacerdos per unctionem, sed per terrenam auctoritatem VII 70 4 — ambitione motus summum sacerdotium emebat a Romanis *ibid.*

— erat senior et in malitia inveteratior VI 481 27 — Ad ipsum ut socerum pontificis quodam modo pertinere videbatur iudicium 482 27. 484 38 2* — eius iudicium suspectum, quia gener eius conspiraverat in mortem Christi 482 27 — interrogavit Iesum, quia non poterat crimen obiicere, ut caperet eum in sermone 483 33 — volebat examinare doctrinam Christi tanquam suspectam *ib.* 34

Annihilatio — *Vide v. Corruptio* et *v. Nihil.*

Annuntiare — fit ei qui distat VI 87 q. 2 arg. 1 — Bona sunt annuntianda, sed mala non VII 205 60 — est officium praedicatorum *ibid.*

— Annuntiatio *vide v. Gabriel.*

Annus — est tempus causatum a motu solis per totum zodiacum VI 155 v. 19 — magnus dicitur continere quindecim millia annorum 17 a arg. 3 — tres significant triplicem statum VII 340 18 — Per tres annos intelligitur pueritia, adolescentia et iuventus 339 12 — iubilaei est figura retributionis bonorum 99 42 — retributionis superat annum meriti *ibid.*

Antichristus — erit omnium malorum caput et seducet multos VII 525 14 — cum suis ministris suscitabit insurrectionem contra ecclesiasticam pacem 530 30 — conculcabit Ecclesiam 533 40 — commovebit populum ad transgressionem 567 6 — Post antichristum vadunt omnes superbi et ambitiosi 525 14

— erit in loco sancto VI 68 v. 9 — falso et iniuste sibi usurpabit honorem Dei 343 23. 344 26 — se dicet Christum VII 439 40

— est insipiens in locutione et propter suae doctrinae malitiam mergetur in profundum VI 85 b — Verba antichristi stulta et erronea, blasphemiae et superbiae *ibid.* — non considerabit ruinam, quae secutura est eum *ibid.* — praedicabit falsitatem in nocte infidelitatis et voci eius multi credent 95 b — Adhaerentes antichristo non audient vocem veritatis *ibid.* — Antichristo non credendum *ibid.*

— In tribulatione antichristi erit omnium perversitatum concursus VII 438 39 — In adventu antichristi erit tempus tentationis VI 96 a — multos avertet a fide per donaria *ibid.* — trahet carnales a fide timore tormentorum *ibid.* — Magni et parvi verebuntur potentiam antichristi et prae timore adorabunt *ibid.* — Fuga et occultatio erit remedium infirmis in persecutione antichristi VII 531 32 — ad tempus vincet Prophetas, sed occisi resurgent 528 23

— Temporalia sunt in manu diaboli VI 125 v. 1 — Terrena collum ligant et cervicem domant et totum deprimunt in terram VII 372 42 — Ratione dilectionis terrenorum incrassatur et praegravatur spiritus 416 36 — Ex amore rerum terrenarum homo excaecatur et stultus efficitur 470 58

— aeterna acquirenda sunt per bona temporalia dispensanda VII 404 3 — Temporalia bona sunt, ut per haec acquirantur bona aeterna *ibid.* — Fidelis dispensatio temporalium disponit ad fidelem dispensationem et custodiam spiritualium et aeternorum 409 17 — Dispersio et communicatio temporalium est via ad multiplicationem spiritualium 472 1 — Debemus fideliter distribuere temporalia ut domini, non ut servi 410 21 — In dispensatione temporalium fidelitas est servanda 408 17 — Temporalia bene dispensantur, quando in opera misericordiae distribuuntur 404 3 — Curiosa diligentia est bona temporalia augere VI 26 v. 18 — In bonis transitoriis potius laetandum quam curiose inquirendum 33 v. 12

— Qui temporalia ista vel male retinet, vel male accipit, vel male dispensat, bona Dei dissipat VII 403 3 — Temporalia dissipantur, si sic habentur, quod propter illa aeterna perduntur 404 3 — Temporalia dissipant ad modum filii prodigi qui non quaerunt in eis meritum salutis, sed solatium carnis *ibid.* — Dissipationis origo et mater est inmisericordia *ibid.* — Ex dissipatione bonorum dispensator cadit in opprobrium et derisionem publicam *ibid.* — Dissipatores bonorum temporalium sunt plures et pauci dispensatores *ibid.*

— Qui male dispensat temporalia perdit felicitatem, caritatem et iustitiam VII 409 18 — Qui iniquus est in bonis temporalibus non potest habere caritatem Dei *ib.* 18 — Iniquus in dispensatione bonorum temporalium vendit fidem et iustitiam pro eo quod nihil valet *ibid.* — aeterna perduntur ab iis qui male dispensant temporalia *ibid.*, 19 — Male dispensantes bona temporalia vana et parva perdunt aeterna vera et magna *ib.* 19 — Propter infidelem dispensationem perdit quis divitias veras *ibid.* — Infidelis in debita boni terreni dispensatione pro alienis perdit propria 410 20

— Opera nostra possunt esse bona vel mala VI 63 q. 1 — Dum tempus habet, homo bonum faciat 89 v. 4 — In omni tempore et aetate sine cessatione opera bona sunt facienda *ib.* v. 6 — sunt facienda 33 v. 12 — Cum gaudio bonum operandum est 58 v. 15 — negligere, cum est locus et opportunitas, est male facere VII 138 16 — Sapientia est utilis ad operationem boni VI 26 q. 2 — Ad operationem boni ordinatur omnis doctrina Scripturae 98 v. 13 — In bono semper proficiendum est VII 356 72 — Melius est in bono perseverare quam tantum inchoare VI 57 v. 9. *Vide v. Permanere.*

— Boni operatio significatur in portatione lucernarum VII 325 52 — est facere iudicium respectu sui, misericordiam respectu proximi, et ambulare cum Deo, respectu Dei *ibid.* — Opus bonum bonum praestat exemplum et excitat ad bonum VI 39 q. 4 — Opus bonum, quod est de necessitate, nunquam dimittendum est propter invidiam proximi; si est tantum de utilitate, poni potest in eius absentia vel etiam in eius praesentia *ibid.* — Ex omnibus possumus elicere documentum, quod nos excitet et informet ad bonum VII 407 12

— Deus approbat et conservat bona VI 183 v. 25 — Deus iuvat ad bonum 156 v. 22 — in bono proficere non possumus nisi per donum gratiae divinae VII 539 58 — Tota bonorum operatio Deo attribuenda VI 76 v. 12 — Deus summe iustus remunerat bona 45 q. 3 — omne manifestabitur in iudicio VII 196 25 — Deus rationem exiget de bonis commissis et de bonis omissis 404 4 — Deus discutiet etiam bona VI 99 v. 14

Boni — Bonitas est interius in corde VII 583 60 — Homo bonus placet Deo, non hominibus VI 27 v. 26 — spiritualiter vivunt 35 v. 18 — est Deo coniunctus per gratiam 97 a

— Quidam boni sunt perfecti, quidam imperfecti 70 q. — sunt fideliter docentes et fideliter eorum doctrinae adhaerentes VII 486 40 — aut sunt subditi, aut praelati *ibid.*

— ratione fructuositatis comparantur tritico VII 80 41 — dicuntur loca arida et inaquosa, quos diabolus desiderat seducere 294 52

— discernuntur a malis per fructus bonorum operum et verborum VII 163 103 — Bonitas hominis discernitur ex studio acquirendi sapientiam, exercendi iustitiam et fugiendi concupiscentiam et avaritiam VI 27 v. 26 — Homini bono Deus dat sapientiam, scientiam, intelligentiam *ibid.* — Boni cognoscunt divinam misericordiam et exercitantur in iustitia ex patientia Dei sustinentis malos 68 v. 12

— est dignus laude VI 84 q. arg. 1 — remunerantur pro labore 14 q. 1 — praemiabuntur in domo aeternae laetitiae 96 b

— Iusti semper persecutionem malorum sustinuerunt VII 527 19 — Divites bonis moribus deprimuntur a malis VI 81 v. 5, 6 — patiuntur adversitates 69 v. 14 — Intensive maior est vanitas, cum boni a malis deprimuntur 73 q. 3 — Quod bonis mala eveniunt in praesenti, donum Dei est 70 q. — In praesenti iusto modo bonis mala eveniunt, ut hic purgentur et aeternaliter praemientur 46 q. 4 2* — Bonis mala evenire videtur iniustum 70 v. 14

— sunt pauci VI 205 v. 2 — paucissimi erunt tempore finalis iudicii VII 443 52. 452 12

— superne eliguntur VI 76 v. 12 — computati sunt a Deo sicut dilecti et electi 204 v. 2 — Soli finaliter boni scripti sunt in libro vitae VII 263 34, 35

— omnes unum corpus et una generatio sunt Dei VII 308 98 — conveniunt in opere et voluntate interius VI 476 42 — Bonorum congregatio triplex *vide v. Congregatio.* — in gloria ad unum reducentur VII 80 41 — erunt in paradiso, in quo congregabuntur in gloria, quia hic congregati sunt in gratia *ib.* 42

— Boni permixti sunt modo malis occultis VII 80 40 — Indistinctio bonorum a malis est plurium malitiarum origo VI 73 q. 3 — in iudicio sequestrantur a malis, ut glorificentur VII 80 40 — Deus dividit bonos a malis VI 377 22 — In futura claritate Deus erit tantum cum bonis 434 52

— qui sunt secundum praesentem iustitiam, disperguntur 393 54 — in iudicio a Deo agnoscuntur 131 v. 18 — in resurrectione erunt elevati supra tempus et temporales motus, supra coniugium et carnalem actum VII 515 42

Bos — est figura populi Iudaici ratione oneris servitutis legalis VII 345 35. 361 13 — Per boves arantes intelligitur operum strenuitas VI 22 v. 8 — sunt praedicatores 274 25. VII 67 102. 141 29 — Per bovem intelligitur sapiens praedicator VII 361 13 — significat Christum ut victimam 6 24

— Labor boum est terram exercere, quibus comparantur avari VII 372 42 — Iuga quinque boum sunt figura quinque sensuum ad terrena conversorum *ibid.* — significant mundanam curiositatem VI 546 12

Botrus — allatus de terra promissionis significat Christum VI 449 15

Brachium — Dei est Filius VI 422 57. VII 33 96. 292 46. 395 34 — Christus dicitur brachium protegendo VI 142 v. 17

Bubo — clarius videt de nocte quam homo, sed non simpliciter clarius VII 407 11

Byssus — est genus lini candidi et mollissimi VII 416 37 — ex terra gignitur VI 227 v. 24

# C

Cadus — est mensura continens tres urnas VII 406 9

Caecitas — est ignorantia intellectus VI 560 v. 3 2. VII 176 45 — designat deviationem in eligendo VII 177 46 — Caeci sunt per ignorantiam peccantes 305 14 — Caeci peccant per ignorantiam contra Filii sapientiam 560 v. 3 1

— Caecus designat genus humanum VII 470 58 — Excaecatum est genus humanum per cupiditatem temporalium *ibid.* — humanae ignorantiae deficit in comprehensione lucis divinae VI 536 6 — cordis humani non intelligit mysteria suae redemptionis, nisi Deus tanquam caeco lumen ostendat suae lucis et reddat contuitum veritatis VII 469 57 — Oculus intellectus est caecus respectu unius, cum tamen videt respectu alterius VI 250 16

— innata est caecitas culpae originalis, contracta vel acquisita culpae actualis VI 579 5 — culpae actualis contrahitur a concupiscentia carnis, a concupiscentia oculorum per temporalia et a superbia vitae *ibid.*, 6 — culpae est erroris in intellectu, praesumtionis in affectu, deviationis in effectu, obstinationis in consuetudine peccandi et excessu *ib.* 2 — culpae ad modum naturalis facit ignarum in discernendo bonum, incautum in evitando malum, ineptum in agendo bonum, praecipitem in eundo, impediendo profectum *ib.* 3 — spiritualis depauperat conscientiam et denudat vitam *ib.* 4 — naturae est miseranda, caecitas ignorantiae relevanda, caecitas poenae est timenda, caecitas culpae abominanda 578 1 — spiritualis reddit hominem tristem, vilem et indignum aliorum communitate et deformem per ignorantiam obscurantem intellectum 579 4 — Caecus spiritualis non intrat templum gloriae *ibid.*

— Caecus existens in sole non illuminatur VI 253 30 — Caeci in adventu Christi erant illuminandi 376 17. 381 52 — Caeci solent mendicare 374 10 — Caecus, qui ambit et praesumit aliis praeferri, se et alios in praecipitium demergit VII 160 93

— aliquando sanatur collyrio, aliquando felle, aliquando luto VI 579 7 — contracta per luxuriam sanatur carnis mortificatione, contracta per avaritiam memoria mortis, contracta per superbiam consideratione vilitatis humanae conditionis 580 7

— Aegyptii afflicti sunt caecitate corporali per plagam tenebrarum et spirituali per mentis excaecationem VI 231 v. 16

Caecus — erat iuxta Iericho VII 470 58 — erat vere mendicans, quia simul indigebat pane et luce *ibid.* — sedet secus viam, quando ad lumen veritatis appropinquat ex consideratione suae defectibilitatis et variabilitatis *ibid.* — sua oratione dat nobis exemplum orandi *ib.* 59 — quaerit sollicite ex auditu turbae *ibid.* — petit devote et clamans ostendit, se habere excedentiam desiderii, confidentiam spei et intelligentiam fidei 471 61 — pulsat continue et importune *ib.* 62 — non petit aurum, vel aliquid temporale, sed tantum lumen *ib.* 64 — sequebatur Christum per subiectionem obedientiae *ib.* 66

— non est caecus **natus** in poenam peccati proprii VI 375 15. 380 44 — caecus natus est ad manifestandum Deum in miraculo 372 3. 375 15 — caecus natus est, ut manifestetur gloria Dei in illo 306 18. 403 50 — caecus natus est non tantum propter gloriam Dei, sed etiam propter nos instruendos et propter utilitatem propriam in illuminatione spirituali 375 15 — Caeco inflicta est poena propter divini consilii dispensationem *ibid.* — significat culpam originalem 579 5

— Caeci miseria a Christo curata VI 374 10 — curatus loco publico 376 17 2* — fuit illuminatus luto ad instructionem nostrae cognitionis et operationis 373 8. 374 9. 376 17 — fuit luto linitus considerando propriam vilitatem, lotus per lacrymarum effusionem, illuminatus per gratiam 580 7, 4 — Caeci obedientia, per quam illuminatur 373 7. 374 13

— confitetur, se fuisse caecum, ad gloriam Dei VI 374 11 — non timuit veritatem confiteri 377 21, 23. 378 30, 31 — confitetur, Christum esse prophetam 377 23 — Parentes caeci timidi respondent de filii sui persona et conditione, sed non audent respondere de eius curatione *ib.* 26. 378 27, 29 — sapienter respondet Pharisaeis 378 31, 33 — arguit eorum incredulitatem 379 35, 36 — illuminatus arguebat Pharisaeorum caecitatem VII 502 3 — pro veritate iniuriam patitur VI 379 40 — Iniuste ei exprobratur peccatum 380 45

— occasione corporalis illuminationis est spiritualiter illuminatus VI 375 15 — post curationem nondum credebat Christum Deum 374 13 — non statim fuit interius illuminatus 380 42, 44 — nondum habebat fidem explicitam, et ideo a Christo instruitur *ib.* 44 — Christo excitante consentit in fidem *ib.* 47 — vidit Christum per miraculum *ib.* 48 — confessus est fidem in Christum verbo et obsequio 381 48, 49

Caelum — In caelesti patria est summa pulcritudo VI 323 32 — In caelo est bonorum sufficientia VII 464 44

— clauditur per carnalem Adae generationem VII 83 52 — Caeli clausio designat defectum gratiae et doctrinae 102 55 — aperitur ad mittenda beneficia, ad ostendendum mysteria et ad recipiendum in gloriam VI 543 1. 544 3 — aperitur offerentibus, pulsantibus et properantibus, clauditur tardantibus 544 2

— Super Christum caeli aperti sunt VI 267 98. VII 83 52 — aperitur per regenerationem spiritualem VII 83 52 — In caelum non ascenditur nisi per Sacramentum regenerationis *ibid.*

— Postquam Christus ascendit, credentibus in eum aperitur aditus caeli VI 267 98. VII 83 52

— desertum fuit ab Angelis et hominibus et nullus iam poterat ibi introire VII 384 10 — comparatur deserto *ibid.* — Caelestis patria avulsa vel translata est quantum ad partem peccantium angelorum VI 629 6 — Porta caeli clauditur per iudiciariam districtionem VII 351 55 — Porta caeli est aperta per totum spatium viae, sed clauditur in fine *ibid.*

— Caeli aditus difficilis est VII 350 49 — Porta caeli non est angusta propter parvitatem potentiae, sed propter arctitudinem modestiae et rectitudinem iustitiae *ib.* 52 — Caeli porta et via est arcta inchoantibus, dilatatur proficientibus et ampla est pervenientibus 351 54 — Porta caeli angusta et via arcta est Christus 350 52 — Non intrat per angustam portam nisi qui se redigit ad parvitatem et austeritatem *ibid.* — In caelum cum cupiditatibus terrenorum impossibile est introire sicut cum desideriis 351 54

— Multi quaerunt intrare, praemiorum amore provocati, sed non poterunt, perterriti itineris asperitate VII 351 53 — Non intrant qui volunt Christum consequi et nolunt eum sequi *ibid.* — In caelum

intrare non poterunt qui non quaerunt voluntate integra et plena *ibid.* — Non vadunt recte in caelum qui volunt simul praesens saeculum et Deum *ibid.* — Ad portam caeli non pervenitur nisi ambulando per viam *ibid.* — In caelum pigri intrare non possunt *ibid.*

— Media ad perveniendum in caelum sunt actio bona, praedicatio vera et contemplatio tranquilla per prudentiam, intelligentiam et sapientiam VII 350 50 — In caelum conscenditur per poenitentiam, obedientiam et sapientiam 488 44 — Ascendere in caelum est per obedientiam 603 63 — In caelum intratur per tribulationes VI 323 32. VII 350 49

— ambit totum mundum VI 155 v. 17 — tegit omnia, id est quae sunt sub caelo 28 q. 1 — dicitur pluraliter propter multitudinem contentorum et effectuum in contentis 169 v. 10 — maxime elongatur a terra et locali distantia et qualitativa differentia VII 478 18 — Quae in caelo sunt remota sunt a cognitione humana VI 170 v. 16

— praeteribit per conflagrationem mundi VII 414 33 — transibit, per commutationem innovationis deposita forma, manente priori substantia *ibid.* — innovabitur VI 29 q. 2

— Deus est caelum omnia continens VI 169 v. 10 — Caeli dicuntur viri caelestes 542 4

Caeremonialia — Observantiae caeremoniales debebant in Christi adventu cessare VI 308 33 — Omnia caeremonialia sunt referenda ad dilectionem Dei et proximi et ad illum finem exponenda *ib.* 31 2*

Caesar — Caesares dicti sunt imperatores Romani a Iulio Caesare VII 44 3 — tunc dominabatur Iudaeis VI 488 61 — tunc erat monarcha, cuius erat dare potestatem regnandi 492 13 — Qui se ipsum regem constituebat contradicebat Caesari *ibid.*

— protulit universale edictum, quia universale habebat dominium in partes principales universi VII 44 3 — Tempore huius regni erat tempus adventus Christi *ibid.* — Eius imperium fuit pacatissimum, quia prope erat annuntiator pacis 45 5

— Caesari obnoxius est qui habet divitias VII 511 32 — Imago et superscriptio Caesaris est mundana *ib.* 30 — exigit impressionem suae imaginis *ib.* 31

Cain — Iniustus dicitur antonomastice ut caput et exemplar iniustorum VI 172 v. 3 — iratus fuit contra fratrem suum Abel *ibid.* — Ira Cain fuit homicidium spirituale et causa homicidii corporalis *ibid.* — spiritualiter mortuus est *ibid.* — Homicidium Cain fuit prima causa corruptionis suae posteritatis *ib.* v. 4 — Ab homicidio Cain derivata est corruptio usque in magnam partem posteritatis Seth *ibid.*

Caiphas — ambitione motus summum sacerdotium emebat a Romanis VII 70 4 — auctoritate pontificali consilium authenticum dedit VI 407 67 — dedit consilium, quod Christus interficeretur propter aliorum salutem *ib.* 68 — dedit consilium divina inspiratione 408 69 — peccavit non solum in voluntate, sed etiam in locutione propter perversam intentionem 409 76 — In sermone Caiphae, in quantum erat ex perversa intentione, erat intellectus carnalis et malus, ad vitandam Romanorum offensionem; in quantum erat ex inspiratione divina, intellectus bonus, Christum moriturum propter humani generis salvationem 410 76 — conspiraverat in mortem Christi 482 27, 28

— voluit Christum primum damnari ab Anna, ut ipse minoris culpae videretur VI 484 38 2* — venerat in praetorium, ut Christus traderetur Pilato 486 52. 487 57, 58

Calcaneum — intelligitur conculcatio et dolus et fraus VI 428 22

Calceamenta — fiunt de pellibus animalium mortuorum VII 397 39 — designant exempla patrum, vel vetustatem peccati *ibid.* — in pedibus debent habere praedicatores, id est exemplum priorum in officio praedicandi *ibid.* — Calceatus est promptus ad itinerandum *ib.* 38 — nuptiale designat praedicationem evangelicam *ibid.*

— est humanitas Christi, pes calceatus Divinitas humanata VI 258 56 — significat humanam naturam assumtam VII 79 38

Caligo — Cognitio Dei in caligine VI 256 43

Calix — est vas ad bibendum VII 303 80 — erat vas vitreum et designat fragilitatem humani corporis *ibid.* — In calice potus bibitur in mensura 556 54

— peccatorum fortunae inebrians, culpae venenosus, poenae amarus VI 612 2 — iustorum est gratiae, eucharistiae et examinationis divinae 613 3 — Calici passionis Christi communicandum est per spiritualem compassionem, per sacramentalem susceptionem, per actualem imitationem *ib.* 4 — peccatorum proiiciendus, calix iustorum bibendus, calici Christi communicandum 612 1

— In calice figuratur passio Christi VII 556 54 — gerit figuram tumuli 584 64

— dicitur potus contentus in calice VII 547 28 — In calice continebatur vinum permixtum aqua *ibid.*

Calor — est qualitas activa et magis afflictiva VII 353 59 — Caloris non est infrigidare VI 382 55 — A calore emanat vapor 158 v. 25

— Calore interiori tepefacto, quaeritur solatium in exteriori VI 482 32

Calumnia — est criminatio litigiosa VI 57 v. 8 — malitiose nocet 37 v. 1 — vanae sunt in hoc mundo *ibid.* — est violenta bonorum extorsio, quasi per iustitiam, sed revera per malitiam *ibid.* — opprimit iniuste, inconsolabiliter, irremediabiliter *ibid.* — excitat lacrymas innocentium *ib.* v. 2 — perturbando hominem inconstantem reddit 56 v. 8 — A calumnia recedendum est 57 v. 8 — Calumniatus est oppressus, desolatus, auxilio destitutus 38 v. 3

Calvaria — est locus, ut quidam dicunt, ubi iacebat Adam et ubi erat calvaria capitis eius VII 575 39 — dicitur locus, ubi decalvabantur capita damnatorum et dicitur testa capitis carne nudata VI 495 29 — erat locus, ubi proiiciebantur capita decollatorum 124 v. 20 — dicitur, quia ibi continebantur calvariae damnatorum, qui ibi decollabantur et suspendebantur VII 576 39 — erat locus extra civitatem *ibid.*

Camelus — est animal enorme ingentibus membris, monstruosum et gibbosum VII 464 44

Cana — interpretatum est zelus VI 545 5

Cancelli — sunt sensus VI 585 1

Candelabrum — est figura Christi VII 596 34 — aurea significant honestatem VI 542 11

Candor — vestimentorum refulgens apparebit in Sanctis sicut in Christo VII 233 52 — significat conversationem irreprehensibilem 234 55

Canis — vivus plus potest leone mortuo VI 73 v. 4 — fuerunt mitiores ipsi pauperi quam dives VII 418 43 — Sapientiae doctores et praedicatores vocantur canes spirituales VI 171 v. 19 — dicitur tentatio, quae ducit oves VII 583 12

Canities — capitis est signum infirmitatis in sene VI 94 v. 5

Canonicus — Contentio fit inter canonicos imminente morte episcopi, quis debeat praeponi VII 550 35

Canticum — In Canticis canticorum loquitur sponsus et sponsa et sunt verba Christi ad Ecclesiam VI 10 q. 1 — Salomon in Canticis loquitur perfectis, ideo parabolice et occulte *ib.* q. 2 — In Canticis docetur caelestia diligere, maxime ipsum Sponsum 5 13 — Verba, quae in Canticis videntur verba luxuriae et libidinis, sunt sermones iusti et boni 98 v. 10

Cantus — Interna devotio non quaerit nisi cantum honestatis VI 23 q. 1 — Delectari in cantilenis propter internam devotionem nullum est peccatum; delectari propter internam voluptatem et lasciviam est peccatum annexum luxuriae de proximo; delectari propter quandam curiositatem est peccatum curiositatis annexum luxuriae de remoto *ibid.* — Sancti instituerunt cantari ad gloriam Dei *ibid.*

Capharnaum — est civitas Galilaeae VII 166 2 — interpretatur ager pinguedinis, vel villa consolationis VI 558 v. 46 3. 585 1 — interpretatur villa pulcherrima 323 32 — exaltata fuit propter plurima miracula, quae facta sunt in ea VII 162 2. 260 25 — de miraculis magis superbivit quam profecit 260 25 — fuit exaltata propter munera divinae gratiae, et post demersa merito superbiae *ibid.*

Capilli — significant ornatum virtutum VI 579 6

Capparis — est herba quaedam, quae valet renibus et confortat actum virtutis generativae VI 94 v. 5 — est herba ad libidinem provocans 96 v. 7 — Per vocem

capparis intelliguntur carnales *ibid.* — est nomen commune ad herbam et ad amorem libidinosum 94 v. 5

Caput — in omnia membra redundat VI 255 41 — habet omnes sensus 289 63 — Capite infirmo cetera membra dolent, et capite sano vigent 538 1 — Bona dispositio capitis est membrorum omnium vigoratio, et capitis abundantia corporis relevatio *ibid.*

— significat intentionem VI 598 1 — significat Divinitatem in Christo 593 v. 3

Cardo — est herba fullonum VI 629 5

Carentia — visionis est poena aeterna et vere est mors VI 589 10

Carina — dicitur media pars navis VI 140 v. 9

Caritas — est consummatio perfectionis VI 166 v. 6 — est caput virtutum 22 v. 8 — est complementum nostrae salutis VII 437 34 — est maior omnium bonorum 286 31 — A caritate perfecta omnes congregationes operum virtutum calorem et vigorem suscipiunt, per quem tendunt sursum 349 47 — maior est, quia nunquam excidit 275 74

— et cor dilatat et calefacit ab interiori VII 347 43 — habet similitudines cum fermento *ib.* 42 — totum in sui naturam convertit 349 47 — incessanter accendit et sicut ignis semper urit 186 76 — dilatat per benevolentiam diffusivam, elevat per adhaerentiam excessivam, inclinat per condescendentiam dignativam 331 72

— nunquam est sine Spiritu sancto VI 515 53 — diffunditur per donationem Spiritus sancti 476 45

— Per caritatem homo manet in Deo VI 604 v. 4 — Per caritatem acceditur ad Christum 327 56. 583 10 — est via ad Deum amandum VII 41 136

— Caritatis est adhaerere VI 474 36 — Per caritatem homo adhaeret Deo 142 v. 16. 279 6 — affectum attrahit 584 2 — Caritatis est coniungere Deo et amicum facere 402 arg. 3 — facit amicum Christi VII 245 90

— habet unum iugum VII 372 42 — omnem sollicitudinem reducit ad unum *ibid.* — fundat super Christum, dum facit implere eius mandata 164 107 — est fundamentum stabiliens super Christum *ibid.* 165 108 — est via, qua Dominus venit ad nos, et nos imus ad Deum VI 140 v. 7

— erigit ad aeterna VI 3 1 — est amor rediens ad bona aeterna *ibid.* — odisse facit malum et diligere bonum VII 410 22

— in mente abscondita crescere debet, donec mentem totam in sui perfectionem commutet VII 349 47 — Dei sicut fermentum magis ac magis diffunditur *ibid.*

— Ad caritatem perfectam pervenitur per sex gradus virtutum VII 142 34 — perfecta requiritur in discipulis Christi 141 29

— aut proficit, aut deficit VII 349 47 — In fervore caritatis semper proficiendum est 347 42 — potest esse maior et minor VI 452 26

— Calor caritatis inchoatur in via, sed totum cor occupat in patria VII 349 47 — unitatis remanet 275 74

— necessaria est ad praedicationis officium assumendum VII 4 5 — necessaria est ad generationem spiritualem *ibid.* — necessaria praelato VI 525 31

— sine caritate homo nihil est VI 168 v. 6 — absque caritate omne cor est vacuum VII 286 31

— Per caritatem potest intelligi finis praecepti et complementum, vel praecepta moralia VII 305 86 — debet procedere de corde puro, ut sit pura, affectuosa et devota 183 66 — est ad alterum VI 262 72 — est in affectu 328 56 — est filiorum 551 5

— Calor caritatis producit fructus boni operis VII 162 99 — probanda opere VI 525 34 — Indicium verae dilectionis est observantia sermonis, dimissio terrenae possessionis et sustinentia temporalis tribulationis 603 1 — requiritur ad sequendum Christum in via mandatorum 584 2 — Verae caritatis est implere mandata VII 164 107 — omnia vincit, omnes diligit, observat omnia mandata VI 67 q. 3 — ostenditur per beneficentiae obsequium VII 27 71 — probatur per magna opera 167 7 — Opus perfectissimae caritatis est pro Christo et cum Christo mori 553 44 — In Deo fiunt opera, quae fiunt in caritate VI 284 34

— Nemo de caritate potest esse certus VI 72 q. 2

— Per caritatem cognoscitur Deus quasi per familiare colloquium VI 602 3 — Sine caritate non cognoscitur Deus, qui est caritas *ib.* 4 — iuncta debet esse et quodam modo immixta fidei Trinitatis, ut non tantum credat quis Deum verum, sed etiam credendo tendat in eum VII 348 45 — Caritatem veritatis non recipientes incidunt in errorem VI 85 v. 15

— est vinculum unitatis VI 132 v. 3. 133 v. 5 — Effectus caritatis dicitur triplex funiculus 40 v. 12 — facit hominem unum cum Deo, cum se ipso et cum proximo 609 2, 3 — non alio ligatur, sed est vinculum aliorum 497 36 — non dividenda per scissionem, sed servanda in unitate *ibid.* — prohibet divisionem desideriorum in affectu 111 v. 1 — magnam vim habet ligandi VII 331 72 — Deum de caelo traxit, et hominem de terra ad caelum levavit *ibid.*

— Effectus caritatis est mutua relevatio, consolatio et defensio VI 40 v. 12 — benefacit adversanti VII 157 79 — exonerat medietatem oneris auferendo 40 9 — facit omnia communia 467 50

— seiungit a carnali amore VII 332 76 — Ubi caritatis est plenitudo, nulla est iracundia 248 100 — Caritatis est ...ri de alieno scandalo et laetari et refici de alieno remedio 402 52 — Lex caritatis est, ut gaudia universorum sint communia, non privata 388 18 — cogit de bono gaudere 402 52 — non est in corde duro 286 31

— primo et principaliter est facienda VII 305 86 — exhibenda exemplo Christi crucifixi contra invidiam VI 618 3 — mutua acceptatur a Deo miro modo VII 545 20 — requiritur a Deo respectu proximi 305 86 — aliquando obligat ad effectum dilectionis citra necessitatem 154 67

— debet esse ordinata, ut primo intendat sibi et post alii VII 162 98 — ordinata consistit in custodia respectu sui et in clementia respectu proximi 427 7

— ordinat ad triplicem fructum VII 349 45 — Caritatis ordinatae aemulatio 144 39 — Aemulatio caritatis est gladius expugnans diabolum impugnantem per violentiam, interimendo eum gladio proprio VI 612 2

— Lumen gratiae tenebrescit, cum homo cadit a caritate VI 93 v. 2 — Refrigescit ignis caritatis abundante igne cupiditatis VII 561 68 — Igne caritatis tepefacto, efficitur homo pronus ad Christum negandum et ad omne malum *ibid.* — Contra caritatem peccans multa bona amittit VI 79 v. 18 — Non habentes caritatem perfectam de facili cadunt 70 q.

— significatur per aurum VI 22 v. 8. 598 3 — in pane designatur VII 286 31 — ad modum panis nutrit et confirmat *ibid.* — pascit VI 328 56 — est radix meriti 110 v. 1 — est fundamentum civitatis Ierusalem 3 1 — est vestis operiens et ornans 497 36 — est calor dirigens 205 v. 3 — est ignis 542 4 — intelligitur per austrum 88 v. 3 — Vehemens ardor caritatis dicitur meridies 13 b — est quasi caementum 132 v. 3

— Ex quantulacumque caritate potest quis quantaecumque tentationi resistere VI 474 34 — Minima caritate potest quis resistere quantaecumque tentationi, non tamen manente minima, vel non faciliter, immo valde difficiliter 435 53

Carmelus — interpretatur scientia circumcisionis et designat resecationem superfluitatis VII 341 18

Carmen — perfectum in universo resultat ex mutationibus rerum VI 32 q. — Mundus pulcherrimo carmini comparatur 34 q. 2*

Carnalitas — est infirmitas culpae VI 586 4 — dicit passibilitatem vel corruptionem vitiosam 289 62 — Carnalitatis amor malus 624 2 — Carnalium concupiscentia et desiderium VII 147 48

— Carnales designantur per porcos VII 205 56 — super terram sedent et figurantur per Moab 539 57

— oritur ex multis voluptatibus VI 586 4 — Carnalitatis actus quatuor VII 441 47 — ire recusat per viam rectam 335 86 — Praedicans spiritualitatem potius scandalizat quam aedificat carnales VI 8 q. 4 arg. 1 — Carnalis voluptas retrahit venientes ad Christum 568 2 — Carnalitatis peccatum directe est contra Verbum incarnatum et naturam, quam Filius Dei fecit caelestem, angelicam et divinam VII 442 50

— deponenda est ad futura bona cognoscenda VI 36 v. 22 — Carnalis homo

non respicit nisi visibilia, ideo non exspectat aeterna *ibid.* — Carnales timore tormentorum a fide recedunt 96 v. 7

— Carnales contemnunt iudicia divina et incurrunt divinam indignationem VII 441 47 — Carnales corripiuntur a Deo VI 577 2 — Carnales dissipantur 96 v. 7 — Carnales iusto Dei iudicio expositi sunt daemonibus VII 205 56 — Carnales diluvio involventur 441 47 — Super carnales veniet dies iudicii subito et ad ipsorum perditionem universalem *ib.* 48 — Qui dimiserit carnalia pro Domino spiritualia recipiet 467 50 — qui carnaliter sapiunt non possidebunt incorruptionem 514 39

— Carnalis intelligitur per vocem capparis VI 96 v. 7 — Carnales semper quaerunt delectabilia 86 v. 16 — Carnales semper sunt insipientes *ibid.* — Carnalis est indignus propter ineptitudinem laetitiae *ib.* v. 19 — Carnalis semper vult esse in laetitia *ibid.* — Carnalis propter laetitiam carnalem facit omne, quod facit *ibid.*

— Carnalis voluptas est lectus, in quo non invenitur Christus VI 572 3 — Carnalis voluptas trahit lascivos 568 7 — Carnales nihil aliud quaerunt nisi umbram et lasciviam sicut porci VII 205 57 — Infirmitas carnalitatis insurgit ex concupiscentia deliciarum VI 629 8

— Carnales non intelligunt divina VI 459 19 — Carnalis carnaliter intelligit 279 9 — Carnalis intelligentia non prodest 336 99 — Carnales nesciunt cibum spiritualem 297 52

— Carnalia postponenda sunt spiritualibus VII 20 37 — Carnalia sunt contemnenda 444 54 — Ab affectibus carnalibus avelli debet qui vult devote orare 556 53

— Infirmitas carnalitatis sanatur consideratione Salvatoris afflicti VI 629 9

Caro — dicit partem hominis visibilem et maxime passibilem VI 254 34 — facit viliorem quam sit natura brutalis, subvertendo leges, quas bruta animalia servant VII 442 50 — Ex carne secundum quod caro generatur carnale VI 281 20 — secundum carnalem intelligentiam non prodest quidquam 336 99

— in Adam ante peccatum fuit pura et sine macula VI 289 62 — est nurus et mater peccati VII 333 78 — est meretrix, cui unitur quis in carnalitate VI 609 2

— Carnis fragilitas comparatur flori cardui VI 141 v. 15 — spinas et tribulos tentationum generat *ibid.*

— subtracta gratia, per quam anima regeret carnem, ad inferius declinavit VI 382 55 — Tentatio carnis aut est secundum, aut contra naturam 175 v. 14 — Immunditia carnis est abiicienda 91 v. 10

— est vestimentum prosternendum in via poenitentiae per mortificationem VI 594 3 — Carnis mortificatio consulitur contra concupiscentiam carnis 584 3 — Carnis mortificatio consulitur ad sequendum Christum *ibid.* — Malitia a carne aufertur per mortificationem 91 v. 10 — mortificanda 590 12 — maceratur per poenitentiam 565 3 — mortificatur per ieiunium 302 83 (82) — mortificanda maxime a praelatis VII 145 40 — domanda memoria mortis *ibid.*

— Carnis mortificatio fluxum concupiscentiae restringit VI 580 7 — Carnis maceratio est corpori afflictio, sed unctio et illuminatio spiritui *ibid.* — est crucifigenda, ut spiritus noster in cruce Domino offeratur VII 576 40 — crucifigenda est sicut dexter latro *ibid.* — Crux carnis est rigor disciplinae, cuius quatuor sunt brachia *ibid.* — De mortificatione carnis non gloriandum 145 40 — In mortificatione propriae carnalitatis gladius praecingitur, evaginatur ad redargutionem carnalitatis alienae 554 48

— punitur igne et sulphure propter inordinatissimae libidinis incendium et foetorem VII 442 50

Casa — est pauper domuncula, quae dicitur a cadendo, quia de facili cadere potest VI 178 v. 2

Castellum — Per castellum, quod est contra discipulos, intelligitur mundus VII 488 45 — In castellum missi sunt discipuli ad praedicandum *ibid.*

Castitas — consistit in innocentia mentis VI 131 v. 1 — Castus corpore felix est 129 v. 12 — habebit aeternae beatitudinis fructum *ibid.*

— In castitate praeterita non est fidendum VII 519 55 — Castus non facile de fornicario suspicatur 502 3 — Munditia castitatis significatur in linteo VI 598 3

Casus — et fortuna sunt causae per accidens VI 77 q. 1 — Quando natura et intellectus aliquid faciunt, ad quod directe ordinantur, non est ibi casus *ibid.* — Quando ex operatione naturae et intellectus aliquid evenit, ad quod directe non ordinantur, propter concursum alterius causae, ibi est casus *ibid.* — non dicitur in comparatione ad divinam praescientiam *ibid.* — Nihil est casuale secundum divinae praescientiae ordinationem *ibid.* — Circa omnem mutabilem creaturam aliquid evenit casuale *ibid.* — Quasi omnia a casu venire videntur 76 v. 11 — invenitur in omnibus, non quod omnia casu eveniant, sed quia circa omnem mutabilem creaturam aliquid evenit casuale 77 q. 1 — Nihil fit casu *ibid.* — In mundo nihil agitur casu et fortuna 196 v. 3

— Casus in faciem significat reverentiam VII 436 31 — post tergum significat ruinam *ibid.* — Qui in faciem cadit videt, quo cadat; qui retro non videt *ibid.* — In faciem cadunt boni, mali retro *ibid.* — In faciem cadit quis tripliciter *ibid.*

— Non diffidendum, si aliqui, qui videntur stare, cadunt VII 142 33 — De casu non est incautius diffidendum 553 45

Catechumeni — nondum fidem explicitam habent VI 380 45

Catena — ligat pedes, collum et manus VI 593 v. 44 1 — duae sunt pronitas ad malum et difficultas ad bonum 579 6

Cathedra — honoris non est verae excellentiae, sed magis pestilentiae VII 305 87 — Super cathedram pestilentiae sedebant scribae et Pharisaei *ibid.* — est sedes doctorum VI 492 14

Catinum — est vas ad manducandum VII 303 80 — est vas fragile et designat fragilitatem humani corporis *ibid.*

Causa — Primum in unoquoque genere eorum quae post ipsum sunt, causa est VI 108 v. 5 — Nihil est, cuius ortum non praecesserit legitima causa 196 v. 3 — Omnia habent legitimam causam, scilicet naturam vel intellectum 77 q. 1 — Omnia a causa determinata proveniunt *ibid.* — Nihil praeter primam causam est sine legitima causa *ibid.* — Unius rei secundum diversos respectus quatuor causae sunt, sed unica in uno genere 203 v. 27 — producit effectum proportionalem in generatione univoca 34 q. 1* — Eventus rerum aut comparantur ad causam primam, aut ad causas creatas 77 q. 1 — Causae inferiores sunt mutabiles *ibid.* — In dispositione causarum mutabilium vix est, quin concurrat aliquis effectus non intentus *ibid.*

— sine qua non et causa meritoria VI 375 15

— quae non defenditur et probatur, melior est VII 568 11

Cautela — necessaria est in periculis contra fraudulentiam VII 552 41

Cedron — dicitur a cedris VI 478 2

Cedrus — sublimis est Christus, cuius medulla est latens Divinitas Verbi VI 241 5

Centurio — est qui praeest centum militibus VII 166 3. 583 60

— ex signis cognovit, Christum esse vere Filium Dei VI 123 v. 17 — ex visione mirabilium, quae facta sunt in commotione mundi et maxime in modo moriendi, confessus est Christum VII 582 57 — In centurione apparuit promptitudo in gentibus ad fidem *ibid.* — videns, quod Christus haberet potestatem emittendi spiritum, in ipso passionis scandalo confitetur Dei Filium *ibid.* — apertae confessionis voce Deum glorificat *ibid.*

— Centurionis devotio VI 303 86 (85) — gentilis commendatur propter fidem VII 74 19 — excellentia fidei meretur accelerationem beneficii 167 9 — humiliter confitetur excellentiam divinae potestatis Christi, cum non audet eum suscipere *ibid.* — Fides centurionis ostenditur magna 168 14 — Fides centurionis non fuit maior simpliciter, sed respectu habito ad personam 169 15

— servum infirmum diligebat ex pietate VII 166 3 — accessit ad Iesum per fidem, vel etiam corporaliter, sed non pervenit ad eum in propria persona 167 5 — misit seniores, qui intercedebant ex amore et confidentia *ib.* b

— Centurionis servum aegrotum tria dignum faciunt ad inveniendum remedium sanitatis VII 166 4 — audivit de Iesu non solum aure corporis, sed etiam aure cordis

*ibid.* — non est ausus accedere ad Iesum ex reverentia maiestatis *ibid.* 170 19 — misit ad Iesum seniores tanquam digniores ad interpellandum 166 4 — dignus erat accipiendi gratiam pro servo suo 167 6, 7 — ostendit praecipuam humilitatem, confitendo suam indignitatem 168 10 — non recusavit praesentiam Christi corporalem *ibid.*, 11

— merito fidei impetravit quod credidit VII 169 16 — fidei magnitudo in centurione praefertur fidei Israelitarum, in quantum significat fidem gentium *ib.* 15, 17 — Fides centurionis dicitur maior quantum ad reverentiam exteriorem *ib.* 15 — honorificat Christum confitendo suam dignitatem et profitendo divinae virtutis sublimitatem 168 12

Cephas — interpretatur Petrus VI 263 80

Certitudo — de his quae spectant ad nostram reparationem acquiritur ex testimonio Scripturae et ex lumine intelligentiae VII 601 56

— Qui certus est de aliquo non solum non credit, sed etiam deridet persuadentem contrarium VII 215 92

— Certitudini demonstrationis resisti non potest VI 243 10 — auctoritatis est internae illuminationis, vel exterioris persuasionis *ibid.* — sacrae Scripturae *ibid.* — facit sublimitatem in scientia 241 6

— habetur de iis quae sunt essentialiter in anima VI 72 q. 2 arg. 1, 2

— Sensibilia inferiora non certitudinaliter cognoscimus VI 170 v. 16

Chaldaeus — Chaldaei ignem adorabant VI 192 v. 2

Chananaeus — Chananaei immolabant in sacrificiis daemonum filios cum multa devotione VI 185 v. 3, 6 — Chananaei expellendi erant a terra promissionis sacra *ib.* v. 6 — Chananaei erant maledicti in Chanaan, primo parente sui generis 187 v. 11 — Chananaei per bruta animalia cognoverunt verum Deum 191 v. 26 — Chananaei ab Israel occisi sunt 179 v. 12

— Chananaei affligebantur per animalia modica et contemptibilia VI 191 v. 19, 25 — Chananaei erant incorrigibiles propter suam obstinationem 187 v. 10 — Chanaan erat maledictus *ib.* v. 11 — Dominus noluit populum Israel cum Chananaeis copulari 185 v. 3 — Chananaei eiiciendi erant a facie Israel 186 v. 8 — Chananaei paulatim exterminati sunt *ibid.* — Chananaeorum natio iniqua erat *ib.* v. 10

— Chananaea, quae clamavit, dat intelligere confessionem VII 212 86

Characteres — possunt esse cum Spiritu sancto et sine VI 515 53

Charisma — Quilibet esse debet memor charismatum Dei ad postulandum VII 37 114 — Charismatum infusio clarificat Christi bonitatem VI 611 2

Cherubim — plenitudo scientiae interpretatur VII 114 6

Chorda — chordae coniuncta est fortior VI 40 v. 12

Chorus — est collectio vocum VII 399 44 — significat laetitiam, quae venit ex concordia vocum et verborum in praedicando et laudando Deum *ibid.*

Christianus — Nomen Christiani est maxime ad virtutem incitativum VI 265 88 — sunt regale sacerdotium VII 577 41 — Claritas Christianorum est esse unum in caritate VI 474 36, 39 — substernuntur Apostolorum mandatis evangelicis, Legis consuetudines conculcant VII 492 54 — qui tardi sunt ad audiendum verbum Dei et ad faciendam poenitentiam de peccatis, arguuntur 299 69 — non debent esse nec dubii ad credendum nec tepidi ad audiendum nec frigidi ad poenitendum et operandum 300 69 — ad sui excusationem quaerunt signa miraculorum, cum tamen ante oculos habeant Christum crucifixum *ibid.*

— debet crescere exemplo Christi in altitudine per eminentiam virtutis, in fortitudine per constantiam virtutis, in latitudine per multiplicationem virtutis VI 553 5

— unusquisque pro suo peccato reddet rationem VII 499 72 — Omnis Christianus debet super se et humano genere flere, quia causa fuit interfectionis Domini sui 574 33 — Mali Christiani sunt de numero fidelium nomine, quidam merito praesentis iustitiae, quidam cognitione praevisionis aeternae VI 475 41

— per fugam liberati sunt in Ierosolymorum excidio VII 531 31

Christus — 1 *Divinitas Christi* 2 *Incarnatio* 3 *Infantia* 4 *Gratia* 5 *Sapientia* 6 *Messias promissus* 7 *Baptismus* 8 *Praedicatio* 9 *Missio Apostolorum* 10 *Potentia* 11 *Miracula* 12 *Virtutes* 13 *Oratio* 14 *Clarificatio* 15 *Mediator et Salvator* 16 *Rex et sacerdos* 17 *Ecclesia* 18 *Effectus gratiae* 19 *Persecutio* 20 *Introitus in Ierusalem* 21 *Eucharistia* 22 *Comprehensio* 23 *Iudicium* 24 *Mors* 25 *Sepultura* 26 *Resurrectio et Ascensio* 27 *Imitatio.*

1 — erat verus **Filius** Dei per naturalem proprietatem aeternae generationis VI 123 v. 18 — est solus Filius Dei per naturam VII 237 65 — secundum Divinitatem dicit Deum Patrem suum per naturam VI 510 26 — Proprietas filiationis in Christo est personalis et connaturalis et coaequalis VII 238 65 — Christi generatio aeterna est incomprehensibilis VI 150 v. 24

— est Filius dilectus VII 84 55. 276 77 — est Filius dilectus a Patre praecipue et summe ut coaequalis 238 65 — dilectus ab aeterno a Patre secundum Divinitatem VI 476 43 — Pater summe diligit Filium, quia summe unum 309 38 — In Filio placet Patri omne, quod placet VII 84 55, 56 — placet Patri propter perfectissimum nexum amoris 84 55

— Verbum est Deus aequalis Patri VI 247 4 — sedet ad dexteram Patris ut aequalis VII 564 82

— dicitur primogenitus per privationem prioris, ut Domino totaliter dedicandus VII 46 10 — est in sinu Patris, quia ab ipso genitus nec recedit ab ipso VI 255 40 — est in sinu Patris, ab aeterno genitus VII 84 55 — a Deo processit ut Filius per generationem VI 347 39, 40. 366 59 — exivit a Patre secundum divinam naturam 470 15 — exivit a Patre per aeternam generationem 465 42

— Pater communicat Filio omnis operationis potentiam VI 309 38 — a Patre accepit esse et operari 314 64 — omnia, quae habet, a Patre accipit 343 21 — dicitur omnipotens sermo Dei per aeternam generationem 225 v. 16 — habet coomnipotentem Patri Deitatem *ibid.*

— Pater omnia dat Filio VI 362 38 — omnia, quae habet Pater, habet a Patre 459 22. 461 26 2* — habet omnia, quae Patris sunt 471 17 — Pater omnia dedit in manu Christi 288 58 — omnia habet a Patre 309 38. 470 14 — Pater dedit Christo totum, quod potuit 391 40

— solum potest quod a Patre potente accepit, ut posset, et quidquid potest a Patre potest VI 309 36 — a Patre accepit potestatem universalem et naturalem, aequalem Patri et immensam VII 265 39 — Eadem est potentia Christi et Patris VI 391 41

— secundum naturam divinam omnia poterat, sed non secundum humanam VI 468 8 — facit quod petitur ab ipso, cum sit aequalis Patri 438 15 — ut dominus potest uti omnibus tanquam re propria VII 489 47. 490 50 — habet potentiam operandi et essendi non a se ipso, sed a Patre VI 309 36 — ita magnum posse habet ut Pater 309 37 — operatur cum Patre uniformiter et concorditer et aeque potenter *ibid.*

— est Verbum, per quod Pater omnia fecit et refecit VII 139 17 — est principium, per quod omnia creata sunt VI 361 35. 362 42 — est manus, per quam Omnipotens operatur cuncta et per quam reparat universa VII 343 26 — est brachium Patris VI 422 57. VII 292 46 — est manus Dei Patris operando, brachium protegendo, dextera praemiando 142 v. 17

— dicitur vivere propter Patrem, quia a Patre habet vitam et quia manet in Patre VI 333 87. 335 93

— Deo erat **consubstantialis** et coaeternus quoad personam VI 122 v. 13 — est unum cum Patre, eo quod habeant eandem naturam, et simpliciter sunt unum 391 41. 476 42 — est in Patre et Pater in Christo per essentiae unitatem 392 49 — Pater est cum eo propter essentiae unitatem 362 39 — est in Patre secundum personarum distinctionem et unitatem essentiae 441 29 — unum cum Patre 474 36

— Deus est in Christo per rationem uniendi vel assumendi VI 261 69 — est minor Patre secundum humanam naturam 445 47

— ut Creator est et manet VII 38 118 — est ante omnem creaturam 371 82 — non est factus, quia non coepit, non fuit, quia esse eius non transit in praeteritum, sed est, quia esse eius est increatum et intransibile *ibid.*

— est primogenitus et unigenitus Patris et Virginis novo modo natus VII 46

10 — est Filius unigenitus Patris ab aeterno genitus 84 55 — est Filius unigenitus Altissimi per gratiam unionis 24 56

— est Deus, quia Pater eum sanctificavit, id est sanctum genuit, et misit in mundum VI 392 47 — est Deus, qui nos creavit, et Dominus, qui nos comparavit ut servos secundum humanitatem 516 59 — est Filius Dei, non filius viri VII 25 64 — non habet patrem nisi Deum 238 65

— dicitur *quasi* Unigenitus non comparatione vel similitudine, sed expressione VI 254 35 — est Verbum Patris placitissimum et perfectissimum VII 84 56 — ducit ad Patrem ut Verbum et lumen VI 422 64. 424 71 — est os vel Verbum Patris secundum Divinitatem VII 73 13

— enuntiat Patrem, a quo procedit VI 459 22 — est via cognoscendi Patrem 359 25 — Per Christum Deus omnibus innotuit 433 44 — Cognoscentes Filium cognoscunt Patrem 359 25. 470 14 — Christo revelante, cognoscitur Pater 476 44, 45

— vocatur Filius Dei ab ipso Deo, a credentibus et ab omnibus VII 25 64 — est Filius summe dilectus, per quem etiam alii odiosi diliguntur 84 55 — raro se vocat Filium Dei nisi necessitate compulsus VI 269 103

— solus est **Dominus** noster VI 313 56 — est Dominus quantum ad sublimitatem Divinitatis occultae VII 137 9 — dominus erat omnium per culmen auctoritatis 489 47 — est verus dominus animarum et cordium 489 47. 490 50

— In confessione Divinitatis Christi confutantur errores et sternitur totius fidei fundamentum VII 227 34 — non cognoscitur verus Deus per naturalem lucem, quia hoc est supra rationem, sed opus est ascendere per fidem 474 7 — secundum confessionem daemonis est Filius Dei, non creatura pura secundum Arianos 203 50

— non blasphemavit dicendo se Filium Dei, sed Iudaei, qui de Deo dicebant, non esse Deum VI 392 47 — sibi sine blasphemia attribuit nomen Dei ut Filio naturali 307 30. 394 56 — falso credebatur blasphemare, quando attribuebat sibi Divinitatem vel proprium Dei VII 125 49. 565 83, 84 — accusatur blasphemiae VI 491 8

— Credere in Christum non est credere in hominem, sed in Deum VI 422 63 — Credimus in Christum Dominum quantum ad Divinitatem, non in hominem secundum quod homo 536 4 — In nomine Christi credit qui credit eum Deum et hominem 252 27 — Credens in Christum credit in Patrem 314 48

— Qui cognoscit Filium cognoscit et Patrem VI 437 8. 439 19 — Qui in Christum credit non in ipsum solum credit, sed etiam in eum qui misit eum 424 71

— In Christum est credendum, quia aequalis Patri; ipse loquitur et videtur secundum humanam naturam VI 381 53

— credendus est bonus non solum secundum quod homo, sed secundum quod Deus VII 461 37 — non se fecit de homine Deum, sed cum Deus esset, factus est homo 392 44

— Quia in Christo caro iuncta est Verbo aeterno, vox eius exterior iuncta est Verbo interiori, principio omnis conditionis et reparationis VII 171 25

— Filius Dei per contumeliam vocabatur filius fabri, et conceptus de Spiritu sancto et Virgine genitus concubitu coniugali VII 100 48 — In Christo non est sequenda excellentia Dei, sed humilitas hominis VI 535 2 — Iudaei cognoscentes temporalem Christi generationem negabant aeternam 329 66 — tam secundum humanam naturam quam secundum divinam dat testimonium verum 316 68

— **Nomen** Christi exprimit dignitatem regiam et sacerdotalem et gratiae plenitudinem propter unctionis praerogativam VII 226 34 — In nomine Christi intelligitur dignitas regalis et prophetalis et sacerdotalis, secundum triplicem excellentiam potestatis et veritatis et sanctitatis 227 34 — In nomine Christi intelligitur unctus, ungens et quo ungitur; ac per hoc simul Pater, Verbum et Spiritus 226 34 — In nomine Christi intelligitur uncti natura, gratia, qua ungitur, et dignitas, ad quam ungitur, sive officium *ibid.* — In nomine Christi et Divinitatis et incarnationis est expressio et fides passionis *ibid.* — exprimit personam unam in duabus naturis *ibid.* 313 12

— Nomen Christi est Emmanuel, id est nobiscum Deus VI 252 27. 602 2 — nomen eius est Oriens VII 42 138 — dicitur Iesus, quia venit ad salvandum mundum 248 100 — propter misericordiam salvantem vocatur Iesus 477 14 — Nomen Christi est magnae efficaciae invocatum etiam ab extraneis 245 90

— Operatio Christi, quae est secundum Divinitatem, a tempore non dependet, quae vero est secundum humanitatem, certum tempus requirit VI 342 18 — Opera ostendunt Christum Patri aequalem 392 47, 49 — in operibus suis se ostendit non contrarium Patri; sed per omnia concordem 404 55 — non habet voluntatem singularem discordem a voluntate Patris 313 58 2* — per omnia obedit voluntati Patris 328 59 — In Christo potissime fuit obedientia VII 436 34 — ivit a Deo ad Deum et secundum Deum et propter Deum *ibid.*

— quaerit gloriam Patris VI 317 75 — clarificat in suis operibus Patrem, a quo est 459 21 — honorat Deum ut Patrem 467 2 — operatur Patri cooperando etiam in Sabbato 307 29 — servat praecepta Patris, quia diligit Patrem 448 11

— Per Christum oportet ad Patrem redire VII 10 9 — Per Christum tendimus ad Deum ut ultimum finem 88 b

— probatur esse Filius Dei tenendo Patris mansionem, aemulando pro Patre et imitando Patrem VI 564 v. 19 — Emanatio a Patre ostenditur in hoc, quod operatur, sicut accepit a Patre 362 38 — eius Divinitas cognoscitur ex plenitudine gratiae, quam confert 254 37 — cognoscitur Filius Dei ex secretorum revelatione 267 96 — In facie Christi relucebat fulgor Divinitatis occultae potens trahere ad se VII 130 71

— est plenus, Divinitate corporaliter inhabitante VI 254 35 — Christus Dei dicitur ut simul Deus verus et homo VII 226 34 — Christo homini communicatum est nomen divinum VI 201 v. 21

— Ratio indivisionis in opere Patris et Filii est indivisio in essentia et in dilectione VI 309 37, 38

— Christo non est fruendum hic, sed cum Patre VI 509 26 — non ibat ad Patrem ut ad aliquem extra se, sed Patri se aequalem credi facere volebat 438 13 — Iudaeis excaecatis, migravit ad Patrem 290 8 — credendus erat a Patre exisse, post passionem vero oportebat credere, quod rediret ad Deum 465 41

— Qui honorat Filium honorat Patrem VI 428 24 — Pater vult Filium honorari, quia honor Filii est Patris 309 42 — audivit, ut Filius, accipiendo a Patre 287 55 — missus a Deo est verax sicut Deus 288 57

— tanquam Filius cognoscit Patrem VI 347 40 — vere cognoscit Deum 370 79 — scit Deum per apertam cognitionem 347 40 — solus vidit Deum 255 39 — imitatur Patrem 365 55 — Pater dat ei testimonium per internam inspirationem 314 65. 316 70

— est **sublimis** sapientia, prudentia et potentia VII 138 14 — In Christo apparuit plenitudo sapientiae in praedicatione, plenitudo clementiae in passione, virtutis in resurrectione, gloriae in ascensione VI 538 3, 4 — In Christo invenitur claritas sapientiae, gratiae, famae et gloriae 611 4 — In Christo est sublimitas praecipua propter excellentiam potestatis, evidentiam veritatis et affluentiam pietatis VII 165 1

— est magnus et excellens propter gratiam singularem, propter excellentiam regalem et propter potentiam aeternalem VII 24 56 — est singularis inter omnes Verbi unione, donorum plenitudine, peccati immunitate VI 325 43 — Christo singulariter conveniunt quaedam mirabilia 456 7 — Gloria Unigeniti est in hoc, quod Pater omne iudicium dedit ei, quod similis est Patri ut splendor et figura, quod est caput omnis Ecclesiae, quod sedet ad dexteram Patris 539 5 — est maximus, cui maxime appropinquant humiliores VII 244 89

— est dignior Ioanne secundum humanam naturam effectus, quia secundum Divinitatem prior erat VI 254 36 — est dignior Ioanne 258 56 — manifestatus ut maior Ioanne 289 3 — erat maior Salomone ratione potentiae, scientiae et iustitiae VII 299 67 — est maior Abraham VI 370 79, 80 — secundum Divinitatem fuit ante Ioannem 254 36. 260 63

— Contemnentes Christum contemnunt Deum VII 506 18 — Qui spernit Christum

spernit Deum tum propter commissam auctoritatem, tum propter consubstantialitatem 261 27 — Inferens contumeliam Christo inhonorat Patrem VI 367 66 — Qui ipsum non verentur nec Deum nec eius nuntium verebuntur VII 506 18

— cum reverentia **adorandus** VII 209 74 — est solus qui adorandus est, et ei tabernaculum aedificandum 238 67

— secundum humanam naturam est honorificandus, non contemnendus propter humiliationem incarnationis VI 313 55 2* — dupliciter honorandus ut Dei virtus et sapientia VII 563 75

2 — **Natura** duplex in Christo VII 516 47 — In Christo aliquid divinum apparebat *ib.* 46 — In Christo sunt duae naturae valde sublimes, sed maxime sublimis divina VI 241 5 — In Christo est Divinitas unita humanae naturae *ibid.* — In Verbo incarnato consideratur natura divina et humana 246 1 — In Christo est esse divinum et esse humanum, visibile et invisibile, miserum et gloriosum 463 35

— non tantum erat homo, verum etiam Deus, quod ostendebat magnitudine miraculorum VII 299 68 — Nemo secundum Scripturam et fidem a patribus acceptam potest inficiari duplicem eius naturam 517 50, 51 — est simul Deus et homo *ib.* 51 — Deus factus est homo, Creator creatura, immensus parvus, Verbum infans, aeternus temporalis 296 60 — In Verbo incarnato est unio summi amoris et connexionis duarum naturarum 395 34

— Anima non est medium distantiae in unione Divinitatis et carnis nec medium colligantiae, sed congruentiae VI 389 31 — Triplex natura seu substantia in una persona Christi figuratur per tria sata farinae VII 349 45 — In Christo caro est antiquum, anima novum, Divinitas aeternum *ibid.*

— Secundum duplicem naturam aliqua dicuntur de Christo propter unitatem hypostasis VI 283 27 — Quaedam dicuntur de Christo secundum divinam naturam pure, abstracta humana natura, quaedam secundum humanam pure, quaedam secundum humanam prout unita divinae vel e converso 449 15 — Aliquid dicitur esse vel non esse Christi secundum naturam vel originem, secundum divinam naturam vel humanam, simpliciter vel discretive 344 26 — Quae proprie conveniunt Christo non conveniunt alii creaturae 539 5

— Fides Divinitatis et humanitatis sunt duo minuta offerenda VII 523 8 — Per fidem humanitatis assumtae pervenitur ad intelligentiam generationis aeternae VI 470 15 — In Christo credenda est humanitas et Divinitas 516 62. 518 66 — propter unitatem hypostasis est obiectum fidei secundum utramque naturam 449 15

— credendus est verus Deus et homo VII 516 47. 517 50 — Confitendus verus Deus et homo 313 12

— Scriptura de Christo dicit et quod aeternus et quod mortalis VI 420 49, 50 — Circa Christi utramque naturam utriusque testamenti intentio principaliter versatur VII 517 51 — ut homo Deus est fundamentum christianae religionis et complementum 518 51 — Ad Christi Divinitatem vel humanitatem reducuntur omnes articuli fidei *ibid.*

— est gigas geminae substantiae VII 379 63 — Christi caput est Divinitas aeterna, pedes humanitas assumta in fine saeculorum VI 508 20

— **praenuntiatus** fuit a Lege et Prophetis VI 266 92 — Ab omnibus Prophetis praedictum est, Christum Deum in carnem venturum VII 8 6 — in Lege promittebatur non tantum Iudaeis, sed et gentibus VI 295 40 — promissus erat habitatoribus Galilaeae, Iudaeae et Ierusalem, et hi eum exspectabant et ad ipsum veniebant VII 124 42 — promissus tribui Iuda *ibid.* — eius generatio carnalis a Iudaeis erat communiter credita, aeternalis a Prophetis praedicata 516 47

— praedictus erat nasciturus de Bethlehem VI 266 93 — Verbum incarnatum cognitum fuit per testimonium authenticum Ioannis 254 36 — in adventu suo habuit testimonium angelicum et humanum, simplicium et perfectorum, sexus virilis et muliebris VII 62 81 — natus habuit testimonium a natura caelesti per stellam, a natura supercaelesti per Angelos et a natura subcaelesti *ibid.* — in suo adventu habuit testimonium ab omni genere personarum, ut inexcusabiles sint qui non credunt Evangelio *ibid.* — Christi adventus annuntiatus a Ioanne 30 82 — promissus a Prophetis a Ioanne monstratur praesens 413 30

— Adventus Salvatoris in carnem praenuntiatus est ut visibilis oculis carnis et ut salutaris VI 631 v. 6 — Congruum erat, quod nulla professio aut sexus deesset in prophetando VII 64 87

— Tempus adventus Christi probatur per tempus regum et sacerdotum VII 70 5 — Tempus adventus Christi sufficienter poterat cognosci per Scripturas 71 5 — Adventum Christi Lex et Prophetae praedicabant manifeste, sed prave exponebantur a Pharisaeis 309 100

— Adventus Christi in carnem dignus est admiratione, dilectione et imitatione VI 594 1 — admirabili dignatione de summo venit ad imum *ib.* 2 — mirabili dignatione venit pro homine perdito quasi pro nihilo *ibid.*

— Missio Filii Dei in mundum fuit maximum beneficium VII 506 18 — Missio Filii fuit ex occulto et secretissimo proposito et consilio Dei *ibid.* — Missio Christi est veneranda propter excellentiam Patris mittentis et Filii missi et propter indigentiam eorum quibus mittitur VI 574 1

— Carnis susceptio fuit primo promissa Abrahae et repromissa David VII 86 60 — Conceptus Christi figuratus, praenuntiatus et credibilis factus multis conceptibus sterilium 26 65 — Christi generatio secundum carnem est initium Evangelii 87 60 — Promissus Abrahae 40 130. 344 31

— exspectabatur tanquam Dominus totius mundi VI 322 24 — omnibus promissus datus est novissimis Sanctis VII 308 98 — Promissio facta a divina benignitate impleta fuit a divina veritate, quando carnem nostram suscepit 33 99 — misericordiae suae recordatus est, cuius non potest oblivisci, aut ira contineri *ibid.*

— Modus generationis Christi secundum Scripturam erat occultus, sed nota erat propago et locus VI 347 43 — Christi conceptioni secundum prophetiam competebat Nazareth, nativitati Bethlehem VII 45 6 — est flos conceptus in loco floris et in florum tempore 21 43 — debebat esse a Nazareth VI 266 93 — Nazaraeus dictus est a Nazareth 352 70. 353 75 — secundum vaticinia erat Nazaraeus de Galilaea VII 65 90 — dicitur Nazarenus a patria VI 496 31

— alibi **conceptus** est, alibi natus, alibi educatus, ut lateret impios incarnationis mysterium VII 45 6 — conceptus in Galilaea, in Iudaea natus, in Ierusalem crucifixus 124 42 — conceptus mense Martio ad reparandum hominem et mundum eo mense conditum 20 41

— fuit conceptus sine semine virili, natus sine dolore Matris, immunis ab omni peccato et mortuus pro hominum peccato VII 370 36 — conceptus est per fecundationem Virginis 20 40 — Humana natura in Christo per virtutem Spiritus sancti fuit concepta et per eius gratiam divinae naturae unita 97 36 — conceptus in ventre, quem ipse fecit 296 60 — incomprehensibilis continebatur in ventre *ibid.* — portatus in utero novem mensibus, decimo inchoato *ibid.* — fuit in utero Matris novem mensibus et sex diebus VI 151 v. 2 — manet in domo uteri virginalis per praesentiam carnis VII 476 11 — factus est Deus et homo in utero Virginis VI 548 4 — in incarnatione habitavit in utero Virginis ut in templo 549 4

— non est genitus secundum naturam corruptam, sed per virtutem divinam Spiritus sancti conceptus, ideo dicitur desursum venisse VI 289 62 — secundum generationem temporalem non habebat patrem verum, sed putativum, quia de Virgine natus VII 85 58 — Falsum est, Christum ex Maria prorsus sumsisse exordium VI 247 5 — Eius corpus ab instanti conceptionis fuit perfectum organizatione et deinde perficiebatur mole 277 42 — nullum munus gratiae habuit postea, quod non habuisset a conceptione 261 69 — tam in conceptu quam in ortu fuit sanctissimus VII 34 104

— assumsit carnem de genere Iudaeorum VI 252 26 — secundum carnem est ex Israelitis VII 63 83 — est gloria plebis Israel, de quo natus est secundum carnem 60 72 — est ex Iudaeis VI 295 37

— est rex ex semine David secundum carnem natus VII 493 56 — est semen David promissum 45 7 — fide creditur ex semine David natus 471 61 — est de domo David propter incarnationem 39 124 — erat de semine David secundum carnem VI 252 26 — erat ex semine David,

de Bethlehem 351 60 — secundum humanam naturam non erat dominus David, quia filius VII 517 50 — secundum generationem carnalem est filius David 516 47 — secundum regnum et humanitatem successit David 86 60 — reparat regnum David 49 24

— In eius **genealogia** non fit sermo de Maria, sed de Ioseph VII 85 58 — Per nomina, quae exprimuntur in genealogia Christi, importatur nostrae salutis initium, profectus et complementum 87 62 — Genealogia Christi describitur secundum Legem per Lucam et secundum naturam per Matthaeum 86 59. 87 61 — Differentiae septem inter utrumque *ibid.*

— Lucas agit de generatione Christi, secundum quod per illam reducimur in Deum VII 9 9. 10 10 — Lucas prosequendo filiationem adoptivam vel legalem ascendit usque ad Deum per septuaginta septem gradus 87 60, 61 — Lucas intendens ad Christi sacerdotium reconcilians per sacramentalem regenerationem, ponit eius genealogiam post baptismum *ibid.*

— Matthaeus incipit genealogiam Salvatoris ab Abraham descendendo per David et Salomonem, qui successit ei in regno VII 86 60 — Matthaeus descendendo ab Abraham solum quadraginta intermedias ponit, vel quadraginta duas *ibid.* — Matthaeus principaliter intendit ad Christi regnum, Lucas ad eius sacerdotium 87 60 — Matthaeus prosequitur Christi regnum et humanitatem, et ideo agit de descensu eius ad carnis susceptionem 86 60 — non descendit de Nathan per generationem, sed per adoptionem 9 9

— Christo advenienti ut Regi praemissus est praecursor VI 250 17 — Christi conceptum praecessit praecursoris exordium VII 13 7 — venit post Ioannem temporali nativitate VI 260 63

— **incarnatus** est propter nimiam misericordiam Dei VII 42 138. 330 75 — descendit per dignationem misericordiae Dei 492 55 — de caelo venit, quia spiritualis, et quia sublimis Deitate VI 287 54 — descendit de caelo carnem assumendo 328 59. 330 74 — erat cum hominibus vivens vita mortali vel per mortalis vitae conversationem 348 48 — venit de caelo per carnis temporalem assumtionem 225 v. 16. 252 29 — venit in mundum per incarnationem 366 59. 465 42 — missus est in carnem secundum humanam naturam 470 15 — dicitur missus a Spiritu et a Domino, quia per caritatem Dei VII 98 37 — missus est a Patre per incarnationem VI 314 65. 347 40 — venit in mundum per incarnationem ratione humanitatis, in qua visibilis apparuit 253 31 — descendit de caelo per assumtionem humanitatis 282 23 — non venit propria auctoritate, sed missus a Patre VII 366 59. 513 42. 493 56 — missus a Deo vero VI 347 39 — venit de supernis VII 293 49 — fecit circuitum VI 13 b — venit ex alto 42 138

— non reliquit caelum localiter, cum sit semper et ubique VI 384 10 — secundum Divinitatem ubique est 476 43 — est in caelo per praesentiam et immensitatem Divinitatis *ibid.* 282 23 — tempore vitae mortalis erat in caelo solum secundum divinam naturam 283 27 3* — est in mundo triduo legis naturae, scripturae et gratiae 356 70

— venit sexta aetate et sexto millenario annorum, sexto mense est conceptus, sexta feria passus, sexta hora in cruce suspensus VII 20 41 — venit in plenitudine et perfectione temporum 21 41 — venit in plenitudine temporis 35 105 — missus est in fine propter consummationem ordinis et ut appareret, quod per nullum alium poterat subveniri humanae perfidiae et obdurationi 506 18 — fuit conceptus et natus in plenitudine temporis 46 9 — in incarnatione et passione observavit temporis plenitudinem VI 341 9. 341 15. 342 18 — natus est tempore, quo universale imperium describebatur VII 44 2 — natus est pacatissimo tempore, qui pacem annuntiavit 45 5 — apparuit in tempore gratiae VI 520 6. 521 12

— **natus** est, Iudaea iam facta tributaria VII 45 5 — natus est in Bethlehem, Deo disponente per humanum imperium 46 8 — natus est in Bethlehem ut panis vivus, positus in praesepio ut cibus simplicium et humilium ratione carnis assumtae 47 13 — Christi nativitati conveniebat hora nocturna VI 225 v. 16. VII 48 19

— in nativitate sua factus est ex muliere VII 43 1 — nascens describit universos 44 2. 45 4

— Partus Christi ostenditur admirabilis, commendabilis et imitabilis VII 46 9 — In nativitate Christi fuit Ioseph cum Maria, in praedicatione discipuli et mulieres, in passione Maria et Ioannes, in resurrectione discipuli et Magdalena 108 80 — natus est in medio mundi, propter terrae, in qua natus est, positionem VI 225 v. 16

— sicut Samaritanus venit secus vulneratum genus humanum, similis factus homini peccatori VII 271 64 — omnes passiones nostras assumere debuit praeter ignorantiam et peccatum VI 344 25 2* — erat homo infirmus ex parte corporis propter corporis fragilitatem 167 v. 5 — carnem nostram cum poenalitatibus assumsit sexta aetate 290 8 — ob nimiam caritatem factus est homo et humanas indigentias libenter suscepit et pertulit inter homines VII 182 63 — mira dignatione in se suscepit nostras infirmitates 557 54 — in omnibus factus fratribus conformis 55 45. 59 64 — infirmitatem assumsit ex nobis, sed ex se ostendebat virtutem 96 27 — per humanitatis infirmitatem invitat ad fidem VI 341 11 — infirmitate veram ostendit humanitatem *ib.* 16 — Infirmitas assumta Christi scandalizat non credentes, ut iudicent eum hominem purum et non Deum VII 176 44

— assumsit sexum virilem de muliere, quia uterque salvandus erat VI 64 q. 2 1* — utrumque sexum recepit, utrumque sanavit corporaliter, utrumque vocavit per Apostolos *ibid.* — Quod assumsit Christus salvatum est *ibid.*

— Nativitas Christi temporalis fuit in utero quantum ad conceptum, ex utero quantum ad partum, extra uterum quantum ad baptismum VII 13 7 — Misericordia Dei acceleravit incarnationem 42 138 — visitavit terram per incarnationem, quando carnem sumsit ex Virgine 39 122

— In incarnatione consummatio est facta omnium beneficiorum promissorum VII 34 100 — In Christo impletae sunt benedictiones Patrum 61 76 — In mysterio incarnationis est nostrae salutis initium, in Sacramento reparationis est incrementum, in iudicio retributionis est complementum 79 38 — In incarnatione umbra Legis conversa est in veritatem, varietas sacrificiorum in unitatem, asperitas poenarum in levitatem, aenigmata in lucem, timor in amorem, promissiones in adeptionem VI 270 12 — In incarnatione sol recessit decem gradibus VII 387 16

— Per incarnationem Christi renovatur homo et mundus VII 20 41 — In incarnatione per miraculum facta est coniunctio infinite distantium 296 60 — per caritatem exhibet se nobis fratrem carnem assumendo et familiarem in nobis habitando VI 537 1 — est amabilis, quia apparet dulcis ex personae gratiositate et utilis ex effectus utilitate 543 1 — Pro Christi nativitate est gaudendum ratione utilitatis et ratione dignitatis VII 49 24

— **Caro** Christi assimilabatur carni hominis innocentis in puritate VI 289 62 — Caro designatur per nubem VII 237 64 — Caro contemperat lumen Divinitatis oculis nostris, ut possimus intueri *ibid.* — Caro est divinae lucis vehiculum super terram tenebrosam *ibid.* — Caro ortum traxit de amaritudine et poenalitate naturae humanae *ibid.* — Caro est nubes, quae aquam gratiae salutaris, quam hausit in sua origine, effundit, cum agitatur vento orationis *ibid.* — In humanitate latet divina maiestas *ibid.*

— assumsit carnem de altitudine humanae naturae per quandam assimilationem VI 288 62 — Corpus Christi est terrenum, quia de terra nostra sumtum est 282 22 — non habuit corpus aethereum, sed verum conceptum ex Virgine VII 297 61 — Homo fuit in Christo secundum plenissimam rationem et quantum ad perfectionem et quantum ad infirmitatem 346 39

— fuit in nostra natura inconfuse sine conversione et indivise sine separatione VI 252 29

— erat inter duo animalia ut pastus et pastor duplicis ovilis VII 47 13

— natus est in diversorio propter defectum habitaculi VII 47 14 — indutus est pannis ut pauper 46 11 — pannis involutus dat exemplum paupertatis 50 26 — positus in praesepio propter defectum lectuli 47 12 — ponitur in praesepio ut panis de caelo, inter duo animalia *ibid.* — positus in praesepio dat exemplum humilitatis 50 26

CHR (2)

— lactatus a sola Virgine VII 296 61 — natus adoratur a multitudine Angelorum 50 28 — eius nativitas admirabilis fuit celeriter divulgata 53 39 — Omnis natura, omnis sexus, omnis aetas Christo nascenti testimonium perhibuit, quia ipse debebat reparare omnia 62 81 — primo innotuit in stella, in columba et in vino mutato VI 272 14 — Christi natura intelligitur per faciem hominis, victoria per faciem leonis, victima per faciem bovis, doctrina per faciem aquilae VII 6 24

— Deus se subiecit hominibus VII 68 108 — erat viator transiens per transitoria 135 3

— venit ut Dominus ad servum VII 59 68 — Adveniente Christo iusti acquirunt pacem *ibid.* — summae dignationis affectu non tantum parvulus, sed etiam pauperculus et despectus pro nobis factus est 48 16 — in temporalibus factus est pro nobis egenus et mendicus 405 6 — in spiritualibus abundat *ibid.*

— adveniens est benedicendus 493 57 — Christum nascentem tanquam pauperem persequuntur superbi et vanegloriosi 354 66 — adveniens despectus est maxime a Iudaeis, qui debebant eum honorare VI 252 26

— visibilis effectus est, ut cognosceretur VI 251 24 — Deus egressus est per condescensionem manifestando se exterius in carne VII 400 48 — se inclinavit per condescendentiam dignativam ex amore 331 72 — descendit ad peregrinationem humanam 87 61 — descendit per magnam humilitatem 104 65 — venit cum humilitate insidens asino humanitatis nostrae VI 595 4 — venit cum mansuetudine et paupertate *ibid.* — est praesens mundo per praesentiam et per effectum VI 252 24, 25

— Erronea mundanorum sententia de Christo verae fidei inimica VII 225 31 — in carne apparendo mundanam conversationem damnavit 474 7 — advenit cessata unctione sacerdotali et regali 70 4 — In adventu Christi silentium debebat imponi sacerdotio legali 19 34

— Per sensum exteriorem cognoscitur eius humanitas, per revelationem interiorem invisibilis Divinitas VI 348 46 — videtur secundum humanitatem, creditur secundum Divinitatem 328 61. 329 63

— In Christo fuit voluntas rationis et sensualitatis VI 419 42 — Triplex fuit in Christo voluntas humana, scilicet rationis, pietatis et sensualitatis 404 57

— est homo conversatus inter homines VII 384 7 — erat cum hominibus per conversationem familiarem in carne 601 56

— est filius hominis, id est solius Virginis VI 168 v. 6 — putabatur filius Ioseph 266 92 — vocat se filium hominis VII 440 46 — vocat se filium hominis quantum ad humilitatem humanitatis assumtae 137 9 — se vocat filium hominis, ut utraque eius natura innotescat et exemplum humilitatis detur VI 268 103 — recte se appellat filium hominis unius 269 103

— vocatur puer ratione humilitatis VII 459 31 — dicitur puer propter innocentiam, et sapiens, quia est ipsa Sapientia VI 41 v. 15 — dicitur adolescens secundus *ib.* 16 — est vir in conceptione 260 63 — fuit vir in incarnatione propter perfectionem sapientiae 262 73 — dicitur vir a virtutis robore 78 v. 15 — incarnatus est incomparabiliter fortior, dignior et excellentior hominibus VII 79 38

— dicitur homo antonomastice VII 346 39 — dicitur homo quidam singulariter 370 36

— eius calceamentum est humanitas, corrigia unio naturarum VI 258 56 — Corpus Christi est tanquam indumentum 283 27 2* — Pedes significant humanitatem Christi, caput Divinitatem 593 v. 3

— In susceptione carnis nostrae Deus ostendit benignitatem et veritatem VII 33 99

— est Filius hominis minor Angelis propter ignominiam passionis VII 137 9 — secundum humanitatem est sub Deo et Mediator inter homines et Deum VI 510 26 — secundum humanitatem dicit se servum Dei, non Filium 167 v. 5

— Christi humanitas consideranda a contemplativis VII 237 64 — apparens in carne ostendit nobis faciem 178 51 — Visio Christi secundum humanam naturam non est de essentia praemii, sed in eo erit vehementissima delectatio VI 469 11 2*

— Corpus Christi est templum, in quo Divinitas corporaliter inhabitat VI 276 35 — Humanitas assumta est templum aedificatum in incarnatione, solutum in passione et reaedificatum in resurrectione 548 2 — Humanitas assumta est locus divinae habitationis, ubi visus est temporaliter, et locus divinae exauditionis et divinae visitationis 549 5

— De incarnatione Christi omnis status debet laudare Deum VII 60 73 — Christi adventus in carnem est memorandus propter nimiam dignationem, in mentem est acceptandus propter nimiam dilectionem, ad iudicium finale est praestolandus per nimiam discretionem 493 57 — Christi adventus in carnem recolitur, adventus in mentem petitur, adventus ad iudicium ut propinquus praevidetur *ibid.* — veniens debet collaudari in sua nativitate et imminente passione propter adventus efficaciam *ib.* 59 — eius incarnatio memoranda VI 92 v. 2.

— erat nobilis secundum carnem, quia de genere regio VII 478 18 — erat nobilior quantum ad superadditam potestatem *ibid.* — nobilissimus est quantum ad originem ex Patre *ibid.* — A nobili generatione Christi ex Patre laudanda, exprimenda et cogitanda deficit omnis lingua *ibid.*

— Mysteria Christi completa sunt inter nos et propter nos VII 11 2 — In incarnatione Christi unita sunt ima summis VI 160 v. 1 — In incarnatione disposuit omnia fortiter per potentiam infinitam *ibid.*

— De templo humanitatis Christi processit salus nostra per Sacramenta, quae effluxerunt de latere Christi VI 549 5 —

CHR (2)

in nostra humanitate habitavit corporaliter, in nostra societate sacramentaliter, in nostra mente spiritualiter 537 6 — per suam humanitatem nostrae caecitati compatitur VII 471 63 — humanitate Verbi incarnati amplectitur poenitentes 395 34 — habitat in nostra humanitate assumta, de qua profluxit omnium medicina VI 537 6 — adhibet remedium contra nostram abiectionem et desolationem, cum exhibet se nobis fratrem et familiarem *ib.* 1

— missus est ad annuntiandum regnum Dei VII 6 19. 112 96 — In adventu Christi facta est divinae gratiae oblatio 438 37 — natus est ad utilitatem hominum 49 24 — venit copulare regnum Iudaeorum et gentium 70 5 — missus est ad spiritualia communicanda 316 23 — venit ad gratiam conferendam et poenitentiam praedicandam 333 79 — venit in mundum ad propitiandum, non ad damnandum VI 283 30. 284 35 — venit in hunc mundum ad hominem salvandum VII 385 11 — venit, ut hominem perditum salvaret a miseria, ditaret gratia, sublimaret in gloria VI 595 3 — veniebat propter pauperes liberandos VII 49 22. 50 26 — venit liberare humiles 50 26 — maxime gaudet de beneficio redemptionis hominis 386 12

— Exspectantes adventum Salvatoris perfecte consolati sunt, salute data et ostensa, qua laetificatur tristitia et relevatur inopia VI 632 a — In adventu Salvatoris exhibita est nobis salus visibilis et visio salutaris *ib.* b — In adventu Christi Regis appropinquavit regnum Dei VII 258 17 — In Christi adventu data est maxima gratia 308 98 — Post adventum Christi in carne hominibus veritas manifestatur VI 521 12

— Primus adventus studiose considerandus VII 438 37 — Primus adventus Christi est misericordiae VI 284 35 — Primus adventus non fuit iustitiae, sed misericordiae ad salvandum 248 100 — Primus adventus Christi fuit amabilis 324 49 — venit in via clementiae quasi medicus et tanquam sponsus 181 60

— In primo adventu venit ad propitiandum, non ad iudicandum VI 284 35 — venit in iudicium discretionis, quo Iudaei non credentes iuste sunt excaecati 381 50 — venit in iudicium discretionis *ib.* 54. 421 51. 552 2, 3. VII 494 60 — in primo adventu non venit ad iudicium secundum finalem intentionem, sed ex adventu eius aliquod iudicium fit in superbos VI 382 54

— Praeconium nominis Christi multis erat causa credendi, aliquibus tamen occasio invidendi VII 173 35 — est positus a Patre tanquam signum VI 325 43 — divino iudicio positus est in ruinam multorum pro culpa ipsorum VII 61 77 — Contradictio erroris contra Christum est causa ruinae in multis *ibid.* — Ex Christi operibus alii profecerunt, alii defecerunt VI 406 62 — De virtute Christi stupebant innocentes ad credendum, malignantes ad confundendum VII 127 56

— venit propter nos in humilitate et humanitate, quia mundus non cognoscebat eius sublimitatem VI 253 31 — venit ad immittendum dilectionis incendium, ad perficiendum passionis remedium et ad introducendum affectus carnalis divortium VII 330 70 — Iusto iudicio in Christi adventu caeci erant illuminandi et Pharisaei excaecandi VI 376 17 — veniens in carnem illuminat peccatores errantes VII 434 27 — venit ut lux ad dirigendum, ut mediator ad liberandum, ut amicus ad convivandum, ut sponsus ad cohabitandum, ut rex ad praesidendum, ut iudex ad retribuendum VI 597 v. 46

— Incarnatio, passio et resurrectio Christi sunt causa vitae et salutis nostrae VI 250 15 — ad nos descendit exhibendo miserationem divinae pietatis 540 1 — Per Christum pacificatur homo cum Deo, cum Angelis, cum homine et in se VII 51 31 — Affectus pietatis est in Christo secundum naturam assumtam, et virtus maiestatis secundum naturam aeternam 171 23

— De Christo sufficienter tractare, quantum exigit eius dignitas, est impossibile toti mundo et omni linguae, sed Evangelia singula tractant sufficienter quantum ad substantiam et explicationem fidei VI 242 9 2* — solus potest explicare mysterium incarnationis VII 79 38 — Origo Christi incomprehensibilis VI 491 10. 494 22 — Non possumus intelligere omnia facta a Christo 529 56. 530 57 — In visitatione Dei mira fuit eius dignatio VII 42 138 — ante incarnationem, licet esset summa lux omnibus praesens, non cognoscebatur a mundo VI 251 24 — Incarnatio est inutilis nobis, nisi manifestetur 250 17 — Christi generatio imperscrutabilis et adventus occultus 346 38 — Christi incarnatio est sacramentum magnum ratione Divinitatis, sanctum ratione assumtae humanitatis VII 32 93

— in incarnatione ascendit ante nos, ut viam vitae ostenderet per exemplum vitae et eloquium doctrinae VI 621 2 — Salvator mundi in suo ortu exemplum virtutis praebuit et viam salutis ostendit VII 48 16 — veniens in carnem dat exemplum humilitatis, mansuetudinis et paupertatis VI 595 4 — in incarnatione illuminat ad humilitatem, in nativitate ad paupertatem, in circumcisione ad obedientiam, in apparitione ad doctrinae communicantiam, in oblatione ad orationem, in baptismo ad vitae novitatem, in ieiunio ad carnis mortificationem 301 83 (82)

— est admirabilis nascens, proficiens, docens, tacens, agens, patiens, resurgens, ascendens, iudicans VII 53 39 — admirabilis est secundum quod mediator in pacis concordia, secundum quod salvator in clementia, secundum quod doctor in sapientia, secundum quod triumphator in potentia 60 74 — est mirabilis cuncta creando, plenus gratiarum omnia recreando VI 538 3

3 — non erat subiectus legi praesentationis primogenitorum VII 56 53 — observavit circumcisionem, ne videretur alterius ritus et gentis VI 344 25 2* — voluit circumcidi propter Legis approbationem et impletionem, propter humilitatis ostensionem, propter spiritualis circumcisionis introductionem et propter conformitatis et concordiae commendationem VII 54 45 — in circumcisione se perfecte humiliavit et inchoavit nostram salutem *ibid.* — in circumcisione vocatur Iesus, quia non accepit circumcisionem propter necessitatem suae curationis, sed propter dispensationem nostrae salutis 55 46 — nominatur Iesus, quia est Salvator vere et proprie *ibid.*

— delatus in Ierusalem et in Aegyptum VII 57 56 — descendit a Iudaea in Aegyptum propter persecutionem Herodis, postea rediens de Aegypto perlatus est in Galilaeam propter timorem Archelai 65 90 — in apparitione notitiam suam gentibus revelavit VI 302 83

— a parentibus ducebatur in Ierusalem ad cultum divinum peragendum VII 65 93. 66 94 — remansit in Ierusalem ad vacandum orationi sine parentum consortio 66 94 — remansit solus sine parentum consilio et complacito *ib.* 95, 96, 97 — dimisit parentes propter Patrem aeternum 68 106 — Cognati et noti Christi elongantur ab ipso 66 96, 97

— **Matrem** prae omnibus dilexit VII 198 33 — Matri semper obediebat VI 269 5 — correptus a Matre se humiliter excusavit, invitatus, ut faceret miraculum, dure respondet in exemplum humilitatis VII 68 107 — se subiecit Matri corripienti secundum officium pietatis *ib.* 105 — respondet humiliter et sapienter parentibus *ib.* 106

— Matri petenti non respondit ex indignatione, sed ex humilitate et ad instructionem VI 269 4. 273 17 — in nuptiis divina facturus quasi ignotam repulit Matrem 499 44

— approbat laudem Matris suae VII 297 62 — reliquit Matrem et fratres Capharnaum VI 273 19, 20

— **Fratres** Christi dicuntur cognati vel consanguinei in secundo gradu VI 340 4 — Consanguinei vani persuadent ei honorem terrenum et vanum *ib.* 3 — vitavit multitudinem consanguineorum, ut lateret 341 9 — noluit ascendere cum fratribus ad diem festum, ut posset latenter ascendere *ibid.* 342 17 — requiritur, ut ad propinquos transeat tum propter naturam agnoscendam, tum propter caritatem rependendam VII 197 30 — magis acceptabat discipulorum eruditionem quam parentum affectionem 198 31 — praefert parentali cognationi suae hos qui audita consequuntur *ib.* 33

— Fratres Christi fiunt cognatione spirituali VII 297 62 — est humani generis frater 513 37. 561 66

4 — gratiam inveniebat coram Deo et hominibus VII 69 110 — est plenus gratia non solum sufficienter, sed etiam superabundanter 89 2 — proficiebat interius secundum evidentiam apud Deum honorandum et homines aedificandos 69 110 — crevit in bonis spiritualibus magis quoad evidentiam quam quoad existentiam VI 553 2 — in gratia omnes excellit 288 57 — fuit plenus gratia singulari maxima, quae potuit esse in homine, et gratia unionis, qua nulla maior 255 41 — habuit gratiam creatam finitam in se, sed non arctatam ad aliquem actum, sed ad omnem 289 63 — quantum ad humanitatem est plenus gratia ad exhaurienda peccata, plenus veritatis ad implenda promissa 254 35 — electus est in singularem gratiae plenitudinem 605 v. 16 — Deus non dat Christo spiritum ad mensuram certam 288 57 — In solo Christo est gratia unionis VII 24 56 — Anima Christi in statu viatoris habebat continuam Dei fruitionem VI 225 v. 16 — In Christo fuit perfectio virtutis ex parte mentis cum defectu aetatis ex parte carnis VII 65 91

— In Christo fuit Spiritus sanctus secundum omnimodam plenitudinem VII 83 53 — per mansuetudinem venit *ibid.* — Super personam Christi in humana natura Spiritus sanctus requievit 97 36. 152 62 — Spiritus sanctus requievit in Christo VI 260 66 — Spiritus sanctus fuit in Christo ex tempore conceptionis *ib.* 67 — Spiritus sanctus dicitur esse super Christum quantum ad conceptionem per eius virtutem, vel quantum ad superexcellentiam gratiae singularis VII 97 36 — In Christo est plenitudo supereffluentiae VI 538 2 — poterat mereri bona operatione id quod erat debitum per gratiam, de debito uno modo faciendo debitum pluribus 468 8

— **unctus** est Spiritu sancto ut mediator magis quam alii Sancti VII 5 18 — natus de Spiritu sancto est sanctum 25 64 — unctus est Spiritu sancto in humana natura 97 36 — dicitur unctus Spiritu sancto propter unionem cum divina natura per gratiam, vel quantum ad praerogativam sacerdotalis et regalis dignitatis *ibid.* — est Sanctus Sanctorum unctus Spiritu sancto *ibid.* — unctus virtute Spiritus sancti 124 43

— solus evasit a corruptione concupiscentiae originalis VI 63 v. 29 — solus sine peccato originali conceptus est 64 q. 2 — peccatum actuale non fecit nec originale contraxit in conceptione 122 v. 12 — solus fuit sine peccato veniali 61 q. 5 — non habuit peccatum VII 90 4 — Nemo potest Christum arguere de peccato VI 367 63 — In Christo nihil invenitur redarguendum VII 137 13 — est sine macula, quia eius macula nulla fuit VI 263 82 — Christi signaculum ex parte carnis est peccati immunitas, ex parte animae donorum pluralitas, ex parte divinae naturae Verbi Divinitas 554 v. 33 — non habebat peccatum nec ullam tenebram 445 44 — solus est liber, quia solus sine peccato 364 51 — Munditia innocentiae fuit perfecte in solo Christo VII 584 65 — est perfectus 463 41 — per antonomasiam Iustus appellatur VI 122 v. 12 — est Sanctus et sanctificator hominum VII 106 74

5 — est Sapientia Patris VI 167 v. 2. VII 265 40 — est Dei Virtus et Sapientia 41 v. 15. VII 37 116. 105 68. 122 34. 124 43. 134 1. 276 77 — est Sapientia, quae dat vitam VI 327 56 — dicitur Sapientia VII 182 61. 461 37 — est ipsa Sapientia VI 327 56. 538 3. VII 299 67. 500 75 — est Sapientia Dei unita carni, ut lutum ex saliva et terra, ad nostram reformationem VI 373 8 — est Sapientia incarnata 148 v. 16. 153 v. 11 — intelligitur per sapientem 85 v. 15 — est plenus sapientia 538 3 — invenit sapientiam VII 97 35 — sapientior Salomone 212 84 — est sermo vivus, cui omnia patent, et omnia patefacit ut Verbum 311 7 — ut Dei sapientia disponit suprema, media, infima VI 160 v. 1

— In Christo sunt omnes thesauri scientiae VI 430 32 — vidit superna ut Dei sapientia, quia se ipso vidit 287 55 — non habuit scientiam per acquisitionem, sed a sua origine a Patre 342 21 — tanquam Deus omnia novit 122 v. 13. 465 44. 467 50. 525 35 — loquitur certitudinaliter VII 101 51

— apparet ignorans, sed habet thesauros scientiae VII 91 12 — De sapientia Christi omnes mirati sunt VI 164 v. 11

— cognoscit occulta VII 184 69. 212 84. 344 30. 359 4. 553 45 — oculis Divinitatis aspiciebat occulta 115 9 — occulta scit sine relatione, sed apud se VI 336 97 — Christum nihil latet VII 221 16 — sapientia infallibili deprehendit veritatem occultam 211 82 — per sapientiam deprehendit cogitationes occultas. VI 462 30. 525 32, 35. VII 100 49. 125 47. 126 50. 138 14. 184 68. 185 71. 243 87. 510 29 — praescit futura VI 322 25. VII 488 46. 489 48. 544 17

— cognoscebat omnes non ut homo relatione, sed ut Deus interna visione VI 277 38, 39 — Ex certa scientia sciebat, qui essent credituri 336 100 — Christum non latebat malignitas Iudaeorum interrogantium VII 564 80 — circumspecta consideratione sapientiae videbat dolum in animo Pharisaeorum 510 29

— dicitur aliquid primo cognoscere, quia cognoscere se primo ostendit, et ignorare, quia non facit nos scire VI 291 11 — non debuit discere nec propter indigentiam nec ad dandum exemplum 344 25 2* — didicit experiendo iam cognitum *ibid.* — secundum humanam naturam poterat aliquid cognoscere relatione, quod iam sciebat praescientia 291 11

— proficiebat sapientia non addiscendo de novo, sed dona sua ceteris pandendo ad aedificationem aliorum VII 69 110 — proficiebat secundum evidentiam sapientia in intellectu et gratia in affectu *ibid.* — Profectus in aetate ex parte corporis erat secundum essentiam, sed profectus interior erat secundum evidentiam *ibid.* — confortabatur in mente quantum ad vigorem potentiae irascibilis 65 92 — aetate crescebat in corpore *ibid.* 69 110 — erat plenus sapientia in rationali, plenus gratia in concupiscibili 65 92

— humilians se in forma discipuli audiebat et interrogabat sapientes, non ut doceretur, sed ut doceret VII 67 101 — puer admirabilis erat in prudentissimis responsis *ib.* 103 — respondebat quod non didicerat 68 104 — ad aedificationem nostram sapientiam suam ad tempus abscondit 69 110 — pro tempore ad nostram salutem ostendit sapientiam *ibid.* — voluit inveniri in medio doctorum et in templo, insinuando Scripturarum lectionem et orationem 67 102

— non interrogat ut ignorans VII 204 54 — non quaerit, quia dubitet VI 337 103. 468 62. VII 174 37. 262 75. 436 32. 452 12 — non quaerit, ut discat, sed ut alios doceat quod ignorant VII 211 82. 225 31 — quaerit non ut dubitans, sed ut excitet ad intelligentiam 507 21 — quaerit a discipulis non quia dubitet, sed ut formam nobis tribuat in investigatione veritatis et occasionem accipiat instruendi 594 24 — non quaerit, quia dubitet, sed ut tentantes ex ipsorum responsione confutet 511 30

— respondebat ad cogitationes, quas videbat et audiebat VII 185 71. 359 5 — respondet ante inquisitionem VI 462 30 — respondet dubitationi occultae ante interrogationem 467 50. VII 138 16 — non miratur quasi de sibi incognito vel magno, sed signo admirationis ostendit, aliquid esse magnum VII 168 14

— Sapientiae Christi non praevalet malitia et dolositas VII 355 67 — Nemo poterat resistere sapientiae Christi 360 9. 528 22 — Nemo poterat respondere Christo 511 33 — Interrogationi Christi non potest responderi 138 16 — in sermone capi non potuit VI 162 v. 8 — Christi sapientia in arguendo VII 187 81 — Mirabilis sapientia Christi in dispositione multitudinis comedentium 223 24

— est **magister** VI 427 16 — vocabatur magister 278 3. 509 24 — est magister magistrorum VII 198 32 — vere est magister 185 71. 461 36 — est magister vera docens 510 27 — est magister fidei 516 47 — est magister docens interrogantes 266 44 — secundum quod magister erudit per mysteria et exempla 468 54 — est magister, qui plura potest et scit quam discipuli 240 73

— dicitur doctor ob scientiam ad docendum VII 115 10 — doctor debebat manifestari, ut doceret VI 339 1 — est doctor docens plenitudine sapientiae et affluentia sermonis VII 114 6 — est doctor consummans verba eruditione perfecta et completa 166 2 — erat verus doctor 499 73 — ut summus doctor principaliter habet clavem scientiae 309 99 — erat iuste docens, quia proprie ipse solus doctor 500 73 — cathedram habet in caelo, et intus docet corda *ibid.*

— docet ut magister VI 427 16 — per profunditatem sapientiae populum docebat VII 113 1 — est eruditor per praedicationis magisterium 5 17. 97 37 — dicitur magister ut Dei sapientia ob doctrinam 134 1 — dicitur magister propter documenta VI 395 4 — erat director verbo sapientiae et miraculo potentiae 382 1

— loquitur per veritatis magisterium VII 115 9 — De plenitudine sapientiae Christi accepimus doctrinam instructionis VI 539 6 — In Christo auditur Deus loquens, non per creaturam subiectam, sed in propria persona et creatura unita VII 265 42 — loquitur secundum mandatum Patris VI 423 68, 69 — est doctor, qui loquitur nobiscum 361 35 — locutus est per mirabilem instructionem 381 48

— eius doctrina non est sua, quia ab alio accepit, sed ipse est sapientia per essentiam VI 342 21. 344 26 — Doctrina Christi secundum Divinitatem non est sua secundum humanitatem, quia non est acquisita 344 26 — Doctrina Christi non erat eius solius *ibid.* — ex se ipso non loquitur, sed sermones Patris 442 33. 472 26 — dedit discipulis verba Patris docendo 539 6

— aperte docet credentes VII 565 83 — solus docuit de Deo certitudinaliter et aperte, qui vidit Deum ut eius Unigenitus VI 255 39, 40 — modo certitudinali loquitur de divinis 241 6. 287 54, 55 — qui est de caelo, loquitur caelestia VII 222 19

— solus est verus consiliarius VII 461 36 — magister sapientissimus et summus dat consilium salutis *ibid.*

— ex cognitione secretorum cognoscitur esse **Propheta** VI 295 34 — credebatur Propheta propter notitiam veritatis et sensum discretionis VII 220 12. 226 32. 227 34 — dicitur Propheta, quia verum dixit in omnibus et infallibiliter VI 324 33 — est Propheta per excellentiam, qui cuncta futura praenoscit VII 355 69 — est verus Propheta 563 76 — non fuit unus inter priores Prophetas, ut purus homo, sed unus, propter quem praecesserunt omnes priores 226 32 — fuit Dominus omnium Prophetarum 6 19

6 — est Propheta praedictus a Moyse VI 316 78. 324 33 — est Propheta promissus filiis Israel VII 5 19. 170 30. 226 32. 355 69 — faciens miracula propter eminentiam potestatis et zelum aemulationis videbatur Elias 220 12. 226 32

— saepe dixerat, se esse Christum VII 564 81 — quamvis dixerat, se esse Christum, coram discipulis, tamen hoc tacebat coram Iudaeis, ne daret eis occasionem malignandi 566 3

— magnus cognoscebatur a populo VII 96 30 — propter signa credebatur rex promissus a Lege 492 55. 506 19 — cognitus a Iudaeis per signa ut Propheta venturus VI 322 24. 377 23 — ex sapientia doctrinae cognoscitur Propheta 350 58 — Turbae ipsum sicut verum Prophetam habebant VII 542 7

— Aliqui magis illuminati cognoscunt Christum VI 351 59 — verbis et factis cognoscitur esse Christus VII 100 48 — In Christum credendum testimonio operum VI 454 36 — Turbae propter signa in

CHR (6)

Christum credebant, confitebantur, sequebantur 595 v. 17 — Multitudo assistens testificabatur sanctitatem et innocentiam ipsius VII 100 46

— Aliqui haeretici ausi sunt se dicere Christum VII 439 40 — Tempore excidii Ierosolymorum multi se dicebant Christos 525 14

— Ipsi concordabant Lex et Prophetae VII 234 53 — ad Christum principaliter habent respectum omnes Scripturae et prophetiae 595 34 — Ad Christum ut ad propitiatorium respiciunt duo testamenta *ibid.* — De Christo vel propter ipsum dicta sunt omnia, quae in Scripturis continentur 596 34 — figuratur in veteri testamento *ibid.* — Ad Christum quantum ad caput et quantum ad corpus referuntur principaliter mysteria Scripturarum 601 59

— cognoscitur per librum Scripturae VII 470 60 — cognoscitur in medio duorum testamentorum VI 541 7 — medius existens inter vetus et novum testamentum utrumque ordinavit et utriusque veritatem patefecit 541 7 — solus potest explicare libros Prophetarum VII 97 34 — exponit doctrinam librorum veteris et novi testamenti 601 58 — aperuit sensum Scripturae, qui solus habet clavem *ibid.* — non dedignatur uti Scripturae testimonio et auctoritate 97 34 — ostendit, quod ipse est qui locutus est in Lege et in Prophetis, et quem Lex et Prophetae promiserunt 234 53

— est obiectum fidei et subiectum Evangelii sub ratione mediatoris et praedicatoris et reparatoris et triumphatoris VII 5 17. 6 21, 23, 24 — in Prophetis praenuntiatur secundum dignitatem regni, magisterii et sacerdotii et secundum perfectionem virtutis, veritatis et bonitatis 468 54 — Omnia, quae scripta sunt in veteri testamento, testimonium perhibent Christo tanquam excellentissimo imperatori, doctori et pontifici 601 57 — In Christo omnia impleta sunt *ibid.*

— In Christo impleta est Scriptura quoad ea quae de ipso praedicta sunt VII 99 45 — implevit omnem Scripturam fundendo Dei veritatem *ibid.* — implevit Scripturam faciendo aliquid, licet non fecerit propter implendam Scripturam 506 56 — exhibuit gratiam et veritatem, quam Lex promiserat VI 255 38 — verba et signa veteris legis vacua implevit veritate et gratia VII 99 45 — perfecit et adimplevit Legem 64 90 — est plenitudo Legis 173 36 — est finis Legis 413 30. 470 60

— non accepit humanum **testimonium** propter suam indigentiam, sed solum propter audientes VI 299 63 — non indiget testimonio ab homine propter suam indigentiam, sed propter salutem nostram 314 62 — non indiget testimonio propter defectum veritatis et lucis in se 251 21

— habuit testimonium a Ioanne et a turba VI 562 2 — habuit testimonium a Ioanne VII 502 4 — Ioannes ei dedit testimonium post reditum de deserto VI 267 99 1* — post testimonium Ioannis ipse se ostendit miraculo 269 1

— habuit testimonium ab omnibus Scripturis veteris testamenti VI 315 67 — habuit testimonium a Scriptura mosaica, prophetica et evangelica, a creatura intellectuali, rationali et insensibili obediente, a persona Patris et Filii et Spiritus sancti, et a tota Trinitate simul 562 3, 4, 5 — Testimonium per opera et Ioannis et Scripturae non erat cogens, sed inducens, sed testimonium Patris per revelationem est compellens 316 69, 71

— Christo datur testimonium verum et certum a Patre et a Ioanne VI 314 60 — Christo exhibetur testimonium Patris et Filii et Spiritus sancti VII 82 52. 84 56 — Pater testimonio ostendit, eum esse suum Filium VI 325 43 — Vox Patris Christo testimonium perhibuit in adventu sive incarnatione, in passione et in resurrectione 418 40 — habuit testimonium vitae quasi per signa, famae quasi per nuntium, Scripturae quasi per litteras, Patris quasi vivae vocis 562 1, 2

— Testimonium Christi de se non est eius solius VI 358 22, 24 — Testimonium Christi de se ipso est verum et certum 358 20 — potest de se testimonium perhibere, quia ipse est lux 360 27 — dat sibi testimonium, suam ostendens virtutem 316 68 — non perhibet de se testimonium secundum humanam naturam 360 27 — Gloria eius per testimonium proprium nihil erat non secundum veritatem, sed secundum aestimationem Iudaeorum 371 85 — eius testimonium dicitur non esse verum, quia a Iudaeis non creditur esse efficax 314 59. 316 68 — Testimonium eius non est efficax, si dat illud solus 314 59. 316 68 — ad testimonium suum roborandum adducit aliena testimonia 316 68 — Testimonium Christi et Patris valet secundum ipsam Legem 360 27 3*

— Ad Christum ducit verbum Dei VII 335 87 — est abbreviatus in carne, in quo consummatur Scriptura 166 2 — In Verbo nato, passo, sepulto et resuscitato omnia verba Scripturae abbreviata sunt 595 33

— Multi crediderunt in Christum testimonio operum et testimonio Ioannis inducti VI 393 52, 53 — Aliqui crediderunt in Christum propter signa, aliqui propter verba, aliqui propter opera 550 v. 23 — Quidam crediderunt propter verba veritatis, quidam propter signa potestatis, alii propter exemplum sanctitatis 559 v. 41 — cognoscitur esse Christus per testimonium bonorum 316 69

7 — baptizari voluit baptismo Ioannis mira humilitate VII 82 49 — venit ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo VI 259 61 — Christum venire ad Ioannem erat congruum ut opus perfectionis et humilitatis 260 64 — baptizatus est, non ut sanctificaretur baptismo, sed ut vim regenerativam aquis conferret et ut suo baptismo innotesceret 344 25 2*. VII 82 49 — baptizatus fuit, ut aliis exemplum et formam daret VII 82 49 — baptizatus fuit, ut baptismum praecursoris approbaret *ibid.* — manifesta-

CHR (7)

batur Iudaeis per baptismum Ioannis VI 260 65 — voluit baptizari, ut daret exemplum humilitatis, ut vim regenerativam conferret aquis, et principaliter, ut se manifestaret universis *ib.* 64 — se humiliavit in assumta humanitate per susceptionem Sacramenti VII 81 47

— falso dicitur renatus Sacramentis, quando baptizatus est VII 69 1 — Baptismus Ioannis nullum omnino in Christo habuit effectum VI 286 48 1* — Baptismus nullam significabat ablutionem interiorem in Christo, sed in membris 260 64 2* — Post baptismum descendit Spiritus sanctus super eum *ib.* 66 — Spiritus sanctus non descendit in Christum post baptismum per novum effectum 261 69 — Plenitudo gratiae Christi apparere coepit post baptismum in alios redundando VII 89 2 — per baptismum expiavit omnes hominum transgressiones 87 61 — In baptismo Christi aperti sunt caeli 83 52

— lavat interius VI 258 55. 261 69 — baptizabat in Spiritu sancto 270 67. VII 79 39 — eius solius est regenerare 285 39. 287 52 — In solo Christi nomine et virtute datur baptismus 260 67 — baptizabat auctoritate et interius, sed discipuli eius ministerio et exterius VI 286 45, 48 2* — non potuit dare alteri potestatem baptizandi, quae est auctoritatis et cooperationis, potestatem vero excellentiae et invocationis dare potuit, sed noluit ob unitatem Ecclesiae servandam, sed dedit potestatem ministerii 261 71

— baptizabat in Iudaea VI 285 40 — ipse non baptizabat causa vitandi erroris et praesumtionis 286 46 — ne Pharisaei provocarentur ad invidiam, cessavit a baptizando in Iudaea et abiit in Galilaeam 289 4. 290 12

— ductus in desertum a Spiritu sancto propter loci solitudinem ad orandum VII 89 3 — ductus in desertum, ut tentaretur a diabolo *ibid.*, 4

— **ieiunavit** ante tentationem ad nostram instructionem VII 90 6 — Ieiunium Christi tam a Lege quam a Prophetis habet testimonium 89 4 — ieiunavit supra potestatem humanam 90 6 — esurivit et sitivit non sibi, sed nobis promerendo refectionem spiritualem *ib.* 7 — ostendit indigentiam, ne diabolus certus fiat de sua Divinitate *ibid.* — esurivit et sitivit, ostendendo veram humanitatem et invitando ad paupertatem et poenitentiam *ibid.* — ostendit Divinitatem per mirabilem abstinentiam, infirmitatem per apparentem indigentiam 89 1

— **tentatus** est a diabolo exterius, non interius VII 89 4 — Triplex motivum tentationis Christi respondet tribus, in quibus tentatus et victus est primus homo 90 8 — tentatus primo per blanditias, postea in passione per poenas 95 25

— Petrum resistentem compescuit VI 480 18, 19 — non praecepit discipulis portare gladios, quia vellet se defendere, sed ut ostenderet comprehensoribus patientiam, quia, cum haberet arma, noluit eis uti 481 23

— comprehensus relictus est solus a discipulis VII 561 67 — discipulos liberavit solo imperio, se ipsum voluntarie offerendo VI 479 15 — liberavit discipulos propria virtute 480 15, 16. 481 22 — liberos voluit discipulos, quia solus pati voluit 480 16 — mira benignitate sanavit servum in actu persecutionis vulneratum VII 560 64 — mira potentia solo tactu univit dissoluta *ibid.*

— traditus principibus Sacerdotum VI 478 4 — non fuit traditus ut ignorans 336 100 — cognovit consilia Iudaeorum contra se VII 139 20 — venditur triginta argenteis sive trecentis denariis 541 6 — ex traditione Iudae non est minoratus, sed sublimatus VI 425 3. 434 52 — Traditio Christi contemplanda, ut ex eius contemplatione ad dilectionem accendamur 615 2 — Christi exemplum in traditione imitandum 616 4

— fuit iniuste traditus a Iuda, a Iudaeis et a Pilato VI 615 1. 616 4 — traditus fuit hostibus a Iuda, iudici a Iudaeis, tortoribus a iudice 615 3 — tradi voluit, ut nos a traditione triplici liberaret *ibid.* — in traditione Iudae fuit venditus, in illa Iudaeorum fuit condemnatus, in illa Pilati crucifixus *ib.* 2 — traditus est a Deo Patre ex pietate, a semetipso ex caritate, a Iuda ex cupiditate, a Iudaeis ex invidia, a Pilato ex iniustitia 601 v. 21 — traditus fuit a Patre per abundantissimam pietatem, a se per ardentissimam caritatem, a proditore per scelestissimam cupiditatem VII 542 7 — traditur ex clementia a Deo Patre, ex obedientia a se ipso et ex malitia a Iuda proditore 242 83

23 — Condemnationem Christi praecessit multiplex examinatio VI 481 26 — In Christi examinatione erat defectus iudicii ex parte iniqui iudicis, et defectus testimonii ex parte Petri negantis *ibid.* — praesentatus iniquo iudici *ibid.* — iudicatus se exhibuit minorem homine 551 5

— sub iisdem principibus sacerdotum passus est, sub quibus praedicavit Ioannes

CHR (23)

VI 482 27. 484 38 2* — ductus primum ad Annam 481 27 — adductus est ad Annam et ad Caipham et in domo Caiphae maxime examinatus 484 38 — adductus ab Anna ad Caipham in praetorium, vel prius ad domum Caiphae 487 58 — ductus in concilium non ad iudicandum, sed ad observandum VII 564 78 — missus ad Caipham, examinatus fuit et multipliciter exhonoratus et reprobatus VI 485 43

— de veritate doctrinae nolens ipse respondere, mittit ad alios VI 483 34, 35 — propter responsionem iniuriatur alapa et verbo *ib.* 37 — caritative corripuit percutientem 154 69 — percutientem mansuete redarguit, paratus, totum corpus praebere percutiendum et crucifigendum 484 42

— Christo non poterat crimen obiici VI 483 33 — Christi innocentia probatur per inquisitionem VII 570 19 — accusabatur ut peccans in populum, in principem et in Deum 566 3, 4 — accusatur ut subversor populi, qui est conversor *ib.* 3 — Christo crimen falsum imponitur, quod sit malefactor VI 486 53. 487 54 — Christi innocentia probanda testimonio Spiritus sancti et Apostolorum 454 39, 40 — Nulla erat in eo causa mortis VII 571 26 — Mors Christi erat contra dictamen rationis rectae *ibid.* — In Christo innocente non invenitur causa mortis VI 491 4, 7. VII 576 5 — non poterat damnari iuste, sed secundum iustitiam dimittendus erat VII 570 20

— propter innocentiam debebat dimitti VI 489 71 — non damnatur propter culpam, sed propter perversitatem Iudaeorum 492 13. 493 15 — Christi condemnatio fuit iniqua et impia, fuit extorta et distorta, contra dictamen iustitiae et misericordiae et voluntatis iudicis et rationis rectae VII 569 16. 572 28 — Damnatio Christi fuit magna materia doloris propter flagitium principum Iudaeorum et propter commune damnum 594 26

— traditus gentibus ut extraneus VI 468 55. 486 52 — mane ductus in praetorium 486 52. 487 58 — ductus ad locum publicum, ut in conspectu omnium condemnaretur 492 14 — detegit Pilato malitiam Iudaeorum 488 62 — non captavit gratiam Pilati, sed eius superbiam humiliavit 492 11 — silebat innocens tanquam agnus 491 10 — tacens non confirmat accusatorem, sed despicit non refellendo VII 568 11 — tacuit in exemplum multarum virtutum *ibid.* — tacuit prudenter, quia Herodis incredulitas non merebatur audire divina *ibid.* — tacendo patienter ab Herode passus est se derideri *ibid.*

— condemnatus poena crucis ad petitionem Iudaeorum VI 493 17 — condemnatus est a Pilato auctoritate, a Iudaeis persuasione 124 v. 20 — Mors Christi principalius imputatur Iudaeis quam Pilato VII 571 27 — Sanguis Christi maxime requiretur a Iudaeis 308 98

— condemnatus feria sexta hora quasi sexta VI 493 15. 494 25 — damnatus est tanquam latro, non tamen erat latro, sed rex 496 31 — occisus est quasi iniquus VII 469 56 — non erat interficiendus propter suam culpam, sed propter aliorum salutem, ut nullus posset iam huic resistere, propter Christi innocentiam VI 407 68 — cum iustus esset et pati non meruerit, patiendo pro mundo ipsum salvavit 458 18

— Christi passio volita fuit a Deo ex caritate, a Christo ex obedientia, a Iudaeis ex crudelitate, a Iuda ex avaritia VII 549 32 — Occisio Christi activa fuit permissa, sed passiva fuit beneplacita Deo, quia patiebatur bona voluntate VI 409 75 1* — damnatur a Pilato permissione divina 494 23

— **illusus** ante condemnationem, vel etiam post VI 494 21 — fuit illusus in domo pontificis, in domo iudicis et in patibulo crucis 616 1, 3 — bis illusus est, scilicet et de nocte et de die, in domo Annae et in domo Caiphae VII 565 84 — ter illusus fuit, in domo pontificis et Herodis et in cruce 578 44 — illusus fuit ab his quos in terra specialiter honoravit *ibid.* — illusus fuit a Iudaeis ex malitia, ab Herode ex arrogantia, a militibus ex ignorantia 569 13 — illusus a militibus pecunia corruptis VI 494 20 — a militibus afflictus et spretus VII 578 44

— illusus est verbis contumeliosis VI 124 v. 19 — illusus est ut stultus 498 41. VII 469 55 — illusus ut impotens, quia ipse voluit sustinere VII 563 75 — illusus ut Propheta *ib.* 76 — Christi sapientiae illusum a stultis velantibus faciem eius, potentiae illusum a servis deridentibus regem, misericordiae ab ipsis miseris deridentibus redemptorem VI 616 2

— Christi faciem speciosam, quae salus est aspicientium, impii Iudaei velabant, conspuebant et percutiebant VII 563 75 — tunc caesus fuit colaphis Iudaeorum, nunc caeditur blasphemiis falsorum Christianorum 564 77 — tunc consputus fuit salivis infidelium, nunc vesanis opprobriis fidelium exhonoratur *ibid.*

— illusus signis, factis et verbis VI 617 5 — illusus in coronatione, in veste purpurea et in potu oblato *ib.* 7 — irridetur ut rex in corona spinea, in veste purpurea, in salutatione per opprobria et in reverentia per alapas 490 2, 3. 491 5 — voluit illudi, ne homo illuderetur in peccato et in poena 616 3 — voluit misericorditer sustinere illusiones et percussiones Iudaeorum propter nos VII 563 75 — Christi illusio contemplanda, ut ex contumelia agnoscamus in eo magnitudinem caritatis et rependamus vicem dilectionis VI 616 2 — Christi exemplo illusio patienter sustinenda 617 4

— flagellatus, ut punitione flecteretur crudelitas Iudaeorum VII 571 26 — innocens ignominiose flagellatur ad mitigandum Iudaeorum zelum VI 490 1, 4. 499 41 — flagellatus est ut infimus et consputus ut immundus VII 469 55 — caesus flagellis VI 124 v. 19 — fuit flagellatus in capite, in facie et in toto corpore ad vi-

CHR (24)

tuperandum, ad eiiciendum et ad puniendum 617 1, 2 — Christi flagellatio per omne genus flagellorum contemplanda, ut attendamus, quantum illi debeamus *ib.* 2 — Flagella Christi liberant peccatorem a confusione, ab eiectione a regno et a punitione *ib.* 3 — flagellatus et irrisus ostenditur Iudaeis, ut moveantur ad pietatem 490 4. 491 5

— a Iudaeorum perfidia multa passus est VII 439 43 — passus est multa et magna, a multis et magnis 227 36 — multa pati debebat, quia pro multis animabus redimendis, multis culpis remittendis, multis reatibus absolvendis *ibid.* — pro nobis sustinuit incomparabiliter plura quam aliquis pro ipso 379 63 — fuit afflictus ad sanandam infirmitatem carnalitatis, egenus ad sanandam cupiditatem, abiectus ad sanandam ambitionem VI 629 9

— patiens despectus et derisus a synagoga VII 565 84 — spretus fuit tanquam impotens, quia signum non fecit, tanquam stolidus, quia non respondit, tanquam ignorans, quia se non defensavit 569 13 — insanus reputatus est VI 138 v. 4 — Christi infirmitas deridetur a principibus Iudaeorum VII 577 43 — Impossibile est narrare omnia convicia Christo illata 563 77 — omnia convicia sustinuit voluntarie, ut daret nobis exemplum ad opprobria contemnenda *ibid.*

24 — Passio Christi erat terminanda in morte VII 227 36 — Christi passio consummata in morte VI 500 48 — obediendo usque ad mortem consummavit opus suum 468 6 — In Christi passione fuit consummatio nostrae redemptionis VII 234 54. 468 54 — Per passionem Christi et resurrectionem omnes Scripturae consummatae sunt 595 33 — In crucifixione Christi impleta est figura et prophetiae 576 39 — Omnia in morte Christi consummata sunt VI 225 v. 16. VII 468 54. 576 39 — consummatur per passionem VII 355 67. 555 49 — consummavit in cruce 376 54 — In passione Christi est consummatio totius revelationis propheticae, in quo apparet mira profunditas mysterii passionis 468 54 — implevit figuras Legis 545 22. 546 24

— In morte Christi nihil fit casualiter VI 497 35 — Nihil factum est circa Christum, nisi quod Deus congrua ratione permisit 502 60 — Circa Christum in passione omnia fiebant, quae per Prophetas praedicta erant 499 45 — voluit perfecte consummare Scripturam *ib.* 46. 500 48 — Quae circa Christum acciderunt de passione et resurrectione omnia in Lege praedicuntur VII 601 57

— Salvator et auctor vitae summa crudelitate et perversitate a Iudaeis occisus VII 570 22, 23 — lignum vitae et voluptatis propter peccatum crudelem mortem passus est 574 36 — mortuus carne VI 590 12

— debuit mori in Ierusalem VII 246 95. 355 69. 477 16 — in Ierusalem debebat pati, quia erat rex et sacerdos,

magister et iudex 468 53. 487 42 — ascendit Ierosolymam, ut, in cruce patiens, regnum virtutis, sacerdotium sanctitatis et legem iudicii et veritatis gentibus daret 468 53 — passus est extra Ierusalem 355 69. 507 20. 576 39 — tanquam maleficus extra portam patitur VI 495 28. VII 576 39 — extra civitatem comprehensus et passus est VI 478 2 — Passionis Christi praeordinatum est tempus et locus VII 355 69

— damnatur morte ignominiosissima VI 495 26. 496 30 — morte vilissima mortuus est 420 47 — volebat mori morte crucis vilissima 487 56 — occisus est morte amarissima per acerbissimam extensionem nervorum, poena universalissima in qualibet parte corporis, morte turpissima latronum et morte diutissima 618 1 — Mors crucifixionis Christi fuit producta, acerba et ignominiosa VII 574 25 — in loco poenarum acerbissima poena crucis crucifixus est 576 39 — Mors Christi fuit turpissima ratione loci, temporis, instrumenti, consortii, opprobrii VI 124 v. 20 — passus est in loco vili, ubi puniebantur latrones et malefici 495 29

— tanquam latro ducitur, ipse baiulat sibi crucem VI 495 29 — portabat crucem, dum exiret in Calvariam 498 40 — primo portavit crucem, quae postea Simoni imposita est VII 498 40. 572 30 — crucem voluntarie suscepit 376 55 — primus portavit crucem sicut vexillum et signum regale *ibid.* — in ferenda cruce se praebuit exemplar nobis et magistrum *ibid.* — plangitur maxime a mulieribus 573 31 — prohibet mulieres a fletu *ib.* 32

— mortuus in cruce, quia in ligno peccavimus VI 495 26 — affixus clavis in cruce 124 v. 19 — ascendens in crucem docet nos cum ipso crucifigi VII 200 43

— comprehensus est in sero diei Iovis et in die Veneris crucifixus est VII 540 2 — quinta decima die fuit crucifixus 543 10 — crucifixus inter horam tertiam et sextam, sed plus accessit ad sextam VI 495 25. VII 581 54 — hora tertia crucifixus lingua Iudaeorum, sexta manibus militum VI 494 25 — hora sexta, sexta aetate et sexta feria crucifixus est pro homine VII 581 54 — feria sexta passus est in media die, sed sepultus fuit in sero, hoc est in vespera Sabbati 585 66 — morti et crucifixioni conveniebat sextus dies, septimus conveniebat sepulturae et quieti *ibid.*

— crucifixus in societate vilissima latronum VI 496 30 — fuit inter latrones crucifixus inhonesto consortio quasi reprobus, propter exemplum humilitatis et mysterium significationis VII 575 38. 576 40 — crucifixus dedit exemplum poenae sustinendae VI 618 1 — crucifixus dedit exemplum perfectissimum paupertatis VII 467 52 — in cruce sustinuit summam humilitatem, paupertatem et austeritatem 376 54 — in cruce exhibet patientiam, humilitatem, obedientiam, caritatem 578 45 — Passio dicitur excessus, quia in ea fuit excessus humilitatis, paupertatis, doloris et amoris 234 54

— in cruce fuit abiectus inter latrones, nudatus et afflictus dolore VI 618 2 — in cruce dedit exemplum humilitatis caput inclinans, benignitatis pro inimicis orans, caritatis latus suum aperiri volens 618 3 — dedit exemplum largitatis in manuum perforatione, devotionis in devota spiritus oblatione, abstinentiae in fellis potatione, mortificationis carnis in sanguinis effusione *ibid.*

— Crucifigentes crudelitate vel cupiditate Christum exspoliaverunt et vestimenta eius diviserunt VI 497 35 — Quatuor milites crucifixerunt Christum *ibid.* — Milites vestimenta Christi diviserunt et de tunica sortiti sunt 499 43 — nudatus est rapacitate a militibus VII 577 42 — praeter tunicam inconsutilem habuit alia vestimenta 219 7 — Tunica Christi tota continua non poterat convenienter dividi, ideo sortiebantur de illa VI 497 36 — Tunica Christi indivisa significat caritatem servandam sine divisione *ibid.* — Qui dividunt tunicam inconsutilem caritatis peiores sunt militibus crucifigentibus *ibid.*

— Christi corpus fuit vestimentum rubrum, sanguine effuso VII 557 56 — Caro Christi purpurata sanguine VI 490 2 — ut Pontifex in sua passione habuit vestimenta pontificalia VII 569 14 — nudatus in cruce significatur per Noe 577 42. 595 34

— fudit sanguinem suum pro nobis septies VII 557 56

— fuit afflictus in auditu per blasphemias Iudaeorum, in visu per velationem oculorum, in tactu per clavos et flagella, in gustu per acetum, quibus exsolvit quadruplicem malam delectationem in delicto primi hominis VI 618 v. 29 — passus est in auditu per multas contumelias, quia prima tentatio per auditum introierat VII 578 44 — passus est in quatuor corporis sensibus *ibid.* — passus est in gustu contra illam delectationem, quam in esu pomi habuit Adam et Eva *ibid.* — In cruce sitiebat consummationem passionis 331 72

— petiit et accepit potum aceti non tantum propter indigentiam, quantum ad complendam Scripturam VI 499 46. 500 47, 48. 501 56 — potus aceto, vel vino corrupto, vel myrrhato 501 58 — potus vino acetoso cum felle et myrrha mixto VII 578 44 — Christi sitis fuit signum infirmitatis assumtae et veritatis naturae VI 449 46 — cum in omnibus membris passus fuisset praeter os et linguam, passio eius dicitur consummata in potu aceti 501 57

— fuit Pontifex pius et misericors, offerendo se et interpellando pro populi salute VII 577 41 — dedit exemplum omnibus orando pro persequentibus *ibid.* — mira benignitate pro crucifixoribus oravit 576 41

— blasphemiis militum non cessit, ut daret exemplum patientiae et perseverantiae VII 578 45 — non respondet blasphemanti, ut formam daret patientiae 579 48 — si descendisset de cruce, neminem salvum faceret nec esset salvator 578 43

— ter clamavit in cruce VII 582 56 — Quatuor ultima verba Christi VI 502 59 — tanquam piissimus pontifex mira misericordia poenitentiam latronis non refutavit et amplius, quam petebat, concessit VII 580 51

— In passione Christi fuerunt Maria et Ioannes VII 108 80 — compatiebatur Matri VI 497 37 — dedit exemplum pietatis erga parentes 498 38. 499 44 — sollicite respexit Matrem et familiariter eam recommendavit Ioanni 498 38 — moriturus agnoscit Matrem humano affectu 499 44 — commendat Matrem Ioanni, quia ipsum specialiter diligebat *ibid.*

— in passione relictus ab hominibus VI 465 46 — Praeter paucas mulieres omnes longe recesserant a Christo per incompassionem 497 37 — Ex omnibus caris Christi solae tres aderant mulieres compatientes *ibid.* — Noti Christi post depositum corpus recedunt, solae mulieres manserunt VII 586 70 — Omnes noti eius reputabant eum tanquam alienum, licet non omnino perdidissent affectum, quia pauperrimus erat et despectus et interfectus 582 59

— Pater non potest relinquere Filium ut displicentem per voluntatem discordantem VI 362 39 — Pater non reliquit Christum derelictione iracundiae, sed dispensationis, exponendo eum passioni pro humani generis salute 363 44 — non est relictus a Patre defectu divini auxilii, sed expositione ad poenam 465 46

— Christo pendente in cruce, facta est universalis commotio creaturae VII 581 54 — In morte Christi fuit triplex miraculum in obscuratione solis *ibid.* — In morte Christi non erat tempus eclipsis *ibid.* — In morte Christi velum templi scissum est et aliae creaturae suae sibi compassae sunt in testimonium suae Divinitatis *ib.* 55 — Omnes creaturae compatiuntur Christo morienti *ibid.* — In passione Christi petrae collisae sunt ad invicem 535 47

— exspiravit simul clamando et orando, ut verus Pontifex noster VII 582 56 — In Christi exspirantis lacrymis intelligitur vera Christi passio et humanitas, in clamore vero Divinitas *ibid.* — in clamore mortis ostendit se omnipotentem *ibid.* — Modus moriendi erat mirabilis *ib.* 57 — in tenebris et in effluxione aquae et sanguinis ostendit veritatem Divinitatis VI 502 60

— Consummatio passionis in effectu fuit in apertione lateris Christi VI 500 49 — Latus Christi apertum est ut fons Sacramentorum 501 52 — E latere Christi profluunt gratiae et Sacramenta VII 122 37 — Ex sanguine et aqua lateris Christi Sacramenta habent efficaciam VI 500 49 — lavit nos sanguine et aqua lateris sui 501 52 — Latus Christi apertum est, postquam mortuus est in cruce, ut de latere dormientis formaretur Ecclesia 502 60 — Vulnera Christi sunt fontes, quorum quatuor aperti sunt ante mortem, quintus vero post mortem 555 4 — voluit latus suum

aperiri, ut ostenderet, quod paratus erat cor suum dare fidelibus suis 618 3 — Per latus Christi vulneratum et manus et pedes perforatos intelligitur tolerantia passionis acerbae imitanda VII 213 86 — Vulnera Christi contingimus, cum ad tolerantiam armamur *ibid.*

— Christi crura non sunt fracta, quia mortuus erat VI 500 51 — Christi ossa non sunt fracta, sed latus apertum ad impletionem Scripturae 501 54, 55 — Christi ossa debebant integre conservari, quia solus integer a peccato 500 50

— se ipsum offert **hostiam** sanctam in veritate, non in typo VI 473 31 — per passionem est hostia VII 540 1 — se pro nobis expendit, ut venderetur pro nobis redimendis, condemnaretur pro nobis absolvendis, crucifigeretur pro nobis liberandis VI 615 2 — est hostia nostra, cuius oblatio a parentibus invitat ad humilitatem, oblatio avium pro ipso invitat ad paupertatem, oblatio in cruce pro omnibus invitat ad pietatem VII 57 54 — dedit totum corpus ad percutiendum et ad immolandum VI 332 81

— passus est **voluntarie** et secundum suam voluntatem VII 353 67. 359 26 — voluntarie patitur et moritur VI 273 17 2° — moritur voluntate et potestate, quia omnino liber 389 39 — sua voluntate posuit animam suam VII 582 56 — non est mortuus invitus, sed ipse tradidit animam 227 36 — secundum Divinitatem potest animam de carne deponere VI 389 31 — libere posuit animam suam in morte et passione, resumsit eam in resurrectione ex potestate 388 22, 23 — habet potestatem deponendi vitam suam per mortem et resumendi eam per resurrectionem 389 31 — habuit potestatem emittendi spiritum VII 582 57

— passus est secundum divinum decretum et suum beneplacitum VII 549 31 — Passio Christi fuit definita a Deo et sibi placita et accepta *ib.* 32 — Passio ab ipso fuit voluntarie suscepta 355 67 — bibit calicem, cum passionem voluntarie gustavit 556 54 — bibere volebat calicem passionis voluntate rationis, sed abhorrebat voluntate sensualitatis *ibid.*

— bibit calicem passionis secundum voluntatem Patris VI 480 19 — moritur ad Patris imperium 445 45 — Pater dedit ei mandatum moriendi, non quia meruisset ipse, sed pro nostra salute *ibid.* — cum non esset debitor mortis, ex mera liberalitate posuit animam pro ovibus ad Patris praeceptum 388 22, 23 — Christum oportuit pati non ex compulsione, sed ex superna dispositione Dei passionem praeordinantis, providentis et praedicentis VII 355 68 — Passio Christi necessaria erat non simpliciter, sed ex praesuppositione divinae dispositionis et promissionis 227 36. 355 68 — mortuus est debito praecepti, non meriti, et liberaliter, quia ex amore VI 446 49 2° — ad patiendum coarctatur per nimium amorem, qui habet cordis dominium VII 331 72

— quando ipse disposuit, passus est VII 540 2 — mortuus est, quando voluit, offerens spiritum suum VI 500 48 — Quando noluit, nemo eum laedere potuit VII 355 67 — Passio Christi ante tempus fuit frustra ab homine intentata 354 64, 65 — Malitia machinari potuit mortem Christi, sed perficere non potuit, nisi sicut ipse voluit 355 67 — Mors Christi non erat consummanda secundum machinationem humanae malitiae, sed secundum dispositionem propriae sapientiae et voluntatis suae *ibid.* — Nemo apprehendit Christum divino miraculo, quia nondum venerat hora eius VI 359 26

— Hora passionis et redemptionis nostrae diu fuit exspectata et desiderata VI 417 32 — Passio fuit ab aeterno infallibiliter praeordinata et a Prophetis praedicta VII 355 68 — Passio Christi fuit secundum opportunitatem divinae dispositionis *ibid.* — missus in mundum ad passionem VI 473 30 — Pater dedit Filium in mortem pro nostra dilectione 445 45. 450 20

— non patitur coacte VI 444 44 — passus voluntarie voluntate rationis, sed non voluntate naturae vel sensualitatis 528 48 — de poenis et ignominia corporis non curavit 504 69 — faciem firmavit per constantiam et patientiam ad accedendum ad mortis opprobrium VII 246 95 — ibat ad ignominiam passionis et ad gloriam resurrectionis VI 459 23

— ex dilectione moritur pro ovibus VI 386 16. 387 20 — vehementissima dilectione mortuus est pro nobis 450 20 — mortuus pro peccatoribus divina caritate 592 4. VII 153 65. 156 78 — passus est ex abundantia caritatis VII 331 72 — ex amore animam posuit pro hominibus VI 184 v. 27

— in passione perfecte ostendit caritatem effusione sanguinis VII 331 72 — ex amore sanguinem suum fudit *ibid.* 557 56 — Pietas Christi pro nobis mortui a multis non recognoscitur 574 33 — magis dilexit salutem nostram quam vitam suam VI 434 47

— per mortem libere acceptam meruit Patris dilectionem VI 388 22 — per passionem meruit secundum humanam naturam dilectionem Patris, faciendo non de indebito debitum nec de debito magis debitum, sed debitum alia via et alio modo 389 32

— post passionem **exaltatus** est VII 564 82 — per crucem est exaltatus VI 198 v. 7 — exaltatus est per mortem suam 124 v. 22 — crescit exaltatus in cruce 287 53 — merito passionis erat sublimandus 433 44 — clarificatur in passione 470 18 — in passione meruit clarificari et quantum in se clarificavit Dominum 434 52 — debuit venire ad exaltationem per humiliationem et passionem VII 551 40 — Passio est via in gloriam 234 54 — clarificavit Deum in passione per multam virtutis manifestationem, quia mors sua et passio valde fuit in gloriam Dei VI 433 45

— post diem passionis et sepulturae consummatus est die resurrectionis VII 356 70 — clarificatus est a Patre per gloriam resurrectionis VI 433 45

— exaltatur in crucis patibulo, ut omnes in eum aspicientes per fidem sanentur VI 282 24 — exaltatus per passionem crucis omnia trahit ad se per fidem et dilectionem 420 46 — trahit ad se genus humanum appensus in statera crucis 567 5

— in cruce triumphavit VI 495 29 — — est monarcha mundi per crucem VII 103 59

— in passione vadit ad Patrem VI 348 48. 457 11 — de carcere carnis et de vinculis passionis egressus est ad regnum gloriae caelestis 41 v. 15 — relinquit mundum per passionem 465 42 — vadit ad Patrem per gloriosam resurrectionem *ibid.* — transivit per passionem ad Patrem VII 540 2 — per passionem debebat assumi in caelum post resurrectionem 246 95

— Divinitas Christi cognoscitur in infirmitate passionis VI 361 38 — Non solum admiranda magnitudo miraculorum, sed etiam humilitas passionis VII 242 83 — in passione fuit minimus, sicut granum sinapis seminatus in mundo, quod per ostensionem bonitatis suae crevit in arborem in cruce VI 553 3 — in passione maxime ostendit bonitatem suam *ibid.* — per passionem dedit exemplum virtutum VII 595 33 — in passione ascendit ante nos, ut iter nobis expediret ferendo poenam et vincendo pugnam impedientes ascensum VI 621 3 — In Christi passione iustitia impleta est et iniquitas deleta VII 545 24 — in passione illuminat ad patientiam, in descensu ad inferos ad misericordiam, in sepulcro ad pacem, in resurrectione ad vitae novitatem, in ascensione ad desiderium aeternorum VI 302 83 (82)

— crucifixus est signum datum Christianis VII 300 69 — Passio Christi est signum, quod sequuntur oves VI 583 9

— significatus est per serpentem aeneum VI 211 v. 7. 487 56 — eius passio praefiguratur in serpente aeneo 282 24, 25. 283 28 — eius mors figurabatur in pascha typico VII 540 2 — sua passione implevit agni paschalis praefigurationem 545 22 — Passio Christi significatur per piscem 289 39 — Passio Christi figuratur in rubo 516 44 — Passio Christi dicitur baptismus, quia in eius sanguine purificamur quasi in lavacro baptismali 331 71 — in passione fuit baptizatus, quia totum corpus eius fuit hoc sanguine rubricatum *ibid.* — Passio comparatur baptismo, quia fuit universalis, calici, quia fuit voluntaria, torculari, quia fuit acerbissima et gravis *ibid.*

— mortuus est pro transgressione generis humani VII 573 32, 33 — mortuus est pro peccatis nostris *ib.* 33 — Per passionem Christi reconciliamur Deo 595 33 — occisus est propter peccatores 400 46 — mortuus est pro sanando malo peccati VI 591 2 — volens puniri pro nostra salute, mortuus est pro nostris sceleribus sine

CHR (24)
iniustitia ex parte Dei 446 49 — ut redemptor pro nobis passus est 92 v. 2
— sua morte mortem et mortis auctorem destruxit VII 573 32 — virtute divina in morte sua multos resuscitavit VI 405 60 — Passio Christi erat vivificativa mortuorum VII 227 36 — passione et resurrectione vivificavit nos *ibid.* — comparavit vitam nostram morte sua VI 592 5 — offerendo se invenit hominem perditum VII 385 11
— opportunum et convenientissimum fuit, Christum pati, propter remedium peccatorum, exemplum virtutum et complementum omnium Scripturarum VII 595 33 — Mors Christi expediens pro omnibus 227 36 — Mors Christi erat utilis VI 124 v. 19 — Mors Christi necessaria pro nobis et utilis nobis 591 1 — Discipuli stulti desperant de redemptione propter passionem Christi 595 32
— operatus est salutem per lignum VI 325 40 — salvat nos per passionem 282 24 — Salus sanctarum animarum et resurrectio per mortem Christi obtinenda erat 124 v. 22 — moriturus erat pro salute mundi 482 28 — Christi mors fuit nostra salus 308 33
— mortuus fuit ad salvandum et faciendum nos Deo nostro regnum VI 496 31 — mortuus est, ut fideles fierent filii Dei VII 513 37 — mortuus est, ut praedestinatos Iudaeos et gentiles ad unitatem Ecclesiae colligeret VI 408 70 — passus est pro populo Iudaeorum et gentilium et ab eisdem VII 575 38 — Passio profuit his qui erant extra Ierusalem *ib.* 39 — petit, ut nomen Dei notum fiat gentibus per suam passionem VI 418 40
— mortuus est pro mundo VI 471 22 arg. 2 — genus humanum proprio sanguine redemit 160 v. 1 — unus pro omnium salute mortuus est 407 68 — sanavit omnes per passionis remedium 6 20 — quantum in se est, pro omnibus se obtulit 318 81 — traditur pro omnibus quantum ad sufficientiam, sed quantum ad efficaciam pro electis et credentibus 282 26 — occiditur pro uno quasi pro ipso solo VII 401 50 — Origenes falso docuit, Christum pro daemonibus in aëre in fine passurum esse, et sic eos fore salvandos VI 198 v. 11
— redemit nos per sanguinem suum, figuratum per sacrificia VII 385 11 — Sanguine Christi redemptum est genus humanum 548 29 — Per sanguinem agni et sponsi Iesu Christi fit remissio peccatorum *ibid.* — In sanguine Christi fuit dedicatum novum testamentum *ibid.* — Sanguis Christi clamabat remissionem 558 56 — Sanguis Christi loquitur veniam VI 592 3 — Sanguis Christi est sacrificium placativum et sacramentum refectivum VII 548 29
— subiectus est poenae maledictionis divina dispositione, ut redimeret maledictos VII 571 25 — Per passionem Christi sumus ab omni maledictione liberati 761 76
— Remedium passionis liberat a caecitate rationis per interiorem illuminationem VII 98 40 — — Passio Christi suadet veram fidem, poenitentiam et benevolentiam 62 79 — Memoria passionis dominicae eiicit daemonium avaritiae 289 39
— lavat peccati maculam VI 591 2 — Mors Christi est nobis remedium peccati delendo maculam, tollendo poenam et conciliando offensam *ibid.* — Mors Christi est nobis suffragium ad bonum, impetrando veniam, merendo gratiam, aperiendo ianuam *ibid.* — Per passionem Christi factum est remedium omnium infirmitatum VII 109 88 — Passio Christi liberat ab infirmitate voluntatis ad bonum 98 41 — Passio Christi liberat a culpa actuali cum contritione et a culpa originali per se ipsam *ib.* 38, 39 — Passio liberat genus humanum captivum per culpam originalem *ibid.*
— mortuus est ante fidelium multiplicationem VII 513 37 — fudit sanguinem pro credentibus confirmandis 198 32 — per mortem suam multum fructum affert VI 417 37. VII 195 22 — In passione Christi statim advenit regnum Dei VII 545 24 — sua passione et oratione meruit nobis Spiritus sancti donationem VI 442 35
— In passione Christi data est gratia et aperta est ianua et acquisita gloria VII 546 24 — Ante passionem nemo poterat intrare regnum Dei, quia pretium nondum erat solutum VI 286 48 3* — post mortem aperta ianua introduxit in regnum captivos in limbo 592 3 — In passione Christi deletum est chirographum et abscissa manus trahens 421 53 — Passio Christi operatur in Sacramentis 514 49 — Passio Christi non remittit poenam nisi cui Deus remittit culpam *ibid.*
— In passione Christi est **iudicium** mundi VI 420 45. 421 51 — In passione Christi revelata est iniquitas Iudaeorum VII 62 78 — In Christi passione facta est gentilium illuminatio et Iudaeorum excaecatio VI 416 28. 417 35. VII 581 55 — In passione aperta fuit intelligentia VII 545 24 — Ex consideratione passionis Christi demonstratur formidandum iudicium extremum 574 36
— Passio Christi in **memoria** habenda VII 242 83 — Quilibet esse debet memor suppliciorum Dei ad compatiendum 37 114 — Christi passio ignominiosa credenda et aestimanda VI 501 55 — mortuus pro nobis praedicandus et imitandus 592 4 — Praedicare crucifixum iniquum putatur a persecutoribus VII 527 19
— mortuus pro nobis est amandus VI 592 4 — Ardor benevolentiae ad Christum passum est gladius, qui debet animam pertransire VII 62 79 — Christo compatiendum est affectu piissimo 573 32 — Dies passionis Christi debet cum multis lacrymis celebrari *ib.* 33 — Recolentes passionem Christi, debemus flere non pro ipso, sed habito respectu ad peccatum nostrum et scelus generis humani *ibid.* — In cruce Christi invenitur planctus compassionis cum laetitia redemptionis VI 547 5 — In communicando passioni Christi

CHR (25)
invenitur dolor compassionis ex amaritudine et dulcedo consolationis ex utilitate VI 613 4 — Ex consideratione passionis Christi oritur afflictio 319 11
— Passionis Christi consideratio est armatura accipienda in tempore malo VII 555 49 — Passio Christi temperat duritiam poenae VI 565 6 — In passione Christi omnes Christiani habent refectionem, sed illi potissimum oblectantur, qui per illam se a maioribus malis et periculis et peccatis liberatos vident VII 398 40
— Passio Christi **imitanda** VI 418 37, 38 — invitat ad passionem suam imitandam 526 41. 527 43 — Passio Christi non habet effectum nisi in imitatoribus Christi 417 36 — Nullus potest cum Christo regnare, nisi passionem eius fuerit imitatus VII 595 33
25 — Corpus Iesu depositum a Ioseph VI 502 61 — Corpus Christi conditum quasi non resurrecturum 503 62. 504 68 — In conditione corporis Christi crucifixi non erat perditio nec superfluitas 503 68 — mortuus conditus fuit unguento, involutus sudario et reconditus in sepulcro 618 1 — fuit conditus unguento nardi a Maria, unguento myrrhae et aloes a Nicodemo 619 2 — fuit involutus sindone et linteis *id.* 3 — Corpus Christi involutum linteaminibus, et sudario facies 505 8 — Mundissima caro Christi convenientissime involuta est in sindone munda VII 584 64
— Corpus Christi conditum et sepultum honorifice VI 503 63 — collocatus in sepulcro novo et propinquo propter loci congruitatem et temporis brevitatem *ib.* 64, 65 — non sepultus a discipulis *ib.* 66 — Sepultura Christi erat ad fidem nostrae resurrectionis astruendam 504 69 — debuit sepeliri in loco patenti et honorabiliter sepeliri et custodiri, ut eius resurrectio esset certa *ibid.*
— fuit reconditus in horto et in monumento VI 619 4 — positus fuit in monumento exciso, quia erat lapis excisus de monte sine manibus VII 584 65 — positus fuit in monumento exciso, ne quis posset dicere, quod suffossum esset monumentum *ibid.* — In sepulcro Christi nemo positus fuerat, ne alius crederetur resurrexisse VI 503 64
— sepultus die Sabbati, in qua incipit septima aetas VII 361 13 — tribus diebus incompletis fuit in sepulcro VI 276 33 — Per quietem Christi in sepulcro facta est liberatio animarum VII 585 69 — Per Christi quietem habemus veritatem diei septimae et exspectamus resurrectionem et glorificationem octavae *ib.* 68
— extraxit animas de fovea die Sabbati, qua sepultus est VII 361 13 — in resurrectionis triumpho liberavit captivos 6 21 — Sanctorum animas de limbo eduxit VI 160 v. 1 — reversus est de inferno superiori 119 v. 1
26 — non erat quaerendus cum mortuis VI 508 23 — Corpus Christi non invenitur in sepulcro, quia iam erat resuscitatum VII 588 5 — Decebat, quod illo

die, quo primo facta est lux, resurgeret Christus de tenebris mortis et inferni ad lucem vitae 587 2

— surrexit a mortuis VII 589 9 — resurrexit ut verus Deus 469 56 — resurrexit tertia die VI 123 v. 17. VII 469 56 — resurrectio fuit diluculo, vel media nocte secundum veritatem, sed diluculo innotuit 588 3 — resurrexit non omnino in die nec omnino media nocte, sed sole redeunte *ibid.*

— clauso exivit sepulcro, sicut clauso exivit utero Virginis VII 588 4 — surrexit, clauso monumento, et illud apertum est postmodum ab Angelo ad certificandum alios VI 506 14 — In argumentum verae resurrectionis custodes deputati sunt VII 584 65

— In resurrectione Christi non fuit revolutus lapis, sed post VII 588 4 — Ad manifestandam Christi resurrectionem Angelus revolvit lapidem *ibid.*, 4 — Lapis remotus a sepulcro VI 505 2 — Inveniuntur linteamina ordinata *ib.* 8. 506 9

— Christi ortus et occasus, somnus et resurrectio tanquam sol iustitiae totum perlustravit mundum VII 585 65 — dicitur resurgere et ascendere ab occasu 334 82 — Domino resurgente, erat gaudendum VI 508 21 — In resurrectione Christi Sabbatum cessavit, cum fuit impletum, et dies dominicus successit celebrandus VII 585 68

— Quaerentibus signum promittit signum suae resurrectionis VI 276 33. 277 41 — Christi resurrectio praefigurata est in Iona VI 276 36. VII 227 36 — passus, mortuus et suscitatus figuratur in Iona 298 65

— Nox resurrectionis Christi terminabatur in lucem VII 585 67 — mortalem vitam deseruit, quando resurrexit et novitatem vitae assumsit VI 620 2 — est triumphator per resurrectionis tropaeum relate ad victoriam VII 5 17 — multa signa fecit, sed maximum est signum resurrectionis 298 64, 65

— In resurrectione Christi est dignitas glorificationis et excellentia Divinitatis et humanitatis VI 510 26 — Resurrectio Christi informat nos ad desertionem peccatorum, ad profectum meritorum, ad tolerantiam adversorum, ad contemptum mundanorum et ad desiderium aeternorum 620 2 — Fides passionis et resurrectionis Christi astruitur per Scripturam VII 595 32, 33 — Resurrectio Christi est signum et via manuducens ad fidem 590 11 — Per resurrectionem Christi nostra fides confirmatur VI 504 1

— oportuit a mortuis resurgere ad implendam Scripturam, ad liberandos captivos de limbo, ad confortandos discipulos, ad confirmandam fidem et ad informandos mores VI 620 1 — Passio et resurrectio Christi irrefragabiliter vera et certa est, tanquam per testimonium firmum et authenticum totius veteris testamenti comprobata VII 601 57 — Resurrectio est integre et perfecte credenda 592 18

— De Christo et propter Christum sunt Scripturae et ab eo explicantur VII 601 58 — Per Christum crucifixum et suscitatum et gentibus per Spiritum sanctum divulgatum profunda mysteria in Scriptura intelliguntur *ibid.*

— post resurrectionem vivit vita gloriae VI 441 28 — post resurrectionem est in caelo 349 49

— habuit potestatem super omnes ab aeterno, quae manifestata est post resurrectionem, vel humanae naturae communicata VI 469 10. 538 4 — In resurrectione data est Christo potestas durabilis 553 3. VII 39 124 — post resurrectionem accepit potestatem ut Dominus 588 5

— in resurrectione accepit potestatem alios introducendi in caelum VI 581 2 — — vivos et mortuos faciet gloriosos VII 234 53

— Ad vocem Christi fiet resurrectio generalis VI 405 59 — Mortui resurgent ad vocem Christi 312 52 — electos resuscitabit ad aeternae beatitudinis participationem 328 60 — suscitat in corpore et in anima 309 40 — suscitat mortuos per potentiam aequalem potentiae Patris *ibid.*

— liberat a morte in resurrectione VI 330 68 — facit mortuos resurgere et viventes vivere 401 36, 37 — invitabit ad coenam in futura resurrectione 523 22

— Resurrectio Christi **revelatur** occasione adventus mulierum ad sepulcrum VII 587 1 — Resurrectionis annuntiatio per mulieres venit ad viros divina ordinatione 590 12 — prius apparuit mulieri quam discipulis VI 510 28

— primo apparuit Mariae Magdalenae VII 590 13 — se manifestat Magdalenae primo sensibus carnis, deinde mentis VI 508 22. 509 24. 511 33 — post resurrectionem se ostendit in specie hortulani, peregrini et crucifixi 622 v. 15

— intrans ianuis clausis ostendit corpus, in quo passus est, Divinitati unitum, vel corpus gloriosum VI 517 63 — intrando ianuis clausis ostendit corpus gloriosum, sed per tactum ostendit corpus esse idem, quod fuerat passum 518 65 — venit ad discipulos ianuis clausis VII 599 47 — Virtute Christi resurgentis a quatuor ventis venit spiritus et insufflat super interfectos suscitandos 585 65

— post passionem non apparuit mundanis, sed Apostolis VI 441 28 — apparuit Petro antequam aliis VII 598 44 — De apparitione Christi facta Petro non narratur *ibid.*, 45

— apparuit discipulis congregatis VI 512 37. 513 46. 516 55 — apparuit stans in medio discipulorum, ut ab omnibus videretur 512 38. 516 56 — tripliciter se manifestavit omnibus discipulis post resurrectionem 511 36 — tribus apparitionibus sufficienter manifestatus est discipulis 523 25 — tertio se manifestat specialiter propter Petrum 519 4 — apparendo discipulis effugat ab eis timorem VII 599 46

— post resurrectionem non se manifestabat continue discipulis ad augendum et purificandum amorem VI 524 29 — quinquies apparuit eadem die VII 598 44 — apparuit iterum quinquies ante ascensionem *ib.* 45 — apparuit decem vicibus in quadraginta diebus, post quos, decem diebus transactis, misit Spiritum sanctum *ibid.* — post resurrectionem decies apparuit VI 623 1 — post resurrectionem apparuit in via, in mari, in domo, in horto, in monte 622 1

— apparuit Thomae reverso ad discipulos per poenitentiam, discipulis euntibus in Emmaus per obedientiam et opera consiliorum, discipulis in montem Thabor ascendentibus per opera excellentiae VI 623 3 — apparuit discipulis congregatis in unum in meditatione, Mariae ploranti in oratione, discipulis congregatis in coenaculo in contemplatione *ib.* 4 — apparuit Petro consulenti de veritate resurrectionis, mulieribus afferentibus aromata, Apostolis piscantibus et discipulis euntibus in montem Oliveti *ib.* 6 — reversus post resurrectionem ad discipulos consolatus est eos ex familiari sui ostensione, certificavit eos de Scripturarum impletione et de sua reversione ad iudicium, ultimo praemiat ex eius beata visione in patria 631 18

— post resurrectionem apparuit duobus discipulis tanquam testibus idoneis VII 591 17 — ut peregrinus apparebat discipulis, quia peregrinus erat in mundo et in oculis discipulorum non credentium 593 23 — se discipulis sociavit latens in itinere et collocutione, apparens in comestione 591 17 — secundum veritatem non mutavit sui corporis effigiem nec figuram, sed secundum solam apparentiam 593 21 — in oculis discipulorum alius apparebat sine deceptione *ibid.*

— se praeparabat ad longius procedendum, quod et fecisset, nisi discipuli eum affectuose hospitio suscepissent VII 596 35 — finxit, se longius ire ad excitandam discipulorum devotionem, non propter simulationem *ibid.* — mansit cum discipulis invitantibus eum VI 543 a — apparuit discipulis in fractione panis VII 596 35 — aperuit oculos discipulorum potius in fractione panis quam in expositione Scripturarum 597 38 — Verbum Christi inflammavit corda discipulorum ad amorem *ib.* 40

— probavit discipulis resurrectionem quasi ostensive VI 606 3 — resurrectio multis argumentis demonstrata est discipulis dubitantibus VII 591 14 — probat, se habere verum corpus, per testimonium tactus et gustus 599 49 — post resurrectionem dedit se discipulis cognoscibilem ex visu, ex auditu, ex tactu, ex convictu VI 622 v. 19

— se manifestavit quoad divinam naturam per miraculi operationem, quoad humanam per comestionem VI 520 5 — corpore glorificato, vere comedit, sed non ex indigentia 524 27 — sensuum usu et maxime gustus probavit, se vere resurrexisse, ut discipuli certificarentur et nos in eis VII 600 53 — publice manducavit in suae resurrectionis argumentum *ib.* 54 — manducavit non ex indigentia, sed ex

potentia *ibid.* — ante resurrectionem cibum sumsit ex necessitate, post resurrectionem consumsit propria virtute *ibid.* — Veritas comestionis in Christo fuit verum argumentum resurrectionis *ibid.* — manducando probavit resurrectionem suam veram, non phantasticam 216 97

— ostendit, se esse eundem qui passus fuerat, per vulnera et cicatrices VI 512 40 — ostendit discipulis veras cicatrices 517 64 — ad maiorem certitudinem suae resurrectionis ostendit corporis cicatrices VII 600 52 — cicatrices servavit ad astruendam fidem resurrectionis et ad affectum nostrum inflammandum *ibid.*

— post resurrectionem erat magis cum reverentia tangendus nec erat cum discipulis ut prius VI 509 26 — se exhibet Thomae palpandum 516 57 — exhibet se palpandum in argumentum suae resurrectionis et nostrae glorificationis VII 599 50 — post resurrectionem habuit corpus palpabile et simul subtile 600 50, 51 — Corpus Christi erat palpabile non ex necessitate, sed ex virtute, quo terminat impulsum eius quod poterat penetrare VI 518 65

— post resurrectionem apparuit stans in littore aeternae quietis VI 521 15. VII 116 12 — Apparitio Christi exprimit gloriam post resurrectionem VII 231 48 — imperat capturam piscium, ut ostendat dominium suum in omnia 115 10 — non ostendit se ipsum discipulis, sed per mirabilem capturam piscium cognoscitur VI 520 6 — benigne invitat discipulos ad prandium 523 22 — munifice distribuit discipulis cibaria *ib.* 24 — Infallibilitas apparitionis Christi demonstratur per authenticum testimonium Scripturae et per infusum lumen intelligentiae VII 601 56

— in resurrectione ascendit ante nos, ut ad erigendum nos nobis manum extenderet ad trahendos mortuos ab inferis VI 621 4

— Resurrectio Christi divulgata est per Spiritum sanctum datum Apostolis post ascensionem Christi VII 602 60 — Christi resurrectionis testes fuerunt Apostoli *ibid.*

— resurgens dignitate glorificationis iam erat idoneus ire in caelum VI 510 26 — in sua resurrectione mundum deseruit et ad Patrem ascendit 465 42. 620 2

— subtraxit praesentiam suam in **ascensione** VII 478 18 — recessit in ascensu ad Patrem et rediit in adventu eius ad discipulos assumendos in gloriam VI 462 27

— quadragesima die post resurrectionem ascendit in caelum VII 603 63, 64 — in ascensione venit in domum supernae Ierusalem 386 13 — ascendit de monte Oliveti 232 50. 492 55. 555 51

— ascendit in caelum primum et per se, et proprla virtute clevatus, non translatus vel subvectus VI 630 2 b — ascendit per virtutem 361 33 — ferebatur in caelum virtute propria, serviente creatura tam spirituali quam corporali VII 603 64 — solus potest ascendere in caelum per se, et omnes per illum VI 282 23. 283 27

— Ascensus Christi in caelum fuit nobilissimus quantum ad primatum, potentissimus quantum ad modum, iucundissimus quantum ad pompam, altissimus quantum ad terminum VI 620 2 b — triumphavit plenarie in ascensione VII 604 65 — cum gloria susceptus est in die ascensionis VI 124 v. 18 — In ascensione exaltatus in gloria 595 1 — intravit in gloriam per laborem et passionem VII 350 49

— abiit ad nuptias post resurrectionem cum Angelis VII 324 51 — Ascensio fuit figurata in ascensione nubeculae et Eliae et in ascensu solis 603 64 — abiit in regionem longinquam, cum ascendit in caelum 478 18 — Ascendit in caelum altissimum *ibid.*

— ascendit ad Patrem, cum aequalis creditur Patri VI 509 26. 511 34, 35 — dicitur ascendere ad Patrem, non secundum situm, sed ad locum, ubi Pater magis manifestatur in suis operibus 511 35 — dicitur a dexteris sedere, id est in potioribus bonis *ibid.*

— egressus a summo, eo revertitur VI 465 42 — in ascensione rediit ad locum suum sicut sol 13 b — ascendit in caelum, quia de caelo venit 361 33 — Christo convenit ascendere secundum humanam naturam 283 27 3* — descendit de caelo ratione naturae divinae relate ad humanam, quia se humiliavit assumendo carnem *ibid.* — ascendit in carnem, in crucem, ab inferis, ad Patrem 620 1 b — fecit circuitum descendendo in mundum et ascendendo ad Patrem VII 604 66 — dicitur ascendere, ubi erat prius secundum divinam naturam, non secundum naturam humanam, nec quod inde recesserit, sed secundum naturam divinam clarificandam ut aequalem Patri, cum in carnis assumtione videretur esse humiliata VI 337 108

— vadit ante nos ad iter expediendum, ad hospitium praeparandum, ad negotium procurandum VI 605 1 — in ascensione ascendit ante nos ad hospitium praeparandum 621 5 — In ascensione Christus transivit primus a miseria in gloriam 597 2 — in ascensione praecessit nos ad aeterna 302 83 (82)

— ascendens ovem inventam portat in domum et convocat Angelos ad concorditer gaudendum propter salutem hominum VII 386 13 — Christus in ascensione spoliavit diabolum 293 50 — per ascensionem Ecclesiam ordinavit in suis gradibus 603 64 — Ascensio Christi liberat ab amore terrenorum, illuminando ad desiderium aeternorum VI 302 83 (82)

— post ascensionem misit **Spiritum sanctum** VII 334 82 — In recessu Christi impletur promissio Spiritus sancti VI 458 13 — Per ascensionem Christi datus est plene Spiritus sanctus VII 10 10 — non decebat dotare suos servitores, antequam appareret gloriosus VI 460 24

— dat Spiritum sanctum VI 292 18 — credentibus in se promittit Spiritum



sanctum 350 55 — frequenter promisit in Evangelio Spiritum sanctum VII 602 61 — Per Christum datur Spiritus sanctus VI 602 1 — secundum humanam naturam non poterat dare Spiritum sanctum, sed impetrare eius donationem 442 35 — in missione Spiritus sancti contulit gratiam VII 478 19

— dedit Apostolis Spiritum sanctum in flatu occulte VII 602 61 — licet statim Spiritum sanctum posset dare, voluit differre propter desiderium discipulorum inflammandum, propter mysterium servandum et propter exemplum 603 62

27 — a credentibus imitandus VII 227 37 — Fideles sequuntur Christum per imitationem VI 391 38 — discipuli Christi sunt per imitationem 363 47 — Qui non vult eum imitari non est eius discipulus VII 376 55

— Non valet cognitio Christi sine imitatione et opere VII 352 58 — operans et exempla dans videndus ad imitandum VI 630 13 — sequendus ut pater vel ut magister VII 250 106. 251 109 — Christum debemus sequi tanquam servus dominum, tanquam discipulus magistrum VI 265 90

— Imitari debemus opera Christi VI 78 v. 15. 448 11 — Opera humilia Christi imitanda 427 18 — Christum imitari debemus in actionibus et passionibus VII 376 56 — imitandus in effectu operationis bonae, in habitu conversationis sanctae, in tolerantia passionis acerbae 213 86

— Nulli imitantur Christum nisi qui a Domino vocantur VI 417 36 — Possibilitas imperfecta imitandi passionem est in nobis, sed potestas completa per Spiritum sanctum 434 53 — Ad sequendum Christum gratia Dei nobis praesto est, si non desit voluntas VII 228 38 — Pauci sunt imitatores Christi VI 384 5

— Ad imitandum Christum, multa movent et invitant VII 228 37. 229 42 — promisit se imitantibus beatitudinem VI 428 21 — Imitatoribus Christi ostenditur regnum Dei per aliquam specialem revelationem in hac vita, ut eorum compleatur desiderium VII 229 42 — Servantes sermonem Christi non gustabunt mortem, sed transibunt ad vitam *ibid.* — sequentes se sanat, instruit et reficit VI 585 9 — Sequentibus Dominum promittitur sublimitas honoris, possessio hereditatis, lumen iucunditatis et securitas aeternitatis *ib.* 10

— Sequi Dominum in praesenti est honorificum et tutum a perditione et proficuum VI 585 9 — Sequi Christum per paupertatem est valde honorabile, licet videatur vile VII 228 38 — Ministrare Christo est maxime honorificum, quia de servo fit filius VI 418 38 — Nemo potest simul servire Christo et diabolo VII 410 21

— Animae fidelis meritum est sequi Christum VI 583 1 — Sequi Dominum imitando requiritur ad perfectionem VII 463 41

— Christum debemus sequi, ut possimus consequi VI 265 90 — Christum

non consequitur qui non vult sequi VII 351 53 — Christum frustra sequimur nisi consequamur 466 48

— Qui Christum vult perfecte imitari fundamentum habitationis collocat supra petram VII 378 59 — Qui sequitur Christum non offendit VI 398 18 — Sequens Christum habet lumen VII 472 66 — Qui captivat intellectum Christo non excaecatur per errorem VI 358 18 — Qui imitatur Christum induitur habitu conversationis sanctae VII 213 86. 234 55

— Christum sequi est per intellectus captivationem VI 358 18 — Sequi Christum est per subiectionem obedientiae VII 472 66 — ad sequendum humilem Christum debemus captivare sensum, affectum et intellectum in eius obsequium per omnimodam humilitatem 228 37 — Christum superbi despiciunt, sed humiles comitantur 375 51 — vocat simplicem et humilem ad suam sequelam 250 106 — Sequentibus Christum necessaria est simplicitas 249 103. 250 106

— In sequendo Christum septem sunt impedimenta VII 130 69 — Quidam nolunt sequi Christum amore praesentis prosperitatis, quidam timore futurae adversitatis VI 584 5 — Quidam negligunt sequi Christum affectione carnali, quidam sollicitudine temporali *ib.* 6 — Quidam non possunt sequi Christum propter perversitatem intentionis, quidam propter infirmitatem virtutis *ib.* 7 — Quidam simulatione ostendebat, se habere voluntatem sequendi Christum perfecte, sed duplici corde VII 249 103

— dimittit quosdam propter infirmitatem, quosdam admittit propter fidelitatem VII 207 67 — quosdam attrahit propter idoneitatem *ibid.* — quosdam repellit propter cupiditatem *ibid.* — Innocens vocatus a Christo puritate non celabat cordis affectum nec refutabat consilium, humilitate mortuo patri impendere volebat obsequium, motus obedientia divini praecepti, clementia animi et consuetudine laudabili 250 106

— Volens sequi Christum non debet vacillare affectu carnali ad suos domesticos VII 251 109 — Fundamentum spiritualis comitatus est carnalitatem omnem declinare sive ad se sive ad parentes 376 53 — Discipulatus Christi desiderandus VI 379 34 — Comitatus Christi corporalis est signum spiritualis VII 375 51

— Sequi Christum est per vitae asperitatem, rerum mendicitatem et cordis humilitatem VII 463 41 — sequi Christum est se perfecte illi configurare *ibid.* — Ad Christi perfectam imitationem non sufficit humilitas et austeritas, sed etiam necessaria est paupertas 228 38 — Nemo potest oneratus sequi Christum *ibid.* — Qui surgit expeditus a temporalibus potest Christum per viam perfectionis sequi 130 69 — Sequi Christum currentem non possumus, nisi exoneremur, nec ipsum consequi 466 48 — non vult habere comitem qui diligat terrena 249 104 — Qui diligit terrena non potest perfecte imitari Christum *ibid.*

— Sequi Christum non potest qui prius non renuntiat mundo VII 129 67. 511 32 — Non potest perfecte sequi Christum nisi qui renuntiat omnibus per contemptum temporalium 380 65 — Discipulatus Christi ex necessitate requirit renuntiationem quantum ad terrenorum contemptum *ib.* 66 — ex supererogatione requirit renuntiationem non solum quantum ad affectum, verum etiam ad rem *ibid.* — Necessarium est perfectis Christi discipulis, ut conformes sint paupertati Magistri *ibid.* — Discipulus pauperis Crucifixi non potest esse qui consilium paupertatis contemnit *ibid.*

— ad sequendum Christum debet quis ferre crucem per continuam austeritatem VII 228 37 — Qui vult sequi Christum, oportet quod voluntarie portet crucem suam ex voluntate propria, non in angaria sicut alienam 376 55 — consummatio discipulatus Christi et comitatus est in baiulando crucem *ib.* 54 — Non est discipulus qui cum cruce non vult eum sequi *ib.* 55 — Discipulus Christi per crucem dignoscitur *ibid.*

— perfecte imitandus per crucem VII 225 29 — Perfectorum est imitari passionem Christi VI 594 2 — Socii Christi sunt qui cum illo incedunt per ardua passionis 628 3 — Ad imitandam mortem Christi obligamur ex debito, allicimur promisso vitae, animamur exemplo 592 5 — Servus Christi debet eum sequi per passionis vestigia, ut, sicut imitatur in poena, sic et in gloria 418 38 — Sequentibus Christi imitatione passionis promittitur gloria VII 115 8 — Beati, qui persecutionem patiuntur propter nomen Christi VI 453 34. VII 149 54

— Turbae sequuntur Christum per planitiem mandatorum, discipuli per montana consiliorum, Apostoli per excelsa supererogationum VI 583 1 — Incipientes sequuntur Christum per viam mandatorum, proficientes per semitam consiliorum, perfecti per compendium supererogationum *ibid.* — Animae fideles sequuntur Christum in via mandatorum per fidem aspectum dirigentem, caritatem affectum attrahentem et obedientiam effectum operantem *ib.* 2 — Animae fideles sequuntur Christum per consilia per carnis mortificationem, per temporalium dimissionem, per propriae voluntatis abiectionem *ib.* 3 — Animae fideles sequuntur Christum per supererogationes excellentia puritatis cum virginibus, excellentia probitatis cum Apostolis, imitatione passionis cum Martyribus *ib.* 4

— Imitatores Christi inopia Christi divites facti sunt VII 249 105 — Imitator Christi dives est, nihil habens proprietate et totum possidens caritate *ibid.*

— Imitatores Christi debent bonum exemplum ostendendo praeire VI 384 5

Cibus — sustentat per suam substantiam et delectat per saporem VI 215 v. 21 — Ultimus effectus cibi est conservare 334 90 2* — Cibi corporales ad momentum reficiunt et deficiunt 333 85 — ex



necessitate est corporis animalis tantum, pure ex potestate est etiam corporis gloriosi et spiritualis 524 27 — A cibo aliquando contrahitur infirmitas 558 v. 46 3 — cibi non immundi 293 25 — vehementer desideratur, reficit illum qui cibatur, in corpus traiicitur 299 66

— per gratiarum actionem sanctificatur VI 321 16 — Debemus sumere cibum cum gratiarum actione et oratione 322 22. 325 39 — Consuetum est maxime clericis et religiosis ante cibum praemittere benedictionem VII 597 37 — In refectione corporali miscenda est lectio spiritualis 366 26

— carnalis non est sollicite requirendus, sed cibus spiritualis VI 325 43 — spiritualis est verbum Dei, qui dat vitam aeternam *ibid.* — corporalis non est principaliter quaerendus in operatione nec cum sollicitudine, ita ut mens absorbeatur circa terrena nec tempore indebito 327 51

— In praesenti est cibus naturalis sustentans naturam, carnalis nutriens concupiscentiam, artificialis confortans animam VI 555 1 — naturalis condigne est promerendus et modeste accipiendus quantum ad pondus et tempus et liberaliter distribuendus *ib.* 2 — In mensa concupiscentiae ministratur cibus carnalis *ib.* v. 8 — — In mensa conscientiae praeparandus est cibus spiritualis *ibid.*

— naturalis ministratur nobis in mensa naturae, legalis nobis interdictus in mensa synagogae, carnalis in mensa concupiscentiae, spiritualis in mensa conscientiae, sacramentalis in mensa eucharistiae, aeternalis in mensa gloriae VI 555 v. 8

— culpae perit, cibus gratiae permanet in vitam aeternam VI 556 1 — culpae est luxuriae, gulae, superbiae, invidiae, irae, avaritiae et acidiae *ibid.* — gratiae reddit vitam, cibus sapientiae sensum, cibus spiritualis laetitiae motum 557 2

— carnalis est fugiendus, quia est venalis, reddens egenum, pollutus, faciens immundum, male nutritivus, faciens debilem et infirmum, depauperat expellendo gratiam, polluit ingerendo culpam seu maculam, infirmat corrumpendo sive vulnerando naturam VI 556 3 — spiritualis est appetendus, quia nobilis, quia utilis, bene reficiens et confortans, quia delectabilis *ib.* 4 — spiritualis non delectat propter sensus defectionem vel eius infectionem vel eius repletionem *ib.* 5

— Ob defectum cibi non derelinquentur in via volentes tendere ad patriam VII 322 42 — Non denegabit cibum qui paratus est dare regnum aeternum *ibid.* — Ministranti cibum corporalem rependere debemus spiritualem eruditionem 366 26

— verus, caelestis et spiritualis figurabatur per manna VI 327 53 — corporalis innuit spiritualem 523 22 — significat malam delectationem 558 v. 46 3

— spiritualis interior in conscientia est cibus gratiae, sapientiae et spiritualis laetitiae, exterior in vita est cibus poenitentiae, iustitiae et patientiae, superior in

altari est cibus eucharistiae VI 557 2, 3, 4 — poenitentiae est medicinalis et est aegrotantium, cibus iustitiae est nutritivus et cibus laborantium, cibus patientiae est cibus solidus perfectorum *ib.* 3

— distribuente Domino abundat, distribuente vero homine esurit populus VI 565 1

— a corpore glorificato susceptus statim consumitur virtute spirituali VI 524 28 — Corpus glorificatum habet potestatem comedendi, sed non necessitatem *ib.* 27, 28

Cicatrix — Cicatrices manserunt in corpore Christi divina dispensatione, non ex impotentia, sed ut signum triumphi et misericordiae exhibitae et ad confusionem damnandorum VI 517 64 — Cicatrices Christus servavit quatuor de causis VII 600 52

Cingere — Anima fidelis debet praecingi pelle mortificationis in carne, fune observantiae regularis in conversatione, linteo castitatis in mente, zona aurea caritatis ubique VI 598 3 — Praecingi debemus linteo munditiae, ut Deo ministremus, accingi gladio iustitiae, ut diabolum expugnemus, succingi tunica passionis mundanae, ut mundum contemnamus *ib.* 1 — Praecingendi renes, lumbi et pectus per munditiam affectionis et continentiam carnis et munditiam cogitationis *ib.* 2

Cinis — minutus et amarus significat peccatorum singulorum recordationem et contritionem VI 565 3 — praefert mortis imaginem VII 260 23 — et cilicium arma sunt poenitentium *ibid.*

Circuitus — Quae in circuitu currunt ad finem non perveniunt VI 13 v. 7 — Mali circumeunt sine requie *ibid.* — Spiritus sanctus dicitur ire in circuitu, quia nos facit circuire VI 13 b — Considerandus circuitus miseriae, circuitus gratiae et gloriae *ibid.* — gloriae est in consideratione, quod omnia a Deo et ad Deum *ibid.*

Circulus — finem non habet VI 13 v. 7 — In rebus falso ponitur circulatio secundum egressum, qua omnia renoventur 17 q. 3 arg. 3 — Motus circularis potest continuari 148 v. 17

Circumcisio — erat praescripta in lege vetere VII 35 108. 54 45 — primo fuit praecepta Abrahae VI 345 30. 346 34, 35 — fiebat in octavo die ad designationem octavae aetatis VII 55 48 — danda erat Sabbato VI 345 30. 346 33

— erat figura circumcisionis ab omni culpa et miseria, quae erit in resurrectione VII 55 48 — fuit signum in remedium 575 38 — erat quasi cauterium latronum *ibid.*

— erat ad distinguendum VI 344 25 — praecipue data est ad distinguendum populum, de quo nasciturus erat Christus, a nationibus 346 35 — est signum fidei Abrahae, meritum obedientiae, distinguit populum, medetur originali, significat octavam resurrectionis, docet castitatem *ibid.* — ante manifestationem Evangelii habebat effectum suum 281 19

Circumspectio — Defectus circumspectionis circa hostem considerandus et plangendus VI 271 13

Cisterna — Per cisternam intelligitur congregatio opulentiae mundanae VI 97 v. 7

Civis — Naturale est cives civibus invidere VII 101 51 — Cives, qui oderant Christum, sunt Iudaei, qui potius debuerint eum diligere 479 21 — in regione dissimilitudinis et peccati est ille qui in peccato mansionem perpetuam collocavit 392 27 — inter hos cives unus et primus est ipse diabolus *ibid.* — unus est qui concupiscentiis terrenis merito pravitatis suae praepositus, princeps mundi vocatur *ibid.*

Civitas — significat sedem potentium VI 144 v. 24 — est mundus 572 3 — Per civitatem intelligitur Ecclesia 78 v. 15. VII 543 15 — Ecclesia est civitas parva per humilitatem VI 78 v. 15 — Per decem civitates intelliguntur animae beatificatae aut per verba Legis ad gratiam Evangelii pervenientes VII 482 28

— Secundum convenientiam in legibus et moribus consistit unitas civitatis VI 3 1 — Ex amore caritatis et libidinis oritur civitas Ierusalem et Babylonis *ibid.*

— Egressio de civitate significat egressum vitae saecularis et ingressum religionis VII 111 93 — Qui volunt doceri a Christo debent relinquere civitatis tumultum VI 297 50

Clamor — est impatientiae et contentionis et clamor affectuosae praedicationis VI 348 44 — Ad orationem clamosam stultus non attendit 79 v. 17 — sanctae praedicationis excitat 588 v. 11

Claritas — est dos quantum ad substantiam corporis VI 127 v. 7 — est praecipua dos resurgentium VII 233 51 — in gloria est dispar VI 477 46

— Deus non clarificatur in se, sed per manifestationem gloriae suae VI 528 49 — Deus clarificatur in homine suam claritatem homini revelando, per hominem, cum per illum aliis propalatur; sed non clarificatur ab homine ut dante vel augente Dei gloriam 318 80 — Homini iusto communicatur claritas sapientiae, gratiae, famae et gloriae 611 4

Claudus — designat deordinationem in prosequendo VII 177 46 — sunt qui peccant per impotentiam VI 305 14 — peccant per impotentiam 560 v. 3 1 — Claudicatio est inordinatio in effectu *ib.* 2

Claustrum — est monumentum, in quo homo spiritualis debet sepeliri VI 619 1

Clausurae — exteriores conveniunt contemplativis VI 22 v. 8

Clavis — errat et non aperit, quando solvit quod Deus non vivificavit, vel minus ligat, quam sit ligandum VI 514 49 3* — Potestas clavium data Apostolis ad dimittenda peccata 513 43. VII 170 18

Clementia — Clementiae dulcor debet esse respectu naturae VII 242 81 — Qui refugit legem clementiae cadit in legem iustitiae 281 15 — requiritur in praelato VI 578 5 — quae attribuitur Spiritui sancto omnia conservat 182 v. 21

Clericus — non debet gerere bellum VII 77 34 — Clerici Christum in Scripturis agnoscunt et manibus contrectant in Sacramentis, et tamen minus credunt et venerantur quam mulieres et laici 299 69 — Clerici debent suppeditare amorem privatae excellentiae 550 37

— Christus maxime damnabit in clericis avaritiam et potissime simoniam VII 498 70 — Magni clerici, cum non habent quod volunt, facillime indignantur VI 19 v. 18 — Non decet clericum vestiri ut mulierem vel ut histrionem VII 416 38

Coactio — exterior violentiam ponit VI 331 79 1*

Coccus — deputatus est ab Hebraeis igni et aetheri VI 227 v. 24

Coena — erit in futura resurrectione VI 523 22 — est in gloria 545 3 — praeparata a Christo est refectio aeterna, summa et ultima VII 370 36 — magna dicitur, quia inaestimabilis et interminabilis *ibid.* — Ad hanc coenam multi sunt invitati per fidem, sed pauci electi propter severitatem iudicii *ib.* 37 — Hora huius coenae est finis saeculi, hoc est tempus sextae aetatis *ib.* 38 — Ad coenam praedicatores invitant per internum desiderium et devotionem *ibid.*

— Ad coenam excitant per considerationem praemiorum VII 371 39 — repulsis superbis, acceptantur humiles 373 45 — Ad coenam nullus pertingit nisi humilis 374 50 — reservatur timentibus Dominum *ibid.* — Ab hac coena repelluntur superbi 375 50

— triplex paratur in triplici paschate VI 597 2 — spiritualis paratur per gemitum compunctionis internae VII 431 19 — gratiae paratur interius in thalamo conscientiae, eucharistiae exterius in tabernaculo Ecclesiae, gloriae superius in palatio gloriae VI 597 1 — gratiae pertinet ad incipientes, eucharistiae ad proficientes, gloriae ad pervenientes *ibid.* — In coena gratiae homo debet ponere de suo opera virtutum, Christus de suo dona gratiarum *ibid.*

Coenaculum — Per coenaculum intelligitur anima sancta VII 543 15

Cogitatio — Cogitationes sunt intellectivae cordis et memorativae mentis VII 267 48 — immittuntur in cor a sensibus VI 585 1

— significat opera interiora VI 145 v. 4 — delectans comparatur ovium sono suavi 221 v. 18 — Cogitandum est de Sapientia non simplici cogitatione, sed affectiva 148 v. 16 — bona habet merita 71 v. 1 — omnes sunt in Deum referendae per dilectionem VII 267 48 — sunt rectificandae 72 11

— mala ab homine est, sed bona a Deo VI 228 v. 3 — mala pervertit hominem 18 v. 15 — Cogitationes perversae fidei et morum separant a Deo 112 v. 3 — Cogitationes in malo induratae sunt insensatae 180 v. 16

— ligatur per peccatum, ut peccator non valeat de Deo recogitare VI 593 v. 44

— Non agnoscentes Deum sunt vani vanitate cogitationis 102 v. 1 — erronea est inordinatio in corde 42 a — erronea est credere, quod non sit qui reprehendat 42 a. 44 v. 7. — Spiritus sanctus aufert se a cogitationibus falsis et erroneis 113. v. 5 — Iniquus est in cogitatione qui temere iudicat VII 161 96 — Deus est inquisitor infallibilis cogitationum de corde exeuntium VI 114 v. 6 — In cogitationibus minus peccatum est quam in sermonibus *ib.* v. 8

— occultae oculis Dei sunt apertae VII 138 14 — In auribus Dei cogitare est loqui *ib.* 16 — In cogitatione infirmitas spiritualis occasionatur VI 585 1

— Paucae sunt cogitationes nostrae, quarum non apparent aliqua signa VI 87 q. 1 — Nec daemones, nec etiam boni Angeli possunt cognoscere cogitationes nostras occultas nisi in Verbo *ibid.* — Deus solus cognoscit cogitationes nostras occultas *ibid.* — Daemones cognoscunt occultas cogitationes nostras, in quantum per signa manifestantur *ibid.* — Cogitationes hominis sciri possunt scientia coniecturae, non certitudinis 155 v. 20 — Cogitationes hominum sciri possunt ab homine per revelationem, non per naturam vel propriam industriam *ibid.*

Cognatio — spiritualis cum Christo melior est quam carnalis VII 297 62 *Vide v. Proximus.*

Cognitio — altera est necessaria et infallibilis, altera probabilis et per signa VI 73 q. 2 — In homine est vis cognitiva 15 b — Rerum rationes sunt difficiles ad inveniendum *ib.* v. 8 — Sensus non fallitur in cognitione sensibilium 16 q. 1

— Cognoscere est vel semiplene vel perfecte VI 16 q. 1 — Perfecte cognoscere est cognoscere substantiam, virtutem, operationem et causas, et rationes horum *ibid.* — Semiplene cognoscere est cognoscere secundum accidentia vel aliquam operationem *ibid.* — imperfecta est communis nobis et brutis *ibid.* 1*

— supponit vitam VI 74 v. 5 — Ad cognitionem requiritur quaedam stabilitas in rebus 54 q. 3 — est vel per inventionem vel per doctrinam 16 q. 2 — Praecellunt in actu cognitionis viventes mortuos 74 v. 5 — Substantia quanto liberior a corpore, tanto magis idonea cognitioni 75 q. 1 — Mortui sunt magis apti ad cognoscendum *ibid.*

— Dicimus, nos cognoscere aliquem ex visu et magis ex colloquio et maxime ex obsequio VI 602 3 — Homo non venit ad perfectam cognitionem rerum propter dubitationem 33 v. 11 — Non scitur aliquid perfecte, nisi cognoscatur eius oppositum 19 v. 17 — Non habemus cognitionem per diuturnitatem, sed per experientiam 51 v. 6

— Tentare aliquid est cognoscere per experientiam vel per examinationem, approbationem et reprobationem VI 63 q. 1 — utilium melior est cognitione absconditorum 53 v. 9 — Homo potest cognoscere naturas rerum saecularium 194 v. 8 — Rerum mutabilitatem et causam et originem non possumus cognoscere 34 9 — non ens simpliciter cognosci potest, in quantum habet esse in causa 7 b — Quae sunt essentialiter in anima melius cognoscuntur, quam quae sunt secundum speciem 72 q. 2 — Certi sumus de his quae cognoscimus secundum speciem *ibid.* — In cognitione sensibilium et principiorum non contingit errare 16 q. 1 arg. 2 — Homo cognoscit occulta relatione tantum 277 38 — Habitus in anima non cognoscuntur nisi per hoc, quod anima se videt habilem ad aliquem actum 73 q. 2

— Deus homini non dedit cognitionem omnium rerum VI 33 v. 11 — Nemo potest nimis cognoscere, sed perscrutari bene potest nimis 61 q. 2 — Praesumtio spiritus est velle cognoscere quae Deus in sua providentia disposuit 53 v. 9 — Pauca nobis sunt cognita *ib.* v. 11 — Homo habet satis facere de cognoscendo propria mala vel communia *ib.* v. 1 — est vel certitudinis vel aestimationis 54 q. 1 — omnis fit illuminatione lucis 249 12

— Nostra vis rationalis libenter luxuriatur in cognitione terrenorum occupatione culpabili vel poenali propter peccatum primi parentis VI 18 v. 13 — Propter curiositatem in cognitione terrenorum homines immemores sunt suae salutis *ibid.* — Quanto homo melius cognoscit bona et mala, tanto magis affligitur, quando errat 19 v. 17 — In rerum utilium cognitione est labor ad acquirendum et afflictio post acquisitionem *ibid.*, 18 — veritatis occasionaliter contristat propter immunditiam conscientiae propriae, vel propter aspectum perversitatis alienae 21 q.

— divina dicitur liber VII 263 65 — simplicis notitiae dicitur liber simpliciter *ibid.* — cognitio approbationis dicitur liber vitae *ibid.*

— In cognitione Dei ad faciem necessario intelligitur dilectio VI 469 11 — speculationis attribuitur Filio, experientiae et devotionis unctioni Spiritus sancti 460 25

— Deus sensu cognosci non potest VI 192 v. 1 — Deus ex creaturis facile cognosci potest *ibid.* — Creator cognosci potest per creaturarum pulcritudinem et virtutem 193 v. 2 — Deus potest cognosci per mundum ut per effectum 252 25 — Nullus cognoscit Deum cognitione certitudinis et claritatis per speciem, nisi sit comprehensor, cognitione certitudinis per aenigma nullus nisi fidelis, cognitione aestimationis cum cognoscunt infideles et multi mali 457 8 2*

— Anima potest cognoscere in se ipsa effectum Dei, quamvis non plene cognoscat, a quo est VI 331 78 — Deus cognoscitur per fidem quasi per visum ab omnibus credentibus, per caritatem quasi per colloquium a contemplativis, per obedientiam quasi per obsequium ab activis 602 3

— Est cognoscere Deum in se et in suo effectu. VI 255 43 — Cognoscere Deum in effectu est videre per speculum *ibid.* — Nos videmus Deum per speculum obscurum propter peccatum et in aenigmate 256 43 — De divina sapientia non possumus cognoscere, quid sit, sed qualis sit 150 v. 24

— Beati cognoscunt Deum aperte VI 131 v. 18 — Deus in se clare cognoscitur a se et a Beatis, in caligine a sublimiter contemplantibus 256 43 — Nemo vidit Deum 255 39 — Deus videtur a solis bonis 476 43 — Mali non cognoscunt Deum *ib.* 44 — Mali cognoscunt Deum notitia simplici, sed non notitia approbationis 477 49

— In cognitione Divinitatis consistit gloria aeterna VI 149 v. 20 — Sine cognitione non potest recte perveniri ad vitam, Christum 52 v. 9 — Dei per fidem formatam est perfectio iustitiae in praesenti 205 v. 3

— de Deo est per fidem VI 192 v. 1 — Cognitioni Dei obstat caecitas peccati *ibid.* — Credentes cognoscunt Deum quasi per visum 602 3 — Deus non cognoscitur a non credentibus, a non diligentibus et a non obedientibus 602 4

— Error circa scientiam Dei est error in fide VI 201 v. 22 — Vere nosse Deum est mandata eius custodire 370 79

— necessaria et infallibilis de statu gratiae hac in vita non habetur nisi per revelationem VI 73 q. 2 — probabilis de statu gratiae habetur per signa probabilia *ibid.* — Ad salutem necessaria est notitia praemiorum, suppliciorum et praeceptorum VII 147 49 — delicti primo requiritur ad curationem peccatoris 169 13 — perspicua veritatis perditur ab haereticis 163 102 — Defectus cognitionis plangendus VI 271 13

— non excusat peccatum, immo magis aggravat VI 46 q. 4

Cohors — gentilium ad comprehendendum Christum VI 478 4. 479 9 — est multitudo militum in societate constituta sub tribuno 480 20

Colere — Otiosi nolunt unum verum Deum digne colere VI 199 v. 14

Collocutio — est laudabilis, si est de bona materia VII 592 19

Coloni — sunt duces et proceres synagogae VII 504 12. 505 15 — sunt operarii, qui ad colendam vineam variis horis diei sunt conducti *ib.* 12 — in Ecclesia sunt episcopi et sacerdotes *ibid.* — debent spinas incendere, tribulos eradicare, semina bona spargere *ibid.* — sunt sacerdotes, qui curam populi susceperunt *ibid.* — non acceperunt servos Domini 505 15 — debent coloniam diligentissime exercere, quia ad hoc instituti sunt 504 12 — sunt operarii, qui ad colendam vineam hora prima, tertia, sexta et nona sunt conducti *ibid.* — Colonus paradisi de possessione sua a muliere fuit eiectus 519 55

Columba — est simplex animal, mansuetum et fructuosum VI 261 70 — est maxime cultrix caritatis VII 53 83 — est figura innocentiae, mansuetudinis cum gratia

unctionis *ibid.* — post diluvium attulit ramum virentis olivae *ibid.* — Columbae sunt dona Spiritus sancti VI 274 25. 275 29 — minus dehonestabant templum 275 29 — designat personam Spiritus sancti VII 83 53 — Sub columbae specie Spiritus sanctus apparuit in baptismo Christi et illabitur incipientibus *ibid.* — specialiter ostendebat Spiritum sanctum VI 261 69

— Per columbam intelligitur vita activa VII 57 54 — gemitum habet pro cantu *ib.* 57 — Gemitus columbae competit activis *ibid.* — Gemitus columbae est duplex, unus pro peccatis propriis, alter pro alienis *ibid.*

Collyrium — quod humores restringit, significat carnis mortificationem VI 580 7

Columna — ignis et nubis significat sapientiam VI 153 v. 12. 176 v. 17 — ignis Hebraeos concomitans de nocte non affligebat sive non urebat 232 v. 20 — Per columnam nubis intelligitur in Christo exemplum vitae, per columnam ignis eloquium doctrinae 621 2

Comedere — pertinet ad iucunditatem exteriorem VI 48 v. 17 — Comedens fruitur bonis de labore suo 33 v. 13 — est credere 328 57 — est intelligere difficilia de Scriptura 33 v. 13

— Comedendum est hora debita post negotia expedita VI 86 v. 17 — Comedendum est ad reficiendum, non ad luxuriam *ibid.*

Commensuratio — Nulla creatura potest in aliquo statu Deo commensurari VI 536 8

Comminatio — est poenalis vindictae VII 73 14 — potest esse de praesenti et de futuro 74 20, 21 — Per comminationes movetur irascibilis 90 5 — Christus comminatur quatuor vae quatuor generibus malorum 151 58

Commixtio — diversorum prohibita erat in Lege VII 133 83

Commodare — *Vide v. Mutuum.*

Commodum — Malorum quilibet quaerit proprium commodum VI 476 42 — Nemo reportat commodum de malitia sua 45 q. 1 1*

Commotio — humanae mentis per inspirationem divinam ad dolorem sanat infirmos VI 560 1

Commune — Secundum esse commune multa sunt perpetua VI 34 q.

Communicatio — idiomatum est propter convenientiam in una hypostasi VI 381 53 — mala infirmis prohibetur, ne corrumpantur VII 131 74

Comparatio — abusiva VI 57 v. 9. — Nemo se aliis comparare praesumat VII 364 20

Compassio — vera illa est, in qua vulneratur compatiens, non in qua damnificatur miser VI 84 q. — interna exhibenda omnibus VII 155 71 — oritur ex consideratione defectus fratrum VI 319 11 — causatur ex consideratione proximi 586 2 — Tristitia compassionis accidit homini ex consideratione proximi 607 1 — Compassionis unguentum conficitur ex speciebus amarissimis, id est omnibus miseriis proximorum VII 586 72 — Nullus sine compassione debet praefici VI 319 11

— Dolor compassionis invenitur in passione Christi ex amaritudine VI 613 4 — Per spiritualem compassionem communicatur calici Christi *ibid.* — Compati Christo est laudabile 463 36 arg. 1, b — Nullus compatiendo recordatus est Christi 78 v. 15

— est unguentum, quo ungitur totum Domini corpus VI 412 10 *Vide v. Mulieres.* — cum Christo significatur per unctionem pedum et capitis 593 v. 3 — Anima compatitur Christo ex consideratione afflictionis humanitatis et dignationis Divinitatis *ibid.* — est vinum gratiae 547 5

Compendium — dicitur via supererogationum VI 583 1

Comprehensio — est per inclusionem, per apertam visionem, per fidei et caritatis adhaesionem VI 250 16 2* — Deus a nullo comprehenditur per inclusionem, a Beatis per apertam visionem, a Sanctis per fidei et caritatis adhaesionem *ibid.* — Comprehensores vident in claritate 324 33 — est per inclusionem vel commensurationem, vel per apertam visionem, vel per fidei et caritatis adhaesionem 536 8 — Deus a nulla creatura comprehenditur per inclusionem *ibid.* — Nullus miser Deum comprehendit aperta visione 537 8 — Deus non comprehenditur a peccatoribus per adhaesionem fidei et caritatis 250 16 2*. 537 8 — lucis erit in futuro 358 18

Compunctio — ortum habet ex consideratione proprii peccati VI 319 11 — datur a Deo 271 13. 304 12 — convertitur in dulcedinem devotionis 271 13 — Post compunctionem sequitur devotio VII 432 19 — Per gemitum compunctionis internae quilibet convivium parat 431 19 — est vinum gratiae VI 547 5 — non est in superbis 304 12 — peccatorum necessaria ad sanationem 560 1

Computare — est praevidere per sollicitam considerationem VII 377 58

Conceptus — Modus concipiendi unus est carnalis, alius spiritualis et tertius admirabilis et singularis VII 24 60 — Conceptum sine libidine sequitur partus sine parturitione et dolore *ib.* 55

— sterilium praecessit conceptum Virginis ad istum figurandum, praenuntiandum et testificandum VII 26 65 — Salvatoris fuit in fecundatione Virginis, Deo efficiente, Angelo nuntiante et Virgine consentiente 20 40

— Anima peccatrix concipit per peccati concupiscentiam VII 532 36

Concionator — dicitur ratione sapientiae VI 17 v. 12 — esse non potest quis, nisi sit sapiens 9 v. 1

Concordia — Per concordiam caritatis homo unitur cum proximo VI 609 3 — fratrum commendatur *ib.* 4. VII 142 32 *Vide v. Unitas.* — Parvae res crescunt concordia VII 291 44 — mirabilis in discipulis Christi VI 475 39

Concupiscentia — est malum culpae, sed habet iucunditatem VI 27 v. 24 — Causalitas concupiscentiae non fuit a Deo, sed a primo peccato 63 v. 30 — originem habet ab infectione naturae VII 128 60 — propter peccatum originale fuit nobis inflicta 176 45 — Per originale peccatum omnes in puteum concupiscentiae lapsi sumus VII 301 13 — A puteo concupiscentiae Christus nos extrahit die sepulturae suae *ibid.*

— est poena peccati et occasio VI 62 a — est periculosa *ibid.*

— carnis significatur per languorem aegritudinis VII 172 32 — intelligitur per languorem propter adhaerentiam universalem 176 45 — est febris calida et putrida VI 301 82 — modo hominem inquietat per calorem, modo per frigus *ibid.* — significatur per hydropisim VII 361 11 — carnalis significatur per statuam salis VI 173 v. 7 — reddit tremulum sicut paralysis VII 128 60

— est ignis accendens motus in sensualitate VI 629 10 — Concupiscibilis inflammatio assimilatur scintillae 120 v. 5 — male inficit sensum spiritualem 556 5 — Uniri carnali concupiscentiae non decet spiritum ad imaginem Dei creatum 546 9 — Homo unitus carnali concupiscentiae per consensum machinatur in mortem conscientiae *ibid.* — Desponsans concupiscentiam excluditur a convivio gloriae 547 12

— blandiendo decipit, rapit ornatum virtutum, excaecat, ne statum cognoscat, vincit pronitate ad malum et difficultate ad bonum et inducit peccandi consuetudinem VI 579 6 — Qui concupiscentias insequuntur non merentur accipere a Christo, quia statim acceptum in lutum proiicerent 540 9

— Carnales concupiscentiae sunt in mundo relinquendae VII 444 54 — honorum, divitiarum et voluptatum refrenanda exemplo Christi crucifixi VI 618 2 — prohibenda a voluptate 23 v. 10 — In iuventute homo non debet sequi concupiscentiam cordis 91 v. 9

— Propter concupiscentiae ardorem positus est flammeus gladius ad custodiendum lignum vitae VII 83 52

— carnis dicitur uxor, propter vehementem libidinis adhaesionem VII 372 43 — mundana est hortus, quem facit diabolus in homine, et in quo Christus persecutionem patitur VI 612 a — Per carnalem concupiscentiam sitienti dulcedinem voluptatis diabolus propinat amaritudinem mortis 617 7

— In concupiscentia est sitis non habiti, ut habeatur VI 293 27 — non finitur nec satiatur 63 v. 30 — nunquam satiari potest VII 361 11

— Quod concupiscimus diligimus, cum habemus VI 149 v. 18 — Quando concupiscit quis rem alienam, anima sua quasi concepisse videtur, et si rem potuerit obtinere, quasi natum filium nutrire videtur VII 532 36

— facit hominem inconstantem VI 135 v. 12 — est generalis et regnat in omnibus 62 v. 28. 64 q. 2 — deducit a Deo 230 v. 11 — est mater perfidiae VII 329 65

— cito transit VI 92 v. 10 — Concupiscibilia transeunt 140 v. 9

— sapientiae est aliqua pars sapientiae VI 149 v. 18

— vana triplex est VI 149 v. 18 — Ex concupiscentia deliciarum, divitiarum et honorum oritur triplex infirmitas 629 8 — Ex triplici concupiscentia manat universalis transgressio et perpetratio peccatorum VII 454 18

— honorum, divitiarum et voluptatum illudit peccatori VI 617 6 — Concupiscentiae vehemens pronitas perducit ad maximam amaritudinem sub specie dulcedinis 62 v. 27 — pertrahit ad nefarii operis perpetrationem *ibid.* — Ardor concupiscentiae inducit ad lapsum culpae 613 4 — Quamdiu regnat concupiscentia, oportet, quod sint lites et bella VII 526 15

— Tempore Christi rari inveniebantur a concupiscentia immunes VI 64 q. 2 — Christus solus evasit a corruptione concupiscentiae originalis 63 v. 29. 64 q. 2 — A concupiscentia nullus eripitur, nisi qui ambulat cum sapientia 64 v. 30 — Nemo liberatur a concupiscentia nisi auxilio divinae sapientiae 62 a — carnalis curatur sale sapientiae 173 v. 7 — A concupiscentiae pronitate nullus eripitur, nisi qui a Domino iuvatur 63 v. 27 — Diabolus impugnans per concupiscentiam expugnatur gladio mortificationis carnis 612 2 — oculorum vincitur per temporalium dimissionem 584 3

— Concupiscentiae servus potest facere, quo facto habeat gratiam, per quam habeat posse domandi concupiscentiam VII 372 43 — Ardore concupiscentiae cessante, homo spiritualiter mundatur VI 600 4

Concupiscibilis — movetur per promissiones VII 90 5 — movetur praemio 157 82

Condemnare — est actus severitatis in iudicio VII 158 86. 159 87 — Qui condemnantur a lapide Christo conteruntur 509 24

Condire — Homo spiritualis ad imitationem Christi debet condiri unctione Spiritus sancti VI 169 1

Conditio — Operatio conditionis est supra naturam nec cadit sub tempore VI 17 q. 3 — Opus primae conditionis consistit in creatione eorum quae spectant ad complementum universi et includit creationem, distinctionem et ornatum 308 34

Confessio — oris cum omissione operis est simulata VII 163 105 — Voce confessionis fideles cognoscuntur VI 583 9 — — Verbum confessionis Dei aufertur morte culpae 558 v. 47 1, 2. 589 7 — veritatis gloriam Deo facit 378 30 — Veritas constanter confitenda 256 46

— Confessio nominis Christi magnam recompensationem habet VII 314 14 — Christus confitebitur confitentem se *ibid.* — nostra est modica et momentanea *ibid.*

— non tantum est culpae, sed etiam fidei verae et laudis divinae VII 264 36 — Christus exigit fidei confessionem VI 401 37. 402 44

— Cadentes a fide cadunt a confessione fideli VI 95 v. 7 — vera est in publico *ibid.* — Ore confiteri debemus Deum propter beneficentiam misericordiae eius 209 v. 19 — Deus confitendus per bona opera VII 145 40. 147 47

— Nullus recordatus est Christi in ore confitendo VI 78 b — Confessio Christi facienda est corde, ore, opere, ut sit plena VII 313 12 — Qui confitetur veritatem, quam Christus docuit, Christum confitetur sive in fide, sive in moribus 314 13

— Per confessionem peccati peccator procedit de sepulcro VI 406 63 — Sacramento confessionis oves educuntur 583 11 — In confessione peccatorum tollitur lapis, antequam mortuus suscitetur 591 2 — In confessione mortuus spiritualiter post suscitationem solvitur *ib.* 3 — Per confessionem peccator suscitatus incipit loqui VII 172 32

— curat omnem morbum atque languorem VII 435 29 — sacramentalis purgat peccata VI 604 v. 2 2 — In confessione potestas sacerdotalis solvit peccatorem 406 63 — Pudor confessionis mundat peccatorem sicut scopa 600 4 — Ad sacramentalem confessionem Dominus nos ligat, quamvis mundet per interiorem contritionem VII 121 31 — tempore veritatis revelatae est de praecepto *ibid.*

— Confessionis verae est non solum confiteri peccati impietatem et peccantis indignitatem, sed etiam implorare pietatem VII 394 31 — debet esse vera et humilis, ut sic recognoscatur gravitas peccati, indignitas peccantis, et imploretur misericordia *ibid.* — In confessione debet homo confiteri cum planctu, nude et aperte VI 31 v. 8 — impeditur per malum pudorem 593 v. 44 1

Confessor — commendatur quantum ad declinationem mali, ad operationem boni et ad exspectationem optimi VII 325 52, 55 — commendabiles exstiterunt in fidelitate et prudentia, auctoritate et vigilantia seu diligentia 328 62

Confidentia — respicit irascibilem VI 457 10 — vera non innititur propriis viribus, sed divinis VII 115 10 — est spei VI 402 45 arg. 2 — complectitur fidem et spem *ibid.* — Confidentiae est impetratio miraculi *ibid.* — insinuat desiderium 396 13

— iustorum in iudicio ex septem rationibus exsurgit VI 137 v. 1 — Iusti sunt confidentes propter iustitiam 220 v. 12 — Confidentes in Deum videbunt veritatem in gloria 128 v. 9 — fidei reperitur in paucis VII 452 12

— impunitatis oritur ex iudicis misericordia, ex eius ignorantia et ex eius impotentia VI 113 b — Defectus confidentiae auget timorem 220 v. 12

— Confidens in propria iustitia peccat propter defectum humilitatis VII 452 14 — in propria iustitia est verae iustitiae inimica *ibid.* — in propria iustitia est contra Deum superbire *ibid.* — Confidit quis in se tanquam iustus, quando se iustum reputat ex suis operibus *ibid.* — Confidere in se ipso est malum VI 485 47 — Confidendum non est de proprio statu VII 553 45

Confirmatio — Quod confirmatur ad perfectionem tendit VI 524 30

— insinuata et figurata fuit in parvulis a Christo benedictis per manuum impositionem VII 458 27 — In sacramento confirmationis datur copia gratiae et benedictionis *ibid.* — Apostoli confirmati sunt in descensu Spiritus sancti VI 514 50 *Vide v. Liberum arbitrium.*

Conformitas — voluntatis cum Deo est per gratiam VI 369 72. 377 22. 429 27 2*. 476 43 — Per conformitatem voluntatis homo unitur cum Deo 609 3

Confusio — vel minuit gloriam Dei propter nostram vel minuit nostram gloriam et manifestat ignominiam ad divinam gloriam manifestandam VI 374 11

Congregatio — Melior est vita in congregatione quam solitaria VI 40 q. — bona est ad studium veritatis, ad exercitium virtutis et ad praemium felicitatis VII 80 43

Consanguinei — Pro consanguineis carnalibus non est cura habenda VI 273 17

Conscientia — Fere omnes conscientiae distortae formantur ex falsis assumtionibus VII 309 100 — Per falsas conscientias homines a regno Dei eiiciuntur *ibid.* — mala est thesaurus malus, a quo mala producuntur 163 104 — bona est domus 164 107

— multum affligit peccatorem in praesenti VI 139 v. 7 — arguit peccatorem 606 1 — accusat peccantem 573 2 — Via peccantium difficilis est in progressu propter remorsum conscientiae 140 v. 7 — peccatrix est mare interius propter sui inquietudinem 566 2 — Conscientiae remorsus est poena spiritualis interior 182 v. 21 — Remorsus conscientiae est poena, quae infertur in praesenti pro culpa 547 4

— fidelis est hortus, in quo Christus invenitur VI 612 a — quieta est domus contemplativorum 22 v. 8 — Puritas conscientiae necessaria est viris contemplativis 74 v. 10 — omni tempore munda esse debet 75 v. 10 — Ad munditiam conscientiae sequitur interna laetitia *ibid.* — cum est recta, non dictat homini nisi iustum 68 q. 1

— bona et pia vocatur venter VI 350 56 3 — est vultus, quo animae cognoscuntur 583 9 — est piscina aquae, in cuius commotione per compunctionem sanatur infirmus 560 1 — est mare, quod Dominus dividit in scissione cordis per contritionem 566 3

— Conscientiae sunt sicut tenebrae VI 221 v. 20 — significatur per secretum cubiculi 86 v. 20 — Per conscientiam redimus de cura exteriori ad interiorem 164 v. 16 — est testificator 219 v. 10

— perturbatur peccato vel peccati remorsu VI 219 v. 10 — naturaliter remurmurat VII 334 84 — testatur, quod mala nostra non remanebunt inulta *ibid.* — non accusat, dimissa culpa VI 573 3 — ex ipsa sollicitamur ad divinam gratiam promerendam VII 335 84

Consecratio — *Vide v. Eucharistia.*

Consensus — Liberum arbitrium non consentit, nisi excitetur a Deo VI 291 14.

324 37 — sequitur vocationem 453 30 — Per consensum aperitur porta gratiae 597 1

— In consensu consummatur peccatum interius VI 399 30 — In consensu homo moritur *ibid.* 585 1 — Per consensum moritur peccator in domo 406 63 — Impietas est in corde per consensum iniquitatis 118 b — In consensu peccator occiditur interius quasi in thalamo 563 2 — Peccantes in consensu significantur per puellam mortuam in domo 593 v. 44 2. VII 172 32

— Per consensum pravae voluntatis homo subiicitur diabolo VI 427 14 2* — ratificat matrimonium culpae 545 4 — in perpetrationem peccati figuratur per aquam decurrentem 221 v. 18 — malus polluit quasi immundus cibus 599 3

Conservatio — Deus continet omnia sua potentia conservando VI 114 v. 7 — est effectus bonitatis Dei 204 v. 1 — Operatio conservationis est supra naturam nec cadit sub tempore, sed supra 17 q. 3

— Opus conservationis consistit in transmutatione et propagatione et animarum creatione VI 308 34 — Res non possunt conservari in se ipsis, quia natae sunt per naturam corrumpi *ibid.* — Conservari a malo non est sine continuo subsidio gratiae 474 34

Consideratio — est diligenter undique circuire et lustrare universa in animo VI 62 v. 26 — provida deest in stulto 85 v. 14

— nostra nihil potest immutare circa divinorum operum immutabilitatem VI 33 v. 14 — Non debet homo considerare ea quae excedunt suae considerationis possibilitatem 54 q. 2 — Animus transferendus ad considerationem sapientium, relicta consideratione stultorum 20 v. 3

— Ex diversis considerationibus homo cadit ab una meditatione in aliam VI 49 q. 2 — Quinque considerationes sunt quinque panes 319 11 — A consideratione retrahit defectus potentiae, sapientiae et pacis 17 v. 12 — In considerando est labor et afflictio spiritus 20 v. 1

— Considerator incautus malitiae alienae ruit ad inobedientiam, locutionis stultitiam, cogitationem erroneam VI 42 a — Consideratio defectuum inducit compunctionem 271 13

— Omne, quod agimus, praevenire debemus per studium considerationis VII 377 58

Consilium — Semita consiliorum ducit ad Christum VI 563 5 — evangelica perducunt animam ad perfectionem praecipuam VII 523 8 — Per consilia itur quasi per montana et per semitam VI 583 1 — triplex respicit carnis mortificationem contra concupiscentiam carnis, temporalium dimissionem contra concupiscentiam oculorum, propriae voluntatis abiectionem contra superbiam vitae 584 3 — divina sequenti non deerunt necessaria 554 47

— disponit ad intellectum VII 474 7 — salutare semper perquirendum est ab uno sapientissimo Christo et summo magistro 461 36 — bonum semper habendum secum VI 40 v. 12

Consolatio — fovet mutuo VI 40 v. 12 — animae designatur in sedatione tempestatis maximae VII 200 43, 45 — ad consolationem animae est necessaria oratio, devotio et Dei honorificatio 201 45

— Defectus consolationis est quaedam solitudo VI 40 q. — divina obtinetur in solitudine 569 v. 15 — hauritur a fonte spiritualis laetitiae 555 3 — Spiritus sanctus consolatur spe veniae 443 36

— Consolationes supernas habere non possumus nisi per donum gratiae divinae VII 539 58 — Deficiente consolatione exteriori, adest interior VI 608 3 b — promittitur tristatis ex caritate 608 2 a — divina promittitur desolatis 458 13. 460 24 — semper admixta est tristitiae spirituali 607 2 — Aquae consolationis spiritualis appetendae 627 9

— danda plorantibus VI 37 v. 2 — Tota Trinitas consolatur animae partem rationalem intelligentia, concupiscibilem laetitia, irascibilem pace et confidentia 457 10 — Anima in praesenti habet consolationem ex exspectatione bonorum aeternorum et ex experientia spiritualium, qua sustentatur in adversitate temporali et reficitur in prosperitate spirituali 566 8

— Nulla consolatio in absentia Christi VI 508 21 — Defectus internae consolationis plangendus 271 13 — Abstinendum a dulcedine praesentis consolationis 240 3 — Ad consolationem praesentem sequitur desolatio VII 151 58 — praesens est vana et falsa *ibid.* — praesens fugienda est, ut per desolationem viae perveniatur ad consolationem patriae *ibid.* — patriae exspectanda est, non praeoccupanda *ibid.* — terrena tollitur a persecutione 467 50 — A consolatione est transitus ad sempiternam afflictionem 423 55

— Mos Iudaeorum erat consolari plangentes mortuum VII 171 22 — Non habere consolatorem aggravat crudelitatem VI 37 v. 2

Conspiratio — est colligatio in malum VI 378 28. VII 139 19

Constantia — est fortitudo in fide et in omni bonitate VII 177 48 — Qui vult adipisci virtutem constantiae debet relinquere mundum et exire ad Ioannem in desertum *ibid.*

— sine patientia esse non potest VI 57 v. 9 — non bene stat cum iracundia *ibid.* — perditur per calumniam et iracundiam et conservatur per patientiam et perseverantiam 56 v. 8 — Constantes salvantur a malo pugnae et tentationis 557 v. 42 — Constantes fuerunt omnes Sancti VII 177 48

— non debet dimitti VI 80 v. 4 — in ipsa anima conquiescit *ibid.* — adhibenda est in periculis contra violentiam VII 552 41

Consuetudo — est altera natura VI 186 v. 10 — Ea quae ex consuetudine sunt, difficile vel nunquam exui possunt *ibid.*

— mala polluit hominem quasi immundus morbus VI 599 3 — A consuetudine peccandi oritur obstinatio 579 2 — peccati tanquam lapis ponderosus deorsum trahit 406 63 — peccati est sepultura *ibid.* 585 1 — Peccantes in consuetudine significantur per Lazarum sepultum 399 30. 593 v. 44 2. VII 172 32

— iniqua potius exstirpanda est quam tenenda VI 200 v. 16 — prava significatur per cursum animalium Iudeatium 221 v. 18

Contemplativa — est in Dei adhaerentia, in qua est vita beata VII 274 72 — revocat ad interiora VI 385 11 — In contemplativa est regressus ad cor et transitus ad delectationis convivium VII 431 18 — Refectio contemplativae non statim datur homini venienti de exercitio actionis *ibid.*

— suspendit et occidit morte spirituali VI 590 13 — Per contemplationem intellectus Deus apparet 112 v. 2 — Contemplantibus aperitur lux veritatis VII 586 69 — Contemplativis necessaria est veritas doctrinae VI 606 2 — Contemplativi exaltantur propter suam sapientiam 596 4 — Contemplativi delectantur fonte spiritualis laetitiae manante a Christo 555 2 — Contemplativi audiunt colloquium divinae familiaritatis 602 3 — Contemplativi Deo offerunt ardorem spiritualium desideriorum 594 1

— Contemplantibus revelantur secreta mysteriorum, visitantur fruitione spiritualium gaudiorum et certificantur de adeptione praemiorum VI 574 6 — Contemplantes laetificantur visione spirituali Salvatoris regnantis 628 3. 630 15, 16 — Contemplativi per Christum sublimantur in gratiae experientia 574 26 — Contemplativis exsistentibus in monte contemplationis Deus perhibet testimonium 597 v. 28

— Sex sunt contemplationis genera a se et inter se omnino divisa VII 231 47 — Sex genera contemplationis per sex dies intelliguntur et per sex gradus, quibus ascendebatur ad Salomonis thronum *ibid.* — Per sex vel octo dies intelliguntur gradus contemplationis sibi succedentes *ibid.*, 48 — Octo sunt gradus contemplationis, quorum septem sunt in via, octavus reservatur in patria *ib.* 48 — Septem gradus contemplationis, de quibus loquitur Augustinus, sunt non tantum gradus contemplationis, sed quibus venitur ad contemplationem *ibid.* — Contemplationis gradus septem numerantur a fratre Aegidio *ibid.*

— Tres sunt virtutes necessariae animae contemplativae VII 232 49 — In apicem contemplationis ascenditur per viam splendoris, doloris et amoris *ibid.* — Per contemplationem ascenditur in caelum per tres gradus 488 44

— Vitae contemplativae quatuor actus designantur in ascensu montis VII 239 72 — Actus contemplativae sunt oratio, lectio, contuitio divinorum et revelatio secretorum *ibid.*

— Vita contemplativa abundat cognitione, devotione, caritate, defensione, tranquillitate, suavitate et sursum agilitate VII 232 50 — In contemplationis progressu

requiritur excedens gaudium de dono concesso et excedens desiderium de continuando 235 60 — In actu contemplationis per gaudium et desiderium figitur anima, sicut comedens in cibo per solatium simul et desiderium *ibid.*

— Status contemplativorum dicitur lectulus VII 446 58 — Status contemplativorum est locus quietis, solitudinis et contubernii nuptialis *ibid.* — In lecto contemplationis admittuntur aliquando et electi et reprobi *ibid.*

— Contemplatio consummatur in ostensione maiestatis terribilis et in revelatione veritatis credibilis VII 237 63 — Spiritus sanctus est stabilis in contemplativis VI 157 v. 23 — Qui elevantur in apicem contemplationis non possunt loqui VII 19 34 — In contemplatione conversatio efficitur irreprehensibilis 234 55

— Contemplantes conformantur Domino Iesu Christo VII 234 55 — Contemplantes sunt amici Christi, qui quasi in thalamo cum Christo dormiunt VI 539 8 — Contemplativi sunt amici 628 3 — Contemplativi sunt servi Dei 576 5 — Contemplatio reddit hominem Deo acceptabilem VII 57 54 — Contemplativi gratificantur a Deo VI 599 2 — Contemplativi reddunt Deo obsequium devotionis vel dilectionis 628 3

— Contemplatio est liber ac perspicax et defixus intuitus VI 38 v. 4 — Contemplativi non tantum erigere debent oculos ad lucem Deitatis radiantem, sed etiam ad nubem humanitatis obumbrantem VII 237 64 — Contemplantes, in quorum aspectu nulla figitur imago creaturae, vident Deum in se in caligine, sed potius sentiunt quam cognoscunt VI 256 43

— Propter duos modos contemplandi factus est duplex liber VII 235 59 — In contemplatione videtur divina maiestas in creaturis et divina humilitas in Scripturis *ibid.* — In contamplatione Dominus Sanctis ostendit regnum suum VI 174 v. 10 — Contemplantibus apparet Deus et ostendit beneficia sua 623 a — Contemplatio divinae veritatis facit beatum VII 147 49. 149 53 — Contemplantibus datur merces plena 150 57 — Contemplantes beatificantur in Scriptura 30 84

— Contemplans sedet ad monumentum Scripturarum VI 619 4 — Contemplativi debent sedere secus pedes Domini VII 273 67 — Contemplativi sunt sedentes in meditatione vel sancta collatione, plorantes in oratione, fruentes in contemplatione VI 623 4

— Animae contemplativae necessaria est purgatio a superbia, quod fit per timorem VII 57 55 — Ad contemplationem divinarum revelationum occurrunt quasi in principio gravamen ex parte naturae et iuvamen ex parte gratiae 235 56 — In contemplativis debet esse humilitas ad hoc, quod abundent fructibus devotionis 273 67 — contemplativi irrigantur fletibus compunctionis *ibid.* — Vacare lacrymis compunctionis et devotionis est officium contemplativorum *ibid.* — Contemplativi debent habere lacrymas compunctionis, compassionis et devotionis *ibid.*

— In contemplatione debet esse transmigratio VII 434 23 — In contemplationis principio oportet, ut homo quasi consopitus a sensibus alienetur quasi per somnum 235 57 — Contemplationi necessaria est vigilia, quia citissime subtrahitur oblata gratia *ib.* 59 — Contemplativis cavendum est, ne decipiantur in figuris ostensis 236 62

— Exemplum perfectae vigilantiae in contemplativa habemus in Christo VII 539 59 — Ad contemplativos pertinent mundum contemnentes et devotioni insistentes VI 601 v. 23 — Contemplativi debent quaerere quietem spiritualem et fugere iactantiam mundanam exemplo Christi in monumento 619 v. 2 — Societas non repugnat solitudini contemplationis 40 q. — Contemplativa est quaedam solitudo per quietem *ibid.* — Ad quietem contemplationis intratur per solitudinem 569 v. 15

— Contemplativi longe fieri debent ab amplexibus carnis VI 32 v. 8 — Contemplativorum non est contendere, sed potius tacere et audire et meditari VII 273 69 — Viris contemplativis necessaria est meditatio sacrae Scripturae, puritas conscientiae, amplexus devotionis internae VI 74 v. 10

— Contemplativi ad hoc, quod sint magni in statu suo, multa habent sibi collata a Christo VI 22 v. 8 — Contemplativis competit apex montis VII 239 72 — Contemplativi ascendunt et descendunt super Filium hominis 237 64 — Contemplativorum est celare divinum secretum 239 69

— Praemittenda est actio contemplationi ratione temporis, non ratione dignitatis VI 164 v. 16 — Contemplativi modo actioni, modo contemplationi debent intendere 32 a — Reprehensibiles sunt qui, dum volunt arcem contemplationis ascendere, volunt quiescere et ad laborem actionis recusant descendere VII 236 62 — In contemplatione medium teneri debet 434 23

— est per se eligenda sine querimonia VII 274 70. 275 75 — simpliciter est melior 275 75 — Vitae contemplativae potiora sunt merita *ibid.* — Pars contemplativorum est simpliciter optima *ib.* 73 — Pars contemplativorum est Deus, quem elegerunt contemplando et desiderando *ibid.* — Contemplativi nihil volunt possidere in terra nisi solam inopiam *ibid.*

— Contemplativa hic incipit et in futuro finitur VII 275 74 — quia manentior, ideo melior *ibid.* — remanet sicut caritas *ibid.* — quantum est de se est praeeligenda *ibid.* — magis est desideranda tanquam ea quae melior et de se praeeligenda, tum quia securior, tum quia suavior, tum quia stabilior *ib.* 75

— significatur per Mariam domi sedentem VI 400 31 — Contemplativi intelliguntur per Mariam, Daniel et Ioannem 592 v. 5. 623 2 — Contemplationis exemplum est Maria VII 273 67 — designatur per Rachelem 275 75. 434 23 — Contemplativi figurantur in Daniele 172 31. 446 58 — Contemplativi significantur per Ioannem VI 528 51 — Contemplativi designantur per Angelos VII 237 64

— Contemplativi designantur in ascensu et descensu per scalam Iacob VII 235 59. 236 62 — Contemplativi designantur per egressum et ingressum per ostium 235 59 — Contemplativi designantur per aquilam et eius pullos *ibid.* — Contemplativi significantur per Ierusalem, ubi est lumen et pax 147 47 — Contemplativi designantur in discipulis, qui admittuntur in montem in transfiguratione Domini et vident eius gloriam 172 31. 230 45. 232 50

— Refectorium contemplationis significatur per coenaculum discipulorum Ierosolymis VI 623 4 — qui cuncta relinquunt propter Deum significantur per Ruth VII 150 57 — Anima contemplativa dicitur ovis propter mititatem affectus, et videns propter illuminationem intellectus *ibid.* — Contemplationis otium, quod designatur per ascensum in montem, paucorum est 239 72

— Boni praedicatores volant ad alta per contemplationem VI 90 v. 6 — in religione vacandum est contemplationi 75 v. 10

— Aliqui contemplativi et magni cadent in finali tribulatione VII 446 58

Contemptus — est in parte irascibili VI 72 v. 3

— Familiaritas generat contemptum VI 302 84 (83) — Negligentia importat contemptum 61 q. 5

— bonorum terrenorum est remedium contra avaritiam VI 46 a 1 — Pauper dicitur per contemptum praesentium 52 v. 8

— Finis libri Ecclesiastae est contemptus mundi VI q. 5, v. 2 — De mundi contemptu pauci audire volunt *ibid.* — Contemnentes mundum merentur possidere regnum titulo emptionis, quo omnia sua dant pro regno habendo 615 3 — Contemptores mundi sunt cives supernae Ierusalem 10 q. 4 — Christus docuit mundum contemnere 601 v. 15 — Contemnere mundum significatur per calcationem maris 567 5. 601 v. 23

— Quod Deo est inimicum contemnere bonum est VI 6 q. 1 f. 1 — Temporalia contemnere per vim naturae difficile est, efficitur tamen facile per donum gratiae VII 405 46 — Deus facit perfectos contemnere temporalia VI 567 5 — Facile contemnit omnia qui se semper cogitat moriturum VII 259 20

— Nullus homo contemnendus est VII 247 96

— Contemnere Deum est magnum peccatum VII 261 27 — Contemnunt Deum qui obdurati sunt corde 449 4

— parit iniquitatem VII 328 65 — sempiternus comminatur vanegloriosis 151 61

Contentio — Disputatio contentiosa est inutilis VI 21 a — prohibetur mandato patientiae et beneficentiae VII 154 70. 155 74

— est signum amoris privati boni VII 550 35 — de primatu signum est amoris excellentiae et dominii *ibid.*

— fit inter canonicos imminente morte episcopi, quis debeat praeponi VII 550 35 — Apostolorum non trahenda in exemplum *ibid.* — Non est adhaerendum contentioni carnalium *ibid.*

Contignatio — dicitur coniunctio lignorum ad cooperiendam domum VI 86 v. 18

Continentia — est donum perfectissimum VI 166 v. 21 — est gratia Dei VII 143 36 — Continens nemo potest esse sine gratia Dei VI 166 v. 21 — Continens non peccat consensu vel voluntate, sed est mundus corpore et corde 130 v. 14

— triplex laudabilis VII 63 85 — carnis significatur per praecinctionem lumborum VI 598 2 — Impii putant, nullum esse praemium vitae continentis 129 v. 12

Contingens — A raro contingentibus non debet ratio pronuntiari VI 302 84 (83) 2*

Contracta — significat avaritiam VI 587 7

Contradictio — non est in iis quae non referuntur ad idem tempus VI 462 30 — Inter contradictorie opposita nihil est medium VII 138 16

Contrarius — Contraria simul non possunt esse in eodem VI 80 q. — Contraria simul esse non possunt VII 332 74

— Contraria non habent ortum ab uno principio, nec unum ab alio VI 15 q. 5 arg. — Licitum est velle contraria, ubi non patet divina voluntas 82 q.

Contritio — Dolor contritionis est medicina praeparativa, per quam sanatur infirmus VI 561 2 — producitur a divina gratia per fidem VII 122 37

— est infirmitas poenae causata ab interiori VI 586 2 — causatur ex consideratione sui *ibid.* 607 1 — Contritionis indignatio contra culpam venit ex cognitione 19 v. 18. 20 a

— est unguentum, quo unguntur pedes Christi VI 412 10. 593 v. 3 — debet esse amara 565 3 — Contritionis unguentum conficitur ex speciebus vilissimis, id est propriis peccatis VII 586 72

— In contritione est gaudium et dolor VI 31 v. 8 — parit fletum VII 125 37 — Per contritionem scinditur cor VI 566 3

— Per contritionem lavatur cor VI 560 1 — Dolor contritionis mundat spiritualiter sicut aqua 600 4 — est aqua lavans ad emundationem sordis 599 a — est mare transeundum ab incipientibus 597 2

— In contritione suscitatus exit de sepulcro VI 591 3 — Per contritionem peccatores incipiunt malum odire 285 38 — — Per contritionem peccator resurgit et levat caput a terra VII 172 32

Contumelia — sustinenda exemplo Christi VI 367 67. 369 74 — De contumeliis non est curandum VII 564 77 — probat patientiam Christi VI 124 v. 19

Conturbatio — est impatientiae et compassionis VI 57 q. 1

Conventio — est simplex promissio VI 189 v. 21

Conversatio — Debitus conversandi modus respicere debet actum virtutis rationabilis, concupiscibilis, irascibilis 31 v. 7 — Conversationis honestas attenditur circa exteriora 71 v. 2

— Christi erat aliis dissimilis VI 123 v. 15 — In bona conversatione adest Spiritus Domini VII 592 19 — Per honestatem conversationis conformamur Christo 234 55 — bona maxime requiritur in praelatis 143 35

— Mores honestae conversationis sunt flores VI 205 v. 3 — honesta significatur vellere ovium 583 9 — Per vestimentum intelligitur honestas conversationis sanctae VII 213 86. 234 55

— Conversatio mundana inducit ad lapsum culpae VI 613 4 — Nihil ita nocivum est, sicut conversari cum perniciosis VII 427 4 — cum viduis reprehensibilis est propter suspicionem malam 519 55

Conversio — ad Dominum non est differenda de die in diem VI 65 v. 4. 93 a — petitur a Deo VII 17 27 — Deus sanat conversos ad eum VI 422 59 — Dum facies mentis nostrae ad Deum convertitur, illuminatur, melioratur et perficitur VII 234 55 — Homini converso ad Christum et luce eius illuminato nihil esse videtur terrenum 130 69

— Perfecta conversio ad Christum consistit in aversione a peccato per poenitentiam et in conversione ad Deum per benevolentiam VII 183 67 — perfecta est, cum diligimus Deum et rediligimur ab eo 186 75

— peccatoris ad Deum est maxime utilis VII 17 27 — Deus convertitur ad se convertentes VI 262 75

— Frustra convertitur qui non permanet VI 262 77 — Differentes conversionem in die iudicii comprehenduntur VII 327 59

— Exemplum conversionis exhibetur in latrone converso VII 580 51 — fit per intellectus captivationem VI 509 24 — fit per praedicationem verbi Dei 451 23 — animae designatur in ascensu naviculae VII 200 43

— Magna erit dignitas de multorum conversione VII 482 28 — Quare animae conversae de gentibus dicuntur quinque *ib.* 29

— ad terrena obscurat animam VI 140 v. 16

Convicia — Mirabilius est, hominem convicia passum non moveri, quam hominem vulneratum et percussum non cadere VII 579 48

Convincere — Convictus est homo, quando deficit via aliqua ad fugiendum VII 360 10

Convivium — Convivare est communiter et simul refici VI 163 v. 9 — Ad convivium invitare notos non est contra praeceptum VII 367 27

— In domo convivii inveniuntur oblectamenta VI 55 v. 3 — Iudaeorum erant luxuriosa 86 v. 19

— indifferens est familiaritatis humanae VII 367 28 — bonum triplex *ibid.* — indifferens permittitur, malum prohibetur, et bonum suadetur *ibid.* — malum est gastrimargiae, iactantiae et malitiae *ibid.* — In convivio gastrimargiae dehonestata fuerunt vasa Domini *ibid.* — In convivio iactantiae interfectus est praecursor Christi *ibid.* — In convivio malitiae Absalom interfecit Ammon *ibid.*

— nullum restat post coenam VII 370 36 — abundantiae promittitur desiderantibus bona spiritualia 147 49. 148 52 — Christo fit triplex convivium, poenitentium, proficientium et perfectorum VI 411 9 — paratur omnibus per gemitum compunctionis internae VII 431 19

— In conviviis virorum spiritualium verba spiritualia miscenda sunt VII 366 26

Convocare — est copulare ad unitatem et conformitatem amoris VII 388 18

Cooperari — Deus cooperatur naturae cooperanti VI 308 34

Cophinus — est vas humile VII 224 27 — duodecim significant duodecim Apostolos *ibid.* — repleti sunt fragmentis quinque panum hordeaceorum, id est doctrina quinque librorum Moysi *ibid.* — Per duodecim cophinos fragmentorum significatur doctrina Apostolorum VI 321 19. 322 23

Copula — mentium sanctior est quam corporum VII 297 62

Cor — est in medio ad vivificandum VI 541 10 — A corde, quod est in centro, manat vitalis calor in totum corpus VII 349 47 — calens totum calefacit corpus *ibid.* — divinum deificum facit hominem *ibid.*

— hominis quiescit in Christo VII 440 45 — non saturatur rebus conditis, sed dulcedine divina VI 17 q. 2 2* — non saturatur visu et auditu *ibid.*

— duplex est, quando partes eius ad diversa feruntur principaliter, quod est occasio mortis spiritualis VI 111 v. 1 — Unitatem cordis faciunt fides in rationali, caritas in concupiscibili, pax in irascibili *ibid.* — est ibi, ubi est thesaurus VII 323 47

— pensatur a Deo magis quam substantia VII 521 3 — Fervorem cordis magis acceptat Deus quam magnitudinem muneris 522 6

— durum figuratur a petra VII 191 9 — Duritia cordis facit Deum non timere, sed potius contemnere 449 4 — omne est vacuum sine caritate 286 31 — Corda dura respuunt caritatem *ibid.*

Coraan — vel Corbonan erat repositorium deputatum ad oblationes pro sacerdotibus vel votivas VI 359 26 — Corbona est arca habens foramen desuper, in qua mittebant sacerdotes pecunias, quae congregabantur ad necessarios usus templi VII 520 1

Cornu — est symbolum potestatis VII 39 124 — Vas, quo inunctus fuit Salomon, fuit cornu *ibid.* — Per cornu salutis intelligitur potestas Christi resurgentis *ibid.*

Corona — est signum regale VI 490 2 — spinea erat de iuncis marinis *ibid.*

— magna debetur operibus aedificationis VII 427 6 — vitae perpetuae est praemium iustorum VI 132 v. 2

Corozain — erat civitas Galilaeae, in qua Christus plurima fecerat signa, et tamen adhuc permanebat in ea duritia VII 259 22 — si fecisset poenitentiam, non haberet tantam cordis duritiam nec duram sententiam 260 23

Corporalia — sint de simplici tela linea et munda, non tincta nec variis coloribus rubricata VII 584 64 — gerunt figuram sindonis *ibid.*

Corpus — Vis formativa corporis est vis divina VI 89 v. 5 — Corporis augmentum et alimentum non fit per humanam cogitationem, sed per divinam dispositionem VII 320 36 — formatur spatio novem mensium VI 151 v. 2 — organizatione et mole perficitur quadraginta sex diebus 277 42

— Ossa ordinata sunt ad corpus protegendum VI 93 v. 3 — Domus est machina corporis *ibid.* — Machina corporis fragilis est *ibid.* — Machina corporis indiget custode *ibid.*

— a Deo de limo terrae factum est et ideo reddendum et offerendum Deo VII 511 32 — primi parentis erat animale 515 42 — humanum origine mediata ex nihilo factum est VI 119 v. 2 — de terra factum est 125 v. 1 — mortale et terrenum dicitur terra 111 v. 1 — Corporis humani dispositio et organizatio attenditur secundum congruentiam ad sursum 36 q. 2

— In sene omnia membra corporis efficiuntur tremulosa VI 94 v. 5 — Calor digerens deficit in corpore senis *ibid.* — Humor phlegmaticus, aquosus et indigestus corpus senis implet et impinguare videtur *ibid.*

— Corporis resolutio est miseria mortem consequens VI 94 v. 6 — post mortem incineratur 95 v. 7. 126 v. 3 — nostrum erit cinis exstinctus post animae exstinctionem 119 v. 2, 3 — per consumtionem humidi naturalis a calore consumitur et in cinerem vertitur 120 v. 3 — Ex parte corporis omnia cedunt in terram 51 v. 6 — Ex parte corporis est incineratio *ibid.* — putredini comparatur, quia continue corruptioni subiacet 170 v. 15

— Mensura corporalium sunt quatuor elementa VI 182 v. 21 — Omne, quod est in tempore et habet tempus, est corporale 28 q. 1 — Nulla corporalia perseverant in aeternum 33 q.

— mortale iudicandum est iudicio disciplinae discretae VI 111 v. 1 — est servus, qui debet spiritui servire *ibid.* — in statu innocentiae erat in servitute *ibid.* — Corpori ut servo debetur sustentatio panis, ne deficiat; virga disciplinae, ne lasciviat; et occupatio sancti operis, ne torpeat *ibid.* — nostra sunt conculcanda per abstinentiam et patientiam VII 492 54

— hominis post animae infusionem vegetat et augetur VI 151 v. 1 — De vilitate corporis non curandum 504 69

— Vires corporis saepe in peccata praecipitant VI 144 v. 1 — Effectus corporis In animam lapsam sunt decem 170 v. 15 — deorsum premit a contemplatione aeternorum retrahendo *ibid.* — aggravat animam 567 2

— est propter animam VII 312 8 — vestimentum est animae VI 283 27 2*. VII 312 8. 319 34 — Membra corporis conservantur per animam VI 334 90 — sumitur per synecdochen pro toto homine, in quantum sequitur passiones corporis 112 v. 4

— mirabiliter vegetatur ab anima in damnatis VII 353 59

— nostra sunt templum Spiritus sancti VI 276 35

— idem quod moritur, resurget VI 517 64 — Quod corpora reparentur, manifestat simul divina iustitia, clementia et potentia VII 512 35 — certa discretione dupliciter habet probari et discerni, scilicet per usum tactus et gustus 599 49 — Secundum aliquos omne corpus gloriosum potest introire per ianuas clausas VI 517 63 — gloriosum per virtutem potest immutare sensum et resistere seu movere aliud per veritatem VII 600 51 — gloriosum potest penetrare corporis sensum *ibid.* — non posse visum latere vel tactum refugere est quodam modo infirmitatis, sed corpus gloriosum posse visum immutare et terminare impulsum, est virtutis VI 518 65 — gloriosum potest sua virtute impellens penetrare *ibid.*

— Corporis dotes VI 127 v. 7 — Corporis glorificatio est gaudium inferius VII 159 89 — post resurrectionem erit spirituale 515 42 — nostrum in resurrectione erit subtile per effectum spiritualis potentiae et palpabile per veritatem naturae 600 50 — Assumtio corporis pro damnatis est nova afflictio VI 138 v. 2

— Christi mysticum conficitur ex puris fidelibus VI 449 14

Correctio — divina est pulsus excitans a somno culpae VI 588 v. 11 a — Dominus sanat quosdam flagello correctionis 564 v. 14 2 — fit verbis 113 v. 5

— Dominus praecepit correctionem fraternam VI 84 q. — Proximus peccans est corrigendus *ibid.* — Malum proximi manifestandum est ei qui diligit et compatitur et habet voluntatem corrigendi ipsum *ibid.* — caritativa pro illata iniuria non inhibetur, sed exigitur VII 154 69 — Corrigere alium non potest rationabiliter qui magnum peccatum in se non attendit, sed eius admonitio potius merito despicitur quam auditur 161 97

— Quando homo impugnat correctionem, Iesus lapidatur VI 578 4 — Non excusatur homo, si non corrigitur, quia culpa est 59 q. 2

Correptio — fit flagellis VI 113 v. 5 — Corripere est punire *ibid.* 115 v. 8

— dirigit VI 56 v. 6. 583 12 — Dei disponit ad vitam 562 a — Deus corripit vel per se, vel per alios, quos Spiritu sancto replet 184 v. 2 — Deus corripit culpam 608 3 a — malorum consistit in odiendo vitium et in diligendo naturam 32 v. 8

— Peccator corripiendus est ut frater VI 32 v. 8 — proximi facienda post investigationem propriae conscientiae 356 14 a, 2* — In corripiendo requiritur virilitas 578 5

— dura praeferenda est adulationi VI 56 v. 6 — Corripi melius est quam laudari VII 68 107 — Malus praelatus multa correptione est corrigendus VI 83 v. 10

— sit cum dilectione hominum in odio vitiorum VII 242 81 — debet esse amicabilis 428 8 — non debet venire ex ira, sed ex clementia, non ex libidine vindictae, sed ex amore iustitiae *ibid.* — sit ordinata revocando amore in secreta monitione, pudore adhibendo testes, terrore manifestando Ecclesiae *ib.* 9 — fraterna exigit ordinem *ibid.* — Ordo correptionis fraternae non est necessitatis, sed congruitatis *ibid.*

— facienda est in manu forti, si proximus sit incorrigibilis ad verbum fratris VII 428 9 — facienda est, quando maius periculum non timetur, et proximus potest corrigi *ibid.* — Qui corripit derisorem odium quaerit *ibid.*

Corrigia — calceamenti est unio naturarum VI 258 56. VII 79 38

Corruptibile — Secundum esse individuale multa sunt corruptibilia VI 34 q. — Meliora sunt incorruptibilia quam corruptibilia *ibid.*

Corruptio — Omnis forma corrupta et iterum generata differt numero VI 17 q. 3 — unius est alterius generatio 33 v. 14

— Aliquid dicitur transire vel quantum ad corruptionem secundum totam substantiam, vel quoad corruptionem sui secundum partem, vel in quantum a statu corruptibilitatis ad statum alium transmutatur VI 29 q. 2 — in non-esse totum adimit, sed semel, et talis est simpliciter peior poena temporali 39 q. 3 — in non-esse est poena excedens in duratione poenam temporalem et potest magis rationabiliter sperni *ibid.*

— carnis est infirmitas inducens mortem VI 559 v. 49 1 — cordis triplex est 202 v. 25 — Anima corrumpitur per fictionem 135 v. 11

Cortina — cortinam trahit VI 266 91

Corus — modiis triginta impletur VII 406 10 — est maior mensura quam cadus *ibid.*

Corvi — sunt maximae edacitatis VII 320 35 — non pascunt pullos suos in principio, quia non putant suos esse, donec videant esse nigros *ibid.*

Coturnix — dicitur ortygometra, ut dicunt ab Ortygia terra, in qua primo visa est et inde abducta VI 210 v. 2. 230 v. 12 — Coturnices de ultra mare vel de aliqua insula maris adducebantur 230 v. 12 — non erat simpliciter nova creatura, sed nova Israelitis, quia prius ab iis invisa; item, nova in illo loco, scilicet in deserto, et nova in tanta multitudine, ad quam non solent aves accedere, sed magis fugere *ib.* v. 11

Crabrones — missi ante Israelitas VI 186 v. 8

Crapula — ineptos nos reddit ad vigilandum circa studium veritatis, exercitium virtutis et excessum contemplationis VII 538 55

Creatio — est effectus potentiae Dei VI 204 v. 1 — est potentiae infinitae 321 20 — Creare dicit puram actionem 310 45 — Creare est de nihilo aliquid facere 181 v. 18 — non habet simile in natura 322 20

— Deus est creator VI 92 v. 2 — Deus ut creator dedit essentiam, potentiam, operationem bonam *ibid.* — Deus creavit omnia 117 v. 13. 167 v. 1. 321 20 — Deus creavit omnia benedicendo 129 v. 12 — Deus non invitus aliquid creavit 183 v. 25

Creatura — omnis a Deo est VI 199 v. 13. 248 10 — omnis est factura et opus Dei 183 v. 24 — Creaturae sunt opera Dei 194 v. 10 — Creaturae omnes initium habuerunt 28 q. 1 — Creaturae ex nihilo sunt factae 35 v. 20 — fit et in esse producitur 371 82

— non fuit maledicta simpliciter, sed in quantum venit in abusum VI 129 v. 12

— Deus faciliter agit in creaturam et ab ipsa pati non potest VI 183 v. 23

— In creaturis nihil est superfluum VI 194 v. 10 — omnis significat omnia elementa 229 v. 6 — Deus non creat amplius nova creaturarum genera vel species 230 v. 11

— Omnia in circuitu feruntur et vanitati subiecta sunt VI 13 v. 7 — omnis est vana 18 v. 14 — secundum quod ex nihilo sunt, sunt vanae 35 v. 20 — dicuntur vanae per defectum esse incommutabilis, non per defectum boni vel ordinis 7 q. 2 — omnis est vana per mutabilitatem, sed habet veritatem et bonitatem *ib.* 2* — omnis est vana, quia mutabilitati subiecta *ib.* a. 11 a

— propter suam mutabilitatem et varietatem non sunt contemnendae, secundum quod sunt opera Dei, sed secundum quod amantur a nobis VI 28 a — afficere cor humanum possunt, satiare non possunt 17 q. 2 2* — sunt vanae secundum esse, quod habent in intellectu humano, quia non patent ad interpretandum vel docendum, non implent ad discentem reficiendum et quietandum, non permanent ad memorandum 15 b — sunt vanae mutabilitate secundum esse, quod habent in universo, et quantum ad esse, quod habent in animo humano 11 b. 15 v. 8

— est tenebra propter defectus naturales VI 536 7 — omnes propter peccatum obtenebratae sunt 256 43 — omnis est tenebra et potest, quantum est de se, obscurari et alio manifestante indiget 360 27

— Creaturis uti non est peccatum, nisi contemnatur Creator VI 121 v. 6 — non sunt vacuae, sed necessariae usui humano 197 v. 5

— Operum creaturarum multae rationes inveniuntur, et multae scientiae de ipsis habentur VI 72 q. 1 — Mensura creaturae desumitur a quantitate 182 v. 21 — omnis disposita est quantum ad suam naturam in mensura, numero et pondere *ibid.* — In creaturis est bonum non tantum secundum plus et minus, sed secundum oppositionem et similitudinem 34 q. 2*

— Creaturae speciosae sunt per participationem VI 193 v. 3 — Pulcritudo creaturarum delectat *ibid.*

— Creaturae propter suam potentiam reputati sunt dii VI 193 v. 4 — non possunt esse Deus propter naturae corporeitatem, propter situm et figurae determinationem, propter virtutis ad certos effectus determinationem, propter naturalium effectuum necessitatem, propter motum localem, propter aeternitatis defectibilitatem *ib.* v. 2 — Creator non producit creaturam sibi similem 34 q. — omnis plus est dissimilis Deo quam similis 248 8

— Omne creatum est finitum per limitationem substantiae et virtutis VI 289 63 — communicat alienum, quia nihil habet suum 184 v. 1 — non habet statum in rerum egressu 30 v. 3

— In omnibus creaturis est tempus, secundum quod tempus dicit mensuram exitus de non-esse ad esse VI 28 q. 1 — Creaturis deest aeternitas 193 v. 2 — nullo modo in suo esse permanere posset nisi per Dei bonitatem 184 v. 25 — non sunt omnino defectibiles, sed aliquo modo perpetuae 34 q. — sunt perpetuae in divina praescientia *ibid.* — sunt mutabiles in proprio genere et secundum quod sunt in anima *ibid.* — In creaturis est mutabilitas *ibid.* 192 v. 1. — quaedam sunt corruptibiles 34 q. 2*

— Deum sequi per aequiparantiam nulli datum est creaturae VI 25 q. 1

— habent esse in Verbo ratione exemplaritatis, in animo humano per modum abstractionis VI 11 b

— Ex creaturis cognoscitur Creator oculo intellectuali, non sensibiliter VI 193 v. 5 — omnis dicitur speculum tanquam per vestigium repraesentans Dei invisibilia 158 v. 26 — omnis est quasi liber quidam, in quo Creator potest cognosci per eius potentiam, sapientiam, bonitatem relucentes in creaturis 193 v. 5 — In creaturis relucet Dei potentia, sapientia, bonitas *ibid.*

— sunt signa, per quae Deus nobis loquitur VI 577 v. 43 1 — omnis est verbum divinum, quia Deum loquitur 16 q. 2

— Creaturae interrogatae aliquo modo manuducunt nos ad Salvatorem VII 470 59 — ducunt ad suum factorem et reparatorem *ibid.* — omnes, secundum quod loquuntur nobis per librum creaturae, respondent nobis de Verbo increato *ib.* 60 — omnes, secundum quod loquuntur nobis per verbum Scripturae, respondent nobis de Verbo incarnato *ibid.* — Creaturarum imaginationes deberent nos ducere ad Deum 471 62

— Creaturarum decursus figuratur in turba VII 470 59

— Omnis creatura sentit Creatorem, quia maiestati Conditoris sunt sensibilia, quae apud nos sunt insensibilia VII 200 42 — Creaturae universalis commotio facta est in morte Christi 581 54 — omnis compatitur Christo morienti *ibid.*

— Renovatio omnium creaturarum erit gaudium exterius Sanctorum VII 159 89

— Deus non condidit creaturam sibi contrariam, sed per omnia voluntati suae consentaneam VI 232 v. 17 — omnis deservit Dei ordinationi et voluntati 229 v. 6 — ad nutum Dei quasi in momento movetur 183 v. 22 — omnis obedit Creatori 405 60 — nihil facit sine Verbo cooperante 248 10

— Creaturae iustis et Deum diligentibus valde sunt bonae et cooperantur in bonum et de se sunt bonae VI 26 q. 4. — ab initio non nocebat bonis 229 v. 6

— Offenso Creatore, omnis creatura offenditur VI 143 v. 21 — Creaturae omnes impiis peccatoribus et insipientibus convertuntur in mala per occasionem 26 q. 4 — quaecumque deservit Creatori in punitionem adversus iniustos 215 v. 24 — Obedientibus Deo creaturae obediunt et rebellantibus rebellant 216 v. 24 — omnis parata est ulcisci iniuriam Creatoris 214 v. 18 — Deus utitur creaturis tanquam suo exercitu ad ultionem inimicorum 142 v. 18 — est vindictae instrumentum 213 v. 17

— rationalis, quia ad imaginem Dei facta, immediatissime est sub protectione Dei VII 313 11 — nihil pati potest pro defectu auxilii nec sine retributione praemii, si Deo adhaeret *ibid.*

— Ortus et occasus spiritualis creaturae nescitur VI 89 v. 5

Credere — est audito consentire VI 311 48 — non est sine libero arbitrio 328 61 — non est proprie opus 327 52 — est manducare 334 91 — Credere est auctoritati 424 71 — est donum Dei 329 67 — appropriatur Patri 424 71

— Credens hoc ipso quod credit, bene facit VI 45 q. 4 — Credentes mundantur verbo fidei 449 16 — Credentes beatificantur in Scriptura VII 30 84 — Perfecte credentes in Christum pro ipso moriendo inveniunt vitam VI 480 17

— in Christum est actus fidei formatae VI 112 v. 2 — Qui ad tempus credunt non reportant fructum 363 46

— Ad credendum necesse est audire non tantum aure corporis, sed etiam aure cordis VII 369 32 — Qui credit audiendo testimonium reddit loquendo et confitendo *ibid.* — Qui non credit non intelligit VI 280 15. 329 67. 349 51

— Nostra infirmitas firmius et certius credit pluribus quam uni VI 242 9 — Citius creditur testimonio eius qui vidit, quam qui relatione cognovit 501 52

Crescere — est per virtutis eminentiam, constantiam, et multiplicationem VI 553 5 — Incrementum spirituale impedit defectio nutrimenti gratiae, nutrimenti subtractio per effusionem in occupationibus et suffocatio per curas et sollicitudines saeculi *ib.* 6 — Ad incrementum spirituale necessarium est exercitium poenitentiae vel patientiae, nutrimentum doctrinae vel gratiae et

amputatio superfluorum per paupertatem vel per eleemosynas vel per sollicitudinis abiectionem *ib.* 7 — Christianus debet crescere in gratia, in scientia Dei, in vita, alios illuminando, et in fama vel in cognitione veritatis, in amore bonitatis, in operatione virtutis et in constantia virtutis 554 8, 9

Crimina — in maioribus conspectius videntur VI 596 6

Crudelitas — magna est affligere aegrotos VII 427 6

Crura — in illo loco dicuntur viri fortissimi VI 93 v. 3 — portant pondus corporis *ibid.*

Crux — Lignum arcae significabat crucem VI 172 v. 4. 197 v. 7 — est statera, in qua Christus appendit se ipsum 567 5 — est typus monarchiae singularis VII 103 59 — Crucis cacumina caelos ostendunt, ima petunt inferos, cornua terram tegunt *ibid.*

— Gentiles occidebant morte crucis VI 487 56 — Mors crucis erat turpissima 124 v. 19. 618 1 — Mors crucis vilissima 420 47. 495 26. 496 30 — est contemptibilis infidelibus, fidelibus venerabilis 172 v. 4 — post passionem Christi est victoriae tropaeum et gloria Ecclesiae 124 v. 19 — Mors crucis ante Christum vilipendenda erat, sed postmodum gloriosa 527 43 — significat potestatem Christi 495 29

— Crucis virtus petram convertit in aquam VII 495 62 — Virtus crucis aufert duritiam cordis *ibid.* — Stultitia crucis salvat credentes VI 495 26 — Per crucem facta est iustitia, destructum est peccatum, diabolus victus, homo reconciliatus, infernus spoliatus, caelum apertum, Christus exaltatus 198 v. 7 — Crucis virtute et imitatione homines salvantur in mari huius mundi et perveniunt ad portum salutis aeternae 197 v. 5 — Christi renovativam habet naturam VII 228 38

— Lignum crucis inventum esse in piscina probatica, non probatur VI 305 15

— portata fuit a Christo sicut vexillum et signum regale VII 376 55 — voluntarie a Christo suscepta et voluntarie portanda est a nobis *ibid.* — Ad portandam crucem nos invitat Christus, qui primus eam portavit *ibid.* — primo portata a Christo, postea data Simoni portanda usque ad locum VI 498 40

— Christi potest dici exiguum lignum propter eius abiectionem et vilitatem VI 197 v. 5 — In cruce Christi consideranda sunt crucis humilitas, veneratio et dignitas, necessitas, virtus et utilitas *ibid.*

— Corpora crucifixorum tollenda ante Sabbatum VI 500 49 — Crucifixorum frangebantur crura, ut acceleraretur mors *ibid.* 51

— carnis est rigor disciplinae, cuius brachia sunt vigilia, abstinentia, asperitas vestium et disciplina verberum VII 576 40 — qua mundus crucifigitur, est paupertas spiritus, cuius brachia sunt contemptus gloriae, pecuniae, patriae et parentelae *ibid.* — spiritus est fervor devotionis, cuius brachia sunt spes et amor, timor et dolor *ibid.*

— Quatuor cornua crucis adornantur gemmis quatuor virtutum VII 578 45 — In cruce est consummatio discipulatus Christi 376 54 — est summa humilitas, paupertas et austeritas *ibid.* — Crucem baiulare est humilitatem in corde, austeritatem in carne et paupertatem in passione assumere *ib.* 55 — Crucem baiulare opponitur triplici concupiscentiae et excusationi *ibid.*

— Difficile est ferre crucem VII 228 37 — ferenda est quotidie per continuam austeritatem ad sequendum Christum *ibid.*, 38 — Gentes portant crucem, cum paganis ritibus relictis, obedienter amplectuntur vestigia dominicae passionis 572 30

— portatur ab hypocritis pro laude humana, non timore Dei vel dilectione VII 572 30 — ab acidiosis portatur cum murmure, poena et violentia *ibid.* — portanda est, sicut Salvator suam portavit, non sicut Cyrenaeus alienam *ibid.*

— Qui contempserit crucem Christi tanquam ignominiosam, hunc erubescentem faciet Filius hominis in finali iudicio VII 229 41 — Qui Christi crucem contemnunt peribunt cum peccatis suis 338 9

— circumferenda est ut corona VII 376 55 — Per crucem perficiuntur omnia, quae secundum nos sunt *ibid.* — scribenda est in omni loco *ibid.* — baiulanda est tanquam signum Dei vivi *ibid.* — est signum Dei vivi, quo omnes electos oportet consignari 440 44

— In cruce sex sunt consummata VII 468 54 — In cruce impletum est testamentum vetus, et omnia sunt consummata *ibid.*

Culpa — cadit in hominem VI 11 a — operantem potentiam reddit infirmam 19 q. 2 — naturam infirmam reddit VII 508 24 — actualis totum robur animae frangit 98 38 — separat animam a Deo VI 116 v. 12 — facit mortuos VII 398 41 — est mors peccatorum VI 118 a. 589 6 — occidit animam 212 v. 14

— Naturaliter commissio culpae praecedit subtractionem gratiae VI 113 v. 5 — Sapientia amittitur per culpam 79 v. 18 — Causa originalis culpae captivum detinebatur genus humanum a diabolo VII 98 39 — Vertimus in culpam omnia, quae ad usum vitae accepimus 526 17

— est vanitas mortalis et pestifera VI 42 a — est vanitas 34 b — est infirmitas fugienda 586 1 — Culpae est convivium nuptiale matrimonii hominis carnalis et concupiscentiae, quod fit in prostibulo concupiscentiae 545 3 — est somnus claudens visum discretionis, ligans sensum devotionis, sistens gressum bonae operationis 587 v. 11 — Dormitio culpae 398 23 — Sitis culpae 559 v. 13

— dicitur lutum propter eius foeditatem, lubricitatem et laboriositatem VI 580 2 — infirmitas culpae deformat conscientiam, depauperat animam, debilitat virtutem et inquietat mentem 586 5 — dicitur infirmitas, quia deformat polluendo conscientiam, debilitat vulnerando naturam, depauperat expellendo gratiam 558 v. 16 1

— contrahitur per malam occasionem, malam delectationem et malam operationem VI 558 v. 16 3 — solet contrahi ex pinguedine et consolatione *ibid.* — Malum culpae premit voluntatem 602 1

— Status culpae gradus primus est in interiori affectione, secundus in exteriori operatione et tertius in consuetudine sive obstinatione VII 172, 32. 215 96 — Nascens nativitate culpae in ignominia nascitur, in maledictione vivit, in damnatione moritur VI 551 3

— originalis figuratur in paralysi VII 128 60 — actualis figuratur in lepra *ibid.* — Culpae expulsio significatur eiectione daemonum 147 48 — Remissio culpae originalis praefiguratur in dimissione captivitatis filiorum Israel 98 39 — Remissio culpae originalis in sanatione paralytici figuratur 128 62

— Remissio culpae originalis fit per officium Sacramenti VII 128 62 — Per officium Sacramenti curantur etiam sequelae *ibid.*

— purgatur in fonte misericordiae VI 555 2 — deletur per gratiam a Deo solo effective 514 49 — Liberatio a culpa promittitur credentibus 363 47 — dimittitur tam electis quam praescitis 561 2 b — recidivantis fit difficilior ad remittendum 561 4

— Ad curationem actualis culpae cum passione Christi necessaria est contritio poenitentiae VII 98 38 — Opus poenitentis est detestari culpam 580 49

— Culpae detestatio sequitur cognitionem VI 19 v. 17. VII 562 73 — commissa consideranda ad erubescendum VI 560 2, 3, 4 — In culpa est considerare maculam, reatum et offensam VI 574 3 — est causa iudicii 552 v. 19

— Maior culpa est veritatis contemptio quam libido carnalitatis VII 250 21 — Maior culpa est, ubi est maius donum scientiae 329 67 — Ad lapsum culpae inducunt status conversationis mundanae, congregatio societatis malae et ardor concupiscentiae VI 613 4 — Qui magis ponderat culpam in alio quam in se ipso est abominabilis, quia dupliciter peccat VII 161 96

— Dormitio culpae homini interdicitur VI 587 v. 11 — De culpa est doctrina vel scientia per accidens ratione virtutis 7 b — Vanitas culpae est privatio *ib.* a

Cultus — requirit hostias, victimas et sacrificia VI 72 v. 2 — Fundamentum divini cultus est in futura corporis resurrectione VII 512 35 — In cultu Divinitatis nihil est superfluum VI 504 68 — Per cultum Maiestatis homo subiicitur suo Creatori VII 65 91

— exhibendus est Deo in oratione exemplo Christi VII 225 30 — Dei exhibetur per excellentiam virtutis propriae et reverentiam maiestatis divinae 65 91 — Dei est causa omnis boni VI 203 v. 27 — debet carere omni ostentatione et inquietatione VII 225 30

— In cultu religionis consistit reverentia divinae maiestatis VII 65 93 — Ab ipsa infantia divino cultui mancipati esse debemus et maxime ab anno duodecimo 66 99 — Cultus divinus ob amorem parentum non est intermittendus *ibid.* — divinae maiestatis praeoccupari debet ab infantia et praeferri ceteris 69 111

— divinus praescribitur in Scripturis VII 93 16 — Cultus soli Deo debitus est servitus latriae *ib.* 17

Cum — Cum aliquo est qui est minor VI 285 44

Cupiditas — facit cor hominis vanum VI 5 10 — est infirmitas culpae 586 4 — Cupidus est qui tristatur pro horrore paupertatis VII 463 42 — ex parte concupiscibilis est initium omnium peccatorum VI 203 v. 27

— mundi significatur per fervorem solis VII 172 32 — terrena est fundamentum instabile positum in terra 165 109 — Mundus praetendendo sufficientiam trahit ad cupiditatem VI 5 10

— Ex concupiscentia divitiarum insurgit infirmitas cupiditatis VI 629 8 — divitiarum est causa tristitiae VII 463 42 — Cupiditatum voracitas nunquam satiatur, maxime quando carnalitas ei associatur 519 55 — Cupiditatis igne abundante, ignis caritatis refrigescit 561 68

— Cupidus non potest intrare in regnum caelorum, sed habebit interitum sempiternum VII 464 44 — Cupidis Christus comminatur vae sempiternae desolationis in amissione boni temporalis 151 58 — sunt homines terreni *ibid.* — Difficile est deponere cupiditatem terrenorum 351 54

— Infirmitas cupiditatis sanatur consideratione Salvatoris egeni et nihil habentis VI 629 9 — Cupidus per gratiae donum convertitur de vitio ad virtutem VII 465 46

— in iudice prohibetur VI 571 3

Cura — Peccatores distenduntur variis curis VI 33 v. 10 — Cruciatus curarum sunt magnae poenae et per delicias temperantur 48 v. 18 — Non multum affligitur curis, quae spectant ad vitam, cor occupatum deliciis carnalibus *ib.* v. 19

— suffocando impediunt incrementum spirituale VI 533 6 — Sollicitudo temporalis reddit negligentem ad sequendum Christum 584 6 — Stultus est et hypocrita qui sollicitius curat aliena facta quam propria VII 162 98

Curatio — corporalis est figura curationis spiritualis VII 127 60 — corporalis ordinata erat ad illuminationem mentis 258 17 — corporalis infirmorum in piscina ordinabatur ad animae curationem significandam et praefigurandam VI 305 16. 306 17 — viri a daemone significat curationem gentilis populi ab errore VII 109 85

— daemoniaci in synagoga manifestat Christi potentiam VII 105 69 — socrus Simonis facta est in domo, ut secretius manifestaretur Christi potentia coram simplicibus et suis imitatoribus 108 80 — socrus Simonis a febre significat curationem synagogae ab aestu carnalis concupiscentiae 109 85 — viri praemittitur ad designandam fidem Iudaici populi post conversionem gentium *ibid.*

— In curatione quadruplicis aegritudinis intelligitur perfecta curatio originalis VII 177 45 — hominis a daemone significat curationem a peccatis spiritualibus 109 86 — mulieris a febre est curatio animae a peccatis carnalibus *ibid.*

— Perfectae curationis indicium certum est potentia ad motum et ad obsequium VII 108 84 — Perfectius curatur in quo nulla remanent imperfectionis vestigia VI 517 64 arg. 2 — Mulieres curatae a Christo a triplici aegritudine fuerunt Maria, Ioanna et Susanna VII 189 4 — Curati a Christo comitabantur eum ratione accepti beneficii, tanquam salvatorem et medicum *ib.* 3

— a Christo facta in Sabbato erat opus spirituale quantum ad curationem animae, vel opus pietatis VI 346 34 2*

— Deus visitans in gloria curat aegritudinem miseriae VI 608 3 a — Anima curatur a Deo secundum suam dispositionem ad suscipiendam gratiam, non secundum gravitatem in culpa 306 17 — Animae peccatrices tripliciter curantur gratia Salvatoris VII 108 82

— Ad curationem peccatorum officium sacerdotale est necessarium VII 121 31 — Peccatorum curatio fit in Ecclesia 128 61 — Peccata curantur per alienum suffragium et divinum imperium *ib.* 62 — Originale peccatum curatur per virtutem alienae fidei et divini Sacramenti *ibid.* — perfecta ab originali fit per curationem et sanationem a quatuor, quae fuerunt propter originale peccatum inflicta 176 45

— Ab omnibus peccatis actualibus curat virtus Christi per gratiam suam VII 177 46 — Homo curatur flagellorum afflictione VI 81 v. 4 — spiritualis fit per infusionem gratiae, expiationem culpae et relaxationem poenae VII 361 12 — leprae spiritualis fit per confessionem 435 29

Curiositas — est omnia velle scire et subtiliter indagare VI 18 v. 13 — est ampliora velle tentare quam utilia 63 q. 1 — est adhibere sollicitudinem, ubi non est utilitas 71 v. 17

— non tantum consistit in perscrutatione scientiae, verum etiam in possessione pecuniae VII 437 35 — cuncta tentat inquirendo VI 62 v. 24 — Nimis diligens inquisitio degenerat in curiositatem 62 a — maxime viget circa visum et auditum VII 568 11

— Curiosus non meretur veritatem audire VII 568 11 — habet quinque iuga quantum ad universitatem sensibilium 372 42 — Curiosus continuam curam habet de superfluis *ibid.* — Mundus praetendendo sapientiam allicit ad curiositatem VI 5 10

— Per hydriam significatur curiositas cordis VI 96 v. 7 — per quinque sensus designatur VII 372 42

— Curiosa inquisitio non tantum est interminata, sed etiam laboriosa VI 98 v. 12 — Occupatio ex curiositate est pessima 18 v. 13 — est intellectus humani libidinosa prostitutio passim quamlibet veritatem amplexans et cum ea adulterans, *ibid.* — est infirmitas culpae 586 4

— facit hominem vanum et stultum VI 5 10 — Curiosus affligitur labore 20 v. 18. 21 q. — Curiosi serviunt auditui 558 1 — Magna est curiosis delectatio, quando possunt aliquid scire 21 q. arg. 2 — Curioso crescit appetitus addiscendi 21 q. — inquietat mentem 587 5 — Curiosi semper volunt audire nova 98 v. 12 — nunquam tot habent libros, quin velint audire plures, quia nunquam volunt audire vetera, sed semper nova *ibid.*

— Curiosi in scientia colunt gyrum stellarum VI 193 v. 2 — de divinis operibus arguitur 527 46. 586 4 — Curiose intelligere reprehendendum est 71 v. 1 — reprehenditur ex consideratione mutabilitatis rerum 17 b — nostra redarguitur propter inutilitatem 32 v. 9 — est cavenda, quia frequenter ducit in errorem 244 a — fugienda 40 q. — Detestanda est curiosa diligentia 26 v. 18 — Cavendum a curiosis exemplo Christi 550 v. 24

Cursus — non est sine concursu Dei VI 76 v. 12

Custodire — est praelatorum VI 472 24. 591 4. VII 147 47 — Deus custodit electos VI 472 24 — Custodia debet esse in actione quantum ad actum, affectum et verbum VII 433 23

Cutis — arescit ad conversandum VII 140 22

Cyrus — dimisit captivitatem filiorum Israel VII 98 39

# D

Daemoniacus — erat notabilis persona et notabiliter et miserabiliter obsessus VII 202 48 — afflictus erat afflictione repentina, afflictiva et diuturna 240 74 — erat vexatus non tantum in corporis membris, sed etiam in vestimentis 202 48 — aggravatus erat ex horribilitate loci, ubi manebat *ibid.* — non poterat sustinere impetum fortitudinis daemonis, quamvis vinciretur catenis 203 53 — Tolerabilius est peccatori obsesso a diabolo agitari in deserto, quam vinculis diaboli compediri *ibid.*

— nunquam quiescebat, quando diabolus eum possidebat VII 206 62 — inventus fuit in debito habitu contra nudationem *ibid.* — Inventus fuit in debito sensu contra insaniam *ibid.* — inventus fuit in debito situ contra deordinationem mentis *ibid.*

— eius pater impetrat sanitatem pro filio VII 240 73 — per fidem patris ducitur ad Christi praesentiam 241 78

— invitus veniebat ad lucem tanquam male agens VII 241 79 — cum murmure et strepitu clamoris procidit ante Iesum 202 49 — abhorrebat praesentiam Christi et cum clamore manifestabat gemitum et dolorem in corde *ibid.*

— non potuit liberari ab Apostolis VII 240 75 — liberatus fuit Christi mira potentia et fortitudine 206 62 — sanus factus fuit a legione per Christi imperium *ib.* 63 — liberatur a Christo per increpationem 241 80

— eius liberatione significatur liberatio peccatoris a peccato VII 242 81 — est figura hominis, qui possidetur a peccato spirituali 240 76

— rogavit Iesum, ut cum illo esset, ut serviret ei tanquam Domino et Salvatori VII 207 65 — volebat esse cum Iesu, ut esset securior, perfectior et felicior *ibid.* — volebat cum Iesu cohabitare in via, ut cohabitaret in patria *ibid.*

— non fuit admissus ad perfectionis discipulatum, quia movebat eum vel timor humani periculi, vel amor beneficii VII 208 67 — Christus dimisit daemoniacum in libertate, nolens ei aliud onus imponere 207 66

— Christus misit daemoniacum in domum suam ad quietem VII 207 66 — missus fuit ad praedicandum et divulgandum divinum beneficium 208 69 — divulgabat et praedicabat beneficium Dei omnibus *ib.* 70 — sua confessione elidit errorem Iudaeorum et Arianorum 203 50

Damnatio — aeterna est separatio a fonte vitae VII 467 51 — aeterna non est a natura, sed a voluntate perversa VI 117 v. 14 — non per diabolum est, sed per hominem acquiescentem *ibid.* — non est ex parte Dei, sed ex parte defectus fidei 283 30, 31 — Nullus perit ex defectu Christi, sed propter malitiam suam 329 64

— Causa damnationis est defectus operis boni VI 284 32 — aeterna concluditur ex peccatis hominis et divina iustitia 606 v. 8 — ortum habet a superbia 429 25 — Impii damnantur propter contemptum divinae iustitiae et misericordiae 190 v. 23 — Pro damnato habetur qui non credit in nomine Christi 283 31

— Damnationis initium est in separatione animae et corporis, medium in cruciatu animae separatae, finis in resurrectione VI 191 v. 26

— Nemo potest esse praescius suae damnationis VI 362 41 — malorum ipsis est occulta 76 v. 12

— Damnati iudicabuntur VI 312 53. 313 57 — Damnati ad iudicium exibunt de inferno 136 v. 20 — Iudicio damnationis tollentur palmites infructuosi, quando tempus merendi praecluditur damnatis 450 17 — Per aeternam damnationem tollitur palmes inutilis de vite Ecclesiae 604 v. 2

— Damnati sunt in inferno sine corporibus usque in diem iudicii et sine organis corporeis, licet non sine potentiis organorum VI 141 v. 14 — Pro damnatis reassumtio corporis erit nova afflictio 138 v. 2 — Memoria bona damnatorum peribit quoad Deum et homines 136 v. 19

— Poena damnationis aeternae sustinenda est in inferno VI 547 4 — Damnati repelluntur de manu misericordiae salvantis, non de manu iustitiae punientis 194 v. 10 — Damnati relinquuntur sine ulla visitatione 363 44

— Damnati per flagella non sunt emendati, sed deteriorati VI 179 v. 11 — Damnati sine fructu poenitentiae in inferno ardebunt in aeternum 173 v. 7 — Damnati erunt in confusione reproborum sine fine 136 v. 19 — punietur quousque reddat quadrantem novissimum *ibid.*

— Damnati poenis resistere non possunt VI 191 v. 26 — Damnati affliguntur de vera bonorum felicitate et anguntur de propria infelicitate 138 v. 1 — Damnati gemebunt prae angustia spiritus ex consideratione gloriae et salutis, quam perdiderunt *ib.* v. 2

— Damnati horrore terribili cruciantur propter constantiam suorum accusatorum, severitatem divinorum iudiciorum, praesentiam horribilium tortorum VI 138 v. 2 — Damnati turbabuntur timore horribili propter remordentem conscientiam, iudicis irrevocabilem sententiam, suppliciorum praeparatorum et tortorum horribilium visam praesentiam *ibid.*

— Praelatus carnalis et remissus est occasio aeternae damnationis VI 86 v. 16

Daniel — fuit abstinens VI 150 v. 24 — invenit sapientiam merito abstinentiae suae 148 v. 13

— fuit subtilis in penetrando et inveniendo VI 163 v. 11 — intellexit abscondita ministerio revelationis angelicae 240 3 — est figura contemplativorum VII 172 31. 446 58

Dare — Abundanter dicitur dare qui magno corde dat VII 521 4

David — est nomen benignitatis et mansuetudinis VI 9 v. 1 — est pater Christi secundum carnem VII 516 47 — interpretatur manu fortis 391 39 — Divulgatum fuit eius nomen ratione iustitiae 107 78

— consurgit in regnum Saul VI 41 v. 15 — ascendit et cepit Ierusalem et expulit Iebusaeum 23 q. 2 — consecuti sunt filii Israel, relicta domo Saul 41 v. 15 — Saul quaerebat Davidem 409 74 — solus regnavit ante Salomonem in Ierusalem 23 q. 2

— obediendo regium chrisma promeruit VII 485 37 — habuit sedem regalem in sempiternum 505 16 — erat rex in Israel usque in sempiternum VI 252 26

— exprimit Filii Dei imperium universale VII 517 49 — facta est ei repromissio de Salvatore 86 59

— est figura Christi VII 506 17 — in exspoliatione Amalechitarum est figura Christi 293 50 — David eripiens oves significat Christum VI 391 39 — eiectus ab Absalom est figura Christi VII 596 34

— manducavit panes propositionis necessitate excusatus VII 137 8 — orabat pro populo, quem amabat 506 17 — plangit reprobationem populi Iudaici 507 21 — non potuit mitigare duritiam Iudaeorum 505 16

— fuit praecipuus cultor Dei VII 505 16 — cultum Dei ampliavit 13 8 — ministeria sacerdotum in viginti quatuor sortes divisit 14 8

— ut rex excelsus non habuit aliquem purum hominem dominum VII 517 50

— fecit descriptionem populi propter vanitatem VII 45 4

— missus est a Domino, quando de pascuis electus fuit ad regendum et pascendum populum Israel VII 505 16 — postquam inunctus est, directus fuit a Spiritu sancto 3 3 — habuit spiritum prophetiae et psalmodiae cantum, ut inclinaret populum durum 505 16 — inter Prophetas excellentissime de Christo prophetavit 517 51

— Spiritu sancto afflatus exprimit Filii aeternam generationem VII 517 48 — exprimit Filii aequalitatem cum Patre *ibid.* — de duabus naturis Christi excellentissime et profundissime tractat *ib.* 51 — Psalmus eius de duabus naturis est speculum caelestis arcani *ib.* 51

— bonus fuit VI 24 q. 4 — sanctus fuit 9 v. 1 — erat fortis in bello 70 q.

— vir sanguinum erat VI 168 v. 8 — non bene fecit, cum Uriam fecit occidi 24 q. 4 — in aspectu mulieris cecidit 70 q.

— introivit ad poenitentiam per considerationem culpae commissae VI 560 v. 2 — signum petebat in bonum VII 50 26 — orabat Dei misericordiam 52 34

— non fuit permissus templum aedificare VI 168 v. 8 — senex non calefiebat 40 v. 11

Deaedificare — Deaedificantibus magna debetur poena VII 427 6

Deambulatorium — templi VII 93 18

Ecclesia — comparatur lunae VI 139 v. 6 — Aliquando congregatio Ecclesiae dicitur mundus 605 v. 18 — est mare propter sui fecunditatem et plenitudinem 566 2 — significata fuit per Esther 545 6 — designatur per Petri naviculam VII 552 43 — dicitur regnum caelorum 179 53 — est regnum Dei 545 22

— vocatur domus VI 95 v. 7. 128 61 — est domus Dei 42 v. 17. VII 499 72 — est civitas firma, pulcra et iucunda VII 543 15 — est civitas Dei VI 78 v. 15 — est templum fundatum in Apostolis et Patriarchis, aedificatur in iustis, consummabitur in Beatis 549 6 — est civitas in excelso *ibid.* — dicitur civitas ratione firmitatis et templum ratione sanctitatis *ibid.* — Templum Ecclesiae debent praelati aedificare verbo praedicationis, ornare exemplo conversationis, custodire vigilantia sollicitudinis pastoralis *ib.* 7

— militans significabatur per tabernaculum in deserto VI 168 v. 8 — militans intelligitur per areolam propter arctitudinem humilitatis, per aream propter latitudinem caritatis VII 80 40 — militans est figurata in Emmaus 592 18 — militans est hortus voluptatis, ubi crescunt semina virtutum 346 39 — militans est regnum Dei VI 145 v. 5 — militans festinat ad patriam et superat potestates contrarias VII 592 18

— triumphans significabatur per templum in Ierusalem VI 168 v. 8 — triumphans est figurata in Ierusalem VII 592 18 — Inter militantem et triumphantem est distantia septem aetatum et octava iam inchoata *ibid.* — Ad triumphantem pervenitur festinando ad bonum et triumphando contra malum *ibid.*

— de gentibus congregata est sponsa Christi VI 287 52 — est sponsa Agni VII 386 13 — Vir eius est Christus 522 8 — est uxor Christi, quae se praeparavit ad nuptias 513 37 — desponsata est Christo in carnis assumtione VI 270 12 — Matrimonium Christi et Ecclesiae fit in tabernaculo Ecclesiae 545 3 — Ecclesiam accipit uxorem ut frater Christi qui gerit eius curam, ut generet filios spirituales VII 513 37

— gentium significatur muliere amicta sole VI 93 v. 2 — Filia Sion est Ecclesia 414 21 — de gentibus congregata figuratur per viduam pauperculam VII 522 8 — commendatur in vidua *ibid.* — gentium ad Christum conversa figuratur in Raab 474 7 — gentium designatur per Zachaeum 475 10. 476 11 — ex gentibus congregata per triplicem annorum senarium fuit recurva 345 35 — solvitur die Sabbati *ibid.* — in toto orbe diffusa figuratur in divisione tunicae Christi in quatuor partes 577 42 — Ecclesiae gentium data est sacrae Scripturae plena intelligentia VI 93 v. 2 — particulares gentium conversarum deputatae sunt discipulis VII 491 52 — In Ecclesia gentium suscipitur Christus septem modis 476 11

— aedificata est super Christum VI 263 80 — fundata est a Christo in perfecta fidei notitia VII 227 36 — formata est de latere Christi dormientis in cruce VI 502 60 — fabricata fuit a Christo ad modum arcae de lignis laevigatis bitumine caritatis contextae VII 440 46 — habet coenacula et tristega propter diversitates officiorum, graduum et dignitatum *ibid.*

— ordinata fuit in suis gradibus per Christi ascensionem VII 603 64 — Ecclesiae longitudo, altitudo, latitudo erit consummata in mensura aetatis plenitudinis Christi 440 46

— duplicem habet parietem coniunctum per lapidem angularem VII 481 25 — Ianua Ecclesiae est potestas sacerdotalis 128 61 — Columnae Ecclesiae sunt septem Sacramenta *ibid.* — Quando ianua Ecclesiae impletur turbis terrenarum sollicitudinum, tunc non praebet aditum ad Iesum *ibid.*

— est vinea Domini VII 504 12 — locata est colonis, a quibus exigitur pensio *ibid.* — coloni sunt episcopi et sacerdotes *ibid.* — In agro Ecclesiae crescunt fructus bonorum operum, rosae Martyrum, lilia Virginum et violae Confessorum 447 60

— est membra et corpus Christi VI 335 92 2* — In Ecclesia continetur grex dominicus 383 2 — est rete, in quo comprehenduntur fideles 521 12 — congregat homines 567 v. 19 — est congregatio iustorum VII 399 44 — Quatuor sunt status hominum existentium in Ecclesia VI 31 v. 8 — In Ecclesia mali sunt permixti bonis VII 142 33 — Peccatores sunt de praesenti Ecclesia quantum ad numerum VI 364 50 — praesens bonos simul ac malos colligit, Ecclesia electorum solos bonos 521 16

— Ab unitate Ecclesiae separatur qui non manet in Christo VI 447 7 — De vite Ecclesiae tollitur palmes inutilis aliquando per divinam reprobationem, aliquando per excommunicationem, aliquando per aeternam damnationem 604 v. 2 — Egressus de Ecclesia per infidelitatem malus est, non vero egressus ad actionem 386 15 — Reprobi scindunt rete Ecclesiae 524 26

— Ad unitatem Ecclesiae colliguntur omnes praedestinati VI 408 70 — colligatur in ordine potentiae et praelationis 96 v. 7 — non tantum habet unitatem per amorem, verum etiam humilitatem per gratitudinem et timorem VII 436 31 — Ne per contentionem superbiae rumperetur Ecclesiae unitas, Dominus dedit exemplum humilitatis, ut quilibet alteri subiiciatur VI 429 25 — Ecclesiae unitas continetur in vinculo caritatis VII 577 42 — Ecclesiae unitas in fide, confessione et praelatione per confessionem Petri commendatur 226 33 — In Ecclesia nunquam deficiet vera fides 227 34

— Ecclesiae unitas commendatur ab Apostolo in Sacramento panis VII 597 38 — Ecclesiastica unitas intelligitur nomine caeli, quia Deus in ipsa habitat 393 30 — Ad unitatis ecclesiasticae caritatem non potest introire qui non acceptat affluentiam misericordiae Dei 400 47 — Ecclesiae unitas intelligitur in leproso regresso ad gratias agendas 435 31 — erit unita ex Iudaeis et gentibus VI 387 21 — Sacramenta secundum aliquos valent in caritate Ecclesiae 515 53

— Intra ecclesiasticam unitatem tantum sanari potest VII 436 31 — Qui intra Ecclesiam sunt salvantur per aquam et baptismum 440 46 — Qui extra Ecclesiam sunt per finale iudicium damnabuntur *ibid.* 441 48 — Extra Ecclesiam nullus salvatur VI 335 92 2* — Extra Ecclesiam quod est nihil est 114 v. 7

— per omnes terras dilatata est VI 114 v. 7 — orbi terrarum comparatur propter sui dilatationem, perfectionem, stabilitatem, compressionem et attritionem, propter humani generis sustentationem et vivificationem, propter ornatum omnium virtutum et productionem, propter sapientiae doctrinae salutaris originem *ibid.*

— accipit gratiam de plenitudine Christi VI 538 1 — gaudenter suscipit peccatorem poenitentem VII 173 32 — In Ecclesia vehimur per gratiam virtutum et donorum 272 64

— Armatura spiritualis nunquam deerit Ecclesiae VII 555 49 — Doctrina ad defendendam Ecclesiam universalem continetur in Scripturis *ib.* 50

— abscondit fermentum dilectionis in farinae sata tria VII 348 44 — offert duo minuta, id est fidem et caritatem, vel geminam fidem, scilicet de Divinitate et humanitate, seu geminam caritatem 523 8 — offert haec minuta propter humilitatem, sed Deo maxime accepta sunt *ibid.* — omnem victum in munera Dei mittit *ibid.*

— In Ecclesia electorum nulla est dissensio VII 399 44 — In Ecclesiae domo auditur symphonia et chorus per concordem laetitiam quantum ad conformitatem interiorem et exteriorem morum, animorum et sermonum *ibid.* — Harmonia Ecclesiae auditur ab eo qui appropinquat *ibid.* — Ecclesiae appropinquatur per considerationem sacrae Scripturae *ibid.* — concordia et harmonia intra eius membra auditur attendendo ad sacram Scripturam *ibid.*

— quatuor sunt principales tribulationes, quas passura erat post Christi ascensionem VII 348 39 — Ecclesiae persecutiones et tribulationes futurae figurantur per ea quae ventura sunt circa destructionem Ierusalem 530 28 — tribulata erit ab antichristo et a suis ministris *ib.* 30 — conculcabitur a filio perditionis 533 40

— Pro Ecclesia oravit Christus conversus ad Petrum VII 552 43 — Petri debet alias confirmare in fide *ibid.* — Petri, licet concutiatur, nunquam naufragatur *ibid.*

— Vitia, quae maxime Ecclesiam Dei corrumpunt, sunt ambitio dignitatum et negligentia salutis proximorum VII 458 28

— lamentatur sub persona Marthae absentiam medici et mortem infirmi VI 588 v. 21

— De loculis Ecclesiae licet praelatis emere quae necessaria sunt, et reliqua debent dare egenis VI 430 36 — Bona Ecclesiae gratis danda 274 25

— est locus orationis, nec aliud ibi faciendum VI 274 23 — facta est praecipue ad invocandum nomen Dei VII 499 71 — In ipsa Deus oratur et adoratur, et impletur principium praeceptorum legalium *ibid.* — In templo ecclesiae subditi debent adorare divinam potentiam, laudare divinam sapientiam, offerre confitendo divinam clementiam; vel debent adorare corde, laudare ore, offerre opere VI 549 8 — In Ecclesiam cum timore homo ingredi debet VI 42 v. 17

— dedicatur et sanctificatur per Christi praesentiam VII 477 13 — maxima iniuria est, cum dehonestatur, ubi debet honorari 498 70 — fit spelunca latronum, quando contra voluntatem Christi contrectatur patrimonium Crucifixi *ibid.* — Sacerdotibus spectat eam purgare et in sanctitate custodire *ibid.* — designant domus spirituales 476 11

Ecclesiastes — dicitur concionator VI 9 v. 1. 17 v. 12 — fuit rex Israel in Ierusalem 9 v. 1. 17 v. 12 — maxime in Ierusalem habitabat 9 v. 1 — Salomon in Ecclesiaste se dicit regem Ierusalem 10 q. 4

— In ipso fuit sapientia et potentia VI 17 v. 12 — sapientiam suam non abscondit, sed aliis enarravit 97 v. 9 — non fuit negligens, sed diligens *ibid.*

— In Ecclesiaste Salomon introducitur ut homo diversa expertus VI 10 q. 1 — sua diligenti consideratione malorum sublimitatem considerat 67 v. 9

— In Ecclesiaste Salomon in persona sua ut plurimum loquitur VI 10 q. 1 — Salomon in Ecclesiaste loquitur proficientibus *ib.* q. 2 — loquitur aperte et proprie *ibid.* — vel concionator dicitur, quia in personis loquitur diversorum *ib.* 3 — In Ecclesiaste diversae sententiae adducuntur secundum diversas personas, secundum quas loquitur 49 q. 2 — aliter loquitur in persona carnalis, aliter in persona sapientis *ibid.* — loquitur secundum carnalium aestimationem 26 q. 3

— loquitur ut concionator disputationem suam contexens VI 49 q. 2 — quaedam dicit ad omnes, quaedam ad aliquos *ibid.* — ea, quae dicit vere et

approbando, dicit omnibus, id est vere et assertive, universaliter et absolute; quae dicit ironice et recitative dicit ad aliorum detestationem *ibid.* — quaedam dicit ad sui approbationem, quaedam in aliorum comparationem et detestationem *ibid.* — omne, quod concordat damnationi sententiarum fatuorum, carnalium, mundanorum, dicit in propria persona, quod vero discordat, in persona aliorum 8 q. 3 — quaecumque dicit, in persona propria dicit, quaedam autem vere, quaedam ironice 49 q. 2 — quaedam dicit approbando, quaedam recitando, quod ipse ita fecerit et cogitaverit *ibid.*

— Modus procedendi in libro Ecclesiastae est singularis inter omnes libros sacrae Scripturae VI 49 q. 2 — procedit tanquam concionator persuadendo et probando 10 v. 2 — procedit modo singulari ut concionator, diversorum sententias proponendo 6 a — procedit quasi disputando usque ad finem libri 8 q. 3 — errorem volens reprobare prius illum explicat, postmodum destruit *ibid.*

— in fine libri dat sententiam VI 8 q. 3 — damnat omnes sententias fatuorum, carnalium et mundanorum *ibid.* — Liber Ecclesiastae non potest sciri, nisi audiatur totus *ibid.* — Liber Ecclesiastae Salomonis fuit poenitentiam agentis *ib.* q. 4 — In Ecclesiaste Salomon quasi narrat suas tentationes 49 q. 2 — est quasi quaedam meditatio Salomonis *ibid.*

— Totus liber Ecclesiastae probat, omnia esse vanitatem VI 97 v. 8 — Finis libri Ecclesiastae est mundi contemptus et solius Dei timor 10 q. 5, v. 2 — Finis libri Ecclesiastae est contemptus praesentium 5 14

— Libri Ecclesiastae auctor prae ceteris convenientior fuit Salomon 6 a

— tractat de praesentibus non sub specie boni, qua attrahunt, sed sub specie vani, qua contemnuntur VI 6 a — agit de rerum praesentium vanitatibus *ibid.* — In Ecclesiaste docetur praesentia contemnere 5 13 — In libro Ecclesiastae docentur contemni voluptates, divitiae, honores et curiositates ut vanitates 6 a — inducit ad contemptum praesentium 10 q. 4 — probat in rebus vanitatem naturae, culpae et miseriae 6 a — docet vanitates rerum ut expertus *ibid.* — in omnibus intendit ostendere vanitatem 10 v. 2 — praecipue docet viam in beatitudinem 5 13

Eclipsis — non aufert omnino lumen omnibus partibus terrae VII 581 54 — non potest per tres horas durare *ibid.* — non fit, quando luna est in perfecta distantia a sole *ibid.*

Egere — Eget qui dereliquit thesauros sapientiae divitiarumque caelestium altitudinem VII 391 26 — In egestate intelligitur induratio mentis VI 559 v. 49 — Egestas significat indevotionem *ibid.*

Egredi — est per actionem, vel in aspectu humanitatis Christi VI 385 11

Elatio — est infirmitas VI 586 4 — Incentivum elationis est consideratio deterioris VII 454 18 — Elatus honoribus non intrat per portam humilem regni caelestis VI 628 v. 5 — maxime displicet Deo VII 455 19

Electi — ad regnum Dei sunt pauci VI 337 102. 428 22 — Electorum numerus erit perfectus VII 374 49

— veniunt ad Christum per fidem VI 328 57 — vadunt ad Patrem per fidem et dilectionem *ib.* 58 — Aeterna electione vocati sunt etiam nondum nati 53 v. 10 — Per aeternam electionem electi sunt Dei 470 13 — sunt Dei filii per electionem 421 54

— Christus trahit ad se omnes electos VI 421 54 — Christus orat pro electis 470 16 — non possunt rapi finaliter 393 54 — Pater electis suis non permittit violentiam fieri a diabolo in tentando *ib.* 55

— significantur per Iacob VI 453 32 — ratione fructuositatis recte comparantur tritico VII 80 41

— congregabuntur ad Christum sicut ad suae refectionis abundantiam VII 447 62 — congregabuntur ad Verbum incarnatum per ardentissimum desiderium, limpidissimum contuitum, sapidissimum gustum et per motum amoris excessivum *ibid.*

— post resurrectionem erunt renovati ad modum aquilae VII 448 62 — Christus resuscitat electos ad aeternae beatitudinis participationem VI 328 60 — soli a morte miseriae resuscitantur 561 v. 21 — Inter electos et reprobos est magnum chaos VII 423 56

Electio — Eligere est sapientiae VI 172 v. 5 — In electione consistit meritum liberi arbitrii 453 30 — Non primo nos eligimus Dominum, sed supposita praedestinatione vocationi consentiendo *ibid.*

— Deus eligit ad remunerationem aeternam VI 451 23 — Est electio ad praesentem dignitatem et ad aeternam solemnitatem 429 26 — Fideles omnes electi sunt ad gratiam 605 v. 16 — Deus elegit praedestinando et postmodum eligit ex aliis vocando 453 30 — Deus sic eligit nos, ut per merita fidei beatitudinem consequamur 328 60

— Quando salus populi pendet ex aliquo electo, talis non debet se absentare VI 324 34 arg. 2

Eleemosyna — est utilis VI 58 v. 13 — est remedium optimum non incidendi in periculum 88 v. 2 — conducit ad fructificandum et multiplicandum bona terrae *ib.* 3 — Eleemosynae multiplicatae inebriant animam gratia *ibid.* — Homo habet exercitium poenitentiae vel patientiae, nutrimentum doctrinae vel etiam gratiae per largitionem eleemosynae 554 7 — valet ad redemptionem culpae 47 q. — disponit ad gratiam VII 304 82 — impetrat vigorem gratiae 140 23 — pro Deo elargita semper est cum homine 159 88 — effectus sunt septem 304 83 — efficacia dependet a septem conditionibus *ibid.* — Retributio opulentissima promittitur pro eleemosyna 323 46

— Non dandum peccatori ratione vitii VII 155 73 — facienda est omnibus pauperibus 368 30 — facienda est pauperibus spiritu 408 16 — Iusto est porrigenda manus per eleemosynam VI 60 v. 20 — facienda est peregrinis et advenis 88 v. 1 — facienda est pauperibus et afflictis *ibid.*, 2

— non tribuenda est in thesauros terrenos, sed caelestes VI 88 v. 2 — non est danda propter praesens commodum, sed praemium aeternum, non propter tabernaculum transiens, sed aeternum VII 408 15

— Eleemosynae conditiones quatuor VII 76 26 — quando sit facienda ex praecepto, quando ex consilio *ib.* 27 — Dare sua pauperibus est necessitatis quantum ad omnes, quando sunt in extrema necessitate VI 389 28

— proprie dicta est de eo quod superest VII 304 82 — Superflua amputantur per eleemosynae largitionem VI 553 7 — Superfluum donandum est cui est necessarium in eleemosynam VII 75 24. 25

— danda est de propria substantia VI 76 26 — Pro eleemosyna dandum est proprium, non alienum 88 v. 1 — facienda est de divitiis, quae iusto titulo possidentur VII 408 14 — Acquisita distribuenda sunt per eleemosynam VI 32 v. 8 — non est facienda de eo quod quis per rapinam et iniquitatem acquisivit et iniusto titulo possidet VII 408 14

— Abundanter dat eleemosynam qui dat magno corde VII 521 4 — danda est ex abundanti *ib.* 5 — danda est secundum possibilitatem virium VI 88 v. 2 — libenter facienda est *ib.* v. 1 — Homo non debet tardare in facienda eleemosyna 89 v. 4 — danda est, dum tempus est *ibid.*

— manifestat pietatis affectum VII 408 14 — ab omnibus fieri potest 521 4 — Per eleemosynam potest intelligi quodlibet opus misericordiae ordinatae 303 82

— spiritualis consistit in instructione proximi VI 90 v. 7 — potest dici scutum spirituale 226 21 — significatur in acceptione ramorum 594 v. 13 — est ramus boni operis procedens ex radice caritatis *ibid.*

— Qui totum dat et nihil sibi reservat implet consilium Christi VII 521 5

— Exemplo Christi eleemosynae licite accipi possunt tam a bonis quam a malis VII 302 78 — accipi potest a malis, ut fiant boni, dummodo non dent de alienis vel male acquisitis *ibid.*

Elementum — Elementa transeunt quoad corruptionem sui secundum partem VI 29 q. 2 — Elementa generantur et corrumpuntur in suis terminis, in quibus se tangunt *ibid.*

— Virtutes elementorum sunt qualitates et seminales rationes et commixtiones vel connexiones et contemperantiae elementorum VI 155 v. 17 — Elementa quatuor sunt mensura omnium corporalium 182 v. 21 — Singula elementa et elementata harmoniam suam naturalem et ordinem actu custodiunt 232 v. 17 — unum in vim et potestatem seu officium et modum alterius miraculose a Deo convertitur *ibid.*

— compassa sunt Conditori suo morienti VII 581 55

— appropinquante termino suo, quasi paventia nutant et tremunt VII 534 43 — Elementorum confusio erit in iudicio finali *ibid.* — in iudicio turbabuntur 526 17 — in iudicio confundentur cum sonitu terribili 534 43

Elevari — Supra se elevari est naturae per gratiam sublimatae VI 331 79 — Natura corrupta, cum elevatur, dicitur trahi *ibid.* — Omnis, qui ad Deum venit, supra se elevatur *ibid.* — Per adhaerentiam excessivam amoris cor elevatur *ib.* 72 *Vide v. Amor.* — Erectus in superbiam evanescit 4 10 — Qui ad vana extenditur in vanam superbiam elevatur *ibid.*

Eliacim — fuit figura Iesu Christi VII 71 4

Elias — praefigurabat Ioannem Baptistam VII 17 28 — est figura Christi 596 34 — est figura veri praedicatoris 43 144. 102 55

— Verbum Eliae erat igneum VI 394 57 2* — In Elia erat ignis divini zeli VII 331 70

— credebatur praecedere Christum VI 257 47 — praecedet secundum adventum Christi *ib.* 51

— excellens fuit non solum in vita, sed etiam in potentia VII 226 32 — erat persona honoranda propter excellentiam prophetiae cum miraculorum operatione 233 53 — habuit virtutem faciendi miracula VI 394 57 arg. — non fuit missus ad viduas Israel, sed ad viduam extraneam VII 102 52, 53

— prius abiit in desertum et postea pervenit ad montem Dei, ubi edoctus est VII 43 144 — Speciali modo apparuit ei Dominus in monte Horeb 233 53

— apparuit cum Verbo in transfiguratione, ut ostenderet, ipsum esse qui locutus est in Prophetis VII 234 53 — apparuit, ut significet Christum moriturum et iterum victurum *ibid.*

— virtute Dei subvectus est in caelum VI 620 v. 17 — ferebatur in caelum virtute Angelorum et currus ignei VII 603 64 — reliquit pallium suum Elisaeo 492 54

Elisabeth — erat de filiabus Aaron VII 14 9 — quia de genere sacerdotali, secundum legem Domini apta erat ad coniugium cum Zacharia *ibid.* — nominatur in conceptu, in salutatione, in partu *ibid.*

— erat sterilis non in poenam peccati, sed ad manifestandam Dei gloriam VII 14 11 — post conceptionem occultavit se mensibus quinque in signum humilitatis et pudicitiae 20 38. 239 69 — exsultavit laetabunda in recognitionem beneficii divini, quia liberata fuit de opprobrio sterilitatis 20 39

— eius sterilitas et consequens fecunditas mirabilis beatae Virgini manifestatur VII 25 65 — eius conceptus fuit mirabilis, quia sterilis et annosa erat *ibid.* — audivit salutationem Mariae, quia eam amabat 28 75 — audivit verbum salutis ab ea quae conceperat Verbum incarnatum *ibid.* — fuit verbo Virginis excitata *ib.* 76

— repleta Spiritu sancto resalutavit affectu magno et benigno VII 28 77, 78 — clamavit voce magna, quia illum continebat in utero, qui erat vox Verbi 29 77 — vox eius fuit plus devota quam clamosa *ib.* 78 — benedicit Virginem simul et prolem, ut compleat angelicam salutationem *ibid.* — benedictionem sibi optat et benedictam annuntiat *ibid.* — eius benedictio fuit praedicta ab Isaac in figura agri, confirmata a Iacob et a Moyse desiderata *ibid.* — eius salutatio continebat praeconium admirativum, signum approbativum, testimonium affirmativum *ib.* 81, 83

— peperit virtute perfecta, nullo sibi praestante impedimento VII 35 106 — peperit filium perfectum superna gratia *ibid.* — gaudebat cum vicinis et cognatis, qui congratulabantur ei *ib.* 107 — nomen imposuit per revelationem propheticam *ib.* 109 — spiritu prophetiae didicit quod non didicerat a marito *ibid.* — habuit spiritum prophetiae propter filium 38 109

Elisaeus — est figura Christi VII 596 34 — non pertimuit principem 81 45 — Iusto iudicio Dei Naaman Syrus mundatus est ab Elisaeo et non alii leprosi 102 54 — noluit tangere Naaman leprosum, ne secundum Legem fieret immundus 120 28 — Elisaei baculus erat castigans potius quam sanans 271 63

Eloquentia — a Deo petenda est VI 177 v. 21 — significatur per argentum 96 v. 7 — per modum funis hominem ligat, dum persuadet *ibid.* — profana post diem iudicii obmutescet *ibid.*

Eloquia — pravorum sunt noxia VII 562 70

Elymas — magus obstitit Paulo VII 490 50

Emanatio — est in divinis, sed non antecessio VI 310 44 — Per emanationem habetur aliquid per essentiam ab alio *ib.* 43

Emmanuel — interpretatur nobiscum Deus VI 602 v. 9. — est nomen Christi ut Dei et hominis 252 27

Emmaus — nominabatur Nicopolis VII 592 18 — interpretatur desiderium consilii VI 623 v. 14 — interpretatur mater festinans VII 592 18 — est figura Ecclesiae militantis *ibid.*

Encaenia — dicuntur ab innovando VI 390 33 — durabant per octo dies *ibid.*

Epicurus — posuit bonum iucundissimum in voluptatibus VI 39 q. 3 — Epicurei iudicabant, melius esse frui rebus in praesenti 23 v. 10 — Epicurei non exspectabant aliud bonum nisi praesens *ibid.* 24 q. 4 — Epicurei certitudinaliter negantes bona alia quam praesentia sunt haeretici et infideles *ibid.*

Epiphania — Ecclesia in Epiphania celebrat tria, in quibus Christus primo innotuit VI 272 14

Episcopi — mali ad praesentem dignitatem eliguntur non errore, sed mirabili dispensatione VI 429 26 — debent esse lampades lucentes per doctrinam lucidam VII 144 37 — ceteros debent praecellere in vita, doctrina, exemplo 143 35 — eius virtutes *ib.* 36

— Episcopis ratione dignitatis convenit solvere et ligare in foro iudiciali VI 515 52 — sunt coloni Ecclesiae VII 504 12

Epulatio — In epulatione spirituali est splendor, quem facit sapientia VII 416 39 — spiritualis est splendida, quia nihil habet sordis, sed venit ex fonte luminis sempiterni *ibid.* — In epulatione corporali est splendor, quem facit misericordia 417 39 — In epulatione corporali splendor consistit in faciei hilaritate et eleemosynarum largitate *ibid.* — In epulatione carnali est splendor, quem facit lascivia *ibid.* — Epularum carnalium abundantia parit inopiam sapientiae et virtutum et frequenter etiam temporalium *ibid.*

Erectio — etiam minima temere praesumta pavenda est VII 364 20

Eremitae — consolabantur se expectando mortem VI 610 v. 11

Eremus — est locus horribilis et sterilis et omni bono carens VI 144 v. 24

Error — est caecitas VI 579 2 — Est error infidelitatis et deviationis a bono 24 q. 4 — Infidelitas antonomastice dicitur error 190 v. 24

— Errant extra viam veritatis errantes in fide et moribus VI 184 v. 2 — Prudentia humana errat in credendis 62 v. 26

— Iusti errantes a Deo corriguntur VI 154 v. 15 — Errantes in fide puniuntur a Deo 190 v. 23 — Voluptates corporis sequitur error mentis 558 v. 18 — Homines diligunt tenebras erroris propter mala opera 284 33

— Defectus lucis iustitiae est causa erroris impiorum VI 139 v. 6 — Errant operantes mala 180 v. 16 — Omnis malus errat 116 v. 12. 124 v. 21. 132 v. 3. 228 v. 3 — Caritatem veritatis non recipientes in errorem incident 85 v. 15

— sunt contra prudentiam VI 19 v. 17. 62 v. 26 — Stultitia in fine perducit ad sententiam erroneam 85 v. 13 — Dum cor errat, os vana loquitur 5 11 — Spiritus erroris docet falsa 441 26

— quo anima abducitur et seducitur, est vir illegitimus reiiciendus VI 294 33 — sunt vitandi 24 v. 12 — Errantium dolositas non est subsequenda VII 525 15 — est causa mortis VI 116 v. 12 — dilatabitur post diminutionem fidei in fine mundi 95 b — Qui vitat periculum erroris et pervenit ad lucem veritatis dicitur beatus VII 176 44

Erubescere — De culpa commissa est erubescendum VI 560 v. 2 — debemus vilitatem peccati VII 229 41 — Multi non erubescunt peccati deformitatem *ibid.* — Filius hominis erubescere faciet in finali iudicio eum qui nunc contemnit eius crucem tanquam ignominiosam et eius doctrinam ex mala erubescentia *ibid.*

Esau — intendebat capere Iacob VI 174 v. 12 — Dominus immutavit cor Esau per oblationem munerum Iacob *ibid.* — odiens Iacob significat malos et reprobos 453 32

Esse — increatum non transit in praeteritum VI 371 82 — Entia non concreata habent mensuram, numerum et pondus 183 v. 21

— Omne ens est verum VI 7 q. 2 — Verum convertitur cum ente *ibid.* — Verum addit supra esse impermixtionem ad non-esse *ibid.* — verum est esse immutabile *ibid.*

— Essentia omnis est ab essentia Dei VI 108 v. 5 — Quod est per participationem ortum habet ab illo quod est per essentiam 3 2

— Est loqui de rebus secundum esse proprium, aut secundum esse commune, aut individuale VI 34 q. — Secundum esse individuale multa sunt corruptibilia *ibid.* — Secundum esse commune res sunt perpetuae *ibid.*

— Res omnes habent esse in proprio genere, in anima, in divina praescientia VI 34 q. — Creaturae habent esse in Verbo, in universo, in animo humano 11 b — quod habent creaturae in Verbo, est indeficiens et immutabile, nullam habens vanitatem, quod habent in universo et in animo humano est vanitas *ibid.* — rerum est in animo humano per modum abstractionis *ibid.* — Esse simpliciter, vel esse ordinatum, vel esse intransmutabile privatur per vanum 7 q. 2

— Omnia tendunt ad esse VI 117 v. 13 — Nullus potest appetere non-esse 38 q. 2 — Corruptio in non-esse totum adimit, sed semel 39 q. 3 — Corruptio in non-esse poena temporali est simpliciter peior et excedit poenam aeternam in ademptione et ab hac exceditur in duratione *ibid.* — Homo ordinato appetitu potest magis velle non-esse quam poenam aeternam *ibid.* — omnium est bonum 117 v. 13 — Deus continue per generationem esse rerum salvat 34 q.

— secundum est esse gratiae et culpae VI 369 72

— Est aliquando importat tempus secundum analogiam aliorum verborum, aliquando essentiam sine ullo temporali motu VI 247 7 — Erat secundum quod huiusmodi importat esse permanens, immutabile, cetera antecedens 248 7 — Erat est medium inter praesens et praeteritum *ibid.* — Erat a praesenti habet permanentiam, a praeterito immutabilitatem, a se ipso antecessionem et ordinem *ibid.*

Esther — habuit gratiam et misericordiam coram Assuero super omnes mulieres VII 23 54 — est figura beatae Mariae Virginis *ibid.* — significavit Ecclesiam VI 545 6

Esurientes — Esurientibus promittitur convivium abundantiae VII 148 52 — Esuries duplex *ibid.*

Eucharistia — bona gratia interpretatur VI 215 v. 21 — est cibus sacramentalis 555 v. 8 — Cibus eucharistiae est cibus superior 557 4 — Cibus eucharistiae omnibus est quaerendus *ibid.* — est quasi prandium in nuptiis Christi et Ecclesiae 545 3 — est coena animae 597 v. 2 — significata fuit per convivium permagnificum Asueri 546 6

— est Sacramentum summe gratuitum VII 547 26 — est Sacramentum signativum et sanctificativum *ib.* 27 — est viaticum conservativum et confortativum *ibid.*

— est sacrificium acceptum et placativum VII 547 27 — Sacrificium sanguinis debet esse placativum et debet esse Sacramentum refectivum 548 29 — conficitur in memoriam dominicae passionis 569 14 — est memoriale dominicae mortis, virtutis et caritatis 547 27 — est memoriale vivum et verum, quia non tantum est signum rememorativum, verum etiam demonstrativum *ibid.*

— necessarie continet verissimum corpus Christi VII 547 27 — per verba consecrationis panis transit in corpus Christi integrum et perfectum 546 26 — verba consecrationis habent efficaciam mutandi substantiam *ibid.* — Vinum et aqua in calice transsubstantiabantur in sanguinem Christi verum 547 28 — Per hunc sanguinem novum confirmatum est testamentum *ib.* 29

— est Sacramentum impletivum Legis VII 544 19 — Sacramentum eucharistiae succedere debebat agno paschali 542 8 — praefigurata fuit in manna quantum ad suavitatem 546 25 — praefigurata fuit in sacrificio Melchisedech quantum ad dignitatem *ibid.*

— Sacramentum caritatis traditur in specie panis VII 286 31 — Sacramentum eucharistiae fit in pane, quia iste est cibus magis communis et naturalis 546 25 — Panis in eucharistia simul exprimit vim cibativam et connexivam in corpore Christi vero et mystico *ibid.* — est panis caelestis confirmans cor hominis *ibid.* — Huic Sacramento competit panis azymus 542 10

— Panis eucharistiae reficit omnes VI 565 2. 566 7 — est panis nuptialis 566 7 — est panis hordeaceus in praesenti et in futuro erit triticeus *ibid.* — Panis eucharistiae excellit omnem alium panem; delectat mentem, roborat virtutem, continuat vitam 569 v. 33

— Apostoli acceperunt a Christo formam consecrationis VII 547 28 — Evangelistae non eodem modo formam consecrationis calicis exprimunt *ibid.* — Ecclesia servat formam ab Apostolis traditam in conficiendo *ibid.* — Forma Ecclesiae implicat in se quidquid per omnes Evangelistas et per Apostolum dictum est *ibid.*

— Sicut aqua unitur vino in consecratione, sic populus Christo VII 547 28 — Ecclesia offert vinum cum aqua propter mysterium *ibid.*

— Ad nuptias eucharistiae invitatur anima, ut ibi recumbat et epuletur VI 546 11 — In nuptiis eucharistiae cavendum est, ne anima inveniatur digna repelli *ibid.*

— Ad cibum paschalem cum maximo desiderio est accedendum VII 545 21 — est sumenda cum afflictione animi VI 566 7 — Nemo debet accedere ad cibum paschalem nisi praeparatus per scientiam, virtutem et gratiam VII 543 11 — Qui vult se praeparare ad pascha oportet, quod intret Ecclesiam et per baptismum et sacram doctrinam et gratiam divinam sternatur ad suscipiendum Christum *ibid.* 544 16 — Fides et caritas praeparant nos ad Sacramentum eucharistiae 543 11 — Per fidem est masticatio, per caritatem incorporatio *ibid.* — Manducatio in hoc Sacramento designat incorporationem et unitatem membrorum in corporis unitatem 545 21

— Sine manducatione sacramentali corporis Christi potest esse salus, quantum est de institutione Sacramenti; spiritualis est de necessitate VI 334 91 — Sine manducatione carnis Christi non est salus 332 83 — Nemo salvatur sine effectu manducationis, qui est incorporatio et conservatio 334 92 — Manducatio sacramentalis non est de necessitate, sed multam praestat utilitatem, quia virtute Sacramenti augetur in nobis omne bonum 335 92 — In parvulis potest esse effectus manducationis sine manducatione etiam spirituali, in adultis vero non sine manducatione spirituali, sed sine sacramentali 334 92 — Qui manducat, etiam digne, potest tamen damnari 335 93 — Qui manducat digne et ab illa dignitate non recedit vivet in aeternum *ib.* 1*

— Indigne manducant qui remorsum habent mortalis peccati VI 335 94 — Indigne accipientes peccant, et convertitur eis panis in venenum propter contemptum tanti hospitis *ibid.* — ut digne accipiatur, requiritur innocentia, vel poenitentia *ibid.* 336 99. 338 109

— Qui vestem nuptialem non habet excluditur ab hoc convivio VII 543 11 — Nullus recte vadit ad hoc Sacramentum, postquam baptismum inquinavit, nisi lacrymarum imbre perfusus 544 16 — Bene facit qui propter reverentiam corpus dominicum suscipit frequenter in Sacramento; et bene etiam, qui per reverentiam cessat 170 19

— Sacramentum infructuosum est ingratis VII 544 19 — Qui ad mensam Christi cum perverso corde accedunt similes sunt Iudae 548 30 — Qui praesumit violare istud inviolabile Sacramentum Filium hominis tradit *ibid.* — Violant istud Sacramentum qui post acceptum redeunt ad peccatum *ibid.*

Euge — aliquando est irrisorium, aliquando adulatorium VII 481 27

Eva — voluit rapere Divinitatem et amisit felicitatem VII 575 38

Evangelistae — sunt causae intermediae Evangelii VII 5 12 — sunt testes Domini 242 9 — sunt plures propter indigentiam humanae infirmitatis *ibid.* — Evangelium praedicaverunt tunc verbo ad praesentes, scripto ad praesentes et futuros, ut omnes facerent salvos 5 16

— Spiritus sanctus loquebatur per Evangelistas VII 410 — in nullo sunt mentiti, cum eodem Spiritu loquerentur VI 426 13 — Spiritu sancto locuti, non potuerunt dicere falsum 243 9 — loquentes per

Spiritum sanctum, non fecerunt vim in verborum similitudine, sed in intellectuum sinceritate 416 27 — procedunt modo certitudinali 241 6 — In aliquo Evangelista fuit aliquid addendum, sed nihil corrigendum 243 9 — Substantia fidei, quantum sufficit, continetur in quolibet Evangelistarum 242 9 2* — non omnia narrant, sed fidem aedificant 516 61 — non servant omnino seriem rei gestae, sed eo modo narrant, quo magis facit ad suae intentionis prosecutionem VII 123 39

— omnino idem sentiunt VI 242 9 1* — in quolibet Evangelistarum substantia fidei, quantum sufficit, continetur, sed tamen alii non superfluunt *ib.* 2* — ubi concurrunt in idem narrandum, non discordant *ib.* 1* — non omnino diversa dicunt nec omnino idem, ut certum sit testimonium et nihil sit superfluum; sed aliqua narrant singulariter, aliqua communiter, nulla vero discorditer *ib.* 9 — Non est repugnantia inter eos VII 101 50. 118 23. 123 39. 138 16

— Aliquando unus Evangelista aliquid dicit secundum seriem historiae, alter per recapitulationem VI 412 11 — Interdum unus Evangelista omittit quod alter dicit *ibid.* 416 27 2* — Frequenter unus dicit quod alter omittit 320 12 — non faciunt vim in minutiis *ib.* 15 — unus interdum non curavit totum dicere, quia alius dixerat 416 27 — Mos est Evangelistarum pluralem numerum pro singulari ponere per synecdochen 412 11

Evangelium — est bona nuntiatio VII 5 14. 18 31 — antecellit omnes partes Scripturae VI 242 7 — quatuor sunt Evangelia et quadripartita 6 22 — Causa efficiens suprema est Spiritus sanctus, infima ipse Evangelista, intermedia unctio gratiae 4 10, 11 — Causa finalis prima est manifestatio veritatis, media curatio infirmitatis, postrema reseratio aeternitatis 5 13 — Causa formalis est ordinatio partium et capitulorum et agendi modus in prosecutione Scripturarum 6 23 — Causae praefiguratae sunt in visione Ezechielis *ib.* 24

— Evangelica historia tota circa Christum versatur vel ut est mediator, vel praedicator, vel reparator, vel triumphator VII 5 17 — eius subiectum sive causa materialis est Christus sub quadruplici conditione et intentione 6 21 — de quatuor principaliter agit circa Christum *ib.* 22, 23

— effectum et fructum affert curationis VII 5 15 — tanquam ad ultimum finem hortatur ad vitae aeternae possessionem *ib.* 16 — Doctrina Evangelii est ad generandam fidem VI 243 10 — Doctrina evangelica docet hominem esse discipulum Christi VII 4 6

— consonare debet Legi VI 263 81

— Ioannis est sublime quantum ad obiectum, quantum ad modum procedendi et quantum ad finem VI 241 5-7 — Ioannis excellit alia Evangelia et omnes libros Scripturae 242 7 — Ioannis ultimo scriptum inter libros sacrae Scripturae congrue incipit a principio, quod est ultimus finis 245 b — Evangelii Ioannis auctor est Ioannes Evangelista multipliciter excellens 242 8

— Ioannis procedit per modum narrationis, sed certitudinaliter VI 241 6. 242 8. 243 b — Ioannis ordinate valde procedit 242 8 — Ioannis agit de Verbo incarnato maxime quantum ad ea quae Divinitatis sunt 241 5. 242 8. 243 9 — Evangelistae alii versati sunt circa humanitatem et circa vitam activam 243 9

— Evangelii veritas omnibus declaranda est VII 501 2 — Evangelium pacis utile est loqui praedestinatis et praescitis 256 12 — Soli mansueti verba divina et evangelica recte intelligunt 4 6 — Verba evangelica odiosa sunt malis 501 2 — Inexcusabiles sunt qui non credunt Evangelio 62 81 — maxime pauperibus nuntiatum fuit et per pauperes 98 37 — Per Evangelium pauperes praedicantur et exaltantur 175 40

— inchoari ac praedicari debuit a praedicatione Ioannis VII 61 4. 85 58 — Evangelii praedicatio incipere debebat ab Ierusalem, sicut praedicitur in Scripturis 602 59 — Divulgatio Evangelii facta est per Spiritum sanctum datum Apostolis post ascensionem Christi *ib.* 60

— Qui Evangelium nuntiat de Evangelio vivere debet VII 554 47

— Evangelizare est bona annuntiare VII 81 44. 97 37 — Pauperes magis evangelizantur quam virgines vel obedientes 175 41 — Non est evangelizandum propter corporalia alimenta 257 15 — Evangelizando pecunia evangelicae praedicationis multiplicanda est 485 36

Evellere — In baptizatis evelluntur vitia VI 31 v. 8

Ex — VI 366 61. 368 69. 369 72

Exactor — quando est iustus VII 77 33

Exaltatio — Deus exaltat iustum in gratia, in gloria et in fama VI 595 2 — Exaltari homo meretur propter suum obsequium, consilium, fortitudinem 596 3 — Exaltabuntur activi ratione obsequii, contemplativi propter suam sapientiam, perfecti quasi propter suam militiam sicut Martyres *ib.* 4

— et humiliatio semper coniuncta sunt VII 94 19 — Deus altus fugit se exaltantes 170 18 — Exaltans se humiliabitur per iudiciariam districtionem 365 22. 366 25 — Exaltabitur a divina iustitia qui se humiliat 365 23 — Malus exaltatur in corde per superbiam, in ore per iactantiam, in conversatione per pompam VI 596 5 — malorum fugienda est *ib.* 6 — malorum est ignominiosa, momentanea, periculosa *ibid.* — Mali exaltati descendunt cum praecipitio *ibid.*

— Quanto magis quis se exaltat, tanto minus honorat Deum VII 365 24 — Qui se exaltat evanescit et deiicitur *ibid.* — Qui se exaltat est subiectus humanis laudibus *ibid.* — Qui se exaltat elongat se a superioribus et subiicit se inferioribus 366 25 — In omni nostra exaltatione debemus mortis et humanitatis nostrae habere memoriam 243 84

Examinare — Tentare idem est atque examinare VI 63 q. 1 — Omnia sunt examinanda per approbationem et reprobationem *ibid.* — Unusquisque debet se discrete examinare 356 14 2* — Examinatio pertinet ad omnes 313 56

Exauditio — petitionum nostrarum est fructus manendi in Christo VI 604 v. 7 — Aliquis exaudiri meretur de congruo, vel de condigno 440 22 — Deus promisit exaudire orationem quatuor conditionibus 466 48 — Si Deus exaudit homines, tunc sperandum est in ipso, et ideo confitendum, non formidandum VII 16 19

Excaecatio — plus dicit rationem poenae quam culpae VI 19 q. 1 — est poena 382 55 — deformat Dei imaginem *ib.* arg. 2 — secundum id quod est, est privatio, cuius causa deficiens est malitia; sed ut poena secundum id quod est, iusta est et a Deo *ib.* 55 — secundum id quod est, non est a Deo ordinante, sed in quantum poena; sed secundum id quod est, est a Deo sicut a non apponente nostris meritis *ibid.* — Causa excaecationis est propria malitia et iudicium divinum desertionis 424 70 — attribuitur iusto Dei iudicio 19 q. 1. 317 73

— Peccans excaecatur ab inimicis, ne statum suum cognoscat VI 579 6 — Diabolus excaecat per superbiam *ibid.* — Culpa excaecat 578 1 — Malitia excaecat VII 139 18 — Peccatores excaecantur perseverando in peccato 536 6 — Impugnantes veritatem excaecantur 455 5

— Excaecatus non potest credere nisi cum magna difficultate VI 424 70 — Aliquis excaecatur, qui interius non illuminatur 382 55 — est effectus carnalis concupiscentiae 173 v. 7 — Excaecatus est iam iudicatus 284 36 — Ingrati de beneficiis Dei excaecantur VII 54 42

Excellentia — nostra est occultanda VII 503 9 — Amor privatus excellentiae prohibetur 550 37

— Deus apparet ascendentibus per opera excellentiae VI 623 v. 14

— Obiectum excellens corrumpit apprehendens corporale VI 477 48

Excessus — simpliciter et in genere VI 452 27

Excitatio — a somno fit lumine, pulsu, clamore VI 587 v. 11 — in Scriptura dicitur resurrectio a morte 276 23

— In excitatione Petri dormientis significata fuit triplex excitatio spiritualis VI 588 v. 11

Excommunicatio — Incorrigibiles sunt feriendi gladio excommunicationis VI 32 v. 8 — Per excommunicationem tollitur palmes inutilis de vite Ecclesiae 604 v. 2

Excusatio — plus terrena quam caelestia diligentium VII 371 40 — Triplex excusationis radix *ibid.*

Exemplum — bonum quasi quodam odore trahit ad imitationem VII 492 54 — Pastor bonus debet oves deducere exemplo bonae conversationis VI 583 11 — Bonus pastor debet gregem deducere per exemplum honestatis 582 5 — Praelatus

exemplo deducere debet populum 624 v. 14 — bonum dandum a praelatis per imitationem Christi 384 4 — Generatio casta est exemplar pulcherrimum ad imitandum 132 v. 2 — Flagella Christi sunt exemplum imitationis 617 4 — bonae operationis intelliguntur per linteos aromatizantes 619 v. 41

— per modum dispositionis servat proximum VI 474 32 — Per bona exempla fideles ad vitam perducuntur 521 12 — mala bonum propositum annihilant VII 532 36 — malum alios praecipitat in infernum VI 385 12

— Templum ecclesiae ornatur exemplo conversationis VI 549 7 — Quilibet esse debet memor exemplorum Christi ad imitandum VII 37 114

Exercere — Homo se disponit ad vitam spiritualem in bono se exercendo VI 562 v. 21

Exercitium — poenitentiae vel patientiae habet homo per modestiam paupertatis vel per largitionem eleemosynae VI 554 7

— Actus exercitus VI 260 64

Exhortatio — ad bonum debet esse ordinata VII 81 44 — Exhortando potest quis populum evangelizare *ibid.*

Existimatio — Omnis homo secundum se existimat alterum VII 502 3

Experientia — parit cognitionem VI 51 v. 6 — fecit artem *ibid.*

Explicare — est latentes rationes intus et involutas extra depromere VI 16 q. 1 — non potest nisi qui intelligit *ibid.* — arduum est et paucorum *ibid.*

Expositores — contraria sentire possunt, maxime in nominibus personarum VI 397 16

Exspectare — pertinet ad populum VII 19 33

Extensio — materiae fit per virtutem agentis naturalis VI 322 20

Extollere — se grande malum est et horrendum periculum VII 364 20

Extrema — uniuntur in medio VI 259 50

Exultatio — exultandum est in gaudio spirituali VII 264 36

Ezechias — ambulabat coram Domino in veritate et corde perfecto VII 41 134 — Dominus precibus Ezechiae consilium mutavit VI 61 q. 3 — est figura Christi VII 596 34

Ezechiel — factus est mutus propter incredulitatem alienam VII 18 32

# F

Facere — Ille facit, cuius auctoritate fit VI 285 45 — est auctoritate, vel ministerio *ibid.* — est boni ministri 269 5 — Facientes mandata Dei erunt beati 428 21

Facies — significat opera VI 64 v. 1 — animae est superior pars rationis, qua nata est videre Deum 65 v. 1 — Faciem animae commutat solus Deus *ibid.*

— Peccatum ligat faciem cogitationis, ut non valeat de Deo peccator recogitare VI 593 v. 44 — ligata dicit difficultatem in cognoscendo 406 63 — Iusti lavant faciem cordis 599 1

Factura — dum videtur, ducit ad Factorem VII 206 61 — Non est standum in factura, sed perveniendum usque ad Iesum *ibid.* — Facturam suam adorare insanire est VI 196 v. 2

Falsa — Qui cognoscit principia vera cognoscit et falsa VI 7 q. 2

Fama — respicit personam VI 120 v. 4 — non est quaerenda in praesenti 595 2 — levis impios comitatur 140 v. 11

— bona est nomen bonum VI 55 v. 2 — est merces in memoria aliorum 74 v. 5 — bona excitat ad bonum, mala ad malum 84 q. — accusat peccantem 573 2

— Deus in fama exaltat iustum, quando eius gloriam in Ecclesia manifestat VI 595 2 — claritatem dat 611 4

— bonorum salutifera est electis et perniciosa reprobis VII 179 54 — Qui famam negligit crudelis est 404 3 — Per famam et infamiam oportet transire qui vult pervenire ad Ierusalem supernam 495 62 — bona curanda VI 554 8

Fames — significat inopiam spiritualium bonorum VII 391 26 — est indigentia verbi veritatis in oblivione Creatoris *ibid.*

Familiaritas — parit contemptum VI 302 84 (83)

Farina — multa significat VII 348 44, 45

Fascinatio — est adulatoria laudatio VI 135 v. 12

Fastus — signatur tribus VII 454 17

Fatuus — Sententia fatui non est attendenda VI 7 q. 3 — In persona fatui quis loqui potest aut approbando, aut reprobando 8 q. 3

Favor — popularis prohibetur in Scriptura VI 571 3

Favus — mellis est figura Christi, quatenus est Deus et glorificatus VII 600 55 — mellis in cera significat Deitatem in humanitate *ibid.*

Febris — est concupiscentia VI 301 82. 302 83 (82)

Fel — est amarissimum VII 578 44 — Fellis amaritudo significat amaritudinem mortis VI 580 7

Feminae — reguntur a viris VII 446 59 — A femina est initium peccati VI 510 28

Feneratores — sunt oppressores aliorum et inter peccatores computantur VII 157 80 — Feneratio permissa fuit propter vitationem maioris mali, sed per se prohibita *ib.* 81 — Per feneratorem intelligimus Christum 185 72

Fermentum — est pasta vetus in acredinem versa, quae reliquam massam corrumpit VI 347 v. 43 — corrumpit imperceptibiliter et universaliter VII 310 3 — vetus consistit in fraudulentia doctrinae et malitia vitae *ibid.*

— inflat et inflando vanum facit et sic corrumpit VII 310 4 — cavetur per veritatem humiliationis voluntariae, gloriationis internae, signationis extrinsecae *ibid.*

— habet triplicem qualitatem VII 347 42, 43 — habet similitudines cum caritate *ibid.* 349 47 — significat dilectionem Dei 348 44 — pastam calefacit et quendam fervorem inducit quasi ab occulto et interiori 347 43

— Per fermentum aliquando intelligitur corruptio pacis et unitatis VII 347 43

Fervor — Properandum per fervorem aemulationis VI 544 2

Festivum — Tempore festivo Dominus beneficia consuevit impendere VII 303 3

Festuca — Per festucam designatur leve peccatum VII 161 96

Fiat — est signum desiderii, assertionis et affectionis VII 26 69 — potest esse verbum desideratorium ex caritate, oratorium ex humilitate et assertorium ex credulitate *ibid.*

— dictum a Beata Virgine, fuit vox dulcissima hominibus, Angelis et ipsi Sponso VII 26 69

Fictio — est simulata aequitas VI 135 v. 11 — excludit perseverantiam 329 62 — Spiritus sanctus fugit fictum 154 v. 13

Ficus — Per ficum dulcem spiritualiter intelligitur dulcedo pietatis VII 163 102 — Ficulnea infructuosa designat animam, quae negligit poenitentiam 339 11, 12 — foliis plena designat hominem verbis abundantem ad excusationem suam *ib.* 11. 340 17 — Per ficulneam infructuosam allegorice intelligitur synagoga 340 16 — Per ficum infructuosam negligentia humana arguitur tribus de causis *ib.* 17 — significat consuetudinem peccandi VI 297 95 — fatua est sycomorus VII 474 7

Fideles — solum cognoscunt Deum cognitione certitudinis et aenigmatis VI 457 8 2* — non potest esse in assensu nisi per captivationem intellectus VII 4 8 — per rationes congruentiae quod credit intelligit VI 243 10

— Fidelium est divinis verbis intendere VII 257 15 — testimonium Christi tanquam sigillum in corde certitudinaliter imprimunt VI 288 56 — reficiuntur 328 57 — sunt filii Dei 168 v. 7. 189 v. 19, 21 VII 513 37 — congregantur in unitatem fidei VI 474 38 — omnes electi sunt ad gratiam 605 v. 16 — Spiritum sanctum possunt recipere 441 26 — sunt membra Christi 408 72 — Ex puris fidelibus conficitur corpus Christi mysticum 449 14

— debent manere in Christo, sicut palmes manet in vite VI 446 3 — Christus manet in fidelibus, et fideles in Christo per gratiam 441 29 — volentes fructificare manere debent in Christo 447 5

— a Christo separati mittentur foras ut palmes VI 447 7 — a Christo separati

non faciunt fructum et arescent per amissionem humoris gratiae *ibid.* — propter mansionem in Christo fructum dant et respectu sui et respectu proximi convertendi 448 8

— non laetantur in diabolo VI 42 v. 16 — non laetantur nisi in Christo *ibid.* — bonam spem habent veniam consequendi 189 v. 19 — salvi erunt 314 62 — habent vitam aeternam 311 48 — perducuntur ad vitam aeternam per bona exempla praedicatorum 521 12

— ex gentibus praedestinati intelliguntur per oves errantes extra ovile VI 388 21

— teruntur inter duas molas, timorem et spem VII 348 44 — Fidelium tres differentiae in tribus satis farinae designantur *ibid.* — designantur in farina, ex qua fit unus panis, quem Christus in corpus suum mysticum traiicit *ibid.*

Fidelitas — eadem est in re magna et parva VII 409 17 — circa parva fidelitatem ponit etiam circa magna *ibid.* — Deo fideliter serviendum est quantum ad rectitudinem intentionis VI 576 6

Fides — non est sine consensu liberi arbitrii VI 291 14 — in Deum provenit ex arbitrii libertate 328 61 — est per assensum liberum 243 10 — est ex auditu 298 62. 311 48. 391 38. 449 16 — est non apparentium 518 66 — est de his quae non videntur 381 53 arg. 2 — non est sine illuminatione 294 28

— est aenigmatica cognitio et virtus imperfecta VI 157 v. 23 — captivat intellectum humanum VII 430 14 — Per fidem subiicitur intellectus VI 470 15 — Ea quae sunt fidei sunt supra nostrum intellectum per se nudum, non tamen fidei gratia illustratum 54 q. 2 — elevat intellectum 402 45

— purificat intellectum VII 430 14 — aspectum dirigit VI 584 2 — prohibet divisionem errorum in intellectu 111 v. 1 — est via deveniendi ad lucem 241 18 — est via in cognitionem 337 105

— Per fidem dignoscitur lumen veritatis VII 196 24 — disponit ad prudentiam 474 7 — cor nostrum erigit ad iustitiam 472 65 — purificat cor VI 447 4. 449 16 — potat, quia respicit actum intellectus 328 56

— caelestis habetur ex concupiscentia sapientiae VI 149 v. 17 — Per sapientiam habetur immortalitas gloriae in caelo 164 v. 13 — Sapientia utilis est ad augmentum gloriae 26 q. 2 — Per glorificationem Deus dat vitam aeternam 468 4 — Spiritus sanctus facit nos considerare circuitus gloriae 13 v. 7 — Cibus aeternalis nobis ministratur in mensa gloriae 555 v. 8 — In gloria a Deo curatur miseria et tribuitur felicitas 608 3 — Deus in gloria exaltat, cum de miseria ad regnum vocat 595 2 — In gloria spiritus redit ad Deum 97 v. 7 — Dominus per gloriam accipiet nos ad semetipsum 436 3 — In gloria similes erimus Angelis VII 515 42 — In die gloriae electi omnia videbunt clare VI 463 34

— desiderabilis, quia delectat, satiat, vivificat VI 627 11 — Templum gloriae est desiderabile recordantibus, est mirabile contemplantibus, delectabile intrantibus 548 3 — Dies gloriae est desiderabilis VII 438 39 — desideratur ab amantibus VI 529 53 — In gloria est sitis rei perfecte habitae, ut continuetur 293 27 — Propter futurae gloriae dilationem taedet hominem itineris et laboris 25 v. 17 — Homo memorari debet gloriae, ut speret et gaudeat 91 v. 8

— una debetur omnibus virtutibus VI 80 q. — Non pervenitur ad gloriam nisi per actionem bonam, praedicationem veram et contemplationem tranquillam VII 350 50 — In monte gloriae assumuntur contemplativi, activi, poenitentes VI 592 v. 5 — non datur nisi credentibus 288 59

— Ad gloriam perducit notitia Christi VI 241 7 — Deus promittit gloriam sibi servientibus 576 9 — Deum videbunt per gloriam qui modo cognoscunt per gratiam 476 44 — In gloria Beati sunt cum Christo per gloriosam cohabitationem *ib.* 43 — Glorificatio plena erit post consummationem passionis in corpore Christi VII 440 44 — Fructus veniendi ad Deum est perceptio gloriae VI 562 v. 40 — Auster dat intelligere statum gloriae 88 v. 3

— Utile est quaerere modum perveniendi ad vitam gloriae VI 52 v. 8 — datur parvulis et pueris humilibus et puris VII 460 32 — Recedentes a Christo amittunt praemium gloriae VI 569 5 — Impio non erit bonum gloriae 68 v. 13 — Homo in morte introducitur in gloriam 89 v. 3 — erit post iudicium 97 v. 7 — A gloria homo nunquam poterit dimoveri 89 v. 3 — Deus in futuro apparet per gloriam 112 v. 2

Golgotha — est locus decollationis VI 496 29

Goliath — interfectus proprio gladio significat diabolum VI 612 v. 11

Grabatum — est lectus pauperum infirmorum VII 126 53 — dicitur a graba *ibid.*

Graeci — dicunt, quod Christus celebravit phase ante quartam decimam lunam VI 487 59. VII 542 10 — dicunt, quod Christus confecit de fermentato VII 542 10 — falluntur, quia compelluntur dicere, Evangelistas dixisse falsum *ibid.* — errant de processione Spiritus sancti VI 461 26

— convertuntur per documenta sapientiae VI 475 38 — Graeci sunt magis eloquentes quam Hebraei 109 9

Grando — est aqua congelata VI 213 v. 16 — grossae et magnae ante diem novissimum mittentur in homines 143 v. 23

Granum — non affert fructus, nisi ceciderit in terram VI 417 36, 37 *Vide v. Fructus.*

Gratia — datur a solo Deo VI 76 v. 12. 255 41 arg. 258 52 2* — fluit a Deo et facit hominem refluere in Deum 350 56 — ortum habet a divinae largitatis immensitate 13 v. 7 — Dignitas divini amoris ponit in nobis gratiam gratum facientem 72 q. 2 — Deus solus influit gratiam 449 arg. 1 — Deus infundit gratiam 614 6 — Deus intrat ad hominem gratiam infundendo 597 1. 608 22

— Gratificatio dicit effectum Spiritus sancti in anima per respectum ad aliquid supra nos VI 443 37 — Elevari supra se est naturae per gratiam sublimatae 331 79 — Sine gratia Spiritus sancti non datur remissio peccatorum 515 53 — Homo non potest poenitentiam agere nisi per gratiam 187 v. 10 — est principium reducendi VII 87 61 — Per gratiam praeparatur homo ad poenitentiam 314 16 — primo parit contritionem 122 37 — Per adiuvamentum gratiae peccator potest surgere VI 586 v. 1 — Per gratiam praevenientem Deus respicit peccatorem, per gratiam concomitantem amplectitur, per gratiam subsequentem osculatur VII 395 34

— renovat et fecundat hortum conscientiae VI 595 3 — mundat totam animam VII 304 82 — Per considerationem gratiae, quam amisit, descendit peccator ad poenitentiam VI 560 2 — Statum gratiae amittit peccator *ib.* 3 — De gratia amissa est dolendum *ib.* 4

— In Christo invenitur claritas gratiae VI 611 4 — Gratiae plenitudo est in Christo ad exhaurienda peccata 254 35 — dabatur fide passionis futurae 286 48 3* — De plenitudine clementiae Christi accepimus gratiam adoptionis 539 6 — datur a Christo homine ratione unionis cum divina natura 255 41 — collata est a solo Christo Filio Dei 254 37. 255 38 — Christus dat gratiam retributionis pro gratia iustificationis, vel gratiam iustificationis pro obtinenda gratia retributionis 255 37 — Christus dat vitam gratiae 330 72, 74. 385 12 — voluntas Christi servat vitam gratiae 626 v. 22

— Nunquam talis gratia data est hominibus, qualis in Christo VII 308 98 — Gratiae divinae oblatio facta fuit in adventu Christi 438 37 — Hora gratiae fuit, quando advenit Christus VI 295 38 — Humor gratiae a vite Christo in omnes Sanctos redundavit 449 1 — Cum Christo in eucharistia descendit et datur ros gratiae 215 v. 21 — Christus manet in fidelibus, et fideles in Christo per gratiam 441 29 — est in Sacramentis, quin sit in sacerdote 515 53

— fortior est quam natura VII 254 6 — Gratia superaddita homo fit magis bonus, quam est ex industria naturali VI 166 v. 20 — Per gratiam Dei homo est id quod est quantum ad esse moris 168 v. 6 — Stare est per gratiam 287 52 — Habens adiuvamentum gratiae non debet timere 586 v. 1 — Dei adiuvat 399 30 — concomitans adiuvat ad portandum iugum divinae legis VII 395 34 — dat facultatem Deum sequendi per subiectionem et obedientiam VI 25 q. 1 — est porta vitae 595 2 — aperit portam paradisi VII 83 52

— Per gratiam conformamur ad claritatem Dei VI 476 43 — Lumen gratiae lucet interius 536 5 — Per gratiam Dei est directio viae 258 52 2* — Per gratiam datur posse potestatis 253 32 — dat posse quantum ad potestatem activam et completam 331 79 2*. 434 53 — Fons gratiae reficit virtutem quantum ad activos 555 2 — adoptionis informat affectum 539 6 — Gratiae fervor est in concupiscibili VII 65 92

— recte dicitur retributio et vita aeterna VI 255 37 — In gratia est sitis rei habitae, ut amplius habeatur 293 27 — non desiderat rem non habitam, sed habitam per amorem, ut amplius habeatur per gloriam 293 28

— Homo spiritualis habet Spiritus sancti gratiam pro unguento VI 619 v. 41 — Iustis et spiritualibus fiet collatio gratiae 97 v. 7 — dat spiritualem intelligentiam et perfectam observantiam mandatorum VII 479 19

— Ad benedictionem gratiae obtinendam oportet praevenire solem mane vigilando VI 216 v. 28 — Ad divinam gratiam suscipiendam excitantur homines per triplicem librum quasi per tres testes VII 336 88 — Deus sibi servientibus immittit gratiam VI 576 9 — non datur nisi pueris per munditiam et humilitatem VII 460 33

— Deus in gratia exaltat, quando de culpa ad gratiam vocat VI 595 2 — Vivemus vita gratiae exeundo de monumento culpae et audiendo verbum doctrinae 564 5 — Audientes verbum Domini vivent per gratiam 311 49 — Iustus vivit per gratiam 134 v. 10 — remissionis est medicina purgativa 561 v. 14 — Cibus gratiae reddit vitam 557 2 — Nos vivemus per vitam gratiae 441 28

— tripliciter animas peccatrices curat VII 107 82 — ab omnibus curat peccatis 177 46 — In hora gratiae mortui per culpam vivificantur VI 311 49 — Lumine gratiae non illuminantur omnes 253 30

— Fructus veniendi ad Deum est adeptio gratiae VI 562 v. 40 — Mundatus spiritualiter vescitur donis gratiae 600 4 — Adeptio gratiae est fructus observantiae mandatorum 604 4 — Eleemosynae multiplicatae inebriant animam gratia 88 v. 3 — Sapientia utilis est ad augmentum gratiae 26 q. 2

— Magna gratia est non habere gratiam, quia omnes istae gratiae exteriores sunt tentationes VII 262 32

— Qui impugnat divinam gratiam non est aptus ad poenitentiam VII 314 16 — Qui impugnat divinam gratiam inhonorat totam Trinitatem *ibid.*

— Vita gratiae inchoatur in fide VI 441 28 — Status vitae spiritualis est status gratiae 563 1

— Triplex est tempus gratiae VI 281 19 — In tempore gratiae debet evacuari error gentilium et umbra legalium 295 36 — Tempus gratiae est sicut fructus respectu temporis Legis 300 68

— Omnia gratiarum bona veniunt cum Sapientia increata VI 153 v. 11 — De gratia fidei non est extollendum VII 362 16 — septiformis debet esse in his qui populum Dei congregant VI 519 3

— Dei dicitur aqua viva, quia vitam tribuit, vitam custodit, ad vitam perducit VI 572 v. 38 — Sapientia per gratiam animam inhabitat et informat 169 v. 10 — Spiritus sanctus facit nos considerare circuitus gratiae 13 v. 7 — Spiritus sancti est vel praeveniens, vel subsequens 441 26 — Dei est omnia in omnibus 437 9 — Per donum gratiae tantum possumus hostes vincere, in bono proficere et consolationes supernas habere VII 539 58

— Gratia, per quam anima regit carnem, subtracta, caro ad inferius declinat VI 382 55 — Per gratiam habetur nobilitas, strenuitas et hereditas 551 4 — felices facit homines 207 v. 14 — In gratia datur pax contra hostes 444 41

— Nemo certitudinaliter cognoscere potest, utrum habeat gratiam, nisi per revelationem VI 73 q. 2 — Multi per signa probabilia cognoscunt, se esse in gratia *ibid.* — Possumus tantum probabiliter, non autem certitudinaliter scire, utrum habeamus Spiritum sanctum quantum ad effectum gratificandi praeter specialem revelationem 443 37

— datur secundum voluntatem Dei VI 280 13 — datur non pro humana distributione, sed potius pro divina dispositione VII 577 42 — datur ad mensuram certam VI 288 57 — omnibus distribuitur determinate ad aliquem effectum 289 63 — Descensus gratiae in cor hominis quo ordine perficiatur VII 334 83

— Deus subtrahit gratiam merito nostro VI 382 55 — Per amissionem gratiae palmes arescit 347 7 — Qui in vacuum gratiam recipiunt a vite separantur merito suae culpae 450 17 — Negligentia hominis ad Dei gratiam cognoscendam et suscipiendam est inexcusabilis VII 385 88 — Gratiae fatuorum effunduntur VI 553 6 — Nutrimenti spiritualis defectionem patiuntur qui non habent humorem gratiae *ibid.* — Christianus debet crescere in gratia 551 8 — Homo habet nutrimentum gratiae per paupertatem et eleemosynae largitionem *ib.* 7

— Gratiae cessant esse et siccantur, cum cessant fluere et quiescunt VI 14 v. 7 — conservatur in nobis per continuam influentiam 474 34 — Ad conservationem gratiae sufficit continua subministratio caelestis alimoniae VII 279 7 — Gratiae Christi cooperandum est viriliter, utiliter, efficaciter et perseveranter 377 58 — Non habet gratiam qui non operatur bonum

VI 450 17 arg. — Cum divina gratia est necessaria custodia disciplinae VII 109 86 — Culpa aufert vitam gratiae VI 589 6 — Qui peccat amittit gratiam 80 q. — Lumen gratiae amittitur, cum homo cadit a caritate 93 v. 2 — Naturaliter commissio culpae praecedit subtractionem gratiae 113 v. 5 — primo perditur quantum ad sensum sive experientiam, deinde quantum ad existentiam 577 v. 59 — Qui peccat in uno actu peccat contra gratiam omnium virtutum 80 q. 1*

— Homo ingratus non potest sibi mereri gratiam, alius autem gratus potest ei mereri de congruo VI 610 6 — Gratiam collatam amittit qui eam communicando aliis praedicare neglexerit VII 485 37 — augetur illi qui in ea laboravit *ibid.* — Habenti gratiam dabitur gloria 486 39

— Vita gratiae dimittitur pro vento superbiae VI 613 v. 17 — Defectus gratiae et doctrinae est magna calamitas VII 393 29

— figuratur in manna VI 216 v. 25 — designata fuit in piscina VII 177 46 — sufficiens ad praecepta intelligenda, implenda et praedicanda figuratur per decem mnas 479 19 — quae per mnam figuratur, est potius Dei quam nostra 485 36 — Flumina significant gratias VI 13 v. 7 — recte dicitur flumen 350 56 — non fluit ab uno in alterum, sed in mente manat nec deficit nec stat *ibid.* — est lumen 93 v. 2 — vocatur dies 572 2

— non ad pretium danda VI 274 25

— Gratiarum actio pro beneficio redemptionis consideratur ex parte motivi et ex parte modi VII 38 119, 120 — Multi ad magnas gratias tenentur, sed paucas aut nullas reddunt 186 74 — Ad gratiarum actionem pro beneficiis acceptis debemus esse promptissimi 208 71 — Creatoris debemus recordari gratias agendo VI 93 v. 2 — Debemus compati Christo gratias agendo 78 v. 15

— Per gratiarum actionem cibus sanctificandus VI 321 16 — Gratias agendo manducandum est 322 22. 325 39 — Ratio accepti obligat ad gratiarum actionem 539 7 — Gratiarum actio impetrat *ibid.* — Spiritus sanctus descendit in gratiae vivificatione 542 1 — Ovis cognoscit pastorem per gratiarum actionem 583 10

Gratitudo — Per gratitudinem se totum debet homo offerre Deo VI 302 82

Gratuitum — Bonum gratuitum amittitur in quolibet peccato VI 80 q.

Gressus — spiritualis est bona operatio VI 587 v. 11 — bonae operationis aufertur a morte culpae 589 7

Gula — tota est circa cutem curandam VII 361 11 — est infirmitas VI 587 6 — est quasi lutum 581 v. 11 — intelligitur per hydropisim 587 7 — Per ursum intelligitur vitium gulae 181 v. 20

— inclinat ad luxuriam VI 4 10. 80 q. — Gulositas vitanda VII 257 16 — Gulosis comminatur vae perpetuae famis 151 59 — Cibus gulae est cibus culpae VI 556 1 — est mors culpae 589 5 — Gulosi pretiosa congerunt, quasi congesta servarent VII 257 16

Gustus — Gustui serviunt gulosi VI 557 1 — Gustare sapientiam nemo potest nimis 61 q. 2 — Amissio gustus devotionis est signum mortis spiritualis 558 b

Guttur — Exigua delectatio gutturis multam molestiam parit VII 417 39

# H

Habere — est per proprietatem possessionis, vel per usum VI 264 84 — ab alio est per participationem et per solam emanationem 310 43 — ab alio per participationem est modus minus nobilis modo habendi per essentiam *ibid.* — ab alio tantum per emanationem et per essentiam nullam ponit ignobilitatem, immo omnimodam aequalitatem *ibid.* — a Patre nobilitatis est in Filio *ibid.*

— spiritualia est per amorem VI 289 64 — est per comprehensionem 358 18 — Habentibus dabitur in septuplici gradu VII 486 39 — In praesenti habetur vita aeterna in merito aut quodam modo habere incipiendo VI 333 84

Habitaculum — animae quaerendum in horto bonorum operum VI 619 4

Habitus — decet hominem tam corporaliter quam spiritualiter VII 206 62 — Homo spiritualis habet habitum regularem pro sudario VI 619 v. 41

— melior est quam privatio VI 38 q. 1 — semper plus habet de entitate et bonitate quam privatio 56 q. 1 arg. — Facillimum est accedere ab habitu ad privationem, sed difficile vel omnino impossibile est redire 19 q. 2 — cognoscuntur per actus 73 q. 2 1* — doctrinae facit opulentum, privatio vero reddit egenum VII 197 27

Haemorrhoissa — secundum Ambrosium videtur fuisse Martha VII 210 78 — propter curationis remedium erogaverat omnem substantiam suam *ib.* 79 — nec a natura nec ab arte erat curabilis *ibid.*

— accessit ad Iesum, quia credebat VII 211 81 — accessit retro, quia timebat *ibid.* — tetigit, quia speravit curari *ibid.* — tetigit fimbriam vestimenti, reputans se immundam et honorificans Christi potentiam *ibid.*

— quia credidit et speravit faciliter obtinuit VII 211 81 — In eius curatione apparet mira Dei virtus *ibid.* — cognovit potentiam Christi in effectu et sapientiam in sermone 212 84 — tremens venit et procidit ad pedes Christi ad honorificandam maiestatem *ibid.* — quia credidit, sanata fuit *ib.* 85 — totum attribuit divinae virtuti *ibid.* — mittitur in pace tanquam Dei amica et filia *ibid.*

— quae tetigit vestimentum, dat intelligere satisfactionem VII 212 86

Haeresis — est divisio ab unitate fidei VII 62 80 — a principio Ecclesiae inceperunt et in fine Ecclesiae per filium perditionis vigebunt 525 14

Haeretici — sunt qui certitudinaliter asserunt falsum VI 24 q. 4 — multi prodierunt temporibus Apostolorum VII 525 14 — perscrutando per malignitatem in spiritu diabolico, ducti sunt in errorem VI 244 11 — deviat a bono 24 q. 4 — in Christo Deo et homine non collocantur 134 v. 6

— sunt omnino cohibendi VII 110 91 — sunt fures, qui dicunt falsitatem et oves dilacerant VI 388 27 — dicuntur vulpes, quoniam tortuosi et subdoli sunt et ignem habent in caudis VII 249 104. 355 67 — Difficile erit vitare seductiones eorum 439 40 — Qui suscipiunt eorum doctrinam et subsequuntur vitam seducuntur *ibid.*

— doctrinis et expositionibus homines simplices invenenantur VI 134 v. 6 — adulterant verbum Dei 130 v. 15 — Discipuli haereticorum generantur ex eorum doctrina erronea 134 v. 6

— inter se discordant VII 439 40 — Eorum unus dicit unum, alter sentit contrarium *ibid.* — sunt multigena multitudo, quia per diversas sectas diversorum haeresiarcharum dividuntur VI 134 v. 6 — aliquando ausi sunt et audebunt se dicere Christos VII 439 40

— non parcunt populo christiano nec Ecclesiae nec Apostolis et Prophetis VI 122 v. 11 — inutiles sunt Ecclesiae, immo nocivi, quia eam persequuntur 134 v. 6 — Ab haereticis corpus Christi mysticum patitur, secundum quod Deus disponit VII 355 67 — persequuntur Christum veritatem ex malignitate et invidia VI 615 1

Hamus — Voluptas comparatur hamo VI 76 v. 12

Henoch — interpretatur dedicatio VII 88 63 — virtute Dei translatus est in caelum VI 620 v. 17

Hereditas — Possessio hereditatis est praemium promissum sequentibus Christum VI 585 10

Herodes — interpretatur glorians in pellibus VII 354 66 — designat superbum et vanegloriosum, qui gloriatur in ostentatione exteriorum operum et verborum *ibid.*

— primus fuit malus, secundus peior, tertius pessimus VII 354 65 — omnes persecuti sunt Christum in diversis statibus, sed frustra *ibid.*

— sua malitia vult exstinguere religionem nascentem VII 354 66 — propter malitiam et dolositatem dicitur vulpis 355 67 — eius malitia et dolositas non praevalet sapientiae Christi *ibid.* — Christus attribuit ei nomen et proprietatem vulpis *ib.* 68

— fuit primus inter alienos, qui imperavit Iudaeis VII 13 8 — in malitia fuit insignis *ibid.*

— Ascalonita interfecit pueros, Antipas decapitavit Ioannem, Agrippa occidit Iacobum, claudens in carcere Petrum VII 13 8 — Ascalonita fuit infamior et inter omnes crudelior *ibid.*

— tetrarcha corripitur a Ioanne Baptista VII 81 45 — Eius opinio de Christo 220 12 — decollavit Ioannem propter eius veritatem *ib.* 13 — comparat Ioannem cum Christo *ibid.* — admiratus fuit de Christi virtute *ibid.*

— volens infantulum Iesum occidere ante tempus, interfecit pueros Bethlehemitas VII 354 65 — paterni sceleris imitator, volebat occidere Christum ante tempus, sicut interfecerat praecursorem *ibid.* — Herodis nepos volebat occidere Christum iam glorificatum *ibid.*

— viso Iesu, gavisus est non propter aspectum credulitatis, sed ex curiositate VII 568 10 — sperabat per appetitum curiositatis signum aliquod videre a Christo *ib.* 11 — interrogabat Christum non sicut studiosus, sed sicut curiosus, non sicut amator, sed sicut tentator *ibid.* — eius incredulitas non merebatur audire divina *ibid.*

— sprevit Christum et illusit VII 569 13 — induit Christum veste alba *ib.* 14 — quia non inveniebat Christum morte dignum, et ipse recusabat iudicium *ib.* 15 — misit Christum ad Pilatum tanquam ad amicum *ibid.* — designat persecutiones Iudaeorum contra Christum *ibid.*

Hesebon — Per piscinam in Hesebon intelligitur munditia cordis et limpiditas intelligentiae spiritualis VII 377 57 .

Hieronymus — in expositione Ecclesiastae cum aliis expositoribus nec omnino convenit nec omnino differt VI 9 b

Holda — interpretatur discretio mea et designat prudentiam VII 64 89

Holocaustum — totum incenditur in sacrificio dominici corporis VI 127 v. 6

Homicidium — In homicidio est malitia affectus VI 366 61 — innocentis prohibetur 345 28. 366 57 — nisi adsit ordo iudicii et causa, nullo modo bene fit 457 9

Homo — dicitur ab humo VI 212 v. 14 — est creatura rationalis 12 v. 3 — est animal rationale, mortale 151 v. 1 — est animal natura mansuetum, ratione discretum, statura erectum 160 v. 1. 189 v. 19 — tribus partibus integratur VII 348 44

— sunt aequales natura VI 69 q. 1 — omnes idem habent nativitatis initium 152 v. 4 — omnes ex uno homine processerunt, in quo et peccaverunt VII 384 9

— erat quasi opus maiori excogitatione faciendum VI 167 v. 2 — dicitur factus a Deo sapientia, quasi opus nobilius *ibid.* — quia inter cetera opera Dei perfectus, sexta die est conditus VII 20 41 — fuit sexta die formatus 581 54. 585 66 — decimus est post novenarium Angelorum 387 16. 511 30. 534 42 — dicitur omnis creatura VI 114 v. 7. 184 v. 27

— natus est ex nihilo origine immediata quantum ad animam, et origine mediata quantum ad corpus VI 119 v. 2 — formatus est de terra 151 v. 1 — factus est a Deo de limo terrae ex parte corporis 207 v. 11 — Hominem Deus multa sapientia ex partibus valde diversis composuit, scilicet ex spiritu rationali et luto terrestri 167 v. 2

— Non potest sibi attribuere nisi quod ei datum est VI 287 50 — dominari potest per potentiam creaturae corporali, non spirituali vel angelicae 167 v. 2 — positus est in hoc mundo sicut rex in regno *ib.* v. 3 — Propter hominem factae sunt ceterae creaturae VII 319 34

— creatus est ad imaginem Dei ex parte animae VI 124 v. 23 — creatus est ad similitudinem in gratuitis vel in potentia affectiva 125 v. 24 — creatus est ad imaginem Dei in naturalibus vel in potentia cognitiva *ibid.* — est formatus ad imaginem Dei VII 503 11 — quia ad imaginem Dei factus, maxime regitur a divina providentia 321 40 — Spiritus humanus est speculum, in quo relucet imago divina VI 158 v. 26

— factus est, ut serviat Deo VI 576 10 — factus est propter Deum VII 319 34

— pictus vel mortuus non est homo VI 167 v. 3 — est in medio inter creaturas visibiles et Deum 54 q. 2 — Dominus vitam hominis bestiis similem fecit 35 v. 17 — dissimilis est bestiis in anima, sed non aperte *ib.* v. 21 — habet ultra bestias rationem 36 q. — differt a bestiis secundum rationalem animae potentiam 216 v. 26 — est bestiis similis quantum ad visibilia, non quantum ad spiritualia 36 q. — bestiis similis est in morte et vita et in materia 35 v. 18 — non habet amplius iumento quantum ad actum vitae *ib.* v. 19 — communicat cum bestiis in corruptibilitate, vita et respiratione 36 q. — Carnalis credit, nihil habere hominem plus iumento *ibid.*

— creatus est potens non mori ex parte corporis VI 124 v. 23 — Hominis proprietas est esse mortalem 200 v. 15 — — potest mori ex prima conditione, sed necesse habet mori ex prima transgressione 151 v. 1 — est mortalis *ibid.* — de nativitate venit ad mortem 29 v. 2 — Parva est duratio vitae hominis 53 v. 10 — non semper vivit 35 v. 18 — generatur et corrumpitur quantum ad substantiam 14 q. 2

— post hanc vitam revertetur in nihil VI 119 v. 2 — dum corrumpitur, non cedit in nihil, sed in terram 12 v. 3 — Non solum hominis essentia et substantia, sed etiam fama transibit in nihilum 120 v. 4 — cum moritur, spem habet resurgendi VII 536 50 — circa mortem phantasias videt 439 40. 525 14

— est mutabilis VI 12 v. 3 — a mutabilitate nullo labore eripi potest *ibid.* — Tam in homine quam in eius operibus est mutatio et successio *ibid.* — habet mutabilitatem et varietatem et per hoc afflictionem 32 v. 9

— Hominis non est dare sensum et motum VI 208 v. 16 — non potest corpus augere nec vitae terminum protelare VII 320 38

— carne fragili indutus est VI 186 v. 8 ad peccandum est pronior *ibid.* — sequitur passiones corporis 113 v. 4 — Filii hominum sunt mali et carnales 72 v. 3 — redditur infirmus per culpam 19 q. 2 — Filii hominum sunt peccatores 32 v. 10

— In homine reperitur vanitas poenalitatis, iniquitatis, mutabilitatis VI 11 v. 2 — In hominem cadit poena et culpa *ibid.* — vadit a vero bono recedendo 20 v. 1 — est spiritus vadens per culpam 187 v. 10 — potest occidere animam suam, sed non vivificare 212 v. 14

— ex se non potest venire ad Deum, quia homo est gravis, via difficilis, virtus debilis VI 567 2 — Tria genera hominum a peccato liberantur et a Deo diliguntur 592 v. 5 — Deus parcit omnibus hominibus 184 v. 27 — Dominus circumspicit in omnes vias hominum 43 v. 1 — non latet Deum *ibid.*

— Mentibus hominum insita est veri bonique cupiditas VI 194 v. 6 — pervertunt iudicium a voluntate Dei declinando 312 54 — suum intellectum et affectum debet mittere et dirigere sursum 133 v. 3 — Omnes homines sunt liberi quantum ad statum naturae institutae 69 q. 1

— Omnis homo dicitur homo integer et perfectus et omnino iustus VI 99 v. 13

— recedendo ab uno factus est pronus ad multa et infinita VI 63 v. 30 — In rebus creatis hominis concupiscentia non finitur nec satiatur *ibid.* — Anima hominis obtenebratur, quando in his terrenis et infimis oculum figit 54 q. 2

— de se ipso nescit, utrum sit homo bonus, vel malus VI 71 v. 1 — non potest distinguere, utrum in praesenti Deo placeat et in futuro praemietur 75 q. 4 — nescit, utrum fecerit aliquid Deo placitum 305 13 — non scit futura nisi Domino revelante per gratiam 53 v. 1 — non potest invenire rationem operum Dei 71 v. 17 — Non est hominis nosse, quae eveniunt in aeternitate et in futuro 162 v. 8 — Purus homo sine sapientia Dei non potest scire consilium Dei 169 v. 13

— ipsam rerum substantiam nec mutare potest nec augere VI 34 q. — insufficiens est ad considerandum et videndum quae Dominus praevidet 24 v. 12 — deficit in inveniendo, fallitur in iudicando, deviat frequenter, innitens ingenio suo VII 315 19 — non potest se iustificare in iudicio cum Deo VI 53 v. 10 — omnis iudicabitur 35 v. 17 — turbabuntur in iudicio VII 526 17

— vivunt Deo vel potentia vel actu VII 515 44 — Deus se exhibet homini fratrem et familiarem VI 537 1 — Deus habitat circa homines ad protegendum, inter homines ad regendum, intra homines ad consolandum et sanctificandum 538 7 — fit templum Dei per dilectionem 308

31 1* — Deus hominem iustum exaltat in gratia, gloria et fama 595 2

— Operationes hominum corriguntur per donum sapientiae et Spiritus sancti missionem VI 170 v. 18 — per sapientiam sanatur a caecitate intellectus et corruptione affectus 171 v. 19 — ex naturali virtute insufficiens est ad intellectum iudiciorum Dei 167 v. 5 — capax est sapientiae tam creatae quam increatae *ib.* v. 2 — tentat, ut veritas innotescat probanti 320 14

— quia lapsus est per suggestionem angeli mali, congruum erat, quod resurgeret per ministerium boni VII 21 42 — perditus redemptus est per immensitatem divini amoris VI 282 26 — perditus salvatur per Christum a miseria, ditatur gratia, sublimatur in gloria 595 3 — Christus genus humanum proprio sanguine redemit 160 v. 1 — Genus humanum sanguine Christi redemptum est VII 548 29

— reconciliatus est per crucem VI 198 v. 7 — crucis virtute et imitatione transeunt mare huius mundi 197 v. 5 — De plenitudine Christi quidam homines accipiunt et ditantur, quidam autem accipere non merentur 539 8

— se disponit ad vitam spiritualem et etiam a Deo disponitur tripliciter VI 561 3 — se disponere debet secundum diversa tempora 58 v. 15

— Dominus in praesenti homines miseros esse voluit, ut eos probet VI 35 v. 17 — fructum habet post tribulationem VII 537 50 — per sex aetates cum Christo debet tribulari et crucifigi, ut in morte sua habeat sabbatismum 585 67

— Hominem in praesenti vita premit malum ignorantiae, culpae, poenae VI 602 1 — Homines sunt obsessi, ignari, miseri 538 7 — in vita est in periculo, in labore et in dolore 56 q. 1 — in hac vita existens quasi in aliena domo comparatur hospiti 142 v. 15

— humiliatur, dum ei sua infirmitas innotescit VI 320 14 — Humanae naturae vilitas consideranda contra superbiam 580 v. 1 — Ne homo excedat per praesumtionem, ostendit Dominus defectum humanae impotentiae; ne corruat per desperationem, subiungit auxilium miserationis divinae 567 1 — fragiles et proni ad vanam gloriam non debent se ipsos laudare 360 27 1* — Vita hominis est vanitas 74 v. 9 — in loco eminentiae de facile ruit VII 91 12 — Non est bonum esse inter homines VI 40 q. 1

— plantator vineae est Deus VII 503 11

— antonomastice est Dei Filius VII 384 8

— Tria genera hominum VII 348 44 — Quinque sunt differentiae hominum, duae bonae et tres malae 486 40 — Alia pars hominum intendit bonae actioni, alia contemplationi, tertia ambitioni VI 567 3

— quilibet est domus vel Dei, vel diaboli VII 333 78 — aut est sub potestate Dei, aut diaboli 292 47 — quos diabolus possidet, Christo repugnant 293 51 — capitur a diabolo ignoranter et per fraudem VI 76 v. 12

— animalis de Christo Deo non recte sentit VII 225 31 — brutalis non consurgit per spiritum 595 31 — brutalis non capit nec credit superna *ibid.*

— Stultus dicitur homo mundanus VI 52 v. 8 — mundanus, contemptis aeternis, inhiat terrenis *ibid.* — in quibus regnat ruditas intelligentiae, carnalitas concupiscentiae, cupiditas avaritiae, sunt porcini VII 392 27 — porcini nihil valent ad vitam, sed solum ad interitum *ibid.*

— spiritualis et bonus Deo est coniunctus per gratiam VI 97 v. 7 — spiritualis et bonus redit ad Deum in gloria post iudicium *ibid.*

— Humanum genus figuratur in homine, qui descendit ab Ierusalem in Iericho, id est a paradiso in mundum VII 271 62 — incidit in potestatem daemonum, qui spoliaverunt eum gratuitis et vulneraverunt in naturalibus *ibid.* — Subtracta fuit ei similitudo et remansit sola imago *ibid.* — est exspoliatus propter aversionem et vulneratus propter conversionem *ibid.*

— Humanum genus est caecum per carentiam lucis sapientiae VII 470 58 — est mendicans per defectum gratiae et iustitiae *ibid.* — Genus humanum excaecatum est per cupiditatem temporalium *ibid.*

— Indecorum est homini curare de cibo vel de veste VII 319 33

— Tres partes generis humani intelliguntur per tria sata farinae VII 349 45 — Genus humanum figuratur in duobus latronibus 575 38

— Humani generis reinventio iucunda vocatur gaudium nuptiale VII 386 13 — Pro humani generis reinventione exsultant caelestes cives *ibid.*

— Humani generis universitas intelligitur per duos filios VII 390 22 — designatur per drachmam unam 511 30 — figuratur in denario, quia est de limo *ibid.*

— fuit sicut ovis errans, quousque caruit pastore VII 384 9 — Pereunte homine, creaturae rationalis numerus erat imminutus *ib.* 10 — paratur ad ruinam vel per arrogantiam in prosperis, vel per inconstantiam in adversis 549 34

— infructuosus reciditur VII 536 50 — occupatus circa multa non fructificat *ibid.*

— comparatur ligno VI 88 v. 3 — est arbor eversa 133 v. 3 — assimilatur arboribus et quantum ad ortum et quantum ad occasum et quantum ad fructum VII 536 50

Honestum — praeferendum est suavi VI 55 v. 2

Honor — refertur ad aliquem aut sicut ad obiectum, aut sicut ad finem VI 429 27 — imaginis refertur ad prototypum sicut ad obiectum *ibid.* — missi refertur ad mittentem sicut ad motivum et finem, non primo sicut ad obiectum *ibid.*

— est a Deo VI 50 v. 1 — respiciunt sublimia *ibid.* — Notitia virtutis adiuvat ad honorem, sed notitia originis et infirmitatis impedit 302 83

— Ambitiosi capiuntur laqueo honoris VI 76 v. 12 — Corona honoris mundani est illusoria 617 7 — impiorum cito transeunt 140 v. 9 — Usurpare sibi alienum honorem est falsitas et iniustitia 343 23 — In susceptione honorum ab amicis familiaribus non est petendum consilium 324 34

— Honoris officium non est assumendum, nisi homo requiratur VII 111 94 — Honores et laudes omnino debemus contemnere, non appetere 305 87 — Honores sunt aquae transeundae VI 627 5 — despiciendus est a videntibus Salvatorem in cruce abiectum 629 9

— Qui amat honores non est Christi discipulus, sed scriba et Pharisaeus VII 305 87 — Corona Christi significabat honorem mundanum VI 617 7 — Quicumque coronatur corona honoris mundani, eius cor percutitur sollicitudine *ibid.*

— Magnum meritum est honorare Dominum et servum eius VI 428 24 — Deus putat se honoratum vel dehonoratum ex honore praestito misso ab eo 429 27

— Filii est Patris VI 309 42 — Filius est honorandus et timendus ratione iudiciariae potestatis *ibid.* — Pater vult, Filium honorari *ibid.* — Honorare Filium est honorare Patrem 428 24

Hora — gratiae advenit tempore Christi VI 295 36, 38 — novissima est gratiae 262 77 — gratiae nunc est 311 49

— passionis et redemptionis nostrae diu fuit exspectata et desiderata VI 417 32 — diei Christi sunt diversi status Christi 301 82 — Duodecim horae diei possunt dici duodecim status Christi, vel duodecim virtutes, quae fuerunt in Christo, vel duodecim fructus Spiritus 400 30

Hortus — est ad cibum VI 21 v. 5 — significat exteriorem clausuram 22 v. 7 — Per hortum intelligitur fertilitas bonorum operum 619 4

— conscientiae renovatur et fecundatur per gratiam VI 595 3 — spiritualis est Ecclesia et anima fidelis 632 1 — spiritualis est triplex 612 v. 1 — Christus hortum Ecclesiae ipse fecit, ipse excoluit, ipse virtutum pigmentis consevit, fonte gratiae suae, ne deficeret, rigavit, muro custodiae suae, ne ab extraneis profanaretur, conclusit 632 1 — Christus in horto fuit captus, in horto sepultus, in horto post resurrectionem inventus 611 v. 1

Hosanna — interpretatur gloria, redemptio, salvifica sive salvum me fac VII 494 59 — vox est obsecrantis et valet salva, obsecro VI 414 18 — est vox laetantis vel obsecrantis VII 494 58 — indicat magis affectum quam aliquam rem *ibid.* — Hosanna cantant qui obsecrant, ut salventur in caelis VI 594 v. 13

Hospitalitas — Ad opera et beneficia hospitalitatis debemus esse prompti VII 474 8 — Peregrini ad hospitium non solum sunt vocandi, verum etiam trahendi VI 231 v. 14. VII 596 36

— Per hospitalitatem Zachaeus salvatus est VII 475 9 — Lot liberatus est a Sodomis per Angelos hospitio receptos *ibid.* — Mulier Sunamitis per Eliseum, quem hospitio recepit, habuit prolem, et filius eius a morte suscitatus est *ibid.* — Mulier Sareptana suscipiendo Eliam periculum famis evasit *ibid.* — Qui hospitales fuerunt divinam gratiam adepti sunt *ibid.*

— Mutatio hospitii attestatur impatientiae VII 219 8

Hostiae — dicebantur sanctae VI 473 31

Hostis — Agit hostiliter qui spiritum vitae in fonte cordis exstinguit VII 426 4 — nostri sunt diabolus, caro, mundus VI 175 v. 14 — Hostes vincere non possumus nisi per donum gratiae divinae VII 539 58

Humidum — Per consumtionem humidi naturalis a calore corpus consumitur VI 120 v. 3 — Humor phlegmaticus abundat in corpore, quando deficit calor digerens 94 v. 5 — Humor digestus materiam subministrat in actu generationis *ibid.* — Humor deficit in senectute *ibid.*

Humilitas — veritatis est illa qua quis parva de se sentit VII 457 26 — caritatis est illa qua voluntarie quis se humiliat *ibid.* — quae totum Deo tribuit et nihil sibi, perfecte erit in patria, in via in viris perfectis 433 21

— vera est via Deum adducens VI 548 2 — est radix virtutum VII 579 45 — est totius iustitiae fundamentum 453 14 — est prima virtus Christianorum 454 17 — timorata est radix pietatis spiritualis 429 12 — ceterarum virtutum est radix, conservatio et custodia 432 19 — virtutes conservat 453 14

— est necessaria ad imitandum Christum VII 228 37 — est clavis scientiae 264 37 — Veritas fugit a mente, quae non est humilis VI 372 87. 453 14

— Humilis non audet ad Deum appropinquare, ut Deus ad eum appropinquet VII 455 21 — non aspicit, ut aspiciatur *ibid.* — Humilis non arbitratur se dignum accedere ad Deum 168 11

— Verae humilitatis est nullius societatem recusare, nec etiam alii onerosum esse VII 219 9 — perfecta consistit in subiectione non tantum sub superiore, sed etiam sub pari et inferiore 82 49 — Homo debet esse humilis per obedientiam VI 583 12 — perfectionis est, qua maior vadat ad minorem 260 64

— Humilis in affectu per contritionem spiritus est idoneus ad discendum verbum Domini VII 4 6 — est opportuna et praeambula ad intelligentiam mysteriorum 193 16

— Qui minor est per humilitatem maior est secundum divinam acceptationem et veritatem VII 244 89 — Qui magis se humiliat ille maior est, et qui maxime, est maximus *ibid.* — Quanto sumus humiliores, tanto sumus a tumore superbiae inaniores *ibid.* — Quanto quis humilior, tanto Christo similior et proximior *ibid.*

— Incentivum humilitatis est consideratio melioris VII 454 18 — Scriptura praetendit humilitatem VI 11 v. 2 — veritatis in intellectu et caritatis in affectu est nobis necessaria VII 457 26 — Ratio accepti obligat ad mentis humiliationem VI 539 7 — Debemus esse humilitate parvi 553 1 — Homo debet semper in se humilia recognoscere et dicere exemplo Christi 268 103 — Magna propter humilitatem a nobis removere debemus 11 v. 2 — Propter humilitatem non est relinquenda veritas 370 79 — Homo debet mori per humilitatem conversationis 590 13 — Per humilitatem quilibet debet alteri subiici 429 25

— Christi humiliatio illuminat ad humilitatem VI 301 83 (82) — Christi docet nos ordinari ad Deum 595 4 — Exemplum humilitatis a Christo accipiendum est *ibid.* — Ad humilitatem invitat nos Christus VII 363 19 — in corde et in exteriori conversatione inculcatur a Christo 550 37 — demonstratur exemplo 551 38 — commendatur a Christo exemplo parvuli 244 88

— Opera humilia Christi sunt imitanda VI 427 18 — Dominus in operibus humilitatis est imitandus 428 19, 20 — Christus inclinato capite emisit spiritum in exemplum humilitatis 618 3 — Post humilitatem a Christo ostensam periculosum est erigi in superbiam VII 551 38

— Amor propriae excellentiae suppeditandus per humilitatem VII 550 37 — regnare maxime debet in operibus 453 14 — insinuatur quantum ad gestum, quantum ad motum et quantum ad verbum 455 21

— etiam ad extraneos se extendit VII 245 90 — Signum humilitatis est impendere obsequium patri mortuo 250 106 — Humiles comitantur quem superbi despiciunt 375 51 — debet esse in contemplativis 273 67

— In commendationem humilitatis sedes personarum excellentiorum remotiores sunt ab altari VII 363 19 — Non est periculum humiliare se et inferiorem aliis se reputare 364 20 — Quantalibet humiliatio in anima non est timenda *ibid.*

— Humiles sunt amici Christi VII 364 21 — Humiles exaltantur a divina iustitia per divinam glorificationem 365 23. 366 25

— In humilitate est laus divinae potentiae VII 33 97 — vera Deum honorat 168 11. 365 25 — Qui se humiliat redit ad interiora, et virtus eius maior efficitur *ibid.* — Qui se humiliat terrenam gloriam calcat et superponitur omnibus inferioribus *ibid.* — Qui se humiliat appropinquat ad superiora et calcat inferiora 366 25

— Qui se humiliat se disponit ad perfectam gloriam et aeternam VII 433 21 — Salus ortum habet ab humilitate VI 429 25 — Inclinans se per humilitatem salvabitur 508 19 — Qui recusat humiliari propter superbiam cordis sui non introibit in regnum caelorum VII 460 32

— Deus altus venit ad humiles VII 170 19 — Mentis humiliatio conservat VI 539 7 — Humiles recipiunt pluviam compunctionis 304 12 — spiritualiter sepelit et recondit 590 13

— Humilibus promittitur exaltatio VII 551 40 — Perfectae humilitati debetur solium honoris 552 40 — Qui per humilitatem vincunt superbiae fastum sedebunt in throno cum Patre *ibid.* — Humiles exaltantur 73 12. 94 19 — Humilis praefertur superbo 457 25

— Deus plantavit humiles VII 33 97 — Deus tentat imperfectum, ut probatus sibi ipsi innotescat ad humilitatis meritum VI 320 14 — Qui ad memoriam reducit suam fragilitatem et iniquitatem se humiliat VII 339 13 — Intellectus humiliatur credendo se incapacem ad omnia sciendum VI 529 56

— Aliter humiliavit se Zachaeus, aliter centurio VII 170 19

— Oves sunt humiles, qui nolunt praeesse VI 384 5 — significatur per servos et ancillas 22 v. 7 — Humiles figurantur per poma convallium VII 68 108 — Humiles dicuntur valles 73 12

— recusatur ab animo hominis infirmi VII 405 5

Hydria — est vas aquae VI 94 v. 6. 269 6. 271 13 — significat curiositatem 97 v. 7 — significat considerationem 271 13 — sex implendae aquae sunt considerationes sex defectuum *ibid.* — implentur lacrymis poenitentiae *ibid.*

Hydropicus — quanto plus bibit, tanto plus sitit VII 361 11

— sua infirmitate viam praebebat ad confutandam et detegendam Iudaeorum perfidiam VII 359 4 — eius aegritudo corporalis valebat ad impugnandam et expurgandam aegritudinem spiritualem *ibid.* — erat ante Iesum ad misericordiam implorandam *ibid.* — implorabat misericordiam, quia homo infirmus *ibid.* — dimissus fuit a Christo corporaliter sanatus 360 7 — In eius sanatione confutata est Iudaeorum superbia *ibid.*

Hydropisis — est infirmitas incurabilis, quam Dominus sanavit VI 587 7 — Per hydropisim intelligitur gula *ibid.*

— designat omnem concupiscentiam et maxime avaritiam VII 361 11 — Septem sunt accidentia hydropisis, correspondentia ad septem vitia capitalia *ibid.*

Hyperbole — aliquando adhibetur in sacra Scriptura VI 530 57

Hypocrita — dicitur qui in iudicando alios praetendit zelum iustitiae et se ipsum non iudicando habet vitium intus latens VII 162 98 — ceteros reprehendit, ut in aliorum comparatione ipse sanctior videatur *ibid.* — cum intra sint mali, extra videntur perfecti 305 88

— opera sua manifestare quaerunt hominibus VI 340 5 — placet hominibus 27 v. 26 — non vult esse quod vult apparere VII 306 88 — Hypocrisis est donorum Spiritus sancti simulatrix 295 56 — simulat zelum Legis 344 30 — proprie fictus est VI 113 v. 5

— Hypocrisis non est peccatum capitale, quia eius corruptio aliunde causatur

VII 310 4 — originem trahit a vana gloria *ibid.* — comparatur fermento *ibid.*

— Hypocrisis vitium est vitandum tanquam maxime corruptivum VII 310 4 — Hypocrisis et simulatio debet elongari a cunctis operibus nostris, et maxime a devotione spirituali, ab afflictione corporali et a praedicatione divini verbi *ib.* 3 — Hypocrisis est vitanda propter universalem et plenam manifestationem interiorum, quae facienda est in iudicio 311 7

— Hypocrisis in religione christiana est, magis sollicitari circa naturalia quam circa gratuita VII 334 81 — exteriora ponderans, interiora negligit, quae sunt magis ponderanda 162 98 — stultus est qui sollicitius curat aliena facta quam propria *ibid.* — minima praeferunt maximis, transitoria aeternis, apparentia veris 306 88 — dimittit vitam gratiae pro vento superbiae VI 613 2 — opera pietatis exercent humanae laudis gratia 274 25 — crucem portat pro laude humana VII 572 30

— receperunt mercedem suam pro amore terrenitatis et carnalitatis VII 367 29

— ficte laudant VII 510 27 — inconstans est VI 111 v. 1

— se non subiicit voluntati Domini VI 111 v. 1 — abscondunt a Domino consilia sua VII 73 12

— vult possidere patrimonium Christi titulo mercenariae conductionis VI 581 3 — non per ostium intrat in ovile Christi, sed per fallaciam *ibid.* — negat Christum per praesumtionem, quia negat Christum vitam 613 1 — non sunt filii Sponsi, immo omnino oppositi VII 305 88

— Pharisaei erant hypocritae VI 112 v. 12

— In hypocritis secure habitant spiritus nequiores VII 295 56

— Iudicare de hypocritis non est hominis cuiuslibet, sed Christi VII 306 88 — Ad hypocritas Christus comminatur vae 295 56

# I

Iacob — interpretatur supplantator, et per eum insinuatur virtus fortitudinis VII 143 36 — interpretatur luctator et designat spem 144 39. 214 91. 232 49

— a Deo Israel vocatus est VII 36 110 — Ei prohibitum fuit ab amplexu Liae ad Rachelem immediate transire 20 36 — Ei data est intelligentia rerum sacrarum, quas viderat VI 174 v. 10

— in pascendis ovibus multos labores sustinuit VI 174 v. 10 — fugiens et declinans ab ira fratris deductus est a Deo in Mesopotamiam *ibid.* — Deus ostendit Iacob in via per imaginariam visionem regnum Dei *ibid.* — vidit scalam et Dominum innixum scalae et certificantem ipsum de promissis 631 17

— Dominus Iacob fecit divitem VI 174 v. 11 — Sapientia Iacob ad patrem suum in terra Chanaan reduxit *ib.* v. 10 — Laban et filii eius persecuti sunt Iacob et spoliare eum volebant *ib.* 11 — Esau intendebat Iacob capere, quando veniebat in occursum eius *ibid.* — praemisit Esau oblationem munerum *ibid.* — luctatus est cum Angelo 175 v. 12

— in benedictione filiorum Ioseph manus cancellavit ad modum crucis VII 423 55

— significat electos VI 453 32 — est figura Christi VII 596 34

— Fons Iacob dicitur ille quem Iacob invenerat VI 290 7. 292 20

Iacobus — erat inter Apostolos familiares Christi VII 524 12 — Filii Zebedaei fuerunt socii cum Petro in exercitio piscationis 118 20 — et Ioannes simul cum Petro sunt vocati, simul electi et assumti ad miraculorum operationem *ibid.* — et Ioannes simul cum Petro assumti ad transfigurationem et etiam ad orationem *ibid.*

— primus interficiendus erat inter Apostolos pro Ecclesia multiplicanda VII 230 45 — est figura activorum et in eo designantur continentes *ibid.*

— et Iudas erant fratres Domini VI 340 4

Iactantia — facit hominem clamare VII 241 76 — Mali exaltantur in ore per iactantiam VI 596 5 — Contemplantes debent fugere iactantiam mundanam 619 v. 2

Iahel — fuit benedicta VII 29 79

Iairus — erat persona notabilis ex principatu VII 209 74 — interpretatur illuminatus *ibid.* — Eius nomen respondebat officio et dignitati *ibid.* — erat princeps synagogae *ibid.* — exaltatus in principatu non est exaltatus, sed humiliatus per reverentiam *ibid.*

— Filia eius amabilis ut unica et ut tenerae aetatis VII 209 75 — Mors filiae eum multum tristabat *ibid.* — Christi maiestatem honorat sua reverentia et implorat pietatem cum fiducia *ib.* 74 — rogavit cum instantia propter indigentiam *ibid.* 75 — exauditus propter reverentiam et confidentiam et indigentiam *ib.* 76 — credenti per confidentiam promittitur filiae salus per divinam potentiam 214 89

— reputans filiam suam quasi mortuam credebat, Christum posse suscitare mortuam VII 210 76 — tentatur in fide per dissuasionem humanam 213 88 — Eius nuntius de filia mortua non credebat, Christum posse mortuum suscitare *ibid.* — Eius nuntius noluit, Christum vexari, ex diffidentia, non ex reverentia *ibid.* — roboratur in fide per suasionem divinam, confortatus est per verbum vitae solidans fidem *ib.* 89. — Eius fidem Dominus adiuvat per miraculum in ipso itinere 214 89

— Filia iacebat in domo luctus VII 214 90 — Puella vere mortua, sed suscitanda quasi dormiens 215 92 — In suscitatione eius filiae fuerunt testimonia idonea 214 90, 92 — Testes non idonei eiecti fuerunt in suscitatione eius filiae 215 92

— Quadruplex genus causae in suscitatione puellae VII 213 87 — Filia imperio Christi suscitata per unionem animae cum corpore surrexit per vitalem operationem 215 95 — Surrectio eius filiae non fuit phantastica, sed vera 216 96 — Puellae vera suscitatio probatur signo manducationis *ib.* 97 — obstupuit quasi magnitudinem divinae potentiae ferre non valens *ib.* 96 — Parentes puellae obstupuerunt admiratione potentiae Christi *ib.* 98

— Puella mortua in domo significat peccantem in consensu VI 563 2. 585 1. 593 v. 44 2. VII 172 32. 215 96 — Suscitatio puellae significat suscitationem peccatoris a morte VII 214 91 — dicitur statim surgere, significans remissionem peccati cogitationis 215 96 — Christus praecepit dari ei manducare, significans peccatores suscitatos a praedicatoribus pascendos VI 591 4

Ianua — paradisi aperta est morte Christi VI 592 3 — aperta est post passionem Christi 286 48

— virtutum est fides VI 385 11 — Sacramentorum est baptismus *ibid.*

Idida — idem est quod dilectus Domini VI 10 q. 3 — vocatus est Salomon *ibid.*

Idolum — Idola sunt dii appellatione, non natura VI 194 v. 10. 198 v. 8 — dicitur Deus sola aestimatione 394 56 — Idololatria est cultus, quo colitur quod non est Deus VII 280 11 — est Deus de pulvere et cinere fabricatus VI 207 v. 10 — Idolo opus est adiutorium humanum 195 v. 16 — est deus falsus, qui sine anima est *ib.* v. 17 — est omnino impotens et mortuum, id est omnino vita carens *ib.* v. 18 — non potest iuvare se vel alium 196 v. 18

— fragilius est ligno portante se VI 196 v. 1 — Lignum idoli cupiditas acquirendi excogitavit *ib.* v. 2 — non sapientia divina, sed terrena, animali, diabolica factum est *ibid.* — nemini nocere potest 203 v. 29 — est fragile, quia de fragili materia 198 v. 8

— Vilitas idolorum apparet ex vilitate materiae et artificis VI 206 v. 7 — est res inanimata 198 v. 8 — est terra vacua et nihili 207 v. 10 — in omnibus est inutile 196 v. 19 — est res inutilis 207 v. 9

— Idola sunt animalia artificialiter sculpta, non naturalia VI 190 v. 24 — Idola quantum ad materiam sunt facta de auro et argento, quantum ad formam sunt figura aliqua arte inventa 194 v. 10 — Idololatria varia obiecta ut Deum adorat 192 v. 2 — Idololatria hominem honorat honore latriae 200 v. 20 — in exterioribus et non in interioribus potest habere configurationem hominis 195 v. 13

— Exquisitio idolorum est initium fornicationis spiritualis VI 199 v. 12 — Idololatria fornicatio dicitur in Scriptura 366 58 — Idololatria est error praecipuus 205 v. 4

— Idololatria honor divinus ad creaturam transfertur VI 191 v. 1 — Idololatria adorantur vel Dei creaturae vel colentium propriae facturae *ibid.* — Idololatrae adorant imagines ut res, putantes, in eis aliquod vivum esse 196 v. 19 — Idololatrae, licet idola ut veros deos colant, non tamen eis inesse omnipotentiam putant 203 v. 29

— Causa idololatriae est, quia Deus nec cognoscitur fide nec ratione VI 192 v. 1

— est daemon praesidens idolo VI 198 v. 9 — In idolo considerari debet spiritus praesidens et figura ligni *ibid.* — Diabolus in idolo maledicitur maledictione culpae et poenae *ibid.* — Lignum idoli maledicitur maledictione detestationis et infamiae, quia est materia vel occasio culpae *ibid.*

— Idola non sunt a Deo, sed sunt hominum fictio VI 199 v. 13 — Idola non erunt in perpetuum, sed destruentur, conversis hominibus ad cultum unius Dei *ibid.*

— Iurare per idolum est divinum cultum idolo tribuere VI 203 v. 30 — Qui iurat falso per idolum dupliciter peccat *ibid.*

— Ars idola fabricantium est mala VI 205 v. 4 — Amatores idolorum digni sunt morte temporali et aeterna *ib.* v. 6 — Ex idolis multa peccata proveniunt 206 v. 6

— Spiritualis transitus maris VI 626 v. 7 — Divisio maris conscientiae est scissio cordis per contritionem 566 3 — Dominus tranquillat mare temporalis miseriae proficientibus *ib.* 4 — Maris placatio est mitigatio tribulationis *ibid.* — Dominus mare negotiationis mundanae calcabile facit viris perfectis *ib.* 5

Maria — Nomen Virginis est mysterio plenum VII 22 45 — interpretatur stella maris, sive amarum mare, quae significant lumen vitae contemplativae, vel amaritudinem vitae activae 57 55 — interpretatur dominatrix et mare amarum, et per eam intelligitur virtus fortitudinis quantum ad magnanimitatem et potentiam 64 89 — interpretatur mare, stella et domina 22 45 — interpretatur stella maris 21 44 — est stella promissa per prophetam Balaam *ibid.*

— fuit promissa David VII 21 44 — erat de familia David 39 124 — est Virgo praeparata, praevisa, praefigurata 22 45

— De Maria parum fit sermo in Scriptura sacra VII 85 58 — Non ponitur in genealogia Christi *ibid.*

— nullam puram creaturam habet superiorem nec etiam aequalem VII 179 52 — propter inaestimabilem dignitatem dicitur regina 23 48 — fuit excellens dignitate, virtute et caritate 22 46 — In Maria reperitur plenitudo excellentiae VI 538 2 — cum esset Mater Dei, fecit se ancillam et ministram VII 276 78 — est ancilla Dei VI 167 v. 5

— designata fuit per Abigail propter nimiam humilitatem VII 276 78 — designata fuit per Esther, quae erat formosa valde et incredibili pulcritudine 22 47 — figurata fuit per Ruth 26 68

— fuit virgo pudica VII 21 44 — est virgo mente et carne et proposito 24 61 — non cogitabat quae carnis erant, sed quae Domini sunt 25 61 — quia omnino habuit exstinctam concupiscentiam, dicitur petra deserti 294 52 — eius castitas probata est testimonio Ioseph 21 44 — in habitatione cum sponso dat exemplum honestatis 34 103 — dispositioni Spiritus sancti se committens, consensit in matrimonium VI 271 15

— mulier vocatur non a fragilitate, sed a natura et sexu VI 269 4 — est mulier fortis *ibid.*

— In Maria fuit mirabilis adaequatio, quando convenerunt fides et ratio, mater

et virgo, Deus et homo VI 548 4 — Omnes affectiones Mariae caritate erant informatae *ibid.* — fuit a Deo ornata in conversatione bonis cogitationibus, sanctis affectionibus, virtuosis operibus *ibid.* — In comparatione Matris Domini nulla invenitur perfecta, quantumcumque virtutibus eximia comprobetur VII 277 80 — Inter mulieres ipsa sola est optima per omnimodam superabundantiam *ibid.*

— fuit perfectissimae vitae activae et contemplativae VII 276 75 — fuit maxime contemplativa 277 79 — penetravit abyssum divinae sapientiae, ultra quam credi valeat *ibid.* — Perfectissime et integre datum fuit ei quod per partes Mariae et Marthae 276 76 — In Maria perfectissime fuerunt divinum hospitium, ministerium et contubernium *ib.* 77 — sub nomine Mariae et Marthae commendatur quoad multitudinem praerogativarum 277 80 — elegit optimam partem et in gratia et in gloria *ibid.* — In eius assumtione appropriatum fuit Evangelium Mariae et Marthae non per humanam inventionem, sed per divinam inspirationem *ibid.*

— invenit gratiam electionis et perfectionis et desponsationis ut sponsa Dei et mater Filii Dei VII 23 54 — invenit gratiam propter humilitatem et mansuetudinem 24 54 — per humilitatem se ad gratiam singularem praeparavit 26 68 — Deus respexit Mariam propter humilitatem 31 90 — invenit gratiam et misericordiam super omnes mulieres in conspectu Dei 27 70

— est amabilis propter bonitatis plenitudinem, venerabilis propter dignitatis altitudinem, praedicabilis propter laudis amplitudinem VII 22 46 — est amabilis ut gratia plena 22 47 — per beneficium gratiae facta est amabilis Deo et laudabilis hominibus 31 90 — propter dignitatem maternam est diligenda et veneranda et cum omni fiducia adeunda tanquam summae misericordiae mater 29 81 — semper salutanda, ut per eam gratiam inveniamus 27 70

— benedicitur benedictione, quam Dominus Abrahae promiserat, quam Isaac praedixit Iacob, et Iacob confirmavit et Moyses desideravit VII 29 78 — benedicta est super mulieres, quarum benedictiones in ea impletae sunt *ib.* 79 — est benedicta propter universale remedium 23 49 — est benedicta inter mulieres, vel super omnes mulieres, vel a mulieribus *ibid.* — fuit beata propter meritum castitatis, beatior propter consilium virginitatis, beatissima propter privilegium fecunditatis 31 91 — optimam partem elegit, nempe fecunditatem coniugalem, castitatem virginalem, fecunditatem virgineam 276 76

— quia statim verbo Dei nuntii credidit, fuit beata VII 18 32 — beata dicitur per fidem 30 83 — ex multiplici causa fuit beata *ib.* 84, 85 — fuit beatissima, quia concepit Filium Dei *ib.* 85 — benedicta praedicatur, quia concepit Christum 61 75, 76 — fuit beata ex duplici Christi susceptione 276 76 — non tantum beata fuit, quia Christum gestavit in carne, verum beatior, quia perfectissime gestavit in mente *ibid.* 297 62 — praedicatur beata, quia Mater Filii Dei 296 59, 60 — dicitur beata propter lactationem *ib.* 61

— In Maria habitavit plenitudo Divinitatis corporaliter VI 538 2 — Deus est in Maria excellenti et singulari modo tanquam in proprio tabernaculo VII 22 48 — Dei Filium suscepit VI 549 4

— dicitur domus Dei propter Christi conceptionem, porta propter Christi partum, scala propter ascensum ad Deum VII 27 70 — fuit templum a Deo dedicatum in sanctificatione VI 548 4 — fuit templum a Deo inhabitatum in incarnatione 549 4

— designata fuit per scalam, per quam Angeli ascendebant et descendebant VII 27 70 — est porta caeli, quod nullus potest intrare, nisi per Mariam transeat *ibid.* — Deus ad nos venit per Mariam, et per ipsam nos oportet redire in Deum *ibid.* — Per Mariam accedendum est ad Christum, quia invenit gratiam apud Deum 52 37

— in suscipiendo Christum fuit castellum turribus virtutum munitum et elevatum VII 276 77 — Prima eius turris fuit fortitudo districtionis, quia nullo vitio potuit superari, secunda rectitudo discretionis, tertia multitudo devotionis propter dulcedinem devotionis, in qua excellebat *ibid.* — Istae tres turres in Maria aedificatae fuerunt a Spiritu sancto per gratiam super tres potentias animae *ibid.* — quia fortissima, prudentissima et devotissima, fuit castrum idoneum ad suscipiendum Filium Patris dilectum *ibid.*

— figuratur per arcam foederis VII 22 46. 53 40 — fuit arca continens divina eloquia, designata per arcam Moysi 53 40 — designata est per arcam foederis propter devotionem caritatis 277 79 — designatur per virgam Aaron propter multam rectitudinem virtutis *ibid.* — figuratur per tabulas testimonii propter cognitionem contemplationis veritatis *ibid.*

— in audiendo Angelum fuit prompta et modesta VII 23 50 — in affectu fuit verecunda *ib.* 51 — prudenter cogitabat de salutatione Angeli *ib.* 52 — salutatione Angeli fuit turbata propter pudorem innocentiae, sed non perturbata propter splendorem intelligentiae *ibid.* — de conceptione quaerit, quomodo fiat, ut consentiat 24 60. 25 61

— quia Angeli dictum credit esse verum, dat expresse responsum consentaneum VII 26 67 — ad verbum Angeli statim consensit 349 45 — Consensus Virginis est vox dulcissima hominibus, Angelis et ipsi Sponso 26 69

— Cum recessit ab ea Angelus, remansit cum ea Dei Filius VII 27 70 — quia corde concepit verbum fidei, ventre concepit Filium Dei 26 67 — concepit Verbum Dei secundum verbum Angeli *ib.* 69 — per consensum mox concepit Filium Dei *ib.* 67. 27 70

— In thalamo uteri virginalis celebratae sunt nuptiae Agni VII 362 16 — In thalamo uteri virginalis consummatum est matrimonium inter divinam et humanam naturam et inter Christum et Ecclesiam *ibid.*

— credendo concepit et concipiendo beatitudinem omnibus gentibus quantum ad sufficientiam protulit VII 30 85 — in conceptione fuit magnificata et sanctificata 32 93 — laudabilis fuit in concipiendo, quia fide concepit 297 62, 63 — suscepit Christum in thalamo corporis et in thalamo cordis 276 76

— concepit intra, nihil recipiens ab extra VII 25 55 — Virtus Altissimi obumbravit ei, ne sentiret concupiscentiam *ib.* 62 — Conceptionem sine virili semine figuravit virga Aaron, quae floruit; conceptionem sine libidine rubus, qui non comburebatur *ib.* 63 — fecundata virtute Spiritus sancti non prolem viri generavit, sed prolem Dei, non peccatorem, sed Sanctum *ib.* 64 — Conceptus Virginis supra naturam figurabatur et credibilis fiebat conceptu sterilium *ib.* 65 — De semine Virginis potuit concipi qui de lacte eius potuit nutriri 297 61

— cum esset Mater Domini, dignatione admirabili visitavit ancillam Dei VII 29 81 — surrexit diluculo, ut ministraret Elisabeth seni et debili 28 72 — abiit in montana ad explorandam veritatem *ibid.* — eam non retardavit viae asperitas nec itineris prolixitas, nec in itinere fecit moram *ibid.* — salutavit Elisabeth, salutem in Ierusalem apportando *ib.* 74 — Veritas testimonii demonstratur per praeconium admirativum propter divinam maternitatem, et laudativum propter dignationem, per indicium probativum propter exsultationem infantis in occursu Salvatoris, per oraculum affirmativum propter benedictionem 29 81. 30 82

— manebat cum Elisabeth sicut sedula obsecutrix, non statim abscessit nec egrediebatur nec circuibat sicut curiosa investigatrix VII 34 101 — cum Elisabeth exspectavit nativitatem praecursoris *ib.* 102 — reversa est, quia sponsus et familia sua reditum desiderabat *ib.* 103 — dat exemplum omnibus imitandum *ibid.*

— in cantico laetitiae laudat divinam clementiam propter excellentissimam gratiam sibi collatam VII 30 86 — quia prae ceteris se ipsam humiliavit, ceteris altius Dominum magnificavit *ib.* 87 — Intentio cantici Mariae est Deum perfecte laudare 31 87 — eius canticum est de maximis beneficiis *ibid.*

— eius affectus exsultat iucunde in divina salute VII 31 88 — Dominum quaesivit et salutare dilexit *ibid.* — Animam eius Dominum magnificavit, et spiritus eius in salutari Dei exsultavit *ibid.* — eius anima secundum suum supremum interius exsultavit, secundum comparationem ad corpus voce magnificabat *ib.* 89

— laudat Dominum in opere redemptionis, quia manifestativum misericordiae,

liberans et salvans VII 32 95 — laudat Dominum in opere redemptionis, quia manifestativum potentiae in deiectione daemonum superborum et divitum iniquorum *ibid.* — laudat Dei potentiam in deiectione superborum daemonum et tyrannorum 33 97 — laudat Dominum, secundum quod est manifestativus largitatis *ib.* 98 — laudat Deum ut manifestativum veritatis promissi *ib.* 99 — eius canticum incipit a magnitudine summi principii et finit in aeternitate finis 34 100 — in suo cantico ostendit consummationem omnium beneficiorum promissorum *ibid.* — eius canticum est consummativum omnium laudum et canticorum et etiam Scripturarum *ibid.*

— cum Filio Rege voluit obedire imperatori, ut daret exemplum obtemperandi omni potestati VII 46 8 — non potuit invenire domum, sed peperit in angusto loco diversorii 47 14 — paupercula pauperem peperit Christum, ut nos ad paupertatem invitaret et sua inopia ditaret *ib.* 15

— fecundata est sine corruptione, concepit sine libidine, peperit sine dolore, quia non ex virili semine, sed ex Spiritus sancti virtute VII 25 62. 296 60 — concepit sine pudore, peperit sine dolore 46 10 — peperit sine parturitione et dolore 24 55 — habuit fructum uteri cum salute *ibid.* — Partus sine dolore designatur in rore et vellere, quod non sentit corporis passionem 25 63 — in partu erat porta clausa, nec dicitur aperta nisi propter fecunditatem, ablata sterilitate 56 53 — celavit partum virginalem annis triginta 239 69

— fuit Mater Christi vera et perfecta, quia non solum genuit, sed etiam educavit VII 297 61 — Solis uberibus Virginis beatissimae lactatus fuit Christus 296 61

— non erat subiecta legi purificationis, quia non suscepit semen, sed humilitate obediens VII 56 51 — Mira erat paupertas Virginis, ut agnum non haberet 57 54

— mirabatur super his quae dicebantur de Filio VII 61 74 — conservabat omnia, quae audierat a Iesu, ut testimonium ei perhiberet 68 109 — maxime appropinquavit ad Christum et maxime verba eius suscepit et aliis reservavit 276 79 — conservabat verba pastorum in corde tanquam prudens et discreta et ea intelligebat 53 40

— Cum beata Virgine manserunt multi Angeli, qui custodiebant eam tanquam locum divinae habitationis electissimum VII 27 70 — Angeli, qui custodiebant Mariam propter infirmitatem carnis, cultum reverentiae exhibebant propter dignitatem Matris *ibid.*

— non fuit reprehensibilis, quando amisit puerum Iesum VII 66 96 — cum dolore requirebat Iesum amissum *ib.* 97. 68 105 — Fiducialius quam Ioseph loquitur puero Iesu 68 105 — interrogat Filium de causa dimissionis *ibid.*

— ivit ad nuptias ratione affinitatis tanquam officiosa VI 269 1 — miserans sponsi inopiam obtinuit miraculum *ib.* 3 — non poterat praecipere Christo facere miraculum, secundum quod mater *ibid.*, 4. 273 17 — fiducialiter praecipit ministris, certo exspectans miraculum 269 4, 5 — non debebat petere miraculum propter indigentiam consanguineorum, sed ad manifestandam Christi gloriam 272 17 — ut mulier sancta impetravit miraculum 273 17

— pauperibus convivii adhibet solatium compassionis, consilium instructionis, suffragium orationis VI 547 1 — Ad preces Virginis, ipsa intercedente, facta est gratia in nuptiis Christi et Ecclesiae 271 12 — obtinet aquam compunctionis, quae convertitur in vinum devotionis *ib.* 13 — Bonum est Matrem Iesu ad suum convivium invitare 547 1 — debet esse in conviviis spiritualibus 545 5

— in morte Filii sui non fuit elongata nec affectu nec situ VII 583 59 — affectu fuit Filio propinquissima 276 79. 583 59 — stetit iuxta crucem Christi VI 497 37. VII 276 79 — super omnes compatiebatur VI 497 37 — quia veraciter Christum diligebat, ex affectu intimo vehementer compatiebatur VII 61 78 — in passione Christi transfixa est gladio compassionis *ibid.* — ex compassione facta est plus quam Martyr *ibid.* — dolores, quos pariens effugit, tempore passionis sustinuit *ibid.* — quem in nativitate cum gaudio peperit in passione cum doloribus parturivit 583 59 — recommendatur Ioanni, ut de eo confidat sicut de filio VI 498 38

— compatitur miseris VI 271 13 — est advocata ad intercedendum 603 v. 16 — Nomen Virginis in necessitatibus invocandum VII 22 45

— Secundum aliquos fuerunt tres Mariae filiae Annae VI 498 37 — Cleophae fuit mater Iacobi *ibid.*

— **Magdalena** dicta est a Magdalo castro VI 498 37 — soror Lazari erat illa peccatrix, quae unxit pedes Christi 397 16 — eius infamia innotuerat toti civitati, quia fornicaria manifesta erat VII 182 64 — Peccatrix merito dicitur et ratione infamiae et ratione frequentiae *ibid.* — non solum culpam iteraverat, sed et diversis modis peccaverat 183 64 — septem daemonia habuit *ibid.* 189 3 — erat notabilis ratione enormitatis peccati 189 3

— fuit pie a Domino suscepta propter poenitentiam VII 182 62. 184 69 — fuit admissa ad familiaritatem obsequii 182 64. 183 65 — propter pietatem Domini, quam cognovit, attracta fuit 183 65 — introivit ad poenitentiam per considerationem divinae misericordiae VI 560 v. 2

— attulit ad domum Pharisaei, ubi Christus accubuit, unguentum humilitatis VII 183 65 — unguenta attulit propter impendendum familiare obsequium *ibid.* — exhibuit Christo ex devotione quod sibi exhibuerat ex libibine *ibid.* — propter affectum poenitentiae et benevolentiae admissa fuit ad abluendum, detergendum, deosculandum et ungendum sacratissimum corpus Christi *ibid.* — unxit pedes Christi dilectione benevolentiae pura, affectuosa et devota *ib.* 66

— pudore stabat retro, timore secus pedes, dolore lacrymis rigabat VII 183 66. 184 70 — magis curabat de infima parte corporis sui quam de suprema 183 66 — non quaerebat placere mundo, sed soli Christo *ibid.* — fuit perfecte conversa et reversa *ib.* 67

— ut perfecta poenitens oculis serviebat ad lacrymandum, capillis ad abstergendum, ore ad osculandum, unguentis ad ungendum VII 183 67 — lacrymas in tanta copia fudit ad modum fontis et rivuli 186 75 — Mirabilis eius affectus et gratia interior in lacrymas profluebat exterius *ibid.* — non cessabat ab osculo, quia non cessabat ab interiori desiderio *ibid.* — flendo et lacrymando dat intelligere contritionem 212 86

— Per Mariam plorantem intelliguntur poenitentes VI 601 v. 23 — ut exemplum contemplationis semper quasi describitur plorans VII 273 67 — eius lacrymae fuerunt compunctionis, compassionis et devotionis *ibid.* — flevit compunctione, compassione et devotione VI 507 19

— maiorem affectum habuit ad Christum quam Pharisaeus VII 186 75 — verius et ferventius dilexit Christum quam Pharisaeus 187 77 — Dilectio eam a peccato purgavit *ib.* 78 — Ardor caritatis in ea rubiginem peccatorum consumsit *ib.* 79 — Dilectio eam in merito perfecit *ibid.* — Dilectio eam Pharisaeo praeposuit *ib.* 80 — Remissa sunt ei peccata non solum quoad culpam, sed etiam quoad poenam 188 82 — salva fuit a peccatis per fidem *ibid.* — In ea iustitia fecit pacem cum Deo et cum conscientia 188 84

— erat in otio contemplationis perfecta VII 272 66 — eius otium erat Domino intendere, vacare, sedere et tacere *ib.* 67 — Per eius sessionem secus pedes Christi intelligitur humilitas 273 67

— contemplativa optimam partem elegit VII 275 73. 277 80 — unum praeelegit, qui est simpliciter optimus 275 73 — Laudatur eius pars, quia non auferetur ab ea *ib.* 74 — Eius pars est simpliciter melior et eligibilior *ibid.* — nihil perdit tacendo, quia Dominus causam eius assumit defendendo 273 69

— suscepit Christum in hospitio domus interioris VII 276 76 — non discumbebat nec ministrabat, sed ipsa Dominum speciali refectione pascebat VI 410 3 — et Martha typum gerunt societatis bonae 586 v. 1 — invenitur commendabilis quantum ad intellectum ex discretione, quantum ad affectum ex dilectione, quantum ad effectum ex operum pietate 594 v. 7 2

— et Martha introducuntur ut principales, quia firmitate animi et virtute Lazarum excedebant VI 396 12 — mulieres optimae et fideles cognoscebant Christi potestatem, reverebantur eius maiestatem, sperabant de eius bonitate *ib.* 13 — sperabant mortuo Lazaro, quod Dominus ipsum resuscitaret 397 14 — earum devotio et

fides meruit Lazari resuscitationem 400 31. 402 44

— Iudaei consolabantur Mariam et Martham de fratre defuncto VI 399 29 — quasi dolore tacta, non valens diu sustinere, credebatur ad monumentum fratris ire 402 42

— Maria erat quieta VI 400 31 — quieta non venit nisi vocata a Martha 401 39 — devote venit ad Christum *ib.* 40 — devote cecidit ad pedes Iesu 402 43

— mira devotione unxit pedes Iesu VI 394 3 — unxit Christum sex dies ante pascha 412 11 — pedes unxit et deinde totum unguentum super caput effudit *ibid.* — Unguentum triginta argenteorum effudit super caput Christi VII 541 6 — circa Dominum vehementi devotione flagrabat, quae in unguento effuso exprimitur VI 410 3 — excusatur a Domino, quod unguentum effuderit 411 7 — Mariae Iudas insultabat quasi de male facto *ibid.* — melius fecit ungendo Christum, quam si dedisset pauperibus *ibid.* — unguentum conservavit in diem sepulturae, praeveniendo 413 13

— ter unxit Dominum VI 411 10 — ter legitur venisse ad Dominum ungendum VII 184 70 — triplex unguentum Domino obtulit et in triplici statu VI 593 v. 3

— ante passionem Christum Deum esse credebat VI 511 34 — vehementissime Christum in carne amabat *ibid.* — in passione Christi tantum dolorem concepit, ut non nisi de humanitate et morte cogitaret et non recoleret opera Maiestatis *ibid.*

— magis doluit Christi corpus ablatum, quia eum adhuc carnaliter cognoscebat et amabat VI 505 3 — renuit consolari propter absentiam corporis Domini 508 21 — minus de resurrectione sperabat, ideo de sublato corpore dolebat 510 29 — ex compassione amare flebat ad sepulcrum *ibid.* — quaerebat Christum sicut sponsa 508 23 — non solum videre, sed tollere volebat corpus Christi *ibid.*

— summo diluculo venit ad requirendum corpus Christi, sollicita ipsum videre VI 504 2 — multum ferventior erat ad requirendum Christi corpus quam aliae mulieres 506 11. 507 19 — primo venit ad monumentum, cum adhuc essent tenebrae, et postquam vocavit discipulos, iterum rediit 506 13 — viso monumento aperto, diligenter refert discipulis 505 2 — vehementius discipulis ardebat et ferventior erat, ideo sollicitior remansit ad sepulcrum 510 29 — ferventius aliis mulieribus dilexit et prior ad monumentum venit et prae ceteris diutius perseveravit VII 590 13 — Vehemens desolatio Mariam inquietam non sinebat recedere a sepulcro VI 507 18 — perseveranter manebat, ideo invenit *ib.* 19. 510 28

— ex amore iterum respexit in monumentum VI 510 30 — respiciens in monumentum vidit duos Angelos sedentes 511 32 — Ipsi desolatae offertur consolatio in aspectu et affatu Angelorum 507 19. 508 20, 21 — vidit Angelos ad monumentum et ipsum Dominum VII 590 13

— Primo apparuit ei Dominus VII 590 13 — conversa ad Christum vidit eum primum oculis corporis, non cordis VI 508 22 — non recognoscit Christum per colloquium *ib.* 23 — non statim cognoscebat Christum, quia dubitabat 511 33 — cum Christus ei non statim se manifestavit, magis accendebatur *ibid.* — nominatim vocata cognoscit Christum, quia corde ad eum conversa per intellectus captivationem 509 24

— reprehenditur, quia adhuc carnaliter in Christum credebat VI 509 26 — fervens volebat in oscula pedum ruere et Christum non dimittere, sed a Christo mittitur ad annuntiandum *ibid.* — mittitur ad annuntiandam resurrectionem *ibid.* 510 27

— Per Mariam intelliguntur contemplativi VI 592 v. 5 — Per Mariam domi sedentem significatur contemplativa 400 31

Martha — videtur fuisse mulier haemorrhoissa a Christo sanata VII 210 78

— Per Martham intelliguntur activi VI 400 31. 592 v. 5. VII 446 59 — Per Martham sollicitam intelligimus vitam activam VI 410 2 — Per Martham ministrantem intelliguntur obedientes 601 v. 23

— suscepit Christum in hospitio domus exterioris VII 276 76 — tanquam bona activa declinabat otium 273 68 — In eius opere erat perfectio et debitus modus *ibid.* — laboriosa conqueritur de Maria otiosa *ib.* 69 — propter oneris gravitatem quaerebat auxilium Mariae *ibid.* — secure requirebat Christi iudicium, ut sororis impetraret auxilium *ibid.* — aliquando conqueritur, aliis suum officium praeponendo, et tunc est reprehensibilis *ib.* 70 — aliquando conqueritur, otium Mariae praeoptando 274 70

— excitatur ad considerandum defectum proprium VII 274 71 — Triplex eius defectus *ibid.* — vacans operi reprehenditur a Christo, quae debuisset a*r*uire Dominum praedicantem VI 327 51

— sollicita erat de Domino quantum ad sensibilia et corporalia VI 403 52 — ministrat et sollicita est tanquam prudens mulier 410 2 — sollicite venienti Domino occurrit 400 31 — multum erat sollicita *ibid.* — Domino ministravit fideliter, humiliter et viriliter VII 276 78

— vocavit Mariam imperio Domini VI 401 39 — non sic devota nec sic calida erat ut Maria 402 43 — ob reverentiam tacuit et ob devotionem flevit et amplius Dominum movit *ibid.* — confitetur Dominum potentem et benignum ad curandum et resuscitandum 400 32, 33. 401 34, 38. 402 43 — non fuit ausa petere resuscitationem, ne pateretur repulsam; sed suam fidem exprimendo insinuavit desiderium 401 33 — credebat, quod Dominus ex compassione vellet videre Lazarum mortuum, non ex potentia suscitare 403 52

Martius — In hoc mense homo et mundus fuit conditus VII 20 41 — In hoc mense per Christi incarnationem erat renovandus homo et mundus *ibid.*

Martyr — Martyrium testimonium est veritatis VII 528 20 — dicitur testis *ibid.*

— dicuntur specialiter iusti VI 125 v. 1 — Pati martyrium est supererogationis 389 28 arg. — sequuntur Christum in via supererogationum per imitationem passionis 584 4 — aspexerunt in Salvatorem 630 11 — secuti sunt Christum per tormenta *ibid.* — varia et gravia tormenta passi sunt 126 v. 4

— in agonia habuerunt pugnam inter naturam et gratiam, inter rationem et sensualitatem VII 557 55 — pro Christo negligunt damnum rerum et amicorum carnalium et etiam propriorum corporum VI 125 v. 1 — moritur voluntate, cum sit liber a moriendo ut tunc, non tamen a moriendo simpliciter 389 30

— Martyrem non facit qualiscumque poena, nisi adsit debita causa VI[?] 149 54 — esse possumus sine ferro 530 27

— exaltantur quasi propter suam militiam VI 596 4

Masculinum — stat pro sexu, vel pro natura 64 q. 2 — genus frequenter comprehendit femininum secundum morem Scripturae *ibid.*

Masticatio — corporis Christi est vel sacramentalis speciei, vel spiritualis, quae est spiritualis discussio per fidem VI 334 90, 91

Mater — speciali affectione est diligenda VII 179 29 — magna dilectione diligit filium VI 450 20

— in quantum fovet in moribus, designatur per Legis doctores VII 214 91

Materia — prima est invisa, id est invisibilis VI 181 v. 18 — prima in formatione mundi erat invisibilis ex parte sui, quia carebat forma distincta, et ex parte agentis, quia deerat lux *ibid.* — Ortum materiae primae non praecessit tempus, sed fit cum tempore 14 q. 1

— Creaturae non habent materiam increatam, sed creatam VI 35 v. 20 — non est nihil *ibid.* — Omnia pergunt ad materiam, ex qua facta sunt *ib.* 21

Matrimonium — secundum legem naturae divinitus institutam est maris et feminae coniunctio, individuam vitae retinens consuetudinem VII 415 34 — est vinculum insolubile *ibid.*

— eius finis duplex VII 514 40 — Connubia sunt propter filios 515 42 — In connubiis successionis subsidia sunt posita 441 47 — Ubi non est mors, neque sunt connubia 515 42 — etiam virorum spiritualium non potest esse nisi in carne viventium 514 40

— Matrimonii lex in Evangelio confirmatur tanquam ius morale, et libellus repudii reprobatur VII 415 34 — Connubia non damnantur 441 47

— Dominus praesentia sua nuptias firmavit et approbavit miraculo VI 272 16 — Matrimoniorum corporalium sanctitati attestatur, quod Deus ea auctoritate propria in paradiso instituit et eadem in terra sua praesentia consecravit et miraculorum suorum initiis insignivit 545 2 — Consensus

in matrimonium est licitus et non aufert virginitatem irrecuperabiliter 272 15

— Secundum spiritualem intellectum quatuor sunt genera matrimoniorum VI 545 2 — omne facit ex pluribus unum 546 8 — carnale facit duo in una carne, id est in una carnalitate, spirituale facit unum in uno spiritu, sacramentale unum in uno corpore mystico, aeternale unum in una beatitudine *ibid.*

— carnale initiatur in mala delectatione, ratificatur in consensu, consummatur in opere VI 545 4 — nuptiarum spiritualium initiatum fuit in Christi promissione facta sanctis Patribus, ratificatum in incarnatione, consummatum in passione 546 6 — Religiosorum cum Deo initiatur in ingressu religionis, ratificatur in voto professionis, consummatur in perfecta impletione promissionis 545 5 — inter divinam et humanam naturam et inter Christum et Ecclesiam consummatum est in talamo uteri virginalis VII 362 16

Matthaeus — fuit binomius VII 129 65 — interpretatur donatus, et per eum intelligitur doctrina aedificatoria ad operandum 144 38

— erat electus in divino proposito VII 129 64 — sedens ad telonium vocatus fuit a Christo *ib.* 66, 67 — perfecte consensit quantum ad recessum a malo et profectum in bono et consummationem in statu perfecto *ib.* 68 — surrexit expeditus et velociter per viam perfectionis, non levitate ductus, sed virtute operum Christi secutus est eum 130 69 — fecit convivium magnum in domo sua *ib.* 72 — ad coenam invitaverat turbam multam publicanorum *ib.* 73

— descripsit genealogiam carnalem Salvatoris VII 86 59 — Generatio Christi secundum carnem est principium eius Evangelii 87 60

Mechanica — In operibus mechanicis est curiositas VI 21 v. 4 — Opera mechanica respiciunt ea quae corporis sunt *ibid.*

Mediator — Christus venit ut mediator ad liberandum VI 597 v. 46 *Vide v. Christus 15.*

Medicina — est scientia sani per se et aegri per accidens VI 7 q. 2

— Medici ars est laudabilis, quando sequitur supernam potentiam et naturam substratam, et vituperabilis, quando negligit vel considerare naturam, vel non anteponit divinam potentiam VII 211 80

— spiritualis quadruplex est VI 561 v. 14

Meditatio — supernorum significatur per oculum dextrum VI 622 3 — Meditationem supernorum amittunt qui pacem peccatorum ineunt *ibid.*

— sacrae Scripturae iucunda est VI 74 v. 10 — Meditationes sanctae sunt quasi quaedam fenestrae, per quas ingreditur divina irradiatio in animam 549 4 — frequens est carnis afflictio 25 v. 17. 98 v. 12 — Secreta meditanda sunt, ut quis proficiat et ad donum intellectus perveniat 283 28

— Homo ab una meditatione cadit in aliam VI 49 q. 2

Medium — est vel distantiae, vel colligantiae, vel congruentiae VI 389 31 2* — Anima est medium congruentiae uniendi divinam naturam corpori *ib.* 31 — est locus unitatis, communitatis, aequalitatis 541 8 — est locus humilitatis, communitatis, unitatis, stabilitatis, proximitatis 259 59

— sapit naturam extremorum VI 248 7 — omnibus partibus approximat 259 59 — saepe sortitur nomen extremorum 495 25 — convenit utrique extremorum 541 8 — aequaliter distat ab extremis *ibid.* — Extrema per medium uniuntur *ibid.*

— Medium inspicit ratio, virtus et natura VI 541 6 — Circa medium rationis consistit certitudo veritatis, circa medium moris rectitudo virtutis vel salutis, circa medium naturae valitudo sanitatis *ibid.* — rationis extrema ordinat, medium moris extrema moderat, medium naturae extrema contemperat *ibid.* — Christus fuit quasi medium rationale, morale, naturale *ib.* 7

— teneri debet in actione, declinando superfluum et diminutum VII 434 23* — teneri debet in praelatione, declinando acceptationem personarum *ibid.* — teneri debet in contemplatione sicut Seraphim *ibid.*

Melchisedech — fuit rex Salem et simul sacerdos VII 13 8 — benedicendo est figura Iesu Christi 546 25 — in suo sacrificio praefigurabat Sacramentum eucharistiae *ibid.*

Melius — Omne melius est appetendum et praeeligendum VI 39 q. 3 — quod similius est meliori est melius 70 q. — Omne melius est Deo tribuendum 216 v. 28

Memoria — In anima est vis memorativa VI 15 v. 8 — Ad memorandum requiritur fortis impressio et frequens reiteratio 120 v. 5

— et reminiscentia verborum Dei multum valet ad omnia mala perferenda VI 455 4 — Meminisse debemus Dei, laudem et confessionem ei dando 92 v. 1 — Recordatio sermonum Dei hominem erigit et dirigit 455 4 — Quilibet esse debet memor sacramentorum Dei ad credendum et confitendum, beneficiorum ad regratiandum, iudiciorum ad formidandum, promissorum ad exspectandum, mandatorum ad faciendum, exemplorum ad imitandum, suppliciorum ad compatiendum, solatiorum ad congaudendum, operum ad laudandum, charismatum ad postulandum VII 36 114

— Sapientia in memoria est scribenda et firmiter retinenda VI 108 v. 3 — Sapientiae firma retentio pertinet ad memoriam 107 v. 1 — Plurima eorum quae facta sunt, in nostra memoria sunt 17 q. 4

— rerum non permanet VI 16 v. 11 — Plurium est oblivio quam memoria 17 q. 4 — Non est magis memoria de sapiente quam de stulto 25 v. 16 — Quantum ad homines tam bonorum quam malorum transit memoria 26 q. 3 — mortuorum oblivioni est tradita 74 v. 5 — Impii post mortem non memorantur memoria laudabili vel eis utili 120 v. 4

Mendacium — Homines ex pronitate ad iurandum passim facile incidunt in mendacium VI 66 q. 1 1* — In mendacio est curvitas intellectus 366 61

— Mentiri Deus non potest VI 66 q. 1 — loquentes perdet Dominus 116 v. 11

— occidit VI 116 v. 12 — perniciosum est mortale *ib.* v. 11 — est levioris culpae, cum quis praestando beneficium mentitur *ibid.* — Qui falsum dicit errore deceptus non mentitur 338 3*

— est proprium diaboli, quia a se habet, non alio suggerente VI 367 61

— Est opus sapientis manifestare mentientes et non mentiri de quibus novit VI 345 27

— Non est remuneratum obstetricum mendacium, sed pietatis benevolentia VI 116 v. 11

Mendicitas — exemplo Apostolorum amplexanda VII 255 8 — refugitur propter infirmitatem 405 5, 6 — Mendicatio producit erubescentiam propter actus contemptibilis vilitatem *ib.* 5 — est difficilis homini infirmo, sed facilis perfecto Christiano *ib.* 6 — Christus facit mendicitatem honorabilem *ibid.* — In mendicando non oportet verecundari *ibid.* — Mendicationem contemnere non est infirmitas toleranda, sed est impietas detestanda *ibid.*

— Mendicus est qui pulsat ad ostium per petitionem eleemosynarum VII 417 41

Mens — Mente solus Deus est superior VI 427 14 — nostra ad Deum conversa illuminatur, melioratur et perficitur VII 234 55 — mundana ob varias cupiditates habet in se procellas et tempestates 511 30 — habet unguenta contritionis, compassionis et devotionis 586 72

Mensa — *Vide v. Cibus* — altaris est figura Christi VII 596 34

Menses — tres mystice designant profectum trium virtutum, scilicet fidei, spei et caritatis VII 34 102

Mensura — Est mensura limitationis et divisionis VI 289 63 — creaturae dicitur eius certa quantitas, qua dicitur magna vel parva vel mediocris 182 v. 21 — idem est quod modus *ibid.* — In mensura respicitur qualitas *ibid.*

— Deus est mensura sine mensura unicuique rei modum praefigens VI 182 v. 21 — Deus omnia in mensura disposuit contra vitium superfluitatis *ibid.* — refertur ad clementiam conservantis *ibid.*

Mercenarius — Mercenariorum amor non est amor verus VI 386 16 — non dat vitam pro ovibus *ibid.* — in necessitate gregem dimittit, non adhibens praesidium defensionis 582 6 — fugit, quia lupum timet et oves non amat 386 17 — Ad adventum lupi rapacis dimittit oves 387 17 — fugit, quia diligit mercedem et non oves *ib.* 18. VII 205 60 — pascit lupos VI 626 v. 16 — servit pro lucro 386 17

— est tolerandus VI 388 27 — veritatem dicit et oves conservat *ibid.*

— mali abundant aliquando in domo summi Patris panibus materialibus, non tamen spiritualibus VII 393 29 — boni sunt

qui serviunt pro mercede aeterna et abundant frequenter panibus fidei, spei et caritatis *ibid.* — est qui servit ex spe hereditatis aeternae 394 31 — qui servit propter mercedem temporalem est vituperandus, sed sustinendus; qui servit propter mercedem aeternam est approbandus, sed non omnino extollendus VI 388 27

Merces — Sanctorum est ipse Deus VI 142 v. 16 — gloriae est magna, multa, aeterna 559 v. 36 — metentium et seminantium non est temporalis, sed aeterna 298 56 — multa consistit in duratione aeternitatis VII 147 49. 158 84

— Mercedis multitudo promittitur sustinentibus mala poenae VII 148 49. 149 54 — multa et perpetua promittitur patientibus 150 55 — multa promittitur diligenti inimicum 158 84

— Novem species mercedis secundum novem merita VII 150 57 — aeterna commutatur in temporalem pro amore gloriae 367 29 — Pro mercede temporali fraudatur quis aeterna *ibid.* — Utraque mercede digna sunt quae propter Deum fiunt *ibid.* — carnalium est praesentialiter delectari VI 74 v. 9

Meretrix — Carnalis voluptas est meretrix blandiens VI 568 7 — Vanitas mundana est meretrix magna 547 3

Meridies — significat vehementem amorem caritatis VI 13 v. 7 — est fervens Sanctorum dilectio *ibid.*

Meritum — est voluntarium VI 331 79 1* — Voluntas meritoria est et demeritoria *ibid.* — Quatuor sunt genera meritorum erigentium nos ad Deum et rectificantium liberum arbitrium nostrum VII 147 49 — proveniunt ex bonis cogitationibus, affectionibus, locutionibus et operationibus VI 71 v. 1 — praesens consistit in cognitione veritatis per fidem, in conformitate humanae et divinae voluntatis per amorem 128 v. 9 — Pelagius dicit, quod per naturalia contingit mereri 264 87

— Perfectio meriti est in habitu virtutis et spiritu veritatis VII 58 58 — consistit in victoria tentationum 89 1 — consistit in asperitate viae 225 29

— Secundum diversitates meritorum erunt differentiae praemiorum VII 150 57 — Ad perfectionem meriti non sufficit, esse benevolum respectu amantium, nec beneficum respectu retribuentium, nec communicativum respectu recompensantium 156 77, 78 — Cumulus perfectionis meritorum incipit a fundamento timoris et pervenit usque ad culmen sapientiae deiformis 377 57 — Ad cumulum perfectionis non pervenitur nisi ab aedificantibus aedificium septem virtutum *ibid.*

— In vita est locus merendi VI 72 v. 3 — Semper laborandum in profectum meriti VII 347 41 — Tempus meriti breve est VI 75 v. 10

— Sic elegit nos Deus, ut per merita fidei beatitudinem consequamur per arbitrii nostri cooperationem VI 328 60 — Iustus acquirit tempore parvo meritum, quod alii acquirunt per multa tempora 135 v. 13 — Homo ingratus non potest mereri gratiam, alius autem gratus potest illi mereri de congruo 610 6 — bonorum est gaudium aeternum 130 v. 15

— Discretio diligens facienda est meritorum VI 58 v. 16 — multum latent *ibid.* — hominis sunt in manu Dei 71 v. 1 — nequeunt mutari post mortem VII 423 56

— Aliquid est iustum per comparationem ad merita propria, vel aliorum VI 82 q. 1

— facit de indebito debitum, vel de debito magis debitum, vel debitum alio modo VI 390 32. 468 8

Messis — dicit collectionem fructus VI 300 68 — propinqua dicuntur parati ad credendum 298 55 — est turba ad conversionem parata VII 253 4

— Messores messis Christi sunt Apostoli VI 298 57, 58. 300 68 — Messis gratiae seminatores sunt Prophetae, messores sunt Apostoli 298 58. 300 68 — Messis gloriae seminatores sunt Apostoli, messores sunt Angeli 300 68

— prima est in tempore gratiae, alia est in tempore gloriae VI 300 68 — seminata fuit in lege naturae, crevit in lege figurae, recollecta est in tempore gratiae VII 253 4 — recollectio universalis est in tempore ultimo, particularis in praedicatione Evangelii *ibid.*

— Messores boni sunt pauci VII 253 4 — Ad hoc, quod falx praedicationis messem recolligat, necesse est, quod manus operis eam teneat *ibid.* — amittitur, quando boni operarii desunt 254 4 — Merces aeterna est communis metentium et seminantium VI 298 56

Metreta — dicitur a metron, id est mensura VI 270 6

Metrum — dicitur mensura communis et usitata VI 270 6

Meum — dicit libertatem possidendi et principium efficiendi VI 344 26 — dicitur simpliciter, vel discretive *ibid.*

Milites — gerunt personam rectorum sive praepositorum VII 75 22 — Militiae officium non repugnat mandatis evangelicis 78 34 — consilium petunt a Ioanne quoad ipsorum salutem 77 31

— consueverunt peccare in rapina VII 77 32 — Qualia stipendia sint eis licita *ib.* 33 — videntur maxime mundani *ib.* 31 — solent exaltari propter fortitudinem VI 596 3

— Per milites intelliguntur pugnantes VI 539 8 — Martyrium est quasi militia 596 4 — irriserunt Christum pecunia corrupti VI 494 20 — crudelitate et cupiditate Christum exspoliaverunt et vestimenta eius diviserunt 497 35 — nudaverunt Christum ex rapacitate VII 577 42 — diviserunt vestes et super tunicam miserunt sortem VI 499 43 — illudebant Christum ante crucifixionem VII 578 44 — Christum spernebant et spernendo afflictionem afflicto addebant *ibid.* — designantur per servos regis Assyriorum *ib.* 45 — quatuor Dominum crucifixerunt VI 497 35

Minister — Deus non alloquitur hominem nisi per suum ministrum VI 45 q. 2 — Deus per malos ministros multa bona implet 409 75 3*

— missi a Pharisaeis crediderunt et praecones Christi fuerunt; nec tamen secuti sunt, quia ad statum perfectionis non ascenderunt VI 352 72

— Ministratur in convivio spirituali se ipsum deiiciendo VII 431 19 — Boni ministri est facere VI 269 5 — Opus ministerii maxime Deo placet VII 273 68 — In ministerio maxime imitamur Christum *ibid.* — Ministerium est placens et honorabile apud Deum et remuneratione dignum *ibid.*

Minor — quod vadat ad maiorem, est debitum necessitatis, maiorem vadere ad minorem, est supererogationis VI 260 64 — Qui minor est per reputationem et humilitatem maior est secundum divinam acceptionem et veritatem VII 244 89 — Minimus est maximus *ibid.* — Quanto quis minor, tanto maior *ibid.*

Miracula — attribuuntur Patri propter potentiam VI 373 4 — In mirabilibus tota ratio facti est potentia facientis VII 32 92 — minora dicuntur signa, maiora prodigia VI 301 75. VII 175 40

— Opera mirabilia quaedam sunt sensibilia, quaedam spiritualia VI 440 23 — Mirabilia spiritualia sunt suscitatio a morte spirituali per Sacramenta *ibid.* — Mirabilia spiritualia semper manent propter nostram salutem *ibid.*

— non est ex virtute naturae, sed supernae potentiae VII 37 116. 113 1 — In miraculis aspiciendum est ad causas superiores 18 30 — praecipua sunt propter impossibilitatem respectu virtutis creatae 175 40 — ab homine non fiunt, sed ad eius invocationem VI 456 7

— Deus dicitur esse cum homine, cum tribuit virtutem faciendi miracula VI 279 6 — possunt fieri etiam ab extraneis a Christo VII 245 90 — Miraculorum donum est bonorum et malorum 263 34 — Multi mali faciunt miracula plura VI 380 43 — non solum impetratur a bonis, sed etiam a malis, ab illa virtute, quae bonis et malis communis est 402 45

— bonorum et malorum discerni possunt VI 316 69 — Boni et mali distinguuntur, faciendo miracula, modo et fine *ibid.* — Boni faciunt miracula per publicam iustitiam, mali per signa publicae iustitiae *ibid.* — Boni faciunt miracula ad aedificationem, mali ad gloriam suam *ibid.*

— Impetrare miraculum est fidei ut originalis principii, sed spei ut consummativi, et proprie dicitur esse confidentiae VI 402 45 — debetur fidei, quia ipsa bonis et malis est communis, quae prima elevat intellectum et considerat omnipotentiam *ibid.* — Credens dicitur facere miraculum, quia ad eius invocationem fit 440 21 1*, 3* — fiunt fide informi, merente tantum de congruo *ib.* 22 — In miraculis dispensatio Dei requirit nostram fidem ad nostrum meritum VII 214 89

— Aliquis potest peccare miracula faciendo, quando suam pervertit intentionem VI 410 b — pro ingratis et indignis non sunt facienda VII 101 51. 102 54

— sunt testimonia divina VII 217 1 — parit admirationem 37 115 — per attentionem, intelligentiam et memoriam inducit admirationem *ib.* 118 — sunt causa admirationis et laudis 289 37 — Per miraculum mens elevatur in excelsum admirationis 216 97

— facta sunt, ut veniatur ad fidem VI 325 — Per miracula fides augetur 270 12 — confirmant credentes 267 97 — sensibilia sunt necessaria ad astruendam fidem simplicium 440 23 — sensibilia cessaverunt, quia fides est multiplicata; fiunt tamen, sed rarius, quia non est sic opus *ibid.*

— Mirabilium visio inducit et movet ad laudandum VII 492 55 — reverendum est et magnificandum praeconiis 37 117 — sunt enarranda et metuenda *ibid.* — est manifestandum ad fidei utilitatem et occultandum contra gloriae vanitatem 216 97

— In miraculis non est gaudendum, sed potius in humilitate VII 263 33 — Eodem miraculo, quo pisces congregati fuerunt, retia sunt conservata 116 12 — Domini semper aliquid nobis insinuant *ibid.* — Miraculi operatio fuit ratio motiva conversionis Petri et filiorum Zebedaei 113 1

— Scriptura mirabilia innuit quasi a longinquo VI 11 v. 2 — Christi ei testimonium perhibent 454 37 — Nullus unquam tot miracula et tam varia et diversa fecerat sicut Christus 456 7 — Dominus fecit miracula, quae non possumus imitari, quia non fecit in exemplum, sed in potentiae indicium 427 18

— excellentissimum est, quod pauperes et reges evangelizantur VII 176 43 — Inter mirabilia a Christo operata maximum fuit suscitatio mortui quatriduani 492 55 — Per miraculum confirmata fuit vocatio discipulorum Christi 119 24. 123 40 — in sanatione paralytici commendatur per tria 123 40 — Miraculi integritas in liberatione paralytici ostenditur quadrupliciter 125 47 — Miraculi celebritas in paralytici liberatione ostenditur quadrupliciter 127 55

— Miraculi opportunitas in sanatione hominis, qui habebat manum aridam, tripliciter colligitur VII 137 10 — Miraculi opportunitas in curatione pueri morituri probatur ex tribus 166 2, 3, 4 — Per miraculum de suscitatione mortui expressius fit demonstratio excellentiae Salvatoris 170 20, 21 — Ratio duplex huius miraculi *ibid.* — Causa efficiens huius miraculi in fieri fuit affectus pietatis et virtus maiestatis *ib.* 23 — Efficacia subsequens huius miraculi duplex *ib.* 26

— Virtus miraculorum non solum attenditur in multitudine curatorum et ex parte personarum, sed etiam ex parte morbi VII 174 38 — de multiplicatione panis in deserto plus fecit Dominus ad reformationem mentium quam ad refectionem corporum 224 28

— Ob multitudinem et magnitudinem miraculorum Christi mirabantur Iudaei VII 242 83 — Per miracula potentiae Iudaei convertebantur ad fidem VI 474 38

— Post miracula facta circa Iudaeos divina dispensatio requirit, ut fiant in gentibus VII 202 47 — Miraculorum potestas data est discipulis Christi, ut possint fidem captare praedicando regnum caelorum 257 17

Miseratio — Multas miserationes appendit Dominus, ut nos attraheret VI 567 v. 44

Misereri — nos oportet proximi VI 60 v. 23 — Deus nobis miseretur ex bonitate propria 188 v. 16 — Infirmitas est opportunitas miserendi 395 4

Miseria — temporalis sequitur culpam VI 547 4 — Christus a malo miseriae salvat perseverantes *ib.* v. 42 — A morte miseriae suscitantur tantummodo electi 561 v. 21 — Recognitio propriae miseriae ducit ad precum importunitatem VII 351 56

Misericordia — respicit miseriam VI 166 v. 1. 355 10 — Misericordiae est misereri miseriae 306 17 — Per misericordiam omnis causa mutatur VII 186 74 — currit cum iustitia et non est contra iustitiam VI 354 11 — Dei non est sine iustitia 113 v. 6 — et iustitia in disponendo iungi debent 167 v. 3 — Deus magis acceptat misericordiam quam iudicium 493 18 arg.

— Deus est auctor misericordiae VI 166 v. 1 — est virtus Dei 188 v. 16 — vera non est tantum in affectu, verum etiam in effectu VII 271 61 — apparet in opere 270 58 — Non solum verbo et animo, verum etiam facto proximus quicumque indigens supportandus est 271 61 — latens in affectu apparet in effectu 171 23

— Ubi maior miseria, magis debet inclinari misericordia VI 306 17 — impendenda est miseris VII 368 30 — impendi debet indigentibus 406 8 — impendenda est omni homini 271 60

— Opera misericordiae facienda sunt incessanter VI 89 v. 5 — Opera misericordiae facienda sunt propter retributionem 88 v. 1

— Opus misericordiae ordinatae incipit a se ipso VII 303 82 — Misericordiam sibi impendit qui per poenitentiam purgat se a vitiis *ibid.*

— debet excedere offensam VII 429 11 — maxima est sanguinem pro captivis dare VI 302 83 (82) — Christus illuminat ad misericordiam, quia misertus est captivorum, descendendo ad inferos *ibid.*

— Qui non facit misericordiam non inveniet eam apud Deum VI 59 v. 17. 228 v. 1 — Non est dignus misericordia, nisi qui facit misericordiam VII 368 31

— divina hominem praevenit VI 560 v. 2 — Magna est misericordia Dei erga nos, quia beneficia eius praeveniunt nostram cognitionem, dilectionem, obsequium sive operationem 564 v. 13 — Deus suaviter disponit omnia per misericordiam 160 v. 1 — Misericordiae suae Deus non potest oblivisci VII 33 99

— fuit principium movens ad promissionem Salvatoris VII 40 128 — implevit promissionem incarnationis 33 99 — Per misericordiam divinam accelerata fuit divina praesentia in carne 42 138 — Deus ex misericordia redemit Israel 33 100

— Dei excedit in infinitum misericordiam nostram VI 476 42 — Misericordiae viscera sunt nimia dilectio et nimia compassio VII 42 138 — Dei ad omnes se extendit VI 209 v. 19. VII 271 61 — Utilitas divinae misericordiae non se extendit ad malos VI 68 v. 12 — liberans et salvans ad solos timentes se extendit VII 32 95

— Deus omnibus parcit per misericordiam VI 188 v. 16 — Deus in omnibus exercet misericordiae effectum 183 v. 24 — Dei parcit malis nostris 184 v. 1 — Fons misericordiae culpam purgat 555 2 — Deus misericordiam exhibet in modo puniendi 187 v. 14 — Deus absolvit in foro misericordiae 574 v. 10 — liberat peccatores 355 12 — peccatori occurrit ad amandum 560 v. 2

— Per donum misericordiae paternae anima reparatur VII 394 33 — Per considerationem divinae misericordiae peccator descendit ad poenitentiam VI 560 v. 2 — Misericordiam Deus facit, etiam cum iratus est VII 40 128 — divina arguit peccatorem in praesenti VI 606 v. 8

— Nullus ad aeternam beatitudinem venit nisi per misericordiam VII 368 31 — Ex tribulationibus in praesenti possumus sperare misericordiam in futuro VI 190 v. 22 — Qui timet iustitiam debet implorare misericordiam 560 v. 2 — Misericordiae subtractio ducit in recognitionem propriae miseriae VII 351 56

— Affluentia misericordiae Dei acceptanda est ad sufficientiam iustitiae et ad unitatis ecclesiasticae caritatem VII 400 47 — divina merito a nobis est laudanda 492 55 — divina est diligenda VI 560 v. 2 — Ioannes commendat misericordiam Dei ut visitantem ad consolandum affectum, ut illuminantem ad docendum intellectum, ut dirigentem ad rectificandum affectum VII 41 138

Missa — Quinque versiones factae a sacerdote in Missa commemorant quinque apparitiones Christi VII 598 45 — Tertia conversio est facta cum silentio, quia signat apparitionem factam Petro *ibid.*

Missio — Mittere dicit effectum et simul importat personalem distinctionem per auctoritatem et subauctoritatem VI 443 38 — Mittere dicit actionem et relationem 310 45 — Filius est missus a Patre 366 59

— divina necessaria ad praedicandum VI 250 18 — Missi habent auctoritatem a Deo 366 59 — Christus mittendo dat auctoritatem 513 42 — Honor missi refertur ad mittentem sicut ad motivum et finem et ex consequenti ad missum sicut ad obiectum 429 27

Mna — una designat unitatem gratiae et doctrinae et praedicationem unitatis fidei VII 481 26 — significat gratiam sufficientem ad intelligenda, implenda et praedicanda

praecepta decalogi 479 19 — Per decem mnas insinuatur intelligentia perfecta Scripturarum *ibid.*

— spiritualiter datur ad negotiandum praedicando et fructificando VII 479 20 — dicitur scientia, gratia et doctrina 485 36 — est pecunia nobis concessa ad fructificandum *ibid.* — magis datur ei qui habet decem *ib.* 37 — qui habet decem designat illos qui Iudaico populo praedicaverunt *ibid.*

— Conversio fit per obedientiam VI 583 10 — Deus cognoscitur per obedientiam quasi per obsequium 602 3, 4 — Deo placet, quia bona 42 v. 17 — est maxime placita, quando fit ex affectu filiali VII 397 38 — Stulti non curant obedire VI 42 v. 17 — In Deo manet qui ipsi obedit 604 v. 4 — Peccator manens in domo obedientiae non debet timere 586 2 — Ei qui obedit, nullus dominus valet contradicere VII 490 50

— Obedientiae fructus est victoria tentationum VII 165 108 — firmat contra tentationem exteriorem et interiorem *ibid.* — Obedientiae promptitudo facit idoneos ad transeundum ex hoc mundo ad Patrem 397 38 — Obediens meretur accipere mercedem VI 539 8

— divinorum mandatorum commendatur VI 42 v. 17 — Homo debet promptus esse ad obedientiam *ibid.* — Ad obedientiam illuminat exemplum Christi se subiicientis Legi 302 83 (82) — maxime requiritur in praedicatoribus exemplo Christi et Sanctorum VII 397 39 — Christum sequi debemus per obedientiam in effectu VI 584 2 — Christus obedientibus apparet in via obedientiae 623 v. 1 — Per obedientiam collocatur homo in monte Christo et benedicitur a Christo et ascendit in caelum VII 603 63 — est quasi scala, per quam ascendunt Angeli ad Deo assistendum et descendunt ad nobis ministrandum VI 174 v. 10

— Praelato iniusto est obediendum, quamdiu potestatem habet a Deo VI 82 q. — Qui est obediens in opere debet esse humilis in reputatione VII 433 21

— Per servos intelliguntur obedientes VI 539 8 — dicitur scutum spirituale 226 v. 21 — significatur per auriculam dexteram 480 18 — Per Martham ministrantem intelliguntur obedientes 601 v. 23 — designatur in calceamentis VII 397 38

Oblationes — fiebant ad reverentiam cultus divini, propter indulgentiam peccati et pro gratiarum actione VII 520 2 — fiebant in gazophylacio VI 457 9

— triplex Christi invitat ad humilitatem, paupertatem et pietatem VII 57 54 — In oblatione Domini quatuor personae adfuerunt et significant quatuor virtutes 64 89 — pauperum in purificatione erat par turturum aut duo pulli columbarum 56 54

— viduae pauperculae fuit Deo accepta VII 521 3 — pauperum quantumcumque parvae Deo sunt acceptae *ibid.* — Non perpendit Deus, quantum offertur, sed ex quanto detur *ibid.* — Copiosius donat qui maiori corde donat *ib.* 4

Obligatio — Omnia, quae habemus, sine obligatione peccati Deo debemus VII 185 73 — desumenda est ex quantitate beneficiorum collatorum *ibid.*

Obliquari — pluribus modis est quam dirigi VII 379 62

Oblivio — est signum contemptus et ingratitudinis VI 78 v. 15 — Plurium rerum est oblivio quam memoria 17 q. 4 — Omnia traduntur oblivioni 16 v. 11 — Tempus inducit oblivionem *ibid.*

— verborum Dei nocet VI 455 4 — Obliviosi audiunt verbum Domini, sed sunt infructuosi, quia non retinent VII 194 18

Obsecrare — Obsecrantis est se humiliare et revereri VII 240 73

Observantia — Non sunt imponendae novae observantiae convenientes novae conversationi, quamdiu homo non est priori exutus VII 133 83 — spirituales non sunt imponendae carnalibus 134 84 — regularis significatur per funem VI 598 3

Obstetrices — non pro mendacio, sed propter misericordiam meruerunt praemium VI 116 v. 11

Obstinatio — est caecitas VI 579 2

Obtemperare — Qui Christo obtemperat decipi non potest VII 489 48

Occasio — Homo debet cavere a peccati occasione VI 591 v. 43 — Diaboli munitiones sunt peccatorum occasiones 78 v. 15 — Lapides offensionis sunt occasiones peccati 31 v. 8 — Ab occasionibus peccati pauci liberantur, nisi qui a Domino custodiuntur 32 v. 8 — Securitas est multorum occasio peccatorum 72 v. 3

Occidere — innocentem nullo modo bene potest fieri VI 409 75 *Vide v. Homicidium.*

Occultum — Magis quis diligit occultum, quando intelligit VI 467 49

Occupatio — est distractio mentis, quae avertit et distrahit et illaqueat animam, ut non possit cogitare ea quae salutis sunt VI 18 v. 13 — est peccatum plus habens rationem poenae quam peccati 19 q. 1 — dissipat curiosum 20 v. 18 — Studium requirit vacationem ab exterioribus occupationibus 107 v. 2

Octo — Per octo novum testamentum intelligitur VII 14 8

Oculi — sunt quasi duo foramina ad videndum VI 93 v. 3 — tenebrescit in senectute *ibid.* — vult nova percipere 16 v. 9 — percipit creaturas *ib.* q. 2 — est organum cordis et voluntatis sive appetitus 17 q. 2 — corporalis totum corpus regit, dirigit et illuminat VII 300 72 — lucidus erat ante lapsum, sed propter peccatum caligavit VI 255 43 — In oculo non est satietas 15 q. 4, v. 8

— spiritualis est intentio VII 300 72 — cordis est intentio 301 73 — eius optima dispositio est simplicitas *ibid.* — simplex et rectus est qui unicum bonum et summum, quod indivisibile est, intendit *ibid.* — nequam depravat voluntatem et facit per eam iniquum et opus *ibid.*

— nostri inunguntur luto humanitatis Christi, dum in Christum credentes illuminantur unctione sancti Spiritus VI 373 8 — Elevare oculos est signum devotionis 467 2 — dexter significat meditationem supernorum 622 3 — Oculis spiritualibus nocet sanguis luxuriae, pulvis avaritiae et ventus superbiae 579 5

— Dei respicit per misericordiam VI 319 6

Odium — est gladius malignantium VI 612 v. 11 — Tempus odii est, quando res convertitur ad malignitatem 31 v. 8 — triplex VII 149 54 — verum est in affectus controversia, interpretativum, quando aliquis ad modum odientis se habet VI 456 8 — Est odire per affectum, per effectum, per negligentiam, per concomitantiam 605 v. 18

— detestandum est VI 571 3

— Vitium est odiendum VI 32 v. 8 — Mali odiendi sunt odio perfecto *ibid.* — Odiendi sunt adversarii in via Dei VII 375 53 — animae non est ex crudelitate, sed ex caritate *ibid.* — erga parentes praecipitur non quantum ad naturam, sed quantum ad culpam *ibid.*

— Dominus odit malos VI 73 q. 2. 198 v. 9 — Dei non notat affectum in ipso, sed effectum in eo quem odit 198 v. 9 — Nullus est certus de odio praedestinationis et reprobationis 73 q. 2

— Deum, ut est summum bonum, nullus potest odisse VI 456 8 — Qui odit Christum est in tenebris VII 561 66

Odoratui — serviunt deliciosi VI 558 1

Offensa — Dei privat nos dignitate divinae filiationis VII 394 31 — inexcusabilis est, et ideo indiget remitti VI 543 4

— erga proximum est septiformis VII 429 11 — omnes dimitti debent, si humiliter per veram poenitentiam venia postulatur *ibid.* — remitti debet aliter petenti, aliter persequenti *ibid.*

Offerre — Per gratitudinem se totum debet homo Deo offerre VI 302 83 (82)

Officium — Honor officii debet hominem pollutum ad munditiam movere VI 600 5

Oleum — exhilarat VI 75 v. 10

Olivetum — est iuxta Ierusalem VII 492 55 — In monte olivarum erat villa, ubi Christus orabat VI 478 6 — erat locus secretus et eminens VII 555 51 — est mons unctionis et pietatis *ibid.* — propter unctionem olei insinuat eminentiam unctionis et sapientiae 487 44 — Per descensum a monte Oliveti intelligitur descensus dignationis misericordiae Dei 492 55 — Christus ab eo ascendit in caelum 556 51

Onus — aliorum portandum secundum legem caritatis VII 406 9

Operarii — pauci sunt studiosi, plures malitiosi, plurimi desidiosi VII 253 4 — qui faciunt quod ore dicunt, sunt a Domino remunerandi *ibid.* — Quando boni operarii desunt, messis amittitur 254 4 — boni dantur divinitus *ibid.* — boni sunt a Domino postulandi, ut eos conducat promittendo, conductos mittat praecipiendo *ibid.*

Opertum — Per opertum intelligitur cognitio latens in intellectu, sed haec manifesta est Deo VII 311 5

Opportunitas — adest pro variis bonis operibus VI 66 v. 6

Oppositum — Non scitur aliquid perfecte, nisi cognoscatur eius oppositum VI 19 v. 17 — iuxta se posita magis elucescunt 86 v. 17. 221 v. 18 — Inter contradictorie opposita nihil est medium VII 138 16 — Quoties dicitur unum oppositorum, et reliquum VI 6 q. 1

Opus — communiter accipitur ad opus operans et operatum, spirituale et corporale, interius et exterius, proprie vero secundum alteram horum differentiam VI 327 52 — Bonus opifex opus suum diligit 183 v. 25 — Commendatio auctoris redundat in opus 239 1

— Ordo ad operationem additur ad entitatem rei, ut sit vera VI 7 q. 2 — Operari determinato tempore est ex indigentia, vel ex congruentia 342 18

— Dei sunt perfecta VI 314 64 — Dei sunt bene facta 64 q. 1 — Divina opera sunt immutabilia et perpetua 33 v. 14 — Opportunitas faciendi opera miraculosa durat, donec dies est 373 4 — Dei sunt opera miraculosa 372 3. 373 4 — Dei manifestantur, quando Deus in suis operibus manifestatur 372 3 — Operationi divinae non est lex imponenda VII 85 57 — Curiositas est probare vel examinare opera Dei VI 64 q. 1 — Dei dicitur per excellentiam opus misericordissimae reconciliationis 297 54 — Dei est nostra ad Deum per fidem conversio *ibid.* — Quilibet esse debet memor operum Dei ad laudandum VII 37 114

— Trinitatis sunt indivisa VI 443 38. 473 32 arg. 2 — Operatio est communis et essentialis 310 45

— omnia nostra operatur Dominus VI 120 v. 4 — Operatio bona est a Deo 92 v. 2 — Tota bonorum operatio Deo est attribuenda 76 v. 12 — pietatis non sunt homini a se ipso, sed ex dono et munere divino VII 429 13 — Beneficia Dei praeveniunt nostram operationem VI 564 v. 13 — Habenti voluntatem operandi dabitur facultas perficiendi VII 486 39

— Operatio virtutis est debita homini VI 7 q. 2 — Operatio effectum deducit 584 2

— bona sine intermissione sunt facienda VII 342 21. 346 36 — Operibus bonis continue intendendum est 352 58. 354 63 — Invitamur ad diligentiam operandi per documenta evangelica 145 40. 160 92. 164 106 — Operari oportet instanter in praesenti VI 75 v. 10 — Operari instanter est operari celeriter *ibid.* — In omnibus operibus suis homo velox esse debet *ibid.* — Anima est volubilis per agilitatem operis 545 5

— Opera strenua et decentia debet homo facere secundum dona sibi collata VI 154 v. 15 — In nocte cessat opportunitas operandi 373 4. 375 16

— sunt examinanda, non fidei verba VII 453 14 — dant fidem verbis VI 388 26 — In operibus fides relucet VII 397 38

— Vivere per opera virtutis est vivendi modus spiritualis VI 564 5 — Per profectum operationis bonae efficitur homo sanus 561 v. 14 — Oblatio boni operis mundat animam 600 4 — Offerenti munus bonae operationis aperietur caelum 544 2 — Operando bonum itur ad regnum 606 v. 7 — Activi offerunt Christo ramos bonorum operum 594 2

— Qui bona agit, disponit se, ut eius oratio debeat audiri VII 448 2 — Operantes beatificantur in Scriptura 30 84 — virtutis est modus veniendi ad Christum VI 563 4 — bonum ducit ad lucem 284 33

— Bona opera lux sunt VI 284 34 — bona comparantur lucernae VII 324 50 — Operatio significatur per manus VI 598 v. 6 — Per armenta boum intelligitur operum strenuitas 22 v. 8 — Per hortum intelligitur fertilitas bonorum operum 619 4 — Operationes honestae et famosae vocantur pomaria 22 v. 8

— virtutum suavia sunt virtuti inchoatae, suaviora proficienti, sed suavissima iam perfectae VII 340 17 — Spiritus sanctus apparet in bonorum operum exhibitione, manet in eorundem perseverantia et continuatione VI 542 1

— bona procedunt ex radice caritatis VI 594 3 — bona fiunt virtute et potentia sapientiae 165 v. 18 — quae fiunt in caritate, fiunt in Deo 284 34 — hominis accepta sunt Deo, si fiunt ex puro amore Dei 169 v. 12 — Nescit homo quando et quae opera acceptat Deus 89 v. 6 — iustorum sunt in potestate Dei cognoscendi, acceptandi, retribuendi 71 v. 1 — Bonorum operum nostrorum non indiget Deus VII 433 21

— bona sunt opera meritoria VI 33 v. 13 — meritorium excludit pravitatem

in intentione, in cogitatione, in affectione, in locutione et in opere VII 301 76 — misericordiae et pietatis non sunt facienda humanae laudis gratia VI 274 25 — Qui facit opera pro terrena mercede non habet nisi terrenam retributionem et fraudatur mercede aeterna VII 367 29 — quae propter Deum fiunt, mercede temporali et aeterna digna sunt *ibid.*

— bona ad honorem Dei sunt revelanda VI 284 34 — In operibus maxime regnare debet humilitas VII 453 14 — bona fiunt vana per superbiam VI 5 11 — bonum non dat occasionem scandalizandi 39 q. 4

— Infirmitas virtutis impedit progressum operationis VI 584 7 — bona est gressus spiritualis, qui sistitur somno culpae 587 v. 11 — Gressus bonae operationis aufertur a morte culpae 589 7 — Manus operationis ligatur per peccatum, ut non possit homo in bono proficere 593 v. 44 — Defectus bonae operationis est signum mortis spiritualis 558 v. 47 — Recuperatio bonae operationis est signum vitae spiritualis 559 v. 47

— In stulto est defectus operationis fructuosae VI 85 v. 15 — A bono opere cessatur propter taedium ex deceptione 95 v. 7 — Vigorem bonae operationis aufert tristitia mala 607 4

— Ratio erroris est defectus operis boni VI 284 32 — Impedimentum salutis et ratio damnationis et iudicii est ex parte defectus operis boni *ibid.* — Operum infructuositas assimilatur cineri 120 v. 5

— misericordiae est liberalitatis VII 360 9 — pietatis consistunt in scandalis vitandis et iniuriis remittendis 429 13 — pietatis sunt corporalibus operibus anteponenda 250 108 — pietatis pro praedicationis officio est dimittendum *ibid.* — Operibus pietatis maxime fit retributio felicitatis 368 31 — pietatis et misericordiae semper est utile facienti et ad facientem revertitur 256 12

— Ad opera supererogationis nullus tenetur, nisi voto se astrinxerit VI 389 28 arg. 1

— nostra sunt vel bona vel mala VI 64 q. 1 — Malum opus est ratio fugiendi lucem, ne manifestetur 284 32, 33 — Homo pervertitur per iniquam operationem 18 v. 15 — Impii ipsis suis operibus pereunt 181 v. 20 — mala sunt causa perditionis 116 v. 12

— Templum violatur, quando homo perpetrat malam operationem VI 578 4 — Homo spiritualiter mortuus effertur in opere 585 1 — Post mortem in consensu peccati pervenitur in opus et ab opere in consuetudinem 399 30 — malum significatur per mortuum extra domum 406 63

— Operi corporali non est vacandum, quando vacandum est auditioni verbi Dei VI 327 51 — Quietatio ab omnibus operibus servilibus erat caeremonialc 308 31 1* — servile prohibitum erat in Sabbato 306 21

— servilia ex timore fiunt VII 345 35 — servilia non possunt animam sursum erigere *ibid.*

Oratio — Orare est indigentis et impotentis VI 468 8 arg. 469 9 — Nullus orat pro eo quod potest per se facere 442 35 arg. — Per orationem exhibendus est Deo cultus et reverentia VII 225 30

— est rationis VI 419 42 arg. 3 — Scire orare Deum pertinet ad doctrinam pietatis, quoniam in oratione praecipue colitur Deus VII 278 3 — perfecta consistit in confessione excellentiae, exhibitione reverentiae, petitione misericordiae et allegatione indigentiae 240 73

— Magna est dignitas orationis et efficacia VII 278 3 — Angeli suscipiunt orationem manibus suis et afferunt ante Deum *ibid.* — est missio legationis, quam pro nobis portant Angeli ante conspectum Dei 379 64

— proprie est de bonis adipiscendis VI 226 v. 21 — debet esse propter triplex bonum assequendum VII 558 58 — Orandum est pro tribus 380 64 — In oratione postulanda est consummatio gloriae, conservatio gratiae, condonatio veniae 279 7 — ponitur pro remissione peccatorum VI 226 v. 26 — nostra debet esse ad Deum trinum, contra triplex genus tentationum, secundum triplicem actum potentiarum et secundum triplicem theologicam virtutem VII 558 58

— debet fieri ad Patrem in nomine Filii VI 438 14 — Omnis nostra oratio debet offerri per Christum VII 15 15 — in nomine Christi facta exauditur VI 438 15. 451 23 — Orans petit ad salutem, si petit in nomine Iesu 466 48

— solet exaudiri propter gratiam petentis VI 604 v. 7 — est digna exauditione et exauditur, si orans sit dignus et assiduus et petat ad salutem et pro se 466 48 — Orans est dignus, qui habet fidem, spem et caritatem *ibid.* — orationis virtus ex vera fide procedit VII 471 62 — credentium exauditur VI 465 41 — observantium mandata exauditur 448 8. 470 15 — Orationem peccatorum Deus non exaudit 379 37

— Spiritus sanctus docet et compellit petere VI 464 40 — Consideratio oblationis Domini in templo illuminat ad orationem 302 83 (82) — Orare erudimur vocali oratione Christi 471 21

— devota exigit separationem a carnalibus affectibus VII 556 53 — esse debet elevata a terrenis 141 25 — Orationi nostrae praebent obstaculum rerum imaginationes 471 62 — Qui vult orare oportet sursum erigere se 453 15 — Orans debet ascendere ad locum eminentem 555 51

— Deus vult orari cum humili verecundia VII 455 21 — Orans se ipsum humiliare debet et Deum exaltare 456 23 — In oratione haberi non potest reverentia, nisi habeatur humilitas in conversatione 452 13 — debet carere omni ostentatione et inquietatione 225 30 — Orandum devote, humiliter et discrete VI 467 2 — habet efficaciam ex reverentia et confidentia VII 278 5 — devota, humilis, cum reverentia cordis maxime Deo placet 556 53 — per insinuationem fit tripliciter VI 396 13

— necessaria est VII 539 58 — Ad orationem oportet frequentissime et instantissime recurrere 448 2 — Semper orandum est ad exemplum Christi 82 50, 51 — Orandum est semper statutis horis 448 2 — Quaerenda est opportunitas temporis ad orandum VI 66 v. 5, 6 — Omni tempore indifferenter est orandum VII 278 2 — sit semper in ore per postulationem, in corde per desiderium, in opere per praeparationem 448 2 — Orare desinit qui desinit esse iustus *ibid.*

— Orans est assiduus, quando pluries petit VI 466 48 — Insistendum est orationi potissime in periculis VII 556 52 — Insistendum est orationi tanto fortius, quanto fortior est tribulatio 557 55 — In oratione vigilandum est 235 58

— Petitiones exaudiendae debent esse rationabiles VI 470 12 — debet esse discreta VII 556 54 — debet fieri in veritate 519 56 — simulatoria reprobatur *ibid.* — cordis sine ornatu verborum a Deo auditur VI 402 43

— debet esse sollicita VII 556 52 — cum eleemosyna et ieiunio maxime placet Deo 455 19 — importuna et continua est maximae efficaciae 282 18 — Pulsare debemus per instantiam orationis VI 541 2 — Instantia precis omnia vincit VII 450 8 — Orationis instantia est magnae efficaciae 451 9 — Orationis instantia inclinabit Deum ad exaudiendum *ibid.* — Qui instanter petit obtinet VI 301 76 — instans impetrat veniam de peccatis VII 449 2

— Orans perseveranter impetrat VI 507 19 — prolixa non est mala 519 56 — Monet nos Deus ad orationis instantiam petendo, quaerendo et pulsando 284 25 — In oratione petendum est per actum oris, quaerendum per actum cordis, et pulsandum per actum operis 285 26

— Orandum est frequenter et fiducialiter VII 282 18 — Negligentia et diffidentia fructum orationis evacuant *ibid.* — studiosa est Deo placita 448 1 — studiosa habet in se fervorem affectionis et humilitatem reputationis *ibid.*

— ut sit Deo placita, non debet esse publica in foro, sed occulta in deserto VII 122 35 — debet esse secreta 555 51 — devota debet fugere publicum *ibid.* — Orantibus requirendus est locus secretus 277 2 — Loca apta ad orationem sunt solitaria et secreta *ibid.*

— Conditiones orationis sunt essentiales, ut recta intentio et iusta petitio; vel accidentales, ut tempus et locus, quae non sunt de essentia, non tamen superfluae VI 296 43 — Locus determinatus valet ad memoriam habendam, ad devotionem excitandam, ad unitatem servandam, ad societatem Angelorum obtinendam *ibid.*

— vocalis accepta est Deo VII 278 4 — vocalis valet ad memoriam excitandam, ad desiderium accendendum, ad obsequium impendendum et ad exemplum demonstrandum *ibid.*

— Per orationem impetratur gratia cognoscendi et recte vivendi VII 277 1 — Homo negotiatur orando VI 625 v. 3 — Dominus petenti dat 292 18 — Dominus exhortans ad petendum promittit exauditionem 608 1 — Oratione sanantur pestes animae VII 63 86. 449 3 — dominium habet respectu universorum 449 3

— In oratione et contemplatione facies hominis illustratur, conversatio efficitur irreprehensibilis et conformatur Domino Iesu Christo VII 234 55 — In oratione datur homini intelligentia Scripturarum et mysteriorum propositorum *ibid.* — In internae orationis templo invenitur Deus VI 307 26 — frequens vitiorum impugnationem exstinguit VII 449 2 — dicitur scutum ratione protectionis VI 226 v. 21 — amanda, quia per ipsam impetratur obtentio omnis boni et amotio omnis mali VII 278 3 — Orationis utilitates sunt decem 449 3 — est opus poenitentiae VI 594 3

— Aliquis petit aliquid sibi in se, ut eius indigentia suppleatur, sibi in aliis, ut eius gloria manifestetur VI 469 9 — Non exaudimur nisi pro praedestinatis et pro illis non frustra oramus 471 21 2* — Orare debent Christiani pro persequentibus VII 577 41

— Differentia inter Matthaeum et Lucam in petitionibus orationis dominicae VII 278 5. 282 17 — dominicalis, quamvis sit brevissima, continet in se omnem orationem et omnia postulanda 279 8

— Petitionum orationis dominicae distinctio, ordo et sufficientia VII 279 7 — Secundum Lucam sunt quinque petitiones ordinatae secundum nobilitatem maiorem et minorem *ib.* 9 — Quinque petitiones implicant septem, et septem virtutes, dona, beatitudines et omnes petitiones *ibid.* — In oratione dominica petitur auxilium contra tentationem 556 52 — Petendum est, ut a tentatione non vincamur, propter divini auxilii fidelitatem et recognoscendam nostram infirmitatem 282 16

— rhetorica tres habet partes VII 22 46

Ordo — idem est, quod pondus VI 182 v. 21 — in rebus est vel particularis, vel universalis 45 q. 4 — Aliquid potest privari ordine particulari, sed non universali *ibid.* — universalis cuncta complectitur *ibid.* — Qui cadit ab ordine naturae incidit in ordinem poenae *ibid.* — Sub Deo omnia ordinantur 46 q. 4 — Ubi est ordo, ibi est magis et minus bonum 34 q. 2* — Unus est omnium ordinator 44 v. 7 — Res creatae non ordinantur per se, sed a Deo *ib.* v. 8

— Tres sunt ordines civitatis VI 109 v. 9

— sacri largiendi secundum vitae meritum VI 274 25

Organum — aliquando significat quodlibet instrumentum musicum, aliquando determinatum VI 232 v. 17 — In organo mutatur qualitas soni actu secundum voluntatem moventis *ibid.* — Oculus et auris sunt organa cordis et voluntatis sive appetitus 17 q. 2

Oriens — est melior pars caeli, et ideo ad orientem est adorandum VI 216 v. 28

Origenes — falso dixit, Christum pro daemonibus in aëre in fine esse passurum, et sic eos fore salvandos VI 198 v. 11

Originale — Quilibet habet peccatum originale VI 375 14

Ornatus — exterior est vanitas oriens a luxuria VI 5 11

Ortus — Quantum ad ortum et occasum varietas est in rebus VI 29 v. 2

Ortygometra — dicitur ab orthos, quod est rectum, et gogos, quod est ductio, et metros, quod est mensura, quasi esca recte adducta Israelitis in mensura VI 230 v. 12 — dicitur ab Ortygia insula, in qua primum fuisse putantur tales aves *ibid.*

Os — dicitur inhiatio desiderii VI 51 v. 6 — Distantia debet esse inter os et cor 43 v. 1 — malignum non audet aperte arguere nec potest cordis malitiam occultare VII 382 4

Osculum — est signum dilectionis VII 186 76 — signum est amoris 559 60 — signum est amoris et pacis 395 34 — Deus nos osculatur in connexione duplicis naturae in Verbo *ibid.*

Ossa — ordinata sunt ad protegendum VI 93 v. 3 — Natura fecit ossa dura ad custodienda membra mollia *ibid.*

Ostiarius — Ecclesiae est Christus VI 383 4

Ostium — Christus discretive est ostium ovium VI 385 9 — reseratum est in passione *ib.* 10 — Properantes inveniunt ostium apertum, quod tardantes inveniunt clausum 544 2

— vocantur labia, per quae clauditur porta oris VI 93 v. 4

Otiosus — Substantia nulla est otiosa VI 37 q. 2 arg. 3

Oves — Per oves intelliguntur subditi perfectiores VI 525 35. 526 40 — significat intentionis simplicitatem 22 v. 8 — sunt simplices et humiles 384 5 — est anima fidelis 583 1 — sunt rationales creaturae ratione insitae mansuetudinis VII 384 8 — cognoscitur ex vultu, balatu, vellere et signo VI 583 9 — Quando ovis devoratur a bestia, solet ostendi pellis in signum *ibid.*

— tribuit lac in potum, carnem in cibum, lanam in vestimentum, pellem in ornatum VI 263 82

— spiritualis debet habere vellus agninae conversationis VI 583 9 — spiritualis signari debet signo dominicae passionis *ibid.* — debet esse humilis, ut pastori obediat; esse mitis, ne gregem offendat; foetosa, ut patrifamilias fructum afferat *ib.* 12 — debet esse foetosa per bonorum operum abundantiam *ibid.*

— Christus cognoscit proprias oves VI 384 4* — bono pastori libenter obediunt 383 4 — Christi audiunt eius vocem credendo 391 38 — verum pastorem sequuntur 384 5. 391 42 — sequuntur, quia sciunt vocem consolationis 384 5 — monitae a suo pastore non sequuntur pseudochristos et pseudoprophetas et pseudoapostolos *ib.* 6 — non audierunt fures et latrones 385 10 — bona sequitur pastorem Christum per planitiem mandatorum, per montana consiliorum, per excelsa supererogationum 583 1 — pastorem cognoscit per fidem, per gratiarum actionem; ad pastorem accedit per caritatem; pastorem audit per obedientiam; pastorem sequitur per imitationem *ib.* 10 — aberrat peccando, sed convertitur, quando pastorem audit per obedientiam *ibid.*

— Christi rapiuntur non ex imbecillitate custodientis, sed ex infirmitate custoditi VI 393 54 — Ad mercenarii fugam sequitur ovium dispersio 387 17 — Pastor oves in unum colligit, ne patiantur incursum *ib.* 21 — sunt pascendae, non tondendae nec comedendae 525 35

— Nulla ovis est ovis extra Ecclesiam VI 389 29 arg. — de gentibus nondum vocatae secundum praesentem iustitiam sunt Christi per praedestinationem aeternam *ibid.* — Domini congregatae sunt ab omni parte mundi per ministerium Apostolorum VII 353 61

— centum sunt creaturae in perfecto numero et statu perfectionis suae VII 384 8 — una intelligitur homo peccans *ib.* 9 — Per nonaginta novem oves intelliguntur Angeli *ib.* 10 — nonaginta novem relictae sunt in deserto *ibid.*

— Ad ovem salvandam venit Dei Filius in hunc mundum VII 385 11 — invenitur a Christo, quando a perditione eius sanguine liberatur *ibid.* — Ovis inventio figurata est in inventione arietis Abrahae *ibid.* — inventa excipitur cum gaudio *ib.* 12 — inventa portatur cum gaudio in humeris *ibid.*

— significant opera misericordiae VI 274 25

Ovile — gregis dominici est Ecclesia VI 383 2 — Optimum est introire in ovile Domini, qui non potest superari a fortiori VII 294 51

Ovum — In ovo spes designatur VII 286 31

Ozam — quia nocte uxorem cognoverat, percussus fuit, quando tetigit arcam VII 20 36

# P



Pagani — non intelligunt indivisionem personarum divinarum VI 246 2

Paleae — reprobos designant, quia materia combustionis VII 80 42 — Reprobi sunt paleae in pabulum ignis sempiterni *ibid.*

Pallidus — rubescit ad tempus prae verecundia VII 233 51

Palmes — habet fructum non sine vite, sed in vite et a vite VI 447 5 — Palmites Christi fideles sunt 604 v. 1 — a Christo trahunt non vitam naturae, sed vitam gratiae et gloriae 450 17 — De vite Ecclesiae tollitur palmes inutilis per divinam reprobationem, per excommunicationem, per aeternam damnationem 604 1 — spiritualis purgatur tripliciter *ib.* 2

— separatus a vite proiicitur, arescit, colligitur et igne comburitur VI 447 7 — a vite separatus extra vineam proiicitur *ibid.* — dicitur auferri vel separari a vite Christo per mortem culpae vel damnationis aeternae 450 17 — infructuosi separantur a vite merito suae culpae et iudicio damnationis tollentur et in ignem mittentur *ibid.*

Panis — Per panem intelligitur omne, quod pertinet ad cibum VI 74 v. 7 — optime reficiens fit ex granis frumenti 449 14 — in usum hominum factus, est 321 17 — est cibus magis communis et naturalis, simul exprimens vim cibativam et connexivam in corpore Christi vero et mystico VII 546 25 — Sine pane omnis mensa est vacua 286 31 — labore est acquirendus VI 214 v. 20

— quotidianus comprehendit spiritualem et corporalem VII 281 13 — uterque nobis quotidie est necessarius et quotidie a Domino percipiendus et postulandus *ibid.* — Quintuplex panis petitur a Deo *ib.* 14 — semper sunt petendi *ibid.* — spiritualis promittitur nobis edendus post egressum de hac vita 369 33 — Manducationem istius panis praecedit senarius panum, qui sunt praeparatorii ad cibum aeternum *ibid.* — sex in vita temporali *ib.* 34 — Per sex panes vitae temporalis pervenitur ad septimum vitae aeternae *ib.* 35 — Non veniunt ad panem caelestis convivii qui panes alios praeambulos manducare nolunt *ibid.* — A pane doloris poenitentiae pervenitur ad panem refectionis aeternae *ibid.*

— spiritualis est Verbum increatum et Verbum incarnatum VII 369 33 — spiritualis in via manducatur sacramentaliter, in patria spiritualiter, videndo facie ad faciem *ibid.* — Qui manducaverit panem refectionis aeternae non habebit ulterius defectum *ib.* 35 — Panem caelestem comedunt qui electi a Deo sunt et vocati credunt VI 328 57

— verus est Christus VI 326 47, 48, 49. 328 57 — Christus est panis vivus per essentiam 330 75 — Christus est panis, qui dat vitam aeternam comedentibus per gloriam *ib.* 76 — Corpus Christi non fuit panis de caelo delatus 327 53 — eucharistiae excellit omnem alium panem: delectat mentem, roborat virtutem, continuat vitam 569 v. 33

— significant consolationem VI 583 12 — significat sapientiam 76 v. 12 — In pane caritas designatur VII 286 31 — est eruditio verbi VI 321 19 — significat difficilia de sacra Scriptura 74 v. 10 — Panem frangere est Scripturam exponere 565 4

— iustitiae est panis hordeaceus, quia cum suavitate refectionis habet asperitatem laboris VI 565 5 — iustitiae est panis servientium *ibid.* — De pane iustitiae qui non laborat non manducet, qui vero laborat non indiget *ibid.* — subcinericius est mortificatio carnis 612 v. 11 — mortificationis interimit motus concupiscentiae carnalis *ibid.*

— tres significant intelligentiam Trinitatis VII 284 24 — tres sunt fides, spes et caritas, quibus reficitur triplex virtus in anima *ibid.* — quinque hordeacei spiritualiter significant quinque panes, quibus anima reficitur in praesenti VI 565 2 — quinque, quos habet puer, sunt quinque refectiones affectus 319 11 — quinque hordeacei quinque libri Moysi intelliguntur 321 19. 322 21 — quinque significant quinque libros Moysi VII 224 27 — librorum Moysi multiplicantur, dum multiplex eorum intelligentia a Domino aperitur, et remanent fragmenta doctrinae duodecim Apostolorum VI 321 19

— Multiplicatio panum ex tam parva materia in tantam quantitatem erat potentiae infinitae VI 321 20 — Multiplicatio panum facta est sine creatione et extrinseci appositione, sed crementum in materia et forma per virtutem infinitam 322 20 — In multiplicatione panum Christus, forma manente, perfectam quantitatem dedit ultra necessitatem *ib.* 21 — quinque multiplicati sunt ad reficiendam turbam, nec sunt novi creati VII 224 28 — Panis multiplicatio in deserto, non erat virtute terrena sive tradita elementis, sed virtute caelesti reservata in prioribus causis 223 25 — Panis multiplicatio, fractio, distributio quid significent 224 28 — multiplicati ultra necessitatem utiles fuerunt refectioni discipulorum et nostrae eruditioni VI 322 23 — Fragmenta intelliguntur Apostolorum doctrina et eius fructus multus *ibid.*

— Quare Christus benedixerit septem panes VII 369 35

— intinctus fictionem Iudae significat VI 430 33 — intinctus non videtur fuisse corpus Christi 432 43

— propositionis sic dicebantur, quia per singula Sabbata supra mensam proponebantur VII 136 8 — propositionis a sacerdotibus tantum debebant manducari *ibid.*

Papa — Consuetudo est Papae, ut scribat se servum servorum Dei VI 428 20

Parabola — Scire in parabolis est potius ignorare VII 193 16 — Parabolice dicta sunt maxime discenda 327 60 — valet, quando dicitur suo tempore 362 15 — Parabolica verba sunt spiritualiter et non carnaliter audienda et discutienda 381 69 — Parabolicae locutionis triplex ratio 384 7 — Christus locutus est turbis in parabolis, ut videntes non viderent VI 466 49 — possunt esse per similitudinem vel dissimilitudinem VII 448 2 — Modus loquendi parabolicus est duplex VI 10 q. 2

Paraclitus — dicitur consolator vel advocatus VI 441 25. 443 36

Paradisus — accipitur pro beata visione Dei VII 580 51 — Paradisi sensus novem *ib.* 52 — In paradiso non erat mors ex necessitate ut nunc, sed ex possibilitate 515 42 — In paradisum ante Christum nullus ascendit 580 51

Paralysis — est infirmitas incurabilis, quam Dominus sanavit VI 587 7 — Per paralysim intelligitur accidia *ibid.* — dissolvit membrorum virtutem VII 124 44 — tollit motum et verbum *ibid.* — aufert sensum et motum 128 60 — tria mala facit 127 53 — Quid requiratur ad perfectam eius sanationem *ibid.* — designat culpam originalem 128 60 — Curatio huius morbi et sequelae significat curationem a peccato originali *ib.* 62

Paralyticus — a Domino sanatus est virtute verbi VI 564 1 — tulit lectum, in quo iacebat, et abiit in domum suam magnificans Deum VII 127 54 — tollens grabatum in die Sabbati reprehensus est a Iudaeis VI 306 20, 21 — se excusat calumniae devolutione in curantem *ib.* 22 — non cognovit Iesum nisi per eius eruditionem 307 26 — nuntiavit Iudaeis de Christo non detrahendo vel accusando, sed nomen Christi annuntiando *ib.* 27

— Modus curandi paralysim erat per alienum suffragium et divinum imperium VII 128 62 — In sanatione paralytici tria notantur 123 40 — eius membra verbo Christi consolidata sunt quantum ad virtutem sustentativam, operativam et motivam 127 54 — Per eius portitores designantur patrini 128 62. 145 40

Parasceve — est dies veneris VII 585 66 — non dicitur respectu primae diei azymorum, sed respectu Sabbati *ib.* 68 — dicebatur dies proximus ante Sabbatum VI 500 49 — In parasceve fiebat praeparatio pro die paschae 493 15 — interpretatur praeparatio VII 585 66 — In ea praeparabantur quae necessaria erant ad Sabbatum *ibid.* — Post vesperam parasceves non licebat sepelire mortuum VI

503 65 — In die parasceves licebat parare unguenta et aromata VII 586 71

Parentes — primi habebant corpus animale VII 515 42

— sunt praecipue honorandi et amandi VII 197 29, 30 — Parentum cura habenda exemplo Christi VI 498 38. 499 44 — In divino obsequio faciendo non est a parentibus carnalibus consilium requirendum VII 66 95 — benedicuntur in filio et pro filio 61 76

Pars — et sors idem sunt in re, sed differunt ratione VI 121 v. 8 — nominatur ex parte accipientis *ib.* v. 9 — iusti est Dominus *ibid.* — nostra dicitur consertium Dei aeternum habere 426 9 — carnalis est praesens iucundatio 23 v. 10 — Sancti in praesenti non habent partem, sed in futuro *ibid.*

Participatio — est minus nobilis modus habendi VI 310 43

Parturiens — tristatur, quamvis bonum faciat, propter vehementem dolorem, sed cum peperit, gaudet statim de prole VI 462 32

Parvuli — Oportet fieri parvulum qui vult esse amicus Dei VII 244 88 — In parvulo est magna excellentia *ibid.* — Qui honorat et recipit parvulum recipit et honorat Deum *ibid.* — Parvulorum gloria et honor est magnus *ibid.* — qui non possunt intelligere sublimia, debent quaerere minora VI 244 b

— non baptizati aeterna visione privantur non propter peccatum patris tantum, sed propter suum originale VI 375 14 — Immortalitas parvulorum in limbo coniuncta est cum defectu vitae gloriosae 126 v. 4 — In parvulis divina largitate potest esse effectus manducationis corporis Christi, quo salvantur sine manducatione 334 92

— non sunt prohibendi, ut accedant ad Christum VII 458 29 — suscipiendi sunt a discipulis, quia suscipiuntur a Christo 459 29 — habent in se aliqua, in quibus assimilantur eis mali, et aliqua, in quibus assimilantur eis boni *ib.* 30 — ob humilitatem maxime Deo placent *ib.* 31 — Ipsorum est regnum caelorum propter septem virtutes *ibid.* — sunt mundi et humiles 460 33

— credebant in Christum VI 347 42 — Dominum bonum dicebant 341 13

Pascha — per antonomasiam festiva dies dicitur et fiebat mense primo VI 408 73 — in veteri Lege erat dies specialis cultus VII 65 93 — triplex celebratum est a Iudaeis: ante exitum ex Aegypto, in deserto tempore suo, in ingressu terrae promissionis VI 597 3 — est transitus 425 2. 597 2. VII 538 54. 540 2

— dicitur cibus paschalis VI 487 59 — est prima dies azymorum 425 2. 426 13 — celebrabatur in azymis VII 542 9 — In pascha immolabatur agnus 540 2 — Phase nomen accipitur pro ipso agno occidendo et pro cibo paschali 542 10 *Vide v. Graeci.*

— Nullus Iudaeorum audebat immundus comedere pascha VI 408 73 — Pascha non poterant comedere contaminati 486 52 — In pascha Hebraei a servitute liberati sunt, ideo habebant consuetudinem dimittendi unum 490 72. 493 18

— Mosaicum erat figura Sacramenti altaris VII 545 21 — adveniente veritate, cessavit, sed manet quantum ad signatum *ib.* 22

— Tempus paschale redemptioni nostrae optime congruebat VI 342 18 — Tempus paschale erat opportunum ad occidendum Christum VII 540 2 — In pascha Dominus fecerat miracula et illa renovavit, quia novum pascha fecit VI 319 5

— Phase iustificationem per mortem Christi faciendam significabat VI 223 v. 9 — Est multiplex differentia paschae secundum multiplicem differentiam coenae 597 2 — Pascha verum celebrat qui facit triplicem transitum a mundo VII 538 54 — Pascha faciunt qui transeunt ex visibilibus ad invisibilia, a temporalibus ad aeterna, de morte ad vitam 544 18 — paratur a discipulis per documenta veritatis et medicamenta salutis *ibid.* — designat incorporationem et unitatem membrorum in corporis Christi unitatem 545 21 — Ad cibum paschalem est accedendum cum maximo desiderio *ibid.*

Pascere — Oves pascendae ex dilectione VI 525 33, 34 — Oves pascendae exemplo *ib.* 34 — Oves debent pasci verbo, exemplo et temporali subsidio 526 39

Passer — quamvis parvi pretii sit, tamen non est alienus a divino patrocinio et providentia VII 312 10 — facillime cadunt 313 10

Passio — In patiendo proficit homini temperantia quantum ad passiones mulcebres, fortitudo quantum ad passiones tristabiles VI 162 v. 7

— bona non est nisi sit voluntaria VI 526 43 — Passionis arduitas ferri non potest sine virtute ex alto 433 46 — Succingimur tunica passionis mundanae, ut mundum contemnamus 598 v. 4 — In passionibus Sanctorum activa occisio est permissa, sed passiva est beneplacita 409 75 1*

— Deus clarificatur in passione Sanctorum non in se, sed in nobis, cum innotescit, quanta pro amore Dei nobis patienda sunt VI 528 49 — Deus glorificatur per Christi passionem 433 45 — Christus perfectos accendit ad imitationem passionis 622 v. 15 — In imitatione passionis anima lavatur ad perfectionem decoris 599 v. 6

— Pati a genitore suo gravissimum est VII 528 24

Pastor — ingreditur per ostium VI 383 2 — debet intrare per ostium, id est per veritatem *ib.* 3 — Veri pastoris privatur officio qui per ostium non ingreditur 385 8 — ovium debet ingredi per Christum tanquam per ostium 581 2 — verus debet ingredi per Christum vocationi eius obediendo, post Christum ipsum imitando, propter Christum nihil aliud praeter Christum quaerendo 582 4

— debet pascere oves, non se ipsum VI 525 35 — verus pascit agnos 626 v. 16 — bonus ad reficiendum vocat 384 5 — in unum colligit oves, ne patiantur incursum 387 21 — bonus oves vocat nominatim, eas educit et deducit 583 11 — bonus debet oves vocare verbo praedicationis, educere Sacramento confessionis, deducere exemplo bonae conversationis *ibid.* — Officium boni pastoris est vocare cognoscendo, educere instruendo et dirigere bonum exemplum praebendo *ib.* 4 — Boni pastoris officium est oves congregare et a lupis defendere VII 134 1

— bonus ex vehementi dilectione erga oves vitam pro eis dat VI 386 16 — Bonus bonum exemplum ostendendo praeit 384 5 — bonus non desistit ab inquisitione ante salutem VII 385 11 — humeris suis portat ovem inventam *ib.* 12 — Vigilantia sollicitudinis pastoralis custodienda est Ecclesia VI 549 7

— Bono pastori oves libenter obediunt VI 383 4 — Verum pastorem oves sequuntur per imitationem 384 5 — verus auditur ab ovibus, et oves eum sequuntur, et ipse eas conservat 391 38 — bene praesidens debet esse in cognoscendo sollicitus per vigiliam intuitionis, in supportando pius per affectum pietatis, in deducendo primus per exemplum honestatis, in protegendo probus per constantiam virtutis 582 5 — Bonitas pastoris elucet ex comparatione ad oves et bonitas ovis ex comparatione ad pastorem *ib.* 8

— verus recognoscitur ab ostiario Christo et a grege VI 383 4 — Officium pastoris convenit pastori Christo per excellentiam, aliis per imitationem 384 4 — pauci sunt imitatores Christi *ib.* 5

— malus ingreditur in Ecclesiam Dei tanquam fur et latro VI 383 2. 385 10 — non verus distinguitur a vero ex modo ingrediendi et ex modo praesidendi 581 1 — Agnos pascunt boni praelati, lupos mercenarii, se ipsos fures 626 v. 16 — pravus est, qui cibum habens, permittit, oves fame mori VII 484 32 — Malum pastorem oves non sequuntur, sed fugiunt ab eo VI 384 6 — gregem non curans est idolum 582 7

— Vigilare in nocte spectat ad pastorale officium VII 48 18 — debent vigilare propter hostilem incursum repellendum *ibid.* — Per eorum vigilantiam spiritualiter insinuatur vigilantia in praelatis *ib.* 19 — eorum attentio fuit ex propriae sollicitudinis vigilantia et ex angelici luminis circumfulgentia *ib.* 17, 18 — solliciti facti sunt a claritate Angeli 49 21

— certificantur primo per signum probabile, deinde per testimonium credibile VII 50 25, 26 — Signum per testimonium visus datur eis *ib.* 26 — In Christo infante datum est eis signum paupertatis et humilitatis *ib.* 27 — quia pauperes, simplices et contemptibiles timebant accedere *ibid.*

— Commendatur eorum diligentia a sollicitudine inquisitionis, a certitudine inventionis et a gratitudine devotionis VII 51 32, 33 — eorum festinantia signum erat promptitudinis interioris, qua divino

conspectui volebant praesentari 52 35 — se mutuo cohortabantur *ib.* 33 — volebant transire, ut viderent Verbum caro factum *ib.* 34 — ideo invenerunt, quia sollicite quaesierunt et absque fictione *ib.* 37 — eorum inventio fuit certitudinaliter comprobata, celeriter divulgata et memoriter conservata *ib.* 37, 38

— vere cognoverunt, quod verum esset signum Angeli, quia de ovibus erant illius pastoris VII 53 39 — mirati sunt, quia parvulus non videbatur eis contemptibilis, sed admirabilis *ibid.* — eorum verba non erant contemnenda sed admiranda *ibid.* — Ab ipsis etiam Maria fidem colligit *ibid.* — Ab ipsis populus ad Dei reverentiam congregatur *ibid.*

— Commendatur eorum diligentia a gratitudine devotionis VII 53 41 — eorum devotio erat laudabilis propter debitam operationem, gratiarum actionem et recognitionem *ibid.* — de omnibus, quae audierant et viderant, grati Deo gratias egerunt 54 43 — glorificaverunt Deum *ib.* 42

Patena — Absconsio patenae in missa significat separationem Christi a discipulis 556 53 — figuram gerit lapidis sepulcralis in monumento Christi 584 64

Pater — dicitur antiquitate, vel auctoritate, vel beneficio et educatione, vel generatione VI 293 26 — vocatur qui generat per originem, vel per imitationem 365 55. 366 61. 368 69 — Paternitas est duplex VII 87 61 — sunt imitandi VI 295 35 — malus frequenter punitur in filio 375 14 — in quantum instruit in fide, designatur per Legis doctores VII 214 91

— De manu patrisfamilias accipiunt filii, servi, milites, amici VI 539 8 — Non congruit, ut paterfamilias largiatur ignotis, ignaris et indignis sive ingratis 540 9

— Templum Ecclesiae fuit fundatum in sanctis Patribus VI 549 6 — sunt quasi lapides grandes virtute, pretiosi caritate, quadrati perfectione *ibid.*

— Filii est per naturam, noster per gratiam VI 510 26 — personaliter dicitur in relatione ad Filium 372 86 — ab aeterno est 247 5 — est unum cum Filio 246 2 — et Filius unum sunt in essentia et distinguuntur in personis 360 27 3*. 391 41 — est in Filio et Filius in Patre secundum essentiae unitatem et personae distinctionem 439 20 — non potest relinquere Filium 362 39

— dat Filio amore pure gratuito et nihil recipit VI 450 18 — dedit Christo totum, quod potuit 391 40 — omnia dat Filio per generationem 362 38 — quod dedit Filio non sibi abstulit 470 16

— summe diligit Filium VI 309 38 — summe diligit Filium, quem vocat dilectum et in quo inhabitat VII 84 55 — honorificatur in gloria Filii 438 14 — quaerit gloriam Filii 367 67. 370 78

— Nemo ignorando Filium potest cognoscere Patrem VI 359 25 — trahit homines ad Filium per revelationem 330 68 — dedit Filio homines per praedestinationem 474 33. 476 43

— dat Filio testimonium ut distinctus in persona VI 360 27 3* — Vox Patris fuit audita super Christum in baptismo, in monte, in via ad Ierusalem 596 v. 28

— dicit se Verbo in se, dicit et nobis, per quod se aliis declarat, dicit etiam omnia Verbo VII 84 56 — designatur per vocem *ib.* 55 — dicit Filium, qui est Verbum verum VI 362 43

— per antonomasiam dicitur principium VI 246 2 — In Patre reperitur fontalis emanatio 362 42

— habet auctoritatem respectu Filii sicut principium *ib.* 445 47 2* — mittit per auctoritatem 443 38 — venit cum Filio, sed non se mittit cum Filio *ibid.* — Patri per appropriationem attribuitur venire ad nos secundum effectum *ibid.*

— Patri appropriatur veritas ratione originis Verbi connotatae VI 362 43 — Auctoritas et potentia Patri appropriatur 424 71 — Patri attribuitur potentia 160 v. 1 — Patri appropriatur potentia et opera miraculosa 373 4

— voluit, Christum pati VI 480 19 — tradidit Christum pro nostra dilectione 445 45 — disposuit Filio, quod veniret ad exaltationem per humiliationem VII 551 40

— dicitur essentialiter de tota Trinitate in comparatione ad creaturam VI 371 86 — Nomine Patris intelligitur Deus ut conditor naturae, largitor gratiae, consummator gloriae VII 278 4, 5

— se dat in hereditatem adoptatis VI 477 45 — Sumus filii Patris caelestis, cum libenter osculamur eum per amorem mutuum VII 395 34 — animarum est solus Deus 332 76 — erat Deus Iudaeorum VI 370 78. 371 86

— In hoc nomine excitatur homo ad reverentiam et confidentiam VII 278 5 — Ipse est, a quo solo debemus petere *ib.* 4 — A Deo Patre tria sunt postulanda 279 7

— est verus agricola, quia opus eius exercet VI 447 2 — a longe videns peccatorem, se movet ad misericordiam VII 395 34 — infundit in peccatorem gratiam praevenientem, concomitantem et subsequentem *ibid.* — peccatori redeunti maximum ostendit dilectionis indicium ob pietatis affectum *ibid.*

Patientia — rectificat rationalem, temperat irascibilem, modificat concupiscibilem, consummat exteriorem operationem VII 530 27 — est fortissima armatura 254 6 — est armatura perfecta 530 27 — vera est, cum quis amat quod portat *ibid.*

— Patienter ferendae sunt iniuriae in personam et rem possessam VII 154 68, 69 — Patiens propter tribulationes non deficit, sed sustinet VI 454 1 — Homo habet exercitium patientiae per modestiam paupertatis vel per eleemosynae largitionem 554 7 — In patientia anima quiescit 80 v. 4 — Per virtutem patientiae benedicitur maledicentibus VII 579 48 — Panis patientiae est panis hordeaceus, quia habet refectionem animae et asperitatem sive duritiam poenae VI 565 6 — Panis patientiae reficit pugnantes *ib.* 2

— Constantia conservatur per patientiam VI 56 v. 8 — non debet resistere 480 19 — in corde tenenda 485 42 — est servanda 56 v. 8

— Patiens possessor est cordis VII 530 27 — facit dominari sibi *ibid.* — est radix et custos virtutum *ibid.* — exercitanda est exemplo Christi 154 70 — conservando et multiplicando merita passionum facit reportari praemium 530 27

— Christus pendens in medio latronum dat formam patientibus sustinendi adversitatem VI 542 11 — Christus missus fuit patientibus, ut relevarentur a poena 574 2 — Christus spiritualiter apparet patientibus in mari poenitentiae 623 v. 1 — Per patientiam homo purgatur 447 3 — Patientibus promittitur magnitudo mercedis propter tolerantiam in malo poenae VII 149 54 — Patientes laetificantur sponsione praemii *ib.* 55

Patriarchae — sunt lapides electi vineae VII 503 11 — fuerunt exemplar vivendi in vita *ib.* 60 — In eis facta est repromissio *ibid.* — Intelligentia Patriarcharum communicata est imitatoribus ipsorum 17 28

Paulus — credebat, se bene facere persequendo Christianos, propter ignorantiam et incredulitatem VI 455 2, 3 — fuit misericordiam consecutus, quia peccavit ex ignorantia VII 314 15 — prius persecutus est Christum ut lupus, postea pro eo persecutiones passus ut agnus 254 6

— est exemplum praedicatoris evangelici VII 4 5 — est dux praedicantium et profundissimam habuit sapientiam ad intelligenda mysteria 483 31 — quia potens in sapientia, fuit Apostolus ad gentes 290 41 — maximam multitudinem gentilium adduxit ad ovile dominicum 483 30 — sapiens non inter primos Apostolos vocatus est, sed novissimus, ut humiliaretur VI 268 101 — minimum se dicebat et sentiebat Apostolorum VII 483 30

— fuit vas apertum, quod illuminavit mundum VII 196 23 — fuit servus fidelis 482 27 — celavit raptum quatuordecim annis 239 69 — erat ut bonus pastor paratus ad vitam ponendam pro ovibus VI 386 16

— licet sciret, quod multa a Iudaeis deberet pati in Ierusalem, secure ascendit ad subditorum salutem VII 487 42 — mortuus est ad profectum virtutis et palmam martyrii obtinendam 574 33

— Apostolorum princeps extractus fuit a Domino de sordibus vitiorum ad exemplar poenitentiae VII 563 74

Paupertas — Pauper dicitur per contemptum praesentium VI 52 v. 8 — Superflua amputantur per paupertatem 553 7 — Christi docet nos ordinari ad mundum 595 v. 13 — est vel ex complacentia, vel ex tolerantia, vel cum impatientia 59 q. 1

— spiritus includit paupertatem coniunctam cum humilitate VII 175 41 — non est placita, nisi sit simplex contra dolositatem et humilis contra elationem 249 105

— Pauper superbus odiosus est Deo et hominibus *ibid.* — Pauperes sint vili contenti refectione tanquam esurientes 257 16 — Pauperes non debent quaerere divitias mortales, sed vitales VI 629 9 — Gaudendum est de paupertate in vita praesenti VII 422 55

— Pauperibus benefaciendum VI 411 6 — Divitiae communicandae pauperibus indigentibus 30 v. 6 — Pauperi aperienda est manus et maxime iusto VII 368 30 — Praelatis specialiter datum est mandatum de alendis pauperibus VI 430 36 — non desunt in terra 411 8

— duo missi sunt ad commendandum nexum caritatis et propter duplicem ordinem praedicantium VII 488 45 — Duplex est ordo praedicatorum secundum dualitatem populorum convertendorum *ibid.* — Praedicatio bonorum praedicatorum est bipartita secundum duplicem populum et duplicem parietem Ecclesiae 481 25. 483 31 — alii converterunt populum Iudaeorum, alii vero populum gentium 481 25 — Duplex est ordo praedicantium bonorum secundum duplicem differentiam ovium pascendarum 483 31 — qui praedicaverunt Iudaico populo, designantur per servum, qui habet decem mnas 485 37

— Praedicantium duces et praedicatores praecipui sunt principes Apostolorum VII 483 31 — boni imitatores sunt duorum principum Apostolorum *ibid.*

— perfecti perfecte Christum imitari debent VII 218 6 — veritatis est contemptor terreneitatis *ibid.* — bonus debet esse imitator Christi 112 97 — qualis esse debeat, ut sit acceptus Deo *ib.* 98 — veri et boni exemplo Christi debent stare per rectitudinem intentionis 114 7. 117 17 — Praedicatoribus datur forma a Christo, ut non nova de cordibus suis adinveniant 224 28

— In praedicatore debet esse perfectio vitae et doctrinae VI 521 12 — debent habere sapientiam eloquentiae et honestatem vitae 266 91 — prius vacet perfectioni propriae et deinde aedificationi alienae VII 43 144 — Praedicatori necessaria est altitudo vivendi 253 4 — qui faciunt quod ore dicunt, sunt operarii et a Domino remunerandi *ibid.* — boni sunt qui gladium divini verbi non tantum in ore, sed etiam in manu portant 254 4 — veritatis debet facere illud quod aliis persuadet 444 54 — fideles per bona exempla ad vitam perducunt VI 521 12

— Praedicatoribus necessaria est lectio sacrae Scripturae, oratio, devotio, meditatio, doctrinae distributio pro capacitate audientium VII 224 28 — debent se custodire ab edacitate et a loquacitate 261 27

— Praedicatorum studiosa sedulitas approbatur, et negligentia reprobatur VII 483 31 — Qui negligenter utuntur commisso praedicationis officio figurantur in servo pigro *ib.* 32 — negligens est, quando donum sapientiae abscondit et occultat *ibid.* — negligens est merito maledicendus *ibid.* — ignorantes punientur et multo fortius negligentes 484 34

— instruuntur, ut verbum veritatis non proponant, nisi videant capacitatem auditorum ad credendum et suscipiendum VII 239 59 — Praedicatoris officium est, ut ex modo dicendi et ex sensu verbi excitet audientes 192 13 — Praedicatoris finis in se esse debet sufficienter dicere ad persuasionem et auditores excitare 220 10

— Officium iniunctum praedicatoribus est narrare, quanta nobis fecerit Deus VII 208 69 — eius officium est divulgare divinum beneficium *ibid.* — Non est in potestate praedicatoris omnia opera et beneficia Dei enarrare, sed debet esse in eius desiderio et voluntate *ib.* 70

— verus facit deserere malum, discernere verum et diligere bonum VII 567 7 — verus debet praedicare transmigrationem a statu peccati, confessionem fidei et quietationem in visione aeternae pacis *ibid.*

— per praedicationem invitat ad coenam Christi VII 370 38 — excitant desiderium veniendi per considerationem praemiorum 371 39 — debet vocare ad coenam peccatores et compellere intrare per comminationem aeternorum suppliciorum 374 49 — boni adducunt ad praesepe dominicum 483 31

— debet praeparare corda hominum VII 17 28 — cum volunt audientibus dicere ardua, immisceant dulcia VI 294 32

— Verbo praedicatoris Deus confert virtutem sive gratiam praedicationis et aedificationis VII 144 38 — non sibi, sed Deo tribuere debent quae agunt 374 49 — revertuntur ad Deum per gratiarum actionem *ibid.* — gemere debent de audientium rebellione ex detestatione culpae *ibid.*

— Piscatores spirituales rete expandunt praedicando VI 625 v. 6 — Praedicatoribus congregat Dominus pisces in mari Ecclesiae 567 6 — Praelatus reverti debet ad populum praedicando verbo 624 6

— sunt causa sanitatis orbis terrarum VI 150 v. 26 — habent linguas medicinales 171 v. 19 — Spiritualiter suscitatus pascendus committitur praedicatoribus 591 4 — solvunt, ut ad Christum trahant VII 489 47 — sunt praepositi animabus ad Christum conversis non per imperium potestativum, sed per quandam excellentiam gloriosam 482 28 — debent gregem dominicum servare et custodire 479 19

— Animam pascere praedicando melius est quam corpori alimenta ministrare VII 250 108 — Nubes reverti est cessare doctrinam praedicatorum VI 93 v. 2

— verus plus afficitur ad filios generatos per praedicationem quam ad parentes carnales VII 198 32 — debet se omnibus exhibere benignum in signo, verbo et facto 222 19

— gloriam habebunt de universitate fidelium conversorum VII 483 30 — In gloriam praedicantium erunt populi conversi 482 28

— veri quaerunt solum Dei honorem et subditorum salutem VII 246 93 — Mercenarii sunt qui praedicant pro commodo, tamen vera et bona, et sunt tolerandi *ibid.* — Lupi sunt qui in doctrina veritatis a Christo discordant, sicut haeretici, et sunt arcendi *ibid.* — remissus persequitur Christum veritatem ex populari gratia vel favore VI 615 1

— sunt boni, vel mali VII 447 60 — Inter praedicatores aliqui sunt electi, aliqui reprobi *ibid.* — pauci sunt studiosi, plures autem malitiosi 253 4

— Auctoritas praedicandi aufertur ei qui non vult semen Christi suscitare VII 513 37 — Christus noluit prohiberi praedicantem, sed non sequentem eum 111 91

— Praedicatoribus veritatis accommodandus est auditus VII 258 18 — veri sunt excipiendi et honorandi ut imitatores Christi 246 93 — etiam imperfectus humiliter sustinendus est, si non est veritatis adversarius 245 92

— suscipiendi sunt per fidem et dilectionem tanquam nuntii Christi VII 257 15 — suscipitur ab eo qui eius doctrinam acceptat cum mansuetudine et patientia *ibid.* — Magna est auctoritas praedicatorum, in quorum receptione Deus recipitur et in contemptu contemnitur 261 27 — haeretici sunt cohibendi et veri tantum audiendi 110 91

— Praedicatoribus non est prohibita studiosa providentia, sed curiosa sollicitudo VII 218 5 — ex magnitudine spei soli Deo debet inniti *ibid.* — suscipere possunt corporalia alimenta a suscipientibus spiritualia documenta 257 15 — inter infideles et extraneos et persequentes doctrinam veritatis non debent negligere provisionem sustentationis 554 48 — Licet praedicatori accipere stipendium pro labore 190 5 — dignus est mercede sua, non solum in patria ad remunerationem, sed etiam in via ad sustentationem 256 13 — qui non ministrant beneficia spiritualia, minus condigne suscipiunt stipendia corporalia 258 17 — non debet per domos cursitare et hospitium mutare 256 13

— potest accipere stipendium, sed non debet praedicare propter illud, sed propter salutem populi VII 208 67 — non debet quaerere proprium commodum, sed honorem divinum 373 44 — qui praedicat propter lucrum temporale, malus negotiator est, et qui praedicat propter lucrum animarum, spiritualis negotiator est 479 20 — qui accipit carnalia, ita ut non ponat in eis finem, non recedit a spirituali negotiatione nec ponit Evangelium venale *ibid.* — qui annuntiant verbum Dei cupiditate lucri, non sunt discipuli Christi, sed Balaam harioli 218 6

— veritatis super omnia vitare debet vitium cupiditatis VII 218 6 — Avaritia in praedicatore provocat iram Dei *ibid.* — debet maxime vitare impatientiam 219 8 — Praedicatoribus triplex pulvis consuevit adhaerere: inanis gloriae, indignationis et impatientiae, cupiditatis et avaritiae 258 20

Praedicere — Quod praedicitur non scitur certitudinaliter et absolute VI 435 55

Praeesse — Bene praeesse est dominari in bonum suum VI 67 v. 9 — Inordinatio est praeficere malum aut stultum aut inutilem aut remissum 82 v. 8 — Qui praeficiuntur ratione parentelae non intrant per ostium et volunt possidere patrimonium Christi titulo hereditariae successionis 581 v. 1 — Qui magistro subiacente, cupit praeesse, magistrum suum cupit praecedere VII 161 94 — Retrahimur a vanitate praesidendi per documenta evangelica 160 92, 93. 161 94 — Homines praesunt brutis VI 69 q. 1

Praeferre — Aliquid alicui praeferri potest vel simpliciter vel quoad aliquam conditionem VI 38 q. 1 — Aliquid praefertur alii vel ratione sui vel ratione consequentis ad ipsum 56 q. 1 — Illud praeferendum est alii ratione sui, quod de se dicit plus de bono *ibid.*

Praegnantes — significant animas peccatrices VII 532 36 — significant animas, quae bonum habent propositum, sed non perveniunt usque ad partum effectus *ibid.*

Praelatus — est rex Ecclesiae VI 147 v. 10 — dicuntur reges ad bonum dirigendo et iudices inter bonum et malum discernendo 145 v. 2 — est custos, cui cura dominici gregis est commissa 95 v. 7 — sunt dispensatores VII 327 61 — est legis minister 78 34 — per humilitatem in exteriori conversatione debet esse sicut minister 550 37 — dicuntur servi a serviendo per reverentiam humilitatis et a servando per custodiam gregum 478 19 — est cultor vineae Ecclesiae 339 12 — sunt ministri, non domini Ecclesiae militantis VI 145 v. 5

— debent vocari VII 478 19 — constituuntur a Deo per auctoritatem 327 62 — sunt medii inter simplices et Dominum, qui desideria pauperum Domino offerunt VI 416 31 — debet accedere ad Deum ad consulendum et ad offerendum 623 5 — Apparet Dominus praelatis consulentibus, offerentibus, praedicantibus, deducentibus gregem bono exemplo 624 5

— habent auctoritatem ligandi in foro iudiciali VI 515 52 — iudicat terram subiectae plebis iudicio publico 110 v. 1

— Boni praelati est custodire subditos VI 472 24 — debent gregem dominicum servare et custodire VII 479 19 — bonus, qui custodit subditos, est sepes subditorum VI 83 v. 8 — conservat subditos in bono bona instructione et exemplo 474 32 — praecedere debent oves contra ferocitatem lupinam VII 486 42 — Praelatis congregat Dominus pisces in mari Ecclesiae VI 567 6 — bonus pascit agnos 626 v. 16 — debet vigilare circa gregem sibi commissum VII 584 63 — debent ut pastores vigilare 48 19

— figuratur in stabulario VII 272 64 — figuratur in Noe 446 58

— templum Ecclesiae debent aedificare verbo praedicationis, ornare exemplo conversationis, custodire vigilantia sollicitudinis pastoralis VI 549 7 — debet esse idoneus, ut Christum in membris suis crucifixum suscipiat et collocet in locum quietis et ecclesiasticae unitatis VII 584 63 —

— debet esse vir bonus et iustus VII 584 63 — debet esse vir non tantum sexu, sed aetate et virilitate *ibid.* — In sanctis praelatis est fidelitas et prudentia, auctoritas et vigilantia 328 62 — primo debent circa se invigilare, ne intenti correptioni alienae negligant suam 427 7 — debet suum et aliorum profectum requirere 584 63 — debet esse exspectans regnum Dei *ibid.*

— debent eligi sapientes VI 268 101 — Praelatorum perfectio quadruplex VII 143 35, 36 — diligere debent sapientiam VI 150 v. 23 — In praelatis debet regnare spiritus sapientiae et intellectus VII 329 65 — In praelatos primo lumen sapientiae est diffundendum VI 109 v. 9 — invitantur ad studium et amorem sapientiae *ibid.* — debent esse assidui in divinae legis meditatione 149 v. 21 — non debet negligere donum scientiae et auctoritatem sibi commissam VII 329 67, 68

— A praelatis doctrina veritatis debet pervenire ad subditos VII 49 22 — debent communicare sanam doctrinam iuxta audientium capacitatem 327 62 — Ipsius est doctrinam Christi ministrare et explanando supererogare 272 64 — reverti debet ad populum, ut praedicet verbo et ut deducat exemplo VI 624 6

— debent esse in praedicando docti, in corripiendo viriles, in remittendo benigni VI 578 5 — sine doctrina est quasi gladius in manu stulti, sine virilitate, quasi gladius in manu pueri, sine clementia, quasi gladius in manu furibundi *ibid.* — est reprehensibilis, si nihil laboris vult sustinere et sibi est misericors et proximo vel subdito durus VII 306 92 — In multis praelatis est quadruplex defectus 328 62 — difficiliter inveniuntur fideles in intentione et prudentes in electione 327 61

— Praelatis necessaria est veritas iustitiae VI 607 v. 13 — Praelatis necessaria est humilitas animi, aequanimitas zeli et perspicacitas iudicii VII 243 85, 86 — In praelatione medium teneri debet, declinando acceptionem personarum 434 23 — debet nobiliter tractare negotia curiae Christi 584 63 — debet esse dissentiens a malo consilio *ibid.*

— debet se benignum omnibus exhibere in signo, verbo, facto VII 222 19 — ad exemplum Christi debent subditos rogare 114 5 — ex lapsu Petri debet discere, quomodo aliis misereri debeat 502 71 — Sine compassione cum defectibus fratrum nullus debet praefici VI 319 11

— non ex indignatione taceant, nec ex superbia respondeant, nec per violentiam se ingerant vel vindicent VI 578 7 — debet increpare per iustitiam et sanare per clementiam VII 242 81 — debent arguere etiam incorrigibiles VI 275 28 — Praelato etiam nulla praecedente correptione potest et debet culpa proximi accusari extra iudicium, si sit occulta, et in iudicio, si habeatur probatio certa VII 428 9

— debent sollicite peccatores a mortuis suscitare VI 400 30 — Spiritualiter suscitatus custodiendus committitur praelatis 591 4 — ut suscitent, debent plorare, accedere, clamare *ibid.* — mortuum spiritualiter suscitatum debent solvere, pascere et custodire *ibid.* — subditum a diabolo per peccatum obsessum reddere debet Regi caelorum VII 242 81

— quilibet tenetur pro grege in extremae necessitatis articulo constituto, aut ab imminente periculo liberando mortem subire VI 389 28 — Mori pro grege dominico de bono in melius promovendo est supererogationis quantum ad omnes praelatos *ibid.*

— Quae Christus in templo gessit informant praelatos in agendis, quae vero sustinuit in templo informant eos in damnis sustinendis VI 578 5 — in Christo habent formam rectae praelationis VII 172 21. 222 19 — in Christo habent exemplum perfectae vigilantiae in activa et contemplativa 539 59 — vigilans ad disciplinam libenter auditur *ib.* 60

— debet fovere parvulos verbo et exemplo VII 329 65 — debent esse agni inter agnos et lupos, ut bonos foveant et malos tolerent 254 6

— bonus non est amovendus nec per fraudulentiam nec per violentiam VI 83 v. 8

— De loculis Ecclesiae licet praelatis emere quae necessaria sunt, reliqua debent dare egenis VI 430 36

— habebunt praecellens praemium, si fuerint boni administratores gratiae Dei VII 328 63 — prae ceteris habebunt gaudia aeterna tum pro sua vita, tum pro gregis custodia *ib.* 64 — Praelatis Dominus reddet in die iudicii omnia supererogata 272 64 — qui bene praesunt, et ratione sui et populi acquisiti remunerabuntur 482 28

— Debemus praelato servire VI 575 4 — Praelato iniusto, quamdiu a Deo habet potestatem, est obediendum 82 q.

— Deus iusto iudicio aliquando dat malos praelatos VI 81 v. 5 — mali non errore, sed mirabili dispensatione Dei eliguntur ad praesentem dignitatem 429 26 — stultus non est promovendus, sed magis praecipitio dignus 84 v. 12 — Est defectus regiminis providentiae circa praelationem, quod sapientes contemnuntur et stulti promoventur 77 v. 13 — carnalis et remissus est praelatione indignus propter deordinationem gulae, infirmitatem vel otiositatem pigritiae, ineptitudinem laetitiae, subversionem iustitiae 85 v. 16 — malus nocet eis qui sibi eum praeficiunt 86 v. 16 — durus et inutilis non est promovendus 83 v. 9 — Praelatos duros et malos ad maiorem promovens dignitatem affligetur per eos et propter eos *ibid.*

— inutilis ligno comparatur VI 83 v. 9 — inutilis igni traditur sicut lignum infructuosum *ibid.* — qui aliquo modo declinavit in malum est corrigendus *ib.* 10

— Praelato malo non est occulte detrahendum VI 83 v. 11 — Acumen bonitatis et sapientiae immutatur per culpam in praelato *ib.* 10 — Detractio occulta praelati est magna culpa *ib.* 11 — Iuste potest homo laborare, ut iniustus praelatus amoveatur 82 q.

— potestatem habet a Deo, sed executionem a se VI 82 q. — iniustus potestatem habet iuste, sed exsequitur iniuste *ibid.* — Inter praelatos aliqui sunt electi, aliqui reprobi VII 447 60

— In dignitate mali praelati non est nisi falsa positio VI 81 v. 6 — dicitur malus et iniustus, aut quia malus est in se, aut quia iniuste ingreditur et exsequitur, aut iuste ingrediens iniuste exsequitur 82 q. — malus in se iuste praeesse potest *ibid.*

— Praelatio stultorum est onerosa VI 80 v. 4 — Praelatio stultorum est inordinata tum propter defectum scientiae, tum propter defectum vitae 81 v. 5 — Ex praelato inutili et remisso provenit inordinatio 85 v. 16 — Praelatum iniustum habere potestatem, iniquum et iniustum est per comparationem ad merita sua; iustum comparatione ad merita malorum subditorum 82 q.

— Conqueritur Dominus de praelatis malis VI 226 v. 21 — Peccatum praelati subditis non praeiudicat 516 54 — Praelatorum peccata specialiter provocant divinam ultionem VII 531 34 — malus alligat sibi peccata duplicia VI 67 v. 9 — potestate abusi punientur pro peccatis suis et subditorum suorum 146 v. 7. VII 330 69

— Praelatorum malorum maxima erit poena VII 329 66 — insolens arguitur 328 65, 66 — Praelato negligenti comminatur severitas divini iudicii 339 12 — Praesidenti superbe imminet ruinae periculum 160 93 — Praelato flet interrogatio, qualiter intravit, qualiter vixit, qualiter rexit et custodivit gregem sibi commissum VI 145 v. 4 — Praelatis flet iudicium durissimum 146 v. 6 — Durius punientur praelati quam ceteri ratione commissi, peccati, damni, scandali, iudicii, officii *ibid.*

Praemium — erit secundum diversitatem meritorum VII 150 57 — Praemiorum promissio quadruplex 147 49, 50 — consistit in visione Dei VI 442 30 — consistit in suavitate patriae VII 225 29

— gloriae non poterit variari nec perdi VI 88 v. 3 — essentiale Beatorum est aurea, et accidentale est aureola 142 v. 17 — Iusti merentur praemium pro operatione boni et victoria mali *ib.* 16 — debetur certaminibus non inquinatis per defectum perseverantiae 132 v. 2

— vincens est praemium superans magnitudinem persecutionum VI 132 v. 2 — vincens est praemium datum pro certamine certatorio *ibid.*

— In manu Dei sunt praemia hominis VI 71 v. 1 — Consideratio praemii invitat ad bonum 88 v. 1 — Amor praemii debet hominem pollutum ad munditiam movere 600 5 — Amor praemii movet nos ad Deo serviendum 576 7 — Ex consideratione dilationis praemii ortum habet devotio in perfectis 320 14 — Malus vivit, quasi non sit aliud praemium nisi praesens 70 v. 15 — correspondens dono inutiliter habito auferetur VII 485 37

Praeparatio — ad gratiam est facienda, secundum quod in nobis est VI 258 52 2* — In potestate hominis est se ad divinum auxilium praeparare, sed non est in sua plena potestate venire 331 79 2*

Praeponere — Nemo se aliis praeponere debet VII 364 20

Praepositiones — important distinctionem VI 246 3. 439 20

Praerogativae — divinorum privilegiorum magis sunt humiliter et sobrie admirandae, quam procaciter perscrutandae VII 36 112

Praescientia — Nihil est casuale secundum divinae praescientiae ordinationem VI 77 q. 1

— Praescitus dicitur filius perditionis VI 472 24

Praesens — habet permanentiam VI 248 7

Praesidens — Christus praesidentibus apparet in monte VI 623 v. 1 — Christus in medio discipulorum dat formam praesidentibus convocandi subditos ad fraternitatem 542 11

Praesumtio — est in intellectu VII 33 96 — est aut arrogantiae de se et sua virtute aut confidentiae de virtute divina et misericordia VI 154 v. 15 — sui ducit in

contemptum proximi VII 453 14 — Velle sapiens videri est praesumtio VI 62 v. 24 — Non est praesumendum de propriis meritis VII 457 24. 562 71 — stulta parit aemulationem 343 28

— est caecitas culpae VI 579 2 — Praesumtuosus caecus est VII 160 93 — Homo excedit per praesumtionem VI 567 v. 44 — Ad dexteram declinat homo per praesumtionem 640 7

Praeteritum — Praeteritio nulla est in aeternitate VI 247 7 arg. — habet immutabilitatem 248 7 — non est in divinis 371 82 — Sapientis est scire praeterita 162 v. 8 — dat cautelam de futuro VII 554 47 — Stultus, cum ignoret praeterita, non potest praevidere futura 85 v. 14

Praetorium — dicitur locus, ubi habitabat praeses, vel ubi iudicabat VI 487 57 — erat in domo Caiphae, vel in domo Pilati *ib.* 58

Praevaricatio — Homo excidit a iustitia per praevaricationem mandatorum Dei VI 147 v. 10

Praevisio — praemunit contra tribulationes futuras VI 455 1 — Quod non praevidetur evenit repente VII 538 56

Prandium — paratur in praesenti VI 523 22

Primatus — Quaerentes primatum potius adhaerent contentioni carnalium quam paci et unitati spiritualium VII 550 35 — Contentio de primatu signum est amoris excellentiae et dominii *ibid.*

Primogenitus — dignitate praecellit reliquos filios VI 224 v. 12 — Primogenita erant Deo offerenda VII 46 10

Primum — et summum coniuncta sunt VII 362 15 — Primi sunt novissimi propter superbiam 353 62

Princeps — est minister legis VII 78 34 — Principis est omnia distincte et ordinate agere 45 4 — carnales semper sunt insipientes VI 86 v. 16 — est qui sibi per bonam vitam principatur 81 v. 7

— sacerdotum praecellebant auctoritate VII 227 36 — In principibus sacerdotum debebat esse praerogativa sanctitatis 540 3 — regebant per auctoritatem 560 65

— In principibus erat fastus propter excellentiam dignitatis VII 501 2 — minus quam alii volunt sustinere, vitia sua tangi 500 74 — timebant perdere honorem suum et ob hanc causam occiderunt Christum *ibid.* — sacerdotum propter ambitionem dignitatis sacerdotalis quaerebant Christum perdere per odium malignitatis *ibid.* — plebis propter ambitionem potestatis iudicialis quaerebant Christum perdere per odium malignitatis *ibid.*

— cum adiutorio scribarum quaerebant interficere doctorem veridicum VII 541 3 — sacerdotum sitiebant sanguinem Christi *ib.* 5 — volebant occidere Christum in occulto *ib.* 3 — dum quaerunt interficere fontem vitae, inveniunt mortem *ibid.* — miserunt ministros, quia ipsi erant potentiores VI 348 47

— sacerdotum consenserunt in unum commercium perversum et impium cum Iuda, commoti a siti crudelitatis VII 541 5 — quasi pactum fecerunt de triginta argenteis *ib.* 6

— sacerdotum videntes Christi infirmitatem insultabant ei VII 577 43 — fecerunt sicut Cham erga patrem suum *ibid.* — multipliciter insultabant Christo et malitiosius quam populares *ibid.* — sacerdotum excaecati sunt, quia, cum vidissent signa et mirabilia in morte Christi, non glorificaverunt Deum 582 57

Principium — In principio esse dicitur quod non habuit principium VI 368 70 — In cognitione principiorum intelligibilium non fallitur 16 q. 1 — Facile est cognoscere principia intelligibilia *ibid.*

— aliquando accipitur essentialiter, aliquando notionaliter, aliquando personaliter VI 362 42 — per antonomasiam dicitur Pater 246 2 — dicitur tota Trinitas secundum respectum ad creaturam 362 42 — notionaliter dicitur de Patre et Filio respectu ad Spiritum sanctum *ibid.* — personaliter dicit fontalem emanationem in Patre *ibid.* — dicit auctoritatem in Patre 445 47 2* — essentialiter sumtum trahitur ad personam Filii per proprietatem generationis vel per proprietatem Verbi 362 42

Privatio — non habet causam efficientem, sed deficientem VI 382 55 — A privatione non est regressus ad habitum secundum naturam 118 v. 1 — Facillimum est accedere ab habitu ad privationem, et difficile vel omnino impossibile redire a privatione ad habitum 19 q. 2

Privilegia — paucorum non sunt trahenda ad consequentiam VII 85 57

Processio — est personalis VI 461 26 arg. 2

— triplex celebratur in Ecclesia VI 594 v. 13 — turbarum significat obsequium activorum, processio virginum obsequium contemplativorum, processio Apostolorum perfectorum obsequium *ib.* 13 — In processionibus priores dignitates sunt posteriores VII 363 19

Prodigia — dicuntur maiora miracula VI 301 75. VII 175 40

Professio — Voto professionis ratificatur matrimonium religiosorum cum Deo VI 545 5

Proficientes — transeunt a vita activa ad contemplativam VI 597 2 — In bono semper proficiendum est VII 356 72 — Semper proficiendum est propter difficultatem in merito, rigiditatem in iudicio et calamitatem in supplicio 352 59

— debent legem servare sicut Pharisaei VI 411 9 — faciunt Domino convivium *ibid.* — debent custodire honestatem 542 11 — per gratiam Spiritus sancti ut nubes ascendunt de virtute in virtutem usque ad caelum VII 84 54 — Proficientium est invenire 285 27 — A proficientibus requiritur fructus iustitiae 341 18

— Christus missus fuit proficientibus, ut promoverentur in iustitia VI 574 2 — Christus in patibulo positus informat proficientes ad praecepta implenda et adversa sustinenda 619 v. 2 — Resurrectio Christi informat nos ad profectum meritorum 620 v. 9.

— Christus in specie peregrini ostendit se proficientibus VI 622 v. 15 — Proficientes deducuntur videndo Christum conversantem 628 3 — videre debent Christum docentem, ut instruantur; miracula facientem, ut moveantur; operantem et exemplum bonae operationis dantem, ut imitentur 630 13 — Christus apparet proficientibus per obedientiam 623 3

— Fideles de mandatis ad consilia proficientes significantur per duos discipulos euntes in Emmaus VI 623 3

— Salomon in Ecclesiaste loquitur proficientibus VI 10 q. 2

Proloqui — Spiritus sanctus advocatus est ad proloquendum VI 603 v. 16

Promissio — Veritas est in promissione servanda VI 43 v. 3 — Impleri debet *ib.* v. 1 — Qui non facit quod promisit, non facit veritatem, sed mentitur 44 q. 1 — Promittere quod non impletur est locutio falsa 43 v. 1

— stulta est illa, in qua non est veritas et iudicium VI 43 v. 3 — stulta non est facienda *ibid.* — In malis promissis rescindenda est fides *ibid.*

— Quilibet esse debet memor promissorum Dei ad exspectandum VII 36 114

Pronitas — ad malum est quasi catena, qua vinctus est carnalis VI 579 6 — defectus stabilitatis ex peccato contracta plangenda 271 13 — Defectus amoris reddit pronum ad peccandum 62 a

Pronomen — certam demonstrat personam VII 238 65

Propassio — dicitur perturbatio sistens in sensualitate VI 404 56

Propheta — dicitur vel ratione interioris inspirationis et revelationis ignoti, vel ratione infallibilis et veracis denuntiationis VI 324 33 — Prophetia non est comprehensorum, sed istorum qui vident in speculo 324 33 arg. — Triplex genus prophetiae 210 4 — praecise dicitur qui praedicit futura 257 51 — praedicit futura et absentia VII 178 50

— Prophetae est cognoscere veritatem VI 544 v. 23 — perscrutantur divina pietate in spiritu divino 244 a

— Actus prophetandi est bonus VI 409 76 arg. 2 — potest peccare praedicendo, quando suam pervertit intentionem 410 b

— Per Prophetas intelligitur doctrina Prophetarum, quae est audienda pro magnitudine auctoritatis VII 424 59 — Prophetis mos est ponere praeteritum pro futuro 38 120

— inungebantur, ut Spiritum sanctum acciperent VII 3 3 — Spiritu sancto inspirati locuti sunt Prophetae 38 119 — non loquitur per se, sed per Spiritum sanctum VI 8 q. 4 — ante passionem Christi habuerunt Spiritum sanctum 350 57 — Deus Prophetas constituit illuminando intellectum 159 v. 27

— Ad Prophetas factus est sermo Dei VI 392 46 — dii vocati sunt *ibid.* — missi sunt a Deo 386 14 — Per os Prophetarum

locutus est Dominus, antequam faceret VII 39 125 — Prophetis revelatum erat verbum Domini *ibid.* — Prophetia propter perspicacitatem intelligendi appropriatur Filio 601 57

— Mali possunt prophetare VI 8 q. 4 — Mali aliquando prophetant, maxime ex dignitate officii 408 69

— missi sunt ad populum corripiendum et ad praedicenda mala imminentia VII 505 17 — arguebant et deplorabant duritiam populi *ibid.* — orabant pro populo, quem amabant 506 17 — sunt figura Christi *ibid.* — fuerunt exemplar in vita et doctrina 353 60 — In eis facta est promissionis promulgatio *ibid.* — excitaverunt et vocaverunt ad regnum Dei intrandum *ibid.*

— non honoratur in patria sua ratione generationis carnalis et ratione conversationis familiaris VI 300 70. 302 84 (83) — non est acceptus in patria sua nec quantum ad doctrinam nec quantum ad vitam, in quibus Prophetae consueverunt habere excellentiam VII 101 51 — in patria sua non fecerunt miracula *ibid.*

— boni fuerunt in tribulatione VII 150 56 — mali quaerebant placere hominibus 152 61

— praecedentes Christi adventum optabant, ut confirmaretur in perpetuum quod Dominus locutus eis erat VII 39 125 — praenuntiaverunt salutem nostram ex inimicis *ib.* 126 — clamabant ad Dominum, ut mitteret Salvatorem et propugnatorem *ib.* 127

— Fuerunt de omni sexu et professione qui adventum Domini prophetaverunt VII 64 87 — principalem aspectum habuerunt ad praenuntiandum Christum secundum triplicem dignitatem et perfectionem 468 54 — seminaverunt pro messe gratiae VI 298 57. 300 68 — de tempore gratiae praedixerunt 298 58. 300 68 — Praeconia Prophetarum ad Christum referuntur VII 596 34 — Omnia, quae in libris Prophetarum continentur, vel de Christo dicta sunt vel propter ipsum *ibid.*

— eorum vaticinia per Christum fuerunt consummata VII 65 90 — Prophetiae circa mortem Christi impletae sunt 576 39

— quibus Dominus locutus est, mortui sunt VI 370 76 *Vide v. Pseudoprophetae.*

Prophetissae — quatuor designant quatuor virtutes cardinales VII 64 89

Propositio — per se nota est, quando causa praedicati est in subiecto VII 291 44

Propositum — bonum annihilatur per mala exempla in persecutione VII 532 36 — Sancti propositi conceptio est in principio occultanda 20 38 — sanctum non potest latere, quin se manifestet 28 86

Proprietas — Quidam abeunt a Christo amore terrenae proprietatis VI 568 2 *Vide v. Habere*

— Illa dicuntur vera, quae dicuntur per proprietatem VI 448 13 arg.

Proselyti — dicebantur gentiles conversi ad ritum Iudaeorum VI 417 33

Prosperitas — est multiplex VI 626 5 — sunt aquae velociter decurrentes et deorsum trahentes 627 6 — mundana relinquenda est 611 a

— Impii in prosperitate temporali spem ponunt VI 141 v. 15 — In tempore prosperitatis est ridendum 30 v. 4 — Amor praesentis prosperitatis reddit homines nolentes imitari Christum 584 5 — Bonis imperfectis prosperitas est utilior 70 q.

Proverbium — est sermo utilis, aliquid utilitatis continens in aperto, plurimum sensum retinens in occulto VI 384 8 — est moralis eruditio, emendatio vitiorum, vitae probabilis regula, humanos actus linea dirigens altiore *ibid.* — est locutio generalis et brevis, aliud in sententia et aliud in verborum superficie continens *ibid.* — aliquando dicitur dictio parabolica, aliquando obscura sententia 466 49

— Liber Proverbiorum continet parabolas ad sciendam sapientiam et disciplinam VI 98 v. 10 — In libro Proverbiorum introducitur ipse Salomon loquens ut sapiens ad discipulum 9 q. 1 — In ipso Salomon loquitur parvulis et indoctis 10 q. 2 — Salomon in Proverbiis docet filium sapienter in hoc saeculo conversari 5 13 — Salomon in Proverbiis inducit ad cognitionem agendorum 10 q. 4 — Finis Proverbiorum est sapientia *ib.* q. 5

Providentia — respicit futurum VI 41 v. 13 — est una pars prudentiae *ibid.*

— est cura Dei ad res VI 196 v. 3 — Providentiam Dei quidam negant 249 13 — Magis peccat qui providentiam ponit et Deum accusat, quam qui providentiam simpliciter negat 45 q. 4 — negatur, aut credendo Deum ignorantem, aut credendo, ipsum non curare de factis mortalium 46 q. 4

— Revera existit providentia VI 45 q. 4 — dat debitum ordinem rebus *ib.* q. 3 — Mundus administratur providentia 196 v. 3 — Deus omnia providentia gubernat 45 q. 4. 196 v. 3 — Bonitas divina omnibus providet VII 396 35 — divina curam de omnibus agit 529 26 — divina, non humana, regit minima in natura 320 37

— Providentiam Dei nemo effugere potest VI 218 v. 2 — Circa regimen providentiae divinae apparenter est defectus 76 v. 11 — Ex visa hominum malitia non est credendum, deesse providentiam 44 v. 7

— Illa quae commissa sunt providentiae supernae, non oportet hominem regere et curare VII 320 38 — A providentia divina vestiuntur pulcro ornatu flores agri, multo magis homines 321 40 — Modicam fidem habet de regimine paternae providentiae qui timet quotidie mori fame *ibid.* — maiorem curam gerit de pretiosioribus, dignioribus et durabilioribus, de rationalibus quam de irrationalibus *ibid.* — potest et vult providere omnia corpori necessaria 322 42 — servo, amico et Illio providet quae sunt necessaria *ib.* 43

— Sub regimine divinae providentiae subsunt quae aguntur secundum cursum naturae, impetum culpae et meritum iustitiae VII 430 15 — Iudicium divinae providentiae abscondit mysteria nostrae redemptionis a sapientibus mundi 264 37 — Providentiae iudicium est irreprehensibile *ib.* 38 — est laudanda in omnibus factis suis *ibid.* — De providentia Dei non est praesumtuosis ratiunculis disceptandum *ibid.*

— usque ad minima se extendit VII 312 10 — specialis manuducit per viam aeternae salutis *ibid.* — generalis administrat et conservat omnia *ibid.* — maxime circa regimen et conservationem hominis est intenta 313 10, 11

— Homo necesse habet sibi providere, ne incidat in periculum VII 88 v. 2 — Sapiens omne per providentiam gubernat 45 q. 3 — Providere novissima sapientiae est 41 v. 14 — Sapientis est providere domui 45 q. 3 — In stulto est defectus considerationis providae 85 v. 14

— facit cavere pericula VII 317 24 — Quae sunt commissa providentiae naturae, hominem non oportet regere et curare 320 38

Proximus — Erga proximos debemus esse benevoli, pacifici, benefici VII 158 86 — dicitur cognatione, religione, compassione et naturali assimilatione 268 51 — Nomine proximi intelligitur omnis homo 247 96. 269 51 — Nomen proximi non solum extenditur ad propinquos, sed etiam ad extraneos 270 60 — Proximitas magis attenditur penes naturalem dilectionem et compassionem quam penes carnalem cognationem *ibid.* — Nomine proximi intelligitur omnis, qui misericordia indiget vel qui misericordiam impendere potest *ibid.* — Unitas cum proximo debet esse triplex VI 609 4

Prudentia — Per prudentiam est agendorum recta electio VI 162 v. 7 — respicit facienda 19 v. 17 — disponit ad scientiam VII 474 7 — consistit in cautela mali, eligentia boni et providentia futuri 518 52 — Providentia est una pars prudentiae VI 41 v. 13

— necessaria est in discernendo VII 162 99, 100 — Prudentiores sunt filii saeculi in his quae ad carnalem spectant generationem, quam filii lucis VI 377 25. VII 407 11 — Prudentia spiritus, quae est in filiis lucis, est excellentior quam prudentia carnis, quae est in viris carnalibus VII 407 12 — mundana excitat et instruit ad prudentiam divinam *ibid.*

— Prudentis est discernere, ubi contingit errare VI 57 v. 11 — viget in virili aetate VII 55 49

Psalmi — propter suavitatem orandi appropriantur Spiritui sancto VII 601 57

Pseudochristi — et pseudoprophetae et pseudoapostoli sunt alieni et mali pastores VI 384 6

Pseudoprophetae — venerunt propria auctoritate, non divina VI 250 18. 386 14 — Difficile est vitare eorum seductiones VII 439 40

Publicani — gerunt personam ministrorum VII 75 22 — dicebantur conductores

vectigalium vel rerum publicarum 76 28. 382 2 — dicebantur exactores vectigalium publicorum 453 15 — dicebantur qui publice peccabant, vel qui merces vendendo omnibus publicabant 129 65 — dicebantur qui publica vectigalia exigebant 76 28. 129 65

— Officium illorum erat infame VII 76 30 — erant multis lucris iniustis intenti 382 2 — erant publici peccatores *ibid.*

— licet videantur repellendi ex iustitia, suscipiuntur ex misericordia VII 382 2 — vere erant appropinquantes ad Iesum *ib.* 3 — desiderabant salutem magis quam scribae 76 28 — venerunt, ut baptizarentur a Ioanne 180 54

— Publicanus Matthaeus, licet esset peccator in facto, erat tamen electus in divino proposito VII 129 64 — eius vocatio tripliciter perfecta fuit 128 64, 65

— erat patenter malus VII 453 15 — per poenitentiam suam iniustitiam expurgabat *ibid.* — non aspicit, ut aspiciatur 455 21 — recognoscebat, se offendisse Deum caeli *ibid.* — In eius oratione tria signa humilitatis apparent *ibid.* — non audebat levare faciem propter peccati verecundiam *ibid.* — prae timore iustitiae nolebat oculos ad caelum levare VI 560 3

— reddebat se ipsum culpabilem et ostendebat dolentem VII 455 22 — percutiebat pectus quasi indignatus contra se ipsum 456 22 — orans se ipsum humiliat et Deum exaltat *ib.* 23 — Deum magnificat humiliter veniam petendo et vocando ipsum Deum summae maiestatis *ibid.* — descendit iustificatus secundum veritatem 457 24 — designat populum gentilem *ibid.* — propter conscientiam mali meriti de se compellebatur infima sentire *ib.* 26

— Dominus liberavit publicanum culpam dimittendo VI 573 3 — intravit ad poenitentiam per considerationem offensae iustitiae divinae 560 3

Pudicitia — etsi appareat in integritate carnis, maxime consistit in integritate fidei VII 397 38 — in operibus habenda *ibid.*

Pudor — opprobrii debet hominem pollutum ad munditiam movere VI 600 5 — malus ligat faciem animae, ne peccator peccatum confiteatur 593 v. 44

Puer — Christus dicitur puer propter innocentiam VI 41 v. 16

— nocet terrae, cui praeficitur VI 86 v. 16 — passionum est insecutor *ibid.* — sunt qui sequuntur desideria iuvenilia 294 33

— Deus acceptavit martyrium infantium puerorum VII 458 29

Pugna — Volentibus adire regnum caelorum obstabat impedimentum pugnae, in qua Christus passus fecit victoriam VI 621 v. 17

— Pugnantes confortantur videndo Christum triumphantem VI 628 3 — Visio spiritualis Salvatoris confortat pugnantes, quia dat audaciam aggredientibus, confidentiam certantibus, victoriam perseveranter sustinentibus 629 11 — Pugnantes Salvatorem ad adiuvandum assistentem aspicere debent, ut sint viriles et constantes 630 11 — Christus salvat a malo culpae constantes 557 v. 42 — In pugna homo debet habere constantiam *ibid.*

— Qui suam recognoscit infirmitatem respectu adversarii laborat ad pugnae declinationem VII 379 64 — Pugnans non potest secure pugnam aggredi sine militibus 380 65

Pulcritudo — Anima casta pulcra est pulcritudine spirituali VI 131 v. 1 — spiritualis praeeminet corporali 159 v. 29 — summa est in caelesti patria 323 32 — carnis vana est 5 11 — exterior vana est 153 v. 10

Pullus — Per pullum gentilitas designatur VII 488 46. 490 48. 491 52

Pulmentum — dicitur omne, quo panis conditur, ut sapiat VI 520 7

Pulsare — respicit actum operis VII 285 26 — Qui pulsat manu tangit et excitat *ibid.* — debent perfecti plangendo *ibid.* — Pulsamus caritate, dum laboribus insudamus, ut quod petimus et quaerimus consequamur *ib.* 27

— Pulsanti incessanter usque in finem aperietur ostium gloriae VII 286 28 — Caelum aperitur pulsantibus VI 544 2 — Pulsare debemus per instantiam orationis *ibid.*

— Pulsus divinae correctionis excitat a somno culpae VI 588 v. 11

Pulvis — Pulverem excutere est nihil de vana gloria hominum permittere suis affectibus adhaerere VII 219 9 — elevatur per ventum *ibid.*

Purgare — Deus purgat hominem per poenitentiam et patientiam VI 447 3 — Per sermonem Christi purgamur ab errore 473 29

Purificatio — Festum Purificationis dicitur Hypapanti, id est obviantium VII 63 87 — In hac die universaliter fit processio *ibid.*

— Fides purificat VI 447 4

Puritas — attestatur bonitati VI 536 4 — Qui se per divinae gratiae adiutorium in puritate custodit vestitur stola prima VII 396 37

Purpura — est color regii habitus, e conchis marinis ferro circumcisis emissa VII 416 37 — est vestis regalis VI 490 2 — Purpur circumdatum Christo significat eius sanguinem *ibid.*

Pusilli — sunt pauperes spiritu VII 322 44 — Pusillis promittitur regnum Dei *ibid.*, 45 — desiderant aeterna, contemnunt temporalia, amplectuntur spiritualia *ib.* 45 — Pater caelestis dabit eis veniam, gratiam, sapientiam et gloriam aeternam 323 45

Pythagoras — Disciplinae Pythagoricae est per quinquennium tacere, et post eruditos loqui VII 603 62

# Q

Quaerere — respicit actum cordis VII 285 26

— Qui diligenter quaerit invenit VII 97 35 — Qui indebite quaerunt non inveniunt 286 28

— Deus directe quaerendus VI 262 76 — Deus quaerendus sine evagatione rationis per curiosam cogitationem, sine obliquitate intentionis per carnalitatem vel curiositatem et sine remissione operis 572 4 — Quaerenda est gratia VII 285 27 — debent proficientes, legendo in libro Scripturae et creaturae *ibid.*

— Tarde quaerentes non invenient Christum VI 348 49 — Qui non quaerunt de die gratiae nec continue nec tempestive non inveniunt Christum 572 2

— Non quaerendum de rebus nimis altis VI 491 10

Quies — multipliciter accipitur VII 586 69 — significatur per Sabbatum *ibid.* — Quieti repugnant exterior turbatio et interior afflictio VI 164 v. 16 — Ad somnum quietis non pervenitur nisi per senarium laboris VII 369 33

— Acidia non inveniens quietem interius quaerit exterius VI 20 v. 1 — Quiescendum est in domo conscientiae quietae 22 v. 8 — Amor quiescit in eo quod propter se diligit 52 q. 3

Quis — quaerit substantiam, vel nomen, vel dignitatem et conditiones VI 257 50

# R

Raab — meretrix salvata est in Iericho, quia credidit nuntiis Iosue et ipsos recepit VII 474 7 — significat Ecclesiam gentium ad Christum conversam *ibid.*

Racha — est interiectio indignantis VII 494 59

Rachel — Per Rachel figurata est religio VI 75 v. 9

Radius — absorbet aquam potentia VI 524 28

Ramatha — idem est quod Arimathaea VII 583 61

Rami — sunt bona opera Christo offerenda VI 594 2, 3 — Per ramos arboris intelliguntur documenta veritatis procedentia ex ore sapientis VII 347 41

Rancor — est gladius absconditus in corde VI 612 1

Ratio — non est quid sensibile, sed intelligibile VI 36 q. 1 — Naturale rationis iudicium sequendum, ut veniatur ad fidem 295 33 — naturalis dictat quod iustum est VII 334 84 — magis debet credere verbo Dei quam suggestioni carnali 335 86

— libenter luxuriatur in cognitione terrenorum propter peccatum primi parentis VI 18 v. 13 — A caecitate rationis liberavit nos Christus VII 98 40

— inferior versatur circa vitam activam VII 446 59 — Inferior pars rationis eiusdem naturae est ac superior et ab ipsa docenda VI 301 82 — Pars inferior rationis dicitur mulier, cuius vir naturalis et legitimus est pars superior recte diiudicans 294 33 — Pars inferior rationis reprehenditur, quando sensibus deservit *ibid.* — inferior infirmatur febre, quando sequitur concupiscentiam 301 82

— Superior portio rationis est facies animae VI 65 v. 1 — Superior pars rationis nata est videre Deum *ibid.* — Superiori parti rationis tanquam regi totum regnum animae est commissum ad iudicandum 301 82

— manifestatur in opere VI 62 v. 26 — rerum sunt difficiles ad inveniendum 15 v. 8 — Rationes latentes intus et involutas extra depromere non potest, nisi qui intelligit 16 q. 1 3* — Opera Dei habent rationem latentem 72 q. 1 — Rationem operum Dei per nos non possumus indagare, quia supra nos sunt *ibid.* — Creaturarum et aliorum operum Dei multae a nobis inveniuntur rationes *ibid.*

— congruentiae ad intelligendum quod creditur fideli sunt optimae et efficaces, infideli vero prorsus inutiles et infirmae VI 243 10 — sunt ad generandam intelligentiam et ad fidem confovendam et nutriendam *ib.* 1* — non habent robur nisi fundatae super fidem *ibid.* — cogentes auferunt fidei meritum, sed inducentes adiuvant animum infirmum 518 67

— omnium rerum sunt in Deo et in ipso vivunt, quia non transmutantur VI 249 11 — est in Deo vivens, quia spiritualis, non materialis, intransmutabilis, non variabilis, aeterna, non corruptibilis 250 15

Rationale — Aaron significabat divinam providentiam et dispositionem VI 227 v. 24 — In rationali erant quatuor ordines lapidum pretiosorum *ibid.* — Singulis lapidibus rationalis inscripta erant singula nomina duodecim Patriarcharum *ibid.* — In duodecim lapidibus rationalis erant nomina duodecim filiorum Israel VII 503 11

Reatus — peccati ad poenam intolerabilem obligat, ideo indiget tolli VI 543 4

Reblatha — Interpretatur multum commissum et significat superbiam VI 579 6

Recedere — non debet homo a voluntate sapientiae VI 65 v. 3

Recidivi — destruunt quidquid aedificaverunt de bono inchoando VII 378 59 — Recidivatione crucifigitur Christus 104 63 — fit impotentior ad resurgendum, culpa fit difficilior ad remittendum, Deus fit difficilior ad placandum, diabolus fit difficilior ad expellendum VI 561 3

Reconciliare — Christus missus fuit ad reconciliandum contra offensam VI 574 3

Recreatio — est opus Filii incarnati VI 253 33 — Per ipsum est recreatio, per quem creatio *ibid.*

Rectitudo — quotuplex sit VII 73 11 — figuratur per animalia Ezechielis *ibid.* — affectus, intellectus et effectus faciunt hominem rectum VI 363 47

Rector — Necesse est unum rectorem universi ponere VI 36 q. 2 — Ecclesiae concupiscere debent sapientiam 147 v. 12 — populi debet habere scientiam VII 41 137

Redargutio — carnalitatis alienae figuratur per gladii evaginationem VII 554 48

Reddere — mundo reddenda sunt quae sunt eius VII 511 32 — Deo debemus corpus et animam *ibid.*

Redemptio — est declarativum misericordiae in relevatione hominis lapsi, potentiae in prostratione diaboli, manifestativum largitatis in diffusione Spiritus sancti, veritatis in adimpletione promissi VII 32 94 — nostra consummanda erat per Christum dispensatione remediativa, promissa fuit per Prophetas Spiritus sancti vaticinio, promissa fuit Patriarchis veritatis iuramento firmata, inchoata fuit in praecursore prophetali praeconio 38 20, 21

— In redemptione humani generis manifestatur Dei potentia, prudentia et misericordia VII 386 14 — In nostra redemptione facta sunt sex, in quibus radicaliter clauditur universitas operum reparationis 469 56 — In redemptione humani generis maiora operatus est Deus quam in conservatione totius multitudinis caelestis 386 14 — In redemptione humani generis maior est materia gaudii quam in omnibus aliis operibus Dei *ibid.* — Propter beneficium redemptionis semper debemus laudare Dominum 37 116

— Redemptionis opus in conceptione Virginis inchoatum est VII 32 94 — Beneficium redemptionis inchoatum fuit in ortu praecursoris, consummatum in ortu Salvatoris 38 119

— Ad redemptionem spectabat uterque sexus, sicut uterque ceciderat VII 62 81. 108 80

— Operatio redemptionis erat operatio Christi secundum humanitatem, et haec certum tempus requirebat VI 342 17 — Christus missus est ad redimendum a poena 574 3 — Christus liberavit nos redimendo 364 51 — Deus est redemptor, qui pro nobis passus est 92 v. 2 — Per opus redemptionis Christus consummavit nostram salutem 297 54 — nostra facta est per Christi passionem et consummata per resurrectionem 250 17 — Redemptionis pretium fuit sanguis Agni immaculati et incontaminati VII 39 123 — Redempti sumus non auro vel argento, sed in brachio Domini *ibid.*

— Mysteria redemptionis abscondita sunt sapientibus mundi et revelata parvulis et humilibus VII 264 37 — Redemptionis mysterium iusto Dei iudicio erat mundi principibus occultandum 227 35 — discipulis praedicanda erat, quamvis nondum capiebant *ibid.*

Refectio — De fonte gratiae habemus aquam refectionis VI 555 3 — Nemo reficitur spiritualiter nisi consentiens 324 37

Reformare — Res deformata debet reformari lumine sapientiae VI 107 v. 1

Regeneratio — est necessaria ad salutem VI 279 8 — fit per Sacramentum *ibid.* — est spiritualis 280 10, 11 — est occulta homini animali *ib.* 11, 17

Regio — longinqua a Deo est per voluntatis dissimilitudinem, non quantum ad situm localem VII 390 24

Regnum — Christi est in caelis VI 488 64 — Christi est venerandum et desiderabile, quia est regnum pingue deliciis paradisi, nobile et stabile 614 2 — Christus regnum suum non sibi soli retinet, sed suis largitur fidelibus 615 3 — quo Deus regnat in Sanctis, facit ipsos Sanctos regnare et esse reges VII 280 12 — Per adventum regni Dei non accrescit Deo potentia, sed in hominibus perfecta obedientia *ibid.* — est potestas regia, quae protegit nos, expulso diabolo 292 46

— consistit in participatione divinae bonitatis VII 147 49 — non est aliud nisi Deus et Dominus Iesus Christus 410 20 — est ipse Christus 438 37 — Per regnum caelorum intelligitur amor Dei 347 42

— dicitur notitia vel doctrina veritatis VII 346 37 — non est aliud quam perfecta notitia veritatis divinae *ibid.* — est praedicatio Evangelii *ibid.* — dicitur sacra doctrina 460 32 — dicitur sacra Scriptura 192 15

— est iustitia, intelligentia veritatis, vita aeterna et gratia VII 545 24 — potest dici doctrina veritatis, gratia Spiritus sancti, gloria aeterna 217 3 — In regno Dei clauditur veritas doctrinae, bonitas gratiae et sublimitas gloriae 258 17 — dicitur gratia et gloria aeterna 460 33

— est in cordibus eorum qui crediderunt in Christum VII 438 37 — est in his qui verbum Dei suscipiunt per fidem et per gratiam fidei 258 17 — est in nobis per divinae gratiae oblationem 438 37 — in nos pervenit per gratiam 292 46 — In illud perveniemus per gloriam *ibid.*

— caelorum designat Ecclesiam VII 179 53 — assimilatur grano sinapis ad insinuandum, quod nostra notitia debet esse humilis, fervida et ardens 346 38 — Dei comparatur aestati 537 51

— est retributio VII 322 43 — est vera cordis possessio, quae cor implet et auferri non potest *ib.* 44 — Habenti regnum Dei nihil deest 274 72 — In regno

Dei cessabit nubilum tribulationum et frigus cupiditatum 537 51 — est regnum pacis sine labore 42 140 — secundum quadruplicem modum successit ad cibum et potum figuralem 546 24 — In regno Dei non erit cibus carnalis, sed spiritualis 369 33

— Ad regnum Dei ducimur per Christum et viam mandatorum VII 42 140 — quaerendum est secundum rectam intentionem 466 49 — est illud unum, quod solum est necessarium 274 72 — est petendum et desiderandum 280 12 — Qui quaerit regnum et iustitiam eius est Dei servus, amicus et filius 322 43 — Promissio regni inducit spem et securitatem *ib.* 44

— Introitum in regnum caelorum concedit rex servis, amicis et sociis suis VI 628 3 — imitatoribus Christi debet ostendi, ut impleatur eorum desiderium VII 229 42 — Dei opulentia promittitur contemnentibus bona temporalia 147 49 — promittitur pusillis 322 44 — promittitur pauperibus spiritu *ib.* 45 — Ad regnum caelorum compelluntur intrare pauperes 414 32

— Qui vult intrare in regnum oportet esse sicut puer purus et parvus VII 460 32 — In regnum caelorum non intrabunt nisi habentes innocentiam et puritatem puerorum *ib.* 33 — Per portam regni caelestis humilem non intrat elatus honoribus, per angustam non intrat dilatatus possessionibus, per sanctam non intrat pollutus voluptatibus VI 628 1 — In regnum Christi intrant inclinati, spoliati, mortificati *ib.* 2 — Minor in hoc regno dicitur humilior VII 179 53

— Ad ipsum vocati sunt gentiles tanquam filii spirituales VII 353 61 — Ad regnum caelorum vocantur et introducuntur defectuosi 373 46, 47 — Ad regnum caelorum admittuntur pauperes, debiles, caeci et claudi *ib.* 45, 46

— eius aditus comparatur foramini acus propter arctitudinem et spiritualitatem VII 464 44 — Ad regnum caeleste non pervenitur nisi per multiplicationem spiritualium et fidele obsequium 478 17

— Contemnentes mundana merentur possidere regnum Christi titulo emptionis, exsequentes mandata quasi ratione conducti pro mercede sui laboris, sustinentes adversa, quia socii sunt acquisitionis VI 615 3 — Regnum caelorum furantur qui bona occulte faciunt et laudem humanam vitantes, solo divino testimonio sunt contenti VII 414 32 — Regnum caelorum rapiunt qui derelinquunt omnia et sequuntur Christum *ibid.* — Regnum caelorum mercantur qui dant temporalia, ut accipiant aeterna *ibid.* — nunc est rapiendum *ibid.* — Homo non habens quo comparet regnum caelorum, emit agrum paupertatis et in agro possidet thesaurum regni caelestis VI 615 3

— non datur amatoribus mundi VII 251 110 — non datur recidivantibus et apostatantibus 252 110 — Cum cupiditatibus terrenorum impossibile est intrare in regnum caelorum 351 54 — A regno Dei excludentur qui sunt filii carnis et Sanctorum imitatores esse recusant 353 60 — A regno Dei Iudaei repulsi sunt propter eorum carnalitatem *ibid.* — Superbi et cupidi non intrabunt in regnum caelorum 465 46 — Homines a regno Dei eiiciuntur per falsas conscientias 309 100

— Adventum regni Dei Deus in suo secreto occultat VII 437 36 — Cum regnum Christi venerit, cetera regna evanescent VI 91 v. 8

— sunt sedes potentium VI 144 v. 24

— Regno terreno inserviunt qui non obediunt Deo perfecte ut caelestes VII 280 12 — In regno terreno regnat diabolus *ibid.* — Civitas, in qua regnat Herodes, erit particeps eius malitiae 354 66

— mundi est contemnendum VI 614 1 — mundi est contemnendum, quia est inutile, ignobile et instabile *ibid.* — mundi habet pro proventibus sollicitudines *ibid.* — Volentes promoveri in regno mundi oportet deserere dulcedinem Dei *ibid.* — Qui in mundo regnare appetit cogitur miserabiliter servire *ibid.* — mundi est divisum *ibid.* — Iudaeorum est figura Christi VII 596 34

Regulus — dicitur a regni parvitate VI 300 73 — Reguli filius dicitur inferior pars rationis, quae infirmatur febre concupiscentiae 301 82 — dicitur superior pars rationis a iustitiae parvitate, quando animam male et pueriliter regit *ibid.*

— Filius reguli moriebatur infirmitate, quae significat corruptionem carnis VI 559 1, 2 — implorat pietatem medici et ostendit necessitatem *ibid.* — non firmiter credebat 300 74 — non credidit, in Christo esse Divinitatem, per quam posset ubique salvare 303 85 (84) — non credebat, Christum posse sanare filium, nisi esset praesens 300 73. 303 85 (84) — credebat, quod Christus magis posset infirmum sanare quam mortuum suscitare VII 210 76 — cognovit virtutem Christi et miraculum ex relatione servorum prae gaudio festinanter occurrentium VI 301 78, 79, 80 — credidit fide perfecta, cognita virtute Christi per miraculum *ib.* 80

— accessit ad Dominum per devotionem, rogans pro filio moriente VI 300 74 — meruit curationem, filii, quia quamvis non crederet in Christum, credidit tamen verbo Christi 301 77 — Dominus nutu solius voluntatis sanavit filium reguli, quem nec vidit nec tetigit 564 v. 14 1

Relatio — Quod dicit relationem non convenit alteri divinae personae VI 310 45

Relativum — refert nomen praecedens VI 381 53 arg. 1 — Argumentum a relativis 445 47 arg. 2

Religio — christiana fundamentum et complementum habet in credendo Divinitatem et humanitatem Christi VII 518 51 — Vitium contra religionem christianam quatuor modis fieri solet 434 27

— tripliciter opponitur mundo VII 111 93 — dicitur domus obedientiae, in qua sunt homines in statu perfectionis 411 9 — est navis utilis ad transfretandum, ad negotiandum, ad piscandum 625 v. 3 — Religiosi transfretant laborando, negotiantur orando, piscantur praedicando *ibid.*

— vocatur uxor VI 75 v. 9 — figuratur per Rachel *ibid.* — est desertum transeundum a proficientibus 597 2 — significatur per desertum VII 43 144

— In religione vacandum est contemplationi VI 75 v. 9 — Societas religionis non repugnat solitudini contemplationis 40 q.

— Qui vovit intrare religionem minus perfectam intrando in perfectiorem mutat votum in melius VI 45 q. 2

— Religiositas non est laudabilis sine perseverantia VII 43 144

— In religione est societas adiuvans et promovens VI 40 q. — Religiosus alligatus iugo religionis vadit in directum tractus ab aliis 610 7

— Religiosus debet linguam frenare VII 43 144 — Religiosus debet esse perfectus 77 34 — Boni religiosi non sunt curiosi de factis consanguineorum 251 109 — Religiosorum sunt propriae spirituales nuptiae VI 515 5

Relinquere — debet omnia qui vult Christum sequi VII 511 32 — totum non est vitium, sed perfectio 522 6 — Relinquenda sunt temporalia propter regnum Dei 466 49 — Non sufficit, quod relinquatur possessio corporalis, nisi etiam relinquatur affectio carnalis *ibid.* — Relinquendo mundum itur ad regnum VI 606 v. 7

Remedium — nostrae salutis est in mysterio incarnationis, in pretio redemptionis et in tropaeo resurrectionis VII 38 120 — quod assecuti sumus per Christum nobis donatum est, ut serviamus Deo sine timore 40 131

Remissio — De fonte misericordiae habemus aquas remissionis VII 555 3 — Per gratiam remissionis sanat Dominus animam 561 v. 14 — In remittendo debet esse benignitas 578 5 — peccati quoad poenam causatur a dilectione 187 81 — peccati quoad culpam inducit dilectionem *ibid.* — Ineptus est ad remissionem qui impugnat divinam gratiam 314 16 — Post remissionem culparum et vestitionem virtutum sequuntur divinarum oblectationum deliciae 397 40

— Per remissionem declinatur ad sinistram a recto itinere VI 610 7

Remuneratio — in praesenti non fit secundum merita, sed reservatur in futurum VI 71 v. 2 — alia quam praesens necessario ponenda est 36 q. 2 — Carnales non ponunt aliam remunerationem nisi praesentem *ib.* 22 — Ad remunerationem aeternam per praedestinationem vocantur electi 451 23

Renes — Per renes intelliguntur affectiones praecingendae per pudicitiam VI 598 2

Reparatio — est opus supra naturam VI 17 q. 3 — congruum erat, ut responderet lapsui et primae conditioni VII 20 40, 41 — Opus reparationis correspondet

operi creationis 469 56 — debuit incipere, ubi terminata est conditio 342 22

— Universitas operum reparationis radicaliter clauditur in sex, quae facta sunt in nostra redemptione VII 469 56 — In reparatione homo indiget sacrificio reconciliante, pretio redimente et Spiritu adoptante 383 6

— Per testimonium Scripturae et per lumen intelligentiae certus efficitur animus noster de his quae spectant ad nostram reparationem VII 601 56

Reparator — Dominus se manifestat perfectum reparatorem in animae et corporis iterata coniunctione VI 394 1

Repetere — triplex modus repetendi sua VII 155 75 — non omnibus licitum est *ibid.*

Reprobi — De odio reprobationis nullus est certus VI 73 q. 2 — cognoscuntur a Deo per simplicem notitiam, non per notitiam approbationis VII 352 56 — propter diversitatem morum non cognoscuntur a Christo *ibid.* — non cognoscuntur, quia characterem fidei et dilectionis non habent *ibid.* — Imago Christi non erit in eis quantum ad recreationem, sed tantum quantum ad creationem *ibid.*

— peribunt cum peccatis suis VII 338 9 — Mali perduntur per reprobationem VI 328 60 — Reprobis est afflictio exitus suae mortis 126 v. 2 — Reprobis est dolor in exitu, horror in transitu, pudor in Dei conspectu *ibid.* — erunt iniusti et tenebrosi et viri Belial VII 352 58 — compelluntur descendere in infernum *ibid.* — congregati erunt in inferno 80 42 — Inter reprobos et electos est magnum chaos 423 56 — Super reprobos cadet lapis angularis 338 9 — paleae comparantur 80 42 — quia steriles sunt a bono opere, figurantur in septem viris mortuis sine liberis 513 38

Responsiones — aptantur interrogationibus VI 288 60 — Sapienter respondendum adversantibus 378 31 — Aliquando respondetur ad orationem, aliquando ad hominem 393 55 — Potius respondendum quam ex indignatione tacendum exemplo Christi 578 7 — Non ex superbia respondendum *ibid.*

Resurrectio — Omnes resurgent per virtutem divinam VI 120 v. 5 — Mortui resurgent ad vocem Filii Dei 312 52 — generalis fiet ad vocem Christi 405 59 — Homines resurgent in novissimo die 401 35 — Resurgent omnes 312 52

— negabatur a Sadducaeis VII 512 35 — a Christo probatur futura 515 44 — mortuorum potest probari pluribus locis veteris testamenti *ibid.* — Fides resurrectionis astruitur resurrectione Christi capitis VI 504 69. 620 1 — Per resurrectionis sacramentum humanitatis sacramenta nobis exposita sunt ad credendum et intelligendum 591 16 — In spe resurrectionis posita est tota observantia pietatis 512 35

— Mortui resurgent in fine saeculi VI 312 52 — non erit ante consummationem signorum praecedentium VII 537 52 — erit ad finem iudicii 512 35 — erit ad iudicium 298 66

— A morte naturae suscitantur tam iusti quam iniusti VI 561 v. 21 2 — est communis bonis et malis VII 514 41 — universalis erit non tantum bonorum, sed etiam malorum 298 66 — Boni resuscitabuntur ad vitam, mali ad damnationem VI 312 53 — Resurgent mali ad mortem, iusti ad vitam VII 368 31 — Electi resuscitantur ad aeternae beatitudinis participationem VI 328 60 — In resurrectione retributio fiet misericordibus VII 368 31

— Christus resuscitat credentes per redemptionem et liberationem a morte VI 330 68 — Filius resuscitabit credentes ad vitam aeternam 328 61 — Christus resuscitando dabit vitam corporalem 333 84

— Corpora resurgent reformata ex pulveribus dispersis VI 504 69 — In resurrectione corpus nostrum erit subtile per effectum spiritualis potentiae et palpabile per veritatem naturae VII 600 50 — Praecipua dos resurgentium est claritas 233 51 — In resurrectione erit corpus spirituale 515 42 — Post resurrectionem erimus aequales Angelis secundum gloriae dignitatem *ibid.* — In resurrectione erimus per gloriam Deo assimilati *ibid.* — In resurrectione erimus innovati per gloriam sicut Angeli Dei *ibid.* — In resurrectione non erit successio nec carnalis delectatio 514 40 — figuratur in rubo Moysi 515 43 — In resurrectione fit circumcisio ab omni culpa et miseria 55 48

— respectu divinae virtutis dicitur excitatio VI 276 33 — Posse se ipsum a morte liberare etiam post mortem est summum miraculum 277 41 — Dominus in resuscitatione Lazari manifestavit potentiam suam, ac per hoc gloriam 394 5 — Resurrectionis veritas probatur per manducationem 410 2

— Per gratiam remissionis peccatores resurgunt VI 610 6 — spiritualis est a statu culpae per verbum doctrinae ad statum gratiae 563 1

Retia — significant discretionem et locutionem VII 117 16 — Per retia recte intelliguntur negotia terrena 130 69 — significat Ecclesiam VI 524 26 — in captura post resurrectionem non est scissum 522 21

— quando contexentur VII 117 16 — laxantur in capturam per praedicationem *ib.* 17

Retributio — Dominus retribuet in mensura aequali, pensato reatu, sed in maiori, pensata duratione, in minori, pensata offensa VII 160 91 — felicitatis maxime fit operibus pietatis 368 31 — in resurrectione mortuorum erit melior quam ista quae est in praesenti 369 32

— Consideratio retributionis futurae est remedium contra vanitatem securitatis VI 87 v. 1 — non deficit, sed differtur 88 v. 1 — dicitur tempus omnis rei 35 v. 17 — dicitur gratia, in quantum est donum Dei 255 37

Retro — Ea quae retro sunt, dimittenda VI 569 4

Retrocedentes — deridentur pro temeritate in praesumendo, pro instabilitate in prosequendo, pro pusillanimitate in desistendo VII 378 60 — Discipulus apostatans despicitur ut sal infatuatum 381 68 — Apostatantes non sunt digni regno Dei 252 a

Revelatio — est donum pietatis VI 362 41 arg. — Quod revelatur certitudinaliter scitur 435 55 — secreti est signum dilectionis 527 44 — Ministerio revelationis angelicae datur intelligentia 240 3 — Deus in communicando revelationes divinas observat tria VII 230 44

— appropriate est Filii vel Spiritus sancti VI 331 79 arg. 3 — appropriatur Filio 424 71 — Revelando secreta mysteriorum Christus sublimat contemplantes 574 6 — Deus voce intelligibili revelat per internam inspirationem 314 65 — Vocem Dei audimus per mentis revelationem 315 65 — Deus in se et per se loquitur bonis per internam mentis revelationem modo quodam indicibili, sed tamen modo quodam intelligibili 316 70 — Deus trahit hominem per revelationem 330 68, 69. 331 79 arg. 3 — Deus nulli revelat lapsum 435 55

Reverentia — Deo cum reverentia serviendum VI 523 23 — Deo exhibenda est ex praecepto et exemplo Christi VII 225 30 — debet carere omni ostentatione et inquietatione *ibid.* — Perfectio reverentiae non tantum attenditur in affectu, sed etiam in effectu 279 7 — Ostensio reverentiae in ore falsa est, nisi adsit pariter exhibitio obedientiae in opere 163 105 — exhibetur secundum actum oris et cordis 107 77. 163 105

Rex — bene regit suos et secundum iustitiam VI 187 v. 14 — Regis officium est et in negotiis aliis regni suum exercere iudicium 168 v. 7 — solent honorari signo, habitu et verbo sive salutatione et reverentiae exhibitione 490 2 — coronantur *ibid.* — Qui se ipsum regem constituebat contradicebat Caesari, cuius erat dare potestatem regnandi 492 13 — Vituperium regis redundat in populum 493 16

— In naturalibus non est differentia inter reges et subditos, sed in bonis fortunae VI 152 v. 5 — Regem terrae ministri defendunt 488 64 — Nihil debet regi terreno qui omnia reliquit VII 511 32 — Regia potestas tempore Legis praeibat sacerdotium, sed nunc est econtra 13 8

— Deus dicitur Rex VI 65 v. 2 — Christus venit ut rex ad praesidendum 597 v. 46 — Praelati dicuntur reges ad bonum dirigendo 144 v. 2 — est quilibet, qui se regit secundum legem Dei VII 378 61 — dicitur superior pars rationis, cui totum regnum animae est commissum ad iudicandum VI 301 82

Risus — est in signo VI 30 v. 4 — est exterius 20 v. 2 — potest esse sine culpa 56 q. 2 — hominem seducit offerendo bonum et in fine malum 20 v. 2 — praesens est erroneus et momentaneus *ibid.* — malorum dolore miscebitur 30 v. 4 — Fletus praecedit risum secundum natu-

ram lapsam *ibid.* — Ira melior est risu dissimulationis 55 v. 4 — Stultus alte ridet 56 v. 7 — altus est, quando adulatio est clamosa *ibid.*

— consistit in contemplatione divinae veritatis VII 147 49 — spiritualis consistit in iucunditate mentis propter contemplationem veritatis 149 53 — iucunditatis promittitur detestantibus mala culpae 147 49. 149 53

Romani — tempore Christi imperabant Iudaeis VI 407 66 — Divulgatum fuit eorum nomen ratione potentiae VII 107 78 — neminem damnabant, nisi prius ipse auditus fuisset VI 352 69 — Romani omnia idola gentilium subiugatorum Romam tulerunt ad adorandum et custodiendum 208 v. 15.

— tres aggeres fecerunt contra Ierusalem VII 497 66 — everterunt multas civitates per Iudaeam, antequam venirent Ierusalem 531 34 — ceperunt multa millia Iudaeorum, et duodecim viros inermes non superaverunt 530 26

Rosa — delectat quoad odoratum VI 121 v. 6

Rota — est instrumentum, per quod fit eductio aquae foetidae et lutosae de cisterna VI 94 v. 7 — dicitur volubilitas et variabilitas in possidendo 97 v. 7 — confringitur super cisternam, quando omnis spes habendi bona temporalia aufertur *ibid.*

Ruben — effusus est sicut aqua VII 43 142

Rubrica — est terra rubra et color, qui inde fit, et regula vel filum, quo fit, et ipsa tinctura VI 195 v. 14

Rubus — qui ardebat et non comburebatur fuit figura Virginis Mariae, quia concepit sine libidine VII 25 63 — Moysi est figura resurrectionis futurae 515 43 — est figura incarnationis et passionis 516 44

— Per rubos intelliguntur homines haeretici, a quibus detinentur superbi 163 102

Ruth — designat beatam Mariam Virginem VII 26 68 — fuit benedicta 29 79 — typum gerit contemplativorum 150 57

# S

Saba — Regina Saba in tribus fuit laudabilis VII 299 66 — Septem habuit praeeminentias super Iudaeos incredulos *ib.* 67

Sabbatum — custodiri a Deo praeceptum est VI 377 22 — Praeceptum de Sabbato maximum erat inter praecepta Legis 346 33 arg. — Dies significatus est, ne Deo vacatio oblivioni traderetur 308 31 2* — observandum est diligentissime VII 135 5 — Ne vacare Deo ob alia negligeretur, ab omnibus aliis Sabbato cessare praeceptum est VI 308 31 2* — In Sabbato prohibebatur operatio servitutis VII 136 6 — Quietatio ab omnibus operibus servilibus erat caeremoniale VI 308 31 1*

— erat dies quietis VII 342 22 — In Sabbato et maxime in magno Sabbato non licebat victualia praeparare 585 68 — In Sabbato non licebat parare unguenta et aromata 586 71 — Mandatum de Sabbato non obligat in casu necessitatis 136 7 — In Sabbato non oportet ab omni opere abstinere 137 10

— Praeceptum de Sabbato non prohibebat opus salutis, sed servitutis VI 346 33 — In Sabbato vetantur opera servilia, non spiritualia, nec divina et miraculosa, nec necessaria ad sanitatis conservationem et curationem VII 344 31 — non solvitur per sanationem hominis 360 9 — Christus curans in Sabbato Sabbatum non solvebat VI 345 29, 31. 346 34 — In Sabbato licita erant opera pietatis 346 34 2* — non solvitur per opus nobile 345 29, 31 — In Sabbato licet bene facere et animam curare VII 138 16

— Praeceptum de Sabbato spectat ad caritatem VII 342 22 — non est introductum in praeiudicium hominis, sed potius in salutem 344 31 — Occasione curationis in Sabbato Iudaei reprehendebant et persequebantur Christum VI 306 20. 307 28. 308 33 — in Lege praeceptum est et non auferebat circumcisionem prius praeceptam 346 34

— Mandatum de Sabbato habet aliquid morale et aliquid caeremoniale VI 307 31 — Observatio caeremonialis in Sabbato erat spiritualis, litteralis et consuetudinalis 308 32 — Significatio diei erat caeremoniale *ib.* 31 1* — servabatur a Iudaeis potius ad superstitionem quam propter devotionem VII 344 29

— In Sabbatis Iudaei conveniebant ad synagogas VI 308 33 — In veteri lege vacandum erat legi Dei in synagoga VII 96 32 — In Sabbato ut in die solemni communiter Iudaei verbo Dei erant intenti 342 22 — Sabbatis populus conveniebat ad auditum Legis, quia cessaverat ab opere servili 105 66 — Christus sabbatizavit in synagoga 96 32

— multiplex est VII 134 2 — aliquando dicitur septimana paschalis, quia septem diebus erat feriandum 587 2 — Prima dies septimanae paschalis dicebatur prima Sabbati et est dies dominicus *ibid.* — dicitur septimana, vel septimus dies VI 504 2 — dicebatur dies septima VII 585 69 — dicuntur dies azymorum, quibus sabbatizabant Iudaei VI 512 37 — Dies Sabbati erat magnus et maxime azymorum vel paschale VII 585 68 — intra solemnitatem azymorum magnum est VI 500 49

— Observantia caeremonialis Sabbati debebat in Christi adventu cessare VI 308 33 — Observatio spiritualis Sabbati non est soluta, sed impleta *ib.* 32 — Observantia caeremonialis Sabbati adiuncta est mandato dilectionis *ib.* 31 2*

— cessavit, cum fuit impletum, et dies dominicus ei successit celebrandus VII 585 68 — In die Sabbati facta est impletio figurae per veritatem *ibid.* — In die Sabbati decuit Christum resurgere 587 2

— Per Sabbatum intelligitur otium divinae contemplationis VII 135 4 — Quando volumus sabbatizare Deo, debemus congregari interius, non exterius 96 32

— dicitur quies Christi in sepulcro et quies animarum sanctarum VII 585 69 — dicitur quies a perpetratione peccati, quies contemplationis et status religionis *ibid.* — dicitur quies aeternae iucunditatis 586 69 — septiformem habet acceptionem *ibid.*

Sabelliani — negant distinctionem personarum VI 247 3

Sacerdos — Sacerdotium fuit duplex VII 483 31 — Ritus sacerdotii legalis erat servitus 560 63 — Sacerdotium vetus et novum differunt sicut memoriale muneris et ipsum munus 36 113 — Sacerdotium vetus non habebat spiritum nisi ratione novi testamenti, quod praefigurabat 38 119 — Sacerdotium vetus est figura Christi 596 34

— Exsecutio officii sacerdotalis in lege veteri debebat fieri secundum congruentiam ordinis, exigentiam consuetudinis cum assistentia multitudinis VII 14 13, 15 — ante exercitium ministerii purificabantur 20 36 — omnes orabant, dum consummaretur sacrificium 15 15 — Populus assistebat sacerdoti hora incensi foris orans *ibid.*

— Sacerdotis officium in lege veteri erat leprosos eiicere et mundatos recipere VII 120 31, 32

— tempore Iesu Christi non instituebantur per unctionem, sed per terrenam potestatem VII 70 4 — Tempore Christi cessaverat unctio sacerdotii levitici *ibid.*

— totaliter avaritiae deserviebant in templo VI 273 21 — ex avaritia de templo fecerant forum, ut volentibus offerre non deesset oblatio et pretium *ibid.* — Consilium mortis Christi processit a sacerdotibus 408 68 — per invidiam excaecati sunt VII 501 2 — Peccata sacerdotum fuerunt maxima causa destructionis templi 498 70 — Sacerdotibus imputatur specialiter templi profanatio 499 72

— in via a Ierusalem in Iericho propter avaritiam despexit fratrem vulneratum VII 269 55 — eius immisericordia magis reprehensibilis fuit in eo quam in aliis personis 270 56

— Spiritus sanctus multa nobilia opera etiam per malos sacerdotes facit VI 408 69 — etiam mali reverendi sunt *ibid.* — Sacerdotis officium non est contemnendum VII 120 29 — Sacerdotale officium est venerandum 121 31 — Qui contemnit dignitatem sacerdotalem a Domino sanari non potest 435 29

— Sacerdotibus data est potestas et officium ad solvendum VI 406 63 — Ra-

tione ordinis convenit presbyteris ligare et solvere in foro poenitentiali 515 52 — Potestas sacerdotis ad remittendam poenam est ministerialis et particularis et non habet effectum nisi per passionem Christi 514 49 — dispositive delet culpam conferendo Sacramenta *ibid.* — solvunt et retinent peccata, clave non errante *ib.* 3* — Ad absolvendum ex officio non est necesse, quod habeat caritatem, sed sufficit, quod sit in Ecclesia 515 53 — Ad absolvendum ex officio et ex merito necesse est, quod habeat Spiritum sanctum *ibid.* — per exteriorem dispensationem Sacramenti solvit a vinculis peccatorum VII 345 32 — Sacerdotale officium ad curationem peccatorum est necessarium 121 31

— Per sacerdotium Christi reconciliamur in adoptionem filiorum a statu peccati VII 87 60 — Dignitas sacerdotalis novi testamenti non tantum potest curatum ostendere, sed etiam curare 121 31 — spiritualiter suscitatum debent solvere VI 591 4 — Sacerdotalis potestas ante confessionem locum non habet 406 63 — Per ministerium sacerdotis curatur peccator a lepra spirituali VII 435 29 — sacerdotalis potestas significatur per ianuam 128 61 — Sacerdotalis potestatis auctoritas residet penes Petrum *ibid.*

— legem Dei annuntiat VII 271 63 — Sacerdotis est legem Dei docere et facere 269 55 — Sacerdotum erat potissime legem Dei servare et maxime quoad misericordiam *ibid.* — officium suum debet implere maxime ordinate 15 13 — recte servat ordinem, quando mens eius digne assistit conspectui divino *ibid.* — Recta est consuetudo in exsecutione sacerdotalis officii, si non usurpatione, sed electione administratur *ib.* 14 — debent a Deo designari, id est ad honorem assumi 252 2 — debent esse signati signaculo ordinis et characteris sacerdotalis, signaculo tonsurae et totius disciplinae et conversationis sanctissimae *ibid.*

— debet esse sicut Angelus VI 215 v. 11 — sancte debent ministrare in sanctuario VII 41 132 — sancti esse debent in omni conversatione *ibid.* — In sacerdotibus debet esse magna pietas ad infirma membra Christi 435 29

— sunt coloni vineae Ecclesiae VII 504 12 — debent coloniam Ecclesiae diligentissime exercere, quia ad hoc instituti sunt *ibid.* — Sacerdotibus spectat Ecclesiam purgare et in sanctitate custodire 499 72 — a sacerdote requirenda sunt ecclesiastica Sacramenta et mysteria Scripturarum 339 45 — remuneratur pro bonis omnium 328 64

— carnales magis amant carnalem quietem et sanguinis proximitatem quam populorum salutem VII 458 28 — Peccata personarum ecclesiasticarum, tam saecularium quam religiosarum, provocant divinam indignationem 531 34 — Exemplum punitionis sacerdotum male administrantium habetur in Ozia et Core 15 14. 20 36. 41 132

— quinquies se vertit in Missa ad populum ad commemorandas apparitiones Christi post resurrectionem VII 598 45 — in tertia versione facit silentium, quia designat apparitionem factam Petro *ibid.*

Sacramentum — Ad sacramentum concurrunt verbum et elementum VII 120 28 — significantur per septem columnas 128 61 — effluxerunt de latere Christi VI 501 52. 519 5. VII 122 37

— In Sacramentis est gratia, quae confertur VI 515 53 — Per Sacramenta mirabiliter fit suscitatio a morte spirituali 440 23 — Per officium Sacramenti fit remissio culpae VII 128 62 — Collato Sacramento Deus remittit culpam VI 514 49 — In Sacramentis fiunt illinitiones et inunctiones sanantes vulnera peccatorum VII 271 64

— Sacramentorum dispensatio fit per diligentiam ministrorum VII 396 37

— Per Sacramentum regenerationis ascendimus in caelum VII 83 52 — Per Sacramentum regenerationis reconciliamur a statu peccati in adoptionem filiorum 87 60

— legalia ad spiritualem observantiam transferuntur VII 546 24 — agni mutatum fuit in Sacramentum panis *ib.* 25

— Dei sunt sacra et secreta consilia et dispositiones VI 124 v. 22 — Dei non omnibus sunt aperienda VII 214 90 — Dei tentatoribus debent abscondi, amatoribus debent revelari VI 150 v. 24 — Dei abscondenda sunt superbis sapientibus, sed revelanda parvulis humilibus *ibid.* — Quilibet debet esse memor sacramentorum Dei ad credendum et confitendum VII 36 114

— humanitatis significantur per linteamina posita in sepulcro Christi VII 591 16 — humanitatis nobis exposita sunt ad credendum et intelligendum per sacramentum resurrectionis *ibid.* — humanitatis non possunt comprehendi ratione Divinitatis unitae *ibid.*

Sacrificium — sanguinis Christi est placativum VII 548 29 — omnia veteris testamenti significabant sacrificium crucis 385 11 — In sacrificiis veteris testamenti erat hora apta ad orationem 15 15 — varia a Christo reducta sunt ad unitatem VI 270 12

— Ad verum sacrificium Deo offerendum est necessarius comitatus quatuor virtutum cardinalium VII 64 89 — placent Deo propter conditionem cordis VI 560 1

— In sacrificiis daemonum gentiles immolabant filios suos cum multa devotione VI 185 v. 4

Sadducaei — solum Pentateuchum recipiebant VII 515 44 — proponunt tanquam authenticam scripturam Moysi 513 36

— non admittebant Angelum neque spiritum VI 419 43 — credebant mortalitatem animarum et irreparabilitatem corporum VII 512 35. 515 44 — negabant resurrectionem 512 35. 514 39 — errabant circa resurrectionem propter carnalem intellectum spiritualis Scripturae et spiritualis gloriae 514 39

— destruebant fundamentum divinae culturae VII 512 35 — non intelligebant nobilitatem spiritus rationalis 514 39 — non habebant intellectum Scripturae spiritualis *ibid.* — non cognoscebant potestatem Dei *ibid.*

— tentabant Christum proponendo ei quaestionem de resurrectione VI 112 v. 2 — non interrogabant studio addiscendi, sed vincendi et superandi VII 516 46

Saeculum — Pro dimissione saeculi promittitur thesaurus caelestis indeficiens VII 323 46

Sagitta — nulla sui relinquit vestigia VI 141 v. 12

Sal — significat sapientiam VI 173 v. 7 — In sale notatur amaritudo remorsus conscientiae 569 5 — Per sal intelligitur perfectus discipulus Christi VII 380 67 — offerebatur in omni sacrificio 381 67

Salim — fuit castrum Melchisedech VI 285 41

Saliva — quae ex ore procedit et salsa est, significat Dei sapientiam VI 373 8

Salomon — a Deo vocatus est amabilis Domino VII 36 110 — Vas, quo inunctus fuit Salomon, fuit cornu 39 124 — Divulgatum est eius nomen ratione sapientiae 107 78

— fuit trinomius secundum triplicem scripturam, quam edidit VI 10 q. 3 — dictus est etiam Ecclesiastes et Idida *ibid.* — vocatus est pacificus, quia totum regnum in pace possedit *ibid.* — erat rex pacificus 18 v. 12. 168 v. 8 — fuit pacificus ad tempus, sapiens et faciens iustitiam VII 299 67

— habuit diligentiam ad omnia delectabilia praeparanda, potentiam ad consummandum, sapientiam ad ordinandum, voluptatem ad perfruendum VI 22 v. 8 — — magna fecit opera 21 v. 4 — excessit opibus omnes reges 22 v. 9 — Nullus ante Salomonem fuit ei similis opibus 23 q. 2 — Omnes reges per circuitum facti sunt tributarii Salomoni 164 v. 15

— Per sex gradus ascendebatur ad thronum Salomonis VII 474 7

— fuit electus, ut templum aedificaret VI 168 v. 8 — habuit tres hostes 175 v. 14 — habuit heredem Roboam 26 v. 19

— est causa efficiens libri Sapientiae per modum invenientis VI 108 v. 6 — in libro Ecclesiastae introducitur ut homo diversa expertus 10 q. 1 — loquitur in libro Ecclesiastae de se quasi de alio 11 v. 2

— scripsit librum Ecclesiastae poenitentiam agens VI 8 q. 4. 10 q. 4 — in libro Ecclesiastae se humiliat 10 q. 4 — in libro Proverbiorum loquitur ut sapiens ad discipulum 9 q. 1 — in Proverbiis non denominat se ab alio, immo manifestat totius regni sui potentiam VI 10 q. 4

— spiritu sapientiae fuit impletus VI 8 q. 4 2*. 63 q. 1 — sapientior erat cunctis hominibus 19 v. 16. 23 v. 9. 97 v. 9 — Salomoni donum sapientiae commissum erat specialissime inter alios 8 q. 4 1*

— scientiam omnium rerum habuit 155 v. 20 — cognovit abscondita et improvisa hominibus *ib.* v. 21 — edoctus est per Sapientiam increatam a Patre genitam *ibid.*

— cognitionem suam habuit partim revelatione, partim sua sollicitudine VI 19 v. 17 — sapientiam in flore aetatis quaesivit 160 v. 2 — sapientiam quaesivit studio lectionis et orationis *ibid.* — non fuit negligens 97 v. 9 — fuit fortis et diligens in investigando 163 v. 10 — fuit subtilis in penetrando et inveniendo *ib.* v. 11 — erat ingeniosus per naturalem industriam 166 v. 19

— Nihil a consideratione ipsum retrahebat VI 18 v. 12 — propter curiositatem omnia voluit scire et subtiliter indagare 18 v. 13 — extendit suam considerationem ultra ea quae salutis sunt 64 q. 1

— Salomonem edoctum sapientia nullum verbum reginae Saba latere potuit VI 162 v. 8 — a Deo acceperat non tantum gratiam sciendi, sed etiam docendi 154 v. 15 — Deus per Salomonem etiam carnalem multa bona dixit 8 q. 4 — debebat docere populum Domini verbo et scripto *ibid.* 1* — sapientiam suam non abscondit, sed aliis enarravit 97 v. 9

— Non sapuerunt res Salomoni, prout debebant VI 23 q. 3 — bona aeterna contempsit et temporalia adamavit *ibid.* — peccavit et stultus factus est 24 q. 3 — in iuventute dilexit munditiam, sed in senectute luxuriam 166 v. 20 — tractus ad vanitatem luxuriae per dulcedinem a mundo praetensam 5 10

— propter aequiparantiam sapientis ad stultum in morte et post mortem contempsit sapientiam VI 25 v. 14 — non iudicio rationis deliberantis, sed solius aestimationis iudicavit, sibi non esse gaudium nisi in praesenti 24 q. 4 — etsi sapiens fuerit, tamen insipienter egit in aestimatione gaudii praesentis *ibid.* — Sapientia perseveravit cum Salomone secundum cognitionem solum *ib.* q. 3 — sapientiam amisit, in quantum importat gustum et affectus saporem et ordinem *ibid.*

— se ipsum reprehendit, quia laboraverat propter curiositatem et mundanam vanitatem VI 26 q. 2, v. 18

— circa ornatum vestium fuit curiosissimus, simul habens voluntatem, industriam et facultatem ad ornandum se VII 321 39 — peritissime omnia ordinaverat secundum humanam industriam *ibid.* — aequari non poterat industriae naturae *ibid.*

— sua studia arguebat VI 28 v. 26 — considerando vanitatem laborandi pro stulto cessavit laborare pro bonis temporalibus 26 v. 20

— proposuit se in exemplum quantum ad concupiscentiam et quantum ad abundantiam VI 27 v. 25 — non est imitandus 24 q. 4

Saltus — est in corporis elevatione VI 30 v. 4

Salus — nostra est voluntas Dei, quam Christus consummavit per opus redemptionis VI 297 54 — nostra est cibus Christi *ib.* 51. 299 66 — Ratio movens ad salvandum fuit immensitas divini amoris ad hominem perditum 282 26

— est petenda VI 451 23 — patriae omnibus est optanda 255 10 — propria magis est amanda quam confusio mundana 503 67 arg. — unius boni praeferenda est multis malis 331 77 — In infinitum maior cura debet esse de salute hominis quam bruti animalis VII 344 31 — Salus hominis praeferenda est saluti asini et bovis 360 9

Christus dicitur Salvator, quia salvum fecit populum suum a peccatis VII 41 137 — Dominus est vere Salvator mundi, non tantum Iudaeorum VI 299 62 — Principium salvans est Christus 282 23 — animarum in solo Verbo incarnato posita est VII 28 75 — nostra processit de humanitate assumta Christi VI 549 5 — Nemo salvatur nisi per Christum 282 23 — Nullus salvatur nisi membrum Christi et nisi conservetur a Christo 334 92

— exspectantibus adventum Salvatoris datur et ostenditur VI 632 a — visibilis exhibita est in adventu Salvatoris *ib.* b — Per cornu salutis intelligitur potestas Christi resurgentis VII 39 124 — Christus habet potestatem ad dandam salutem VI 468 4 — Christus salvat datos ei per praedestinationem 469 10

— datur per passionem Christi VI 282 24 — animarum sanctarum per mortem et resurrectionem Christi obtinenda erat 124 v. 22 — quantum ad ea quae iuris sunt, secure committenda Christo, Spiritui sancto et Mariae Virgini ut advocatis nostris 603 4

— datur per collationem gratiae VII 477 13 — Via salutis est Sacramentum regenerationis VI 279 7 — ortum habet ab humilitate 429 25

— Salutis nostrae initium est a malo recedere VII 87 63 — In remissione peccatorum est salus 41 137 — est in liberatione ab inimicis, id est a daemonibus 39 126 — est in liberatione a manu sive potestate omnium persequentium, sive daemonum, sive hominum *ib.* 127 — In salvatione animae fidelis quatuor facit Dominus 343 27

— Tria sunt cognoscenda ut necessaria ad salutem VII 147 49 — Ad salutem spiritualem necessaria est sapientia et scientia 41 137 — non potest aliquis salvari nisi qui credit 474 7

— Christus neminem invitum salvat VI 329 64 — Salutis impedimentum est ex parte defectus fidei et boni operis, non ex parte Dei 283 30 — Salutis periculum totum consistit in retrocedendo a Christo VII 444 55 — Occupati in rebus terrenis immemores sunt suae salutis VI 18 v. 13 — non est hominibus propter Sanctorum collocutionem, sed propter ipsorum imitationem VII 255 10

— In acquisitione salutis per consequens fit acquisitio pacis VII 212 85 — humana habebit durationem perpetuam, transeunte etiam mundana creatura secundum exteriorem faciem 415 33 — erit in fine viae, non in medio aut in capite 255 10 — debetur praedestinatis 477 13

— Salvandorum status intelligitur per triplicem interpretationem nominis Mariae VII 22 45 — Salvandorum status intelligitur per tres Apostolos assumtos in transfiguratione Domini 230 45 — Salvandorum triplex status intelligitur in Noe, Daniele et Iob 446 58

— In omni statu sunt aliqui boni et aliqui mali, aliqui iusti et aliqui iniusti VII 446 58 — In quolibet statu salvandorum aliqui erunt boni et aliqui mali 447 60 —

Salutatio — est mos Sanctorum et in praeceptis evangelicis imposita VII 28 74 — in via non est danda propter consortium viae, sed patriae 255 10

Samaria — interpretatur custodia VII 147 47. 433 23 — significat statum praelatorum 147 47

Samaritanus — interpretatur custos VI 369 74. VII 271 64

— vocatus est Dominus VI 369 73, 74

— fuerunt coloni positi in civitatibus Samariae pro filiis Israel in Assyrios translatis VII 247 96 — missi erant a rege Assyriorum VI 293 26 — credebant adventum Christi promissi gentibus 295 40 — partim Legem observabant, partim non 369 73 — Legem admittebant 295 40 — serviebant Deo et idolis suis *ib.* 37 — Deum localem credebant *ibid.*

— reputabantur immundi a Iudaeis VI 292 17. 293 24 arg. 1 — Inter Samaritanos et Iudaeos de loco orationis erat contrarietas VII 247 97 — odientes Ierusalem nolebant praestare humanitatem eunti in Ierusalem *ibid.* — non admittebantur cum Iudaeis ad cultum Dei *ibid.* — In civitate Samaritanorum nemo erat, qui Domino cibum gratis daret VI 292 16

— crediderunt ad testimonium mulieris VI 298 59. 299 63 — licet non crederent firmiter, tamen credebant devote 298 59 — solo verbo Domino crediderunt 301 75 — Per sermonem Christi fides Samaritanorum multiplicata est et confirmata 298 60, 61 — audientes Christum crediderunt, quod ipse esset Salvator mundi *ib.* 62 — devote rogaverunt Christum, ut maneret *ib.* 60 — rogaverunt Iesum, ut cum eis maneret VII 207 64

— Christus Samaritanis non praedicavit ex proposito principali, sed quia opportunitas se obtulit VI 293 23 — Discipuli non debebant ingredi in civitatem Samaritanorum, ne Iudaeos scandalizarent *ibid.* — Prohibitum fuit Apostolis apud eos praedicare, non autem hospitium requirere VII 247 96

— Dominus a muliere de Samaria potum petiit VI 292 15. 293 24 — considerans, Iesum esse Iudaeum, noluit impendere obsequium 292 17 — Christus petiit potum a Samaritana, ut ex eius responsione occasionem docendi haberet 293 24 2* — Mulieri excitatae et consentienti et petenti proponitur verbum fidei *ib.* 28 — ut praeparetur ad verbum fidei proponendum

Christus revelat ei secretum 294 29-32 — habebat virum non per matrimonium, sed per abusum *ib.* 30

— petebat aquam indeficientem propter sitim et laborem hauriendi VI 294 29 — donum promissum carnaliter intelligebat et Domini potentiam nesciebat 292 19, 20 — Mulieri paratae credere in Christum Christus aperit se ipsum 296 40, 41 — cognoscebat, Christum per sapientiam omnia cognoscere 299 64

— strenua diligentia annuntiavit veritatem ad manifestationem Christi et conversionem suae gentis VI 297 48 — festine et ferventer abiit in civitatem ad vulgandum nomen Christi *ibid.* — vitam suam divulgat, ut omnes attrahat ad Christum ut Prophetam *ib.* 49 — vocat cives ad Christum, ut ab ipso certificarentur *ibid.* — est figura gentium VII 482 29

— Samaritanus appropinquavit per effectum, cui erat proximus per affectum, revocans ad unitatem VII 270 58 — curavit vulneratum cum oleo et vino 242 81. 270 58 — parvam pecuniam dedit stabulario, sed magna erat in eo subveniendi voluntas 270 59 — eius misericordia fuit integra *ibid.* — ut alienigena, vulnerato misericordiam impendendo proximior ipsi fuit quam sacerdos et levita gentis eiusdem *ib.* 60 — Samaritanus subveniens ex misericordia vulnerato figura est Iesu Christi 271 64

— leprosus surrexit per poenitentiam VII 436 34 — ibat per iustitiam et obedientiam *ibid.* — sanus fuit per confidentiam *ibid.* — leprosus significat gentiles ad cultum Christi redeuntes 435 31. 436 33

Samson — interpretatur sol eorum VII 109 88 — est figura Christi 596 34 — excaecatus per Dalilam significat victum concupiscentia carnis VI 579 6

Samuel — a Domino postulatus est figura Christi VII 596 34 — ministrabat in conspectu Domini ante faciem Heli 41 134 — crescebat et placebat tam Deo quam hominibus 43 142

Sanare — infirmum maius est quam sanum conservare VII 386 14 — Natura corrupta sanabilis est VI 29 v. 3 — Anima non sanatur nisi per fidem Christi 306 18 — Sanantur per fidem aspicientes in Christum crucifixum 282 24

— In baptizatis est tempus sanandi virtutem naturae VI 31 v. 8 — Dominus sanat quosdam flagello correctionis, quosdam alloquendo solo verbo praedicationis, quosdam illustrando gratia inspirationis 564 v. 14 2 — Languentes in piscina sanabantur per divinae gratiae beneficium 304 5

— Multiplicitas nominis sanum ortum habet ab una radice VI 394 56

Sanctificare — est mundare et purgare VI 473 28 — Veritas sanctificat *ib.* 29 — Christus vere sanctificat *ib.* 31

Sancti — nomen a Deo accipiunt VII 36 110 — Sanctum dicitur quod est sine terra VI 473 29 — Iusti dicuntur sancti per praesentem iustitiam 135 v. 15 — sunt sine macula, quia earum maculae sunt abstersae per gratiam 263 82 1*

— Sanctos elegit Deus de hoc mundo VI 128 v. 9 — vocati sunt de mundo et tenebris mundi 392 47 — discurrent in collegio reproborum eos conculcando 128 v. 7 — non sunt de mundo, tamen sunt in mundo 489 67

— ferventer diligunt Christum VI 13 b — sunt regnum Christi et obediunt ei per obedientiam 489 67

— Sanctitas vitae meretur donum intelligentiae VI 239 1 — Sanctitas vitae consistit in servitute Dei *ib.* 2

— sunt lux illuminata et lux per participationem, illuminans dispositive VI 251 23 — dispositive illuminant verbo et exemplo *ibid.* — comprehendunt lucem spiritualem per fidei et caritatis adhaesionem 250 16 2*

— Deus clarificatur in Sanctis suis patientibus ad eius gloriam VI 528 49 — sicut triticum in tribulationibus cribrantur et purgantur VII 552 62 — Sanctis confertur a Domino iustificatio in principio suae conversionis, deductio in profectu conversationis, ostensio regni in gratia vel in secreto contemplationis, instructio in agnitione divinae voluntatis, honestatio seu ditatio in abundantia meriti et virtutis, completio in praemio VI 174 v. 10

— in praesenti non habent partem, sed in futuro VI 23 v. 10 — Obitus Sanctorum vocatur eorum natale 126 v. 2 — perfecti in iudicio iudicabunt et non iudicabuntur 128 v. 7 — Sanctis est pax aeterna *ib.* v. 9 — eorum nomina scripta sunt in libro vitae VII 36 112

— sua bonitate excellenti testimonium debent habere et habent ab his qui foris sunt VII 407 12 — Deus Sanctos suos magnificat gratiam suam conferendo, miraculis illustrando, dignitatibus ecclesiasticis sublimando, ad caelestis regni gloriam producendo VI 233 v. 20

— Sanctitas per figuram erat in hostiis, per veritatem in Christo VI 473 31

Sandalia — a laesione pedum protegunt, sed non tegunt VII 255 8 — fuerunt Apostolis iniuncta, ut non solum essent pauperes, verum etiam apparerent *ibid.*

Sanguis — Effluxio sanguinis post mortem ostendit Christi Divinitatem VI 502 60

— Christi reficit, inebriat, incitat VII 548 29 — In sanguine Christi redemptum est genus humanum *ibid.* — Sine effusione sanguinis Agni Dei et sponsi Iesu Christi non fit peccatorum remissio *ibid.* — Christi interpellat pro nobis 558 56 — Christi clamabat remissionem peccatorum *ibid.* — Christi lavat peccata VI 501 52 — In sanguine Christi anima lavanda est ad perfectionem decoris per imitationem passionis 599 v. 6

— animalium non potuit auferre peccata VII 548 29

— lambitur a pullis aquilae, quo inebriantur amici sponsi et incitantur ad proelium viri athletae VII 548 29

Sapientia — est una in essentia cum Patre VI 158 v. 27 — est in se permanens seu invariabilis 159 v. 27 — increata consortium et cohabitationem Dei habet 161 v. 3 — a Deo Patre procedit 150 v. 24 — increata dicitur esse in sinu Patris propter occultationem, dicitur gigni ex utero propter consubstantialitatem, ex ore Patris procedere propter manifestationem, de caelo mitti propter illuminationem, sedere in sanctis animabus propter tranquillitatem 169 v. 10 — est media in Trinitate persona 160 v. 1 — attingit a Patre usque ad Spiritum sanctum per identitatem substantiae *ibid.*

— emanat a Patre ut splendor a luce VI 158 v. 25 — a purissimo fonte procedit *ib.* v. 24 — est emanatio quaedam claritatis omnipotentis Dei *ib.* v. 25 — est lux purissima de luce aeterna, scilicet a Patre procedens *ib.* v. 26 — procedit sicut lux, quae contaminari non potest *ib.* v. 25 — In Sapientiam increatam nihil incurrit inquinatum inquinatione culpabili vel naturali *ibid.* — a Deo Patre emanat sicut vapor a calore *ibid.*

— luci comparata tam solis quam stellarum invenitur prior aeternitate, dignitate, causalitate VI 159 v. 29 — est lux spiritualis *ib.* v. 30 — Speciositas sapientiae praeferenda est speciositati solis *ib.* v. 28 — est pulcritudo solis iustitiae *ib.* v. 29 — est lux spiritualis *ib.* v. 30 — contingit contactu virtuali, non corporali, ab aeterno usque in aeternum 160 v. 1

— Christus est Dei sapientia VI 25 v. 14 — Christus dicitur Dei sapientia 78 v. 15 — incarnata est Christus 148 v. 17 — increata est Christus 153 v. 11 — Christus ipse est sapientia 327 56. VII 299 67

— illuminat tenebras intellectus nostri VI 158 v. 25 — calefacit frigus infidelitatis nostrae *ibid.* — Sapientia divina habet omnium affluentiam 3 3 — increata est bona, aeterna, omnipotens 150 v. 24 — divina dat vitam 327 56 — Cum sapientia increata homini veniunt omnia bona gratiarum 153 v. 11

— De sapientia increata non potest sciri nec dici quid est secundum essentiam, sed qualis VI 150 v. 24 — Deus est sapiens 45 q. 3 — scit omnia ad scientiam rationis pertinentia 169 v. 11 — intelligit omnia pertinentia ad intelligentiam intellectus *ibid.* — Omnia sapientia facta sunt 107 v. 1 — stellas fecit 159 v. 29 — omnia movet immobilis manens 158 v. 24 — attingit a fine supremae creaturae usque ad infimam creaturam *ibid.*

— Necesse est, omnia per Sapientiam reformari VI 107 v. 1 — disponit suprema, media, infima per iustitiam et misericordiam 160 v. 1 — procedens ex ore Altissimi significatur per salivam 373 8

— se transfert in animas a peccato mundas per spiritualem adventum gratiae in mentem VI 159 v. 27 — est cum homine, scilicet intus in animae essentia et per gratiam inhabitando et informando 169 v. 10 — motivam animae potentiam ad

opus perficiendo laborat cum homine *ibid.* — Sapientia adveniente, veniunt omnia bona, abeunte omnia bona recedunt, et supervenit egestas VII 392 26 — divina frequenter persuadet contrarium humanae scientiae 215 92

— dicitur mulier, quia diligenda est tanquam sponsa speciosissima VII 387 15 — dicitur mulier non ab infirmitate sexus, sed a pietate divini affectus et misericordiae *ibid.* — datur intelligi per mulierem fortem, bonam et speciosam, providam et piam *ibid.* — ex misericordia habet pietatem de drachma perdita 388 17 — evertit domum in praedicatione *ibid.* — invenit drachmam in nostra redemptione *ibid.* — Sapientiae amicae sunt Angeli *ib.* 18 — Christus liberavit nos per suam sapientiam, cum tamen posset per suam potentiam VI 78 v. 15

— est divinarum rerum cognitio VI 108 v. 7 — contemplatur Deum in se 75 v. 9 — respicit aeterna 27 v. 26. 129 v. 11

— Per sapientiam cognitio veritatis datur VI 156 v. 21 — creata est perfectissimum donorum 153 v. 11 — De sapientia creata sciri potest et dici, quid est et quemadmodum creata sit 150 v. 24 — cognoscitur in appetitibus 62 v. 26 — Alta est profunditas inquisitionis sapientiae *ib.* 24 — Sapientiam pauci inveniunt sufficienter, nulli perfecte *ib.* 25 — inexhauribilis est per communicationem 154 v. 14

— nunquam a sua pulcritudine deficit VI 147 v. 13 — Decor sapientiae immarcescibilis est *ibid.* — non subiacet tempori, sed est supra tempus *ibid.* — clara est per eloquentiae venustatem 108 v. 7 — clara est sui pulcritudine et evidentia 147 v. 13 — lux est *ibid.* — est clara 611 4 — clara est ad videndum, spontanea ad se ostendendum, proxima ad ingrediendum 147 v. 12 — Claritas sapientiae est in Apostolis in annuntiando documenta 475 38

— inter spiritualia lux est animae VI 153 v. 10 — Sapientiae lumen est inexstinguibile, quantum est de se *ibid.* — illuminat ut lux 25 v. 13 — illuminat spiritualia 150 v. 23 — antecedit hominem dirigendo gressus eius 153 v. 12 — est quasi columna ignis et nubis *ibid.* — est immortalis per naturam vel per effectum immortalitatis, quam confert 165 v. 17

— Fons sapientiae purgat ignorantiam intellectus VI 555 2 — De fonte sapientiae habemus aquas instructionis *ib.* 3 — Sapientiae splendor est in rationali VII 65 92 — mentem interius delectabiliter afficit VI 149 v. 19 — Post sapientiam homo sanatur a caecitate intellectus et corruptione affectus 171 v. 19 — reficit affectum et illuminat intellectum 163 v. 9 — reficit affectum et castificat vel purificat intellectum a corruptione erroris 161 v. 2 — ut importat cognitionem solum, convenit bonis et malis, quantum ad saporem affectionis est tantum in bonis 24 q 3

— Fores sapientiae sunt fides et caritas VI 148 v. 15 — Per fidem ad sapientiam intrat intellectus, per caritatem affectus *ibid.* — studiose est acquirenda 107 v. 2 — Circa acquisitionem sapientiae vehemens diligentia est adhibenda *ibid.* — Ad acquisitionem sapientiae requiritur studium 27 v. 26 — quaerenda est studio lectionis et orationis 160 v. 2 — Nemo potest sapientiam acquirere, nisi habeat modum debitum addiscendi 52 v. 8

— sequetur post laborem industriae VI 83 v. 10 — Pro sapientia habenda oportet multum laborare 161 v. 7 — acquiritur certamine et disputatione 165 v. 18 — Ad sapientiam acquirendam requiritur vacatio ab opere exteriori 107 v. 2 — Qui minoratur actu exteriori percipiet sapientiam *ibid.* — quaerenda est ad sciendum et faciendum Dei voluntatem 169 v. 10 — Qui acquirit et custodit sapientiam cito erit securus a malo 148 v. 16

— Non desperandum de sapientia acquirenda, quia facile videtur oculo intellectus ab his qui diligunt illam VI 147 v. 13 — ex omni parte continue se offert et indesinenter 148 v. 17 — invenitur merito abstinentiae *ib.* v. 14 — in quiete et sine motu parata est intrare *ib.* v. 15 — Verba sapientium digna sunt audiri in silentio 79 v. 16 — allicit ad audiendum 109 4, 5

— Simplices in intentione dicuntur oves VI 22 a — cordis est simplex unitas cordis 111 v. 1 — Simplex est cor, quando omnes partes eius ad unum simplicissimum feruntur, scilicet ad Deum *ibid.* — Simplices a bono opere cessant, affecti taedio propter multam eorum deceptionem 95 v. 7

— Deus elegit simplices, ut faceret sapientes VI 268 101 — Simplices debebat Dominus attrahere per miracula 308 33 — Simplices perhibebant testimonium Christo 415 23 — Simplices seducere est magna perversitas VII 427 6

Simulatio — exterior figuratur in vulpe VII 249 104 — interior figuratur in volucre *ib.* 105 — sunt, quae virtutes specie esse se simulant et mentiuntur 295 55 — Simulatores non decipiunt Dominum, sed fallunt semetipsos 163 105 — Mali frequenter simulatione iungi volunt bonis 249 103 — Simulatoris consortium repudiandum est *ib.* 105

— redarguitur VII 163 105 — est in omnibus reprehensibilis 519 56 — potissime reprehenditur in his actibus, qui maxime debent fieri in veritate *ibid.* — In operibus non est procedendum cum duplicitate et simulatione hypocrisis 301 74

— est causa insidiae VII 509 26 — adiunctam habet intentionem perversam *ibid.* — sunt nequiores vitiis apertis, quia maiorem habent malitiae perversitatem 295 55 — Propter simulationem fit iniquitatis duplicatio *ib.* 57

Sinapis — granum in se est quantitate parvum, acumine fervidum et incremento magnum VII 430 14 — granum est modicum mole et magnum in virtute sive fervore 346 38

— propter proprietatem assimilatur notitiae veritatis VII 346 37 — Per granum sinapis intelligitur liberi arbitrii cooperatio quantum ad captivitatem intellectus, accensio affectus et multitudo boni effectus 430 14 — granum propter suam parvitatem significat fidem *ibid.* — significat fidem proficientem 347 40 — dicitur venena expellere 346 38

Sindon — munda convenientissima erat carni Christi VII 584 64 — figuratur in

corporali *ibid.* — est signum innocentiae *ibid.* — comparatur agno immaculato et albissimo *ibid.* — Per sindonem intelligitur munditia conversationis VI 619 3

Sinistra — dat intelligere bona temporalia VI 79 v. 2

Sinus — dicitur in quo res absconditur, fovetur et custoditur quasi in loco familiari VII 418 44 — culpabilis triplex est 419 45 — laudabilis triplex *ibid.* — desiderabilis est requies beatarum animarum *ibid.*

Sitis — spiritualis est non habiti, ut habeatur, vel habiti, ut amplius habeatur, vel perfecte habiti, ut continuetur VI 293 27 — gratiae non est rei non habitae *ibid.* — est naturae, culpae, poenae, gratiae, gloriae 559 v. 13

Sobrietas — Utilis est reditus a voluptate ad sobrietatem VI 20 v. 3

Societas — est vel turbans et impediens, vel subsidio et solatio indigens, vel adiuvans et promovens VI 40 q. — malorum est turbans et impediens, uxorum et infirmorum est subsidio et solatio indigens, perfectorum est adiuvans et promovens *ibid.* — religionis non repugnat solitudini contemplationis *ibid.* — In religione est societas adiuvans et promovens *ibid.*

— fulcit, fovet, defendit VI 40 q. — aliena commendatur in Ecclesiaste in detestationem avaritiae 39 v. 7, 9 — praebet emolumentum in relevando, in conservando, in defendendo *ib.* v. 10 — Qui est in societate debet se conformare societati 40 q.

— Peccator, qui manet in collegio bonae societatis, potest surgere VI 586 a — mala ad culpam inducit 613 4 — malorum, uxorum et infirmorum est toleranda, perfectorum est appetenda 40 q.

— Socius Christi est qui cum illo incedit per ardua passionis VI 628 3

Sodomitae — innominabiles sunt propter peccatum eorum innominabile VI 232 v. 16 — erant populus impius 173 v. 6 — Inter Sodomitas nulli erant boni 214 v. 18 — In Sodomis multi erant mali, paucissimi boni VII 443 52 — erant ira divina digni 442 49

— edebant et bibebant ut lascivi VII 442 49 — non peccabant secundum naturam, sed contra naturam *ibid.* — emebant et vendebant ut avari *ibid.* — plantabant et aedificabant sicut securi *ibid.*

— Sodoma periit exeunte Lot VII 443 52 — cooperti sunt subitaneis tenebris VI 232 v. 16 — abiiciebant sapientiam, et ideo infelices erant 173 v. 8 — noluerunt latere, sed publice peccaverunt *ibid.* — Deus peccata Sodomitarum toti mundo voluit publicari per publicum supplicium *ibid.* — perierunt in testimonium nequitiae ardentis et foetentis luxuriae *ib.* v. 7 — Dominus punivit Sodomitas per ignem sine mansuetudine 214 v. 18

— Incendium Sodomorum fuit exemplum diei iudicii VII 443 51. 445 55 — Circa locum Sodoma referuntur poma nasci exterius speciosa, intus cinerea et favillosa VI 173 v. 7

Sol — dicitur quasi solus lucens VI 139 v. 6 — est principium et causa vitae omnis 13 v. 7 — nobilissimus et lucidissimus inter corpora caelestia *ib.* q. 3 — est praecipuum luminare et secundum apparentiam et secundum efficaciam VII 533 41 — in principio temporis positus est in firmamento in signum per sui lucem *ibid.* — in fine temporum in signum est finis per lucis occultationem *ibid.*

— movetur ab oriente in occidentem VI 14 q. 3 2* — semper movetur motu proprio sive ascendendo sive descendendo *ib.* 4 arg. 1 — nunquam quiescit propter mutabilitatem 12 v. 5 — non stat per naturam, sed per miraculum *ibid.*

— motu diurno oritur et occidit, motu annuo ascendit et descendit VI 12 v. 5 — motu annuo lustrat universa et revertitur in circulos zodiaci 13 v. 7 — motu annuo revertitur in locum, unde coepit moveri 15 q. 4 — motu diurno non redit in locum, a quo coepit moveri, nisi secundum nostram aestimationem *ibid.* — motu annuo secundum quatuor tempora flectitur a meridie ad aquilonem *ib.* 2*

— stetit contra Gabaon in designationem mirabilis virtutis Christi VII 533 42 — in designationem mirabilis dignationis decem gradibus retrocessit *ibid.* — obscuratus est in designationem admirabilis passionis tam in capite quam in membris 534 42 — tenebrescit, cum non videtur in sua rota VI 92 v. 2

— non illuminat caecos VI 253 30 — materialis oritur bonis et malis 139 v. 6 — intelligentiae solis bonis oritur *ibid.*

— ab idololatris colitur sub nomine Phoebi VI 192 v. 2

— Christus vocatur sol VI 13 a — Christus oritur ut sol in nativitate ad illuminandum *ib.* b

— In aspectu solis aeterni est summa dulcedo et magna remuneratio VI 90 a — Solem iustitiae delectabile est videre *ibid.* — iustitiae obtenebrescit, cum homo cadit a fide 93 v. 2 — Non videre solem est non habere cognitionis lumen 51 v. 5 — In sole est delectatio et experientia boni *ibid.* — In aspectu solis est magna iucunditas 92 v. 2

— significat rectam intentionem VI 58 v. 12 — Per solem intelligitur praesens status hominum 81 v. 5 — Solis occasus quid spiritualiter significet VII 109 88 — In solis obscuratione intelligitur obcaecatio Iudaeorum 581 55

Solatium — Quisque debet esse memor solatiorum Dei ad congaudendum VII 37 114

— Homo propter malum poenae indiget solatio VI 602 1

Solitarius — caret beneficio relevationis et conservationis ab altero VI 39 v. 10 — Melior est vita in congregatione quam solitaria 40 q. — non fulcitur nec fovetur nec defenditur ab alio *ibid.*

Solitudo — est vel per inopiam dilectionis, vel per defectum consolationis, vel per quietem contemplationis VI 40 q. — per inopiam dilectionis omnino mala est, per defectum consolationis misera est, per quietem contemplationis laudabilis et honesta est *ibid.*

— valet ad mundi turbationem evitandam, ad quietem contemplationis intrandam, ad divinam consolationem obtinendam VI 569 v. 15 — Solitudini contemplationis non repugnat societas religionis 40 q. — Christus requirit solitudinem 355 10

Sollicitudines — auferunt homini spirituales delectationes VI 614 1 — humana figuratur spinis et vepribus VII 191 10. 194 20 — carnales plus in cordibus proficiunt et crescunt quam spirituales 194 20 — humanae suffocant semen verbi Domini in corde *ibid.* — humanae destruunt vitam interiorem et per consequens efficaciam exteriorem *ibid.* — humanae consistunt in curis carnalibus, divitiis et voluptatibus corporis *ibid.*

— nimia est vitanda VII 274 71 — inducit inquietudinem 315 19 — curiositatis est tollenda *ibid.* — quae provenit ex providentia animi, non est prohibita, sed quae venit ex diffidentia Dei 319 33

— nostra non debet esse pro acquirendo cibo, sed pro acquirendo regno aeterno VII 322 43 — Non debemus solliciti esse de naturalibus, negligendo spiritualia 334 81 — Inordinatio est in sollicitudine, quando absorbetur mens circa terrena VI 327 51

Solvere — est vel in foro poenitentiali, vel in foro iudiciali VI 515 52 — Mortuus spiritualis solvitur in confessione 591 3 — Peccator solvitur a vinculis peccati per satisfactionem iniunctam 406 63 — A funibus peccatorum non solvitur virtute humana, sed divina VII 489 46 — A peccato solutus adducitur ad Iesum *ibid.*

— Absolventes non faciunt hoc ad aliud, nisi ut ad Christum trahant tanquam ad verum Dominum VII 489 47 — Sacerdos non remittit culpam, sed poenam VI 514 49 — Non potest solvi nisi quem Deus vivificavit *ib.* 3* *Vide v. Potentia.*

Somnium — vanitas est VI 44 v. 6 — nos nec perdere nec salvare potest *ibid.* — Ex somniis nihil certum potest sciri *ibid.* — De somniis non est curandum *ibid.* — Stultum est somniis attendere 43 v. 1

Somnolentia — causatur a crapula et ebrietate et curis huius vitae VII 538 55

Somnus — non fit sine gravamine sensuum VII 235 57 — dulcis est operanti VI 47 v. 11 — Divitiae auferunt somnum quietis *ibid.* — est bonum signum in acutis aegritudinibus 398 22

— Peccatum et mors vocantur somnus VI 311 49 — Culpa dicitur somnus 587 v. 11 — naturalis claudit homini visum, ligat sensum, sistit gressum *ibid.* — culpae claudit visum discretionis, ligat sensum devotionis, sistit gressum bonae operationis *ibid.*

Sophisma — In sophismate in dictione principium fallendi est in voce, in sophismate extra dictionem est in re VI 606 2

Sors — differt a parte, quia nominatur ex parte dantis VI 121 v. 9 — Quae fiunt sorte non semper casu fiunt 497 36

Species — idem est quod numerus VI 182 v. 21

— intelligibilis non potest descendere in sensum et fieri sensibilis, sed ratio potest facere sensitivam aliquid imaginari, quando species sunt in imaginatione VI 431 39

Speciositas — attestatur sapientiae VI 536 4

Speculum — lucidum erat ante lapsum hominis, obscuratum est propter peccatum VI 255 43 — Videre Deum per speculum est cognoscere in effectu *ibid.*

Spes — proprie dicta non est nisi de bono VI 194 v. 10 — est incrementum nostrae salutis VII 437 34 — fundatur in paupertate 319 31 — potest esse bonis et malis communis VI 402 45 — est principium consummativum miraculi impetrandi *ibid.*

— in ovo designatur VII 286 31 — quae videtur, non est spes *ib.* 33 — Spe quaerimus, qua attingimus usque ad interiora 285 27

— Per spem de futuris bonis in praesenti initiantur in iustis nuptiae aeternales VI 546 7 — Sperantes beatificantur in Scriptura VII 30 84 — Spei succedit beatitudinis perfectio 287 33 — praemii futuri infundit virtutem in omni operatione 512 35 — Per spem exauditionis gaudendum VI 472 25

— suspirat ad redemptionem VII 536 48 — facit tribulationes patienter ferre *ibid.* — Qui non habet spem impletur tristitia VI 458 12 — Spem aeternae retributionis aufert tristitia mala 607 4

Spicae — sunt praegustationes dulcedinis internae VII 135 4

Spinae — sunt peccata avaritiae VII 504 12 — Per spinas spiritualiter intelliguntur homines iracundi et schismatici, qui non possunt aliis compati 163 102 — denotant mundanas sollicitudines 191 10. 194 20 — Inter spinas semen oritur, sed non consummatur 191 10. 194 20 — comparantur voluptatibus et divitiis, tum quia fructum non afferunt, tum quia fructum impediunt, tum etiam, quia habentem affligunt 195 20

Spiritualis — nascitur ex Spiritu VI 280 13 — Quod nascitur de spiritu per se est spirituale 281 20 — sunt figurati in volucribus caeli VII 347 41

— accipientes de doctrina Christi certi fiunt per testimonium eius VI 288 55, 56 — quietantur sub doctrina fidelis doctoris et ad notitiam veritatis perveniunt VII 347 41

— non debent esse rebus terrenis intenti VII 322 42 — suscipientes cibum corporalem, hospiti debent dispensare spiritualem 366 26 — In conviviis debent spiritualia verba miscere *ibid.*

— debent levare capita per firmam exspectationem, levare oculos per claram considerationem, levare vocem per Scripturae praedicationem, levare manus ad perfectam operationem VII 536 49 — Spiritualium non tantum est exspectare, verum etiam exsultare et exsultando laudare 604 66 — Inter viros spirituales non debet esse contentio de primo loco, sed de postremo 245 89

— despiciuntur et abiiciuntur ab his qui amant mundum VII 247 97

— Quanto spiritus melior est corpore et magis care diligendus, tanto spiritualia meliora sunt corporalibus et magis diligenda VI 153 v. 10 — Spiritualia sunt liberaliter distribuenda, non negligenter abscondenda VII 477 15

— Per multiplicationem spiritualium pervenitur ad regnum caeleste VII 478 17 — Bona spiritualia commissa fideliter sunt adhibenda et dispensanda iuxta voluntatem Dei *ibid.* — In spiritualium auditione temporalia contemnenda VI 297 48

— Verba sacrae Scripturae spiritualiter intelligenda sunt, ut prosint, non carnaliter VI 336 99 — Spiritus vivificat *ibid.*

Spiritus — Deus spiritus est VI 89 v. 5 — excludit localitatem et corpulentiam 295 38

— **sanctus** est unio Patris et Filii VI 470 11 — est amor Patris et Filii 476 45 — Spiritus sancti amor ad Patrem et Filium est pure debitus, quia tantum recipit 450 18

— Principium Spiritus sancti est Pater et Filius VI 459 21 — non solum processione temporali, sed etiam aeterna procedit a Filio 461 26 — procedit a Filio aeternaliter et temporaliter mittitur in creaturam *ibid.* — quidquid habet accipit a Filio 459 21. 461 26 — non accipit de novo, sed se accepisse monstrat 461 26 — a Sapientia increata procedit 156 v. 21, 22 — Spiritum sanctum esse etiam Filii, significat insufflatio eius 513 43 — procedit a Patre et Filio sicut digitus a corpore et brachio et est illi connaturalis et consubstantialis VII 292 46 — dicitur digitus Dei *ibid.*

— clarificat Filium, quia ab eo procedit VI 459 21 — enuntiat Filium, a quo procedit *ib.* 22 — testimonium perhibet de innocentia Christi 454 39 — Qui habet Spiritum sanctum securus est, ut habeat Patrem 477 45

— est spiritus bonus VII 288 35 — dicitur spiritus, in quantum vitam inspirat VI 113 v. 5 — dicitur sanctus, in quantum purgat et renovat *ibid.*

— sapientiae dicitur mundus, quia sine materiae feculentia VI 157 b — sapientiae dicitur mundus, quia lavat a peccatis praeteritis et praeservat a futuris, vel quia in praesenti purgat a culpa, in futuro a poena *ibid.* — sapientiae dicitur incoinquinatus, quia nec a se nec ab alio immunditiam contrahere potest *ibid.* — sanctificat per emendationem culpae 156 a

— sapientiae dicitur subtilis, quia pura forma VI 157 b — sapientiae dicitur subtilis, quia omnia penetrat, vel quia in nobis operatur subtilitatem affectus quoad donum sapientiae, et intellectus quoad donum intelligentiae sive intellectus *ibid.* — est subtilis faciens penetrare occulta et perspicaciam intelligentiae praebens 156 a — dat intelligentiam *ibid.*

— est stabilis in se VI 157 a — dat stabilitatem in donis promissis *ibid.* — est mobilis in activis, stabilis in contemplativis *ibid.* — est stabilis in Christo, mobilis in aliis Sanctis *ibid.* — est stabilis in bono, constans in vero, securus a malo *ibid.* — quos inhabitat stabiles facit in bono, certos in vero, securos a malo *ibid.* — mobiles facit per obedientiam 156 b — agit per benignitatem VII 89 3 — dicitur circuire, quia nos facit circuire VI 13 b

— compatitur nobis VI 157 a — libenter in hominibus habitat *ibid.* — est benignus et liberalis innata benignitate *ibid.* — est benignus mala remittendo, bona dando, ad patriam dirigendo *ibid.* — est tranquillus nihil habens asperitatis 156 b — Spiritui sancto attribuitur benignitas 160 v. 1 — est amans bonum 156 b — iuvat benefacere *ibid.*

— est bonus in natura puritate, veritate et tranquillitate VI 156 b — Bonitas Spiritus sancti in comparatione ad nos est quadruplex *ibid.*

— eius amor recte per ignem designatur VII 79 39 — significatur per columbam VI 274 25 — est benignus et fructuosus et sine dolo, quod significatur in columba 261 70

— est donum promissum in Scripturis VII 602 61 — In Spiritu sancto omnia dona donantur 288 35 — Per unum Spiritum fit distinctio donorum 292 46 — Spiritus sancti donum cum reverentia est suscipiendum 334 84 — dicitur donum, quia non debet vendi VI 292 18

— dicitur accipi vel dari non ratione essentiae, sed effectus VI 514 50 — dicitur dari, quando dantur dona sua 595 53 — interdum dicit actionem Spiritus 289 63 — Dona Spiritus sancti vocantur spiritus 157 b — Flumina Spiritus sancti dicuntur eius dona et gratiae 350 56

— Effectus Spiritus sancti vel est in nobis et nos respicit, ut amare, vel respicit aliquid supra nos, scilicet gratificare VI 443 37 — dat multiplices gratias 156 a — dat omnia dona 157 b — dat gratiam cui vult 280 13 — est in nobis per gratiam praevenientem et subsequentem 441 26

— datur in pignus adoptionis VI 477 45 — datus in pignus hereditatis aeternae est consolator spe veniae 443 36 — promissus est in advocatum, in socium ad solatium et in magistrum 602 1

— est advocatus quantum ad officium VI 443 36 — advocatus est ad proloquendum pro nobis et in nobis 603 3 — est advocatus in aeternum 441 25 — ut advocatus postulat, respondet et adversam partem arguit 443 36

— animam vivificat suo modo spirituali, sicut spiritus humanus suo modo naturali vivificat corpus VI 542 2 — solus replet animae capacitatem VII 17 25

— datur petentibus et desiderantibus VII 288 35 — Ad Spiritum Domini suspirat

Sanctorum spiritus *ibid.* — non est datus nisi credentibus in Christum 444 40 — non mittitur nisi ad bonos 441 27 — datur diligentibus et ad ampliores effectus magis diligentibus 442 34 — non datur eis qui desiderant aliam consolationem 460 24

— non tantum quaerit habitare in corpore mundo, sed in animo sancto VII 295 54 — manet in aeternum in bonis VI 441 25 — manet cum invitantibus eum 543 5. 606 v. 13 — solet venire, ubi diligitur, ubi invitatur, ubi exspectatur, ubi ei hospitium praeparatur 607 v. 13 — manet per gratiam in diligentibus per caritatem, in honorantibus per obedientiam, in invitantibus per orationem 542 5 — veritatis non manet in ignorantibus 543 5 — non manet, ubi negligitur *ibid.* — non manet in infidelibus, sed fidelibus, non in animalibus hominibus, sed spiritualibus 441 26

— cognoscitur ab eis qui ipsum accipiunt VI 441 26 — praesens in bonis per effectum manifestum cognoscitur 443 37 — quantum ad effectum gratificandi non est nobis notus nisi per specialem revelationem *ibid.* — cognoscitur, quando venit, per fervorem et teporem 281 21 — Nescitur ratio adventus et recessus Spiritus sancti *ibid.* — est occultus 280 13 — non cognoscitur ab infidelibus 441 26

— habitat in Christo secundum humanitatem VI 156 v. 22 — fuit in Christo secundum omnem plenitudinem VII 83 53 — requievit super humanam naturam Christi quantum ad excellentiam gratiae singularis et unxit eum quantum ad praerogativam sacerdotalis et regalis dignitatis 97 36 — requievit et mansit in Christo VI 260 66, 67

— datur a Filio VI 113 v. 5 — promittitur Apostolis in recessu Christi, ex qua promissione debent consolari 458 13 — frequenter a Christo promissus fuit in Evangelio VII 602 61 — Missio Spiritus sancti fuit dilata propter desiderium discipulorum inflammandum, propter mysterium servandum et propter exemplum 603 62 — venit decem diebus post ascensionem 479 19 — descendit super duodecies decem *ibid.*

— ante glorificationem Domini non erat datus visibiliter et aperte, sed invisibiliter VI 286 48 3* — primo datus est occulte et postea abundanter et aperte VII 602 61 — datus est manifeste Prophetis, manifestius in insufflatione post resurrectionem, manifestissime post ascensionem VI 350 57 — dandus erat post glorificationem Christi *ib.* 55 — ante ascensionem Christi non erat datus in evidentia et abundantia *ib.* 57 — non debebat dari ante ascensum Christi 460 24 — debuit dari post reconciliationem cum Deo *ibid.*

— Donum Spiritus sancti datum est Apostolis ad remittenda peccata VI 513 43 — datus est ad remissionem peccatorum ad dignam exsecutionem potestatis 515 53

— descendit in linguis igneis, dando virtutem ad fidei publicationem VI 514 50 — apparuit super discipulos in specie flaminis, linguae et ignis 542 3 — apparuit in specie ignis, quia ipse incendit in corde ardorem caritatis; in specie linguae apparuit, quia ipse immittit ori doctrinam veritatis; in specie flaminis sive spiritus apparuit, quia subministrat operi vigorem virtutis *ib.* 4

— dicitur descendisse in columba solum ratione ostensionis VI 261 69 — Descensus Spiritus sancti designatur per descensum nimbi VII 334 82 — Flatus Spiritus sancti designatur per austrum flantem *ibid.* — apparuit in columba et in linguis et igne ratione significationis 83 53, 54 — incipientibus illabitur ut columba, quia reddit eos gementes et meditantes; proficientibus ut nubes, quia conamine mentis facit eos sursum ascendere; perfectis in igne, quia illos inflammat 84 54 — descendit in gratiae vivificatione, apparet in bonorum operum exhibitione, manet in eorundem perseverantia et continuatione VI 542 1

— inflammat affectum VI 171 v. 17 — In Spiritus sancti donatione infunditur dilectio 45 176 — divinus animam gratificans dat ei sensum devotionis, verbum aedificationis et motum bonae operationis 542 2 — est ignis in corde, veritas in ore vel sermone et virtus in opere *ib.* 4 — dicitur Spiritus sanctitatis, quia ad bonum movet voluntatem, Spiritus virtutis, quia adiuvat virtutem 603 6 — dat virtutem Sanctis VII 43 143 — dat sapientiam in corde et eloquentiam in sermone et fortitudinem contra cavillationem fraudulentam 528 22

— est Spiritus veritatis, quia docet vera VI 441 26. 603 6 — dicitur Spiritus disciplinae, in quantum ignorantiam tollit et sapientiam donat 113 v. 5 — docet veritatem, quam habet ab alio 459 20 — docet bonos 458 14. 459 19 — amovendo carnalitatem docet veritatem 459 19, 20 — Per Spiritum sanctum repleta est terra scientia 90 v. 6 — docet nos omnia 444 40 — suggerere dicitur, quia occulta docet 445 46 — ut optimus doctor docet hominem intelligere et ornate exprimere VII 315 20 — facit disertos VI 156 b — sanctus ideo lustrare dicitur, quia nos facit omnia perscrutari 13 b — non tantum docet veritatem de praeteritis, sed etiam de futuris 459 20 — omnia prospicit per sapientiam 157 a

— Cognitio experientiae et devotionis attribuitur Spiritui sancto VI 460 25 — faciendo animam Deo adhaerere facit sibi familiarem et revelari secreta VII 316 20

— docet utilia, quia est spiritus salutis VI 240 3 — docet veritatem vitae, doctrinae et iustitiae 113 v. 5. 460 25 — docet veritatem cognitionis, intentionis, locutionis, operationis 606 2. 607 3 — veritatis nobis datur ad docendum, Spiritus sanctitatis ad suggerendum, Spiritus virtutis ad adiuvandum 603 6 — docet veritatem ad intelligendum, suggerit ad volendum, adiuvat ad exsequendum *ibid.* — modum tenere docet in omnibus 156 b

— Prophetae per Spiritum sanctum sunt locuti VI 8 q. 4 — Per Spiritum sanctum divina secreta nobis reserantur VII 3 3 — est inspirator sacrae Scripturae 4 10 — loquebatur per Evangelistas *ibid.* — docuit per gratiam 5 12 — est causa suprema Evangeliorum *ibid.* — inspiravit Evangelistas ad scribendum 86 59 — Apostolis verba Christi postillavit VI 466 49 3*

— arguit ad docendum et demonstrative VI 606 2 — arguit quasi demonstrative ad docendum vel ostensive, ut promoveat discentes, vel quasi ad impossibile, ut reducat errantes *ib.* 3 — arguit mundum de infidelitate 454 39. 458 18 — malos arguit 458 14 — manifestat peccatum mundi, iustitiam Christi, iudicium diaboli *ib.* 18

— postulare facit VI 464 40 — est origo omnium bonorum verborum VII 592 19

— in praesenti fugit peccatorem et hypocritam VI 113 v. 5 — aufert se a cogitationibus falsis et erroneis *ibid.* — fugit indiscreta verba et cogitationes VII 592 19 — maculas mundat in baptismo VI 156 b

— Vox Spiritus auditur in praedicatoribus VI 280 13 — non tantum loquitur vera et bona per bonos, immo etiam per malos 8 q. 4 — utitur malis sicut instrumento 409 76 — multa nobilia opera per malos facit 408 69 — facit considerare triplicem circuitum 13* b

— unit bonos per concordiam VI 156 a

— sunt immortales VII 512 35 — Ortus et occasus spiritus nescitur VI 89 v. 5

— est animus sive spiritualis creatura VI 89 v. 5 — dicuntur Angeli quantum ad substantiam vel naturam 157 b — accipitur pro substantia animae, pro superiori parte, pro imaginatione et pro anima secundum suum supremum VII 31 89 — dicitur ventus VI 12 v. 6. 143 v. 24 — vitalis est corpus subtile igneum 119 v. 2 — naturalis vivificans dat corpori sensum, loquelam et motum 542 2

— Corpus spiritui continuum bellum suscitat et spiritum sollicitat VI 170 v. 15 — crucifigendus est in medio cum Christo VII 576 40

— furor dicitur VI 80 v. 4 — potest dici sententia iudicis 144 v. 24

— Qui sunt in spiritu Deo conformantur VI 295 39 — Quod nascitur de Spiritu Dei non est unus spiritus cum Deo per essentiam, sed per conformitatem et adhaerentiam 281 20 2* — Christo non est datus ad mensuram certam 288 57. 289 63

— bonus est sanctitatis, paupertatis et humilitatis VII 292 47 — Qui habet spiritum rectum habet iustitiam ad se et proximum et Deum, et per hoc habet pacem et gaudium, et intra se regnum Dei *ibid.* — bonus est qui continet septem dona 295 56 — Fervor spiritus elevat animam supra se, ubi audit et videt arcana 316 20

— mansuetudinis est spiritus Christi VII 248 99 — Qui spiritum Christi habet non debet expetere vindictam, sed exhibere patientiam *ib.* 100

— malus est qui continet septem spiritus nequitiae, id est septem vitia capitalia septem donis opposita VII 295 56 — nequiores sunt septem simulationes, quia sub specie sanctitatis decipiunt innocentes *ibid.* — nequiores secure habitant in hypocritis *ibid.* — Triplex spiritus nequam expellitur spiritu divino 292 47 — mundi sunt Angeli, immundi daemones VI 157 b — immundus dicitur ab effectu VII 106 70 — immundus immunda quaerit habitacula 205 57 — erroris docet falsa VI 441 26

Splendor — simul tempore procedit a luce VI 248 8 — est ratio videndi lucem 422 64

Sponsus — Ecclesiae est Christus VI 287 52. VII 133 81. 522 8 — Christus venit ut sponsus ad cohabitandum 597 v. 46 — Gaudendum est de praesentia sponsi, sicut tristandum de absentia VII 133 81, 82

Spuere — est peccati foeditatem extra nuntiare VI 374 9

Spurius — dicitur idem quod ignobilis vel degenerans VI 133 v. 3

Stabilitas — Defectus stabilitatis ad permanendum considerandus et plangendus VI 271 13

Stadium — est octava pars milliarii VI 399 28. VII 591 18

Stare — et manere in se est naturae institutae VI 331 79

Statua — salis significat defluxum hominis per carnalem concupiscentiam et corruptivam putredinem VI 173 v. 7

Status — sex distingui possunt: status culpae, poenitentiae, pugnae, iustitiae, sapientiae, perseverantiae VI 628 3 — iustorum duplex est, activorum et contemplativorum 32 v. 8 — iustorum est triplex VII 60 73. 172 31 — Tribus statibus correspondet triplex Spiritus sancti apparitio 84 54 — hominum exsistentium in Ecclesia est quadruplex VI 31 v. 8

— praelatorum designatur in Christo, qui in se ostendit formam rectae praelationis VII 172 31 — contemplativorum designatur in discipulis, qui admittuntur in monte in transfiguratione Domini *ibid.* — activorum designatur in turba, quae versatur in fluctibus mundi *ibid.* — culpae designatur in adolescente mortuo *ib.* 32

— culpae potest esse in interiori affectione, in exteriori operatione et in consuetudine VII 172 32 — peccantium in corde designatur per puellam mortuam in domo *ibid.* — peccantium in opere designatur per adolescentem, qui ad portam civitatis inventus est *ibid.* — peccantium per consuetudinem et obstinationem designatur per Lazarum *ibid.* — poenitentiae designatur in adolescente resuscitato *ibid.*

— Non omnes ad statum perfectionis sunt admittendi, sed tantum illi qui sunt idonei VII 208 71

— omnis debet laudare Deum de incarnatione VII 60 73

Stellae — significant exempla perfectorum propter lumen iustitiae VI 93 v. 2

— imminente iudicio non mutabunt situm secundum substantiam, sed secundum apparentiam VII 533 41 — imminente iudicio propria virtute impressiones plurimas generabunt *ibid.* — cadent de caelo 536 47

Stephanus — Beato Stephano caelum apertum est ad recipiendum VI 544 1 — in certamine positus vidit Christum ad adiuvandum assistentem 630 11 — vidit caelos apertos quasi hospitium sibi paratum ad hospitandum et Iesum stantem quasi paratum ad adiuvandum *ibid.*

Stercus — significat temporalia VI 579 6 — dicuntur peccata VII 339 13

Stolae — sunt camisiae albae et longae, quibus utebantur Scribae VII 518 53 — prima dicitur animae et secunda corporis VI 546 7 — prima est vestis interioris puritatis, qua mens nostra debet indui et qua a principio suae conditionis induta fuit VII 396 37 — prima est vestis innocentiae *ibid.* — Ea induitur qui se per divinae gratiae adiutorium in puritate custodit *ibid.* — prima datur per susceptionem Sacramentorum baptismi et poenitentiae *ibid.*

Stridor — dentium in inferno producitur a poena frigoris et venit ab exteriori VII 353 59

Studium — est vehemens applicatio animi cum summa voluptate ad aliquid agendum VI 107 v. 2 — requirit vacationem ab exterioribus occupationibus *ibid.*

— adhibetur ad acquisitionem sapientiae, ad exercitationem iustitiae, ad expletionem concupiscentiae, ad imperium avaritiae VI 27 v. 26 — ad acquisitionem sapientiae et ad exercitationem iustitiae est bonum, studium ad expletionem concupiscentiae et ad imperium avaritiae est malum *ibid.*

— veritatis debet esse cum debita societate et debito ordine VII 69 111 — Studentium consortium est diligendum, non ad litigandum, sed ad conferendum 67 101

— Studentibus datur forma inquirendi veritatem a Christo sedente in medio doctorum VI 542 11

Stultus — dicitur homo mundanus VI 52 v. 8 — est piger 38 v. 5 — renuit operari *ibid.* — cognoscitur in operationibus 62 v. 26 — In stulto est defectus operationis fructuosae 85 v. 15

— in labore suo multum affligitur et parum proficit VI 85 v. 15 — non laborat in bonis *ibid.*

— Stultitia seducitur qui se reputat aliquid magnum VII 363 18 — est qui se reputat eruditum 306 90 — est qui non praevidet futura pericula 318 30 — est qui de futuris incertus secure dormit *ibid.*

— defectum habet providentiae de futuro VI 41 v. 13 — In stulto est defectus considerationis providae 85 v. 14 — ignorans praeterita non potest praevidere futura *ibid.* — in tenebris ambulat quasi non habens oculos 25 v. 13

— Stultitia est contra doctrinam VI 19 v. 17 — Stultitia excaecat 25 v. 13 — Stultitia est tenebra *ib.* v. 14 — Stultitia contemplanda est, ut vitetur 24 v. 12

— non attendit, quantumcumque homo clamet VI 79 v. 17 — propter defectum locutionis discretae se ipsum praecipitat 84 v. 12

— cogitat mala VI 79 v. 2 — cogitat bona temporalia 80 v. 2 — in praesenti requirit iucunda 55 v. 5 — contemptis aeternis inhiat terrenis 52 v. 8 — abducuntur a veritate per pulcritudinem creaturarum 200 v. 20 — Stultitia magna est de spiritu ad carnem descendere VII 595 32

— nescit viam rectam ad eundum in caelum per veram fidem et dilectionem VI 85 v. 15 — non pergit ad vitam aeternam 52 v. 8 — caritatem veritatis non receperunt 85 v. 15 — Victimae stultorum Deo displicent 42 v. 17

— Antichristum insipientem stulti sequentur et ab ipso affligentur VI 85 v. 15

— praeficitur sapientibus VI 81 v. 5 — Propter audientium stultitiam sapientia contemnitur 79 v. 17

Stupor — est ex insolita et magna imaginatione VII 67 103 — erat in populis propter doctrinam et potentiam miraculorum Christi 105 67. 216 98 propter divinae potentiae magnitudinem elevat fidem credentium in excelsum 216 98

Subesse — non debet homo in his quae contra Deum sunt VI 82 q.

Subiectio — Non debet dimitti locus subiectionis et servitutis VI 81 v. 4 — Subiecti esse debemus omnibus pro amore Dei VII 68 108 — Subiecti esse debemus patri spirituali sive corripienti sive praecipienti 69 111

— Qui nulli subiicitur omnia habet et abundat VII 521 4

— ad regem in quo consistat VII 45 5

Sublimia — non sunt perscrutanda VI 53 v. 1 — Modus agendi sublimis est modus certitudinalis 241 6 — sunt bona aeterna *ib.* 7

Substantia — est remota a sensibus VI 16 q. 1

— hominis dissipatur in peccatis carnalibus VII 391 25 — hominis consistit in rebus, membris et moribus *ibid.* — multiplicatur per munificentiam VI 22 b

Subventio — impendenda est his qui habent penuriam VII 368 30

Sudarium — erat ad operiendum faciem VI 505 8 — In sudario involvuntur mortui VII 484 33

Suffocatio — impediens vitam spiritualem est a curis huius saeculi VI 553 6

Suggerere — est ab inferiori vel ab occulto VI 445 46 — Diabolus potest suggerere cogitationes 427 14

Sugillari — dicitur qui verbis et rationibus tanto taedio afficitur, quod prae taedio sanguis sugitur et diminuitur VII 451 8

Sumtus — necessarii sunt sufficientes conatus mentis, quibus quis cooperatur gratiae Christi VII 377 58 — sufficientes ad perficiendum consistunt in proposito voluntatis agentis *ibid.*

Sunamitis — habuit prolem per merita Elisei, quem hospitio recepit, cum esset sterilis VII 475 9 — eius filius a morte suscitatus est per Eliseum *ibid.*

Super — in sacra Scriptura significat auctoritatem VII 71 7

Superabundantia — Quod per superabundantiam dicitur uni soli convenit VI 73 q. 3

Superbia — est inordinatus appetitus superioritatis et prioritatis VII 362 15 — Superbis non placet status humilitatis, sed dignitatis 290 42 — Superbus semper vult obtinere primatum 371 41 — Superbus nihil aliud quaerit quam dominari et praeesse *ibid.* — Superbi ab aliis cupiunt honorari 362 15 — inflando introducit vanitatem gloriae 310 4

— intelligitur per leonem VI 181 v. 20 — notatur in emptione villae VII 371 41 — est quasi lutum tumidum et ampullosum VI 580 5. 581 b

— Quatuor sunt species superbiae VII 455 20 — Superbi mente et corde dicuntur qui superbiunt in intellectu per praesumtionem et in affectu per ambitionem sicut lucifer et eius sequaces 33 96

— Via ad superbiam est cogitatio exaltationis VII 243 86 — Superbiae occasio et per consequens ruinae potest esse etiam donum divinitus datum 263 33 — Acquisitio scientiae est occasio superbiae VI 19 v. 17 — Mundus praetendendo altitudinem erigit in superbiam 4 10

— Superbus non vult habere consortem in magnis VI 40 q. — Superbus cum nullo potest in pace cohabitare VII 219 8 — frangit unitatem 429 25

— magnos veneratur et parvos despicit VI 303 85 — Superbi sunt montes, qui non recipiunt pluviam compunctionis 304 12

— intentionis est in hypocritis et ambitiosis VI 546 11 — Superbi excaecantur ex adventu Christi 382 54 — Superbus non ascendit per ostium in Ecclesiam Dei 383 2 — Superbi non quaerunt Christum in humilitate crucis, sed in appetitu honoris et laudis VII 290 42 — Superbi sunt adversarii Christi et sequuntur antichristum 525 14

— Vanitas superbiae reddit hominem infructuosum ad bonum opus VI 5 11

— inclinat ad invidiam VI 80 q. — Superbus et vanegloriosus gloriatur in ostentatione exteriorum operum et verborum VII 354 66 — impellit ad ostentationem VI 20 v. 18 — Per superbiam mali exaltantur in corde 596 5

— in honorum excellentia impiis nihil prodest, immo potius nocet VI 140 v. 8 — Ventus superbiae excaecat oculos spirituales 579 5, 6 — Superbiae est respondere iniurianti 578 7 — Superbus, dum vult esse dominus hominum, efficitur servus vitiorum VII 371 41 — facit hominem evanescere et quodam modo extra se exire *ibid.* — Superbus evanescit VI 4 10

— Superbus vult videri humilis VII 371 41 — Superbus se ipsum humiliat in voce, cum superbiat in corde *ibid.* — Quod fit typo superbiae frequenter palliatur zelo iustitiae 245 91 — Spiritus superbiae non permittit, quod homo accuset se 289 39 — Superbus est qui magis ponderat culpam in alio quam in se ipso 161 96 — Superbus neminem putat humilem 502 4 — Quem superbi despiciunt, humiles comitantur 375 51

— Qui per superbiam erigit cervicem contra Deum inimicatur ei VII 486 41 — Superbiunt contra Deum qui se extollunt per magnificationem virtutis propriae 452 14 — Superbia elevati Deum oderunt 454 36 — Superborum deprecatio numquam Deo placuit 282 15

— Superbi non vocantur a Deo, sed magis excaecantur VII 132 78 — Superbus iusto Dei iudicio habet cor dispersum 33 96 — Superbi humiliantur a divina iustitia *ib.* 97. 365 23 — Per superbiam deorsum trahuntur ambitiosi VI 568 7

— Periculosum semper fuit erigi in superbiam, periculosissimum post humilitatem ostensam in Christo VII 551 38 — est infirmitas pessima VI 587 6 — est delictum maximum 579 6 — Grande malum est et horrendum periculum se extollere et praeferre aliis VII 364 20 — Pavenda est vel minima temere praesumta erectio *ibid.*

— Cibus superbiae est cibus culpae VI 556 1 — Damnatio ortum habuit a superbia 429 25 — ex parte irascibilis est initium omnium peccatorum 203 v. 27 — est mors culpae 588 5

— dat animam in servitutem diaboli VII 371 41 — Superbus est imitator luciferi 365 22 — facit, quod diabolus manum extendat in hominem 240 76 — Superbi ut imitatores diaboli confringunt iugum et frangunt vincula divinorum praeceptorum 203 53 — Superbi a diabolo sunt vinculis compediti *ibid.*

— Superbis angelis non pepercit Dominus VII 262 31

— Vitium superbiae detestatur VII 161 94 — cavenda est 457 25 — debet deiici *ibid.* — Vinum superbiae est abominabile VI 547 3 — reprimenda est VII 262 31 — Aqua superbiae est fugienda VI 626 2

— Superbi confutantur a Christo VII 134 75

— A superbia liberat consideratio humilitatis Christi in incarnatione VI 30 183 (82) — Christus in cruce caput inclinavit contra superbiam 618 3 — Superbiae opponitur propriae voluntatis abiectio 584 3 — curatur consideratione vilitatis humanae conditionis 580 7

— Superbiae daemon eiicitur per orationem VII 289 39 — Superbiae curatio intelligitur per daemonium expulsum a Christo VI 587 7

— Quanto sumus a tumore superbiae inaniores, tanto pleniores dilectione VII 244 89

Supererogatio — In via supererogationum sequuntur Christum virgines per excellentiam puritatis, Apostoli per excellentiam probitatis, Martyres per imitationem passionis VI 584 4 — Perfecti sequuntur Christum per excelsa supererogationum quasi per compendium 583 1 — Per compendium supererogationum ad Christum venitur 563 5

Superfluum — duplex est VII 76 27

— In superflua effusione est peccatum VI 503 68 arg. — omne est evitandum 322 23 arg.

— amputantur vel per paupertatem, vel per eleemosynae largitionem, vel per sollicitudinis abiectionem VI 553 7 — donandum est cui est necessarium VII 75 24, 25

— Superfluitas temporalium ineptos reddit nos ad vigilandum circa studium veritatis, exercitium virtutis et excessum contemplationis VII 538 55

Superscriptio — in anima morum qualitates significat VII 511 30 — est duplex *ibid.* — terrenitatis est in mundanis mentibus *ibid.* — specificat personam, ad quam res pertinet *ib.* 31 — exigitur tam a Deo quam a Caesare *ibid.*

Supplicium — Suppliciorum comminationes quatuor VII 151 58, 59 — corporale non est timendum, nec ille qui infert 312 8 — spirituale est maxime formidandum, et solus ille qui infert ipsum *ibid.* — Suppliciorum sunt participes qui imitatores fuerunt scelerum alienorum 424 58

— Consideratio supplicii revocat a malo VI 88 v. 1. 90 v. 8

Surditas — designat obdurationem in perdurando VII 177 46

Surgere — est operatio viventis VII 215 94 — Per surrectionem intelligitur peccati desertio quoad culpam, sequelam et occasionem 394 32

Susanna — fuit curata a Christo et erat in suo comitatu VII 189 4 — Historia Susannae dicitur immixta Danieli VI 355 13

Suscitatio — Christus suscitavit mortuos in corpore et suscitat mortuos in anima VI 309 40 — Homines non possunt mortuos suscitare VII 215 92 — mortuorum est opus omnipotentiae VI 309 39

— puellae probatur manducatione, Lazari ambulatione, adolescentis locutione VII 171 27

— In suscitatione filiae archisynagogi designatur suscitatio peccatoris VII 214 91 — In suscitatione peccatoris a morte concurrunt virtutes fidei, spei et caritatis *ibid.*

Sustentatio — est causa, quare quis alii debet servire VI 576 8

Sustinere — Grave est sapienti sustinere illudi a minus sciente, gravius potenti a minus potente, gravissimum benefacienti ab egeno eius beneficium recipiente VI 616 2 — Sustinendo malum itur ad regnum 606 v. 7 — Sustinendae sunt passiones exemplo Christi VI 619 v. 2 2. VII 350 49 — Sustinentes beatificantur in Scriptura VII 30 84

Susurrium — verbi dolosi valde vitandum est VII 475 10

Sycomorus — ficus fatua interpretatur VII 474 7 — est figura eminentiae fidei *ibid.*

Synagoga — est locus eruditionis VII 105 69 — erat locus communis, ubi multi conveniebant 105 66. 106 70 — In synagoga Iudaei sabbatizabant Deo 96 32 — In eam intravit Christus ad nostram instructionem *ibid.* — In synagoga erat daemoniacus immundus curatus a Christo 106 70 — In mensa synagogae cibus legalis ministrabatur VI 555 v. 8

— vocatur ancilla VI 167 v. 5 — figuratur in ficulnea infructuosa VII 340 16 — designatur per asinam 488 46. 491 52 — ligata erat funibus peccatorum 489 46

— sprevit Christum patientem, et ideo perdidit prolem et hereditatem VII 565 84 — non fuit vera vitis VI 448 13 — deseruit fidem VII 475 10 — quia non fuit conversa ad praedicationem Prophetarum, succisa est in adventu Christi 340 16

Synecdoche — Secundum synecdochen solet poni pars pro toto VI 112 v. 4 — Per synecdochen ponitur pluralis pro singulari 412 11

Syria — dicitur umbilicus terrae habitabilis VII 44 4

# T

Tabernaculum — est pauper domuncula VI 178 v. 2

— in deserto fuit mobile VI 168 v. 8 — Iudaeorum factum erat ad exemplar caelestis tabernaculi *ibid.* — in deserto significabat Ecclesiam militantem *ibid.*

— cum in eo contentis est figura Christi VII 596 34 — aeterna sunt mansiones gloriae 408 15 — In aeterna tabernacula alios recipiunt qui adeo perfecti sunt, ut merita eorum etiam aliis valeant *ibid.*

Tabulatum — erat summitas tecti templi VII 93 18

Tacere — Non est semper tacendum VI 31 v. 7 — Homo sapiens tacet suo tempore *ibid.* — Taciturnitas recte praemittenda est locutioni *ibid.* 164 v. 12 — Boni taceant, cum aliis non prosunt VII 568 11

Tactus — Aliquid potest tangi, quia tactum non potest refugere, aut quia terminat impulsum manus, cum possit etiam manum penetrare VI 518 65 — Tactui serviunt luxuriosi 558 v. 18

— Per tactum vestimenti Christi intelligitur imitatio in labore sanctae conversationis VII 213 86 — cordis est per fidem VI 509 26

Tectum — templi erat planum et inserviebat doctoribus et praedicatoribus VII 94 18

— super tectum debet ascendere praedicator veritatis VII 444 54

Telonium — dicitur a vectigalibus VII 129 66

Temperantia — cavet superfluum malum VI 162 v. 7 — Per temperantiam recte nos habemus ad passiones mulcebres *ibid.*

Templum — Dei est caelum VI 130 v. 14 — est figura Christi VII 596 34 — dicitur corpus Christi propter inhabitationem Divinitatis VI 276 34, 35. 277 42. 282 22

— in Ierusalem significat Ecclesiam triumphantem VI 168 v. 8 — spiritualiter significat consortium sanctae Ecclesiae VII 67 102

— spirituale est quintuplex: templum gloriae, Ecclesiae, fidelis animae, uteri virginalis, humanitatis assumtae VI 548 2 — gloriae est desiderabile recordantibus, mirabile contemplantibus, delectabile intrantibus *ib.* 3

— Homo est templum Dei VI 276 35. 550 9 — Homo fit templum Dei per dilectionem 308 31 1* — Deus habitat in nostra mente ut in templo 537 6 — In templo animae fidelis interdicitur omnis idolorum cultus, id est peccatorum servitus 550 9 — animae fidelis est mundandum per dolorem poenitentiae, reaedificandum per profectum iustitiae, ornandum per decorem scientiae *ib.* 10 — In templo internae orationis videtur Deus 307 26

— In templum debemus conscendere, ut oremus VII 453 15 — est domus orationis *ibid.*

— Deus de templo exit, cum templum polluitur, violatur, in ipso Iesus lapidatur VI 578 4 — polluitur, quando admittit homo malam delectationem; templum violatur, quando homo perpetrat malam operationem; in templo Iesus lapidatur, quando homo impugnat correctionem *ibid.* — Perversa, quae fiunt in templo, zelo emendanda 274 24

— Deus templum aedificari voluit in monte sancto Moria VI 168 v. 8 — aedificatum est septem annis et reaedificatum quadraginta sex 276 34 — in Ierusalem erat immobile 168 v. 8 — erat in alto, et per gradus ascendere oportebat, ut competeret ei, propter quod erat VII 453 15 — In templo large sumto comprehendebantur quatuor atria VI 275 27

— manifesta transgressione factum erat forum VI 273 21 — Indigni de templo eiecti sunt *ib.* 22 — Qui in templo non orabant, sed mercabantur, a Domino eiecti fuerunt non sine asperitate verborum VII 453 15

— In templo Iudaei quaerebant Christum ad perdendum VI 409 74

— Templi pinnaculum erat locus altus et celebris, a quo sacerdotes et doctores instruebant plebem VII 93 18

— Causa maxima destructionis templi fuerunt peccata sacerdotum VII 498 70

Temporalis — Calcatio aquarum est contemptus temporalium VI 567 5

Tempus — Septenarius significat universitatem temporis VI 32 q.

— dicitur communiter et proprie et magis proprie VI 28 q. 1 — communiter acceptum dicit mensuram exitus de non esse ad esse *ibid.* — communiter acceptum est in omnibus *ibid.* — proprie acceptum importat variationem sive in substantia, sive in affectione *ibid.* — magis proprie acceptum est mensura excellens *ibid.* — magis proprie acceptum est corruptibilium, et non omnium *ibid.*

— Substantia spiritualis habet tempus quantum ad mutationem affectuum VI 28 q. 1 — Omnia habent temporis varietatem *ibid.*

— Quod est in tempore et habet tempus est corporale VI 28 q. 1 — Quod est in loco est in tempore *ibid.*

— dicitur aeternum, quia habet finem, sed non in tempore VI 14 q. 2 — Deus non omnia tempora fecit uniformiter, sed difformiter 58 v. 15

— Quatuor tempora anni causantur per motum solis, secundum quatuor quadras zodiaci VI 155 v. 18

— Temporis opportunitatem sapiens in suis operibus considerat VI 65 v. 5 — opportunum considerare pro suis operibus bonum est 65 v. 6 — Est opportunitas temporis ad studendum, orandum, benefaciendum *ibid.* — futurum periculosum est *ibid.* — De temporibus futuris dupliciter possumus inquirere VII 524 12

— gratiae est triplex quantum ad necessitatem Sacramentorum VI 281 19 — gratiae est sicut fructus respectu temporis Legis Moysaicae, tempus gloriae sicut fructus respectu temporis gratiae 300 68

— inopiae melius est quam tempus abundantiae VI 57 v. 11 — gloriae mundi non desiderandum 340 7

— nationum est tempus illud, quo filius perditionis Ecclesiam conculcabit VII 533 40

Tenebrae — Tenebras semper comitatur horror VI 218 v. 4 — In tenebris est periculum, maxime quando deest ductor 323 27 — per lumen expelluntur VII 310 2

— quaeruntur a peccatoribus VI 536 6 — culpae sunt in peccatoribus, tenebrae miseriae in hominibus miseris, tenebrae naturae in creaturis defectibilibus *ib.* 7 — In tenebris ambulant excaecati per errorem 358 18

— sunt peccatores infidelitatis tenebris obcaecati VI 249 13. 250 16 2* — sunt peccatores 536 6 — spirituales continent peccatores *ibid.* — est infidelitas 249 13 — est stultitia 25 v. 14

— aeternales servantur peccatoribus VI 536 6

— in morte Christi non potuerunt esse per naturam VII 581 54

Tentatio — est malum, quod est occasio culpae VII 279 8 — imminens est causa taedii vitae VI 25 v. 17

— In tentatione tria sunt consideranda VII 89 1, 2 — Tentationis triplex motivum secundum triplex bonum 90 8. 95 23 — ad malum inclinans est a carne, mundo, diabolo, non a Deo VI 320 14 — daemonis est vel exterior et visibilis, vel interior et invisibilis 175 v. 14

— Homo tentat probando, ut innotescat probanti, sed Deus tentat, aut ut innotescat aliis, aut ut probatus innotescat sibi ipsi VI 320 14 — Deus non tentat ad addiscendum nec ad decipiendum, sed ad erudiendum, ut magister discipulum 127 v. 5 — Deus probando tentat virum perfectum ad exemplum, imperfectum ad humilitatis meritum 320 14 — hominem probat VII 282 16

— Tentare est aliud exterius praetendere, aliud interius intendere VI 111 v. 2 — Tentare est idem quod callide experiri *ibid.*

